Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Oviedo
Biblioteca

S. GREGORIUS P.

2

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

B. GREGORII PAPAE OPERVM SECVNDVS TOMVS, COMPLECTENS ALIQVOT SACRAE SCRIPTVRAE EXPOSITIONES: TVM HOMILIAS SVPER EZECHIELem, & in Euangelia: tum eiusdem Epistolas, cum quibusdam alijs, uti uersa facie apparebit.

BASILEAE M D L.

FACULTAD DE TEOLOGIA
Univ. de Deusto
BILBAO

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS SOCIETATIS IESU

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN HOC SECVNDO TOMO HAEC CONTINENTVR.

Expositio in Cantica canticorum.
Homiliæ super Ezechielem uiginti duæ.
In Euangelia, Homiliæ quadraginta.
Explanatio in septem Psalmos pœnitentiales.
Epistolarum ex Registro Greg. libri duodecim.
B. Gregorij decreta tempore Mauricij, Tyberij & Theodosij Auggg.
Enarrationum in I. Samuelis, qui & Regum primus dicitur, libri VI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BEATI GREGORII EXPOSITIONIS IN CANTICA CANTICORVM, PROLOGVS.

VIA si cæco, si longe à deo posito cordi sermo diuinus uoce propria, ac uoce diuina loqueretur, nō caperet, per quædam ænigmata misericorditer monet & reuocat, & per res notas latēter ei amorem rerum nō notarum insinuat. Per hoc enim ꝙ non horret cognitum, intelligit quiddā incognitum. Rebus notis allegoriæ cōficiuntur, & in sententias diuinas uertunt, ut dum recognoscimus sensu exteriora, intellectu perueniamus ad interiora. Hinc est ꝙ in libro hoc qui Canticū canticorū inscribit, amoris quasi corporei uerba ponuntur, ut à torpore suo anima per sermones cōsuetos discussa recalescat, & per uerba amoris qui infra est, excitet ad amorem qui supra est. Nominantur em̄ hic oscula, ubera, genæ, femora. Vbi nō irridenda est sacra descriptio, sed consideranda misericordia dei, in hoc etiā amplior, quia dum membra corporis nominat, sic ad amorē suū nos uocat. Notemus quidem ꝙ mirabiliter, ꝙ misericorditer nobiscū operatur, qui ut nos ad amplexus sacri amoris accendat, usq; ad turpis amoris nostri uerba se inclinat. Sed unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat: quia ex sermonibus huius amoris discimus, qua uirtute in diuinitatis amore feruea-
mus. Hic etiam solerter intuendū est, ne cùm exteriora audimus, ad exteriora sentienda remanea
mus, & machina quæ ponitur ut leuet, ipsa magis opprimat & aggrauet. Debemus in uerbis exteri
oribus corporeis quicquid interius est quærere, & loquentes de corpore extra corpus fieri. Debe
mus ad nuptias sponsi & sponsę cū intellectu charitatis, id est cum ueste nuptiali uenire, ne si ista ca
reamus, ab hoc conuiuio in exteriores tenebras, id est, in cæcitatem ignorantiæ repellamur. Debe
mus per uerba passionis trālire ad uirtutē impassibilitatis. Litera enim occîdit, spiritus uiuificat. Sicut enim palea frumentū, sic & litera tegit spiritū. Sed quia iumentorū est paleis, hominum frumentis uesci, qui humana ratione utitur, paleas abijciat, frumenta spiritus edere disponat. Humanæ cō uersationis uerba audiētes, quasi extra humanitatē esse debemus: ne si humaniter quæ audiuimus, capiamus, nihil diuinitus de his sentire possimus Qui enim deum sequitur, imitari debet quotidie resurrectionē suam, ut sicut tunc nihil passibile erit in corpore, ita nūc nihil passibile habeat in corde. ut secundum interiorem hominem iam noua creatura sit, & sic iam quicquid uetustū sonuerit, calcet: & in uerbis ueteribus solam uim nouitatis inquirat. Attendēdum est quòd liber hic nō Canticum, sed Canticorum canticum dicitur: Tanto est enim omnibus canticis sublimius, quanto in nuptijs sublimioris festiuitatis offertur. Hic notādum est, quia quando uult timeri, dominū, quando uult honorari, patrē, quando amari, sponsum se nominat dominus. Attende ordinem. Ex timore enim honor, ex honore solet procedere amor. Nec uacat à mysterio, quod liber hic tertius ponitur in operibus Salomonis. Post prouerbia enim Ecclesiastes, post Ecclesiasten Canticum canticorum, non casu, sed plena ratione posuit. In prouerbijs moralis uita exprimitur, cùm dicitur: Audi fili mi sapientiam. In Ecclesiaste naturalis, ubi finis omniū cōsideratur, cùm dicitur: Vanitas uanitatum & omnia uanitas. In Cantico uerò canticorum cōtemplatiua uita exprimitur, dum in eo ipsius domini aduentus & aspectus desiderat, cū spōsæ uoce dicitur: Osculetur me osculo oris sui. Quia ergo naturalis ad cōsiderationem nō perducitur, nisi prius moralitas teneat, rectè post Prouerbia Ecclesiastes ponitur. Et quia superna contemplatio nō conspicitur, nisi prius hæc infra labentia despiciantur, rectè post Ecclesiasten Canticum canticorum ponitur. Prius quippe est mores componere, postmodum omnia quæ sunt, tanquam non sint, considerare. Postea munda cordis acie superna & interna conspicere. Hos ergo librorum gradus quasi quandam ad cōtemplationem dei scalam fecit, ut dum primū in seculo bene geruntur honesta, postmodum etiam honesta seculi despiciantur, ad extremum uero dei intima conspiciantur. Sic autem generaliter ex uoce sanctæ Ecclesiæ aduētus domini in hoc opere prę stolatur: ut etiam specialiter unaquæque anima ingressum dei ad cor suum tanquam aditum sponsi in thalamum aspiciat. Itaq; sancta Ecclesia diu prę stolans aduentum domini, diu sitiens fontē uitæ: quomodo optet uidere præsentiam sponsi sui: quomodo desideret, dicat.

B. GREGORII EXPOSITIO IN CANTICA CANTICORVM.

Caput I

Sculet̄ me osculo oris sui. Os sponsi inspiratio Christi. Osculū oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo sponsa desiderio æstuans & in amplexum spōsi sui inardescēs, Osculet̄ me osculo oris sui. Ac si diceret: Ille quē super omnia, immo solum diligo, ueniat, qui dulcedine

Universidad de Deusto
Biblioteca

suæ inspirationis me tangat;quia cùm eius oscului sentio, subita mutatiõe me derelinquo, & in eius similitudinẽ ilico liquefacta transformor. Fastidit quippe sancta mens omnia quæ per corpus sentit, & in illa spiritalia tota transmutari concupiscit,& dum ista obstrepunt in illa fugit, seq; abscõdere ne hæc sentiat,appetit. Ideoq; oscului sponsi quærit,quia si ille gratissimi amoris uinculo hanc nõ trahit,hæc cui suæ molestissimæ grauedinis detenta,quomodo se ad illum conferat omnino nõ inuenit.Sed pius spõsus anxietatem eius sentiẽs, amorem diligens,uotum exaudiẽs, oscului porrigit,& ne desiderio lassescat,gustu suæ suauitatis lenit,& dum suã presentiã exhibet,eam ad maius dilectionis osculum accẽdit. Vnde hæc illũ sentiẽs ad eum se cõuertit, & quem presentẽ habet,mox gaudens uoce mutata alloquitur & dicit:

Anima fasti dit omnia quæ per cor pus sentit

Quia meliora sunt ubera tua uino, fragrantia unguentis optimis.

Vbera sponsi, dilectio dei & proximi. Ex his uberibus sponsam suã lacte pietatis nutrit, & inter tentationũ turbines his eam fouet & nutrit,& ut persistat, reficit. Quid autem per uinũ nisi cura temporalis exprimit,à qua mens secularis cuiuslibet inebriatur,ut ad inuisibilia cognoscenda aut ex toto,aut penè insensibilis reddatur? Sed ubera sponsi uino meliora existunt,quia illud necat,hęc nutriunt.Illud oculos mentis turbat,hæc acuunt. Illud apostatare facit etiam sapientes, hæc ipsos idiotas utiq; sapientissimos faciunt. Quæ quot uicibus sponsa cũ dilectionis ubertate fugit, tot sententias sapientiæ sibi in uentrẽ memoriæ trahit. Charitas em̃ sancta cor pacificat,mentẽ in tẽtationibus roborat,& ut sedes sapientiæ sit anima iusti,quietẽ tribuit,& locũ præparat. Hæc itaq; uerba unguentis optimis fragrant,quia odorẽ suauitatis per sapientiæ uerba & sanctitatis exẽpla secum portant. Quicunq; em̃ sancta charitate per gratiam dei se reficit, is spiritalium donorũ & odorem & suauitatẽ sentit.Quorũ bonorũ ubertate proximos quosq; ad interiora gustanda secum trahit,& ut in amorem diuinum cõualescant,istis uberibus nutrit. Sequitur:

Vinum necat & ubera nutriunt

Oleum effusum nomen tuum.

Nomen sponsi Christus est. Sed nomen sponsi quasi oleum effundit̃,quia quicũq; nomine Christiano in ueritate cẽsentur, charitate sancta affluunt,qua molliuntur,& ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate continuè suffundunt̃. Hac charitate in amorem ipsius Christi uehemẽtius accenduntur,& ab ipso accipiunt,quo ei amplius inhæreant,quo perfundunt̃. Hinc est quod Sequitur:

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.

Quid em̃ per adolescentulas,nisi sanctæ animę designãtur,quæ baptismatis aqua per spiritũ sanctum regenerant̃,& in nouã uitã per nouũ testamẽtum transformant̃? Quæ propter olei infusionem Christũ diligunt, quia ad gratiam uocatæ in eo suauitatẽ uitę perpetuę inueniũt:pro cuius suauitatis dilectiõe omnes mũdi fastus & diuitias respuunt. Sunt em̃ nõnulli qui ita deũ diligũt, ut seipsos contẽnant,in interiora se rapiũt,ut deũ inueniant.Et quia deus in superficie nõ iacet,meditationibus laborant,subtilissimè cogitationes suas examinant,lectionib. uacant, & quomodo Deus inueniatur, omnibus modis perquirere non cessant.Hi profectò odorẽ unguẽtorum sentiunt,& olei infusione se inungunt,quia dum omnẽ putredinem uitiorũ abiiciunt,flores sibi inueniũt,quorũ cõpositione suaue olentia unguẽta deo facientes conficiũt.Qui eiusmodi est,desiderio æstuat,& quasi nil habeat, semper maiora exoptat, & quia sibi uirtus non suppetit, in deum inhians trahi se postulat,dicens:

Deus in superficiẽ iacet

Trahe me post te,curremus in odore unguentorum tuorum.

Non currit,qui nõ trahitur, quia quem diuina gratia nõ adiuuat,molestia suæ corruptionis grauatur.Gratia quippe diuina nos prẽuenit,& interiorum dulcedinem nobis ostendẽs,de exterioribus nos cõpungit,moxq; in illa transiẽs animus, præ eorũ dilectione tẽporalia uilipẽdit. Iste ergo qui trahit̃, currit, quia uinculũ amoris libẽter sequẽs,gratiæ roboratus amore, sine grauedine obstacula omnia trãsit.Nec mirũ,cũ unguẽtorũ odorem sequat̃,quia cũ spiritaliũ donorũ suauitas sentitur,quid est in hac tẽporalitate cuius desiderio anima sancta sponsa Christi,ne in illa properet, teneatur? Ibi quippe lenitate unguentorũ gaudet, & dũ naribus discretionis spirat,charitas sibi suauiter olet. Hinc est quòd à singulari numero ad pluralem transit,quia in dilectione dei, etiam prẽceptum quod de proximi dilectione nos admonet,inuenit,quo instructa eructat nobis foras, q̃ gustauit suauiter intus,dicens:

Introduxit me rex in cellaria sua.

Quid per huius sponsi,qui rex est, cellaria intelligimus,nisi sanctæ scripturæ arcana quæ rimamur,nisi sanctæ contemplationis mysteria, quorum delicijs si reficimur,mox conualescimus? In illa procul dubio quisquis introducitur, omnia temporalia mox contemnit,quia æternis ditatur. Ideo sequitur:

Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super uinum.

Sancta anima sponsa Christi in spõsi sui delicijs exultat,dum corporalia respuit, & in spiritalibus se occultat. Eundẽq; spõsum delicias suas facit,in cuius respectu mũdana omnia nõ curat.Sed hæc in memoria uberũ agit,quia dum recolit quãta charitate Christus eam dilexerit, qui sanguine suo eam moriẽs in cruce redemit,& quotidie eam in sinu Ecclesiæ matris eiusdẽ sanguinis lacte nutrit,procul dubio magis ac magis in eius dilectionẽ intẽdit.Quod lac bene super uinũ dulce esse dicit̃,quia p̃ sanguinẽ Christi misericorditer educamur,qui per legis literã seuerè prius cõstringebamur. Per quã dilectionẽ adimpletur quod dicit̃:

Sãguis Christi animam redemit & eam quotidie nutrit

Recti

Recti diligunt te:

Soli utiq; recti Christū diligunt, quia quicunq; adhuc per distorta uitiorū ex desiderio currūt, dū in rectitudinis linea semper offendūt, ipsum iustitiæ authorē Christū omnino diligere nō possunt. Tunc uerò homo per uiam ueritatis incedit, cū & opera uirtutū exequitur, & tamē peccata sua semper agnoscit. Ideoq; sequitur & dicit:

Nigra sum sed formosa, filiæ Hierusalem, quasi tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis.

Nigrā quippe & formosam sancta anima se bene dicit: quia semper & turpitudinē peccatorū suorum perspicit, & tamē illius iustitiæ quā in intimis uidet, in exterioribus actibus secū solerter formam gerit. Quæ bene sicut tabernacula cedar nigra, & sicut pelles Salomonis formosa dicit̄: quia inquantū tenebras mortalitatis portat, nigredine corruptionis sordidatur. Cedar em̄ tenebræ interpretat̄. Salomon uerò qui Christū significat, pacificus dicit̄: Formosam ergo se sicut pelles Salomonis dicit: quia dum sanctos quosq; qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari nō negligit, eorum utiq; pulchritudini per similitudinē se iūgit. Ne uerò proximi in eius nigredinē intēdētes minus exempla bonorū eius ad imitationē diligant, turpitudinis causam satis faciēs ostendit: dum ab admiratione sua filias Hierusalē repellit, dicens:

Nolite me considerare quòd fusca sim: quia decolorauit me Sol.

Per solem Christus significatur. Sol ergo eam decolorauit: quia quantumlibet fulgeat anima, in cōparatione Christi fulgorē amittit. Sunt quippe nonnulli, qui in hac nocte mundi uelut stellæ hominibus fulgent, luminaria proximis apparēt, sed mox ut iustitię Christi se cōparant, quasi sine luce sunt, qui bene incōparabiliter prius hominibus lucebant. Qualiter uerò ad hoc peruenerit ut aliquantulum luceret, ostendit: cùm subiungit.

Anima qua liter à Sole decolorat tur

Filij matris meę pugnauerunt cōtra me, posuerunt me custodem in uineis.

Mater sponsę sancta Ecclesia, filij matris sancti Apostoli extiterūt. Ante Apostolorū quippe prędicationē penè totus mundus rebellis extitit, omnis pene anima idolorū se cultibus sordidauit, & cupiditates sceleratas accumulauit. Apostolorū uerò prædicatio superueniens, cōtra omnes uerbo pugnauit, in multis regnū dæmonū expugnauit, & regnum Christi, id est sanctā Ecclesiam ampliauit. Iunctam ergo Christo & sanctificatā congregationē Apostoli custodem in uineis posuerunt: quia primos credētes in Ecclesias per mūdū ut eas & congregarent & custodirēt, dispersērūt. Cuius dispersionis causam ostendit, dicens:

Vineam meam non custodiui.

Quid per uineam singulariter, nisi Iudæa designat̄: quæ à se fideles expulit: quia custodiri aspernabat̄. Prædicatione quippe expugnata, & spōsa Christi facta anima dilectione ardet & inquirendo cum quem diligit, in intimis se exercet dicens.

Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne uagari incipiam post greges sodalium tuorum.

In meridie Christus sub umbra pascit & cubat, quia in refrigeratione spiritussancti sibi quasi requiem & pastum parat. Per meridiem quippe ardor uitiorū exprimitur. Per umbrā uero spiritalis gratiæ flatus designatur. Meridie ergo feruēte in umbra Christus requiescit, quia dum in reprobis æstus uitiorum flagrat, ipse sponsæ suæ spiritū refrigerij tribuit, & in ea sibi delectabilē locū quietis efficit. Sed hoc sibi sponsa indicari deposcit, ꝙ nulli unq; declarat̄, nisi ei qui idē sanctificatricis gratiæ munus percipit. Quare uerò ad hæc percipienda æstuet; manifestatur, cùm subditur:

Meridies uitiorum ardorem notat

Ne uagari incipiā post gregessodaliū tuorū

Vere in quo Christus nō cubat, uagatur: quia mēs quā ille suauis & pōderosus Christi spiritus nō implet, multis cogitationibus dissoluta circūfertur. Sed qui sūt sodales Christi, per quorum greges spōsa uagari pertimescit, nisi falsi quiq; Christiani? Qui aut ob nominis soli⁹, aut etiā sacramētorū cōmunionē fratres Christi uocant̄, quia electis quos ipse fratres uocauit, in Ecclesia cohabitando sociant̄. Quorū multitudines bene per exprobrationem greges appellant̄, quia dum quasi irrationabilia animalia sine ordine uiuūt, seductoribus spiritibus ad deuorādum traduntur. Per huiusmodi greges uagat̄ quisquis ab intimo desiderio expulsus, reproborū stultitiam per similes cupiditates imitatur. Hos quippe electi cū molestè patiantur, per eorū persecutionē probati, mūdiores ad ęterna bona perducunt̄. Vnde admonetur sponsa, cùm sibi per increpationem dicitur:

Si ignoras te ò pulchra inter mulieres, egredere, & abi post uestigia gregum.

Si ignorat se spōsa, egrediat̄ & abeat, quia quisquis nescit se in hoc positū, ut tētationes per sufferentiam uincat, à familiaritate Christi recedit, quia in bello positus, cū domino suo pugnare recusat. Sciēdum est em̄ omnib. quòd cū in tētationibus sumus, cōtra aereas potestates pugnare prę cipimur, quia sine uictoria coronari nō possum⁹. Et si aduersarius deest, nec est quē uincam⁹, ideóque corona deerit, quam nō nisi uincentes capiemus. Hoc qui ignorat, in bello est, & quasi in pace exultat, & eo frequentius uulneratur, quo securior est, quia nescit uidere quem caueat. Dignè ergo à pugnatoribus secernitur, ut uestigia gregum sequatur: quia dum prudentes quosq; imitari negligit, necessario reprobos sequitur, quos stultitia brutis animalibus fecit similes.

Corona nō datur sine uictoria

Et pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.

Per hœdos immūdæ cogitationes designātur, per tabernacula pastorū cōuenticula hæreticorū exprimūtur. Qui ergo pugnare nescit, iuxta tabernacula pastorū hœdos pascit, quia quisquis obsistenti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtentibus tentationum gladijs uiriliter nõ reſiſtit, A immũdas cogitationes quaſi hœdos laſciuos in corde nutrit, & efficit ei ſimilis etiã qui à fide recedit. Anima uerò quæ ſponſa Chriſti effici cõcupiſcit, qualiter ſe habeat, Chriſtus eam docet, cùm ei per comparationem protinus dicit:

Equitatui meo in curribus Pharaonis, aſſimilaui te amica mea.

Scimus quia equitatus Iſraeliticus currus Pharaonis fugiẽs in mari demerſos reliquit, nec tñ ſtatim terrã repromiſſionis intrauit, ſed prius multas tẽtationes in eremo quadraginta annis ſuſtinuit, multos reges multis laborib. expugnauit, & ſic tãdẽ quod promiſſum ſibi fuerat, laborioſè acquiſitũ ſuſcepit. Huic ſancta anima ſponſi amica B ſimilis efficitur, quę prius in baptiſmo omnia peccata ſua extincta, quaſi Pharaonis exercitum reliquit. Et pòſt dum inter huius mundi habitatores, malignos uidelicet ſpiritus, uiuit, imminẽtia uitia quaſi reges alienos proſternit, & ſic tandẽ ad beatam terram in qua cum ſponſo delectetur peruenit. Cui bene dicitur quod ſubditur.

Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.

Turtur poſtquam parem ſuũ perdiderit ſemel, nunquam alteri ſe iungit, ſed ſemper ſolitariè habitans in gemitu perſeuerat, quia quem diligebat non inueniens quærit. Sic ſancta anima quæq; dũ à ſponſo ſuo abſens eſt, ab eius amore non recedit, ſed in eius deſideriũ ſemper anhelat & gemit: & dum illũ quem ualde diligit, non inuenit, quia ab omni alieno amore ſe retrahit, quaſi in genarũ uerecundia caſtitatem cordis ipſo habitu & actu exteriori oſtendit. Sequitur:

Turturis pulchra cõditio

Collum tuum ſicut monilia,

Per collum ſponſæ prædicatores ſanctæ Eccleſiæ deſignantur. Monilibus prædicatores comparãtur, uel quia Eccleſiæ ſunt ornamentũ, uel quia Eccleſiam muniũt, ut pectus monile, uel à rotunditate, id eſt, perfectione. In monilibus gemmæ in auro ponũtur. Per aurum quippe ſapiẽtia, per lapides opera exprimũtur. Collũ ergo ſponſæ ſicut monilia exiſtit, quia quilibet rect⁹ Eccleſiæ prędicator et ſapiẽtia interi⁹ ſe induit, & opera exterius exercet, quæ in ſapiẽtia uidet. Cui & adhuc dicit: D

Murenulas aureas faciemus tibi uermiculatas argento.

Murena piſcis eſt, qui captus uertit ſe in circulum, ad cuius exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur, qua deſignatur prædicatio, quæ aurib. inhæret & eas penetrat. Murenulis monilia collo liganť, quia & ſapientia & religio à ſcripturis ſanctis prędicatorib. adiungit. Per murenulas em̃ ſancta ſcriptura intelligit. Quæ bene auro & argẽto uermiculatę dicunt: quia & ſapiẽtia ſancta ſcriptura fulget, & ſonora prędicatiõe per uniuerſũ mũdũ audit. Sicut em̃ per aurũ ſapiẽtia, ſic per argẽtũ ſancta prędicatio demõſtrat. His uerbis ſpõſi ſpõſa reſpõdet, & per corporeas rerũ ſpecies amorẽ intimat, quo ſpiritaliter intus ardet, dicens:

Aurum ſapientiã, argentũ prædicationem demõſtrat

Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

Nardus eſt herba humilis, quæ guſtata frigus expellit, & calefacit membrũ. Accubitũ ſuum rex tũc intrauit, qñ dñs noſter Ieſus Chriſtus corpora liter cœli interiora penetrauit. Quo requieſcente, nardus ſpõſæ odorẽ ſuũ dedit, quia uirtus ſanctæ Eccleſię ſuauẽ famã bonitatis lõgè lateq; ſparſit. Ad cœlos em̃ dñs aſcẽdit, & ſpiritũ ſanctũ ſuũ ſup diſcipulos miſit. Quo impleti uerba ſalutis mũdo prędicarẽt, & per ſancta opera boni odoris famã circũquaq; diffũderẽt. Hũc quippe ſpũm in baptiſmo unaquæq; fidelis aïa recipit, ut per eũ ſibi ex uirtutũ cõfectiõe unguẽta cõponat, & ꝓximos exẽpli exhibitiõe q̃ſi ũguẽti odore reficiat. ſequit̃

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Mortuorũ corpora myrrha cõdiri ſolẽt, ne putreſcãt. Myrrhã quippe corporib. ne putreſcãt adhibemus, dũ mẽbra noſtra in Chriſti exẽplũ, per eorũdẽ mortificationẽ à putredine luxurię reſtringimus, ne dũ ea ſine cõdimẽto dimiſerimus diſſoluta putredine eſcã uermib. æternis faciamus. Sed quid eſt ꝙ dilectũ ſuũ ſponſa nõ myrrhã, ſed faſciculũ myrrhæ nominat: niſi ꝙ dũ ſancta mẽs Chriſti uitã ex oñi parte cõſiderat, contra omnia uitia ex eius imitatione repugnãtes uirtutes cõgregat: ex quibus ſibi faſciculũ myrrhæ aptat, quo carnis ſuę putredinẽ ſempiternã abſtergat? Qui bñ inter ubera cõmorari dicit̃, quia in dilectiõe dei & ꝓximi habitatio Chriſti ſancta ędificat̃. Sãcta quippe C anima dũ deũ ſic diligit ut proximũ non contemnat, & proximi amorem ſic exequitur ut diuinum non minuat, procul dubio ubera in pectore ſibi locat, quibus Chriſtum amplectens ipſum nutriat. Quaſi enim uberibus Chriſtus nutritus roboratur, dũ hac gemina dilectione ut fortius inhæreat, delectatur. De quo & adhuc dicitur:

Myrrhã adhibere mẽbris noſtris debemus

Botrus cypri dilectus meus mihi, in uineis Engaddi.

Cyprus inſula eſt, in qua uberiores uineæ ꝙ alibi naſcunt̃. Per Cyprũ ergo Eccleſia uniuerſalis deſignatur, quę multas uineas nutrit, dum in multas Eccleſias diuiſa, uinum quod lætificat cor hominis, gignit. In Engaddi balſamũ gignitur, quod cũ oleo pontificali benedictione chriſma efficit̃, quo dona ſancti ſpiritus exprimunt̃. Engaddi interpretat̃ fons hœdi. Hœdus aũt antiquitus ꝓ peccatis immolabat̃. Quid ergo per fontẽ hœdi, niſi baptiſmus Chriſti figurat̃? In quo dũ corpus mergit̃, anima abluit̃, & per illi⁹ fidẽqui ꝓ peccatorib. mortem pertulit, anima humana à peccatis omnib. mũdari ſe credit. Cui mox dilectus reſpõdet.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.

Bis pulchrã ſpõſus ſpõſam ſuã uocat, quia cui dilectionẽ dei & proximi donat, geminã pulchritudinẽ ei inſerit, qua delectat̃, & quã laudat. Cuius oculi bñ columbarũ eſſe perhibent̃, quia dũ in tẽporalib. gemit, & ad æterna deſideria rapit̃, in ſimplicitate ſenſus ſuos cuſtodit, & carnales cõcupiſcẽtias deteſtat̃. Colũba quippe in amore pro cantu gemit. Et bñ ſancta aïa colũbę cõparat̃, quia dũ

Pulchritudinem duplicem habet qui deũ & proximum diligit

reprobi quiq; in amore mũdi garriũt & lætantur, A à mortalitatis radice ad cœlestẽ pulchritudinẽ assurgit,& mũditiæ candorẽ corde & corpore sibiipsi custodit, & ꝓximos quosq; bonæ opinionis odore reficit. Sed quia sponsus sponsam suam tanta laude dignam habuit,ipsa iam ex debito laudat à quo se laudari perspicit,& dicit:

Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.

Ligna siluestria esui hominũ habiles fructus nõ gignũt. Malus uerò quod gignit,congruè & salubriter homines edũt. Meritò ergo per malũ Christus, per siluestria uerò ligna cæteri homines figurantur: quia in solo Christo cibũ salutis quoties quærimus inuenimus, in eius uerbis & exemplis animas nostras fructu suaui & salubri reficimus. Ipse est quippe lignũ uitæ, quam nobis tribuit. Ipse est qui dum nobis semetipsum inspirat,animã pascit. In cæteris uerò siquid refocillationis inuenimus, non quod illorum, sed quod Christi est,ab illis sumimus: quia quicquid in eis præter deũ est, mortiferum nobis procul dubio inuenimus. Salutis uerbum in solo Christo inuenitur.

Sub umbra illius quem desiderabã,sedi.

Vmbra Christi protectio est spiritus sancti. Spiritus quippe sanctus mentem quã replet obumbrat: quia omnẽ tentationũ feruorem tẽperat, & dum aura suæ inspirationis suauiter mentem tangit, quicquid noxij caloris sustinebat expellit, & quã iam forsitan nimius uitiorũ æstus marcidã fecerat,umbra S. spiritus protegens recreat,ut dũ in B eius inspiratione sedẽs pausat,uires colligat quib, ad æternã uitam robustius currat. Sequitur.

Et fructus eius dulcis gutturi meo.

Arbor quippe fructifera ipse Christus in corde nostro plãtatus per fidẽ existit. Quã si mẽs nostra dignè diligit, & instanter excolit, fructus nimirũ interius pulchros & utiles gignit. Quos dũ mẽs capiens auide comedit, oẽs mundi uoluptates præ C eius dulcedine postponit. Dulce em̃ est ualde sibi cœlestia cogitare, in æternitate oculum intimũ figere, ut aliquando in cœlestib. etiã mens accensa compungat̃,& inter lachrymas subleuata,angelorum cibo ipsa uidelicet sponsa quãto dulcius,tanto auidius pascatur. Inde est quod subditur:

Introduxit me rex in cellam uinariã, ordinauit in me charitatem.

Quid em̃ per cellã uinariã cõgruentius, ꝙ ipsam arcanã æternitatis cõtemplationẽ accipimus? In hac æternitate angeli sancti uino sapiẽtię debrian tur, dum ipsum deũ facie ad faciem uidẽtes omni uoluptate spiritali satiant̃. Hanc sancta mens si à sponso introducat̃, postpositis omnib. temporalibus intrat, in qua ex illis angelicis delicijs quantũ sibi cõcedit̃ gustat. Etsi adhuc quia in corpore corruptibili detinet̃, se perfectè nõ satiat, tamẽ ex illo minimo quod cursim sumit, cõsiderat quantũ D beat amare ꝙd amat. Potest tamẽ per cellã uinariã scriptura diuina figurari. Per hãc quippe in sponsa charitas ordinat̃: quia in eius doctrina manifestè discitur qualiter deus & proximus ordinatè diligantur. Hac charitate percussa sequitur & dicit: Aeternitatis contemplatio cella uinaria dicitur.

Christus quare dicitur flos

EGo flos campi,& lilium conuallium.

Bene florem Christus se nominat, qui dũ spinas peccatorum exterminat,mentẽ sponsæ & pulchritudine suæ iustitiæ exornat,& naribus cordis dũ cœleste desideriũ applicat,interiora animę quasi odore refocillat. Qui sequit̃ adhuc & dicit:

Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter

Bene sicut liliũ inter spinas,sponsa (filias.] inter filias esse perhibet̃: quia cũ multi sint in Ecclesia qui solis uerbis Christum confitent̃,operib. uero nihil nisi humanas sollicitudines sectantur, dum sola illa anima in lilij dignitate cõputat̃, quę

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.

Per flores teneri quiq; & incipientes, per mala uero perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quia amore languet, fulciri se floribus & stipari malis appetit: quia dum se æternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perueniat, tota anxietate perquirit, eo quòd perfectionem dum in carne uiuit, omnino non inuenit, fatigata in desiderio suo requiescit. Et in hoc solo gaudet, si circa se respicit uel quibus ipsa proficiat, uel in quorũ profectione consolationem de languore suo recipere possit. Quibus de sponso subsequenter hæc dicit.

Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.

Per læuam sponsi uita præsens, per dexteram uerò uita æterna designatur. Per caput autẽ sponsæ, mens quæ animæ principatur assumitur. Sed læua sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, & dextra eius amplexatur eam: quia uitam temporalem sub mente sua semper ponit, uitam uerò æternam ut omnimodo amplexetur cõcupiscit. Hæc quippe quæ uidet, magnanimiter mente sublimi conculcat, officijs cœlestibus se occupat. Hæc necessitate tolerat, ad illa summo desiderio quasi brachio dextero sponsi astricta suspirat. In quæ cùm aliquantulũ intrat, delectabiliter quiescit, cuius quietis dilectione mundanos tumultus omnino fastidit. Sic quiescentẽ utiq; sponsus amplius diligit, & ab eius excitatiõe improbos quosq; repellit dicẽs:

Adiuro uos filiæ Hierusalem per capreas ceruosq; camporũ, ne suscitetis neq; euigilare faciatis dilectam donec ipsa uelit.

Cerui & capreæ munda animalia in lege esse perhibentẽ. Quid ergo per ceruos & capreas, nisi fidem, spem, & charitatem accipimus? Quas dum nobis mũdas seruamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autẽ anima sponsa Christi à cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit, in sinu sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto ocio cõcupiscit, ita ut etiam necessaria colloquia aliquãdo fastidiat, soliusq; sponsi collocutione quanto quietius tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales qui sunt in Ecclesia nonnunquam importune excitant, negocijs mundi eam implicare desiderant: quia eius uitã inutilem existimãt, dum ab eorũ curis eam se abstinentem considerant. Hi tales satis congrue non filij sed filiæ nominantur: quia dum effœminatos mores nutriunt uirili dignitate amissa, quales interius habentur, exterius nomine fœmineo designantur. Hi dilectam suscitare sub adiurationis pondere prohibentur, ne uidelicet mentem quæ ad uacandum deo se accingit, & solis spiritalibus studijs inhærere concupiscit, importunis sollicitationibus inquietent, & tenebris curarũ terrenarũ oculum cordis eius obnubilent. Et tamen non ei omnis cura proximi interdicitur, sed quando suscitari debeat, eius uoluntati relinquitur: quia profectò omni perfectæ animæ discernendum est & quando cœlesti contemplationi studeat, & quando proximorum utilitatibus inseruiat. Hanc uacandi deo licentiam libentissimè spõsa suscipit, statimq; uerbum sponsi amplectitur & dicit:

Vox dilecti mei.

Ac si diceret: Hanc uocem dilecti mei sponsi esse recognosco, hanc ab eius ore semper audire desidero: quia in hoc uideo quantum me diligat, cùm me ab amplexibus eius desiderabilibus impediri prohibeat. Ad hos amplexus qualiter peruenerit, subitò narrat, dicens:

Ecce iste uenit saliens in montibus, transiliens colles.

Ad amplexus sponsæ suæ Christus uenire disponens, humanitatẽ nostram dignanter assumpsit. Ad quod mysterium peragendum, quasi saliens in montibus uenit, quia quædam opera inter homines ostendit, quæ ualde sublimia & super homines esse perspiciens humanum genus admirari potuit, sed attingere nequiuit. Quòd enim de uirgine natus est, quòd ad uagientẽ adorandum ire pastores angelus admonuit, magos stella perduxit: quòd pendens in cruce, qua hora uoluit spiritum emisit, quòd mortuus tertia die seipsum suscitauit: quòd cœlum ingressus spiritum sanctũ quibus sibi placuit donauit: quòd fidei suæ per piscatores & idiotas mundum subiugauit, hæc faciens quasi in montibus ambulauit, quo eum nulla creatura assequi ualuit. In his nimirum operibus colles transiliuit: quia sanctos omnes quantumcunq; excreuerint, potentia suæ piæ operationis transcendit. De quo & sequitur:

Christus propter miracula dicitur uenisse quasi saliens in montib.

Similis est dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum.

Similis capreæ bene esse dicitur: quia ex synagoga carnem traxit, quę per capream ostenditur. Et quia ex antiquorum sanctorũ stirpe progenitus est, quasi hinnulus ceruorum, recte esse perhibetur. Sequitur:

En ipse stat post parietẽ nostrũ, aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Quasi post parietem nostrum Christus incarnatus stetit, quia in humanitate assumpta diuinitas latuit. Et quia eius immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum obiecit. Et quicquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit. Per fenestras autem & cãcellos qui aspicit, partim uidetur, partim uerò se abscondit. Sic & dominus Iesus Christus dum & miracula per diuinitatis potentiã fecit, & abiecta per carnis infirmitatẽ pertulit, quasi per fenestrã & cancellos prospexit, quia in alio latẽs, in alio quis esset apparuit. Incarnatus itaq; Ecclesiæ suæ uel unicuiq; perfectæ animę loquitur, & ad æternã exhortatur patriã, dicens:

Christus qualiter per fenestras & cancellos prospicere dicitur

Surge, propera amica mea, colũba mea, formosa mea, & ueni.

Propter

Propter fidem Christus sponsam suam amicam uocat, columbam propter simplicitatē, formosam propter operatiōem. Quia enim sine fide deo placere non possumus, bene per fidem amici uocamur: quia dum fide cœlestia appetimus, abiectis terrenis deo adhęremus. Columba uero bene anima propter simplicitatem dicitur: quia anima deuota dum simplicē deum cordis simplicitate perscrutatur, nequaquam mundi ineptam lætitiā dissoluta sectatur, sed semper ad æterna festinans, columbæ gemitum pro cantu diligendo imitatur. Propter operationē anima formosa rectè appellatur: quia dū præteritæ uitæ peccata per bona opera redimit, quasi antiquā turpitudinem assumpta forma meliori ante sponsi oculos abscondit. Hāc itaq; hortatur sponsus ut surgat & ueniat, quia dignum est, ut quicunq; ad amorem Christi properat, carnis torporē quantū potest abijciat, & se ad æterna consequenda celeriter accingat. Sed quia ut ad cœlestia festinemus per exhibitionem noui testamenti à deo accepimus, ideo rectè sequitur:

Anima deuota columbæ comparatur

lā em̄ hyems trāsijt, imber abijt & recessit.

Quid per hyemem, nisi legis austeritas intelligenda est? Quæ dum in carnalibus sacrificijs populum antiquū detinuit, ad appetenda spiritalia & cœlestia obseruatores suos non adiuuit. Possumus etiam per hyemem uitam præsentem intelligere, quæ dum nos assiduis tentatiōibus impetit, quasi imbribus importunis ad sequendū Christū torpere compellit. Sed iam sponsa surgat, quia hyems transiit, quoniam quanto magis dies ultimus instat, præsens uita recedit: & quo amplius tempus ad terminum ducitur, eo citius currendum est ne electa anima oblatis sibi muneribus æternis priuetur. Transijt enim dicitur: quia in proximo transitura esse non dubitatur. Sequitur:

Lex Mosi cō paratur hyemi

Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.

Flores apparuisse in terra dicuntur: quia sanctæ animæ cùm à corporibus recedunt, in cœlo recipiuntur. Et quia in hac uita quamuis hyems fuerit, à bono opere non torpuerunt, mox ut recesserūt, in terra uiuentium glorioſæ floruerūt. Bene ergo sequitur quod dicit: Tempus putationis aduenit, quia quo amplior electorū numerus in cœlo congregatur, eo celerius reprobi ab Ecclesia tanquā sarmenta inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur. Sequitur:

Vox turturis audita est in terra nostra.

Quid per turturem, nisi Ecclesia, quid per terrā sponsi, nisi uita illa beata designatur? Sed uox turturis in terra sponsi audita esse dicitur: quia dum pro desiderio suo sancta Ecclesia deprecatur, à Christo in cœlo clemētissimè exauditur. De qua rectè subditur:

Ficus protulit grossos suos, uineę florentes odorem dederunt.

Ficus quippe grossos suos protulit: quia sancta Ecclesia martyres suos ad æternā patriā prę misit. Post quos uineæ florentes odorem suū dederunt: quia per uniuersum mundū exēpla bonorū operum excreuerunt. Vineæ uticę flores producunt, cùm singulæ ecclesiæ animas prius infideles ad fidei nouitatem per baptismū educunt. Sed flores ipsi odorem proferunt, cùm credentes animæ, exempla bona per suauem opinionē sibijnuicem & alijs aspergūt. Sed quia Christus utroq; modo exhortatiōis nos trahit, ut uidelicet & pręceptis nos admoneat, & exēplis sanctorū nos erigat: idcirco sponsæ suę prius ut surgeret admonēdo pręcepit, & deinde exempla sanctorū ad cognitionem adduxit, & post exemplorū exhibitionem iterum se ad præcepti cōmonitionem conuertit, dicens:

Christus dupliciter nos exhortatur

Surge amica mea, soror mea, & ueni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.

Surgit anima, cùm à peccati perpetratione se erigit. Venit, cùm per bona opera desiderij sancti passib. ad cœlestia tēdit. Sancta etenim mens cùm præteritæ uitæ turpitudines conspicit, cùm peccata sua enumerat quæ fecit, mox secū in cōscientia erubescit, & quæcūq; in mūdo dilexerat, ad odiū sibi transferēs fletib. se punit, & ipsa pœnitētia facta robustior, ab omni inquinatione etiam cogitationis exilit, & ab omni torpore negligētiæ se excutit, ut iam in infimis cogitationib. nō iaceat, sed ad appetēda inuisibilia per sancta desideria se extendat. Hæc itaque mens surgit & uenit: quia & à torporis infirmitate per cōpunctionem se erigit, & in sanctis studijs se exercēs ad æterna pedibus amoris currit. Per foramina aūt petrę, uulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim. Cauernā uerò maceriæ, uulnus lateris quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminib. petræ & in cauerna maceriæ esse dicit: quia dum in crucis recordatione patientiā Christi imitatur, dum ipsa uulnera propter exemplū ad memoriā reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in uulneribus nutrimentum quo conualescat, inuenit. Possunt tamen per foramina petræ, incarnationis Christi sacramēta signari, & per cauernā macerię, ipsa ꝓtectio angelicæ custodiæ figurari. In qua custodia cùm anima ponit, bene ei à sponso dicitur.

Anima surgit & uenit

Petræ foramina dicuntur Christi uulnera

Ostende mihi faciem tuā, sonet uox tua in auribus meis.

Quid enim per faciem, nisi fidem qua à deo cognoscimur, accipimus? Et quid per uocē, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit sponsus ut ei sponsa faciem suam ostendat: quia quicunq; se fidē dicit habere, necesse est ut in bonis operib. exerceat, ut in operib. exterioribus fides interior innotescat. Sed & opera necesse est ut uox prædicationis sequat: quia quicunq; in sanctis operib. perfectè se dilatat, consequens est ut ad eadem faciēda proximos quosq; exhortetur. Ideo sequit:

Vox em̄ tua dulcis, & facies tua decora.

Tūc em̄ & uox placet, & facies decorat, quādo & opera

Universidad de Deusto
Biblioteca

& opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantẽ. Huiusmodi prædicatoribus consequenter dicitur:

Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas.

Hæretici dicuntur uulpes Ecclesiam demolientes

Per uulpes hæretici, per uineas singulæ Ecclesiæ designantur. Sed uulpes uineas demoliuntur, quia per hæreticos Ecclesiæ à rectæ fidei uiridita te exiccantur. Quæ bene paruulæ dicũtur, quia quamuis contra ueritatem intus superbiant, exterius tamẽ in uerbis humilitatẽ per simulationem sectantur. Quæ tunc à sanctis prædicatoribus capiuntur, quando instante altercatione sententijs ueritatis conuincuntur. Prędicatores quippe sancti aliquando canes per similitudinẽ dicunt, quia prædicationibus assiduis quasi latratibus importunis aduersarios quosq; à grege ouium arcere nituntur. Isti canes uulpes Christo capiunt: quia ducem suũ dum fideliter diligũt, ꝑ eius amore laborantes, tergiuersantes hæreticos ab inuolutionib. quæstionũ quasi à tenebrosis caueis ad lucẽ ueritatis educunt. Quare uerò uulpium demolitio timeatur, manifestatur cùm dicitur:

Nam uinea nostra floruit.

Vinea quippe floruit: quia sancta Ecclesia per baptismum filios ad fidei nouam cõuersationem perduxit. Quibus timendum est ne ab hæreticis depraueẽtur, quia dum quiq; fideles in nouitatem Christi regenerantur, quo quisque tenerior est, eo citius ad prauitatem seducitur. Floribus omnino timendum est ne pereant, quia dum adhuc quisque ad perfectionem per exercitium diuturnum non cõualuit, facile si à dente uenoso mordetur, ab hoc quod nactus fuerat euanescit. Perfecta enim quæq; anima in quo se iam diu exercuit, facile non amittit: quia quo frequentius palato intimo quàm dulcis sit dominus gustauit, eo constantius sponsi rectitudinem tenet, & distorta fastidit. Quæ prosequitur conuenienter, & dicit:

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Ac si diceret: Dilecti mei amicitiam constanter teneo, quia eius cõstantem beneuolentiã erga me sentio. Quia dum eius familiaritatem benignã habeo, durum mihi est quicquid ei aduersum inimicos latrantes audio. Et dum in eius assiduitate qualis sit uideo, siquid erroris proferunt aduersarij, à ueritate quam in eius uisione cognoui, non recedo. De quo bene sequitur:

Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.

Quid per lilia, nisi mundæ animæ designãtur? Quæ dum castitatis candorem retinent, per bonę famæ opinionem proximis quibusq; suauiter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur: quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiã carnis cõseruãt, & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quasi odoris suauitatẽ donãt. Dies uerò tunc aspirabit, & umbræ inclinabunt, quãdo uita æterna apparebit, & præsens uita finiet. Hic quippe nox est, ibi A uerò dies erit: quia hic in uisione ueritatis caligamus, ibi deus ipse tota ueritas mentibus elucebit. Ad hãc prorsus diem sanctæ animę enituntẽ ut per ueniant, propter hanc iustitiã illibatam inquantũ possunt cõseruant: & quia sine Christo nihil possunt, eius auxilium inuocant, eius familiaritatem desiderant. Quarũ dum mentem cõsiderat, prope est benignus & adiuuat: & quo amplius proficiunt, eo familiarius semper amat, donec finitis tenebris mũdi ad uitæ æternæ lucem perfectas educat. Quam lucẽ quia ualde desiderant, eamq; cùm dominus ad iudicium uenerit, uidendam esse putant, idcirco cum summo desiderio dicunt.

Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ hinnuloq; ceruorũ super montes Bethel.

B A nobis dilectus corporaliter tunc abijt, quando post resurrectionem in cœlum ascendit. Tunc autem reuertet, quãdo in fine mundi resuscitatis corporibus hominũ, omnibus in iudicio manifestabit. Qui uerè similis capreę & hinnulo ceruorũ apparebit: quia in carne nostra ueniens ad iudiciũ omnib. se monstrabit. Per capreã enim quæ mundum est animal, Ecclesia designat, quæ dum in cœlestibus mente habitat, quasi in montibus pascit: Per ceruos autem quid aliud ꝑ patres antiqui designantur, ex quorum carne Christus natus, quasi hinnulus ceruorum mundo est præsentatus? Bethel autẽ domus dei interpretatur. Quæ bene ecclesia dei dicitur: quia in ea dominus habitat, dũ C per fidem corda nostra mundantur. Super montes ergo Bethel similis capreæ hinnuloq; ceruorũ apparebit: quia in ea humanitatis forma ad iudicium ueniet, quam ab Ecclesia sumpsit quando in hoc mundo ex patrũ progenie quasi hinnulus ex ceruis humilis natus fuit. Qui uerè & similis capreæ & super montes Bethel apparebit: quia & ex humanitate quidem similis ecclesiæ erit, & tamen super ipsos summos, qui quasi montes excellunt, in ecclesia sublimior eminebit. Qui dum uenire moratur, quia eum semper sancta anima perquirere nititur, ideo sequitur.

Caput III

IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.

D Lectulum sibi sancta anima in nocte facit, dum omnes perturbationes mundi fugiens, secretum comparat in quo requiescit. In hoc lectulo quem diligit quærit: quia dum ab omnibus sollicitudinibus mũdi uacat, in eius inquisitione quomodo ad illum perueniat non quiescit. Notandum est autẽ quia per noctes quærit, qui modo in hoc mundo uiuit, & perfectæ tenebras temporalitatis à se nõ excutit. Quas quo grauiores patiẽ, eo feruentius quærit eum, quo inuento tenebras amplius non patietur. Sed quia quem quærit, nunquam perfectè in hoc mundo inuenit, ideo subiungit:

Capra Ecclesiam designat, & cerui patres antiquos

Quæsiui illum, & non inueni.

Quia uerò maximo desiderio æstuat, & quicquid tenet, ei non sufficit donec dilectũ inueniat, ideo constantiam inquisitionis subiungit, dicens:

Surgam

Surgam,& circuibo ciuitatē,per uicos & per plateas quærā quem diligit anima mea.

Cœlum per uiam angustam quærē dum est

Quid per ciuitatem in hoc loco nisi Ecclesiam, quid per uicos ciuitatis,nisi spiritales quosq; accipimus? Qui dum ad cœlestia toto corde gradiuntur,angustam uiam tenent,qua ad uitā perducantur. Per plateas autem seculares designantur, qui dum uoluptates suas multas sequuntur,latas uias gradiuntur. Surgit ergo sponsa & ciuitatē circuit: quia perfecta anima quæ uisibilia fastidit, omnes sanctos qui sunt uel fuerunt in Ecclesia,mēte conspicit:siquid forte in eorum actibus reperire poterit,quod imitando,ad sponsi inuentionē aliquando peruenire possit.Per uicos aūt & plateas quærit:quia dum per bonorum imitationem ad dilecti familiares amplexus peruenire satagit,non solum in spiritalibus,sed & in ipsis etiam carnalibus aliquando inuenit quod imitari digne possit.Sed postq; laborē geminatū inquisitionis insinuauit, iterum difficultatem inuentionis subdit,dicens:

Quæsiui illum,& non inueni.

Sed dum quærit &non inuenit,ipsa etiam quæritur & inuenitur,& ideo subditur:

Inuenerunt me uigiles qui custodiunt ciuitatem.

Doctores dicuntur uigiles

Quid per uigiles nisi doctores Ecclesiæ designantur? Qui dum lucrandis animabus & scriptis & dictis inuigilant,ubi sancti desiderij aliquantulum sentiunt,augmentare ad melius nunquā cessant.Hi sponsam quærentem inueniūt: quia piam animam Christum inuenire satagentem excipiūt, & ut citius inueniat, præceptis instruunt, exemplis accendunt.Quos illa interrogans dicit:

Num quem diligit anima mea uidistis?

Bene eos sponsa interrogare dicitur:quia dum eorum scripta uel uerba uigilāti studio perscrutatur tanquam presentibus etiam absentibus animi intentione loquens,quid de Christo senserint, sciscitatur.Quia uerò dum in eos omnino intendit, nunquā sponsum inuenit,consequēter subiungit:

Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.

Paululum uigiles trālit,& dilectū inuenit,quia dum eos puros homines esse cogitat, ad diuinitatem mentem erigit,ibiq; sponsum suum supra homines patri æqualem cognoscit.Quem tunc inuenisse se dicit,cum sanctis laboribus adiuta in eius diuinitatis claritatem oculum fidei tanquam per speculū contēplando aliquantulū figit.Quod tantillū quāta auiditate mētis suscipiat ostēdit,dicēs:

Tenui illum,nec dimittam,donec introducam illum in domum matris meæ,& in cubiculum genitricis meæ.

Mater Ecclesiæ synagoga extitit: quia ex ipsa sanctos prædicatores habuit,à quibus uerbum ueritatis suscepit, per quod in fide regenerata fuit. Tenet ergo sponsum Ecclesia donec in domum matris eum introducat:quia usq; in finem mundi ab eius fide & opere & amore non recedit donec ad fidem Iudæos adducat.Non quòd postea recedat:quippe quem in exilio diligit,in patria uidens amplius amabit. Sed de illo tempore dici debuit, de quo à quibuslibet propter obsistentes tentationes dubitari potuit.In domū ergo matris dilectū introducet,quādo in fine mundi Ecclesia per prædicationem in plebem Iudaicam Christiana sacramenta immittet.In cubiculum autem quasi in secretiorem partem domus eum introducet: quia ex eadem plebe ita plurimos conuertet,ut omnes mundi sarcinas abiciant, & in intimis cogitationibus soli deo placere concupiscant.Huiuscemodi homines cubiculum facient sponso, quia dum à se omnes sordes cupiditatis abicient,quasi secretum locum in mente in quo delectetur cōponent. A quorum inquietatione in eis delectabiliter pausans sponsus improbos prohibet iterum dicens:

Adiuro uos filiæ Hierusalem per capreas ceruosq; camporū, ne suscitetis neq; euigilare faciatis dilectam,donec ipsa uelit.

In hoc utiq; ostendit quia eiusdem perfectionis quosdam de synagoga post conuersionem inueniet, cuius de Ecclesia quàm plurimos inuenit, dum in eorum quiete similiter delectatus ab eis in quietatores prohibet, sicut ab Ecclesia prohibuit. Introducta ergo ad fidem synagoga Ecclesię mentem per opera quę uidet cōspicit,& sublimitatem eius ualde admirans dicit:

Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut uirgula fumi ex aromatib. myrrhæ & thuris,& uniuersi pulueris pigmentarij?

Anima quā do dicitur in deserto uiuere

In deserto utiq; in hoc mundo Ecclesia siue sancta quæq; anima uiuit,dum à regno exul inter bestias,dæmones uidelicet,degit. Hic enim etsi non omnino à sponso deseritur, tamen dum in carne est,nondum ad certam eius uisionem admittitur, dum ab eo per exilia & tentationes peregrinatur, quia dum adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi uidetur.Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem ualde diligit,magis ac magis sentiat, quatenus quoniam perfectè eum in deserto non tenet,uel ipso eius desiderio se reficiat, ut sic in uia roborata,quandoq; ad hoc quod diu concupiuit perueniat.Sunt quippe nonnulli qui dum omnia uisibilia fastidiūt,mentē in cœlestia erigūt:& quia in infimis nihil quod eis dulcescat conspiciunt, totum cor ad superna amanda conuertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exuunt: censum mūdi cum cupiditatibus contemnunt,spe ad inuisibilia tendūt,& quo ampliori desiderio illis inhærēt, eo magis ac magis moleste corruptionē ferūt quā habent.Hi nimirū per desertum ascendūt: quia dum in hoc mundo inter tentationes uiuunt,quo amplius dum hic morant deseri metuūt, eo quidē fortius ista deserunt,& feruentius ad illa gradiuntur, in quibus cùm fuerint, nihil amplius quod eos amoueat,iam timebunt. Bene aūt sicut uirgula fumi ascendere dicuntur: quia & odorem bonæ famæ,&

Universidad de Deusto
Biblioteca

mæ,& ſubtilitatem mentis habere dicuntur.Non autem quarumlibet rerum fumus iſte eſſe dicit̃, ſed ex aromatibus myrrhæ & thuris & uniuerſi pulueris pigmentarij exiſtere declaratur.Myrrha quippe mortuorum corpora condiuntur ne putreſcant, thura uerò accendunt̃,ut redoleant. Per myrrham ergo carnis mortificatio deſignat̃, per thus uerò orationū munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem ſuam à putredine uitiorum mortificat, dū omnes mundi uoluptates per continentiā abnegat,quaſi myrrham mortuo cor pori adhibet, ut poſt iudicium à corruptione æterna ſanum permaneat. Cùm uerò ſe ad cœleſtia maiori deſiderio accēdit, & à cordis cubiculo omnes ſuperfluas cogitationes feruenter abijcit, quaſi thuribulum cor ſuum corā deo facit. In quo dum per dilectionē uirtutes congregat, quaſi carbones in thuribulo coaptat,in quo ſeipſam mens in conſpectu dei igne charitatis accendat.Dumq; feruentes & mundas orationes ad deum emittit, quaſi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut corā dilecto ſuaue redoleat, & proximos quoſq; ad eius amorem per bona exempla concitare non deſinat. Sed notandum quòd non ait uniuerſi pigmenti,ſed uniuerſi pulueris pigmentarij.Pigmēta quippe facimus, quando uirtutes congregamus in corde. Quando uerò ipſas noſtras uirtutes per ſingula quęque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus noſtris incultum remaneat, ne inter uirtutes uitium lateat, tunc procul dubio unguenta uirtutum quaſi in puluerem tundimus, ut eo mundiora ſint opera noſtra,quo ſubtilius ea ab omni ſubreptione uitiorum diſcernere non ceſſamus. Huiuſcemodi mentes dilecto ſuo delectabiles ſe per eius gratiam faciūt, & dum ab omni mundano ſtrepitu ſe diuidunt, locum in quo ſponſus requieſcat, in ſeipſis componunt. De qua requie ſubditur.

Myrrha & thus quid deſignāt

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael.

Salomon quippe pacificus interpretat̃. Quid ergo per Salomonē niſi Chriſtus intelligitur, de quo ſcriptū eſt. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unū.* Salomoni ergo lectulum facimus,quando à mūdi ſollicitudinibus omnino ceſſamus, dum in ſolo deſiderio Chriſti libenter pauſamus, eiq; ut nobiſcum pauſet, cor ab omni terrena cupiditate mundamus.Denarius aūt numerus ſi per ſenariū numerum multiplicetur, nimirū ſexaginta cōplētur.Per denariū itaq; decalogum legis accipimus. Per ſenarium autem totum hoc tempus intelligimus,quod ſex diebus operatorijs uolui uidemus. Per ſexaginta igitur fortes, omnes perfectos qui fuerunt ante nos in Eccleſia intelligimus : qui dū decem pręcepta legis quo ſpiritalius eo fortius in ſex diebus compleuerunt, quaſi ſexagenariū numerum perfecerunt. Hi lectulū Salomonis ambiunt: quia mentē ſanctam in qua Chriſtus pauſat, uerbis & exēplis muniunt:quibus ab aditu mētis uenientes hoſtes repellūt, dum ipſam mentē exemplis ſuſtinent, ſcriptis erudiunt.

Ephe.2

Lectulū facere Salomoni quid eſt

Hi tenent gladios,& ad bella doctiſsimi exiſtunt.

Quia dum uerbū dei opere cōplent,quod corde ſciunt,magis ac magis ſemper docti,hoſtem ſuum dæmonem ſcilicet, ſapiētia & fortitudine uincunt. Per gladium enim uerbum dei deſignatur. Per manus autem quibus gladios tenēt, ipſa opera figurantur. De quibus bene ſubditur:

Vniuſcuiuſq; enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.

Quid per enſem, niſi rigorem cōuerſationis,& quid per femur, niſi carnis appetitū accipimus? Electi ergo quiq; qui iam ad perfectionem uitæ prouecti ſunt, ſemper enſem ſuper femur ſuū ferunt:quia rigore cōuerſationis appetitū carnis aſſiduè frangūt:ne hoſtis quē in nocte huius mundi timent, repentè ueniens, mollem aditū inueniat, & per uoluptatis mollitiem eo facilius quo uoluptuoſiores inuenerit, ad grauiora peccata perducat. De laude itaq; Salomonis adhuc ſubdit̃ cùm dicitur.

Ferculū fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas,reclinatorium aureū, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit, propter filias Hieruſalem.

Ligna Libani imputribilia eſſe aſſerunt̃. Ferculum ergo fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani: quia ſecundum præſcientiæ ſuæ gratiā, Chriſtus ſanctam Eccleſiam de in æternum permanſuris ſanctis conſtruxit.

Columnas eius fecit argenteas.

Quia eidem Eccleſiæ prædicatores dedit, qui & ut eam exēplis ſuſtentarent, magna iuſtitiæ rectitudine roborauit,& ut prędicationib.erudirēt, nitore eloquij quaſi ſplendore argenti decorauit.

Prædicatores ſunt tanquam columnæ

Reclinatorium aureum fecit.

Quia dum in cordibus perfectorū reſplenduit, eis diuinitatis ſuæ potentiā per cōtemplationem oſtendit. In qua contemplatione dum eis pulchritudinem cœleſtium gaudiorum monſtrauit,quaſi reclinatorium ex auro eis cōpoſuit:quia locum in quo ſe refocillantes requieſcant, appoſuit. Quod reclinatorium bene aureum eſſe dicitur:quia melior eſt ſapientia cunctis opibus,& omnia quæ deſiderantur,ei non poſſunt comparari. Ad hoc reclinatorium multis laboribus peruenitur, multis tribulationibus aſcenditur,ita ut ſi neceſſe fuerit, etiam ſanguis effundi permittatur. Ideo aſcenſus rectè purpureus eſſe dicitur. Dum enim ſancti quiq; martyres propter uitam æternam corpora ſua ad ſupplicia tradiderunt, dum flagella, aculeos,ignes,gladios,& alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nónne ad beatam ſcilicet uitam, per aſcenſum purpureum aſcenderūt?* Sed nos miſeri quid agimus,qui in hoc ferculo columnæ argenteæ non ſumus: quia ſanctā Eccleſiā nec exemplis ſuſtentamus, nec prædicatione docemus?* In ea reclinatoriū aureum non habemus:

Prou.9

quia

quia terrenis cogitationibus inuoluti, ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus. Ascensum purpureū nec etiā cognoscimus, quia uoluptatibus uacātes, labores & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus. Consolatur nos aliquantulū quod de hoc ferculo subdit:

Media charitate constrauit, propter filias Hierusalem.

Fœminæ sūt & non uiri qui uitijs nō reluctātur

Quid enim per filias Hierusalem, cum non filios sed filias dixerit, intelligimus, nisi nos debiles qui in Ecclesia non uiri, sed fœminæ sumus, quia contra uitia fortiter non reluctamur, uiriliter non resistimus, muliebriter subiacemus? Hierusalem enim uisio pacis interpretatur, per quam ecclesia quæ est mater nostra designatur, eo quòd assidue pacem perpetuam contemplatur. Si ergo nos in ferculo regis columnæ argenteæ non sumus, reclinatorium aureum nō habemus, per ascensum purpureum ascendere non ualemus, saltem charitatem quæ communis omnibus electis quasi in medio posita est, teneamus. Per hanc quippe rex Salomon nos in ferculo suo esse cognoscit, quia in eo cum columnis argenteis, cum reclinatorio aureo, cum ascensu purpureo, propter filias Hierusalem etiam media charitate constrauit, quia cum Ecclesiæ membris ad eandē sponsi beatitudinem peruenimus, si charitatem indefessā obseruamus.

Sequitur:

Egredimini filiæ Sion, & uidete regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Maria Christum diademate coronauit.

Mater Christi beata Maria esse creditur, quæ coronauit eum diademate: quia humanitatem nostram ex ea ipse assumpsit, sicut in Euangelio recitatur. Et hoc in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius factum esse dicitur: quia quando unigenitus filius dei diuinitatem suam humanitati nostræ copulare uoluit, quando per bonam uoluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam sponsam suam sibi assumere placuit, tunc cum charitatis exultatione carnem nostram ex matre uirgine suscipere uoluit. In qua cùm doloribus pro tempore uiuens, de redemptione nostra uehementer exultauit. Sed cum diadema pro gloria assumatur, in humanitatis autem susceptione non gloria uerbi dei, sed humilitas esse cognoscitur, quomodo humanitate nostra quasi diademate coronatus fuisse dicitur? Sed cum ipsa eius incarnatio uerè gloria nostra fuerit, quia mēbra eius sumus propter communionem corporis diadema membrorum bene capitis scriptura præ dixit. Hic itaq; quia à sponsa laudatur, & ipse uicissim sponsam laudare dignatur, dicens:

Caput IIII

QVàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es & decora, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet.

Quia hæc superius exposuimus, ut potuimus, nunc eadem repetere propter breuitatem seruandam deuitamus. Sed quia hic adiūctum est, absq; eo quod intrinsecus latet, breuiter uidendum est quomodo superioribus cōiungat. Pulchra est ergo sponsa, & oculi eius columbarum absq; eo q̄d intrinsecus latet, quòd ualde honestum est quicquid in exterioribus operatur, q̄ simpliciter inter homines cōuersat, q̄ ea quæ uidet tēporaliter cō cupiscere dedignat, & si quid tamē in hoc mūdo placet, post cōcupiscētias suas ire detestat. Sed uehementer pulchrius & honestius est, q̄ cordis desiderium illibatū retinere conatur, q̄ æternæ beatitudinis claritatē in mente retinet, erecta cōtemplatur, q̄ in his quę interius uidet, suauiter requiescit, & mundatur. Sequitur.

Capilli tui sicut greges caprarum, quę ascenderunt de monte Galaad.

Si per oculos prædicatores Ecclesiæ designantur, quia cæteris uiam ostendunt, bene per capillos populi figurantur, quia eidem Ecclesiæ ornamentū tribuunt. Capilli ergo sponsę sicut grex caprarum esse dicuntur, quia populi Ecclesiæ dum præcepta legis ruminātes cœlestia fide contēplantur, munda sunt animalia & in altis pascuntur. Galaad aūt aceruus testimonij interpretatur. Quid autem per aceruum testimonij, nisi multitudinē martyrum intelligimus? Qui dum fidem Christi insuperabiliter tenuerunt, eos testimonium ueritati etiam per mortem suam perhibuisse scimus. Grex itaque iste caprarum de monte Galaad ascendit: quia populus Ecclesiæ eo magis fide se ad æterna suspendit, quo fortius sanctos martyres eidem fidei testimonium perhibuisse sciuit.

Martyrum multitudo per Galaad designatur

Sequitur.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.

Sicut per oculos prædicatores intelligunt: quia per eos Ecclesia illuminatur, similiter & dentes eiusdem possunt dici, quia per eos infideles consumuntur, & paruuli nutriuntur. Dentes quippe bene sancti prędicatores uocant, quia dum sanctam scripturam exponendo minoribus fratribus eluci dant, quasi panem paruulis, tanquam matres filijs commasticant, quo infirmi ad fortiora conualescant. Hi nimirum bene sicut grex tonsarū quæ ascēderunt de lauacro esse dicuntur: quia dum se à peccatis omnibus in baptismo ablutos esse recordantur, libenter onera mundi deponunt, ut ad cœlestia consequenda & prædicanda quo liberius, eo facilius gradiantur. De quibus subditur:

Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter illas.

Prædicatores sancti gemellos dicuntur habere

Gemellos fœtus omnes sancti prædicatores habent, quia dum in duobus præceptis charitatis cæteros homines supereminent, geminā dilectionem prædicant, & in ea duos populos Iudaicū & Gentilem gignere non cessant. Inter quos nullus est sterilis, quia profecto prædicator nō est dicendus, si filios spiritales gignere contemnit. De quibus adhuc subditur:

Sicut uitta coccinea labia tua, & eloqui- A
um tuum dulce.

Iidem prædicatores labia Ecclesiæ dicunt: quia nimirum per eos populis præcepta uitæ loquitur. Qui bene sicut uitta dicuntur: quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines ne immoderatè diffluāt reprimunt. Sed quid est quòd non tantum uittę, sed coccineæ comparantur, nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, qua illi ardēt, & per eos alij accendūtur? Per quos eloquium sanctæ Ecclesiæ dulcoratur: quia dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt. Sequitur:

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absq; eo quod intrinsecus latet.

Quid per genas Ecclesiæ, nisi eosdem ipsos prędicatores intelligimus, qui dum in populis ut eis proficiant eminent, quasi in facie Ecclesiæ manifesti apparent? Per malum autem punicum ipsa Ecclesia designatur: quia dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit. Fragmen ergo mali punici sancti prædicatores existunt: quia dum se in diuino seruitio cæteris fortius affligunt, dum omnia mundana cōtemnunt, dum uoluntates suas abnegant, & uitia sua omnino mortificant, dum seipsos humiliant, & cæteros extollunt, & dum per exempla sua cæteros nutriunt, quasi fracti & aperti se cibos offerunt. Sed quanuis magna sint quæ extrinsecus apparent, maiora tamen in occulto retinent, quæ diuini oculi soli uident. Ideo subiunctum est: Absq; eo quod intrinsecus latet. Sequitur:

Sicut turris Dauid collum tuū, quæ ædificata est cum propugnaculis.

Collū quippe extendimus, quādo longius prospicere uolumus. Propter aliud ergo sancti prædicatores oculi ,ppter aliud dentes, ,ppter aliud aūt genæ, & collum ,ppter aliud cōuenienter uocant. Bene igitur sicut turris Dauid, collū sanctæ Ecclesiæ dicitur: quia sancti prædicatores procul uenientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur, & fortiter resistūt, si quid in Ecclesia lædere conantur, & liberè terrena despicientes, cœlestia contemplantur. Collum ergo propter hostiū speculationem, turris uero dicuntur propter fortitudinem & propter excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem. Quæ turris rectè Dauid esse dicitur: quia Dauid manu fortis interpretatur, per quod Christus significatur, cuius est quicquid forte & excelsum operantur. De qua subditur:

Prædicatores Ecclesiæ collo comparati procul uident

Quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Cum propugnaculis turris Dauid ædificata dicitur: quia sancti prædicatores contra aduersarios homines si necesse sit, miraculis armantur. Contra uitia aūt se clypeis muniunt: quia ne spiritalibus hostibus succumbant, uirtutibus se defendūt, In quibus omnis armatura fortium pendet: quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere uult, in eis exempla uidet quibus armatus hostes strenuè ualet superare. Mille autem hic pro perfectione ponitur: quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. Sequitur: Numerus millenarius omnes numeros perfectè continet

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies & inclinentur umbræ.

Per duo ubera, duo prædicatorū ordines, unus in circumcisione, alius in præputio designantur. Qui bene sicut duo hinnuli capreæ dicūtur: quia & filij synagogæ existunt, & in montibus contemplationum pascunt. Gemelli uerò ideo dicti sunt: quia concorditer prædicāt & concorditer sapiūt. In liliis uerò pascuntur, donec aspiret dies & inclinentur umbrę: quia munditiam infatigabiliter sectantur donec in die iudicij præmia recipiāt, quæ in labore noctis assiduè contemplantur. Sequitur sponsus dicens:

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

Quid per montem myrrhæ, nisi fortem altitudinem mortificationis in opere, & quid per collem thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in oratione? Ad montē ergo myrrhæ & ad collem thuris spōsus uadit: quia eos familiariter uisitat, quos per mortificationem uitiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes suauiter redolere perspicit. His quippe uirtutibus sancta Ecclesia uel unaquæq; anima munda efficitur: quia dum per uoluptatum mortificationem uitijs relu ctatur, & per sanctas orationes frequenter lachrymis abluit, sordes lauat ut sponso placeat, cui pulchra apparere conatur. Cuius conatum ad effectum sponsus per gratiā suam ducit, opusq; suum in sponsa benigne laudat & dicit: Myrrha mortificationē, thus uerò orationem denotat.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Cùm scriptum sit: Nemo uiuit sine peccato, nec infans cuius uita est unius diei super terram, quid est quòd sponsa tota pulchra esse dicit, in qua macula non habetur? Alibi quippe scriptum est: Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Et alibi: In multis offendimus omnes. Et Ioannes Apostolus ait: Si dixerimus quia peccatum nō habemus, ueritas in nobis non est. Et idem: Si dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur, & ueritatem non facimus. Sed dū sancta anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lachrymis abluit, & à maioribus se obseruat, quanuis frequēter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam, munditiam suam assiduè seruat. Hinc enim alibi præcipitur: Semper sint uestimenta tua candida. Et illud: Iustus autē ex fide uiuit. Quanuis enim mox ut peccat, à iustitia deuiet, tamen dum semper credit in eum qui iustificat impium, & assiduè sub eius fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones iustitiam Pœnitentia mundiciam facit & conseruat. Iob 25 Iaco. 3 1. Ioan. 1 Eccls 9 Rom. 1

tiam ſuam retinet. Se igitur ita mundanti ſponſæ conſequenter dicitur:

Veni de Libano ſponſa mea, ueni de Libano, ueni, coronaberis.

Libanus quippe dealbatio interpretatur. Quid ergo per Libanum niſi baptiſma intelligitur, in quo ſancta Eccleſia aqua abluitur, & à peccatorum nigredine per ſpiritum ſanctum quem recipit, & per Chriſti fidem dealbatur? Vnde ſcriptū
Pſal.50 eſt: Aſperges me domine hyſſopo, & emundabor, &c. De Libano ergo ſancta Eccleſia ad coronam uenit, quia in Chriſti baptiſmo fidem percipit, ſub qua cum Chriſti gratia meretur ut præmium recipere poſſit. Sed quid eſt quòd ter dicitur:
Eccleſia tribus uirtutibus cardinalibus debet eſſe munita
Veni, niſi quia in fide & in charitate quicquid operatur, ſubſiſtit, ut his tribus munita uirtutibus robur habeat, per quod in uia non laſſeſcat? De fide enim dicitur: Fide mundans corda eorum. Et
Act.15 Heb.11 iterum: Sine fide impoſſibile eſt placere deo. De
1.Pet.4 ſpe autem dicitur: Non confundentur omnes qui
1.Cor.13 ſperant in te domine. Cui iterum dicitur: Quis enim in te ſperauit, & derelictus eſt? De charitate autem dicitur: Charitas operit multitudinem peccatorum. Et iterum: Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et Ioannes Apoſtolus: Deus charitas eſt. Poteſt tamen & aliter intelligi quòd ter dicitur, ueni. Venit enim ſponſa ſancta ad Chriſtum dum in hoc mūdo uiuens bona quæ poteſt operatur. Venit quādo in hora mortis anima ipſa uidelicet ſponſa à carne exuit. Venit tertiò quando in die iudicij ultimi carnem reſumit, & cum Chriſto thalamum cœleſtem ingreditur. Ibi quippe omnium laborum ſuorū præmia conſequitur. Ibi iam omnino proſtratis & excluſis hoſtibus glorioſe coronatur. Ideo & hic per promiſſionem ſequitur.

Coronaberis de capite Amana, de uertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Quid per Amana, Sanir, & Hermon, nomina uidelicet montium, niſi potentes huius ſeculi intelliguntur? Qui quanto ditiores, tanto excelſiores & firmiores apud infirmos eſſe uidentur. Sed de his montibus ſancta Eccleſia coronatur: quia dum regnum prædicat æternum, dum exemplo ſuo omnia quę mundi ſunt, uilia eſſe demonſtrat, ipſos etiam potentes ad pœnitentiam inclinat, & ſibijpſi pro eorum acquiſitione coronam in cœleſtibus parat. Sic quippe fit ut humiles ſuperbos proſternant, & infimi excelſos inclinent. Ideo ſcri
Eſa.20 ptū eſt: Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Sed quid eſt quòd non ſolum de montibus, ſed etiam de capitibus montium coronanda eſſe dicitur, niſi quòd impletum uidemus, quia iam ipſę excelſiores perſonæ in Chriſtum credunt, & eius præceptis per Eccleſiæ prædicationem obediunt? Reges enim & imperatores Chriſto ſeruiunt, coronas deponūt, & per pœnitentiam in Eccleſia ueniam petunt. Si itaq; per capita montium ſummas perſonas intelligimus, bene per cubilia leonum & montes pardorum, principes quique & miniſtri deſignantur, qui crudelitati inſeruiunt, & doloſitatibus ſuis quos ui non poſſunt lædere decipiunt. Pardi quippe maculas in cute ſemper portant. Per quos qui alij quàm hypocritę uel diſcordes ſignificantur? In illis quippe qui crudelitatem ſectantur, dæmones tanquam leones cubant. In illis uerò quaſi pardi montes ędificant, quos dum uitijs ſuis aliquas uirtutes admiſcere conſentiunt, pro omnibus bonis ſuis laudis gloriam affectare compellunt. Hi itaq; uerè pardorum uarietatem imitantur, quia dum cum uirtutibus etiam uitia ſectantur, quaſi in uario corio coloris diſſimilitudine diuiduntur. Sed de cubilibus leonum & de montibus pardorum Eccleſia coronatur, quia dum per eius prædicationem & crudeles ad pietatem, & hypocritæ ad uitæ humilis unitatem conuertuntur, pro his omnibus præmium percipiet quod meretur. Cui iterum dicitur:

Leonibus principes crudelitati deſeruiētes, & pardis hypocritæ comparantur

Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, uulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

Per oculos ſponſæ ſanctæ Eccleſiæ prædicatores ſicut dictum eſt deſignantur. Per crines uerò populi multitudo figuratur. Per collum autem ſancti capitis & corporis coniunctio demonſtratur, quæ fides Eccleſiæ intelligit. Per hanc enim caput & corpus cōiunguntur, dum Chriſto quiſque eo tenacius inhæret, quo fidelior in bona conuerſatione habetur. In uno ergo oculorum & in uno crine colli ſponſæ ſponſus uulneratur, quia profectò uſque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum & plebis in Eccleſia confirmetur. De cuius dilectione erga ſponſam iterum ſubdit ſponſus.

Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa.

Quid per māmas cōueniētius in hoc loco q̄m ipſa dilectio dei & proximi, de qua ſuperius diximus, intelligitur? Per quas mens ſancta oēs ſenſus ſuos ſuaui dilectione nutrit, dum deo ſuo charitatis tenacitate conglutinatur, & proximis ſi quid utilitatis habet, quomodolibet libenter impendit. Has mammas ſponſæ quantū ſponſus diligat, in repetitione laudis apertè manifeſtat dicens:

Dilectio dei & proximi per māmas ſignificatur

Pulchriora ſunt ubera tua uino.

Q̄d ſuperius de ſpōſi uberib. diximꝰ, hoc & hic cùm de ſponſa loquit, intelligi poſſe æſtimamus.

Et odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

Per unguenta quippe ipſæ uirtutes quæ ex charitate oriuntur, intelliguntur. Habent quippe etiam reprobi aliquando aromata quibus redolent, quia uirtutes quaſdā poſsidēt, & bona opera perpetrant. Sed quia ſine charitate uiuunt, in conſpectu dei nulla quę faciunt placent. Vnde in iudicio

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum dicent: Domine in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus, respondebitur eis. Nunquam noui uos, discedite a me omnes operarij iniquitatis. Bene ergo unguenta Ecclesię super omnia aromata redolere dicuntur, quia etsi opera reproborū aliquando hominibus placent, hæc quæ sancta Ecclesia ex charitate conficit, in diuinis naribus sine cessatione redolent. Sequitur.

Fauus distillans labia tua sponsa.

Prædicatores Ecclesiæ bene labia sponsæ dicū tur: quia per eos populis loquitur, & per eos ad fidem paruuli quiq; erudiuntur, dum per eos occulta scripturæ quasi cordis latentia manifestantur. In fauo autem mel latet, & cera uidetur. Rectè ergo labia sponsæ fauus uocantur: quia dum carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. Quādo uerò electus quisq; prædicat, quando cœlestia gaudia nescientibus reuelat, tunc fauus distillat: qua quanta dulcedo sapientiæ in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat, unde scriptū est. Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus, Ideo subditur:

2.Cor.4

Mel & lac sub lingua tua.

Prædicatores falsi mel non sub lingua sed in lingua portant.

Nimirum falsi prædicatores mel in lingua portāt quod sub lingua non habent: quia cęlestia gaudia aliquando prædicant tanquam ueri sint, cum ipsi terrestria bona totis desiderijs appetant. Sancta uerò mens mel in lingua prætendit: quia sapientiæ dulcedinem loquendo ostendit, quam uera citer prædicans, audientes tanquam mellis dulcedine reficit. Lac gerit: quia congruenti sibi doctrina paruulos quosq; in Ecclesia nutrit. Sub lingua autem hæc omnia sibijpsi reseruat: quia internam dulcedinem assiduè secum portat. Dum enim terrena abijcit, dum uitiorum amaritudinem respuit, in interiorib. sensibus sapientię dulcedine se pascit: qua robur colligit, ut ad æterna gradiens, in labore uiæ lassescere non possit. Cui bene dicitur:

Et odor uestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Quid per uestimenta hæc, nisi sancta opera designantur, quibus præcedentium malorum turpitudo operitur, ne uideatur? Hinc enim scriptū est.

Apoc.16

Beatus qui uigilat & custodit uestimenta sua ne nudus ambulet, & uideatur turpitudo eius. Thus uero per significationem pro oratione ponitur, sicut scriptum est: Ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Sancta itaq; anima in hoc mundo quanta potest bona opera operatur, & bene operans desiderio & intentione sancta ad æterna se extendit: nihilq; boni agit, nisi ea intentione ut ad cœlestia quæ diligit, quandoq; peruenire possit. Bene igitur odor uestimentorum eius sicut thuris esse perhibetur: quia in omnibus operibus suis orat, dum perueniēdi intentione ea quę potest bona operatur. Sequitur:

Thus pro oratione ponitur.

Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

Hortus sancta Ecclesia existit: quia dum populos multos in fine gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus bene esse dicitur: quia charitatis uallo circunquaq; munit, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur. Vnaquæq; anima sancta etiam hortus conclusus esse intelligitur, quia dum uirtutes nutrit, flores gignit: & dum uirtutum exhilaratione se reficit, fructus quos genuerat, eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur: quia dum bona sua intentione uitæ æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contēnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapiēda hostis antiquus irrumpere possit. Fons etiam dicitur: quia dum cœlestia assiduè cogitat, dum scientiam scripturarū semper in uentrem memoriæ congregat, quasi aquas uiuentes sancta mens in se gignere non cessat, quas sitientibus proximis præbere ut reficiantur ualeat. Vnde scriptum est dicente domino: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quā ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Et alibi: Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina aquæ uiuæ fluent de uentre eius. Sed cur dicitur fons ille signatus, nisi quia sensus spiritalis mētibus abscondit? Infideli em̄ homini à domino dicitur: Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis & nescis unde ueniat, aut quò uadat. Et iterū scriptum est: Signatū est super nos lumē uultus tui domine. Quod enim ibi lumen signatum, hoc hic procul dubio fons signatus esse perhibetur. Sanctus enim spiritus mentem quam replet, & illuminans irrorat, & irrorans illuminat: ut & de luce eius uideat quid appetat, & de rore eius se refrigeret, ne lassescat. Sequitur:

A

B

C

Aqua Christi litim̄ ter emi guit.

Ioan.7

Ioan.3

Psal.4

Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

Quid emittit sancta Ecclesia, nisi cum sanctis operibus sancta uerba, quibus filios gignit & nutrit? Quorū dum alios usq; ad martyriū perducit, alios in sancta cōuersatione erudit, hos sanguine martyrij rubentes ad æternā patriam transmittit, illos uerò in sanctis operibus uiuentes, proximis in exemplum sanctitatis tradit, quid aliud quàm mala punica & pomorū fructus emittit? Mala punica enim sub rubeo cortice multitudinem granorum cōtinent. Fructus uerò pomorū in se refectionis dulcedinem habent. Sic sic martyres dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exterius fundere nō dubitant, multitudinem uirtutum interius sibi congregant in mente. Sancti etiā quiq; qui in pace Ecclesiæ uiuunt, fructus pomorum gerunt: quia dum sancta opera faciunt, proximis exempla tribuunt, quorum exhibitione se qui uolunt reficiūt. Quotquot em̄ sunt in Ecclesia sancti, siue igne passionis ardeant, siue in pace Ecclesiæ quiescentes succrescant, sanctarum uirtutum odorem tanquam paradisum suauitatis & deliciarū construere in se dum uiuunt non cessant. Cuius paradisi ubertatem scriptura demonstrat, dum sub uoce sponsi per arbustorū nomina

D

Martyres & alij sancti fructus pomorum gerere dicuntur

mina quaſq; uirtutes deſignat dicens:

Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinamomum cum uniuerſis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.

Quid enim per has diuerſas aromatum ſpecies deſignatur, niſi ſanctarum uirtutum odor & profectus qui in ſanctis habetur? Ex his quippe ſpeciebus regalia unguenta conficiuntur, ex his corporum ſanitates inueniuntur. Bene igitur uirtutes animarũ deſignãt, quibus cõgregatis & confectis, & bonus odor opinionis egredit, & ægris animabus cõpetens ſanitas reparatur. Sed adhuc laus Eccleſiæ à ſponſo repetitur, cum ſubditur:

Fons hortorum, puteus aquarum uiuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Rectè in emiſſionibus Eccleſię fons hortorum & puteus aquarum uiuentium deſcribitur. Quid enim per fontem & puteum, niſi ſancta ſcriptura deſignatur? quæ ſic aquam ſapientię generat ut et potantes ſemper reficiat, & tamen manare non deſiſtat. Quæ bene hortorum eſſe perhibetur: quia illorum ſpecialiter eſt ſancta ſcriptura, in quorum mentibus uirtutum ſemina oriuntur. Sed quærendum nobis eſt, quare fons & puteus utrunque ſimul ſcriptura dicatur, cum fons in ſuperficie appareat, puteus uero in imis latens, omnes ſe quærentes maiori labore exerceat. Sed ſciẽdum eſt quod diuina ſcriptura in quibuſdam manifeſta exiſtẽs, in quibuſdam uero locis obſcuram ſe præbens, & aliquando leuiter, ſicut inuenitur, tanquam fons potatur, & aliquando magna inquiſitione eget tanquam puteus, ut inuenta ſumatur. Quòd uero ſanctæ ſcripturæ intellectus per aquam deſignetur, oſtenditur alibi cum diuina uoce de reprobis dicitur: Mittam eis ſitim aquæ, & famem panis. Eſa.3 Et per Eſaiam dicitur: Auferet dominus ab Hieruſalem & Iuda omne robur panis, & omne robur aquæ. Vbi notandum quòd robur panis prius, & poſtea robur aquæ aufertur. Dum enim grauia dicta ſcripturæ non perquiruntur ut mandantur, paulatim à ſcientia decidit mens, ut aliquando non leuia etiam intellectu capiãtur. Sed aquæ iſtæ bene de Libano fluere cum impetu dicuntur. Libanus enim, ut dictum eſt, dealbatio interpretatur. In baptiſmo quippe dealbamur, dum amiſſa nigredine peccatorum ad munditiam nouæ uitæ reformamur. De Libano ergo aquæ putei fluunt: quia in baptiſmo electi quiq; donum ſpirituſancti accipiunt, quo illuminati ſcripturæ ſacræ ſenſum intelligunt. Quæ ſcripturæ ſanctæ ſcientia tanto fluit impetu, ut electos dum tangit, ab huius uitæ amore ſubmoueat, & ad æterna gaudia ui impetus ſui quoſq; adhærentes traijciat? Pſal.45 Hinc eſt enim quòd in Pſalmo ſcriptum eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei. Impetus enim fluminis ciuitatem dei lætificat: cum per donum ſancti ſpiritus fortiter inundans ſcripturæ ſapientia ſanctam Eccleſiam uel cuiuslibet capientis mentem infuſione ſua exhilarat. Ad cuius ſpiritus aduentum malignus ſpiritus increpatur, cùm hic in ſubſequentibus dicitur:

Surge Aquilo, & ueni Auſter: perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

Aquilo malignum ſpiritũ Auſter ſanctum repræſentat Pſal.125

Quid enim per Aquilonem qui in frigore conſtringit, & torpentes facit, niſi immundus ſpiritus deſignatur: qui reprobos omnes dum poſſidet, à bono opere torpere facit? Per Auſtrum uerò, cali dum ſcilicet uentũ, ſpirituſſanctus figuratur, qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, & feruentes facit, ut bona quæ deſiderant operentur. Hinc enim dicitur: Conuerte domine captiuitatem noſtrã, ſicut torrens in Auſtro. Surgat ergo Aquilo, & ueniat Auſter, & perflet hortum ſponſi, & fluãt aromata illius, ut uidelicet ſpiritus malignus ab Eccleſia uel ab unaquaq; electa anima diſcedat, & ſpiritus ſanctus adueniat. Qui ueniens charitatis ignem cogitationibus infundat, & à torpore negligentiæ dum ſe infuderit ſoluat. Quod dum agit, aromata fluunt: quia dum ad ueniente ſancto ſpiritu cor quod prius torpuerat, ad opera ſe excitat, mox ſanctæ operationis opiniones per proximos quoſq; ſuauiter diſcurrunt, ut quiq; audientes ad eadem ſe accendant, & Auſtro flante, id eſt, ſpiritu ſancto ſe infundente uirtutum odores emittant, ut ubiq; ſanctus hortus floreat, & poſt florẽ fructus redolentes & reficientes producat. In quem hortum ſponſa dilectum inuitat, cùm ſubdit. Cap. v

VEniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorũ ſuorũ.

In hortum dilectus uenit & fructum comedit, quando Chriſtus mentes uiſitat, & bonorum operum delectatione ſe ſatiat. Vnde & idem ſubijciens dicit:

Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum cum melle meo, bibi uinum meum cum lacte meo.

Myrrham dilectus cum aromatib. metit, quando Chriſtus mortificatione uitæ ad perfectionem perducta: electum ſuum ab hac uita ſuccidens, ad cœleſte horreũ cum ſancta opinione inducit. Fauum cum melle comedit, quando deſiderium ſanctum in ſanctis operibus latens perficit, & ad ſanctorũ conuiuiũ ſanctã animã ſua delectatione impinguandã tranſigit. Vinum uerò ſuũ cum lacte bibit, quando & perfectione quorundã ſe reficit, & innocentiã aliorũ cum pietate diligens, utroſq; ad æternũ conuiuiũ ingerit. Ad quorũ exemplũ quoſq; remanentes inuitat cùm ſubiungit.

Comedite amici mei, bibite & inebriamini chariſſimi.

Notandum in primis eſt: quia qui comedunt, amici, qui uerò bibũt & inebriantur, chariſſimi eſſe perhibentur. In quibus uerbis intelligi datur: quia in hoc loco comedere bonũ eſt, ſed bibere & inebriari amplius bonum eſt. Sunt nimirum quidam in ſancta Eccleſia qui ſic præcepta diuina audiũt,

Fons & puteus differunt, & per utrunq; ſcriptura ſacra deſignatur

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut cœlestia plusquam terrena amare discant, pro A eorum desiderio multa pauperibus tribuant, à prauis operibus se custodiant, nulla alicui uiolenter rapiant: Ecclesię prædicationem libenter audiāt, in fide se instruant, quam & operibus sanctis exerceant, & tamen uxores habent, pignora nutriunt, res suas diligunt, quamuis his omnibus Christum præponant. Hi profectò comedunt, & amici sunt: quia sanctam scripturam audientes, talem sibi refectionem assumunt, ut etsi ad summam perfectionem adhuc non assurgunt, tamen secundum modum suum perfecti, in præceptis diuinis sine crimine uiuant. Quod dum beati Ioannis parentes, Zacharias uidelicet & Elizabeth cōseruare studuerunt, per reuelationem angelicā in senectute sua filium accipere meruerunt, quo maior inter natos mulierum non surrexit, & ipsum saluatorem mundi digito ostendere & baptizare meruit. De cuius parentibus dicitur: Erant autem iusti ambo ante deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela. Sunt uero alij qui tanta auiditate diuinam scripturam audiunt uel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis sola cœlestia ambiant, parentes, uxores, domos, filios etiam & omnia transitoria abijciant, solummodo Christum sequi & amplecti concupiscant. Eius desiderio se affligunt ieiunijs, afficiunt lachrymis, exercent meditationibus diuinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contēplationibus uacant, ad hoc laborātes, ut ea quæ retro sunt obliuiscentes, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profectò isti, quid aliud agunt nisi bibentes inebriantur: ut dum omnium terrenorum per desiderium obliuiscuntur: iure à sponso cœlesti nō tantū amici, sed charissimi uocari mereant? De quibus idem sponsus sequitur & dicit:

Ioānes baptista natus est ex parentibus antiquis

Ego dormio: & cor meum uigilat.

Huiusmodi quippe electi cor sponsi bene uocari possunt, qui quo amplius exteriora quæ sunt in mundo fugiunt, eo secretius ea quæ sunt interiora sponsi cognoscunt. De quibus procul dubio idem sponsus alibi dicit: Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Dormit ergo sponsus, & cor eius D uigilat: quia dum Christus iam glorificatus, in beatitudine quiescit, quicunque eum perfectè diligit, ut ad ipsum perueniat laborat. De qua uigilātia sponsa superius dixit: Cum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorē suum. Quod enim illud quiescere dormire dicat, id manifestat quod alibi legitur: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quod tamen ipsum & ipsa sponsa de se dicere potest: Dicat ergo: Ego dormio, & cor meum uigilat. Ac si aperte mens sancta loqueretur dicens: Dum à mundanis tumultibus exterius dormio, interiori cogitatione quæ sint cœlestia uigilans penso. Sancti etenim uiri dum terrena omnia despiciunt, dum tumultus mundi omnino fugiūt, dum otium in uia dei assumunt, nequaquam ut torpori uacent, ea dimittunt, sed interius laboran

Ioan.14

Cant.1

Psal.4

tes, quæ sint illa ad quæ facti sunt, in corde aspicere cōtendunt. Neq; eē ut torpeant dormiunt, sed ut liberius æterna cōtemplentur, à trāsitorijs rebus quiescūt. Quos tamen aliquādo spōsus ad ꝓfectū proximorū excitat: & ut eis cum quib. uiuūt prosiciant, ab otio quod diligunt reuocat. Cuius uocē audiens etiam cum dormit sponsa dicit:

Vox dilecti mei pulsantis.

Quid enim pulsans dicat subiungit:

Aperi mihi sponsa mea, amica mea, colūba mea, immaculata mea.

Causam etiam clamoris annectit dicens:

Quia caput meum plenū est rore, & cincinni mei guttis noctium. B

Dum sponsa dormit, dilectus ut aperiatur ei pulsat: quia dum sancta mens sibijpsi per otiū intendit: Christus multa peccatorū opera in hoc mūdo tolerat: quę nisi spiritales uiri ad doctrinā se accingant, nunc̄ per seipsos carnales uel agnoscūt uel corrigere curant. Vult ergo sponsus ut aliquādo otiū dimittatur, & ad ædificationem proximorū spiritales quiq; sollicitentur. Quia dum perfecti uiri sibi solis per interiorē quietē intendūt: dolet sponsus ꝙ seculares ad peiora magis ac magis corruūt, dum eū ꝓpter silentiū spiritaliū semper minus ac minus cognoscūt, q̄d ipse manifestat cùm dicit:

Sponsa dormiente pulsat dilectus ut ei aperiatur

Quia caput meum plenū est rore, & cincinni mei guttis noctium. C

Quid per caput sponsi nisi deus, & quid per rorem in hoc loco, ubi lamentādo dicitur, nisi frigus mentiū carnaliū accipit? Scriptū est enim: Caput Christi deus. Et de frigore cuislibet carnalis mentis iterum scriptū est: Sicut frigidā facit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiā suam. Caput ergo Christi plenū est rore: quia multi in ecclesia positi, & deū eum credunt, & tamen frigidi persistentes ad ardorem charitatis non accendunt. Per cincinnos aūt eiusdē, populos intelligimus, quos in fide diuinitatis, quasi in capite Christi pendētes & opprimētes scimus. Sed cincinni pleni esse dicunt guttis noctiū: quia dum in torpore huius tenebrosæ tēporalitatis se suspendunt, magis ac magis stillationib. iniquitatū fluunt. Ad hos accendendos sponsa excitat, dum spiritalis quilibet pro ædificatione plurimorū, ab otio ad prelationem Ecclesię uocat. Sed quoniā metuit ne si ad prælationē uenerit, sollicitudinib. mundi occupari necesse sit: sicq; dum per occasionem ædificationis plurimorum, temporalibus se inclinauerit, quietem amittat, eamq; sordibus peccatorum inficiat, ideo clamanti sponso respondet dicens:

1.Cor.11

Hier.6

Expoliaui me tunica mea, quomodo iterum induar illa? Laui pedes meos, quomodo iterum inquinabo illos?

Tunica sua sponsa se expoliauit: quia omnia exteriora quibus honorabat & onerabatur abiecit: De qua tunica dicitur: Nunc aūt qui habet tunicā Luca 11
uendat eā, & emat gladiū. Gladiū quippe uendita tunica emit, qui pro æternis tēporalia abdicat, &

in sancta

in ſancta conuerſatione uiuens, uerbū prædicatio A nis acquirit. De quo dicitur: Et gladium ſpiritus, quod eſt uerbū dei. Pedes autem ſuos ſponſa lauit: quia dum in ſancto otio ſancta anima uiuit, opera ſua ſtudioſe ad memoriam reducit, & quicquid in eis ſordidū examinādo deprehēdit, lachrymis quotidianis & gemitibus plangit. Pedes itaq; lauit: quia præterita opera quibus per hunc mundum diſſolutè ambulauerat planxit. Pedes lauit, quia peccata abluens lachrymis, munda in cōſpectu dilecti ſui apparere cōcupiuit. Hos pedes iterum inquinare metuit: quia ualde ſollicita eſt, ne ſi in prælatione ponat̄, per terrena ambulans, iterū ſuſcipiat quod dimiſit. Idcirco ab otio inuita recedit: quia dū à marinis fluctibus aliena B eſt, quaſi in littore poſita ſecurius uiuit. Sed dilectus non leuiter mortem proximorum tolerat. Ideoq; propius accedēs per ſeipſum eam excitare non dubitat, ubi dicitur:

Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & uenter meus intremuit ad tactum illius.

Manum dilectus ad ſponſam mittit per foramen ut ſurgat, quando per ſubtilem intellectum, quanta ſit operationis diuinæ uirtus, ei inſpirando manifeſtat: quòd uidelicet & inter pericula ſaluare poſſit, quòd etiam in pace niſi per eum ſaluus ſit nemo, quòd in tumultu certaminis ſperantes in ſe non derelinquit. Ad cuius tactum uen- C ter ſponſæ intremiſcit: quia ſancta anima quo amplius diuinam potentiam per interiorem uiſitatio nē præſentialiter ſentit, eo diſtrictius iudicat quicquid in ſe carnale deprehendit. Quo enim maiori charitate in eum ardet quem mente concupiſcit, eo timidius ſe ei ſubiicit, & amplius uereť ne ſpōſus in ea aliquid inueniat, propter quod eā à ſe dimittere uelit. Idcirco ſpōſo obediens ad laborē ſe præparat, ut ſicut in quiete familiaris ſpōſo, ſic & in labore deuotè ſeruiens appareat. Ideo ſubdit dicens:

Venter ſpōſæ quare ad tactū ſponſi tremere dicitur

Surrexi ut aperirem dilecto meo.

Tacta ſurgit ut aperiat, quia dum ſpiritum dilectionis amplius ſolito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat, & prædicando agit, ut aper- D tis cordibus ſponſus ad inhabitandos proximos ueniens aditum intrādi inueniat. Quæ etiam cum prædicatione exempla operum auditoribus demonſtrat dicens:

Manus meæ ſtillauerunt myrrham.

Quid per manus niſi operatiōes: quid per myrrham niſi mortificatio carnis accipitur? Manus ergo ſpōſæ prędicationis myrrham ſtillant: quia quicunq; aliis prædicāt neceſſe eſt, ſi multis proficere uelint, ut in omni opere ſuo carnalē uitam mortificare contendāt. Sed ut hoc cum magna diſcretione fiat, manifeſtat cùm ſubiungit dicens:

Digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſſima.

Sicut enim ab una manu plures digiti diuiduntur, ſic in una ſancta conuerſatione per diſcretionem diuerſæ uirtutes inueniuntur. Alia enim eſt uirtus largitatis, alia uirtus parcitatis. Aliud opus humilitatis, aliud liberæ increpationis. Aliud uerò agimus quando nos ſub ſilentio continemus, propter ædificationem propriam, aliud quando proximis loquimur propter utilitatem ſuam. Sed digiti myrrha probatiſſima pleni eſſe perhibent: quia in omni quod agitur, ſemper neceſſe eſt ut mortificatio carnalitatis teneatur. Quæ tunc probatiſſima eſſe iure dicitur, quando in omni ſuggeſtione quæ ab hoſte ingeritur, ſine ceſſatione uoluptas carnalis cauetur ne ſuſcipiat̄. Quod quando fit, omnis duritia mētis diſſoluit̄, & ut ſpōſus intret ad cor aditus præparat̄. Hinc eſt q̄d ſequitur:

Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo.

Peſſulū oſtio facimus, quādo per uoluptates carnis, aditū cordis cōtra ſpōſum obſeramus. Peſſulum uerò aperimus, quādo remotis uoluptatibus fluxis, cor noſtrū in amorē Chriſti, quod prius durū fuerat, ſoluim⁹, & ſpōſo pulſanti ad oſtiū introitū liberū facim⁹. Quod dū in hac carne uiuimus: quia repētè fieri nō pōt, reſtat ut magis ac magis, quotidie faciam⁹. Nemo em̄, ſicut ſcriptū eſt, repētè fit ſumm⁹. Aliquādo em̄ dū in hac corruptione poſiti dominū noſtrū quærim⁹, magis nobis elongari quàm appropiare uidetur. Ideoq; ſequitur:

Peſſulū claudere & aperire quid ſignant

At ille declinauerat, atq; tranſierat.

Modo ſpōſus dilectā tāgit, modo declinat: quia quādo nos torpētes cōſpicit, ad amorē incitat, q̄n uerò laborantib. nobis poſſe apprehēdi uideť, tūc ne apprehēdatur trāſit & declinat. Quod maxima in nobis eius gratia agit̄, ut uidelicet nec in torpore noſtro iacētes, omnino eum amittamus, nec deplena eius, ut nobis uideť, apprehēſione ſuperbiamus. Qui mox tamē ut receſſerit, redit, & ne diutius anima ſancta à dilecto ſuo alieneť, uerbo inſpirationis ſuæ deſiderāti animæ ſe infundit, & infundens liquefacit. Vnde exultat ſponſa dicens:

Anima mea liquefacta eſt, ut dilect⁹ locutus eſt.

Ad uerbū ſpōſi liquefactā ſe dicit: quia dū Chriſtus ſe per ſpiritū ſuū animæ deſiderāti infundit, omnē duritiā cordis mox diſſoluit, & aliquādo mentē in tātas lachrymas liquefacit, ut uix capere poſſit hoc quod ſe capere intra ſe exultat, & int⁹ miret̄ quid fuerit, & quid factā ſubitò ſeipſā uideat. Quē liquorē dū ſentit, perfectius apprehēdere cōcupiſcit, & aliquādo dū hoc ipſū cogitat, hoc quod modo ſentiebat, iam nō ſentit. Vnde ſollicitat̄ ad quærendū ut hoc idē inueniat, ſed aliquādo cū etiā diu fatigeť, nō inuenit quod modo tam præſens tenebat. Ideo ſequitur:

Quæſiui, & nō inueni illum, uocaui, & non reſpondit mihi.

Quærit ſponſa dilectum, ſed non inuenit: quia à deo inſpirata mens aſſiduè ſuauitate illa intima perfrui concupiſcit, ſed corruptio prohibet, quā in hac uita gerit. Vocat ergo & nō reſpōdetur ei: quia & orationib. & operationib. ſuis dulcedine illius præſentiæ ſatiari appetit, ſed ad uotū ſuum hoc quod inuocat non occurrit. Reſtat er-

Spōſus quęritur interdum & non inuenitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

go ut in ſe reuertens ſe cognoſcat, & per ſcripturas ſanctas dilectum ſuum magis ac magis illo guſtu adiuta perquirat. Et hoc eſt quod ſequitur:

Inuenerũt me cuſtodes, q̃ cuſtodiũt ciuitatẽ

Dum inquiſitione dilecti ſponſa ſolicitatur, in cuſtodes ciuitatis incidit: quia dum ſancta mẽs deſiderio ſponſi ſui Chriſti ſe affligit, prædicatorum uerba in ſcripturis diuinis ſuſcipit, & eis quamdiu à Chriſto exulat, eiuſdẽ quẽ quærebat amore intẽdit. In quib. quid exercitatiõis inueniat, ſubiũgit:

Percuſſerunt me, & uulnerauerunt me, tulerunt pallium meum cuſtodes murorũ.

Cuſtodes percutiũt ſponſam & uulnerãt, quia prædicatores ſancti dum cœleſtia loquũtur, amãtem animam afficiunt, & maiori amore ſagittant. Pallium tollunt: quia ſi quid pompæ ſecularis reſiduum erat in corde, exhortationibus ſuis ab animo auferunt. Pallium tollunt, quia aliquando ante uerba prædicatorum nos nõ cognoſcebamus, ipſiq̃ omne quod interius latebat dum loquũtur detegunt. Quod dum fit, amplius diligendi ſunt, & ut pro nobis dilecto loquantur, deuotius exorandi. Quod agit ſponſa dum ſubiungit:

Palliũ auferre dicuntur prędicatores

Adiuro uos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, ut nuncietis ei quia amore langueo.

Dum enim ſanctis uiris cogitationes noſtras referamus, dum eis ſiue uiuentibus nobiſcum, ſiue iam uitam ęternam ingreſſis deſiderium noſtrum expandimus, & per deũ oramus, ut domino Chriſto pro nobis orando offerant deſiderium quo afficimur, quid aliud agimus quàm filias Hieruſalẽ adiuramus, ut dilecto cui nobis proximiores ſunt nuncient, quia amore languemus? Sed & ipſi ſancti ſi adhuc nobiſcum ſunt, & oratores ſuos orãt, & qui ut nuncient orantur, præ humilitate tanq̃ ignari interrogant dicentes:

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum?

Sed quia quo ardentius diligũt, eo dulcius uerba de eo repetunt: idem ipſum iterum dicunt:

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?

Dilectus ex dilecto ſpõſus dicitur, ut uidelicet per repetitionem dilectionis, maximus amor loquentis oſtendatur. Vel dilectus ex dilecto bene Chriſtus uocat̃: quia ſi filium diligimus, & patrẽ ex quo eſt, cõſequẽter amamus. Reſpondet ſponſa ſubſequendo dicens:

Dilectus meus candidus eſt & rubicundus, electus ex milibus.

Candidus & rubicundus Chriſtus eſſe perhibetur, quia nullum omnino peccatum faciens, iuſtitiæ pulchritudinem ex integro tenuit, & tamen tanquam peccator eſſet, ad mortis paſſionem acceſſit. Cui per prophetam dicitur. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum? Electus uerò eſt ex milibus, quia ex totius generis humani maſſa, nullus ſine peccato reperitur, ipſe uerò non ſolum ſine peccato fuit, ſed etiam peccatores ſua iuſtitia & ſanguine redemit. Sequitur:

Chriſtus dicitur candidus & rubicundus Eſa. 63

Caput eius aurum optimum.

Caput Chriſti deus. Quod caput bene aurum dicitur, quia ad comparationem creatoris omnis creatura res uiliſſima eſſe perpenditur.

Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigrę ſicut coruus.

Quid per comas Chriſti, niſi fideles quoſq̃ intelligimus? Qui dum fidem trinitatis in mente cuſtodiunt, & deo adhærentes quod credunt faciũt, quaſi in capite pendentes honorem portanti conferunt. Palma autem in altũ ualde creſcendo proficit, & uictoriam ſignificatione ſua prętendit. Comæ ergo ſicut elatæ palmarũ ſunt: quia electi quique dum ſemper ad alta uirtutum ſe efferunt, per dei gratiam quandoq̃ ad uictoriam ſe perducunt. Nigræ autem ſicut coruus exiſtunt: quia quamuis uirtutibus in cœlum ſe erigant, ſemper tamen peccatores ſe eſſe cognoſcunt. Sequitur:

Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.

Oculi ſponſæ ſicut columbæ ſunt: quia prædicatores Chriſti qui uiam nobis oſtendunt, in ſimplicitate uiuunt. Super riuulos autem aquarũ eſſe perhibentur: quia ſemper in refectione diuinarum ſcripturarum conuerſantur. Lactè uerò ſunt lotæ: quia gratia creatricis ſapientiæ tanquam lacte matris à peccatis per baptiſmum ſunt mundatæ. Quid autem per fluenta pleniſſima iuxta quæ reſident intelligimus, niſi ſacræ ſcripturę profunda & arcana dicta quæ diſcerpimus, quibus nos reficimus, dum ea legendo uel audiendo haurimus? Ad hoc etiam columbę iuxta fluenta reſidere ſolent, ut uolantium auium umbram in aqua uideant, ſuper quam ſe proijcientes ungues rapacium ſic effugiant. Sic ſancti uiri in ſcriptura ſancta fraudes dæmonum proſpiciunt, & ex deſcriptione quam uident quaſi ex umbra hoſtem cognoſcunt. Dumq̃ ſe conſilijs ſcripturæ ex toto adiungunt, ut uidelicet nihil agant niſi quod ex reſponſo ſcripturarum audiunt, quaſi in aquam ſe proijcientes, hoſti illudunt. Quæ fluenta pleniſſima dicunt̃: quia de quibuſcunq̃ ſcrupulis in ſcripturis conſiliũ quæritur, ſine minoratione de omnibus ad plenum inuenitur.

Columbæ quare reſident iuxta aquas

Genæ eius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentarijs.

Si per oculos prædicatores intelligũtur, bene per genas ipſi in Eccleſia figurantur, qui martyrio uitam finiſſe perhibentur. Dum enim pro fide Chriſti ſanguinem ſuum fundere non dubitant, quaſi genæ in facie Chriſti rubent. Per eos quippe pulchritudo fidei Chriſtianę publicat̃: quia ad quãtũ fidei pręmiũ tẽdant, oſtẽdũt dũ pro ea moriunt̃. Quæ genæ bene ſicut areolæ aromatũ eſſe dicunt̃: quia dum in cõſtantia fidei, martyrio electi ex-

cti exercentur, per cultum uirtutum sanctæ opinionis fama, quasi odore aromatum dilatantꝰ. Sed arcolę a pigmentarijs conferuntur, quia martyres sancti & a præcedentibus prædicatoribus ad confessionem roborantur, & a subsequentibus ad imitationis exemplum populis adducuntur. Ab illis qui præcesserunt, pigmenta uirtutum colūtur, ab his uerò qui sequuntur, pigmenta exemplorum sumuntur. Vnde & sequitur:

Labia illius lilia stillantia myrrham primam.

Quid enim per labia sponsi nisi ipsos quos dicimus prædicatores Christi intelligimus? Qui dū mortes martyrum populis prædicant, quasi myrrham mortificandis carnibus ad condimētum distillant. Quæ myrrha bene prima esse dicitur: quia nullus sic mortificat, quomodo ille qui pro Christo martyrio finitur. Primam enim dixit nō pro tempore, sed pro dignitate. Quid est quod labia spōsi lilia esse dicūtur, nisi quod illi per quos Christus loquitur, necesse est ut mūdi sint, & per eos bonus odor aspergatur? De quibus erat Apostolus Paulus, qui dicebat: Bonus odor sumus deo in omni loco, & in his qui pereūt, & in his qui salui fiunt. Sed notandum est quoniam quicquid in Ecclesia iustitiæ & fortitudinis habetur, ab ipso Christo per exempla operum illius traitur. Ideo sequitur:

Prædicatores per labia sponsi designati, debēt esse mundi

Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.

Quid enim per manus Christi designatur, nisi opera sancta quæ in mundo gessit, & quæ nobis imitanda proponūtur? ipse enim ait: Qui me dilígit, me sequat: Et Apostolus: Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare debet. Manus uerò tornatiles esse perhibentur: quia sancta opera eius sine impositione iniquitatis ex omni parte in iustitia gradiebātur. Quod enim tornatur, in rotūditate sui sine obstaculo uoluitur. Sic Christi opera in rectitudinis rotūditate uoluebantur: quia nulla culpa ei adhærebat qua minus iustitia eius in rotundum duceretur. Aureæ etiam manus esse dicūtur: quia quicquid exterius inter homines operabatur, interius in diuinitatis pulchritudine disponebatur. Quid uerò per hyacinthum, qui ualde preciosus lapis est, nisi munus retributionis æternæ designatur? Manus ergo sponsi plenæ hyacinthis esse dicuntur: quia quicūq; illius opera pio corde imitantur, felicitatis æternæ muneribus in retributione ditantur. Vnde & idem redemptor ait: Qui mihi ministrat me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Sequitur:

1.Ioan.2

Ioan.12

Vēter eius eburneus, distinctꝰ sapphiris.

Quid per uentrem nisi mortalitas, & quid per ebur, nisi incorruptio designatꝰ? Ebur quippe ualde durabile os habetur, & in ornamēta regum assumitur. Venter ergo Christi rectè eburneus esse dicitur: quia mortalitas Christi ad immortalitatē perducit: dum per resurrectionem ad gloriam patris sui, regis uidelicet æterni, in uita ęterna collocatur. De quo dicit: Christus resurgens ex mortuis, iam nō moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Qui uerè in ornamento regum assumitur: quia quisquis carnis suę rex & Dominus esse probatur, ipsius Christi mortalitate & resurrectione, amore cognitionis & spe immortalitatis ornatur. Vnde alibi dicitur: Qui gloriatur, in domino glorietur. Sed uenter distinctus sapphiris esse perhibetur: quia in nostra corruptione quam portauit, cœlestia opera per miracula quæ faciebat, passionibus nostris inseruit. Sapphirus em̄ qui æreum colorem portat, bene cœlestia facta quæ in miraculis ostendebantur, designat. Venter uerò Christi sapphiris distinguitur: quia dum inter passiones carnis diuina miracula operabatur, quasi incorruptio uariabatꝰ. Qua dispensatione Apostoli in fide eruditi sunt, & ad passiones tolerandas robusti extiterunt. Ideo sequitur:

Venter mortalitatē Christi & ebur eius incorruptionem designat

1.Cor.1

Crura illius columnæ marmoreæ: quæ fundatæ sunt super bases aureas.

Per crura em̄ Apostolos intelligimus, per quos uniuersum mūdum circuiuit, & fidem eis prædicantibus populis audientibus sparsit. Quibus ipse in Euāgelio ait: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Sed crura columnæ marmoreæ esse perhibentur: quia Ecclesiam inflexibiliter sustinēt, dum contra omnes aduersarios eorum prædicationibus & exemplis roboratur. Super bases autem aureas columnæ fundatæ sunt: quia à prophetarū dictis, ut fortes persisterent, fidem integram acceperūt. Vnde ipse primas Apostolorum ait: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attēdentes tanquam lucernæ ardenti in caliginoso loco. Ideo enim aureæ dicuntur: quia luce sapientiæ resplendescere sciuntur. Sequitur:

Apostoli per crura sponsi designantur Mar.16

2.Pet.1

Species eius ut Libani, electus ut Cedri.

Libanus quippe mons est in quo sublimes uallde & odoriferæ arbores habentur. Interpretatur autem Libanus dealbatio siue candidatio. Et de Christo dicit Apostolus Paulus: Ipse factus est nobis à deo sapientia & sanctificatio & iustitia. Bene ergo species eius ut Libani existit: quia per eum credentes dealbantur: cui si adhæremus radicitus, sublimes efficimur. A cuius gratia etiam bonæ opinionis odorem si quem habemus accipimus. Electus etiā ut cedri esse dicitur: quia de eo pater loquitur: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Cedrus autē excelsa est ualde arbor, & odora & imputribilis. Christus autem excelsior cedris exístit: quia quamuis homo sit, tamen deus esse non desistit. De quo per Esaiā dicitur: Et sublimis erit ualde. Odorus etiā super omnes est Christus, quia ipse de seipso ait: Ego flos campi & lilium conuallium. Et per sponsam ei dicitur: Curremus in odorem unguentorū tuorum. De quo hic bene sequitur:

1.Cor.1

Cedris excelsior est Christus Esa.53 Cant.2 Cant.4

Guttur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Guttur illius ſuauiſsimum, & totus deſiderabilis.

Per guttur quippe uoces transferuntur, & ſapores in uentrẽ hauriuntur. Quid ergo per guttur ſponſi, niſi teſtamentũ Chriſti intelligitur, per q̃d Chriſtus nobis loquit̃, & in quo q̃ ſuauis ſit dñs, à fidelibus guſtatur? Totus ergo deſiderabilis exiſtit, quia per hoc quòd de eo bona omnia anima ſancta audit, magis ac magis ſemper eum uidere concupiſcit. Cuius tot bonis enarratis conſequenter concludit ſponſa dicens:

Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Hieruſalem.

Sed enumeratis tot laudibus, oſtẽſis tot muneribus, quis audiens non concupiſcit, quis intendens non inardeſcit? Fidelis quippe anima quę̃q̃ quo dulciora & ampliora de redemptore ſuo audit, eo ardentius inhiat & manifeſtiora de eo cognoſcere appetit, dicens:

Quó abiit dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? Quó declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

Cùm enim proximus proximo de Chriſto loquitur, cùm alter ab altero qualiter inueniatur ſciſcitatur, quid aliud quàm quomodo quæri debeat perſcrutatur? Quanuis hoc de ſynagoga intelligi ualeat, ut aliquando conuerſa Eccleſiam interroget, cui protinus Eccleſia reſpondet:

Caput VI

Dilectus meus deſcendit in hortũ ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.

Dilectus in hortum ſuum ad areolam aromatum deſcendit, quia Eccleſiam uiſitans, ad eos maiori gratia uenit, quos ſanctis operibus & uirtutũ exẽplis bonæ famæ odorem ex ſe proximis emittere cognoſcit. In hortis paſcitur, cùm multarum animarum uirtutibus delectatur. Lilia colligit, quando perfectos quoſq; ab hac uita ſuccîdit. Sed quia ſancta Eccleſia in filijs ſuis fide Chriſto ita coniungitur, ſpe ſuſpenditur, charitate conglutinatur, ut nihil extra Chriſtum diligat, & eum ſibi familiariter fide & amore inſeparabilem teneat, ideo ſubiungit:

Lilia colligit Chriſtus dum bonos ad ſe trahit

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.

Notandum quippe quòd ſynagoga per prædicationem Eccleſiæ, ad fidem quandoq; cõuertatur, ita ut ſe abnegãs Chriſtum ſolum ſequatur, & eodem deſiderio diligat Chriſtũ, quo eũ Eccleſia diligit: quẽ cæteris poſtpoſitis ſolũ amat. Quã iam amicã factam, iam ſponſam ſibi coniunctam ſponſus alloquitur congratulans & dicens:

Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Hieruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

Pulchra & amica, ſuauis & decora ſicut Hieruſalem ſynagoga eſſe perhibetur, quia ſancta quatuor Euangelia aliquando conuerſa ſicut Eccleſia ſectabitur. Hieruſalem quippe uiſio pacis interpretatur. Per quam bene ſancta Eccleſia figuratur: quia dum in mundo ſemper preſſuram patitur uiam faſtidiens, quæ ſit pax patriæ cœleſtis currendo contemplatur, confidens in eo qui diſcipulis ſuis dicebat: In mũdo quidem preſſuram habebitis, ſed confidite, ego uici mũdum. Dignè autem ſynagoga conuerſa, ſicut Hieruſalem pulchra & amica & ſuauis & decora dicitur: quia dũ ſanctam Eccleſiam imitatur, quatuor Euangeliorum præcepta operatur, à quibus pulchritudinẽ morum accipit ut placeat, exercitium ſanctæ operationis colligit ut in amicitia hæreat, ſuauitatem manſuetudinis diſcit ut permaneat, ſpeciem decoræ cõuerſationis oſtẽdit ut per exemplum trahat. De qua conſequenter dicitur: Ioan.16

Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

Notum expertis eſt quòd milites cùm in procinctu contra hoſtes uadunt, ſi ſtrictim & cõcorditer gradiuntur, ab hoſtibus contra uenientibus timẽtur: quia dum in eis aditum per ſciſſuram nõ aſpiciunt, qualiter eos penetrent, hæſitantes non inueniũt. Illiſq; hoc impenetrabile munimen efficitur, quòd concorditer ordinati ſeipſis ſemetipſos tuẽtur. Dum enim de ſeipſis ſibi uallum efficiunt, intrandi ad ſe aditum hoſtibus non relinquunt, & ut occidãtur appetiti, ipſi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos ſpiritus pugnare non deſinit, neceſſe eſt ut pace charitatis cõſtringat̃, quo ſalua ſit. Si enim pacem tenet, terribilis hoſtibus apparet. Si per diſcordiam ſcinditur, undiq; ab hoſtibus leuiter penetratur. Pace ſe itaq; muniat, unitate ſe uinciat, charitate ſe uniat: ut dum in ſeipſa per ſciſſuram damnum nõ patitur, ducem ſuũ ſemper exultans ſine confuſione ſequatur. In pace quippe oculus mentis mundatur, ut in ipſam beatitudinis uiſionem intẽdatur. Quam nemo ſicut eſt, in hac uita conſpicit: quia impoſſibile eſt patriam tenere, dum in exilio unuſquiſq; noſtrũ gemit. Ideo ſanctæ animæ inardeſcenti, inhianti, propinquanti ſponſus reſpondet, dicens: Fidelis pacem tenet tes hoſtibus apparet terribiles

Auerte oculos tuos à me: quia ipſi me auolare fecerunt.

Oculos ad ſpõſum uidere quando dicitur

Oculos ad ſponſum tendimus, dum intuitum mentis ad uidẽdam Chriſti beatitudinem aliquãtulũ aperimus. Sed oculos auertere præcipimur, ne uidelicet aſpicere eam ſicuti eſt, quantumcunque uideamus, arbitremur. Ipſi enim oculi eum auolare fecerunt: quia quo amplius uidetur, eo magis inuiſibilis eſſe cognoſcitur. Et à nobis auolat: quia quantulumcunq; ictu mentis apprehenſus, incomprehẽſibiliter ſuper omnem conatum noſtrum ſe exaltatum eſſe manifeſtat. Oculi quippe mentis quaſi hoc efficiunt ut auolet: quia per hoc tantillum quo uidetur, ualde lõginquus & auolans à nobis, ſicut dictum eſt, apparet. Sequitur:

Capilli

Capilli tui ſicut greges caprarũ quæ apparuerunt de monte Galaad. Dentes tui ſicut greges ouium quæ aſcenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis nõ eſt in eis. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ: abſq; eo quod intrinſecus latet.

Hæc omnia dicta de Eccleſia ſuperius, ut potuimus, expoſuimus. Ideo nũc de Synagoga eadem replicare deuitamus. Vnum tamẽ quod nõ ſimiliter repetitũ: quia ibi ſicut fragmenta mali punici, hic autẽ ſicut cortex mali punici dicitũ: Quo nihil aliud deſignari puto niſi ſãguinẽ martyrũ qui ſub antichriſto moriẽtur, & unitatẽ fidei ſub qua multi ludæorũ ſtringẽtur. In cuius cõſtantia dum ſanguinis effuſionem patiẽtur: fidei tribulatione quaſi corticis rubore decorabuntur. Sequitur:

Sexaginta ſunt reginæ: & octoginta cõcubinæ; & adoleſcentularum non eſt numerus.

Animæ ſanctorum ſunt reginæ

Quid per reginas, niſi ſanctorum animæ deſignantur, quæ dum corpora ſua prudẽter regunt, & alijs pręſunt, regnum ſibi æternum acquirunt? Sunt enim nõnulli in ſancta Eccleſia qui carnem ſuam macerant, & propter deum affligunt, uitia uincunt, dæmones uelut tyrannos ſibi ſubijciunt, omnes motus ſuos ut ordinatè currant, ſapienter regunt, alijs prædicant hoc quod ipſi faciunt, multos à faucibus dæmonum gladio uerbi pugnãtes abſtrahũt. Quid huiuſmodi animæ niſi reginę exiſtunt, quæ dum regem Chriſtum ſponſum ſuum ualde diligunt, amoris commixtione & libidinis execratione, regios filios, id eſt fideles populos gignunt? Quibus omnibus beatus Petrus Apoſtolus dicebat: Vos autem eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Sed reginę lx. eſſe perhibẽtur. Denarius quippe numerus per ſenarium multiplicatus in lx. cõpletur. Et quid per denarium niſi decem præcepta legis, & quid per ſenarium niſi labor huius uitæ ſignatur? Sex enim diebus quod neceſſarium eſt operamur, & in ſeptimo quieſcere per legem iubemur. Bene ergo lx. reginæ eſſe dicuntur: quia dum decem præcepta in hoc ſeculo operantur, ſeculum autem hoc ſex diebus operatorijs euoluitur, in eis quaſi per ſenarium numerum denarius numerus replicatur. Prædicãt enim perfecti quique x. præcepta legis, in quorũ operatione ſe exercent in temporalitate huius corruptionis. Sex igitur decies uel x. ſexies multiplicant: quia uniuerſale hoc tempus in explenda x. præcepta legis ſpiritaliter eſſe tranſigendum operibus ſuis manifeſtant, & uerbo prædicant. Quorum laudem in hoc mundo aliquando reprobi aſpiciunt. Et ut ſimiliter laudentur uel ut aliquod commodum in hac uita quomodocunq; adipiſcantur, etiam ipſi per ſemetipſos prædicatores fiunt. De quibus bene ſubditur:

Et octoginta concubinæ.

A Concubinę quippe nõ uerè ſed fictè dominos diligunt, & ab eis non poſteritatem filiorum, ſed præſentiam commodorum expetunt, nec continentia ſe exercent, ſed libidinẽ explere concupiſcunt. Sic falſi prædicatores in Eccleſia exiſtunt, quia dum non Chriſtum, ſed lucrum uel laudem diligunt, non ſpiritaliter & caſtè, ſed carnaliter & libidinoſè Chriſto ſe coniungunt. Bene ergo concubinæ uocantur, quia Chriſtum quem prædicãt, non ſpiritu, ſed carne ſectantur. De quibus Apoſtolus Paulus dicebat: Multi enim ambulãt quos ſæpe dicebam uobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus uẽter eſt. De quibus ipſe idem ait: Huiuſmodi non ſeruiunt Domino leſu: ſed ſuo uentri. Quæ tamen concubinæ bene lxxx. eſſe dicuntur: quia etſi toto corde terrena diligunt, cœleſtia tamen loquũtur. Octonarium quippe numerum per denariũ ducimus, & ad octoginta uenimus. Per decem autem decalogus ſicut dictum eſt ſignificatur. Per octo uerò reſurrectio: quia octauo die redemptor noſter reſurrexiſſe probatur. Prædicatores uerò etſi falſi ſunt, per deſiderium tamẽ & ſcripturam diuinam, & reſurrectionem quam credimus, manifeſtant per uerbum. Si enim aliud prædicarent prædicatores, inter Chriſtianos non eſſent, de quibus in Euangelio ueritas ait: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Sed quia & falſorum & uerorum prædicatorum exhortatione plurimi ad fidem ueniũt, & cũ electis multi intrant, qui ad ſortem electorum nõ pertingunt, ideo ſubditur:

Prædicatores falſi concubinis æquiparantur

Phil. 3

Rom. 16

Mat. 23

Et adoleſcentularum non eſt numerus.

Cum enim ſcriptum ſit, adoleſcentia & iuuentus uana ſunt. Quid per adoleſcentulas has niſi uagas animas intelligimus? quæ dũ uana huius mũdi ſectantur quæ diligunt, numerum electorum excedunt. De quibus per pſalmiſtam dicitur: Annunciaui & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum. Quòd enim electorum numerus apud deum ſit conſtiturus, manifeſtat Apoſtolus Paulus qui ait: Nouit dominus qui ſunt eius. Et per ſemetipſum Dominus ait: Ego ſcio quos elegerim. Quos quia non imperfectè ſcit ſed perfectè nouit, procul dubio & numerum in quo eliguntur cognoſcit. De quibus per Paulum dicitur. Quos enim præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Bene ergo adoleſcentularum non eſt numerus: quia dum per uanitatem quam diligunt, in numerum electorum non currũt, extra remanẽtes quaſi in cognitionem diuinam nõ ueniunt. Quibus ipſa ueritas in futuro iudicio dicturа eſt: Neſcio uos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Sed dum reprobi mundana quærũt, & per multiplices cupiditates animum diuidunt, ſancta quælibet anima in numerũ electorũ ſe ſtringit, multa quæ uidet faſtidiẽs, unũ quod nõ uidet, ardẽter appetit, q̃d quãdiu nõ tener,

Pſal. 39

2. Tim. 2
Ioan. 13

Rom. 8

Mat. 25
Pſal. 6

1. Pet. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenet, in fide ſe nutrit, in charitate ſe unit: Et dum id quod unum & idipſum eſt ſequitur, de huiuſmodi multis una Eccleſia conficitur, de qua per ſponſum dicitur:

Vna eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ

Mater noſtra eſt regeneratrix gratia, apud quã una columba eligitur, quia illos ſolos colligit, qui in ſimplicitate permanent, & ab unitate non ſcinduntur. Multi quippe fideles dum in idipſum intendũt: dum uno deſiderio Chriſti ſe inuicem nutriunt, dum habẽtes cor unum & animam unam in charitate ſe uniunt, ex multis membris unum corpus efficiunt. Omnesq; in unitatis ſimplicitate & unitate uiuẽtes, una columba exiſtunt. Quæ ſola perfecta & electa genitrici ſuæ dicit̃, quia extra hanc quam dicimus Eccleſiam, nemo ad perfectionẽ, nemo ad uitam niſi per hanc ſolam gratia fouente nutritur. De qua bene ſubditur:

Fideles multi bene uiuẽtes & in ſimplicitate, una columba dici poſſunt

Viderũt eam filiæ Sion, & beatiſsimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ laudauerunt eam.

Sion filiæ, [filiæ] ſunt Eccleſiæ, quæ dum uitã æternã in hac carne contemplantur, à peregrinante Eccleſia ad regnãtem Eccleſiam eriguntur. Vident filiæ Sion columbam, & beatiſsimam prædicant, quia ſanctæ animæ dũ uirtutes Eccleſiæ ſpectant, in laudem prorumpunt, & ad eius beatitudinem inhiant. Sancta quippe Eccleſia gratia genitrice nutritur, dum fide eruditur, carne ſui ſponſi paſcitur, ſanguine lauatur, ſcriptura diuina ſaginatur. Huiuſmodi robuſta nutrimentis dæmones expugnat, uitia ſuffocat, carnem domat, ſpiritum roborat, uitam expectat. Hęc omni quicunq; aſpicit, recte in admirationẽ protinus aſſurgit, & beatiſſimam pronunciat, quia uidet ad quantam gloriam per tot uirtutes exurgat. Cum reginis eam & concubinæ laudant, quia etſi operibus falſi prędicatores contradicunt, ſermonibus tamen eadẽ quę & ueri populis oſtendunt. De quibus ipſa ueritas dicit: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. quod aperte manifeſtat dum iterum dicit: Dicunt enim, & non faciũt. De quibus & per Apoſtolum Paulum dicitur: Dictis confitẽtur ſe noſſe deum: factis autem negãt. Sancti autem uiri dictis & factis deum confitentur, quia quod credunt faciunt, & ad bona quę faciunt, etiam alios ſermonibus & exemplis trahũt. Quorum uirtutibus aduerſarij ad fidem excitantur, dum in eis & puritatem fidei, & conſtantiam operis admirantur. Vnde & ſynagoga ad fidẽ erigitur, cùm in Eccleſia quæ ſint merita fidei admirans contemplatur, dicens:

Prædicatores falſi eadem quæ & ueri prædicant

Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora?

Eccleſia ſancta quaſi aurora conſurgens in iudicio ultimo progrediẽ, quia relictis tenebris corruptionis, incorruptionis claritate innouatur. Quæ bene ut ſol electa dicitur, quia ad eandẽ gloriam perducit̃, ad quam caput eius Chriſtus: qui ſol iuſtitiæ eſſe perhibetur. Vnde eſt quod idem ſol ait: Volo pater ut ubi ego ſum, illic & miniſter meus ſit. Quod tamẽ & de membris eiuſdem Eccleſiæ adhuc in hac carne uiuentibus intelligi poteſt. Sunt eĩ nõnulli qui magna intentione quæ ſint tormenta reproborum aſpiciunt, & quæ ſunt facta ſua ſine palpatione examinare contendunt. Dumq; ſe peccaſſe cognoſcunt, & per hoc ire ad reproborum tormenta pertimeſcunt, ſubitò tenebras iniquitatis derelinquunt, & luce iuſtitiæ accendi concupiſcunt. Mox ad ſanctam operationem conſurgunt, & per bona quæ faciunt, clarere quibuſq; proximis incipiunt. Hi procul dubio uelut aurora cõſurgentes progrediũtur, quia ſubitò noctem peccati euacuãtes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima quæ prius erat in tenebris, nunc ſplẽdens apparet, & quę etiam in ſemetipſa obſcurabatur, nũc alijs lumine ſanctæ operationis reſplendet. De qua bene ſubditur:

Ioan.12

Pulchra ut luna, electa ut ſol.

Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter per quod homo gradiat̃ demonſtrat. Sic nimirum quæq; anima quæ tenebras dimittit, & in ſanctam operationem ſe extẽdit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quaſi lucẽ tenebreſcentibus oculis ſpargit. Dum eĩ peccantes quiq; bonum opus aſpiciunt, & ad idẽ faciendum ſe conuertũt, quaſi errantes in nocte, per lumen lunæ ad uiam redeunt. Hæc itaq; anima dum peccantibus bona exempla præbet, quaſi luna in nocte lucet. Dum uerò magis ac magis creſcit, & de die in diem per conſuetudinem operis lumẽ iuſtitiæ tam perfectè accipit, ut etiam bonis exempla imitationis præbeat, quæ prius ſolis peccatoribus imitanda apparebat, profectò iam luna ſol efficit̃: quia quę in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen ueritatis manifeſtat. Hinc eſt quod ſequitur: Electa ut ſol. De qua bene ſubditur:

Anima quę luna: paratipõ

Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

Hoc quia iam dictum eſt, iterum nõ neceſſe eſt exponi, ne ſic uideatur faſtidium generari. Sequitur ergo ſponſus & cauſam dicit unde tanta uirtus in Eccleſia excreſcere poſſit. Viſitatiõe quippe Chriſti renouatur, & quod in ea tenebroſum eſt reſpectione eius illuminatur. Et hinc eſt quod ſubdens ait:

Deſcendi in hortum nucum: ut uiderem poma conuallium.

Quid per nuces, niſi perfectos quoſq; intelligimus, qui dum diuinam ſapientiam intra corpora ſua retinẽt, quaſi nucleum in fragili teſta portãt? Sunt enim quamplures in Eccleſia qui aſſiduè diuinæ ſcripturæ intendunt, quàm ſuauis ſit Dominus guſtantes, amplius guſtare concupiſcunt, ſancta gaudia in corde ruminant, & ruminantes magis ac magis conualeſcunt, & tamen foris neſcientibus eos, uiles apparẽt, quia ignoratur quàm dulcem in ſuis interioribus cibum portent. Quid iſti, niſi

Nuces perfectos dignam

niſi nuces exiſtũt, qui nuclei dulcedinem intus fe A runt, exterius uero carnis uilitatem prætendunt?
2.Cor.2 De quibus erat apoſtolus, qui dicebat: Habemus theſaurum iſtum in uaſis fictilibus. Hortus igitur nucum, corda ſunt ſanctorum, qui dum deum ual de diligunt, cœleſtem dulcedinem in intimis ge-
Pſal.30 runt. Vnde in pſalmo ſcriptum eſt: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcon diſti timentib.te. Sed quid eſt ꝙ in hortum nucum ſponſus deſcẽdit, ut poma uideat, cum potius nu-ces uidere debeat? Verumtamen ſciendum eſt quòd maximè corda perfectorum uiſitat, eiſq; be nignitatis ſuę ſuauitatem manifeſtat: ut per eos ad infirmiores poſtmodum ueniat, & quantum in ar gumentum iuſtitiæ profecerint, per illos cogno- B ſcat. Vnde ſcriptum eſt: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut uideat ſi eſt intelligens, aut requirens deum. Dum enim diuina bonitas corda perfectorum illuſtrat, eosq; ad curam proximorum per charitatis ſollicitudinem inſtigat, quid hoc eſt aliud niſi quòd ad hortum ueniens, poma conuallis per illos quibus præſidet proſpectat? Tũc enim dominus uidere uel cognoſcere dicitur, cum ſanctos ſuos quos illuſtrat, ad uidẽdum exhortatur. Sed quid eſt ꝙ non poma montis, ſed poma conuallis ut uideat deſcendit, niſi ꝙ illis reſpectũ ſuę miſeratiõis tribuit, quos in humilitate perſiſtere cognoſcit? De quo per pſalmiſtã dicitur: Quoniã excelſus dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Et ipſe dominus C per ſemetipſum ex uoce prophetæ dicit: Super quem requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilẽ & quietum & trementem ſermones meos? Sequitur autem ſponſus & dicit:

Et inſpicerem ſi floruiſſent uineæ, & germinaſſent mala punica.

Vineæ florent, quando in Eccleſia filij recenter in fide generantur, & ad ſanctam conuerſationem quaſi ad fructus ſoliditatem præparantur.

Mala punica quando dicuntur in Chriſti Eccleſia germinare

Mala punica germinant, quando perfecti quiq; per exempla ſua proximos ædificant, & in nouitatem ſanctæ conuerſationis per prædicationem & bonorum operum oſtenſionem inuitant. Illud quippe malum punicũ, uidelicet Apoſtolus Pau D lus, germinauerat, qui dicebat: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. Sic etenim in ſancta Eccleſia agitur, ut per bonos mali conuertantur, per perfectos imperfecti nutriantur, donec & ipſi ad perfectionem ueniant, & infirmos quoſq;, ſicut ipſi perducti ſunt, ad meliora perducãt. Hoc Chriſtus Eccleſiæ ſponſus uiſitando perficit, reſpiciẽdo corpus ſanctum coniungit, quia ideo corpus infirmitatis aſſumpſiſſe cognoſcitur, ut in corpus ſuæ claritatis tota ſimul Eccleſia transformetur. Vnde beatus Paulus ait: Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Hæc omnia in fine mundi ſynagoga tandem excitata percipiet, & ſe tamdiu hæc ignoraſſe reprehendet, dicens

Neſciui. Anima mea cõturbauit me, propter quadrigas Aminadab.

Ac ſi diceret: Tot uirtutes in ſancta Eccleſia fieri uidens quare in tanto tempore nõ percepi? quare incredula perſtiti? cur tam diu per infidelitatẽ meam in tenebris ignorantiæ remanſi? Sed propter quadrigas Aminadab conturbat̃: quia quãdoq; per Chriſti prædicationem ad fidem ſuſcipiendam excitatur. Aminadab enim ſpõtaneus populi mei interpretat̃. Et bene procul dubio Chriſtus Ieſus à patre ſpontaneus populi mei dicitur: quia uerè ſpontanea charitate ad populũ ſaluandum deſcendit, & ut nos à morte releuaret, pia uoluntate & benigna gratia mortem in cruce ſuſcepit. Vnde & ipſe ad patrem ait: Voluntariè ſacrificabo tibi. Et unus ex redemptis ad Chriſtum loquens aiebat: Exaudi me domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Propter quadrigas ergo Aminadab ſynagoga conturbatur: quia quando tandem quatuor Chriſti Euangelia in mundo currentia, in cordibus hominum feruentia per fidem contemplatur, mox de infidelitatis ſuæ tenebris confunditur, & oborta confuſione ſalubri, ad pœnitentiam commouetur. Cui Eccleſia benigne loquitur dicens:

Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere reuertere, ut intueamur te.

Synagoga tandẽ Chriſti fidem ſuſcipiet

Sunamitis quippe captiua interpretatur. Sunamitis ergo ut reuertatur uocatur: quia ſynagogæ in fine mũdi fides ab Eccleſia offeretur, ut dignitatem priſtinam recipiat, quæ ſub infidelitatis iugo à dæmonibus captiuatur. Et bene quater reuerti admonetur: quia in quatuor mundi partes modo Iudæi diſperſi ſunt, qui ubicunq; fuerint, ut dictũ eſt, in fine conuertentur, ſicut prædictum eſt per prophetam: Si fuerit numerus filiorum Iſrael uelut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Reuertatur ergo Sunamitis, ut eam intueamur, id eſt, ſynagoga ad fidem conuertatur, ut in pœnitentia ſua omnibus oſtendat quantum malum fecerit, quando deum ſuum in cruce configebat. Sed protinus cũ Eccleſia fidem ſynagogæ intueri appetit, ſponſus congratulando quaſi interrogans reſpondet, & dicit:

Caput VII

QVid uidebis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?

Caſtra quippe, militantium ſunt. Caſtra ergo in Sunamite uidebuntur: quia pro fide quam modo impugnat, tunc robuſtè contra infideles prælia-bitur. Sed quia hoc per ſanctam Eccleſiam fiet, ut ſynagoga conuertatur: quia ſermonibus & exemplis prædicatorũ ad fidem cõuertetur, ideo rectè ad laudem ſponſæ ſponſus ſe conuertit dicens:

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis?

Filia principis ſancta Eccleſia dicitur: quia prædicatione Chriſti in uitam nouam regenerat̃, qui per diuinitatis potentiam, omni creaturæ quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõdidit principatur. Quid autem ſunt calciamenta Eccleſiæ, niſi exempla præcedentium patrum, quibus in uia mundi huius munitur: ut per omnes tribulationes quæ exurgunt, confidenter calciata gradiatur? Vnde alibi prędicatoribus Paulus dicit, Calciati pedes, in præparationẽ Euangelij pacis. Calciamẽta quippe de mortuis animalibus fiunt. Et nos pedes ſpiritaliter calciamus, quando à patribus ſãctis carne mortuis exempla ſumimus: ut ad eorum ſimilitudinem mũdi huius tentationes expugnemus. Poteſt tamen intelligi quod Eccleſia calciatur, quãdo in prędicatione ſua ad perferenda inſurgentia mala morte Chriſti munitur. Pulchri ergo ſunt ſponſę greſſus calciatæ, quæ filia eſt principis: quia corã diuinis oculis placet officiũ cuiuſlibet electi ſecundũ exẽpla patrum prædicantis. Sequitur:

Pedes calciare quando dicimur

Iunctura fœmorũ tuorum ſicut monilia.

Per duo fœmora ſponſæ, duo populi Eccleſiæ: per iuncturam fœmorum, concordia deſignatur prædicatorum, quibus populi uniuntur, dum ad fidem catholicam circumciſio & præputium per eos erudiuntur. Qui ut monilia exiſtũt: quia dum in ſapientia qua refulgent, ſancta opera faciunt, quaſi in auro lapides gerũt. De quibus ſequitur.

Quæ fabricata ſunt manu artificis.

Manu artificis monilia fabricãtur: quia opere Chriſti prædicatores pulchri & utiles efficiuntur. Sequitur:

Vmbilicus tuus crater tornatilis, nũquã indigens poculis.

Vmbilicus etiam ſanctorum prædicatorũ ordo eſt, qui bene crater eſſe dicitur: quia dum per eos populus eruditur, uino ſpiritali ipſorum officio debriatur. Qui bene tornatilis nuncupatẽ, quia iuxta mores hominũ uniuerſos, neceſſe eſt ut lingua prædicatoris uoluatur. Qui poculis non indiget, quia quod alijs propinat, neceſſe eſt ut abundantius cæteris bibat, & plenius quod dat, contineat. Sequitur:

Vẽter tuus ſicut aceruus tritici, uallatus lilijs.

Per uẽtrem, populi latitudo deſignatur, qui bene ſicut aceruus tritici lilijs uallatur: quia dum operibus ſanctis intendens, in cœleſte horreũ præparatur, exemplis ſanctorũ ut perſeueret, undiq; munitur, de quibus iterum dicitur:

Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli.

Populi duo per duo ubera deſignantur

Duo ubera, duo populi exiſtũt: quia dum in amore fraterno ſemper uiuũt, ſe inuicem lacte pietatis in charitate nutriunt. Qui bene duo hinnuli capreæ gemelli nominantur: quia dum per prædicationem ſynagogæ in fide geniti, eius ſcripturis nutriuntur, in ſpe æternitatis intendẽtes, quaſi in montibus concordes paſcuntur. De quibus prædicatoribus ſequitur:

Collum tuum ſicut turris eburnea.

Collum ſponſæ ſicut turris eburnea dicit: quia prædicatores Eccleſiæ, & alti per contemplationem, & fortes per ſanctorum operum exercitationem, & precioſi per diuinam ſapiẽtiam habentur. De quibus iterum dicitur:

Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.

Eſebon cingulum mœroris interpretatur. Oculi ergo ſponſæ ſicut piſcinæ in Eſebon dicuntur: quia dum de peregrinatione ſua contriſtantur, & mœrore corroborati, contra ſpiritales hoſtes accinguntur, lachrymis ſe lauant, ut per eos populi conuenienter coram deo mundentur. In porta autem filiæ multitudinis ſunt: quia in fide ſtant per quam Eccleſiæ multitudinem ad cœleſtia introducunt. Sequitur:

Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

Naſus prædicatoris præſentat.

In naſo odoris diſcretio habetur. Per naſum ergo diſcretio prædicatorum deſignatur: quia per eos nobis uirtutum odores, & uitiorum fœtores demonſtrantur. Sed naſus ſicut turris Libani exiſtit: quia dum ſemel prædicatores aqua baptiſmatis lauantur, & quotidianis lachrymis à peccatis quæ contra deum commiſerunt, dealbantur, digni fiunt ut ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed turris contra Damaſcum reſpicit, quia peccatoribus ſemper ſanctus quilibet prædicator contradicit. Damaſcus quippe ſanguineus interpretatur, & peccatrici genti dicitur: Manus tuæ plenæ ſunt ſanguine. Sed quia de mẽbris dixit: dignum eſt ut de capite loquatur. Ideo ſubditur:

Caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui ut purpura regis, iuncta canalibus.

Caput Eccleſiæ Chriſtus, qui bene ut Carmelus dicitur, quia ipſe per paſſionẽ quam ſuſtinuit, ad gloriam patris eſt exaltatus. De quo ſcriptum eſt: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium. In Carmelo quippe Helias orans obtinuit pluuiam, & nos in Carmelo orantes, pluuiam impetramus, quando in Chriſtum credentes, Chriſtum deſideramus, & à patre irrigationem gratiæ ſuſcipimus quam rogamus. Moraliter autem caput ſponſæ mens uocatur: quia ſicut à capite membra, ſic à mente omnes cogitatus noſtri diſponuntur. Carmelus autẽ ſcientia circunciſionis interpretatur. Caput ergo ſponſæ ut Carmelus eſſe perhibetur, quia quælibet ſancta mens nouit qualiter dignè circumcidatur, nouit quia nihil eſt quicquid in corpore agitur, ſi mens immunda fuerit, quæ templum Chriſti ſi efficitur, ab ipſo inhabitat. Quod quia Phariſæi non agebant, ideo dicebat beatus Stephanus eis qui eum occidebant: Dura ceruice, & incircumciſi cordibus & auribus, uos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto. Comæ autem capitis eius ut purpura regis iuncta canalibus eſſe memorantur. Purpura quippe per faſciculos in canalibus ligatur, ſuper quos dum aqua proijcitur, per canales ad ueſtem quæ ſuppoſita eſt currit, ut ueſtis tinga

tur, &

tur,& inde nomen accipit,ut tincta colore purpu reo purpura uocetur,quæ omnia ſanctę menti cõ gruunt ſi intelligãtur. Comæ quippe capitis ſunt cogitationes mentis, quæ in canalibus ligantur, quia in ſcripturis diuinis ne inutiliter fluant, ſtrin gũtur. Super quas aqua proiſcitur,quæ ueſtem re giam currens tingit, quia dum in cogitationibus ſanctæ mentis, gratia cœleſtis ſuſcipitur,totam a nimam in cœleſte ornamentum componit:ita ut iam tota anima in uitam æternã inardeſcat, & ad æternum ſponſum etiam per ſanguinem martyrij pergere concupiſcat. De tota quippe Eccleſia Paulus dicit:Qui exhibuit ſibi Eccleſiam, ueſtem ſine macula & ruga. Et de ſingulis Eccleſiæ fideli bus dicitur:His omnibus uelut ornamẽto ueſtie ris.Sic tinctæ ergo,ſic pulchræ,ſic purpureę factę ſponſæ adgaudens ſponſus loquitur, dicens:

Quàm pulchra es & quàm decora cha riſsima in delicijs.

Notandum quòd chariſſima in delicijs dicitur, quia ad charitatem & familiaritatem Chriſti non peruenit, quiſquis ſcripturæ ſanctæ delicijs abun dare non contendit.Inde enim dicitur: Omni ha benti dabitur,& abundabit:ei autem qui non ha bet,& quod uidetur habere, auferetur ab eo. His enim delicijs qui abundat,reficietur: his refectus, aſſiduè ad maiora percipienda pręparatur. Vnde & huic ſponſæ chariſsimæ dicitur:

Habenti da bitur &c. qualiter ex ponitur

Statura tua aſsimilata eſt palmæ,& ube ra tua botris.

Palma quippe dum creſcit,deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatat. Sic ſancta anima ab imis ad mi nima incipit, & paulatim ad maiora creſcendo, uſq; ad amplitudinem perfectæ charitatis perue nit.Nemo enim,ſicut ſcriptum eſt,repẽte fit ſum mus. In pſalmo autem de iuſto homine dicitur: Iuſtus ut palma florebit. Vbera autẽ ſponſæ duo præcepta charitatis exiſtunt, quæ animam quam poſsident, uino cœleſti inebriant & nutriunt. Po teſt tamen per palmam crux Chriſti intelligi.Pal ma enim ſublime ualde creſcens, dulciſsimos fru ctus gignit, & crux Chriſti cœleſtem cibum no bis præparauit. Cui ſtatura ſponſæ aſsimilatur, quia pro Chriſto mori nõ dubitat,quiſquis Chri ſtum ualde diligens dignè imitatur. De palma ſe quitur ſponſus dicens:

Anima pal mæ decẽter cõparatur

Dixi, aſcendam in palmam,& apprehen dam fructus eius.

Dixit uerè & aſcendit, quia ſicut ante ſecula pro morte noſtra mori diſpoſuit, ſic in fine mun di propitius & uerax adimpleuit. In palmam er go aſcendit, & fructus eius apprehendit, quia in cruce ſuſpenſus, fructum uitæ inuenit ac appre hendit, & nobis tribuit. Vnde adimpletum eſt quod ſequitur.

Et erunt ubera tua ſicut botri uineæ.

Verè per crucem ubera ſponſæ ſicut botri ui neæ exiſtunt, quia in morte Chriſti duo præcepta charitatis ſenſus animæ ſuſceperunt,quibus paſta anima debrietur, debriata poſteriora obliuiſcat, & in anteriora extendatur. His uberibus etiam proximos quoſq; nutrit, ac roboratos ſecũ ad ea quæ concupiſcit perducit. Vnde ſcriptũ eſt: Qui audit,dicat ueni. Sequitur:

Et odor oris tui ſicut malorum.

Mala punica de quibus ſuperius tam ſæpe dictum eſt,hic rememorantur, quorum odori odor oris ſponſæ bene ſatis aſſimilatur. Per mala autẽ punica martyres deſignari ſuperius diximus. Per os autem ſponſæ hic debere intelligi eius prædicationem putamus. Quæ dum uirtutes martyrũ prædicat:dum ad eorum ſimilitudinẽ animos au dientium inſtigat,dum in unius prædicatione fi dei multas uirtutes eſſe manifeſtat, quid aliud cẽſ malorum odorem in ore portat? quia & ruborem corticis in martyrio oſtendit,quod prædicat,& in uirtutibus multitudinem granorum ſub eadem ſi de quaſi ſub eodem cortice demonſtrat. De quo & ſubditur:

Guttur tuum quaſi uinum optimum.

Gutturis ap pellatione prædicatio deſignatur

In gutture quippe uox eſt. Per guttur ergo ip ſa prædicatio iterum deſignatur, quæ quaſi uinũ optimum eſſe dicitur:quia mẽtes hominum ine briat,ut præteritorum,ſicut dictum eſt,obliuiſcã tur,& in anteriora currentes nõ laſſentur, de quo ſponſa uerbum de ore ſponſi ſuſcipiens, adiũgit:

Dignum dilecto meo ad potandum, la biſq; & dentibus illius ad ruminandum.

Tale eſt ſponſæ uinum, ut dignũ ſit dilecto ad potãdum:quia dum ſancta Eccleſia fidem ueram prædicat:dum auditores ſuos ad ſancta opera ex citat:dum ſolum Chriſtum diligere, imitari, am plecti,bonum eſſe uerbis & operibus demõſtrat, quid aliud quàm uinum ſuum dignum facit ut in ore ſponſi dulce ſapiat? quod bene Chriſtus pota re dicitur: quia à corpore ſuo,id eſt,à populis fide libus amabiliter potatur. De quo notandum eſt quod omnes potant,ſed labia ſola & ſoli dẽtes ru minant:quia dum Eccleſia per ſanctos ſuos præ dicat,omnes quidem audiũt,ſed non omnes quã ta ſit uirtus ſententiarum quæ dicuntur diſcernũt. Labia uerò & dentes ruminant: quia dum perfe ctiores quiq; poſt auditum uerba ad memoriam reuocant:dum audita quæque exercitatione aſſi dua cogitant, quaſi ad os reuocantes quod ſum pſerunt,quanta ſit uirtus cibi quem comederunt ſentiunt. Idcirco in lege ſcribit, quia animal quod non ruminat,immundum habetur: quia quiſquis bona quæ audit ſiue legit,non recogitat,uacans à ſanctis cogitationibus,neceſſariò immundas con gregat. Sequitur ſponſa & dicit:

Ego dilecto meo,& ad me cõuerſio eius.

Ac ſi diceret:Quoniam fide ac dilectione ſoli Chriſto adhæreo,ſolum ſequor: ſolum cum patre & ſpiritu ſancto unum deum uidere concupiſco, reſpectionis eius ſuauitatem,uiſitationis benigni tatem,conuerſationis dulcedinem, gaudenter ex perior,experiens proclamo:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Veni dilecte mi, egrediamur in agrū, cō A moremur in uillis, mane surgamus ad uineas, uideamus si floruit uinea, si flores fructꝰ parturiunt, si floruerunt mala punica.

Spōsus per fectè diligi non potest nisi etiā proximus diligatur

Dum sponsa sponsi dulcedinem experta se refi cit, de proximo etiam cogitat, quem ipsius sponsi præcepto sicut se diligit, & quia sponsi præcepta, uel secreta intelligit, etiam ut alij intelligant, concupiscit dicens: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. Ager quippe, teste ueritate, est hic mūdus. In agrum uerò cum sponsa sponsus egredit: quādo uerbum dei carne suscepta, in thalamo uirginis mundo monstratur. In uillis cōmoratur quando gentes per fidem uisitat, quam recipientibus B largitur. Mane ad uineas surgit: quia post resurrectionem suā in gloria patris sedēs, Ecclesias quas construit, etiam defendit. Si floruit uinea conspicit: quia omnem profectū Ecclesiæ districto examine perpendit. Videt si flores fructus parturiūt: quia perspicit ad quem profectum teneri quicꝙ & imperfecti excrescunt. Videt etiam si floruerunt mala punica: quia perfectos quosque respicit, & quid utilitatis in proximis habeāt, quasi in floribꝰ fructū arborū cognoscit, de quib. bene sequitur:

Ibi dabo tibi ubera mea.

In malis punicis dat sponso sponsa ubera: quia in perfectis uiuit charitas gemina, ex qua dum infirma membra in Ecclesia nutriunt, quasi Christū lactant, quem in minimis suis esse præsentem co- C gnoscunt. De quibus bene subditur:

Mandragoræ dederunt odorem suū in portis nostris.

Mandragoræ uirtutes perfectorū repræsentāt

Quid per mandragoras, herbam scilicet medicinalem & odoriferam, nisi uirtus perfectorū intelligitur? per quam perfecti quicꝙ dum imperfectorum infirmitatibus medētur, in fide quam prædicāt, id est, in portis Ecclesiæ ueri medici esse cōprobantur. Qui dum exempla bonorū operū circumquaqꝙ per sanctam famā tribuunt: quasi odorem quo ægroti sanentur, aspergunt. Sequitur:

Omnia poma noua & uetera dilecte mi seruaui tibi.

Hic per poma sensus scripturarum sanctarū in D telliguntur, quæ dum ex patribus sanctis ad nos usqꝙ perueniunt & creduntur, quasi ex arboribus poma exurgūt, quibus animæ delectātur. Omnia ergo poma noua & uetera dilecto suo sponsa seruat: quia sic nouū testamentum Ecclesia catholica recipit, ut uetus non abiiciat, sic uetus uneratur, ut nouū semper in ipsis sacrificijs carnalibus per spiritum intelligat, in nouo scilicet Christum uenisse congaudēs, in ueteri autem semper uenturum expectans, & dicens:

Caput VIII

QVis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inueniam te solum foris, & deosculer, & iam me nemo despiciat?

In ueteri lege Ecclesia posita Christum exoptabat: & in secreto patris manētem, foras uenire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat, unde & Dauid desiderās dicebat: Exurge, & ne repelias in finē. Et alibi: Inclina cœlos tuos, & descende. Et Esaias ualde cupiēs eum uidere dicebat: Vtinā disrumperes cœlos, & descenderes. Vult ergo sponsū foris spōsa inuenire & deosculari: quia concupiscit sub lege posita, ut per carnem appareat: ut ei per amorē seruiat, cui prius non accepta gratia, plus timore quàm amore seruiebat. Post cuius osculū iam à nemine despicitur: quia postquā Christus uenit, & fidelibus suis spiritū libertatis infudit, ab ipsis etiā angelis Ecclesia honoratur. Hinc est quod Iosue angelū adorauit, Ioanni uero uolēti se adorare dixit: Vide ne feceris, cōseruus tuus sum: & unus fratrū tuorū, habentiū testimoniū Iesu. Sed quia ueniētem Ecclesia suscepit, synagoga repulit: quæ iterum eū in fine mūdi suscipiet & amabit, ideo subsequitur Ecclesia, & dicit:

Angeli post incarnationem Christi non permiserunt se adorari

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculū genitricis meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex uino conditum, & mustum malorum granatorum meorum.

Apprehensum in domū matris suæ ducit: quia synagogæ in fine mūdi Christum in quem credit, prædicabit, dumqꝙ per prædicationem Ecclesiæ susceptus fuerit, ibi Ecclesiam docebit: quia se doceri gaudebit, quando synagogam iam idem corpus factam eruditi secum uidebit. Poculum ex uino cōditum Ecclesia dabit: quia ipsi synagogæ nouum testamentum cum ueteri prædicabit, & quasi uino poculum condiet: quia dulcedinem Euangelij testimonijs legis, quę aspera est, ut robustius teneatur, cinget. Mustum uerò malorum granatorum suorum tribuet: quia fortium uirorum qui unitatem Ecclesiæ etiā in martyrio tenuerūt, exempla apponet: ut ad eorum similitudinem synagoga inardescat, & antichristi persecutionibus, martyrum præcedentium exemplis roborata non succumbat. Cùm enim fortium pugnatorum, uictorias audierit, ad eorum imitationem pugnam subire non dubitabit. Quod apertè manifestat cū subiungit:

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Vita præsens per læuam Christi, uita uerò beata per ipsius dextram significatur

Læua Christi uita præsens, dextera uerò uita beata habetur. Caput autem nostrū spiritaliter mens esse perhibetur. Dicit ergo synagoga prædicationibus Ecclesiæ iam conuersa, exemplis roborata, imitatione subleuata: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Ac si diceret: Quoniam nunc tandem Christi fidem teneo, eius ineffabilem gratiam experior concupiscibilem, & quam desiderare nesciebam dulcedinem sentio, iam terrena omnia postpono, etiam ipsam uitam carnis pro eius amore contemno, & ad eius beatitu-

beatitudinem uidendam totis desiderijs anhelo. Hoc quippe quod rem aliquam amplectitur, ipsam quam amplectitur rem ex omni parte intra se habere nō ignoratur. Læua ergo sub capite est, & dextera amplexatur, quādo sancta anima mentis ea quæ uidet supponit, & ea quæ non uidet, omni conatu & uniuersis suis cogitationibus appetit. Sunt quippe modo nonnulli qui tanto desiderio cœlestia sectantur, ut omnia uisibilia pro nihilo reputent, mentem suam cœlestibus studijs sine intermissione occupent, ut nihil aliud agere libeat, quicquid extra spiritalem actionem est, animus fastidiat, hanc solam diligat, cætera contemnat, nisi forte ea isti necessaria esse cognoscat. Isti uerò sub capite læuam habent, qui mente erecta ad beatitudinem Christi currentes, uitam præsentem sub se uident. Et dextera Christi eos amplexatur: quia ex omni parte eos dilectio cœlestis intra se retinens tuetur. Huiusmodi quippe uiri sancto otio delectantur, in quo uitæ beatæ delectatione concupiscibiliter per cōtemplationem perfruuntur. In qua contemplatione oculum cordis mundant, ut deum adhuc etiam in hac carne positi, quantum humanæ infirmitati datum est, uideant, cuius uisione se illuminent, suauitate reficiant. Isti illam beatitudinem iam aliquantulū experiuntur, de qua in Euangelio ueritatis uoce dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Quod enim futurum est, iam in eis incipit compleri, quia etsi in hoc mundo adhuc in carne uiuunt, iam tamen per hoc quod maius est in eis, extra carnem sunt. In his impletur quod per Psalmistam diuina uoce præcipitur. Vacate & uidete, quoniam ego sum deus. Hi enim quo sine mundi strepitu uiuunt, eo mētem in dei uisionem per desiderium & contemplationē figunt. Et quoniam tales multi ex synagoga in fine mūdi, ut credimus, per conuersationem erunt, bene ad huiusmodi dictū intelligitur: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. De quibus & pro quibus sponsus loquitur consequenter:

Adiuro uos filiæ Hierusalem, ne suscitetis neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipsa uelit.

Sed quia iam illud superius exposuimus, iterū exponere recusamus. Sed de eadē synagoga iam facta Ecclesia, filiæ Hierusalem admirantes interrogant & dicunt.

Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?

Ecclesia uel sancta anima de deserto ascendere dicitur

Sancta Ecclesia uel quælibet sancta anima de deserto ascendit, quia in exilio huius peregrinationis posita, ad cœlestia gaudia mente & cogitationibus tendit. Vnde & Paulus dicebat: Nostra conuersatio in cœlis est. Deliciis affluit, quia sanctæ scripturæ meditationibus intendens, cœlesti pabulo assiduè mentem pascit. Super dilectū innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo

A largiente ab exilio ad patriam transfert. Ipsa quippe ueritas omnibus fidelibus ait: Sine me nihil potestis facere. Vnde uerò acceperit ut ab infimis ad superiora, à deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus cùm subdit:

Sub arbore malo suscitaui te.

Quid per arborem malum, nisi sancta crux designatur? quæ malum illud sustinuit, de quo eadē sponsa in superioribus dicit: Sicut malum inter ligna syluarū, sic dilectus meus inter filios. Sed spō sam suā Christus sub arbore malo suscitauit, quia in cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad uitā uocauit, ut à somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifigens, ad nouam resurrectionem properaret. Vnde & Apostolus cuiuis animæ mortuæ B dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et quibusdam qui iam surrexerant, alibi dicit: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Sed quia infidelitas synagogæ Christum crucifixit, ideo sequitur:

Crux per arborem malum designatur

Ibi corrupta est mater tua.

Sub arbore malo mater Ecclesiæ corrupta esse dicitur, quia quando saluatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit. Cuius sceleris magnitudinem inculcat, cùm idem replicat dicens:

Ibi uiolata est genitrix tua.

Sed quoniam ad hoc cæcitas in Israel facta est, ut plenitudo gentium intraret, ideo intranti Ec- C clesiæ dicitur:

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

In corde sunt cogitationes, & in brachio operationes. Super cor ergo & super brachium sponsæ dilectus, ut signaculum, ponitur: quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, & uoluntate & actione designatur. Signum quippe sancta mens interius & exterius Christum portat, quia dum in eius meditationibus assiduè laborat, in exterioris actione eum imitari nō cessat, quo eius dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse sponsus discipulis suis aiebat: In hoc cognoscent omnes quia uerè mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem. De qua dilectione mox D subditur:

Dilectio est signū quo cognoscuntur ueri Catholici

Quia fortis est ut mors dilectio.

Bene proculdubio fortis ut mors dilectio esse perhibetur, quia dum per dilectionē à uitijs mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui sic diligunt deum, ut omnia uisibilia negligant, & dum in æterna mente tendūt, ad omnia temporalia penè insensibiles fiunt. In his nimirum ut mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio & naturali appetitu interficit, sic dilectio in talibus uiris omnia terrena desideria cōtemnere mentem alias intentā compellit. Huiusmodi mortuis & uiuis dicebat Apostolus: Mortui enim estis, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtis,& uita ueſtra abſcõdita eſt cũ Chriſto in deo. A Hi proculdubio uitam ſuam cum Chriſto abſcõdunt,quia dum omnia quæ uidemus poſtponũt, in his quæ nõ uidem⁹,in beatitudine ſcilicet Chriſti ueraciter & ſecretè uiuũt.Quia enim falſam uitam deſpiciunt,quæ uiſibiliter apparet,in uera uita ſe abſcondunt,quæ nõ niſi inuiſibilibus oculis ſe manifeſtat. Poteſt tamen intelligi ut hoc de ſeipſo Chriſtus dicat inquiens: Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum,ut ſignaculum ſuper brachiũ tuum:quia fortis eſt ut mors dilectio. Ac ſi diceret:Dignum eſt ut in mente & actione ſignum dilectionis meæ meipſum tecum feras, quia in fortitudine dilectionis tuæ mortem ſubij, ut tu quæ mortua in infidelitate eras,mecum reſurgẽs,in fidei nouitate ſpiritaliter uiuas. Sed quia in cruce ſuſpenſus nequaquam fuiſſet,niſi ad magnam inuidiam cor ſynagogæ exarſiſſet,ideo ſubditur:

Dura ut infernus æmulatio.

Æmulatio in bonum & in malũ accipitur

Æmulatio quippe & in bonum & in malũ accipitur. In bonum enim accipitur, ſicut per Apoſtolum dicitur: Æmulamini chariſmata meliora. In malum autem aſſumitur,ubi per Samuelẽ Sauli dicitur:Auferetur à te regnum,& dabitur æmulo tuo. Æmulus quippe eius Dauid dicitur, cui Saul inuidere non ignoratur.Dura eſt ergo ut infernus æmulatio, quia dũ ſynagoga Chriſtũ ad inferos poſſe trãſmittere ſe putauit,ei uſq; ad mortẽ corde immiſericordi inuidit. Vt infern⁹ æmulatio dura extitit, quia ſicut infernus ſine miſericordia quos tenet cruciat,ſic Iudaica plebs Chriſtum apprehendens ſine reſpectu pietatis ad mortem trahebat.De qua bene ſubditur:

Lampades eius, lãpades ignis atq; flammarum.

Sicut enim ignis quæ incendit, cõſumit, ſic Iudæos ab omni fidei uirtute inuidia ſua deſtruxit, de quibus bene alibi dicitur: Et nũc ignis aduerſarios conſumit.Ac ſi diceretur: Antequam ad æternum ignem ueniant, in præſenti cõſumuntur, quia in ſe ipſi ignem inuidiæ portant,qui ſine portantis combuſtione nõ portatur. Hic ignis inuidiæ flammas protulit,quando per exempla in quibus accenſus eſt,etiam in gentilibus uſq; ad Chriſtianorum martyria per mundum uniuerſum excreuit. Sed quia hinc ignis inuidiæ, hinc ignis charitatis ſe extulit,ideo ſubditur: D

Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem,nec flumina obruent illam.

Charitate quippe martyres ſancti uiuaciter ardebant, quia in dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant.Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantæcunq; tribulationes eis fierent, ad odium eos tranſmutare nõ ualebant.Hoc nimirum eſſet charitatẽ extinguere,ſi in tribulationibus quas ingerebãt, ad dei aut proximi odium eos humiliare potuiſſent. Sed cũ aquæ dictæ ſint, quid rurſum per flumina, niſi aquarum ipſarum incrementa & uiuacitas intelligitur? Flumina quippe uiuas aquas ſolere dici cognoſcimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus,quæ dum per totum orbem ſuper martyres ebullierunt, ad extinguẽdum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeo charitatis uigor uixit, ut potius flumina conſumeret, quàm ſe ab illis extingui permitteret,ideo multi etiam perſecutorum ad eandem charitatem ſe cõuertebant, ita ut dimitterẽt quicquid in mundo poſſidebant, & ſeipſos morti darent,quam prius patientibus crudeliter inferebant. Vnde & ſubditur: Tribulationes per flumina ſignificantur

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. B

Cum terrenæ ſubſtantiæ cupiditate deus nõ diligitur,quia terrenus amor oculum cordis ſordidat, ne diuina claritas uideatur. Contra quod in Euangelio dicitur:Beati mundo corde,quoniam ipſi deum uidebunt.Et Ioannes Apoſtolus ait: Si quis diligit mundum, nõ eſt charitas patris in eo. Nec mirum,quomodo enim eum diligere poteſt quẽ neſcit? Aut quomodo eum ſcit,ad quẽ ſciendum oculum cordis claudit? Sed homo omnem ſubſtantiã domus ſuæ pro dilectione tribuit,quãdo quicquid in mũdo poſſidet,pro Chriſto diſtribuit,ut abijciens quod impedit, deum diligat, & terſo puluere ſollicitudinũ,oculos aperiat, ut deũ C uideat.Et cùm omnem ſubſtantiam dederit, quaſi nihil eam deſpicit, quia poſtquam oculum terſit,& deum conſpexit, in illius uiſione quicquid poſſederat,nihilipendit. Hoc Apoſtoli fecerunt, qui nõ ſolum poſſeſſa, ſed etiam cupita, ut Chriſtum ſequerentur,dimiſerunt. Quibus ipſe Chriſtus,pro quo omnia dimiſerant, dicebat: Cũ feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis,dicite: Serui inutiles ſumus,quod debuimus facere, fecim⁹. Sed quoniã abiecta terrena ſubſtãtia nõ ſtatim ad perfectionẽ aſcenditur, quia rebus exterioribus abnegatis,reſtat etiam labor ut idẽ ipſe homo à ſe metipſo abnegetur,quatenus gradatim proficiat, & quãdoq; perfectus non ſolũ ſe, ſed & alios ſecũ ad uitam trahat,ideo de noua & tenera adhuc Eccleſia uel unaquaq; anima conſequenter dicitur:

Soror noſtra paruula eſt,& ubera nõ habet.

Ecclesia ſoror Chriſti uocatur

Sororẽ Chriſt⁹ Eccleſiã uocat,quia de (bet.] ipſis Apoſtolis dicebat:Ite, dicite fratribus meis. Soror autem paruula,ubera non habebat, quando in ſolis Apoſtolis Eccleſia erat,in quibus ſeipſam uel alios nutrire lacte prædicationis nõ poterat.Quid enim Petrus alijs prædicaret, cùm ſeipſum diſcipulũ Chriſti in unius ancillæ uoce deteſtãdo & iurãdo negaret? Prima ergo Eccleſia ubera nõ habebat,quia poſt reſurrectionẽ in una domo incluſa,inter perſecutores ſuos nõ dico prædicare,ſed & uideri timebat.Cõſequẽter ergo dicit:

Quid faciemus ſorori noſtræ in die quã do alloquenda eſt?

Allo-

Allocutus est Christus sororem suam, quando spiritum sanctum super Apostolos misit, & eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplici distributione docuit. Sed à quibus hoc quærere intelligendus est qui omnia nouit, nisi à sanctis patribus antiquis quos ad quærendũ spiritu sancto instigauit? Quibus eodem spiritu quo in quæstionem eos induxit, respondet protinus conuenienter, & ait:

Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.

Ecclia sancta murus dici potest

Dato spiritu sancto, murus sancta ecclesia efficitur, quia quæ prius timida erat, instruente eandem spiritu omnipotente, ad resistendum aduersarijs impenetrabiliter roboratur. Quod manifestat idem Petrus sub ancilla timidus, mox contra principes rigidus, quibus dicebat: Obedire oportet deo magis ꝙ hominibus. Et iterum: Si iustũ est uos potius audire ꝙ deum, iudicate. Nos enim nõ possumus quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Et de cæteris discipulis scriptũ est: Ibant discipuli gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ecce qualis murus facta est ecclesia, quæ modo tenerrima, nec pedem cuiuslibet gradientis sine sui læsione gerit, modo uerò accepto mirabili artifice spiritu sancto, uniuersi exercitus assultus illæsa contemnit. Super quam propugnacula ædificantur, quia ut non tantummodo se defendat, sed ut & impugnantes resistendo prosternat, miracula ei face re cõceditur, quæ cùm hostes uiderint, ab eius aggressione iacula timentes terreantur. Quæ propugnacula bene argentea esse perhibentur, quia ipsa miracula cum uerbi prædicatione donantur. Et quia argentum ualde sonorum est metallũ, argentea propugnacula existunt, quia per miracula factum est ut eorum uerba per uniuersum mundum conualescerent, & fidei prædicationem inflexibiliter circunquaq; diffunderent, quod manifestat Psalmista dicens: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Sequitur:

Si ostium est, cõpingamus illud tabulis cedrinis.

Ostium etiam bene esse Ecclesiã dicimus quam ab ipso Christo potestatem aperiendi & claudendi accepisse scimus. Ostium procul dubio in suis prædicatoribus existit, quia per eos aditus ad uitam se nobis aperit. Vnde & ipsi primo pastori Ecclesiæ dicitur: Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Vel ostium in ipso capite suo existit, quia ipse de se ueraciter dicit: Ego sum ostium. Ostium uerò tabulis cedrinis compingitur, quia sancta Ecclesia fidẽ prædicans multitudinibus populorũ decoratur, & dum populi uarijs uirtutibus asperguntur, ut uidelicet alius de rebus quas possidet, indigẽtibus necessaria tribuat, alius omnia abrijciens, etiã à legitimo connubio se abstineat, alius uerò tantum proficiat, ut

Virtutes diuersæ diuersis congruunt põpulis

A aliorum etiam prædicator fiat, tanquam pictura multis coloribus, sic ecclesia multis distinctionibus honestatur, quæ sancto spiritu conualescens hilariter respondet, dicens:

Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum corã eo quasi pacẽ reperiens.

Verba sua sicut turrim habuit, ex quo pacẽ coram sponso reperit, quia postquam sub ipso spiritum pacis accepit, prædicatores contemplatione altos, & robore inflexibiles nutriuit. Sed quid est quod non ait pacem, sed quasi pacem reperiens, nisi quia dum in hoc mũdo sumus, à peccatis omnimodis non desistimus, & quandiu cum peccato
B uiuimus, pacem perfectã cum illo qui sine peccato in carne uixit, non habemus? Sed quoniam tantillam pacem quam habemus, per ipsum mediatorem dei & hominũ tenemus, ideo subditur:

Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus.

Ipse uerò pacificus noster esse dicitur: quia per ipsum deo omne genus humanum recõciliatum est. Huic pacifico uinea fuit, quia in labore præceptorum carnalium synagogam plantauit, de qua dicitur: Vinea domini sabaoth domus Israel est. Quæ uinea in ea quæ habet populos extitit, quia in lege posita est, quæ multos populos ad se colle
C git. De quibus populis dicitur: Populi meditati sunt inania. Hanc uineã custodibus tradidit, quia synagogam Moysi & cæteris patribus custodiendam subiecit. De qua bene subditur:

Vir affert pro fructu eius mille argẽteos.

Christus botro cõparatus ex synagoga processit

Hæc uinea fructum protulit, quia ex synagoga botrus ille magnus, qui de terra promissionis allatus est, Christus uidelicet Iesus, per humanitatem processit. De quo fructu pater ad Dauid ait: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Vnde & Apostolus scribit: Quorum patres sunt, & ex quibus Christus. Per argenteos uerò in hoc loco omnem terrenam substantiam intelligimus de qua Petrus eleemosynam petenti claudo dicebat: Argentum & aurum nõ est mihi. Pro fructu ergo uineæ uir mille argenteos affert, quia quisquis uiriliter in fide quam suscepit se habet, libenti men-
D te & perfectè omnia terrena dimittit, ut Christum ueraciter habeat. Millenarius enim perfectus est numerus, ideo per eum perfectio rei cuiuslibet demonstratur. Hos argenteos in primitiua Ecclesia illi ferebant, de quibus in actibus Apostolorũ scriptum est: Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, uendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorũ precia eorum quæ uendebãt. Isti congregati aliam uineam uidelicet sanctam Ecclesiam ex seipsis cõstruxerunt, & ut boni agricolæ, sanguine suo propagauerũt, & prædicationibus usq; ad fines terræ dilatauerunt, ut iam mundum penè uniuersum impleat, & fructum gratum locata agricolis suis temporibus reddat. Vnde in Euangelio dicitur: Malos malè perdet, & uineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. De qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

uinea iam bonis locata ipſe pacificus dicit:

Vinea mea coram me eſt.

Coram ipſo uinea ſua exiſtit, quia perditis malis agricolis, ſanctam Eccleſiam per bonos doctores reſpectu benigno erudit. Cui dicit:

Mille tui pacifici, & ducenti iſis qui cuſtodiunt fructus eius.

Qui ſunt iſti pacifici, qui mille dicuntur eſſe & ducēti, niſi illi ſuperiores argentei, quos dum perfectè dimittimus, pacem per eorum diſtributionē cum ſanctis nobiliſsimis acquirimus? Vnde & in Euangelio dominus præcipit. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Sed quid per ducentos intelligimus, niſi duplicem retributionem quam acquirimus, dum in hoc mundo perfectè pro Chriſto omnia terrena cōtemnimus? Mille ergo & ducenti Eccleſię argētei exiſtūt, quia dum fideles quique omnia quæ poſſident, ex toto relinquunt, & pacem ſibi cum ſanctis faciūt, & præſentis uitæ remunerationem cum cœleſti percipiunt. Et hoc eſt quod dñs in Euangelio ait: Amen amen dico uobis, nemo eſt qui reliquerit domū, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrē, aut filios, aut agros, propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc domos & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro uitam æternam. Sed quibus iſta remuneratio ſic duplicatur, niſi his qui cuſtodiūt fructus eius? Qui ſunt autem qui fructus uineæ cuſtodiunt, niſi illi qui in ſancto opere quod inceperunt, ut perſeuerantes exiſtunt? Opus em̄ quod ſancto deſiderio incipitur, ſi conſtantia mentis uſq; ad finem non tenetur, ſine fructu habetur: quia immaturè ab hoc unde proceſſerat uacuatur. Ideoq; dominus in Euangelio ait: Qui perſeuerauerit uſq; in finem, hic ſaluus erit. Sequitur ſponſus & dicit:

Bona tēporalia propter deū relinquentes inæſtimabilem recipiēt retributionem.

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire uocem tuam.

Sponſa in hortis habitat, quia ſancta Eccleſia uel quælibet ſancta anima in fructificatione uirtutum mentem uerſat. Cuius uocem ſponſus audire deſiderat, quia in hoc ſummopere Chriſto placet, ut perfect⁹ quilibet uir infirmos quoſq; uerbo ſanctæ prædicationis admoneat. Amici enim auſcultant, quia fideles in Eccleſia ut amicus ſponſi loquatur, pio deſiderio expectant. Et notandum, q⁹ amicus eſt qui auſcultat, quia qui deum mente integra diligit, prædicantem quem diligit, libenter audit. Vnde in Euangelio dicitur: Qui eſt ex deo, uerba dei audit. Sed quia dum eccleſia ueritatem prædicat, multi non intelligunt: multi quod percipiunt, prauo intellectu ſubuertūt: ideo admonenti ut prædicet, reſpondet ſponſa, & dicit:

Prædicator amatus libēter auditur

Fuge dilecte mi, & aſsimilare capreę hinnuloq; ceruorum ſuper montes aromatū.

Dilectus fugit, quia à reprobis cordibus ſe, ne intelligatur, abſcondit. Dum enim reprobæ mentes ad audienda uel legenda uerba dei, peruerſa intentione accedūt, digno iudicio ueritatem non inueniunt, quam indigno appetitu requirūt. Vnde & ipſa dei ſapientia dicit: Quærent me mali, & non inuenient. Sed fugiens reprobos dilectus montes aromatum petit, quia peruerſos dimittens, ſanctas animas uiſitare non deſinit, quæ & per contemplationem excelſæ fiunt, & per confectiones uirtutum odorifera unguenta ſecum ferunt. Super hos montes dilectus capreæ & hinnulo ceruorum aſſimilatur, quia in cordibus ſanctorum uirorum manifeſtatur quàm pia charitate humanitatem pro nobis aſſumpſit. Qui dum ex patribus antiquis natus fuit, quaſi ex ceruis hinnulus, ſicut dictum eſt ſuperius, uenit. Qui dum eſſet diues, pauperem ſe, ut nos ditaremur fecit, & dum eſſet ſuper omnia excelſus, humilitatem noſtram ineffabili dignatione ſuſcepit. Cui immenſas gratias quoaduſq; uiuimus reddamus, cui pro nobis in mortem tradito, & reſurgenti in immortalitatem, noſipſos & ſpiritum & corpus debemus: Qui uiuit & regnat cum deo patre in unitate ſpiritus ſancti deus, per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Chriſtus peruerſos dimittit ſanctos uiſitat

Expoſitionis B. Gregorij papæ, ſuper Cantica canticorum finis.

PRAEFATIO BEATI GREGORII PAPAE IN HOMILIAS ſuper Ezechielem prophetam.

Dilectiſſimo fratri Mariano Epiſcopo Gregorius ſeruus ſeruorum dei. Homilias quæ in beato Ezechiele propheta, ut coram populo loquebar, exceptæ ſunt, multis curis irruentibus in abolitione reliqueram. Sed poſt annos octo pe tentibus fratribus notariorum ſchedulas requirere ſtudui, easq; fauente domino tranſcurrens, inquantum ab anguſtijs tribulationum licuit, emendaui. Tua itaq; dilectio has ſibi ad legendum miti popoſcerat, ſed ualde incongruum credidi, ut aquam deſpicabilem hauriret, quem conſtat de beatorum patrum Ambroſii atq; Auguſtini torrentibus profunda ac perſpicua fluenta aſſiduè bibere. Sed rurſum dū cogito quòd ſæpe inter quotidianas delicias etiam uiliores cibi ſuauiter ſapiunt, tranſmiſi minima legenti potiora, ut dum cibus groſſior uelut pro faſtidio ſumitur, ad ſubtiliores epulas auidius redeatur.

Homilia prima.

DEI omnipotentis aſpiratione de Ezechiele propheta locuturus, prius debeo tempora et modos aperire prophetiæ, ut dum acceſſus eius oſtenditur, uirtus melius cognoſcat. Prophetiæ tempora tria ſunt, ſcilicet præteritum, præſens, & futurum. Sed ſciendum eſt quòd in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit. Quia cùm ideo

Prophetia unde dicitur

ideo prophetia dicta sit, q̃ futura prædicat, quando de præterito uel præsenti loquitur, rationẽ sui nominis amittit: quoniam non prodit quod uenturum est, sed uel ea memorat quæ transacta sunt, uel ea quæ sunt. Quæ tamen tria prophetiæ tẽpora uerius loquimur, si ex sacræ scripturæ testimoniis ostendamus. Prophetia de futuro est: Ecce uirgo cõcipiet, & pariet filiũ. Prophetia de præterito: In principio creauit deus cœlum & terrã. De illo enim tẽpore dixit homo, quo non erat homo. Prophetia de præsenti est, quando Paulus Apostolus dicit: Si autem omnes prophetent, intret aũt quis infidelis uel idiota, cõuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit dominum, pronunciãs quòd uerè deus in uobis sit. Cùm igitur dicitur: Occulta cordis eius manifesta fiunt: profectò monstrat, quia per hunc modum prophetiæ spiritus non prædicit quod futurũ est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto prophetiæ dicatur spiritus, qui nihil futurum indicat, sed præsens narrat? Qua in re animaduertendum est quòd rectè prophetia dicit, non quia prędicit uentura, sed quia prodit occulta. Rem quippe quamlibet sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in præsenti subtrahit causa. Ventura etenim res occultat in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde. Est etiam prophetia præsens, cùm res quælibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, quæ tamen per spiritum denudat. Et ibi fit præsens prophetãtis animus, ubi per præsentiã nõ est corpus. Nã Giezi longè à propheta recesserat, cùm Naam Syri munera percipiebat, cui tamen idem propheta dicit: Nónne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tibi? Sciendũ quoq; est, quia prophetiæ tẽpora inuicem sibi concinunt, ad probationem, ut aliquando ex futuris præterita, aliquando uerò ex præteritis probentur futura. Dixerat enim Moyses: In principio creauit deus cœlum & terrã. Sed quis crederet, quia uerũ de præterito diceret, si de futuro etiam aliquid nõ dixisset? In ipsius etenim libri fine, in cuius exordio illa de præterito dixerat, aliquid prophetiæ per Iacob uocem de uenturis permiscuit, dicens: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Qui etiam per semetipsum eundem qui mittendus erat, ei quem ducebat populo prophetauit, dicens: Prophetã suscitabit uobis dominus deus uester de fratribus uestris, tanquam me, ipsum audietis. Erit autem, quicunque non audierit prophetã illum, exterminabitur de populo suo. Cur ergo præteritis uentura permiscuit, nisi ut dum implentur ea quę de futuro prædiceret, ostenderet etiã quia de præterito uera dixisset? Quia itaque docuimus qualiter ex futuro prophetiæ probentur præterita, restat nunc ut adhuc de sacris eloquijs ostendamus, quomodo in ipso prophetiæ spiritu ex præteritis probentur futura. Certè rex Babylonicus cùm somnium uidisset, misit ad magos & hariolos, omnesq; sapientes Babilonię conuocauit, nec ab eis solummodo interpretationem somnij, sed etiã somnium quæsiuit, Vt nimirum ex præterito colligeret, si quid in eorum responsionibus de uenturo certum teneret. Qui cum dicere nulla potuissent, Daniel deductus ad mediũ est, qui de interpretatione somnij & de narratione requisitus, non solum hoc respondit quod interrogatus est, sed ipsam somnij originem replicauit, dicens: Tu rex cœpisti cogitare in stratu tuo quid esset futurum post hæc. Et paulo post: Tu rex uidebas, & ecce quasi statua una grandis, &c. Cuius uidelicet somnij mox ut ordinem dixit, quicquid ex eodem uenturum sequebatur, aperuit. Pensemus ergo ordinem prophetiæ. A cogitationibus uenit ad somnium, à somnio peruenit ad futura. Qui ergo ipsam, ut ita dicam, radicem somnij protulit, profecto ex præteritis probauit quòd uera essent quæ de futuris diceret. Prophetia autem præsentis temporis, nec præteriti attestatione indiget, nec futuri: quia cùm res occulta per prophetiæ uerba detegitur, ueritati illius res ipsa quæ ostenditur attestatur. Igitur quia de temporibus prophetiæ tractauimus, restat ut de modis eius ac qualitatibus aliqua disseramus. Spiritus quippe prophetiæ nec semper, nec eodem modo prophetæ animum tangit. Aliquando enim spiritus prophetiæ ex præsenti tangit animum propherantis, & ex futuro nequaquam tangit: aliquando ex futuro tangit, & ex præsenti nõ tangit. Aliquãdo uero ex præsenti & ex futuro tangit, aliquãdo autẽ ex præterito & ex præsenti atq; futuro pariter tangitur animus prophetantis. Aliquando tangit ex præterito prophetiæ spiritus, nec tangit ex futuro: aliquãdo aũt tangit ex futuro, nec tangit ex præterito. Aliquando uero in præsenti ex parte tangit, & ex parte non tangit: aliquando in futuro ex parte tangit, & ex parte non tangit. Sed hæc ipsa si possumus eo ordine quo præmissa sunt sacræ scripturæ testimoniis ostendamus. Ex præsenti enim prophetiæ spiritus prophetantis animum tangit, atq; ex futuro non tangit, sicut Ioannes baptista uenientem dominum uidens, ait: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed cum iam moriturus esset missis discipulis requirebat dicens: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? In quibus uerbis ostenditur quia in terris quidem uenisse redemptorem nouerat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitabat. Ex præsenti enim prophetiæ spiritu tactus fuerat, qui humanitatem mediatoris uidens, & diuinitatem eius intelligens, confitebatur agnum qui peccata mundi tolleret. Sed tactus ex futuro non fuerat, quia aduentum illius in inferno nesciebat. Aliquando uero prophetiæ spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, atque ex præsenti non tãgit, sicut apertè libri Geneseos historia testatur cùm Isaac Esau filiũ suum ad uenandum misit, cui minorẽ filiũ Rebecca ad benedicendũ suppositit, qui

Esa.7
Gen.1
1.Cor.14
Dan.2
Deut.18
4.Reg.5
Gen.1
Gen.49
Ioan.1
Gen.27

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui hœdinis pellibus indutus paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille minori filio tanquam maiori benedictionē dedit, quæq; ei essent longè futura, nunciauit, sed quis esset qui coram se assisteret, scire non potuit. Prophetiæ ergo spiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atq; ex præsenti non tetigit, quando caligantibus oculis pater & uentura prædicebat, & præsentem filium nesciebat. Aliquando prophetantis animū ex præsenti pariter & ex futuro tangit, quod ex eo
Gen.48 dē libro Geneseos liquidò docemur. In illo quippe scriptum est, quia cùm ad uitæ iam terminum propinquaret Iacob, & duos filios suos Ioseph fecisset assistere ante eum, ut ex benedictione illius possent longè pòst futura promereri, cui maiorē ad dexteram, minorem uerò posuit ad sinistram. Cunq; ille oculis senectute caligantibus, nepotes suos, quis prior, quisue esset minor, humano uisu discernere nequaquā posset, ductis in obliquum brachijs, dexteram manum minori, sinistram maiori imposuit. Quod dum corrigere filius uellet, ait: Non ita conuenit pater, quia hic est primogenitus. Audiuit: Scio fili mi: scio. Et iste quidem erit in populos & multiplicabitur, sed frater eius iunior maior illo erit. Prophetiæ ergo spiritus ex præsenti pariter & ex futuro prophetantis animū tetigit, dum Iacob & uentura nunciabat, & eos quos corporeis oculis uidere non poterat, ante se positos, per spiritum discernebat. Sic Ahiæ prophetę animā ꝓphetiæ spiritus & ex præsenti, atq; ex futuro tetigerat, cùm caligantibus oculis eam quæ se esse aliam simulabat, & uxorem Hieroboam esse cognouit, & quicquid ei futurū esset, ape-
3.Reg.14 ruit, dicens: Ingredere uxor Hieroboam, quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te, durus nuncius. Vade & dic Hieroboam, hæc dicit dñs Deus Israel: Quia operatus es malè super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam prouocares: me aūt proiecisti post corpus tuū, idcirco ego inducā mala super domū Hieroboā. Ex præsenti ergo atq; ex futuro pariter prophetantis animus tactus fuerat, qui & ingredientem deprehendere potuit, & ei uentura nunciare. Aliquando aūt ex præterito, & ex præsenti, atq; ex futuro pariter animus tangit prophetantis, sicut Elizabeth uenire ad se Mariam conspiciens, quia incarnatum uerbum gestaret in utero, agnouit: eamq; iam do-
Lucæ 1 mini sui matrem uocauit, dicens: Vnde hoc mihi,
Mat.1 ut ueniat mater domini mei ad me? De cuius conceptione per angelum quoque ad Ioseph dicitur: Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Quæ uidelicet Elizabeth dicit: Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à dño. Dicens enim, Beata quæ credidisti: apertè indicat quia uerba angeli quæ dicta ad Mariā fuerant, per spiritum agnouit, atq; subiungens: Perficientur ea quæ sunt dicta tibi à dño, quæ eam in futuro sequerentur, præuidit. Simul ergo de pręterito & præsenti atq; ex futuro per prophetiæ spiritū tacta est, quę & eam promissionib, angeli credidisse cognouit, & matrem nominans, quia redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit. Et cùm omnia perficiēda prædiceret, quid etiam de futuro sequeretur, aspexit. Aliquādo uerò prophetiæ spiritus ex præterito tangit animū, nec tangit ex futuro, sicut in Paulo apostolo apertè ostēditur, qui discipulis dicit: Notum uobis facio fra- Gal.1
tres Euangeliū quod euāgelizatum est à me, quia non est secundum hominē, neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationē Ephes
Iesu Christi. Vnde alijs quoq; discipulis dicit: Secundum reuelationem notum factum est mihi sacramentum. Qui tamen hoc ipsum Euangelium quod per reuelationem cognouerat, cùm Hiero Acto.20
solymam prædicaturus ascenderet, ait: Ecce ego alligatus spiritu uado in Hierusalem, quę in ea uētura sunt mihi ignorans. Hoc quippe Euangelij sacramentum est, quia unigenitus patris incarnatus atque perfectus homo factus est, qui crucifixus, mortuus & sepultus, die tertia surrexit: die quoque quadragesima ascendit in cœlum, atque in dextra patris sedet. Qui ergo per reuelationem Euangelium agnouit, prophetiæ spiritu de pręterito tactus est: sed quia quid pro eodem Euangelio passurus esset, ignorabat, de futuro procul dubio tactus non est. Nam sic dicit: Nisi quod spiri- Ibidem
tus sanctus per omnes ciuitates protestatur mihi dicens: Quoniam uincula & tribulationes Hierosolymis me manent. Apertè ostenditur, quia ea quæ ipsi futura essent, alijs de ipso reuelata erant, non autem ipsi de se, sicut de illo per Agabum di- Acto.21
citur: Virum cuius hæc zona est, ita alligari oportet in Hierusalem. Aliquando autem prophetiæ spiritus tangit ex futuro, nec tangit ex præterito, sicut in Helisæi facto scriptum est, quia cum unus 4.Reg.6
ex filijs prophetarum materiam succideret, huic ferrum securis in aquam cecidit, qui exclamauit: Heu heu domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo dei: Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc, natauitq; ferrum. In quo uidelicet prophetæ facto cognoscitur, quia qui requirit ubi ceciderat, quid esset facturus nouerat: sed tamen cùm requirit, constat quia ubi ferrum cecidisset, ignorabat. Prophetiæ ergo spiritus Helisæi mentem ex futuro tetigerat, sed ex pręterito non tangebat: qui & ferrum ex profundis dimersum quia reuocaturus esset ad superficiem, scire potuit, sed ubi ceciderat, omnino nesciuit. Aliquando uerò prophetiæ spiritus in præsenti ex parte tangit, & ex parte non tangit. Quod Petri Apostoli historia testatur: cùm missi ad eum à Cornelio milites, ei sunt per spiritum nunciati. Scriptū quippe est: Et dixit spiritus ei: Ecce uiri tres quærunt te. Ad Acto.10
quos ille descendit, & requirens dixit. Quę causa est propter quam ueniſtis? In cuius uerbis ostenditur quia eandem causam per spiritum non audierat, quam à militibus requirebat. In præsenti ergo mentē Petri spiritus ex parte tetigerat, & ex parte non tetigerat, qui & adesse milites dixit, & pro qua causa uenerāt, tacuit. Aliquando spiritus

prophe-

prophetiæ in futuro ex parte tangit, & ex parte non tangit, sicut prophetarũ filij de auferẽdo Helia ad Helisæum dicũt: Nunquid nosti quia hodie dominus tollat dominum tuum à te? Quo tamen ablato, sese per diuersa dispergunt, eumq; in rupibus & uallibus quærunt. In futuro ergo eorũ mentem prophetiæ spiritus ex parte tetigerat, & ex parte non tangebat, quando eum quem tollendum nouerant, non inueniendum quærebant. Ex parte itaq; tacti sunt, atq; ex parte non tacti: qui & sciebant quòd tolli posset, & nesciebant quòd inueniri non posset. Idem quoq; Helisæus per prophetiæ spiritũ de futuro ex parte tactus est, & ex parte non tactus, cùm regi Israel diceret: Percute iaculo terram. Et cùm percussisset tribus uicibus, & stetisset, iratus est contra eum uir dei, & ait: Si percussisses quinquies aut sexies siue septies, percussisses Syriam usq; ad consumptionem: nũc autem tribus uicibus percuties eam. Qui itaq; nouerat quia totiens percuteret Syriam, quotiens percussisset terram, sed cùm ei diceret: Percute terram, quotiens eam percussurus esset, ignorabat: quippe & indignatus est terram tertiò fuisse percussam, profectò cõstat quia de futuro ex parte tactus fuerat, & ex parte non tactus, qui Syriã percuti prædixit, sed terram amplius percuti uoluit. Sic Samuel cùm ad ungendum Dauid à domino mitteretur, respondit: Quomodo uadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Qui & Dauid unxit, nec tamẽ à Saule occisus est. Ex parte ergo de futuro tactus prophetæ animus fuerat, & ex parte non tactus, qui & ungendum Dauid in regno nouerat, & quia à Saule nõ esset occidendus ignorabat. Sciendum quoque est quòd prophetæ quidam è proximo tangunt, atq; è longinquo minimè tangunt. Alij uerò è longinquo, & non tanguntur è proximo. Alij autem & è longinquo & è proximo prophetiæ spiritu tangunt. Nam quidam tangunt è proximo, & nõ è longinquo, sicut Samuel perisse asinas nouerat, easq; inuentas esse nunciabat. Saul regem futurum prædicit: Dauid quoq; quia in eius regno succederet, nunciat, sed quia pater regis æterni futurus sit, non prædicit. Quidam uerò tanguntur è longinquo, & non tanguntur è proximo, sicut idem Dauid incarnandũ dei unigenitum nouerat, de Iudæa dicens: Homo factus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus. Atq; hunc ad cœlos ascensurum, & ad patris dextram sessurum intelligit dicẽs: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Et tamen multa quæ è uicino acta sunt, minimè præuidit. Vt enim pauca de multis loquar, seruũ Miphiboseth Sibam contra suum dominum mentientem nõ intellexit, & Amasæ promittens dicit: Hæc faciat mihi deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris corã me omni tempore pro Ioab: uidelicet quid sequeretur, ignorans: quia Amasa idem non solum principatum militiæ pro Ioab non susciperet, sed etiam per Ioab post paululum uitam finiret. Et cùm templum deo cõstruere uoluit, quid è uicino sequeretur, nesciens, prophetã alterũ requisiuit. Quidam uerò è longinquo tanguntur, & è proximo: sicut Esaias longè post futura prænunciauit, dicens: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium: & uocabitur nomẽ eius Emanuel. De quo rursus ait: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Qui etiam de Ezechia rege prophetiæ spiritu tactus è uicino, quia de infirmitate sua surgeret, prędixit: & quot annis post infirmitatem uiueret, nunciauit. Aliquando enim prophetiæ spiritus prophetis deest, nec semper eorum mentibus prẽstò est, quatenus cum hunc non habent, & hunc agnoscant ex dono habere cum habent. Vnde Helisæus cum flentem, Sunamitem mulierem à suis pedibus per Gyezi puerum auelli prohiberet, dixit: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Sic quoq; cum eũ Iosaphat de futuris requireret, & prophetiæ ei spiritus deesset, psaltem fecit applicari, ut prophetiæ ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descẽderet, atq; eius animum de uenturis repleret. Vox etenim psalmodię cùm per intentionem cordis agitur: per hanc omnipotenti domino ad cor iter paratur, ut intentæ menti, uel prophetiæ mysteria, uel compunctionis gratiam infundat. Vnde scriptum est: Sacrificium laudis honorificauit me, & illic iter est quo ostendam illi salutare dei. Quod enim Latinè salutare, hoc Hebraice Iesus dicitur: In sacrificio igitur laudis fit Iesu iter ostensionis, quia dum per psalmodiam compunctio effunditur, uia nobis in corde fit, per quam ad Iesum in fine peruenitur sicut ipse de sua ostensione loquitur dicens: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum. Hinc quoq; scriptum est: Cantate domino, psalmũ dicite nomini eius, iter facite ei qui ascendit super occasum, dñs nomen est ei. Ipse etenim super occasum ascẽdit, qui mortem resurgendo calcauit. Cui dum cantamus, iter facimus, ut ad nostrum cor ueniat, & sui nos amoris gratia accendat. Quia autem prophetis prophetiæ spiritus non semper adest, etiam uir dei indicat, qui contra Samariã missus, mala quæ ei uentura erant, nunciauit: qui tamen prohibitus à domino in uia comedere, prophetæ falsa persuasione deceptus est, quem fallax sermo non deciperet si prophetiæ spiritum præsentem habuisset. Sciendum quoq; quòd aliquãdo prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quędam ex suo spiritu proferunt, & se hæc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur: sed quia sancti sunt, per sanctum spiritum citius correcti, ab eo quæ uera sũt audiũt, & semetipsos quia falsa dixerint, reprehendũt. Nathã etenim ꝓphetã sanctũ uirũ fuisse, quis nesciat? Qui Dauid regẽ & de culpa apertè reprehẽdit, & quæ ei pro culpa eadẽ essent uentura, nũciauit: quẽ tamen dum idẽ Dauid quia templũ deo uellet cõstruere, requisisset: ilico respõdit:

4.Reg.2 Esa.7 Esa.9 Esa.38 4.Reg.3 4.Reg.4 4.Reg.5 Psal.49 Ioan.14 Psal.47 3.Reg.13 1.Reg.15 1.Reg.10 1.Reg.9 1.Reg.15 Psal.86 Psal.109 2.Reg.16 2.Reg.20 2.Reg.7

Omne

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Reg.7 Omne quod est in corde tuo, uade & fac, quia dominus tecum est. De quo illic statim subditur: Factum est autem in nocte illa, & ecce sermo domini ad Nathan dicens: Vade & loquere ad seruum meum Dauid. Hęc dicit dominus deus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neq; enim habitaui in domo ex die qua eduxi filios Israel de terra Aegypti usq; in diem hanc. Et paulopost: Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo. Ecce Nathan propheta qui prius regi dixerat: Vade & fac: postmodum prophetiæ spiritu edoctus, hoc fieri non posse denuncians, & regis consilijs & suis sermonibus contradixit: quia quod ex suo spiritu dixerat, falsum fuisse deprehendit. Qua in re inter prophetas ueros ac falsos ista distãtia est, quia prophetæ ueri si quid aliquando per suum spiritũ dicunt, hoc ab auditorũ mentibus per spiritum sanctum eruditi citius corrigunt. Prophetæ aũt falsi, & falsa denunciãt, & alieni à sancto spiritu, in sua falsitate perdurant. Consideratis igitur prophetię temporibus & modis, intueri libet qualiter omni potens deus ad profectum hominum iræ suæ moderamina dispensat. Israeliticus quippe populus conditori suo deliquerat, & idcirco regi Babylo-
Eze.3 nio in captiuitate seruiebat, cũ quo tamen Ezechiel propheta in captiuitatem mittitur, quẽ diuina gratia ita sibi placabilem fecerat, ut per eum uentura quæq; prædiceret, & afflicti populi mentem consolari dignaretur. Cõsideremus ergo, si possumus, quanta est dispensatio supernæ pietatis, quia sic iratus est populo suo dominus, ut tamen omni modo non irasceretur. Nam si iratus non esset, in captiuitatem populũ minimè tradidisset, & si omni modo iratus esset, electos suos in captiuitatem cum illo nõ mitteret. Sed agit hæc diuina misericordia, ut ex una eademq; re ex qua carnalib. dat flagellum, ex ea spiritalib. uirtutis præstet incrementũ. Cunctos illos per tribulationem purgat, istos ex societate tribulantium ad maiora promerenda excitat. Et sic iniustis irascitur, ut tamen eorum corda per iustorum consortium consoletur, ne si omnimodo deserat, nullus post culpas ad ue D niã redeat. Tenendo igitur repellit, & repellendo tenet, quando cum his quos dijudicat, simul in tribulationem mittit quos amat. Quis ista tanta pietatis uiscera pensare sufficiat? quòd & culpas populi dominus sine uindicta non deserit, & tamen
Nu. 13 &14 delinquentem populum à se fundítus non repellit. Sic cùm Moyses ad repromissionis terrã explo ratores duodecim misisset, ex quibus cùm decem postmodum desperationẽ populo facerent, idem populus in ira murmurationis accensus, seductũ se à domino esse conquestus est, ut eius cadauera iacerent in deserto. Cui omnipotens deus iratus, dixit quòd nullus eorum in terram repromissionis intraret. Quo terrore compuncti, praue è se egisse cognouerunt, sese in lachrymis afflixerunt, & accincti armis, protinus cœperunt contra ho- A stes ascendere, ut repromissionis terram post lachrymas intrare potuissent. Quibus per Moysen dominus dicit: Dic eis, nolite ascendere, neq; pugnetis, nõ enim sum uobiscum, ne cadatis coram inimicis uestris. Qua in re pensandum est, si cum ipsis non erat, cur eos ne caderent, ascendere prohibebat? Si autẽ cum ipsis erat, quid est quod ait: Non enim sum uobiscum? Sed mira dispensatione disciplinæ ac misericordiæ, & cum ipsis erat, & cum ipsis non erat. Cum ipsis non erat ut uincerent, sed tamen cum ipsis erat, ne ab hostibus perirent. O ineffabilia pietatis uiscera. Culpas insequitur, & tamen peccantes protegit. Iratum se indicat, & tamen ab hostibus defendit. Sic plerunq; B paruulo filio delinquenti irascitur mater, reprehẽdit, increpat, uerberat: sed si hunc in præceps ire conspexerit, ubi in mortis periculum ruat, manũ tendit & retinet: & quæ sic irata uerberauerat, ac si non diligeret, sic diligẽter retinet, ac si irata non uerberasset. Hæc in sola præfatione colloquẽtes, nauigij nostri quasi intra portum exercitium fecimus, ut ad indagãda prophetiæ mysteria uelut in immẽsitate pelagi post uela pandamus. Quod tamen non in nostra uirtute præsumimus, sed in eo qui linguas infantium fecit disertas. Quia spiritus domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod cõtinet omnia, scientiam habet uocis. Omnipotens enim deus, sermo patris omnipotentis est. Et qui de illo loqui cõcupiscimus, muti in illo nullo mo- C do erimus. Dabit enim uerba utilia omnipotens uerbũ, quod pro nobis incarnatũ uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus per omnia secula seculorum, Amen.

Homila secunda.

IN factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mẽsis, cùm essem in medio captiuorum iuxta fluuiũ Chobar, aperti sunt cœli, & uidi uisiones dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus trãsmigratiõis regis Ioachim, factum est uerbum domini ad Ezechielem, filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar. Et facta est super eum ibi manus domini. Et uidi, & ecce uentus turbinis ueniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis. Et in medio eius similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

VSus propheticę locutionis est, ut prius personam, tempus locumq; describat, & postmodum dicere mysteria prophetiæ incipiat, quatenus ad ueritatem solidius ostendendam antè historiæ radicem figat, & pòst fructus spiritus per

signa

Universidad de Deusto Biblioteca

ſigna & allegorias proferat. Ezechiel itaq; ætatis ſuæ tempus indicat, dicens: Et factum eſt in tricesimo anno, in quarto menſe, in quinta menſis.] Locũ quoq; denuncians adiungit: Cùm eſſem in medio captiuorum iuxta flumen Chobar, aperti ſunt cœli, & uidi uiſiones dei.] Tempus etiam inſinuat, ſubdens: In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus transmigrationis regis Ioachim.] Qui ut bene perſonam indicet, etiam genus narrat cùm ſubditur: Et factum eſt uerbum domini ad Ezechielem, filium Buzi, ſacerdotem.] Sed prima quæſtio nobis oritur, cur is qui nihil adhuc dixerat, ita exorſus eſt dicens: Et factũ eſt in tricesimo anno:] Et nanq; ſermo cõiunctionis eſt, & ſcimus quia non cõiungitur ſermo ſubſequẽs, niſi ſermoni præcedẽti. Qui igit̃ nihil dixerat, cur dicit: Et factũ eſt.] cùm non ſit ſermo cui hoc quod incipit ſubiũgat: Qua in re intuendum eſt, quia ſicut nos corporalia, ſic prophetæ ſenſu ſpiritalia aſpiciũt, eisq; & illa ſunt præſentia, quæ noſtræ ignorãtię abſentia uident. Vnde fit ut in mẽte prophetarũ ita cõiuncta ſint exteriorib. interiora, quatenus ſimul utraq; uideãt, ſimulq; in eis fiat & intus uerbũ quod audiunt, & foras quod dicũt. Patet igitur cauſa cur qui nihil dixerat, inchoauit dicens: Et factum eſt in tricesimo anno.] Quia hoc uerbũ quod foris protulit, illi uerbo q̃d intus audierat, coniunxit. Continuauit ergo uerba quæ protulit, uiſioni intimæ: & idcirco incipit dicens:

Et factum eſt.] Subiunxit eñ hoc quod exterius loqui inchoat, ac ſi & illud foris ſit, q̃d intus uidit. Hoc aũt quod dicitur, quia tricesimo anno ſpiritum prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis conſiderandũ, uidelicet quia iuxta rationis uſum doctrinæ ſermo nõ ſuppetit, niſi in ętate perfecta.
Lucæ 2 Vnde & ipſe dñs anno duodecimo ætatis ſuæ in medio doctorũ in tẽplo ſedens, nõ docens, ſed interrogans uoluit inueniri. Vt enim non auderent homines in infirma ętate prędicare, ille anno duodecimo ętatis ſuæ interrogare homines eſt dignatus in terra, qui per diuinitatẽ ſuam ſemper angelos docet in cœlo. Quia enim ipſe eſt dei ſapiẽtia, de ipſo angeli uidendo uiuunt, hoc quòd beatitudine æterna ſatiantur. Quod Moyſes quoque ſub
Deut. 15 allegoriæ myſterio admonet dicens: Non arabis in primogenito bouis. Primogenitum enim bouis accipimus in infirma ætate primi noſtri temporis bonam operationem. In qua tamen arandũ nõ eſt, quia cùm prima ſunt adoleſcẽtię uel iuuentutis noſtræ tempora nobis adhuc à prędicatione ceſſandum eſt, ut uomer linguæ noſtrę proſcindere non audeat terram cordis alieni. Quoadu ſcq; etenim infirmi ſumus, continere nos intra noſmet ipſos debemus, ne dum tenera bona citius oſtendimus, amittamus: quia & arbuſta plantata ſi prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius areſcũt: at ſi ſemel radicem fixerint, manus tangit, & tamen nihil officit, uenti impellunt, nec tamen impellẽtes lædunt. Et cõſtructi parietes ſi impellantur, eruunt̃, niſi à ſuo prius fuerint humore ſiccati. Mẽs itaq; quouſq; ab humore prauitatis ſuæ perfectè non fuerit exiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne priuſquam plenè percipiat, perdat ſoliditatem ſuam, ne impulſa ruat, ne uelut arbuſtum ſine radicibus dum pluſquam tolerare ualet concutitur, areſcat. Ad exemplum ergo non ſunt oſtendenda, niſi quæ firma ſunt. Prius etenim conualeſcere debet mens, atq; ad utilitatem proximorum poſtmodum demonſtrari, cum iam nec per laudem eleuata corruat, nec per uituperationem percuſſa contabeſcat. Nam etſi Timotheo dicitur: Præcipe hæc & doce, nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſciendum eſt quòd in ſacro eloquio nonnunquam adoleſcentia iuuentus uocatur. Vnde ſcriptum eſt: Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Profecto igitur ut oſtendatur cuius auctoritatis ſit in prædicatione, ætatis ſolidæ eſſe deſcribitur, quatenus ei cum uita & ſpiritu omnia quæ ad prædicandum congruunt, concordare uideantur. Nec contra hæc quempiam mouere debet quòd Hieremias atq; Daniel prophetiæ ſpiritũ pueri perceperunt, quoniam miracula in exemplo operationis non ſunt trahenda. Omnipotens enim deus & linguas infantiũ fecit diſertas: & ex ore infantium atq; lactantium perficit laudẽ. Sed aliud eſt quod nos de doctrinæ uſu atq; diſciplinæ dicimus, aliud quod de miraculo ſcimus. Iam uerò ſi quer̃ ut in ipſa quoq; ætatis illius expreſſione myſticũ aliquid deſignet̃, abſurdum non eſt quod propheta dominũ quem uerbis denunciat, ipſo quoq; ætatis ſuæ tempore oſtendat. Anno tricesimo Ezechielis prophetæ cœli aperti ſunt, & uidit uiſiones dñi iuxta fluuium Chobar, quia & quaſi tricesimo ætatis ſuæ anno dñs ad fluuiũ Iordanis uenit. Ibi itaq; cœli aperti ſunt, quia ſpiritus in columba deſcẽdit, uox quoq; de cęlo ſonuit, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui. Sed & ipſa Hebræa uerba multũ nobis ad myſteriũ interpretandũ ualent. Nam Chobar interpretatur grauitudo uel grauitas, Ezechiel fortitudo dei: Buzi deſpectus uel cõtemptus, Chaldęi captiuantes, uel quaſi dæmones. Venit ergo Ezechiel iuxta fluuiũ Chobar, quia enim Chobar grauitudo uel grauitas dicitur, quid per Chobar fluuium, niſi humanum genus congruè deſignatur? quod ab ortu defluit ad mortem, & graue ſibi eſt ex peccatis quæ & perpetrat & portat, quia ſicut ſcriptum eſt: Iniquitas in talentum plumbi ſedet. Omne enim peccatum graue eſt, quia nõ permittit animam ad ſublimia leuari. Vnde & per Pſalmiſtã dicitur: Filij hominũ, uſq; quo graui corde? Scriptum quippe de domino meo eſt, quia ipſe eſt dei uirtus, & dei ſapiẽtia. Venit ergo Ezechiel iuxta fluuium Chobar, quia fortitudo dei per incarnationis ſuæ myſterium propinquare dignata eſt peccatorum ſuorum pondera portanti generi humano, q̃d ab ortu ſuo quotidie defluit ad mortem, ſicut de illo per Pſalmiſtã dicitur: Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Iuxta decurſus quippe aquarũ plantatus eſt, quia iuxta lapſus incarnatus eſt defluentium populorũ. Ezechielem aũt fortitudinẽ dei,

Zach. 5 Pſal. 4 1. Cor. 1 Pſal. 1 Matt. 14 Ezec. 1 1. Tim. 4 Eccſ 11 Hiere. 1 Dan. 13

Universidad de Deusto
Biblioteca

Buzi uero despectum interpretari diximus. Sed Ezechiel filius est Buzi, quia ex illo populo unigenitus dei incarnari dignatus est, quem propter culpam perfidiæ dominus despexit. Fortitudo ergo dei ex contemptu uel despectu nascitur, quia redemptor noster humanitatem assumere ex populo perfido & contempto dignatus est. Venit ergo in terram Chaldæorum. Chaldæi interpretantur, ut diximus captiuantes, uel quasi dæmones. Iniqui enim quia & ipsi iniquitates perpetrant, & & ad iniquitatem alios persuadendo trahunt, nimirum captiuantes sunt. Qui rectè quoq; & quasi dæmones interpretãtur, quia & hi qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsos ministerium dæmonũ ad iniquitatẽ suscipiũt, quanuis dæmones per naturam non sint. Venit ergo fortitudo dei in terra Chaldæorũ, quia inter eos unigenitus patris apparuit, qui & per semetipsos ad peccatum defluxerant, & ad peccata alios captiuantes trahebant. Sed expolitionis sermo ad prophetæ nunc personã redeat: Et facta est super eum ibi manus domini.] Manus uel brachiũ domini filius dicit, quia per ipsum omnia facta sunt. Ioan.1
De quo etiam Psalmista ait: Fiat manus tua, ut sal Psal.118
uum me faciat. Manus quippe dei, quæ per diuinitatem non est facta, sed genita, per humanitatem facta est, ut humani generis uulnera sanaret: Ibi ergo propheta incarnationẽ unigeniti agnouit, ubi super se manum domini factam uidit. Quod uero hic subditur: Et uidi, & ecce uentus turbinis ueniebat ab Aquilone.] Intuendum nobis est quis sit in prophetæ uerbis ordo locutionis. Qui enim superius de seipso dixerat: Aperti sunt cœli, & uidi uisiones dei: postea tanquã si de alio narret, adiungit: Et facta est super eum ibi manus domini.] Ac deinde quasi ad se reuertitur, & dicit. Et uidi, & ecce uentus turbinis ueniebat ab Aquilone.] Quid est hoc quòd modo Ezechiel loquitur, modo de Ezechiele? Si per totum diceret de se, quæstio nõ esset. Si per totũ diceret quasi de alio, nihilominus quæstio non fuisset. Quid est ergo hoc quòd sic uariat sermo propheticus, ut modo propheta de se loquat, modo aũt de ipso quasi alius loqui uideat? Sed sciendũ est quia hi qui prophetiæ spiritu replent, per hoc quod aperte nõnunq; D loquunt, de se, & nõnunq; sic de se uerba tanquã de alijs proferũt, indicãt quia nõ propheta, sed spiritus sanctus loquitur per prophetã. Pro eo enim quòd per ipsos sermo fit, ipsi loquuntur de se, & pro eo quòd aspirante spiritu sancto loquuntur, idem spiritus sanctus per ipsos loquitur de ipsis, Mat.10
ueritate attestãte, quæ dicit: Non enim uos estis qui loquimini: sed spiritus patris uestri, qui loquit in Num.12
uobis. Hinc Moyses ait: Erat Moyses uir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Qui enim non dicit erã, sed erat, profectò aperte indicat, quia is qui per illum de illo loquebatur, Ioan.19
alius erat. Hinc Ioannes ait: Vidit illum discipu- 2.Cor.13
lum quem diligebat Iesus. Vnde & Paulus ut non se esse qui loquebatur ostenderet, dixit: An experimentum queritis eius qui in me loquit Christus.

Quia igitur in locutione prophetica alter est qui præsidet, alter qui obsequitur: cum de seipso propheta loquitur, persona obsequentis est, cùm uerò per prophetã spiritus loquitur, sublimitas præsidentis ostenditur. Rectè ergo & tãquam de alio dicitur: Facta est super eum ibi manus domini.] Et de se protinus adiungit: Et uidi, & ecce uentus turbinis ueniebat ab Aquilone.] Nunc itaq; discutiendum nobis est, quid sit quod dicit: Et ecce uentus turbinis ueniebat ab Aquilone, & nubes magna.] Pro eo quòd uentus Aquilo constringit in frigore, non incongruè Aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur. Quòd Esaias quoq; propheta testatur, qui dixisse diabolum de
B nunciat, dicens: Sedebo in monte testamenti, in la- Esa.14
teribus Aquilonis. Malignus enim spiritus montem testamenti renuit, quia Iudaicum populum qui legem acceperat sibi in perfidiam subiugauit. Quando enim corda doctorum tenet, monti testamenti diabolus præsidet. Qui etiam in lateribus Aquilonis sedet, quia mentes hominum frigidas possidet. Vnde & sponsi uoce in cantico canticorum dicitur: Surge Aquilo, & ueni Auster, perfla hortum meum, & fluãt aromata illius. Cum enim iubente domino, frigidus spiritus recedit, calidus spiritus mẽtem fidelium occupat: qui hortum dei, id est, sanctam Ecclesiam perflat, ut opiniones uirtutum eius, ad multorum notitiam uelut aromata defluant. Recedente etenim Aquilone, ideſt, ma-
C ligno spiritu, sanctus spiritus mentem quasi Au- Cant.4
ster replet. Qui dum calefaciendo flauerit, statim de fidelium cordibus aromata uirtutũ fluunt. Propheta ergo ea quæ essent in finem uentura, conspiciens: uenire ab Aquilone uentum turbinis uidit, quia in extremo seculi mentes hominum torporis sui frigore malignus spiritus grauius occupat. Vnde scriptum est: Væ terræ & mari, quia descen- Apoc.12
dit diabolus ad uos, habens iram magnam, sciens quia modicũ tempus habet. Antiquus quippe aduersarius insidiarum suarũ molimina in humanis mentibus grauius exaggerauit. Contra cuius excrescentem superbiã incarnati manifestata est humilitas dei, atq; ut humanum genus à suo languore sanaret, tunc magna apparuit potentia medici, cùm languor creuit ægroti. Bene autem maligni spiritus immissio uentus turbinis appellatur. Turbo quippe ædificium quod tangit, concutiendo subruit. Et omnis antiqui hostis tentatio, quæ agitur in mente, uentus est turbinis, quia hanc concutiendo per desideria, à statu suæ rectitudinis euellit. Sed nos ista reticẽtes quæ humano generi erũt ab hoste callido in finem uentura, ad solam Iudæam, ex qua propheta fuit, & cuius perditionẽ prophetando conspicit, uerba uertamus. Quæ incarnato domino tãto grauius ab Aquilone uentum turbinis pertulit, quanto à sua rectitudine cõcussa cadens, per torporem mentis in perfidia frigida remansit. Ventus ergo turbinis ab Aquilone uenit, cùm uitã Iudaici populi malignus spiritus intentatione concussit. Vbi & recte additur: Et nubes magna.] Quia quanto plus quisq; exarsit in

crudelitate

crudelitate,tãto amplius obcæcari meruit in igno
ranttiæ ſuæ caligine.Redemptorem quippe huma
ni generis quem in lege ac prophetis intelligen-
tes expectauerãt, uidẽtes negabãt. Vnde factum
eſt, ut eorum mens magna ignorantiæ ſuæ nube
tegeretur,ne hunc poſt inquirentes agnoſcerent,
quem prius & denunciare poterant, & amare re-
nuebant.Nam cum modo eius uirtutes & miracu
la,modo autem paſſiones cõſpicerent,in infideli-
um cordib. nubes magna ab Aquilone uenerat:
quia ex peccati ſui frigore propter infirmitatem
paſſionis illius & inter ſigna caligabant. Quid ue
ro ex illa nube magna & caligine ſit ſecutum, ſub
iungit,cũ protinus dicit:Et ignis inuoluẽs.] Ignis
enim nomine cum per ſignificationem dicitur,ali B
quando ſpiritus ſanctus,aliquando autem mentis
malitia deſignatur. De bono eñ igne ſcriptũ eſt:
Luc.12 Ignem ueni mittere in terram:& quid uolo,niſi ut
accendatur? Ignis quippe in terrã mittit, cum per
ardorem ſancti ſpiritus afflata terrena mens à car-
nalibus ſuis deſiderijs concrematur. De malo au-
Heb.10 tem igne dicitur:Et nunc ignis aduerſarios conſu
mit:quia cor peſſimum ex ſua malitia tabeſcit. Si-
cut autem ignis amoris mentẽ erigit,ita ignis ma-
litiæ inuoluit:quia & ſpiritus ſanctus cor quod re
plet eleuat,& ardor malitię ad inferiora ſemper in
curuat.Iudæa igitur nube ſuæ ignorantiæ cæcata,
quia mox ad perſecutionis nequitiã erupit, igne
ſuo conuoluta eſt,quæ in obligatione ſe nequitiæ
per eandem ipſam crudelitatem,qua arſit implica C
uit. Ventus aũt turbinis ueniebat ab Aquilone,&
nubes magna,& ignis inuoluens, quia ex torpo-
ris ſui frigore ad ignorantiæ caliginem perducta,
uſq; ad malitiã perſecutionis erupit. Vnde ad aliũ
Hier.1 quoq; prophetam dicitur:Quid tu uides? Qui ilico
reſpondit:Ollam ſuccenſam ego uideo, & faci
em eius à facie Aquilonis. Iudæorũ quippe mens
in perſecutione ſęuiens,atq; in crudelitate malitię
undas cogitationum uoluens,quid aliud quàm ol
la ſuccẽſa fuit? Cuius facies à facie Aquilonis eſſe
dicitur,quia ſi ſe aduerſo ſpiritui per torporẽ men
tis non ſubderet,contra bonos in tãta malitia non
exarſiſſet.Nubem itaq; ſequitur ignis inuoluens,
quia in eis cæcitatem mentis ſecuta eſt crudelitas
1.Cor.2 perſecutionis.Si enim cognouiſſent, nũquàm do D
minum glorię crucifixiſſent.Sed iſte ignis alibi ar
Eze.1 ſit,atq; alibi ſplenduit.Nam ſubditur:Et ſplendor
in circuitu eius. Dum enim perſecutio in Iudæa
agitur,ſancta Apoſtolorum prædicatio in uniuer
Act.11 ſo mundo diſperſa eſt,ſicut ipſi dicũt:Vobis miſ-
ſum fuerat uerbum dei,ſed quia indignos uos iu-
dicaſtis, ecce imus ad gentes. De crudelitate er-
go malitiæ quæ mentem Iudææ cõcremauit, om-
nipotens deus lucem gentib. ſparſit:quia per hoc
quòd illa redemptorem ſuum ac mẽbra eius per-
ſecuta eſt,ſanctis Apoſtolis per diuerſa diſperſis,
nos qui in Iudæę circuitu poſiti in tenebris fuim9
dono cœleſtis gratiæ ſplendorem ueri luminis ui
Eſa.60 dimus. Vnde ſcriptum eſt:Sedentibus in tenebris
& umbra mortis, lux orta eſt eis. Iſte itaque ignis
malitiæ qui à Iudæorum cordibus arſit in perſecu

A tione, priuſquam ſanctos apoſtolos ſæuiendo af-
fligeret,in ipſo ſe exercuit authore ac redempto-
re generis humani. Vnde & ſubdit: Et de medio
eius quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis.]
Quid electri ſpecie niſi Chriſtus Ieſus, mediator
dei & hominũ deſignatur? Electrũ quippe ex au-
ro & argento eſt. In electro dum aurũ argentumq;
miſcetur, argentũ ad claritatem creſcit, aurũ uerò
à ſuo fulgore palleſcit. Illud ad claritatem proficit,
hoc à claritate temperatur. Quia igitur in unigeni
to dei filio, naturæ diuinitatis unita eſt natura no-
ſtra, in qua adunatione humanitas in maieſtatis
gloriam excreuit, diuinitas uerò à ſui fulgoris po-
tentia humanis ſe oculis tẽperauit, per hoc quòd
B humana natura clarior facta eſt, quaſi per aurum
creuit argentum. Et quia diuinitas à fulgore ſuo
noſtris eſt aſpectibus temperata, quaſi aurum no
bis palluit per argentum. Illa enim natura immu-
tabilis, quæ in ſe manens innouat omnia, ſi ita ut
eſt, nobis apparere uoluiſſet, fulgore ſuo nos in-
cenderet potius quàm renouaret: ſed claritatem
ſuæ magnitudinis temperauit noſtris oculis deus,
ut dum nobis eius claritas temperatur,etiã noſtra
infirmitas per eius ſimilitudinẽ in eius luce clare-
ſceret,& per acceptã gratiã,ut ita dicã,ſuæ habitu
dinis calorem mutaret. Quaſi electrũ ergo in igne
eſt deus factus homo in perſecutione. Sequitur:
Et in medio eius ſimilitudo quatuor animaliũ.]
Quod in medio eius dicit, ſiue electri ſiue ignis,
C nil obſtat intelligi:quia quatuor hę c animalia,ſan
cti ſcilicet Euangeliſtæ,& ex eiuſdem domini in-
carnatione ad fidei uirtutem ſolidati ſunt, & in
igne perſecutionis multis tribulationibus afflicti.
Quòd ſi quis hæc quæ de primo domini aduentu
diximus,etiã de ſecũdo uelit accipere,celeri aſſen
ſu ſequendus eſt:quia ſæpe prophetiæ ſpiritus mi
nimum quid loquit,multa ſimul intuetur. Ventus
etiã turbinis ab Aquilone uenit,quia nimirũ cau-
ſa peccatorum exigit, ut diſtricti iudicij cõcuſſio
omnia ſimul elementa perturbet. Terror eñ per-
turbationis ultimæ inde uenire dicitur, unde ge-
neratur.Nam quia ad feriendas frigidas peccato-
rum mentes iudicium perturbationis ultimæ agi-
tur,rectè ab Aquilone uentus turbinis uenire per
D hibetur.Quæ uidelicet concuſſio aptè uentus tur
binis dicitur, quia illo die cunctorum qui tunc in
carne mortali inuẽti fuerint, in pauore nimio cor
da cõmouent. Cùm enim cœperit impleri quod
ſcriptum eſt: Sol obſcurabitur, & luna non dabit Matt.24
lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & uirtu-
tes cœlorum commouebuntur,quæ mens erit ho
minis,æterni iudicis ſententiam non formidan-
tis? Ibi enim tunc cuncta ſimul peccata ante ocu-
los redeũt: ibi omnia quæ cum delectatione acta
ſunt, ad memoriã cum pauore reuocant: ibi cali-
go cogitationis miſeræ ex pœna proximæ dãna-
tionis, unde & ſubdit: Et nubes magna.] Tunc
quippe ex peccatorũ memoria ſenſum mentis de
primit caligo cæcitatis, cùm unigenitũ dei filiũ in
forma diuinitatis cõſpicere reprobi non permit-
tuntur. Videbunt enim in quem transfixerunt, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tollatur impius,ne uideat gloriã dei. Vbi & aper tè ſubditur: Et ignis inuoluens.] Quia uidelicet ignis ille iudicij,qui cœlum aereum & terram cõcremat,peccatores iam in ſua ſuperbia non permittit erigi,ſed inuoluit,quos proculdubio in pœna ſuæ damnationis conſtringit:Et ſplendor in circuitu eius.] Quia ſicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſq; ad Occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vbi nullus tunc à iudicio in ſua mente latere permittitur,quia ipſo iudicis fulgore penetratur.De quo mox iudicij die ſubditur:Et in medio eius quaſi ſpecies electri: id eſt, de medio ignis.] Ipſe enim angelis atq; archangelis omnibusq; uirtutibus præſidens redemptor noſter, qui uelut in electri ſimilitudinẽ unus ex utraq; & in utraq; natura,& deus permanſit cum patre,& ad redemptionem noſtrã factus eſt mortalis cum hominib. in ſuo tunc terrore uidebitur,eiq; ignis iudicij in reproborum uindicta famulabitur. Hinc enim ſcri
1.Cor.3 ptum eſt:Dies domini declarabit:quia in igne re-
Pſal.49 uelabitur.Hinc Pſalmiſta ait: Deus manifeſtè ueniet,deus noſter,& non ſilebit.Ignis in conſpectu eius ardebit,& in circuitu eius tempeſtas ualida.
2.Pet.3 Hinc Petrus Apoſtolus dicit: Aduenìet dies dñi ut fur,in quo cœli magno impetu tranſibunt, elementa uero ignis ardore ſoluentur. Et quia tunc ſancti omnes qui mundũ perfectè reliquerunt,iudices ueniũt,aptè mox ſubditur: Et in medio eius ſimilitudo quatuor animaliũ.] Quid em̃ per quatuor animalia, niſi quatuor Euangeliſtæ ſignant? Nec immeritò per Euãgeliſtas quatuor, perfectorum omniũ numerus exprimit: quia omnes qui in Eccleſia modo perfecti ſunt perfectionis ſuę rectitudinem per eorũ Euãgeliũ didicerunt.De medio enim eius ſimilitudo quatuor animaliũ,quia illi tũc eius corpori uniti, eius maieſtati cõiuncti, & ſimul facti cum eo iudices uidebunt, qui modo perfecta opera iuxta Euangelica præcepta ſecuti
Matt.19 ſunt.Hinc eſt enim q̃ ipſis ſanctis apoſtolis dicit: Vos qui ſecuti eſtis me,in regeneratione,cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duo-
Eſa.3 decim trib. Iſrael.Hinc Eſaias ait:Dominus ad iudiciũ ueniet cum ſenioribus populi ſui. Hinc Sa-
Prou.ult. lomon de Eccleſia loquit dicens:Nobilis in portis uir eius, cùm ſederit cum ſenatoribus terræ. His itaq; ſub breuitate tranſcurſis, aduentus primi ordinem ſicut cœpimus exequentes, ad Euangeliſtarum perſonas in expoſitione redeamus. Sequit:Et hic aſpectus eorum ſimilitudo hominis in eis.] Quis hoc loco homo deſcribitur, niſi ille
Phil.2 de quo ſcriptum eſt:Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ deo, ſed ſemetipſum exinaniuit,formam ſeruí accipiẽs, in ſimilitudinem hominum factus,& habitu inuentus ut homo? Hęc itaq; animalia ut ſurgere ad ſanctitatis uirtutem ualeant,ad huius hominis ſimilitudinem tendunt.Sancta enim nõ eſſent, ſi huius hominis ſimilitudinem non haberent: quia quicquid in eis de uiſcerib.pietatis,quicquid de manſuetudinis ſpiritu, quicquid de cuſtodia humilitatis, quicquid de feruore charitatis eſt, hoc ab ipſo fonte miſericordiæ,ab ipſa radice manſuetudinis, ab ipſa uirtute iuſtitię,id eſt,à mediatore dei & hominum deo domino traxerunt. Huius ſe hominis ſimilitudinem habere egregius prædicator oſtendit dicens:Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Ad eius nos ſimilitudinem ſurgere admonet, 1.Cor.4 & 11
cùm dicit:Primus homo de terra terrenus,ſecun- 1.Cor.15
dus homo de cœlo cęleſtis.Igit̃ ſicut portauimus imaginẽ terreni,portemus & imaginẽ eius qui de cœlo deſcendit. Sanctus etenim quiſq; intantũ ad ſimilitudinẽ huius hominis dicit̃,inquantũ uitam ſui redemptoris imitat̃.Nam ab eius mãdatis atq; operibus diſcordare,quid eſt aliud q̃ à ſimilitudine longè recedere? Plangunt aũt uitã delinquen- Lucæ 19
tium prędicatores ſancti,ſed de ipſo noſtro capite ſcriptũ eſt,quia fleuit ſuper Hieruſalem. Gaudent de bonis actibus ſubditorũ,& rectè operãtes diligunt, ſed de redemptore noſtro ſcriptum eſt, cui cùm adoleſcens quidam diceret: Hæc omnia cu- Matt.19
ſtodiui à iuuentute mea, magis dilexit eum. Portant illatas cõtumelias prædicatores ſancti,& nullam adinuicem contumeliam reddunt:ſed cùm redemptori noſtro diceretur:Dæmoniũ habes:non Ioan.8
iniuriam reddidit, ſed manſuetudinem reſpondit dicens:Ego dæmonium non habeo. Feruent zelo rectitudinis prædicatores ſancti, ſed redẽptor omnium, flagello de reſticulis facto, uendentes Ioan.2
& ementes ejcit de templo,cathedras uendentium columbas euertit, & nummulariorum effudit æs.In omne quod fortiter agunt,humilitatem tota intentione cuſtodiũt, ſed per redemptorem noſtrum dicitur: Diſcite à me quia mitis ſum, & hu- Matt.11
milis corde.Perſecutores quoq; ſuos diligũt prædicatores ſancti, ſed ipſe author omniũ ac redemptor in paſſione poſitus,pro perſecutorib.intercedit,dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid Lucæ 23
faciunt.Membra ſua ponũt in paſſione pro fratribus,ſed pro electorum uita uſq; ad mortem ſe tradidit author uitæ.Dicatur ergo de ſanctis animalibus quòd ſimilitudo hominis in eis eſt:quia q̃ ſancta,quòd mira ſunt, hoc in eis de ſpecie ſimilitudinis eſt,id eſt,de uirtute imitationis. Caput quippe omniũ noſtrum redemptor noſter eſt. Et per Salomonẽ dicit̃: Oculi ſapientis in capite eius,ſtultus Eccłs 2
autẽ in tenebris ambulat. Tũc enim in capite oculos habemus cùm uitã redemptoris noſtri tacita cogitatione cõſpicimus,cùm omnis noſtra intentio in eius imitationẽ ſe erigit,ne ſi uias lucis aſpicere oculus mentis neglexerit,ſtatim clauſus in tenebris erroris cadat. Ad huius ſimilitudinem ho- Pſal.118
minis ſurgere feſtinabat propheta,cùm diceret:In mandatis tuis exercebor,& cõſiderabo uias tuas. Qui enim uias domini tacitè in mente cõſiderat, & ſe exercere in mãdatis illius feſtinat, quid aliud in ſemetipſo niſi imaginem noui hominis reformat? Quod quia in ſanctorum cordibus inceſſanter agitur, rectè nunc de animalibus dicitur: Similitudo hominis in eis.] Poſt hanc uerò ſimilitudinem quæ nunc in moribus tenetur,quandoq; ad ſimilitudinem gloriæ peruenitur.Hinc etenim

Ioannes

Ioannes dicit: Nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus aũt quoniã cùm apparuerit, similes ei erimus. Qui mox unde hoc fieri ualeat, adiungit dicens: Quoniã uidebimus eum sicuti est. Esse enim dei, est æternum hunc atq; immutabilem permanere. Nam omne quod mutat, definit esse quod fuit, & incipit esse quod nõ fuit. Dei uerò esse, est dissimiliter nunq; esse. Vnde ad Exod.3 Mosen dicit: Ego sum qui sum. Et dices filijs Israel: Qui est, misit me ad uos. Iacobus quoq; ait: Iacobi 1 Apud quem non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Itaq; per Ioannem dicitur: Similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Quia per hoc quòd aspicimus eius essentiã naturæ, à mutabilitate nostra liberati, figimur in æternitatem. Immutabimur quippe in ipso quẽ uidebimus, quia morte carebimus uidendo uitã. Mutabilitatem nostrã transcendemus, uidendo immutabilitatẽ. Corruptione nulla tenebimur, uidẽdo incorruptionem. Erit aũt tũc similitudo hominis Philip.3 etiã in corporib. nostris. Hinc etenim per Paulum dicit: Nostra cõuersatio in cœlis est: unde etiã saluatorem expectamus dominũ Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, cõfiguratũ corpori claritatis suæ. Erũt ergo tũc electorũ corpora claritati dominici corporis configurata: quæ etsi æqualitatẽ gloriæ eius non habẽt per naturam, similitudinem tamen cõfigurationis eius habebunt per gratiam. Quia itaq; similitudo uitæ eius nunc in moribus trahit electorũ, & in resurrectione sequit similitudo æternitatis in mente, quoniam uidebimus eum sicuti est. Et quia similitudinem quoq; illius etiã corpora nostra percipient in configuratione, dicatur rectè de sanctis animalibus: Similitudo hominis in eis.] Hæc nos in expositionis exordio prælibasse sufficiat, ut loquendi uirtus silentio refota, ad indaganda mysteria quæ sequũtur robustior exurgat. Certi etenim sumus, quia ipsum de quo loquimur, habemus adiutorem. Qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Homilia tertia.

ET quatuor facies uni, & quatuor pennę uni. Et pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis uituli, & scintillę quasi aspectus æris candẽtis. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, & facies & pennas per quatuor partes habebant, iunctæq; erant pennæ eorum alterius ad alterum. Non reuertebantur cùm incederẽt, sed unumquodq; ante faciẽ suã gradiebat.

SAncta quatuor animalia, quæ prophetiæ spiritu futura præuidẽt, subtili narratione describuntur cùm dicitur: Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni. Quid per faciem nisi notitia, & quid per pennas nisi uolatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisq; cognoscitur. Per pennam uerò in altum auium corpora subleuantur. Facies itaq; ad fidem pertinet, penna ad cõtemplationẽ. per fidem nanque ab omnipotenti deo cognoscimur, sicut ipse de suis ouib. dicit: Ego sum pastor Ioan.10 bonus, & cognosco oues meas, & cognoscũt me Ioan.13 meæ: Qui rursus ait: Ego scio quos elegerim. Per contemplationẽ uerò quà super nosmetipsos tollimur, quasi in aere leuamur. Quatuor ergo facies uni sunt, quia si requiras quid Matthæus de incarnatione domini sentiat: hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas, & Ioannes. Si quæras quid Ioannes sentiat: hoc proculdubio quod Lucas, Marcus, & Matthæus. Si quæras quid Marcus: hoc ꝺd Matthæus, Ioannes & Lucas. Si quæras quid Lucas, hoc quod Ioannes, Matthæus, & Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt, quia notitia fidei qua cognoscuntur à deo, ipsa est in uno quæ est simul in quatuor. Quicquid enim in uno inueneris, hoc in omnibus simul quatuor cognosces. Et quatuor pennæ uni, quia dei omnipotentis filium dominũ nostrum Iesum Christum simul omnes cõcorditer prædicant, & ad diuinitatem eius mentis oculos leuantes, penna contemplationis uolant. Euangelistarum ergo facies ad humanitatem domini pertinet, penna ad diuinitatem, quia in eo quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse in circumscriptũ atq; incorporeum ex diuinitate annunciant, per contemplationis pennam quasi in aere leuãtur. Quia itaq; una est fides incarnationis eius in omnibus, & par contemplatio diuinitatis eius in singulis, rectè nunc dicitur: Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni.] Sed quæ uirtus esset, si fidem atq; contemplationem domini habentes prædicatores illius, sancta opera non haberent? Sequitur:

Et pedes eorum pedes recti.] Quid per pedes, nisi gressus actuum designantur? Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur, quia sanctorum Euangelistarum atq; omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatẽ non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quæ reliquerunt reflectuntur. De 2.Pet.2 quibus scriptum est: Canis reuersus ad suum uomitum: & sus lota in uolutabro luti. Dolebat de quibusdam doctor egregius quòd pedum rectitudinem retrò retorserant, quibus per increpationem dicebat: Quomodo conuertimini iterum ad Gal.4 infirma & egena elementa? quibus denuo seruire uultis? Dies obseruatis, & menses & tempora & annos, timeo uos ne forte sine causa laborauerim in uobis. Qui alios admonet dicens: Propter ꝺd remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus ueſtris. Vt uerò in eisdẽ sanctis prædicatoribus uitæ grauitas, fortitudo atque discretio monstraret, rectè subiũgitur: Planta pedis eorũ quasi planta pedis uituli.] Quia eĩ prædicatores sancti boum nomine designantur: docet Paulus Apostolus legis testimoniũ expo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nens: Non obturabis os boui trituranti. In ſanctis ergo prædicatoribus planta pedis eſt uituli, ſcilicet matureˀ incedẽs, & fortis, & diuiſa: quia unuſquiſq; prędicator & uenerationem habet in maturitate, & fortitudinẽ in opere, & diuiſionẽ ungulæ in diſcretione. Non enim facile prędicatio eius accipitur, ſi leuis in moribus eſſe uideaꝫ. Et nulla erit maturitatis oſtenſio, ſi contra aduerſa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis aũt meritum ipſa fortitudo operis amittit, ſi diſcretio in intellectu non fuerit. Ecce enim ſacram ſcripturam legimus, ſi omnia ad literam ſentimus uirtutem diſcretionis amiſimus, ſi omnia ad ſpiritalem allegoriam ducimus, ſimiliter indiſcretionis ſtultitia ligamur. Legunt enim ſacra eloquia prædicatores ſancti, & aliquando in hiſtoria literam ſuſcipiunt, aliquãdo uerò per ſignificationem literæ ſpiritum requirunt. Et modo bona facta patrũ præcedentium, ſicut iuxta literam inueniunt, imitantur: modo quædam quæ iuxta hiſtoriam imitanda non ſunt, ſpiritaliter intelligũt, & ad profectũ tendunt. Quid ergo aliud prædicatores ſancti in ſuo opere, niſi in pede ungulam findunt? De quibus adhuc aptèˀ ſubditˀ: Et ſcintillæ quaſi aſpectus æris candentis.] Æris metallum ualde ſonorũ eſt. Et rectèˀ uoces prædicantiũ æri comparãtur, quia
Pſal.18 In omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorum. Bene autẽ æs candens dicitur, quia uita prædicantium ſonat & ardet. Ardet enim deſiderio, ſonat uerbo. Æs ergo candẽs, eſt prædicatio accenſa. Sed de candente ære ſcintillæ prodeunt: quia de eorum exhortationibus uerba flammantia ad aures audientiũ procedunt. Rectèˀ autẽ prædicatorũ uerba ſcintillæ appellatæ ſunt, quia eos quos in corde tetigerint, incendũt. Cõſiderãdũ quoq; eſt q̃ ſcintillæ ſubtiles ſunt ualde & tenues: quia cùm prædicatores ſancti de cœleſti patria loquunturˀ, non tantũ ualent aperire uerbo, quantum poſſunt ardere deſiderio. Et ex eorum lingua quaſi quædã ad nos ſcintillæ ueniunt: quia de cœleſti patria in eorum uoce uix tenue aliquid cognoſcitur, quod tamen ab eis non tenuiter crematurˀ. Neq; enim cœleſtem gloriã aut tantã uidere ſufficiunt, quanta eſt, aut tantũ loqui prævalent, quantũ uident. Candẽs ergo æs ſcintillas proĳcit, quando uix tenuiter prędicator loqui ſufficit hoc unde ipſe fortiter igneſcit. Diuina aũt pietate agitur, ut ex ipſis ſcintillis tenuiſſimis audientis animus inflammeturˀ: quia ſunt quidam qui dum parua audiunt, maiore deſiderio replenturˀ. Et inde perfecte in dei amore ardent, unde uix tenuiſſimas uerborum ſcintillas acceperunt. Verbũ quippe prædicationis, ſemen in corde audientis eſt. Et auditor bonus inde profert poſtmodũ magnã meſſem ſcientię, unde parũ prius acceperat ſemen linguę.
4.Reg.4 Cui rei bene concinit factum in uidua ab Heliſæo propheta miraculũ, quæ ne duos filios auferente creditore amitteret, prophetæ dictis obediuit, & ex eo quod parũ olei habebat, per uaſa uacua effudit: quæ cuncta pòſt uſq; ad ſummũ repleta ſunt, & ex eorum repletione mulier à creditoris ſui debito eſt ſoluta. Quæ uidelicet mulier, quam aliam niſi ſanctam eccleſiã ſignat, duorũ populorum, id eſt, Iudaici & Gentilis, quaſi duorum filiorum matrem? Quæ prius ex peruerſo opere per callidi ſpiritus perſuaſionem quaſi quendam peccati nummum à creditore acceperat, & duos quos in fide genuit, amittere filios timebat. Sed prophetæ uerbis, id eſt, ſcripturæ ſacræ præceptis obediens, ex paruo q̃d habebat olei, uaſa uacua infudit: quia dũ ab unius ore doctoris paruũ quid de amore diuinitatis multorũ uacuæ mentes audiunt, exuberante gratia unguento diuini amoris uſq; ad ſummũ replentur. Et iam multorũ nunc corda quæ prius fuerant uacua uaſcula, unguento ſpiritus plena ſunt, quæ ex paucitate olei ſolummodo infuſa uidebantur. Quod dum alĳs atq; alĳs datur, & ab auditoribus fides accipitˀ, Sareptana mulier, uidelicet ſancta Eccleſia, ſub creditoris ſui iam debito non tenetur. Sequitur: Et manus hominis ſub pennis eorum in quatuor partib.] Poſſunt hoc in loco quatuor partes mũdi accipi, ſcilicet Oriens, Occidens, Meridies, & Septentrio, quia ſanctorũ prædicatio authore deo in cunctis mundi partibus eſt egreſſa. Poſſumus etiam per quatuor partes principales quatuor uirtutes accipere, ex quibus reliquæ uirtutes oriuntur, uidelicet prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, atq; temperantiam. Quas nimirum uirtutes tũc ueraciter accipimus, cùm earum ordinem cuſtodimus. Prima quippe prudentia, ſecunda fortitudo, tertia iuſtitia, quarta temperãtia eſt. Quid enim prodeſſe poteſt prudentia ſi fortitudo deſit? Scire etenim cuiquã q̃d non poteſt facere, pœna magis q̃ uirtus eſt. Sed qui prudenter intelligit quod agat, & fortiter agit quod intellexerit, iam proculdubio iuſtus eſt: ſed eius iuſtitiã temperãtia ſequi debet, quia plerunq; iuſtitia, ſi modũ non habet, in crudelitatem cadit. Ipſa ergo iuſtitia uerè iuſtitia eſt, quę ſe temperantiæ freno moderatur, ut in zelo quo quiſq; feruet, ſit etiam temperans: ne ſi plus feruerat, perdat iuſtitiam, cuius ſeruare moderamina ignorat. Duæ autem ſunt ſanctorum prædicatorũ uitæ: actiua ſcilicet, & contemplatiua. Sed actiua prior eſt tẽpore q̃ contemplatiua, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem. Contemplatiua autem maior eſt merito q̃ actiua, quia hæc in uſu præſentis operis laborat, illa uerò ſapore intimo uenturam iam requiem deguſtat. Quid itaq; per manus niſi actiua uita, & quid per pennas niſi cõtemplatiua uita ſignaturˀ? Manus ergo hominis ſub pennis eorum eſt, id eſt, uirtus operis ſub uolatu cõtemplationis. Quod bene in Euangelio duæ illæ mulieres deſignant: Martha ſcilicet & Maria. Martha Luc.5
etenim ſatagebat circa frequens miniſterium: Maria aũt ſedebat ad pedes domini, & uerba eius audiebat. Erat ergo una intenta operi, altera contemplationi. Una actiuæ ſeruiebat per exterius miniſterium, altera contemplatiuæ per ſuſpenſionem cordis in uerbũ. Et quamuis actiua bona ſit, melior tamen eſt contemplatiua, quia iſta cum mortali uita deficit, illa uerò in immortali uita plenius

Prædicatorum duplex uita

plenius excrescit. Vnde dicit: Maria optimā partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quia igitur actiua minor est merito q̄ contemplatiua, rectè nunc dicitur: Manus hominis sub pennis eorum. Nam etsi per actiuā boni aliquid agimus, ad cœleste tamen desiderium per cōtemplatiuam uolamus. Vnde & apud Moysen actiua seruitus, contemplatiua autē libertas uocat. Et cū utraq; uita ex dono sit gratiæ, quādiu tamen inter proximos uiuimus, una nobis in necessitate est, altera in uoluntate. Quis em̄ cognoscēs deū, ad eius regnū ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine cōtemplatiua ergo uita intrare possunt ad cœlestem patriā, qui bona quæ possunt operari non negligunt. Sine actiua autem intrare nō possunt, si negligūt bona operari quæ possunt. Illa ergo in necessitate, hæc in uoluntate est. Illa in seruitute, ista in libertate. Hinc est em̄ quod ad Moysen dicitur: Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cùm quali uestе intrauerit, cum tali exeat. Si habens uxorē, & uxor egrediatur simul. Sin autem dederit illi dominus uxorem, & peperit filios & filias, mulier & liberi eius erunt domini sui, ipse uerò exibit cùm uestitu suo. Quòd si dixerit seruus, diligo dominū meum, & uxorem ac liberos, non egrediar liber, offerat eum dominus dijs, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitq; aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum. Paulo latius testimonium dedimus, ut distinctionem seruitutis atq; libertatis in utraq; uita mōstremus. Sed onerosum esse nō debet, si hoc exponēdo exequimur, unde ista quę diximus affirmemus. Hebræus enim transiens interpretatur. Et seruus Hebræus emitur, quando unusquisq; qui iam ab hoc seculo mente transit, seruitio omnipotentis domini subditur: Ille etenim uerè deo seruire appetit, qui ab hoc seculo mente transire didicerit. Sic Moyses transiuit, ut uideret uisum. Sic Dauid cùm uideret impiū exaltatum & eleuatum super cedros Libani, transiuit & ecce non erat. Quia iniquorum potētias esse magnum aliquid fortasse credimus, nisi ad permanens seculum mēte transeamus. Seruus uerò Hebræus emptus sex annis seruire præcipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerū, nisi actiuæ uitæ perfectio designatur? Quid per septenarium nisi contemplatiua exprimit? Sex ergo annis seruit, & septimo egreditur liber, qui per actiuam uitam quam perfectè exhibuerit, ad contemplatiuę uitæ libertatē transit. Et notandū quòd gratis liber egredit, quia hi postquam omnia fecerint, dicunt se inutiles seruos. Eis proculdubio sicut ipsa actiua fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplatiua. Cum quali uestе intrauerit, cum tali exeat: quia omnino necesse est ut unusquisq; nostrum in hoc quod incipit perseueret, atq; usq; ad finem operis in ea quam inchoauit intentione perduret. Ille quippe ad cōtemplatiuā trāsit, qui in actiua uita intentionis suæ uestē ad deteriora non mutauerit. Et sunt nonnulli qui priusquā omnipotentis dei seruitio in sancta conuersatione sociētur, iam bona operari diligunt. Sunt uerò alij qui bona opera postquā ad seruitium omnipotentis dei uenerint, discunt. Qui ergo operationem bonam & priusquam ad dei seruitium ueniret habere studuit, Hebręus seruus cum uxore emptus est. Et plerūq; is qui talis est, potest ad contemplatiuam uitam trāsire, & tamen actiuam non deserere. Vnde & illic subdit: Si habēs uxorem, & uxor egrediatur simul. Cum eo enim ad libertatem & uxor egreditur, quando is qui ad contemplationem peruenit etiam foris actionē boni operis, qua prodesse possit alijs, nō relinquit. Sin autem dominus dederit illi uxorē, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt domini sui, ipse uerò exibit cum uestitu suo. Seruo empto dominus dat uxorem, cùm prædicator quisq; eum quem iuri omnipotentis dei mancipauerit, bonæ actioni coniungit. Nam & prędicatores domini uocantur, sicut Helisæo prophetæ de prędicatore suo dicitur: Scis quòd dominus tuus tollatur à te? Vxor uerò serui emptitij filios & filias parit, quādo bona actio fortes uel teneros fructꝰ generat. Sed mulier quę à domino data est, eidem domino cum filijs remanet, ipse uerò seruus exit cum uestitu suo, quia bona actio uel eiusdem bonę actionis fructus prędicatoris merce de reputantur. Ipse uerò in desiderij sui intentione perdurans, per supernam gratiam ad contemplationem liber egreditur. Quòd si dixerit seruus, diligo dominum meum & uxorem ac liberos, non egrediar liber. Seruus dominū suum diligit, quando prædicatoris uerba sollicita mente custodit. Vxorem quoq; amans & liberos, liber egredi recusat, quando actiuam uitam eiusq; fructus diligens, transire ad contemplatiuam non uult, quia bona se opera habere in ministerij sui seruitute cōsiderans, ad libertatis quietem recusat secedere. Sed offerat eum dominus dijs, & applicetur ad ostium & postes, & perforet aurem eius subula, ut sit ei seruus in seculum. Is enim qui in actiua dispositi uita perdurare, à domino dijs offert̄, quando à prædicatore suo antiquorum patrum dictis imbuitur, qui nobis in uia omnipotētis domini sacerdotes fuerunt. Atq; ad ostium & postes tabernaculi ducitur, ut de ingressu cœlestis habitaculi altius aliquid audiat, & tremēdi iudicij diem subtiliter agnoscat, ne per bona opera quæ facit, placere hominibus appetat. Sicq; auris eius subula perforatur, dum mens illius timoris dei subtilitate percutitur: ut uerbi acumine transfixa, per omne quod agit, nouerit ingressum regni semper attēdere, & quasi ab ostio & poste tabernaculi perforatā aurem portare, qui erit seruus in seculo, ut esse post seculū liber possit. In seculo eterñ seruus est qui per actiuā uitā hominib. seruire disposuit, ut post præsens seculū ad libertatē ueram ualeat peruenire. De qua per Paulum dicit: Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorū dei. Tunc etenim in nobis uera libertas erit, cùm ad gloriā filiorum dei adoptio nostra peruenerit. Nunc uerò nō solū actiua

Exod.21

Pſal.66

4.Reg.4

Rom.8

Universidad de Deusto
Biblioteca

uita in ſeruitute eſt, ſed ipſa quoq; contemplatio A
qua ſuper nos rapimur, libertatem mentis adhuc
perfectè non obtinet, ſed imitatur, quia illa quies
intima in ænigmate uidetur. Ipſa tamen in quanta
libet ſit cõtemplationis anguſtia, actiua uita iam
ualde eſt latior atque ſublimior, quę ad quandam
mentis libertatem tranſit, tẽporalia non cogitãs,
ſed ęterna. Quia itaq; contemplatiua uita ad ſupe
riora euolat, & actiuæ uitæ ſupereſt quadã, ut ita
dicam, dignitate ſecuritatis ſuæ, aptè nũc dicitur:
Et manus hominis ſub pennis eorũ.] Sin uerò
hoc in loco homo redemptor noſter accipiẽ, ma-
nus hominis ſub pennis eorum eſt, quia niſi do-
minus homo fieret, qui mentes prædicantium ad
cœleſtia ſubleuaſſet, illa quæ apparent animalia, B
non uolarent. Nec immerito manus hominis eſſe
ſub pennis dicitur, quia de eodẽ redemptore no-
Heb.1 ſtro ſcriptũ eſt: Qui cùm ſit ſplendor glorię et figu
ra ſubſtãtiæ eius, portansq; omnia. Eius ergo ma-
nus corda noſtra portat, eius manus in cõtempla-
tione nos ſubleuat. Niſi enim, ut dictũ eſt, omni-
potens uerbũ propter homines homo fieret, hu-
mana corda ad contemplandam uerbi excellenti
am non uolarent. Inde ergo excelſæ factæ ſunt ho
minum mentes, unde inter homines apparuit hu
milis deus. Dicat̃ itaq; de ſanctis animalibus: Et
manus hominis ſub pẽnis eorũ.] De quib. adhuc
ſubditur: Et facies & pẽnas per quatuor partes
habebãt, iunctęq; erant pennę eorũ alterius ad al-
terum per quatuor partes.] Facies & pennas ha-
bent, quia in cunctis mundi regionib. prædicãtes
demõſtrãt quicquid de humanitate, quicquid de
diuinitate noſtri redemptoris ſentiũt. Quia dum
incarnatũ deum ubiq; prædicãt, in quatuor mun-
di partibus faciẽ demõſtrant. Dumq; eum eſſe u-
num cum patre & ſpiritu ſancto annunciãt, ubiq;
penna cõtemplationis uolant. Quorũ pennę iun-
ctæ ſunt alterius ad alterũ, quia omnis eorum uir
tus, omnisq; ſapientia qua cæteros homines con-
templationis ſuæ uolatu tranſcendunt, uiciſſim ſi
bi in pace atq; unanimitate cõiungunt. Vnde ſcri
Iacob.3 ptum eſt: Quæ deſurſum eſt ſapientia, primũ qui-
dem pudica eſt, deinde pacifica. Vnde & eiſdem
Mar.9 ſuis prædicatorib. ueritas dicit: Habete in uobis
ſal, & pacẽ habete inter uos. Penna ergo animaliũ D
alterius ad alterum iungiẽ, quia ſanctorũ prædica
torum uirtus atq; ſapiẽtia uiciſsim ſibi in charita
tis atq; concordiæ pace ſociatur. Penna aũt alteri
us ab altero diuiſa eſſet, ſi in hoc quod unuſquiſq;
in ſapiẽtia euolat, habere pacẽ cum altero recuſa-
ret. Sequiẽ: Nõ reuertebant̃ cùm incederẽt, ſed
unũquodq; ante faciẽ ſuã gradiebatur.] Pennata
animalia, uidelicet prædicatores ſancti, cùm ince
dũt, minimè reuertunt̃, quia ſic à terrenis actibus
ad ſpiritalia pertrãſeunt, ut ad ea quæ reliquerũt,
ulterius nullatenus reflectantur. Quaſi enim per
quandam uiam eis incedere, eſt mente ire ſemper
ad meliora. Quo contrà de reprobis dicitur, quia
reuerſi ſunt corde in Ægyptum. Per ſemetipſam
Luc.9 ueritas dicit: Nemo mittens manum in aratrum
& aſpiciens retrò, aptus eſt regno dei. Manum
quippe in aratrum mittere, eſt quaſi per quẽdam
compunctionis uomerem ad proferẽdos fructus
terram ſui cordis aperire. Sed retrò poſt aratrũ a-
ſpicit, qui poſt exordia boni operis ad mala reuer
titur quæ reliquit. Quod quia electis dei minimè
cõtingit, rectè nunc per prophetã dicit̃: Nõ re-
uertebantur cùm incederent.] Qui cur nõ reuer-
tantur, indicat cùm ſubiũgit: Vnumquodq; an-
te faciẽ ſuã gradiebat̃.] Ante nos em̃ æterna ſunt,
poſt nos temporalia: quia & illa pergentes inue-
nimus, & iſta recedentes quaſi poſt dorſum relin
quimus. Vnde & magnũ illud pẽnatum animal di
cebat, quod uſq; ad cœli tertij ſecreta uolauerat.
Vnũ uerò quæ retrò ſunt oblitus, in ea quæ ſunt Phil.3
antè extẽdens me, ſequor ad palmã ſupernę uoca
tionis. In anteriora etem̃ extẽtus, eorũ quæ retrò
ſunt oblitus fuerat, quia tẽporalia deſpiciens, ſola
quæ ſunt æterna quærebat. Ante faciẽ ergo ſuam
gradiunt̃ ſancta animalia, quia & ea quæ reliquerunt, nullo iã appetitu reſpiciũt, & in æternis quæ
appetũt, ſub cõtemplationis ſuæ oculos boni ope
ris pedẽ ponunt. Quiſquis itaq; iam ante faciẽ ſuã
ambulare decreuerit, magna ei cõſideratione pen
ſandũ eſt q̃ aliter retrò reſpiciẽ ex opere, atq; ali-
ter ex cogitatiõe. Sunt etem̃ quidã qui magna de-
liberant, & peccatorũ ſuorum cõſcij, multa ex his
quæ poſſidẽt, egenis diſtribuere pertractãt, ut cul
pas ſuas ante dei oculos miſericordiæ uiſceribꝰ re-
dimãt. Iamq; hæc operarí inchoãt, & plerunq; cũ
C operant̃, paupertatis timor eorũ animũ cõcutit,
atq; timẽtes ne egeant, erga egẽtes tenaces fiũt, ſe
ſeq; ab ea quã cœperãt bona operatione ſuſpen-
dunt. Hi nimirum incedentes reuerſi ſunt, quia
ante faciem ſuam ambulare noluerũt. Cõtra quos
rectè per Salomonem dicitur: Propter frigus pi- Prou.20
ger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & nõ da
bitur ei. Qui enim nunc propter pauorem mentis
atq; torporem bene operari negligit, cùm ſol iu-
ſtitiæ in iudicio uelut in æſtate claruerit, mẽdicat
uitam, ſed nõ accipit, quia propter illam bona o-
perari contempſit. Alius deſpectis carnis deſide-
rijs cuncta relinquere, & omnipotentis dei ſe ſub
dere ſeruitio pertractat, ſeq; ipſum reſtringere ſub
continentiæ & caſtitatis freno deliberat: ſed cùm
D cecidiſſe alios etiam poſt caſtitatem cõſpicit, hoc
ipſum facere quod deliberat pertimeſcit. Fitq; ut
retrò per cogitationem redeat, qui ad anteriora
reſpiciens, iam mentis greſſibus ad alta ibat. De
quo bene per Salomonẽ dicit̃: Qui obſeruat uen- Eccls.11
tum, nõ ſeminat: & qui cõſiderat nubes, nunquã
metet. Venti quippe nomine, malignus ſpiritus,
qui mentem tentationib. impellit, nubis uerò ap-
pellatione peccator exprimitur, qui tentationis
impulſione commouetur. Qui ergo attendit uen
tum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nun-
quã metit: quia is qui tẽtationes maligni ſpiritus
metuens, & iniquorum lapſus conſpiciẽs ſemet-
ipſum deſperat, neq; nũc exercetur in bono ſemi-
ne operis, neq; poſt reficiẽ de munere iuſtæ retri-
butiõis. Sũt uerò nõnulli q̃ bona quidẽ quę noue
rũt operant̃, atq; hęc operãtes meliora deliberãt,
ſed re-

ſed retractantes meliora quæ deliberāt immutāt, & quidem bona agunt quæ cœperāt, ſed à melioribus quæ deliberauerant ſuccumbunt. Hi nimirum ante humana iudicia ſtare uidentur in opere, ſed ante omnipotētis dei oculos ceciderunt in deliberatione. Vnde fit plerunq; ut bonū opus eorum minus deo placeat, quia cū pauore mentis in meliori gradu deliberationis inconſtanter ponit, hos ipſa cogitationis incōſtātia accuſat. Sed quia perfecti quiq; magna ſe diſcretionis ſubtilitate cō ſpiciūt, ne ad deteriora unquam uel in opere, uel in cogitatione delabantur, quātum quotidie proficiant, inceſſanter penſant, rectè de his dicitur:

Non reuertebantur cùm incederent, ſed unūquodq; ante faciē ſuam gradiebatur.] Inter hæc igitur conſiderare libet nos ad iſta tractanda, qui ſumus, unde uenimus, & uſq; ad quæ ſacri eloquij myſteria perſcrutanda ſubleuamur. Certè in antiquis parētibus noſtris cultores idolorum fuimus, ſed ecce per ſpiritū gratiæ, uerba iam cœleſtia rimamur. Vnde hoc nobis? Sed impleuit hoc redēptor humani generis quod per prophetam dixit:
Eſa.5 Et deſerta in ubertatem uerſa aduenæ comedent. Hæc quippe prophetarum dicta deſerta apud ludæos fuerunt, quia per intellectum myſticum ea excolere inquirēdo noluerūt. Nobis autē in ubertatem uerſa ſunt, quia & iuxta hiſtoriam uiſionis dicta largiēte deo mēti noſtrę ſpiritaliter ſapiunt, & iam aduenæ comedimus, quæ ciues legis manducare noluerunt. Sint gratiæ unigenito, ſit laus æternæ ſapientiæ, qui uiuit & regnat, &c.

Homilia quarta.

SImilitudo autem uultus eorum facies hominis & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorū quatuor, & facies eorum & pennæ eorū extentæ deſuper. Duæ pennæ ſingulorum iungebātur, & duæ tegebant corpora eorum. Et unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat.

PEr ſanctum prophetiæ ſpiritum pennata animalia ſubtiliter deſcribūtur, ut per hæc Euangeliſtarum ſignificari perſonas ipſa nobis ſubtilitas diſcretiōis aperiat, nihilq; ſermo dei noſtro intellectui dubietatis relinquat. Ecce enim dicitur:

Similitudo autem uultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor. Facies autē bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilę deſuper ipſorum quatuor.] Quòd em̄ quatuor hæc pennata animalia ſanctos quatuor Euāgeliſtas deſignent, ipſa uniuſcuiuſq; libri Euāgelici exordia teſtantur. Nam quia ab humana generatione cœpit, iure per hominē Matthęus: quia per clamorem in deſerto, rectè deſignatur per leonē Marcus. Quia à ſacrificio exorſus eſt, bene per uitulū Lucas. Quia uerò à diuinitate uerbi cœpit, dignè per aquilam ſignificat̄ Ioannes, qui dicit: In principio erat uerbum, & uerbū erat apud deum, & deus erat uerbum. Ioan.1 Dum in ipſa diuinitatis ſubſtantia intendit, quaſi more aquilæ oculos in ſolē fixit. Sed quia electi omnes membra ſunt redemptoris noſtri, ipſe autem redemptor noſter caput 2.Tim.3 eſt omnium electorum, per hoc quòd membra eius figurata ſunt, nihil obſtat ſi etiam in his omnibus & ipſe ſignetur. Ipſe em̄ unigenitus dei filius ueraciter factus eſt homo, ipſe in ſacrificio noſtræ redemptionis dignatus eſt mori ut uitulus, ipſe per uirtutem ſuæ fortitudinis ſurrexit ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibet̄, quia in ipſa morte in qua ex humanitate redemptor noſter dormire potuit, ex diuinitate ſua immortalis permanendo uigilauit. Ipſe etiam poſt reſurrectionē ſuam aſcendens ad cœlos, in ſuperioribus eſt eleuatus ut aquila. Totum ergo ſimul nobis eſt, quia & naſcendo homo, & moriendo uitulus, & reſurgendo leo, & ad cœlos aſcendendo aquila factus eſt. Sed quia per hæc animalia Euangeliſtas quatuor, & ſub eorum ſpecie ſimul perfectos omnes iam ſuperius ſignificari diximus, reſtat ut quomodo unuſquiſq; electorum iſtis animalium uiſionibus exprimatur, oſtendamus. Omnis etenim electus atq; in uia dei perfectus, & homo, & uitulus, & leo ſimul & aquila eſt. Homo enim rationale eſt animal. Vitulus autem in ſacrificio mactari ſolet. Leo uerò fortis eſt beſtia, ſicut ſcriptū eſt: Leo Prou.30 fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum. Aquila ad ſublimia euolat, & irreuerberatis oculis ſolis radijs intendit. Omnis itaq; qui in ratione perfectus eſt, homo eſt. Et quoniam ſemetipſum ab huius mundi uoluptate mortificat, uitulus eſt. Quia uerò ipſa ſua ſpontanea mortificatione cōtra aduerſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet, unde ſcriptum eſt, Iuſtus autem quaſi leo Prou.28 confidens abſq; terrore erit, leo eſt. Quia uerò ſublimiter contemplatur ea quæ cœleſtia atq; terrena ſunt, aquila eſt. Igitur quoniam iuſtus quiſque per rationem homo, per ſacrificium mortificationis ſuæ uitulus, per fortitudinē ſecuritatis leo, per cōtemplationē uerò efficit̄ aquila, rectè per hæc ſancta animalia ſignari unuſquiſq; perfectus poteſt. Quod idcirco dicimus, ut ea quæ de quatuor animalibus dicta ſunt, pertinere quoq; etiam ad perfectorum ſingulos demonſtremus. Sed magna nobis de eiſdem Euangeliſtis & ſanctis prędicatoribus quæſtio oritur, cur homo & leo à dextris ipſorū quatuor, uitulus uerò à ſiniſtris ipſorū quatuor eſſe perhibetur. Neq; enim ſine mira ratione eſt, cur duo illa à dextris, & unū hoc eſſe à ſiniſtris dicitur: Et rurſum quærendum, cur aquila non à dextris uel ſiniſtris, ſed deſuper ipſorū quatuor eſſe memoratur. Duas itaq; nobis quæſtiones obiecimus, quas oportet ut aperiente domino diſſoluamus. Homo igitur & leo à dextris, uitulus uero à ſiniſtris eſſe perhibet̄. A dextris etenim læta, à ſiniſtris uerò triſtia habemus. Vnde & ſiniſtrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

siniſtrum nobis esse dicimus hoc quod aduersum esse deputamus. Et sicut præfati sumus, per hominem incarnatio, per uitulum passio, per leonẽ uerò authoris nostri resurrectio designatur. De incarnatione autem unigeniti filij, qua redempti sumus, omnes electi lætati sunt, de morte uerò illius, ipsi electorum primi sancti Apostoli contristati, qui iterũ de eius resurrectiõe gauisi sunt. Quia eius & natiuitas & resurrectio lætitiam discipulis præbuit, quos eius passio cõtristauit, homo & leo à dextris, uitulus uerò à siniſtris eius fuisse describitur. Ipsi nanq; Euangelistæ sancti de eius humanitate gauisi sunt, de eius resurrectione cõfirmati, qui de eius passione fuerant cõtristati. Homo ergo & leo eis à dextris est, quia redemptoris nostri eos incarnatio uiuificauit, resurrectio confirmauit. Sed uitulus à siniſtris, quia mors illius eos ad momentũ temporis in infidelitate prostrauit. Iure autem locus aquilæ nõ iuxta, sed desuper esse describitur, quia siue per hoc quòd eius ascensionem signat, seu quia uerbũ patris deũ apud patrem esse denunciat, super Euangelistas cæteros uirtute contemplationis excreuit, cum quibus & simul de eius deitate loquit, hanc tamẽ omnibus subtilius cõtemplatur. Sed si aquila cũ tribus alijs adiũcta, quatuor animalia esse memorantur, mirũ quomodo desuper ipsorũ quatuor esse describit, nisi quia Ioannes per hoc quod in principio uerbum uidit, etiã super semetipsum trãsiit. Nam nisi & se transisset, uerbũ in principio nõ uidisset. Qui ergo & semetipsum trãsgressus est, nõ iam solummodo super tria, sed adiuncto & se, super quatuor fuit. Sequitur: Et facies eorum & pennę eorum extentæ desuper.] Facies & pennæ extentæ desuper describuntur, quia omnis intẽtio, omnisq; cõtemplatio sanctorum super se tẽdit, ut illud possit adipisci quod in cœlestib. appetit. Siue em̃ bono operi, siue uerò inuigilet cõtemplationi, tũc ueraciter hoc quod agit bonũ est, quando ei cõplacere cõcupiscit à quo est. Nam qui bona agere uidetur, & per hæc nõ deo sed hominib. placere desiderat, intẽtionis suæ faciẽ deorsum premit. Et qui idcirco in sacro eloquio ea, quæ diuinitatis sunt cõtemplatur, ut per hoc quod intelligit occupari ad quæstiones possit, quia nõ dulcedine quæsitæ beatitudinis satiari appetit, sed doctus uideri, iste nimirũ intellectus sui pennas desuper nõ extẽdit: sed quoniã sensus sui uigilantiã in terreno appetitu occupat, pẽnas quas subleuare in altũ, & quib⁹ subleuari ipse potuit, in imis deponit. Qua in re pensandũ est ut omne bonũ quod agit, per intentionẽ semper ad cœlestia leuet. Qui em̃ per bona quæ facit, terrenam gloriam concupiscit, pennas suas & faciem suam deorsum deprimit. Hinc em̃
Oseæ 5 per prophetam de quibusdam dicitur: Victimas in profundum deferebant. Quid enim sunt lachrymæ orationis, nisi uictimæ oblationis nostræ? si-
Psal. 50 cut scriptum est: Sacrificium deo spiritus contribulatus. Et sunt nõnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiũt, ut aut terrena cõmoda acquirant, aut hominib. sancti esse uideantur. Quid isti, nisi uictimas in profundum deferũt? Qui per hoc q; in imo sunt quæ requirunt, orationis suæ sacrificium deorsum deponunt. Electi autem quia & in bono opere omnipotenti deo placere appetunt, & per cõtemplationis gratiam, æternam iam beatitudinem degustare concupiscunt, facies & pennas desuper extendunt. Sequitur: Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.] Dictum fuerat: Et facies & pẽnę eorum extentæ desuper, atq; mox subiunctũ est hoc quod protulimus, quia duæ pẽnæ singulorũ iungebantur. Vbi apertè intelligitur quia extẽdebantur desuper & iungebãtur, duæ uerò tegebãt corpora eorũ. Quid autem pẽnæ animaliũ, nisi alę nominãtur? Qua in re nobis diligẽti perscrutatione quęrẽdum est, quę sint quatuor pẽnæ sanctorum, ex quib. duæ superius extensæ iungũtur, duæ uerò eorũ corpora cõtegũt. Si em̃ uigilãter aspicim⁹, quatuor esse uirtutes inuenim⁹, quæ à terrenis actibus omne pẽnatum animal leuant, in futuris uidelicet amor & spes, de præteritis autem timor & pœnitẽtia. Pẽnæ ergo sibimet iunctæ superius extendũtur, quia sanctorũ mentem amor & spes ad æterna subleuãt. Quæ aptè quoq; coniunctæ nominantur, quia electi proculdubio & amant cœlestia quæ sperant, & sperãt quæ amant. Duæ uerò corpora contegũt, quia timor & pœnitẽtia ab omnipotẽtis dei oculis eorum mala præterita abscondũt. Duæ itaq;, ut dictum est, pẽnæ iungunt̃ sursum, quando amor & spes electorum corda ad superiora eleuant, ad cœlestia suspendũt. Duæ autem pẽnæ tegunt corpora, quando eorũ mala prę terita à conspectu æterni iudicis timor & pœnitentia abscondunt. In eo em̃ quòd se peccasse meminerunt, quia pertimescũt & deflent, quid aliud quam corpus cooperiunt? Qui facta carnalia per superducta bona opera à districto examine abscõdunt. Scriptum quippe est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Peccata enim tegimus, cùm bona facta malis actib. superponimus. Omne em̃ quod operit̃, inferius ponitur, & hoc unde operit̃, desuper ducitur Quãdo ergo abdicamus mala quæ fecimus, & eligimus bona quæ faciamus, quasi tegimẽ ei rei superducimus quam erubescimus uidere. Quanlibet em̃ sancti uiri in hac adhuc uita sint, habẽt tamen quod ante dei oculos operire debeant, quia omnino est impossibile ut aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione nunq; delinquãt. Vnde & B. Iob qui perfecta quidẽ hominib. dixerat, Iob 3⁰
dei tñ uocẽ audiẽs, secũ ipsum de ipsa sua perfecta locutione reprehẽdens, dicebat: Manũ meã ponã super os meũ. In manu quippe operatio, in ore locutio est. Manũ ergo super os ponere, est peccata locutionis per uirtutẽ boni operis tegere. Libet fratres chariſſimi ad hui⁹ rei testimoniũ magistrũ gentium uocare, qualiter sanctũ illud animal alis quatuor innitatur aspicere, ex quib. duabus ad superiora euolat, duabus uerò pennis corpus cõtegit, quia præterita quæ egerat, abscõdit. Videam⁹ igitur quantus hunc amor ad cœlestia eleuet: Mihi ui-

Amor & spes sanctorum mentẽ eleuant ad superna

hi uiuere Christus est, & mori lucrum. Cognoscamus quanta spe ad superiora tollitur: Nostra con-
Phil.3 uersatio in cœlis est, unde etiam saluatorem expectamus Iesum Christum dominum nostrum. Videamus si & in tantis uirtutibus positus adhuc timeat: Castigo corpus meum, & seruituti subijcio,
1.Cor.9 ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobꝰ efficiar. Cognoscamus si hūc mala fecisse pœnitet: Ego minimus Apostolorum sum, qui non sum di-
1.Cor.15 gnus uocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiā dei. In cuius uerbis quid aliud q̄ duritia nostræ mentis accusatur? quia ipse plangit quod ante baptisma commiserat, nos uerò & post baptisma multa commisimus, & tamē flere recusamus.
Quatuor itaq; pennis sancta animalia utunt̄, quia B per amorem & spem ad cœlestia euolāt, & per timorem & pœnitentiam facta in se illicita deplorant, Sed quia dictum est, duæ pennę singulorum iungebantur, hoc fortasse intelligitur q̄ nō pennas proprias eleuantes iungant, sed unius ad alterum pennæ coniunctæ sunt, ut pēnæ uidelicet eleuatæ uicissim sibi in coniunctione cōcordēt. Qua in re quæstio oritur, quia si duæ pēnæ quæ eleuantur, amorem & spem, duæ uerò quę corpora contegunt, timorem & pœnitentiam designant: cur duæ quæ extentæ sunt, dicuntur esse coniunctæ, & duæ quæ corpus cōtegunt, non dicuntur? Sed hac in re facilis largiēte domino ratio occurrit, q̄ sanctorum pēnæ coniūctæ sunt amor & spes: duę uerò pēnæ quæ corpora contegunt, sibimetipsis C ad alterutrum cōiunctæ nō sunt, timor & pœnitētia. Dauid enim pro lapsu carnis timendo & pœnitendo affligitur. Petrus casum perfidiæ fleuit amarè. Paulus in se crudelitatem præteritæ persecutionis plangit. Omnes tamē unam patriam appetunt, ad unū authorem omniū peruenire festinant. Duæ ergo singulorum pēnæ cōiunctę sunt, & duæ nō sunt: quia per amorē & spem unum est quod desiderant, sed per timorem & pœnitentiā diuersum est quod deplorant. Sequitur: Et unumquodq; eorum coram facie sua ambulabat.]
Dictum superius fuerat, unumquodq; eorū ante faciem suam gradiebatur, nunc autem dicitur, coram facie sua ambulabat. Ipsa itaq; repetita uidetur esse sententia Sed quia coram in præsenti di- D
cimus, possumus subtilius inquirendo discernere, quod aliud sit ante faciem ambulare, atq; aliud in præsenti. Ante faciem quippe ambulare, est anteriora appetere. In præsenti uerò ambulare, est sibimetipsi absentem non esse. Omnis etenim iustus qui uitam suam sollicitus aspicit, & diligēter considerat quātum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum à bonis decrescat, iste quia se ante se ponit, coram se ambulat, quippe qui uigilanter uidet utrum surgat an defluat. Quisquis uerò uitę suæ custodiā negligit, discutere quę agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit aut nescit, corā se iste nō ambulat: quia qualis sit in suis moribus uel in actibus, ignorat. Nec sibimetipsi præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere atq; cognoscere sollicitus non est. Ille autem ueraciter se ante se ponit, sibiq; in præsēti est, qui se in suis actibus tāquam alium attēdit. Nam sunt multa peccata quæ cōmittimus, sed idcirco nobis grauia non uidentur, quia priuato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur. Vnde fit plerunq; ut & nostra grauia leuiter, & proximorum mala leuia grauiter iudicemus. Scriptum quippe est: Erunt homines seipsos amātes.
Et scimus quia uehemēter claudit oculum cordis 2.Tim.3
amor priuatus. Ex quo fit ut hoc q̄d nos agimus, & graue esse non existimamus, plerunq; agatur à proximo, & nimis nobis detestabile esse uideat̄. Sed quare hoc quod in nobis uile esse uidebatur, graue esse uidetur in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximū conspicimus sicut nos? Si enim nos sicut proximū aspiceremus, nostra reprehēsibilia districtè uideremus: Et rursum si proximum aspiceremus ut nos, nūquam nobis eius actio appareret intolerabilis, qui sæpe fortasse talia egimus, & nil nos proximo intolerabile fecisse putabamus. Hoc malè diuisum mentis nostræ iudicium corrigere per legis præceptū Moyses studuit, cum dixit ut iustus deberet esse modius, æquusq; sextarius. Hinc Salomon ait: Pondus
Leui.19 & pondus, mensura & mēsura, utrunq; abomina-
Prou.20 bile est apud deum. Scimus quia in negociatorū duplici pondere, aliud maius, aliud minus est. Nā aliud pondus habent ad quod pensant sibi, & aliud pondus ad quod pensant proximo. Ad dandum pondera leuiora, ad accipiendum uerò grauiora præparāt. Omnis itaq; homo qui aliter pensat ea quę sūt ꝓximi, & aliter ea quę sua sunt, pondus et pōdus habet. Vtrūq; ergo abominabile est apud deum, quia si sic proximū ut se diligeret, hūc in bonis sicut se amaret. Et si sic se sicut proximū aspiceret, se in malis sicut proximū iudicaret. Debemus ergo nosmetipsos solicite sicut alios uidere: nosq; ipsos, ut dictum est, ante nos ponere, ut pennata animalia incessanter imitantes, ne nescia mus quid agimus, coram facie nostra semper ambulemus. Peruersi autem, sicut paulo ante iam diximus, coram facie sua nō ambulant, quia ea quæ agunt, nunquam considerant, ad interitum tendunt, in prauis actibus exultant. De quibus scriptum est: Qui lætantur cùm malefecerint, & ex- Prou.2
ultant in rebus pessimis. Sæpe uerò iustus qui eos conspicit, deflet: sed ipsi phreneticorū more plan guntur & rident. Alij indigentibus de rebus proprijs multa largiuntur, sed cùm occasionis tempus inuenerint, indigentes opprimūt, eosq; quibus ualuerint rapinis deuastant. Ponunt ante oculos cogitatiōis suæ bona quæ faciunt, & nō ponunt pessima quę cōmittunt. Hi uidelicet corā facie sua non ambulant, quia si sibimetipsis præsentes essent, cuncta subtiliter quæ agunt uiderent, qualiter bona opera malis actibus perdant agnoscerent, Sicut scriptū est: Et qui mercedes cōgre- Aggei 1
gauit, misit eas in sacculum pertusum. De pertuso quippe sacculo aliunde exit quod aliunde mittit̄, quia indiscretę mentes mercedem quæ ex bono opere acquirit̄, non aspiciunt quō ex malo opere perdatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

perdatur. Alius castitatem corporis seruat, seq; ui gilanter circunspicit, ne quid foris reprehensibili ter admittat, suis contentus est, aliena non diripit, sed tamen in corde odium fortasse contra proximum seruat. Et cùm scriptum sit: Qui odit fratrẽ
1.Ioan.3 suum, homicida est, considerat quàm sit mundus foris in opere, & non perpendit quàm sit crudelis in mente. Quid iste nisi sibimetipsi absens est, qui in cordis sui tenebris ambulat & ignorat? Alius iam aliena non diripit, iam corpus ab immunditia custodit, iam mente pura proximum diligit, & malorum præteritorum cõscius lamentis se in precibus afficit. Sed finita prece lætatur, de quibus in hoc mundo gaudeat requirit, & temporalibus gaudijs negligentem animum dimittit, nec curat ne in eo lachrymarum mensuram immoderata gaudia trãseant. Fitq; ut bonum nimiè ridendo perdat, quod plangendo lucratus est. Hic itaq; coram facie sua non ambulat, quia damna quæ patitur, cõspicere recusat. Scriptum quippe est: Cor
Eccls 7 sapiẽtium ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lętitia. In cunctis ergo quæ agimus, diligenter nosmetipsos cõspicere interius exteriusq; debemus, ut pennata animalia sequẽtes, nobismetipsis præsentes simus, & coram facie nostra semper ambulemus, habentes adiutorem unicum patris Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum deo uiuit & regnat in unitate, &c.

Homilia quinta.

Bi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent. Et similitudo animaliũ & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat uisio discurrẽs in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.

O Quàm mira est profunditas eloquiorũ dei, libet huic intendere, libet eius intima gratia duce penetrare. Hanc quotiens intelligendo discutimus, quid aliud quàm syluarum opacitatẽ ingredimur, ut in eius refrigerio ab huius seculi æstibus abscondamur? Ibi uiridissimas sententiarũ herbas legendo carpimus, tractando ruminamus. In ea locutiõe quæ ad uos fratres charissimi nudiustertius facta est, qualiter ostensa animalia uel redemptorem nostrum, uel quatuor eius Euangelistas atq; perfectos omnes significẽt, dictum est. Quorum uidelicet animaliũ adhuc subtilius uirtus exprimitur, ut ad eorum imitationẽ nos quoq; infirmi & despicabiles, inquantum Domino largiente possumus, extẽdamur. Ecce enim dicitur:

Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.]

In electis & reprobis diuersi sunt impetus. In electis uidelicet impetus spiritus, in reprobis impetus carnis. Impetus quippe carnis ad odium, ad elationem, ad immunditiam, ad rapinam, ad exteriorem gloriam, ad crudelitatem, ad perfidiam, ad desperationem, ad iram, ad iurgia, ad uoluptates animum impellit. Impetus uerò spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiæ, ad interiorem profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad spem sequentis gaudij, ad patientiam, ad pacem, ad considerationem uitæ immortalis, ad lachrymas mentem pertrahit. Vnde necesse est ut magna semper cura cõsiderare debeamus in omne quod agim⁹, qui nos impetus ducat, utrũ nostra cogitatio per impetum carnis, an per impetum spiritus impellatur. Amare etenim terrena, temporalia æternis præponere, exteriora bona non ad usum necessarium habere, sed ad uoluptatem cõcupiscere, ultionem de inimico quærere, de æmuli casu gaudere, impetus carnis est. At contrà amare cœlestia, contemnere transitoria, non ad fructum uoluptatis transitoriæ, sed ad usum necessitatis quærere, de inimici morte tribulari, impetus spiritus est. Et quia perfecti quiq; in istis se semper uirtutibus exercent, rectè nunc de sanctis animalibus dicitur:

Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.]

Sed sciendum nobis est quod plerunq; impetus carnis se sub uelamine spiritalis impetus palliat, & quod carnaliter facit, mentitur sibi ipsa cogitatio quia hoc spiritaliter faciat. Nam sæpe quis iracundiæ stimulis uictus, contra delinquentes zelo ulciscendæ iustitiæ plusquam necesse est inflammatur, & iustitiæ limitem in ultione transiens, agit crudeliter quod se agere iustè suspicatur. Impetus igitur carnis huic sub specie spiritus uelatus est, quando hoc quod iustè agi creditur, sub discretionis moderamine nõ tenetur. Et sæpe alius nimiæ mansuetudini studens, subiectorum uitia aspicit, atq; hæc per feruorem zeli corrigere recusat, quæ in eis crudeliter non corrigendo multiplicat. Fitq; ut eius lenitas & sibi sit & subiectis inimica, qui torporem mentis suæ patientiam deputat, per carnis spiritum ab impetu spiritus elõgat. Prima ergo in nos cogitatio inquisitionem nostri cordis debet excutere, ne ad quædã quæ agimus, per apertum carnis impetum ducamur, nec pra-
D uis cogitationibus animus seductus, mala esse cognoscat, & tamen faciat. Secunda uerò nos cura debet uigilãtes reddere ne se impetus carnis quasi impetus spiritus latẽter subijciat, & culpas quas agimus, nobis uirtutes fingat. Sciendum uerò est, quia grauiores culpæ sunt quæ superducta specie uirtutes imitantur, quia illæ in aperto cognitæ, animum in confusionem deijciunt, atq; ad pœnitentiam trahunt: istæ uerò non solum in pœnitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis eleuant, dum uirtutes putãtur. Hoc autem quod de sanctis animalibus dictum superius fuerat, ut altius confirmetur, iterum replicatur: Nõ reuertebantur cùm ambularẽt.] Quia electi quique sic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant. Qui enim perseuerauerit usq; in finem, hic

nem, hic ſaluus erit. Et ſicut per Salomonē dicit: Iuſtorū ſemita quaſi lux ſplēdens procedit, & creſcit uſq; ad perfectū diem. In eorum nanq; animis bonū deſideriū atq; intellectus lucis intimæ iam pars diei eſt: ſed quia uſq; ad finem uitæ in uirtute proficiunt, ad perfectū diem tunc ueniūt quando ad regna cœleſtia perducti, in ea luce quā deſiderant, iam minus aliquid nō habebunt. Sequitur:

Et ſimilitudo animaliū & aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardētium, & quaſi aſpectus lampadarū.] Aſpectus animaliū carbonib. ignis ardētibus atq; lāpadib. cōparatur. Quiſquis ēm carbonem tāgit, incēditur, quia qui ſancto uiro adhęret, ex eius aſſiduitate uiſionis, uſu locutiōis, exēplo operis, accipit ut accēdat in amorē ueritatis, peccatorū ſuorū tenebras fugat, in deſiderio lucis exardeſcit: ut iam per uerū amorē ardeat, qui prius in iniquitate tm̄ mortuus quantū frigid⁹ iacebat. Lāpades uerò lucē ſuā longius ſpargūt, & cū in alio ſint, in alio reſplendēt. Qui ēm ſpiritu prophetiæ uerbo doctrinæ, miraculorū pollet gratia, huius opinio lōgè lateq; ut lāpas lucet: & quicq; bona eius audiūt, quia per hæc ad amorē cœleſtium ſurgunt, in eo q; ſe per bona opera exhibēt, quaſi ex lāpadis lumine reſplendēt. Quia ergo ſancti uiri quoſdā iuxta ſe poſitos quaſi tangēdo ad amorem patriæ cœleſtis accēdūt, carbones ſunt. Quia uerò quibuſdā longè poſitis lucēt, eorum itinera ne in peccati ſui tenebras corruant, lāpades fiunt. Hoc uerò inter carbones & lāpades diſtat, q; carbones ardent quidem, ſed eius loci in quo iacuerint tenebras nō expellunt. Lampades autē quia magno flāmarum lumine reſplendēt, diffuſas circunquaq; tenebras effugant. Qua ex re notandū eſt, quia ſunt plerisq; ſanctorū ita ſimplices & occulti, ſeſeq; in locis minorib. ſub magno ſilentio contegētes, ut uix eorū uita ab alijs poſſit agnoſci. Quid itaq; iſti niſi carbones ſunt? Qui etſi per feruorem ſpiritus ardorem habent, tamē exempli flammam non habent. Nec in alienis cordib. tenebras peccatorum uincunt, quia uitā ſuā omnino ſciri refugiūt. Sibimetipſis quidem accēſi ſunt, ſed alijs in exemplo luminis nō ſunt. Hi autem qui & exempla uirtutum prærogant, & lumē boni operis per uitam & uerbū errantibus demonſtrāt, iure lampades appellātur: quia & per ardorem deſiderij, & per flammā uerbi, à peccatorū cordibus erroris tenebras expellunt. Qui igitur in occulto bene uiuit, ſed alieno profectui minimè proficit, carbo eſt. Qui uerò in imitatione ſanctitatis poſitus, lumen ex ſe rectitudinis multis demonſtrat, lampas eſt: quia & ſibi ardet, & alijs lucet. Sequit:

Et hæc erat uiſio diſcurrēs in medio animaliū, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediēs.] Splēdor ignis & de igne fulgur egrediens in medio animalium diſcurrens uidet, quia niſi ab igne ueritatis pēnata illa animalia calorem ſuſciperent, ipſa in carbonū atq; lampadarū ſimilitudinē nō arderent. Ignis ēm nomine, ſanctus ſpiritus ſignificari ſolet. De quo in Euāgelio dominus dicit: Ignem ueni mittere in terrā, & quid uolo niſi ut accendatur? Cùm enim carnalis mens ſpiritum ſanctum accipit, ſpiritali amore ſuccēſa malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando accuſante ſe cōſciētia cor peccatoris uritur, atq; in dolore pœnitentiæ crematur. Hinc rurſum ſcriptū eſt: Deus tuus ignis conſumēs eſt. Quia enim mentē quā repleuerit, eam à peccatorū rubigine mundam reddit, creator noſter & ignis dicitur, & conſumens. Sanctus ergo ſpiritus in medio animalium ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediēs diſcurrere dicitur, quia uniuerſam Eccleſiam replēs, in electorum cordibus ex ſeipſo flāmas amoris proijcit, ut coruſci more, per terrorē ferīat, et ad amorē ſuum corda torpentia accendat. Sed quia ſpiritus ſanctus deus ante ſecula patri eſt & filio coæternus, quærendū nobis eſt cur diſcurrere dicatur. Omnis etenim qui diſcurrit, accedit ad locū in quo nō fuit, & eum deſerit in quo fuit. Qua igit̄ ratione diſcurrere ſpiritū dicamus, dum cuncta intra ipſum ſint, & locus nuſq; ſit ubi nō ſit? ſicut ſcriptū eſt: Spiritus dn̄i repleuit orbem terrarū. Et tamē cùm laus ſapientiæ deſcriberet̄, adiunctum eſt: Eſt ēm in illa ſpiritus intellectus, ſpiritus unicus, multiplex, ſubtilis, mobilis. Et paulopoſt: Humanus, ſtabilis. In quib. rurſum uerbis magna nobis quęſtio oritur, cur iſte ſpiritus qui implet om̄ia, ſimul mobilis & ſtabilis dicatur? Sed ſi ad uſum conſuetudinis humanæ recurrimus, ſenſum citius loquētis inuenimus. Homo quippe quia in ea regione in qua eſt ubiq; diſcurrit, procul dubio ubiq; obuiam uenit, & repentè ubi nō creditur, inuenitur. Omnipotētis ergo ſpūs ut ubiq; præſentia ſignaretur, ſimul & mobilis & ſtabilis dicitur. Stabilis quia per naturā omnia cōtinet. Mobilis aūt dicit̄, quia ubiq; etiā neſcientibus occurrit. Tenēs ergo omnia, ſtabilis, præſentē ſe omnib. exhibens, mobilis appellat̄. Splendor ergo ignis & de igne fulgur egrediens inter pennata animalia diſcurrit, quia ſpiritus ſanctus ſimul ſingulis atq; omnibus præſto ſit, & incēdit quos cōtigerit, & illuminat quos incendit: ut poſt frigus priſtinū accēſi ardeant, & per ignē amoris quē acceperint, flāmas exemplorū reddāt. Fulgur quippe de hoc igne egrediens torpentes mentes percutit, easq; percutiendo excitat & inflāmat, ut poſt amorē illius ardentes pariter & lucētes currāt. Vnde alias ſcriptum eſt: Thronus eius flāma ignis, totę eius ignis accēſus. Hi ēm qui animarū cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperūt, mutare loca minimè permittunt̄. Sed quia uno in loco poſiti, diuinitatis in ſe præſentiā portāt & ardent, thronus dei flamma ignis dicit̄: Hi aūt qui amore dn̄i in prædicatione diſcurrūt, rotæ eius ignis ardentes ſunt: quia cùm ex eius deſiderio per uaria loca diſcurrunt, unde ipſi ardēt, alios accēdunt. Poteſt tamen diſcurſus atq; mobilitas ſpiritus requiſitione alterius conſiderationis intelligi. In ſanctorū quippe cordibus iuxta quaſdam uirtutes ſemper permanet, iuxta quaſdā uerò receſſurus uenit, & uēturus recēdit. In fide etenim, ſpe atq; charitate, & in bonis alijs ſine quib. ad cœleſtē patriā nō poteſt ueniri, ſicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

est humilitas, castitas, iustitia, atque misericordia, perfectorum corda nō deserit. In prophetiæ uerò uirtute, doctrinæ facundia, miraculorū exhibitione, electis suis aliquādo adest, aliquando se subtrahit. Adest ut eleuentur, & semetipsum subtrahit, ut humilientur. Adest ut eos ostensa uirtute glorificet, recedit, ut semetipsos subtracta eius uirtute cognoscant. Adest ut ostendat quid per semetipsum sint, recedit ut patefaciat qui uel quales remaneant sine ipso. In his itaq; uirtutibus sine quibus ad uitam minimè peruenitur, sanctus spiritus in electorum suorū cordibus permanet. In his uerò per quas sanctitatis uirtus ostenditur, aliquando misericorditer præsto est, & aliquādo misericorditer recedit. Discurrens ergo & mobilis spiritus dicitur, quia in signis atq; uirtutibus iuxta uniuscuiusq; uotum cōtinuè nō habetur. Bene autē inter sancta animalia discurrere perhibetur. Discursus quippe ad celeritatē pertinet. Inter perfectos autem discurrit spiritus. Quia & si ab eorū corde ad momētum recesserit, citius redit. Sequitur: Et animalia ibant & reuertebantur in similitudinē fulguris coruscantis.] Cùm superius dictū sit: Nō reuertebantur cùm ambularēt, qua ratione nūc dicit: Animalia ibant & reuertebantur? Valde sibi hæc uidentur esse cōtraria, quia ibant & nō reuertebantur, & ibant & reuertebantur. Sed qualiter intelligē dum sit citius agnoscimus, si duas uitas, actiuā scilicet & cōtemplatiuā sollicitè discernamus. In una em̄ fixi permanere possumus, in altera autē intenta mēte manere nullo modo ualem⁹. Cùm em̄ torporem nostrū relinquimus, nosq; ipsos ad bonæ operationis studiū excitamus, quo alibi nisi ad actiuā imus, à qua reuerti pòst nos nullo modo debemus: quia qui post illā ad torporē negligentiæ, ad prauitatis nequitias quas reliquerat redit, esse sine dubio cœleste animal nescit. Cùm uerò ab actiua uita ad contemplatiuam surgimus, quia diu mēs stare in cōtemplatione non ualet, sed omne quod de æternitate per speculū & in ænigmate cōspicit, quasi furtim hoc & per transitū uidet, ipsa sua infirmitate ab immēsitate tātæ celsitudinis animus repulsus, in semetipso relabitur. Et necesse est ut ad actiuā redeat, secq; ipsum cōtinuè in usu bonæ operationis exerceat, ut cùm mens surgere ad cōtemplanda cœlestia nō ualet, quæq; potest bona agere nō recuset. Sicq; fit ut ipsis suis bonis actibus ad superiora rursus in cōtemplationem surgat, & amoris pastū de pabulo cōtemplatæ ueritatis accipiat. In qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas nō potest, ad bona rursus opera rediens, suauitatis dei memoria pascitur, & foris pijs actibus, intus uerò sanctis desiderijs nutritur. Hinc etenim de perfectis uiris post cōtemplationem suam redeūtibus dicit: Memoriā suauitatis tuæ eructabūt. Dulcedinē quippe suauitatis intimæ quia utcunq; possunt, uelut quodam ex coruscо, prægustando tangere, eius memoriā student recolendo semper & loquēdo eructare. Vnde & aperte nos Psalmista admonet, dicens: Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in dño, & cōfitemini memoriæ sanctitatis eius. Qui rursus ait: quàm magna multitudo dulcedinis tuæ dñe. Quę uidelicet q̄ magna esset, nullo modo cognosceret, nisi hāc aliquatenus cōtemplando gustasset. Hinc iterū dicit: Ego dixi in ecstasi mea p̄iectus sum à uultu oculorū tuorū. Nisi em̄ in mētis excessu subleuatus, dulcedinē suauitatis æternæ cognouisset, in hoc adhuc mundo retentus nō discerneret q̄ longè proiectus iaceret. Ostensa ergo animalia uadunt & nō reuertunt, atq; uadunt & redeūt: quia sancti uiri & ab actiua uita quā apprehēderunt, ad iniquitates nō corruūt, & à contemplatiua quā tenere iugiter nō possunt, in actiuā relabuntur. Sicut em̄ dictū est, ipso infirmitatis suæ pōdere deuicti, ad semetipsos repulsi redeūt, ut euntes discāt quid desiderent, & reuertētes, ubi iaceāt sciant. Euntes intelligāt ubi nondū sint, reuertentes quid sint. Sed qualiter hæc sancta animalia redeant, demōstratur cùm subditur: In similitudinē fulguris coruscātis.] Bene autē reuertentia animalia coruscanti fulguri cōparant, quia sancti uiri cùm ad superna cōtemplanda euolant, cùm primitias sui spiritus in cœlestis patriæ amore ligant, sed grauati humanæ cōuersationis pondere, ad semetipsos redeūt: bona cœlestia quæ saltem per speculū cōtemplari potuerūt, fratrib. denunciāt, eorūq; animos in amorē intimę claritatis accēdūt, quā nec uidere sicut est, nec loqui prælent sicut uiderunt. Loquētes autē uerbis suis corda audientiū feriunt & incendūt. Quasi ergo fulgur coruscās redeunt, quia cùm cœlestia loquuntur, per eos supernū lumen intermicat, & ad amorem cœlestis patriæ mētes audiētium inflammat. More itaq; coruscātis fulguris cùm loquēdo percutiunt, ignem spiritalis desiderij spargunt. Alio quoq; modo sancta animalia uadunt & redeunt. Vadunt em̄ cùm ad insinuandā cœlestis doni gratiam, in prædicationē mittunt, atq; ut ad fidem trahant, mira corā infidelib. faciunt. Sed redeūt, quia hæc omnipotentis domini uirtuti tribuētes, sibimetipsis quæ fecerint nō ascribunt. Cùm em̄ stupenda faciunt fulgura sunt: quia corda intuētium cōcutiunt, terrent, illuminant, & accendunt. Vnde scriptum est: In lumine iacula tua ibunt, in splē dore fulguris armorum tuorū. Iacula domini sunt uerba sanctorum, quæ corda peccātium feriunt. Sed ista iacula habēt arma. Scitis fratres quia præliatores uiri iacula mittunt, armis uerò muniunt. Dum ergo uerbis addunt miracula, quasi armis se muniunt, ne ipsi feriant. In lumine iacula tua ibunt, quia in aperto exeūt uerba dei. Sed quia comitari debent sentētias doctorum, facta miraculorum, rectè subiungitur: In splēdore fulguris armorum tuorū.] Quia dum addunt eis arma miraculorum, mētes persequētium fulgurant, ut eos persequi nō præsumāt. Hæc itaq; animalia uadūt & reuertuntur in similitudinē fulguris coruscātis. quia postquam mira sancti inter homines faciunt postq̄ corda audiētium sparso lumine incēdunt, ad quandam authori suo gloriam redeunt, ut illi laudem reddant per quem se posse talia sciunt. Sic

Pfal. 144

Pfal. 86

Pfal. 30

Abac. 3

Petrus

Petrus cùm sanato homine qui claudus ex utero matris fuerat, signum fecit, quod omnes qui cognoscerent ualde mirarentur, dixit: Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini quasi nostra uirtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abrahã, deus Isaac & deus Iacob, Deus patrũ nostrorum glorificauit filium suum Iesum. Et paulò post. In fide nominis eius hunc quem uidetis & nostis, confirmauit nomẽ eius. Signum quippe faciens, intuẽtium oculos miraculi lumine perstrinxit, sed humilitatem custodiens, & laudem authori reddens, quasi unde uenerat redijt, quia lux fulguris unde fuerat ostẽdit. Sancta itaq; animalia cũ ad signa operãda ueniunt, & cũ ad reddendã authori suo gloriã intus apud semetipsa redeũt, fulgura sunt, quia & ostendendo miracula, & exempla humilitatis præbendo, mentes intuentium feriunt & incendunt. In omne autem quod faciunt, idcirco semper ad laudem creatoris redeunt, ut in ea uirtute quam accipiunt, uera stabilitate persistant. Nam si quid sibi tribuerent, in hoc quod acceperant, stare nõ possent. Vnde bene etiam per Salomonem dicitur: Ad locum de quo exeũt flumina, reuertuntur ut iterum fluant. Siue eñ in uirtutibus seu in doctrina, quid aliud sunt sancti uiri quàm flumina, quæ terram cordis carnalium aridam rigant? Sed siue in operatione quam faciunt, seu in doctrinæ uerbis citius siccarentur, nisi per intentionem cordis semper sollicitè ad locum de quo exeunt redirent. Si eñ introrsus ad cor nõ redeant, ac sese in amore conditoris desideriorũ uinculis nõ astringant, & manus ab eo quod agebat deficit, & lingua ab eo quod loquebatur arescit. Sed intus semper per amorem redeũt, & hoc quod in publico operantes atq; loquentes fundunt, in secreto suo de fonte amoris hauriunt: Amando eñ discunt, quod docendo proferũt. Ad locũ ergo de quo exeunt flumina, reuertunt̃ ut iterũ fluãt: quia aquã sapientiæ inde semper hauriunt unde orit̃, ne cùm cucurrerit exicceſ. Per omne ergo quod agimus, ad fontem ueri luminis sollicita mente redeamus. Reddamus creatori nostro gratias de bonis quæ accepimus, eiq; cum Esaia propheta supplicite dicamus: Omnia opera nostra operatus es nobis. Bona eñ nostra, eius sunt opera, cuius uiscerib. nõ suffecit ut nos erigeret, nisi & semetipsum pro nobis inclinaret. Si eñ coæternus patri deus ante secula nõ fieret homo in tempore, quando homo temporalis saperet æterna? Descensio ergo ueritatis, ascensio facta est humanitatis nostræ. Demus ei gloriam, demus laudem, qui uiuit cum patre in unitate spirituſſancti deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Act. 3

Esa. 26

Homilia sexta.

VNq; aspicerẽ animalia, apparuit rota una super terrã, iuxta animalia, habẽs quatuor facies. Et aspectus rotarũ et opus earũ quasi uisio maris, & una similitudo ipsarũ quatuor, & aspectus earũ & opera quasi sit rota in medio rotæ. Per quatuor partes earum euntes ibant, & non reuertebantur cũ ambularent. Statura quoq; erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus.

TEnebrosa aqua in nubibus aeris: quia obscura est scientia in prophetis. Sed Salomonis uoce attestãte didicimus: Gloria regũ, cælare uerbum, & gloria dei est inuestigare sermonem: quia & honor est hominum, eorũ secreta abscondere, & gloria dei est, mysteria sermonis eius aperire. Ipsa autem per se ueritas discipulis dicit: Quæ dico uobis in tenebris, dicite in lumine, id est, apertè exponite quæ in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnæ uerò utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum dei, quia exercet sensum ut fatigatione dilatet̃, & exercitatus capiat quod capere non potest ociosus. Habet quoq; adhuc aliud maius, quia scripturæ sacræ intelligentia si in cunctis esset aperta, uilesceret. In quibusdam locis obscuriora tanto maiore dulcedine inuenta reficit, quã to maiore labore fatigat animũ quæsita. Ecce eñ sancti Ezechielis nunc uoce dicitur: Cumq; aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.] Quid autẽ rota, nisi sacrã scripturam signat, quæ ex omni parte ad auditorum mẽtes uoluit̃, & nullo erroris angulo à prædicationis suæ uia retinet̃? Ex omni autẽ parte uoluit̃, quia inter aduersa & prospera, & rectè & humiliter incedit. Circulus quippe præceptorum illius modo sursum, modo deorsum est, quia quæ perfectioribus spiritaliter dicunt̃, infirmis iuxta literam congruunt. Et ipsa quæ paruuli iuxta literam intelligunt, docti uiri per spiritalem intelligentiã in altum ducũt. Quis nãq; paruulorum in facto Esau & Iacob, quòd alter ad uenatum mittitur ut benedicat̃, alter uerò per suppositionem matris à patre benedicit̃, nisi iuxta sacræ lectionis historiã pascitur? In qua uidelicet historia si ad intellectũ paulo subtilius astringatur, uidet̃ quia Iacob primogeniti benedictionem non per fraudem surripuit, sed ut sibi debitã accepit, quam concedente fratre data lentis mercede emerat. At uerò si quis altius sentiens, utrorunq; facta uelit per allegoriæ arcana discutere, protinus ab historia in mysterium surgit. Quid est eñ quòd Isaac de maioris filij sui uenatione uesci concupiscit, nisi quòd omnipotens Deus Iudaici populi bona operatione pasci desiderabat? Sed illo tardante, minorem Rebecca suppositum, quia dum Iudaicus populus bona opera foris quærit, gentilem populum mater gratia instruxit, ut omnipotenti patri cibum boni operis offerret, benedictionemq; maioris fratris acciperet. Qui eosdẽ cibos ex domesticis animalibus præbuit: quia gẽtilis populus placere deo de exterioribus sacrificijs non quærens, per uocem prophetiæ dicit: In me sunt deus uota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quid est quòd idem Iacob manus ac brachia & collum hœdinis pellibus texit, nisi quòd hœdus pro peccato offerri consueuit? Et gentilis populus

Gen. 27

Psal. 55

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulus carnis quidē in se peccata mactauit, sed co- A
opertum se peccatis carnalibus cōfiteri non eru-
buit. Quid est quòd uestimētis fratris maioris in-
duitur, nisi quòd sacræ scripturæ præceptis quæ
maiori populo data fuerāt, in bona operatione ue
stitus est? Et eis minor in domo utit̄, quę maior fo
ras exiens intus reliquit: quia illa gētilis populus
præcepta tenet in mēte, quæ Iudaicus populus ha
bere non potuit dum solam in eis literam attēdit.
Et quid est quòd Isaac eundem filium nescit quē
benedicit, nisi hoc quod de gentili populo domi-
Psal.17 nus per Psalmistam dixit: Populus quem non co-
gnoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mi-
hi? Quid est quòd præsentem non uidet, & tamē
quæ ei in futuro ueniebant uidet, nisi quòd omni B
potēs deus cū per propheras suos prædicaret gē-
tilitati gratiam prærogandam, eam & in præsenti
per gratiam non uidet, quia tunc in errore dereli-
quit, & tamen quia hanc quandoq; collecturus e-
rat, per benedictionis gratiam præuidit. Vnde &
idem Iacob gentilis populi figuram tenet, eiq; in
benedictione dicitur: Ecce odor filij mei sicut o-
Gen.27 dor pleni agri, cui benedixit dominus deus. Sicut
enim in Euangelio ueritas dicit: Ager est hic mū-
Luc.17 Mat.13 dus. Et quia gētilis populus ad fidem perductus,
per electos suos in uniuerso mundo uirtutibus re
dolet, odor filij, odor est agri pleni. Aliter nanque
olet flos uuæ: quia magna est uirtus & opinio prę
dicatorum, qui inebriant mentes audientium. A-
liter flos oliuæ, quia suaue est opus misericordiæ, C
quia more olei refouet & lucet. Aliter flos rosæ,
quia mira est fragrantia quæ rutilat & redolet ex
cruore martyrum. Aliter flos lilij, quia candida ui
ta carnis est de incorruptione uirginitatis. Aliter
flos uiolæ, quia magna est uirtus humiliū, qui ex
desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatē
à terra in altum non subleuant, & cœlestis regni
purpuram in mente seruant. Aliter redolet spica,
cùm ad maturitatem perducit̄: quia bonorū ope-
rum perfectio ad satietatem eorum qui iustitiam
esuriunt præparatur. Quia ergo gentilis populus
in electis suis ubiq; per mundum sparsus est, & ex
eis uirtutibus quas agit, omnes qui intelligunt, o-
Gen.27 dore bonæ opinionis replet, dicat̄ rectè: Ecce o-
dor filij mei, sicut odor agri pleni. Sed quia eiusdē D
uirtutes ex semetipso nō habet, adiungat: Cui be
nedixit dominus deus. Et quoniā electorum po-
pulus per quosdam etiam in contemplationē sur
git, per quosdam uerò in actiuæ uitæ solummodo
opera pingue scit, rectè illic additur: Det tibi do-
minus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Ros
enim desuper & subtiliter cadit. Et totiens de ro-
re cœli accipimus, quotiens per infusionem con-
templationis intimæ de supernis aliquid tenuiter
uidemus. Cum uerò bona opera etiā per corpus
agimus, de terrę pinguedine ditamur. Quid est au
tem quod Esau tardè ad patrem redit, nisi quod
Iudaicus populus ad placandum dominum sero
Esa.10 reuertitur? Cui & hoc in benedictione dicit̄: Tē-
pusq; erit cùm soluatur iugum de collo tuo. Quia
à seruitute peccati Iudaicus populus in fine libera
bit ur, sicut scriptum est: Donec plenitudo gentiū Rom.11
introiret, & sic omnis Israel saluus fieret. Quē nō
parualorum ipsa Euangelica historia in miraculi
operatione reficiat, quòd hydrias uacuas domi- Ioan.2
nus aqua implere præcepit, eandemq; aquam pro
tinus in uinum uertit? Sed cum hæc uigilantiores
ingenio audiunt, & sacram historiam credēdo ue
nerantur, quid interius innuat requirunt. Qui em̄
mutare aquam in uinum potuit, etiam uacuas hy-
drias ualuit uino statim replere. Sed implere hy-
drias aqua iubet, quia prius per sacræ lectionis hi
storiam corda nostra replenda sunt. Et aquam no
bis in uinum uertit, quando ipsa historia per alle-
goriæ mysterium in spiritalem nobis intelligen-
tiam commutatur. Rota ergo quasi per terrā tra-
hitur, quia paruulis humili sermone cōcordat, &
tamen magnis spiritalia infundēs, quasi circulum
in altum leuat. Et inde sursum erigitur, unde ter-
ram tangere pauloante uidebatur. Quia uerò un-
diq; ædificat, quasi per circulum rota currit. Vn-
de & in lege scriptum est: Facies & candelabrum Exo.25
ductile de auro mundissimo, hastile eius & cala-
mos & cyphos & sphærulas ac lilia ex ipso proce
dentia. Quis in candelabro nisi redemptor huma
ni generis designatur? qui in natura humanitatis
infulsit lumen diuinitatis, ut mundi candelabrum
fieret, quatenus in eius lumine omnis peccator in
quibus iaceret tenebris uideret. Qui pro eo quòd
naturam nostram sine culpa suscepit, candelabrū
tabernaculi ex auro purissimo fieri iubetur. Duc-
tile autem feriendo producitur, quia & redem-
ptor noster qui ex conceptione & natiuitate per-
fectus Deus & homo extitit: passionum dolores
pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam peruenit.
Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrū fu
it, quia & peccatum non habuit, & tamē eius cor
pus per passionis contumelias ad immortalitatē
profecit. Nam iuxta uirtutes animæ quibus per-
cussionibus potuisset proficere, omnino non ha-
buit. In membris autē suis (quæ nos sumus) quo-
tidie percussionibus proficit: quia dum nos tun-
dimur & efficimur ut eius corpus esse mereamur,
ipse proficit. De eius autem corpore scriptum est:
Ex quo totum corpus per nexus & coniunctio- Col.2
nes subministratum & constructum crescit in au
gmētum dei. Corpus quippe illius nos omnes su
mus. Per nexus uerò & coniunctiones corpus li-
gatur: quia dum capiti pectus, dum pectori bra-
chia, dum brachijs manus, digiti manib. sunt coni-
uncti, ac membra cætera membris inhærent, cor
pus omne perficitur, sicut sancti Apostoli quia re
demptori nostro propinqui steterunt, quasi pe-
ctus capiti inhæsit. Quos quia martyres sunt secu
ti, quasi coniuncta brachia pectori fuerunt. Qui-
bus dum pastores & doctores subiuncti sunt per
bona opera, manus brachijs inhæserunt. Hoc ue-
rò omne corpus redemptoris nostri quotidie per
nexum & coniunctionem subministratum est in
cœlo: quia cum ad eum illuc electæ animæ ducun
tur, ei sua membra colligantur. De quo bene dici-
tur: Subministratum & constructum crescit in
augmen-

augmentum dei: quia deus omnipotens redẽptor noſter qui in ſe quò proficiat non habet, adhuc per membra ſua quotidie augmentum habet. Vn
Ephe.4 de rurſum ſcriptum eſt: Donec occurramus omnes in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Haſtile uerò eiuſdem candelabri ipſa Eccleſia debet intelligi, quæ corpus eius eſt, quia inter tot aduerſa libera ſtat. Calami autem qui de haſtili procedunt, prædicatores ſunt, qui dulcem ſonum in mundo ediderunt, uidelicet canticum nouum. Cyphi autem uino repleri ſolent. Quid ergo mentes auditorum niſi cyphi ſunt, quæ ſanctis prædicantibus uino ſcientiæ replentur? Sphærula autem quid eſt aliud niſi uolubilitas prædicationis? Sphæra autem ex omni parte uoluitur. Et prædicatio quæ nec aduerſitate retineri poteſt, nec proſperitatibus eleuatur, ſphęra eſt. Et inter aduerſa fortis, & inter proſpera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In curſu ergo ſuo figi non ualet, quia per cuncta ſe uolubiliter trahit. Vt autem hoc quod exempli cauſa protulimus exequamur, bene poſt calamos cyphos & ſphærulas, in candelabro lilia deſcribuntur, quia poſt eam quam diximus prædicationis gratiam atq; uolubilitatem, illa uirens patria ſequit: quæ animabus ſanctis, id eſt floribus uernat æternis. Sphærulæ ergo ad laborem pertinẽt, lilia ad retributionem. Itaque ſicut apud Moyſen ſphærula doctrina prædicationis accipitur, ita hic per rotam ipſa ſacra ſcriptura ſignatur. Prophe- C ta igitur dum ſancta animalia uideret, adiunxit:

Cunq; aſpicerem animalia: apparuit rota una ſuper terram.] Qua in re quærendum eſt cùm inferius rotę deſcribũtur, cur una rota prius apparuiſſe dicitur: niſi quia antiquo populo uetus ſolum modo teſtamentum datum eſt, quod ad erudiendam mentem illius quaſi rota uolueretur? Bene autem rota eadem ſuper terram apparuiſſe dici-
Gen.3 tur: Peccanti enim homini dictum eſt: Terra es, & in terram ibis. Rota ergo ſuper terram apparuit, quia deus omnipotens legem ſuper corda peccantium dedit. Sed quia hæc pennata animalia ſanctos (ut antè diximus) Euangeliſtas deſignant, quomodo prius animalia, & poſtmodum rota una aſpicitur, dum antè teſtamentum uetus fuerit, D & poſtmodum ſancti Euãgeliſtæ ſecuti ſint? Sed intelligere in his poſſumus quòd illi prius à propheta uiſi ſunt, qui merito tranſcendunt. Nam quantum ſanctum Euangelium teſtamentum uetus præcellit, tanto & prædicatores eius in deſcriptione prophetica præferri debuerunt. Quamuis ſit adhuc aliud quod in hac deſcriptione conſiderari debeat, quia prophetiæ ſpiritus ſic intra ſemetipſum anteriora & poſteriora ſimul colligit: ut hæc ſimul prophetæ lingua proferre non poſſit. Sed ampla quæ uidet de præteritis ſermonib. emanat, & nunc ultima poſt prima, nunc uerò prima poſt ultima loquitur. Vnde Ezechiel prophęta ſub figura ſanctæ uniuerſalis Eccleſiæ & Euangeliſtarum gloriam per quatuor animalium ſimilitudinem uidet, & tamen repentè illa ſubiungit

A quæ anterioribus temporibus geſta ſunt: ut patẽter indicet ſimul ſe uidiſſe, quod carnis lingua nõ ſufficeret ſimul dicere. Quia uerò per quatuor animalia etiam perfectos omnes ſignificari diximus, conſiderãdum quoq; eſt quoſdam ſanctorum & ante legem fuiſſe qui naturali lege diſtrictè uiuerent, & omnipotenti domino placerent. Poſt animalia ergo rota deſcribitur: quia electorum multi apud omnipotentem dominum perfecti & ante legem fuerunt. Sin uerò animalia ſolos (ut diximus) Euangeliſtas debemus accipere, eſt adhuc aliud quod cõſiderare debeamus. Videbat enim in ſpiritu propheta: quia hæc ipſa uerba quæ obſcuritatibus obuoluta proferebat, nõ Iudaico populo, ſed gentibus panderentur. Nobis igitur loquens, prius animalia, & pòſt rotã deſcribere debuit: quia nos ad fidem domino largiente uenientes, non per legem Euãgelium, ſed per ſanctũ Euãgelium legem didicimus. Vbi uero uel qualis rota apparuerit: adiũgit cum dicit: Iuxta animalia habẽs quatuor facies.] Vbi adhuc ſubdit: Et aſpectus rotarũ & opus earum quaſi uiſio maris: & una ſimilitudo ipſarũ quatuor: & aſpectus earũ & opera, quaſi ſi ſit rota in medio rotæ.] Quid eſt hoc quòd cũ una rota diceretur, paulopoſt adiungitur: quaſi ſi ſit rota in medio rotæ, niſi quòd in teſtamẽti ueteris litera teſtamentũ nouum latuit per allegoriam? Vnde & rota eadem quæ iuxta animalia apparuit, quatuor facies habere deſcribitur, quia ſcriptura ſacra per utraq; teſtamenta in quatuor partib. eſt diſtincta. Vetus etenim teſtamentũ in lege & prophetis, nouum uero in Euangelijs atq; Apoſtolorum actibus & dictis. Scimus autẽ quia ubi faciem intendimus, ibi quod neceſſe eſt uidem⁹. Rota ergo quatuor habet facies: quia prius reſecanda mala in populis uidit per legem, poſtmodũ uidit per prophetas: ſubtilius uero per Euangelium, ad extremum autem per Apoſtolos ea quæ in culpis hominum reſecarentur, aſpexit. Poteſt quoque intelligi quòd quatuor facies rota habeat, propter hoc quod ſcriptura ſacra per gratiam prædicationis extenſa in quatuor mundi partes innotuit. Vnde & bene rota eadem una prius iuxta animalia apparuiſſe: & poſtmodũ quatuor facies habuiſſe deſcribitur: quia niſi lex Euãgelio concordaret, in quatuor mundi partibus non innoteſceret. Sequitur: Et aſpectus rotarũ & opus earum quaſi uiſio maris.] Rectè ſacra eloquia uiſioni maris ſimilia narrantur, quia in eis magna ſũt uolumina ſentẽtiarum, cumuli ſenſuum. Nec immerito mari ſimilis ſcriptura ſacra dicitur: quia firmantur in ea ſententiæ locutionis, ſacramento baptiſmatis. Vel certe conſiderandum eſt, quia nauibus in mare nauigamus, cũ ad deſideratas terras tendim⁹. Nobis autẽ quid eſt in deſiderio, niſi illa terra de qua ſcriptũ eſt: Portio mea in terra uiuen- Pſal.141
tium? Ligno autem (ut dixi) euehitur qui mare tranſit. Et ſcimus quia ſacra ſcriptura lignum crucis per legem nobis prenunciat, cum dicit: Male- Deut.21
dictus omnis qui pendet in ligno. Quod de redemptore noſtro Paulus atteſtat, dicens: Factus

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro nobis maledictum. Per prophetas quoq; li-
Psal.95 gnum annunciatur,cùm dicitur, Dominus regna
Hier.11 bit à ligno.Et rursum : Mittamus lignum in panẽ
eius.Per Euangelium uerò lignum crucis apertè
ostenditur,ubi ipsa domini passio quæ prophetata est,declaratur.Per Apostolum autem hæc eadẽ
crux etiã in uerbis & operibus tenetur,cùm Pau-
Gal.6 lus dicit:Mihi mundus crucifixus est,& ego mundo.Et rursus:Mihi autem absit gloriari , nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Nobis ergo qui ad
æternam patriã tendimus, scriptura sacra per quatuor suas facies mare est.Quæ crucem annunciat:
quia nos ad terram uiuentium ligno portat. Nisi
autem mari scripturã sacram similẽ cerneret pro-
Esa.11 pheta,minimè dixisset: Repleta est terra scientia
domini:sicut aquæ maris operientis. Sequitur:

Et una similitudo ipsarũ quatuor, & aspectus earum & opera,quasi si sit rota in medio rotæ.]
Vna similitudo ipsarũ est quatuor,quia quod præ
dicat lex,hoc etiam prophetæ, quod denunciant
prophetæ,hoc exhibet Euangelium, quod exhibuit Euangelium,hoc prædicauerunt Apostoli
per mundum. Vna ergo est similitudo ipsarũ qua
tuor,quia diuina eloquia etsi temporibus distincta,sunt tamen sensibus unita. Et aspectus earum & opera,quasi si sit rota in medio rotæ.] Ro
ta intra rotam est testamentum nouum (sicut dixi
mus) intra testamentum uetus: quia quod designauit testamentum uetus,hoc testamentũ nouum
exhibuit. Vt enim pauca de multis loquar, quid
Gen.2 est quòd Adam dormiente Eua producitur, nisi
Gen.22 quòd moriente Christo Ecclesia formatur? Quid
est quod Isaac ad immolandum ducitur, & ligna
portat,aræ superimponitur & uiuit, nisi quod redemptor noster ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portauit? & sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex diuinitate. Quid est quod homi-
Iosue 20 cida post mortem summi pontificis absolutus, ad
terram propriam redit, nisi quod humanũ genus
quod peccando sibimetipsi mortem intulit, post
mortem ueri sacerdotis uidelicet redemptoris nostri,peccatorum suorum uinculis soluitur,& in pa-
Exo.25 radisi possessione reparatur ? Quid est quod in tabernaculo propitiatorium fieri iubet, super quod
duo Cherubin, unum à summitate una, & alterũ
à summitate alia, ex auro mundissimo ponuntur
expandentes alas,& operientes oraculum? Quid
est quod se mutuo respiciũt,uersis uultibus in propitiatorium,nisi quod utraq; testamenta ita sibi in
mediatorem dei & hominum cõcordant,ut quod
unum designat,hoc alterũ exhibeat? Quid enim
per propitiatorium, nisi ipse redemptor humani
generis designatur? De quo per Paulum dicitur:
Rom.3 Quem proposuit deus propitiationem per fidem
in sanguine ipsius. Quid uero per duo Cherubin
quæ plenitudo scientiæ dicuntur,nisi utraq; testamenta signata sunt ? Ex quibus unum à summitate una propitiatorij, aliud uerò à summitate altera stat:quia quod testamentum uetus de incarnatione nostri redemptoris cœpit prophetando promittere , hoc testamentum nouum perfectè narrat expletum. Duo autem Cherubin ex auro mundissimo facta sunt , quia utraq; testamenta pura ac simplici ueritate describuntur. Expandunt uerò alas , & oraculum operiunt, quia nos qui omnipotentis dei oraculũ sumus, à culpis imminentibus scripturæ sacræ ædificatione protegimur.Cuius dum sententias sollicitè aspicimus,ab errore ignorãtiæ eius alis uelamur.Duo ergo Cherubin in se mutuo respiciũt,uersis uultibus in propitiatorium:quia utraq; testamẽta in nullo à se discrepant.Et quasi ad semetipsa uicissim facies tenent,quia quod unum promittit, hoc aliud exhibet,dum inter se positum mediatorẽ dei & homi-
num uidẽt.Facies quippe à semetipsis Cherubin
auerterent,si quod unum testamentum promitteret,aliud negaret.Sed dũ cõcorditer de mediatore dei & hominum loquunt,ut uicissim se respiciant, in propitiatorium intendunt. Rota ergo in
medio rotæ est:quia inest testamento ueteri testamẽtum nouum.Et sicut sæpe iam diximus, quod
testamentum uetus promisit,hoc nouũ exhibuit,
& quod illud occultè annũciat,hoc istud exhibitum apertè clamat.Prophetia ergo testamenti no
ui,testamentum uetus est,& expositio testamenti ueteris,testamentum nouũ.Sequitur Per quatuor partes earum ibant, & non reuertebantur.]

Quo alibi diuina eloquia nisi ad corda hominũ
uadunt? Sed per quatuor partes euntes ibãt, quia
scriptura sacra per legem ad corda hominum uadit,signando mysteriũ.Per prophetas uadit paulo apertius,prophetando dominum.Per Euange
lium uadit,exhibendo quem prophetauit.Per Apostolos uadit,prædicando eum quẽ pater in nostra redẽptione exhibuit. Habẽt ergo rotæ facies
& uias:quia ostẽdunt sacra eloquia notitiã præceptorũ cũ exhibitiõe operũ.Et per quatuor partes
uadũt,quia distinctis(ut prædiximus) temporib.
loquunt, uel certè quia in cũctis mũdi regionib?
incarnatũ dominũ prædicãt.De quib.apertè mox
subdit : Et nõ reuertebant cũ ambularẽt.]Hæc
superius de animalib.dicta sunt,sed nõ eadẽ intel
ligi de rotis quæ de animalib.possunt.Rotis quip
pe signari testamẽta diximꝰ. Et testamentũ uetus
ambulauit quidẽ,quia per prædicationẽ ad mentes hominũ uenit: sed pòst ad semetipsum reuersum est,quia iuxta literã,in præceptis suis & sacrificijs usq; ad finẽ seruari nõ potuit.Nõ em̃ sine immutatione permãsit,cũ in eo spiritalis intelligentia defuit.Sed cũ redẽptor noster in mundũ uenit,
hoc spiritaliter fecit intelligi, quod carnaliter inuenit teneri.Itaq; dũ spiritaliter litera eius intelligit̃,omnis in eo illa carnalis exhibitio uiuificatur.
Testamentũ uerò nouũ etiã per testamẽti ueteris
paginas testamentũ æternũ appellatũ est:quia intellectus illius nunq; mutatur. Bene ergo dicitur
quòd rotæ euntes ibant, & nõ reuertebãtur cùm
ambularent,quia nouũ testamentum non rescinditur,dum uetus iam spiritaliter intelligitur. Post
se non redeunt, quia usque ad finem mundi immutabilia persistunt. Ambulant ergo,sed non reuertuntur

uertuntur, quia sic spiritaliter ad cor nostrũ ueniunt, ut eorũ præcepta uel studia ulterius non mutentur. Sequitur: Statura quoq; erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus.] Quid est quòd in scripturæ sacræ eloquijs tria hæc inesse narrantur: ut statuã, altitudinem, & horribilem aspectũ, id est terribilem habere memorent. Quærendum nobis magnopere est, quæ diuinæ scripturæ statura, quæ altitudo, quis horribilis aspectus dicit. Scien
1.Cor.10 dum ergo est, quia stare, ad uitã cõgruit bene ope
Phil.4 rantis. Vnde per Paulum dicitur: Qui stat, uideat ne cadat. Qui etiã discipulis dicit: Sic state in dño
4.Reg.3 charissimi. Et propheta qui se uita ac moribus ante dominum stare uidebat, ait: Viuit dñs, in cuius cõspectu sto. Altitudo uerò, est cœlestis regni promissio. Ad quam tunc pertingit, quando iam mortalis uitæ omnis corruptio subiugatur. Horribilis uerò aspectus est terror gehennę, quæ sine fine reprobos cruciat, & semper in cruciatum conseruat. Statura ergo in rectitudine prædicationis est: Altitudo in celsitudine supernæ promissiõis: Horribilis uerò aspectus in minis atq; terroribus supplicij sequentis. Scriptura igitur sacra staturam habet, quia mores ad standum dirigit: ut auditorũ mentes ad terrenam concupiscentiã non curuentur. Altitudinem habet: quia in cęlesti patria æternæ uitæ gaudia promittit. Horribilem quoq; aspectum habet: quia omnib. reprobis gehennæ supplicia minatur. Ostendit igitur staturã suã in ædificatione morũ. Ostendit altitudinem in promis-
Esa.1 sione præmiorum. Ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in præceptis, alta in promissionibus, horribilis in minis. Habet staturam, cùm per prophetam dicit: Quiescite agere peruerse: discite benefacere,
Esa.58 quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo: defendite uiduam. Et rursum: Frange esu rienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Cùm uideris nudum, operi eum: & domesticos seminis tui ne despexeris. Habet altiEsa.60 tudinem, cùm per eundem prophetam dicit: Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi dominus in lucem sempiternam, & deus tuus in gloriam tuam. Habet horribilem aspectum, cùm in-
Esa.34 fernum describens dicit: Dies ultionis domini, annus retributionis iudicij Sion, & conuertentur torrentes eius in picem, & fumus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem nocte & die, nec extinguetur in sempiternum. Quam beatus
Iob 1 quoq; Iob describit dicẽs: Terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. Habet staturam cùm per eum dominus propitius pollicetur dicens: Si-
Esa.ult. cut cœli noui & terra noua quæ ego stare facio coram me dicit dominus, sic stabit semen uestrum & nomen uestrum. Illi enim ueraciter coram domino stant, qui uitam suam in prauitate non dissipant. Habet altitudinẽ, cùm statim subdit: Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, & ue-

A niet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit dominus: Quid est mensis nisi profectio dierum? Et quid est sabbatum nisi requies in qua fieri opus seruile non liceat? Mensis ergo ex mense est, quia qui hic perfectè uiuũt, illuc ad perfectionẽ gloriæ perducũtur. Sabbatũ uerò ex sabbato est, quia qui hic cessant à peruerso opere, illic quiescunt in cœlesti retributione. Habet etiam horribilem aspectum, cùm protinus adiungit: Et egredientur & uidebunt cadauera uirorum, qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quàm damnationis uulnera suscipere, & dolores uulnerum nunquam finire? De hoc horribili aspectu rotarum bene per
B Sophoniam dicitur: cùm superuenire duris mentibus dies iudicij denunciatur: luxta est dies domini magnus, iuxta & uelox nimis. Vox diei domini amara, tribulabit ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies nebulę & turbinis, dies tubę & clangoris. Sed quia exterioris rotæ dicta posuimus, restat nunc ut interioris quoq; staturam, altitudinẽ, & horribilem aspectũ proferre debeam9. Habet quippe rota interior staturam suam, cùm per sanctũ Euangeliũ ad terrena desideria incuruare nos prohibet, redemptoris nostri uocibus dicens: Attendite ut non grauent Luc.21
C corda uestra in crapula & ebrietate, aut in curis huius uitæ. Habet altitudinem, cùm de eodem redemptore promittit, dicens: Quotquot aũt credi- Ioan.1 derunt in eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Quid eñ hac potestate altius, quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisq; efficitur filius creatoris? Habet horribilem aspectum, cùm de reprobis loquitur dicens: Ibunt in sup- Mat.25 plicium æternum. Habet staturam, cùm ueritas discipulos admonet dicens: Vendite quæ possi- Lucæ 12 detis, & date eleemosynam. Facite uobis sacculos non uetescentes. Habet promissionis altitudinem, cùm dicit: Venient ab oriente & occi- Matt.8 dente, & recumbent cum Abraã & Isaac & Iacob in regno cœlorum. Habet horribilem aspectum, cùm subdit: Filij autem regni ejcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.
D Quibus rursum uoce ueritatis dicitur: Vos in pec Ioan.8
catis uestris moriemini. Habet staturam, cùm pri- 2.Petri 1
mi pastoris uocibus dicit: Ministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Habet altitudinẽ, cùm paulopost dicit: Sic enim abundanter ministrabitur uobis introitus in æterno regno domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Qui rursus bonis pastoribus pollicetur, dicens: Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronã. Habet horribilem aspectum, cùm di- 2.Pet.3
cit: Aduenietautẽ dies domini ut fur, in qua cœli magno impetu transient, elemẽta uerò calore sol-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uentur. Cùm hæc igitur omnia diſſoluenda ſint, quales oportet uos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei dei, per quam cœli ardentes ſoluentur, elementa uerò ignis ardore tabeſcent? Habet ſtaturā, cùm per Paulum nos à terrenis deſiderijs erigit, dicens: Mortificate membra ueſtra quę ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiā, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt idolorū ſeruitus. Habet altitudinem, cùm promittit dicens: Vita ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto in deo. Cùm enim Chriſtus apparuerit uita ueſtra, tunc & uos apparebitis cum ipſo in gloria. Habet horribilem aſpectum, cùm minatur dicens: In reuelatione domini noſtri Ieſu Chriſti de cœlo, cum angelis uirtutis eius in flamma ignis, dantis uindictam his qui non nouerunt deum, & qui non obediunt Euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie domini, & à gloria uirtutis eius. Habet ſtaturam, cùm nos admonet dicēs: Videte ne quis alicui malum pro malo reddat, ſed ſemper quod bonū eſt ſectamini in inuicem & in omnes. Habet altitudinem, cùm promittit dicens: Si commorimur, & conuiuemus, ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. Et rurſum: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in uobis. Habet horribilem aſpectum, cùm minatur dicens: Terribilis quidem expectatio iudicij, & ignis æmulatio: quæ conſumptura eſt aduerſarios. Qui rurſus ait: Horrendum eſt incidere in manus dei uiuentis. Quæ omnia breui quoq; ſententia ſtringit, dicens: Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum. Lata quippe eſt charitas, quia & inimicorum dilectionem capit, & per eam charitatē qua nos deus omnipotens latè diligit, etiam longanimiter portat. Hoc ergo nos debemus exhibere proximis, quod indignis nobis à creatore noſtro conſpicimus exhiberi. Latitudo itaq; & longitudo ad ſtaturam pertinet, quia per amorem mores dilatat, ut fraterna mala charitas longanimiter portet. Sublimitas autem eſt æternorum illa remuneratio præmiorum, de cuius immenſitate dicitur: Quia nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus diligentibus ſe. Habet ergo in ſublimitate altitudinem, quia æterna ſanctorū gaudia nulla nunc præualent cogitatione penetrari. Profundum quoq; eſt illa inæſtimabilis damnatio ſuppliciorum, quę eos quos ſuſceperit, in imis demergit. In quibus ſacra eloquia horribilem aſpectum habēt, quia inæſtimabilem terrorem audientibus incutiūt, cùm ſupplicia inferis loquūtur. Bene ergo dicitur: Statura quoq; erat rotis, & altitudo & horribilis aſpectus:] quia ſcriptura ſacra in utroq; teſtamento & admonendo recta eſt, & promittendo alta, & minando terribilis. Hæc nos fratres chariſſimi hodierna die largiēte domino dixiſſe ſufficiat, ut ad differenda ea quæ ſubiuncta ſunt, ocio reparati re-

Col.3

1.Theſſ.1

1.Theſſ.5

Rom.8

Heb.5

Heb.10

Ephe.3

deamus, in authore omnium deo & domino noſtro Ieſu Chriſto confidentes: Qui uiuit & regnat cum patre in unitate ſpiritus ſancti deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Homilia ſeptima.

T totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor. Cunq; ambularent animalia, ambulabant pariter & rotę iuxta ea, & cum eleuarent animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ. Quocunq; ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rotæ pariter eleuabantur, ſequentes eum. Spiritus enim uitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant: & cum ſtantibus ſtabant: & cum eleuatis à terra pariter eleuabantur & rotæ ſequētes ea: quia ſpiritus uitæ erat in rotis. Et ſimilitudo ſuper caput animalium firmamenti quaſi aſpectus cryſtalli horribilis & extenti ſuper capita eorū deſuper. Sub firmamento autem pennę eorum rectæ alterius ad alterū. Vnūquodq; duabus alis uelabat corpus ſuum, & alterū ſimiliter uelabatur.

SIcut noſtis fratres chariſſimi, conſuetudo prophetiæ eſt, nunc iſta, nunc illa cōſpicere, & ab aliis in aliud ſubitò uerba diriuare, ſicut Pſalmiſta cùm dño loqueret, dixit: Deus iudex, iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcetur per ſingulos dies? Niſi conuertamini, gladium ſuum uibrauit, arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in ipſo parauit uaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Repentè ſubiungit: Concepit dolorem & peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Ecce cùm dñi narraret iuſtitiam, quaſi non mutata uoce, repentè peccatoris intulit culpam. Quod unū me exēpli cauſa dixiſſe ſufficiat, quia quiſquis in ,pphetis uſum lectionis habet, quàm crebrò iſta faciat, non ignorat. Vnde nunc Ezechiel propheta cùm de rotis loqueretur, adiunxit: Et totum corpus plenum oculis, in circuitu ipſorū quatuor.] Qui enim nō ipſarum ſed ipſorum dixit, profectò indicat quia repentè ſermo eius à rotis ad animalia rediit. Per quæ nimirum perfecti quiq; (ut prædictū eſt) deſignantur. Corpora itaq; animalium idcirco plena oculis deſcribuntur, quia ſanctorum actio ab omni parte circumſpecta eſt, bona deſiderabiliter prouidens, mala ſolerter cauens. Et hoc eſt laborioſius, quia ſanctorum mens uehementer inuigilat ne ſe ante eorū oculos mala ſub bonorum ſpecie abſcōdāt. Circūſpecta ergo eſt uita ſanctorū, ne ſic ſit libera, ut ſuperba ſit: quia ſæpe ſuperbia excedit in uerbis, & audiri appetit libertas puritatis. Ne ſic ſit humilis, ut formidoloſa: quia aliquan-

Pſal.7

aliquando timor restringit animũ, & loqui quæ re
ctа sunt, nõ præsumit, sed tamen in ipsa timida co
gitatione humilitatẽ esse se simulat. Ne sic sit par-
ca, ut tenax sit: quia plerunq; tenacia parsimonia
appetit æstimari, ut iustè ac necessariè uideat te-
nere, quicquid egenti proximo misericorditer nõ
uult impendere. Ne sic sit misericors, ut effusa sit:
quia nonnunq; effusionem esse misericordiã pu-
tat. Aliud enim est pietatis studio necessaria pro-
ximis dare, atq; aliud ea quæ possidentẽ, sine mer-
cedis intentione dispergere. Quicquid ergo agit,
in radice intentionis pensandum est quo merito
apud iudiciũ creatoris habeat. Vnde & idem crea
Mar.6 tor dicit: Si oculus tuus simplex fuerit, totum cor
pus tuũ lucidum erit. Oculum uidelicet intentio-
nem, corpus uerò actionem nominãs. Quia si no
stra intentio apud deum simplex fuerit, in eius iu-
dicio nostra actio tenebrosa non erit. Igitur quia
sancti uiri solerter inuigilant, ut se undiq; aspici-
ant, & ubique custodiant, ne aut mala propter ea
ipsa appetant, aut hæc eadem sub specie bonorũ
agant, scilicet ne se eis uitia uirtutes esse mentian-
tur, totum corpus plenũ in circuitu oculis habent:
quia omnis eorum actio prouidentia solicitudi-
nis & repletur & circundatur. Hinc est quòd Pau
lus Apostolus dum cuidam pœnitenti de perpe-
trato facinore Corinthios prospiceret uoluisse mi
2.Cor.2 sereri, ait: Si cui aliquid donastis, & ego. Nam &
ego quod donaui, propter uos, in persona Chri-
sti, ut nõ circũueniamur à satana. Non enim igno-
ramus cogitationes eius. Si enim parcendum e-
rat, cur se humiliter tantæ uoluntati discipulorũ
magister egregius sociat, ut neq; ipse à discipulis,
neque ab eo discipuli in compassionis causa diui-
si uiderentẽ: nisi quia sollicito prouidentiæ oculo
attendit, quòd plerunq; dum alter donat, alter ira
scitur? Et quale est iam misericordiæ sacrificium,
quod cum discordia proximi offertur? Vnde re-
ctè ait: Vt nõ circũueniamur à satana. Non enim
ignoramus cogitatiões eius. Quia uidelicet inde
in alterius corde rixæ malum solet immittere, un-
de alterum cõspicit pietatis negocium fuisse. Im-
perfectum enim bonum est quod sic agitur, ut ne
quid ei ex alio latere malè surrepat, non attenda-
tur, nisi forte hoc quod sine cuiuspiam scandalo
fieri non potest, culpa sit non fecisse. Hoc uerò
ideo dicimus, ut uotum nostræ dilectionis facia-
mus: quia in nostro bono opere aliquando cauen
dum est scandalum proximi, aliquando uerò pro
nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro au-
thore didicimus, qui dum tributum Petro inqui-
sito peteretur, prius paradigma proposuit, per
Matt.17 quod se nihil debere respondit, dicens: Reges ter
ræ à quibus accipiunt tributum uel censum, à fi-
lijs suis, an ab alienis? Cui cùm diceretur ab alie-
nis, ilico respondit: Ergo liberi sunt filij. Sed post-
quam liberum se esse monstrauit, ne fortasse scan
dalum cuiquam faceret, subdidit: Vt autem non
scandalizemus eos, uade ad mare, & mitte hamũ,
& eum piscem qui primus ascẽderit tolle, & aper
to ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis
pro me & te. Qui rursum cum diceret, quia omne
quod in os intrat, non coinquinat hominem, tũc
accedentes discipuli dixerunt ei: Scis quia Phari-
sæi audito hoc uerbo scandalizati sunt? At ille re-
spondens ait: Omnis plantatio quam non plan- Mat.15
tauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite il-
los, cæci sunt, & duces cæcorũ. Ecce magistra ue-
ritas ne in quorundam cordibus scandalum gi-
neretur, quod non debuit tributum dedit. Et rur
sum quia generari scandalum in quorundam cor-
dibus contra ueritatem uidit, in suo eos scandalo
remanere permisit. Ex qua re nobis cõsiderandũ
est, quia inquantum sine peccato possumus, uita-
re proximorum scandalum debemus. Si autẽ de
ueritate scandalũ sumitur, utilius permittitur na-
sci scandalum, quàm ueritas relinquatur. Corpo-
ra ergo animaliũ plena sunt oculis, cum se hincin-
de cautè circũspiciunt. Sed sciendũ nobis est, quia
sæpe dum alios reprobos intẽdimus, fit ut alia ne-
gligamus. Et ubi negligimus, ibi procul dubio
oculũ nõ habemus. Nam Pharisęus ille qui ascen-
derat in templum orare (testante Euangelio) quid
dixit agnouimus. Ait enim: Deus gratias ago tibi. Luc.18
Rectè ergo gratias deo agebat, à quo acceperat
bona quæ fecerat. Qui etiam subiungit: Quia non
sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti, adul-
teri, uelut etiam hic publicanus, ieiuno bis in sab-
bato, decimas do omnium quæ possideo. Ecce ad
exhibendam abstinentiam, ad impendendam mi
sericordiã, ad referendas deo gratias oculũ Phari
sęus habuerat: sed ad humilitatis custodiã oculum
non habebat. Et quid prodest quòd contra hosti-
um insidias penè tota ciuitas cautè custoditur, si
unum foramen apertum relinquitur, unde ab ho-
stibus intretur? Quid ergo prodest custodia quæ
penè ubique circumponitur, quando inimicis to-
ta ciuitas per neglectum loci unius aperitur? Pha
risæus autem qui ieiunium exhibuit, decimas de-
dit, deo gratias retulit, quasi penè per circuitum
in suæ ciuitatis custodia uigilauit. Sed quia unum
in se foramen superbiæ non attendit, ibi ho-
stem pertulit, ubi per negligentiam oculum clau-
sit. Quia ergo sanctorum mentes undique se cir-
cumspicientes inuigilant, atque in omni suo ope-
re pauoris & sollicitudinis oculum circumducũt,
ne aut praua agant: aut recta quæ præcepta sunt
non agant: aut bonis actibus expletis, in suis co-
gitationibus intumescant, & tanto grauius offen-
dant, quanto iusti uidentur foris, & occultius pec
cant, rectè dicitur: Totum corpus eorum ple-
num oculis in circuitu.] Sciendum quoq; quòd
in translatione ueteri non habetur totum corpus
eorum in circuitu, sed dicitur: Dorsa eorum ple-
na oculis. Quæ uidelicet sententia ab ædificatio-
nis intellectu non discrepat. Ea enim quæ sunt in
facie, sæpe etiam peccatores homines custodire
solent. Iusti autem uiri quia se & in eis custodiunt
quæ in promptu & in facie non uidentur, in dor-
sis oculos habere referuntur. Qui ergo & ea quæ
in occultis sunt discutiũt, atq; ab ipsis se custodiũt
quę latent, profectò oculos in dorsis habẽt. Quod

tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen intelligi & aliter poteſt, quia ea quæ ſunt ante faciem noſtram, uidemus, dorſa autem noſtra alius in nobis uidet, & nos uidere non poſſumus. Quia autem ſancti uiri ſolerter ſe aſpiciunt in quibus ab alijs iudicari poſſunt, & diſtricte ſe uident ſicut ſæpe diſtricte ab alijs uidentur qui in ſe nec ea quæ latere poterant ignorant, lumẽ in dorſum portant. Sequitur: Cunctq; ambularent animalia, ambulabãt pariter & rotæ iuxta ea. Et cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ.] Ambulant animalia, cum ſancti uiri in ſcriptura ſacra intelligunt quemadmodum moraliter uiuant. Eleuantur uerò à terra animalia, cùm ſancti uiri ſe in contemplatione ſuſpendunt, Et quia unuſquiſque ſanctorum quanto ipſe in ſcriptura ſacra profecerit, tanto hæc eadem ſcriptura ſacra proficit apud ipſum, rectè dicitur: Cùm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ, & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ: quia diuina eloquia cum legente creſcunt, nam tanto illa quiſq; altius intelligit, quanto in eis altius intendit. Vnde nec eleuantur rotæ ſi non eleuanẽ animalia: quia niſi legentiũ mentes ad alta profecerint, diuina dicta, uelut in imis, non intellecta iacent. Cum enim legenti cuilibet ſermo ſcripturæ ſacræ, ſi tepidus uidetur ſenſus diuini eloquij, eius mentẽ non excitat, & in cogitatione ſua nullo intellectus lumine emicat, rota & otioſa & in terra eſt, quia animal non eleuatur à terra. At uerò ſi animal ambulet, id eſt bene uiuendi ordinem quærat, & progreſſum cordis inueniat, quemadmodũ greſſum boni operis ponat, ambulant pariter & rotæ: quia tantum in ſacro eloquio profectum inuenis, quantum apud illud ipſe profeceris. Si enim pennatum animal ſeſe in contemplatione tenderet, rotæ protinus à terra ſubleuarentur: quia terrena non eſſe intelligis, quę prius in ſacro eloquio iuxta terrenum morem dicta credidiſti. Fitq; ut ſcripturæ ſacræ uerba eſſe cœleſtia ſentias, ſi accenſus per contemplationis gratiam temetipſum ad cœleſtia ſuſpendas. Et mira atque ineffabilis ſacri eloquij uirtus agnoſcitur, cùm ſuperno amore legentis animus penetratur. Quia ergo animal ad alta ſe ſubleuat, rota uolat. Sequitur: Quocunque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rotæ pariter leuabantur, ſequentes eum.] Quo enim ſpiritus legẽtis tendit, illuc & diuina eloquia leuantur, quia ſi in eis altum quid uidendo & ſentiendo quæſieris, hæc eadem ſacra eloquia tecum creſcunt, tecum in altioribus aſcendunt. Bene autem de eiſdem rotis dicitur: Sequentes eum. Legentis enim ſpiritus ſi quid in eis ſcire morale aut hiſtoricum quærit, ſenſus hunc moralis hiſtoriæ ſequitur. Si quid typicum, mox figurata locutio agnoſcitur. Si quid cõtemplatiuum, ſtatim rotæ quaſi pennas accipiunt, & in aere ſuſpenduntur, quia in uerbis ſacri eloquij intelligentia cœleſtis aperitur. Quocunq; ergo ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rotæ pariter leuabantur ſequentes eum. Rotæ enim ſpiritũ ſequuntur: quia uerba ſacri eloquij, ut ſæpe iam dictum eſt, iuxta ſenſum legentiũ per intellectum creſcunt. In una enim eademq; ſcripturæ ſententia, alius ſola hiſtoria paſcitur, alius typica, alius uero intelligentiam per typum contemplatiuã quærit. Et fit plerunque ut, ſicut dictum eſt, in una eademq; ſententia cuncta ſimul tria ualeant inueniri. Moyſes enim cùm de ardenti rubo uocatus fuiſſet, acceſſit propius ut uideret uiſum, & ecce rubus ardebat, & non conſumebatur. Magnum eſt hoc miraculum. Si ſolam in eo hiſtoriam requiras, eſt unde legentis nutriatur animus, ut uideas quòd in ligno ignis ardeat, & non conſumat. At uerò ſi typicam intelligentiam quæras, quid flamma niſi legem de qua ſcriptum eſt: In dextera eius ignea lex? & quid rubus ille, niſi Iudaicum populum deſignauit, peccatorum ſuorum ſpinis obſitum? Sed rubus ardens conſumi non potuit, quia Iudaicus populus & ignem quidem legis accepit, & tamen peccatorum ſuorum ſpinas non deſeruit, nec eius uitia diuini ſermonis flamma concremauit. Fortaſſe in hoc facto alius maiora per typum contemplari deſiderat. Huius quia ſenſus excreſcit, eleuantur pariter & rotæ. Inter homines enim perfectus homo factus eſt unicus dei filius, qui ſua peccata non habuit, ſed ſpinas noſtræ nequitiæ ſuſcepit, atq; uſq; ad paſſionem pro nobis humiliari dignatus eſt, & in ſemetipſo ignẽ tribulationis noſtræ ſuſcipere. Sed arſit, & non arſit: quia ex humanitate eſt mortuus, & tamen immortalis ex diuinitate permanſit. Suſcepit à nobis unde ſacrificium fieret pro nobis, & tamen impaſſibilis atque incommutabilis permanſit in proprijs, ut nos commutaret à noſtris. Alius fortaſſe hiſtoriæ moralitatem, atque per allegoriam intelligentiæ contemplationem requirit. Patet cunctis, iuxta hiſtoriam, hoc quod in lege ſcriptum eſt, ut turtur quæ pro peccato offertur, retorqueatur caput eius ad pennulas, ita ut collo inhæreat, & non penitus abrumpatur. In quibus uerbis dubius legentibus ſenſus hiſtoricus non eſt. Sed ſi hæc intelligere moraliter requiras, agitur rota, dum ad moralem intelligentiam ducitur ſacri uerbi ſententia. Nos enim ipſi in omnipotentis dei ſacrificiũ eſſe turtur debemus, ita ut caput noſtrum retorqueatur ad pennulas, id eſt animus ad uirtutes. Non enim immeritò per caput mentem intelligimus, quia ſicut caput corpus, ita mẽs actiones regit. Sed caput ad pennulas retorqueri præcipitur, ut ea quæ dicis facias, & os ad opera coniungas. Nec ita caput abſcindendum eſt, ut à corpore diuidatur, ſed ex parte deciſum, corpori ſuo iubetur inhærere, quia uidelicet mens noſtra à carnali delectatione incidenda eſt, ſed à carnis cura neceſſaria incidenda non eſt. Hinc enim ſcriptum eſt: Carnis curam ne feceritis in deſideriis. Quæ ergo in deſideriis fieri prohibetur, proculdubio in neceſſitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abſciſſum eſt, & ex parte inhæret, ut ſicut dictum eſt, & à uoluptate carnis mens noſtra inciſa ſit, & tamẽ à neceſſitate nõ ſit abſciſſa. Quòd ſi hoc ſacrificij genus ſub typica redẽptoris noſtri

Exo.3 Deu.33 Ro.13 Leu.1.&5

noſtri intelligentia, alius ad contemplationem requirat, aſcendat ergo ad fortiora animus, eleuentur animalia, ut eleuent pariter & rotæ. Quis enim
Ephe.1 caput noſtrum eſt, niſi redemptor generis humani? De quo ſcriptum eſt: Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Quem cum Iudæi perſequerentur, nomen eius delere de terra conati ſunt. Cunq; eum crucifixum & ſepultum uiderent, hunc ſe ab amore omnium diuiſiſſe crediderunt. Sed caput turturis & inciſum eſt, & tamen à ſuo corpore diuiſum non eſt: quia ex eo quòd pro nobis mortem pertulit, omnes nos ſibi uerius in ipſa ſua morte coniunxit. Et per hoc quòd ſe noſtris oculis uiſibiliter ſubtraxit, noſtris ſe mentibus inuiſibiliter radicauit. Caput ergo turturis inciſum inhæſit corpori: quia pro nobis quidem redemptor noſter paſſus eſt, ſed à nobis ſeparatus per paſſionem non eſt. Quia igitur dicta ſacri eloquij cum legentium ſpiritu excreſcunt, rectè nunc dicitur: Quocunque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rotę pariter leuabantur ſequentes eum. Et ſubditur: Spiritus enim uitę erat in rotis.] In rotis enim ſpiritus uitæ eſt, quia per ſacra eloquia dono ſpiritus uiuificamur, ut mortifera à nobis opera repellamus. Poteſt enim intelligi quia ſpiritus uadit, cùm legentis animum diuerſis modis & ordinibus tangit deus, quando hunc per uerba ſacri eloquij modo in zelo excitans, ad ultionem erigit, modo ad patientiam mitigat, modo in prædicationem inſtruit, modo ad pœnitentiæ lamenta compungit. Sed curramus breuiter per hæc eadem uerba quæ diximus, & uideamus quomodo ſequuntur rotæ ſpiritum, qui uitæ ſpiritus dicitur, & rotis ineſſe perhibetur. Certè ſi legentis animum ſpiritus uitæ in zeli feruore tetige-
Exo.33 rit, protinus in ſacris eloquijs uidet quòd Moyſes ad caſtra rediens, & populum per idola peccaſſe cognoſcens, hunc per feruorem ſpiritus gladijs
Nume.25 ſtrauit. Quòd Phinees perſequendo luxuriam,
Act.5 iram domini gladio placauit. Quòd Petrus ſibimet mentientes uerbo perculit & occidit. Quòd
1.Cor.4 Paulus negligentibus diſcipulis uirga minatur. Si uitæ ſpiritus legentis animum ad ſeruandam patientiam tangit, ſtatim ſequuntur & rotæ: quia in ſa-
Num.20 cris eloquijs inuenit quòd Moyſes & Aron cùm loquẽtes recta perſecutionem populi paſſi ſunt, ad tabernaculum cucurrerunt, pro ipſo populo exorantes quem fugiebant. Sancta autem eorum mens & tumorem ſuperbientium pertulit, & tamen contra eos ad odium non erupit. Patientia enim uera eſt, quæ & ipſum amat quem portat. Nam tolerare ſed odiſſe non eſt uirtus manſuetudinis, ſed uelamentum furoris. In eiſdem quoque
1.Reg.8 eloquijs inuenit quòd Samuel de principatus culmine deiectus, oraſſe ſe etiam pro deijcientibus confitetur. Quòd nemo ſanctorum ad cœleſtem gloriam, niſi patientiam ſeruãdo peruenit. Quòd ipſe author & redemptor generis humani, ſputa, colaphos, ſpineam coronam, crucem, lanceam pertulit, & tamen pro perſecutoribus orauit. Si uitæ ſpiritus legentis animum ad ſtudium prædicationis excitat, ſtatim ſequuntur & rotæ, quia in ſacris eloquijs inuenit: Moyſes iubente domino contra Ægypti regem in quantis ſe prædicationi-
Exo.15 bus libere uerbis erexit. Quòd Stephanus Iudæis perfidis diceret, Vos ſemper ſpiritui ſancto reſti-
Act.7 tiſtis, nec inter lapides timuit. Quòd Petrus fuſtibus cæſus, ne in nomine Ieſu loqueretur, cum magna libertate reſpondit: Obedire oportet deo magis quàm hominibus. Quod Paulus catenarum
Act.5 Philip.1 uinculis ſtringitur, ſed tamen uerbum dei non eſt alligatum. Si uitæ ſpiritus ad pœnitentiæ lamenta compungit: ſequuntur protinus rotæ, cum ſcripturæ ſacræ uerba Dauid pœnitentiam proferũt,
2.Reg.12 quòd rex reprehenſus à propheta quia ſubiectus cœleſti regi non fuit, ſubiecto increpanti non eru-
Luc.18 buit confiteri quod fecit. Quòd publicanus qui reatum ſuæ nequitiæ cognouit, etſi iniuſtus ad templum uenit, iuſtificatus à templo redijt. Quòd Pe-
Matt.26 trus negationis maculas lachrymis lauit. Quòd la-
Luc.23 tro qui in cruce cognouit culpam, in ipſa iam morte inuenit ueniam. De quibus adhuc rotis eadem propheta replicat atq; ſubiungit: Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant, & cum eleuatis à terra pariter eleuabantur, & rotæ ſequentes ea, quia ſpiritus uitæ erat in rotis.] Hæc ſicut noſtis fratres chariſſimi ex maxima parte iam dicta ſunt, ſed iterata deſcriptione narrantur. Nec nos itaq; pigeat eadem breuiter exponendo repetere, quæ ſpiritus per prophetam dignatus eſt replicando narrare. Hoc enim ſolum in his uerbis nouum dicitur, quod dictum eſt: Cum ſtantibus ſtabant.] Sunt autem quidam qui uſque ad hoc proficiunt, ut terrena quæ accipiunt, bene diſpenſare nouerint, miſericordiæ operibus intendant, oppreſſis ſubueniant. Hi uidelicet uadunt, in eo quòd ſe ad proximi utilitatem tendunt. Cum his ergo rotæ gradiuntur, quia ſacra eloquia dictorum ſuorum paſſus in eius itinere diſponunt. Et ſunt alij qui in fide quam acceperunt, ita ad tenendum fortes ſunt, ut aduerſis quibuſque reſiſtere ualeant, & non ſolum minimè ad peruerſitatem trahantur perfidiæ, ſed etiam peruerſa loquentes impugnent, eosq; ad rectitudinem pertrahant. Cum iſtis ſtantibus ſtant etiam rotæ, quia in eis rectitudinem ſuam ſacri eloquij uerbis confirmant cum in eis audiunt: State & tenete traditiones
2.Theſ.2 quas didiciſtis. Et rurſum: Aduerſarius ueſter dia-
2.Pet.5 bolus tanquam leo rugiens circuit quęrens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Et ſunt alij qui omnia terrena deſpiciunt: nulla quæ prætereunt poſſidere dignantur, & in dei ſe, ut prædictum eſt contemplatione ſuſpendunt. Cum his ergo eleuatis & rotæ pariter leuantur: quia inquantum quiſque ad alta profecerit, intantum ei & ſacra eloquia de altioribus loquuntur. Vadunt ergo animalia ad utilitatem proximi, ſtant ad cuſtodiam ſui, eleuantur ad contemplationem dei. Sed & rotæ pariter uadunt, ſtant, & eleuãtur, quia quæ ſita ſancta lectio talis inuenit, qualis ſit ipſe à quo quæritur. Ad actiuam enim uitã profeciſti: ambulat tecum. Ad immobilitatem atque conſtantiam

ſpiritus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpiritus profeciſti,ſtat tecum. Ad cõtemplatiuam uitam per dei gratiam peruenisti: uolat tecum. Et rurſum ſubditur: Quia ſpiritus uitæ erat in rotis.] Quod idcirco ſecundò dicitur uitæ ſpiritus in rotis eſſe, quia ſcripturæ ſacræ duo ſunt teſtamenta,quæ utraq; dei ſpiritus ſcribi uoluit,ut nos à morte animæ liberaret. Vel certè quia duo ſunt præcepta charitatis,dilectio uidelicet dei,& dilectio proximi, per quæ utraque nos ſacræ ſcripturæ dicta uiuificãt. Secundò ergo dicitur, quòd ſpiritus uitæ erat in rotis: quia dilectionẽ dei & proximi capimus in eloquijs diuinis. Per præcepta enim ſcripturæ ſacræ reuiuiſcimus, qui mortui in culpa iacebamus. Vnde omnipotẽti domino per
Pſal.118 Pſalmiſtam dicitur: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas,quia in ipſis uiuificaſti me. Iuſtificationes enim præcepta domini dicũtur, in quibus nos corrigendo iuſtificat. De quibus Pſalmiſta apertius dicit: In tuis iuſtificationibus meditabor,non obliuiſcar ſermones tuos. In eis itaq; nos uiuificat: quia per hæc nobis ſpiritalem uitam demonſtrat,eamq; per afflatum ſpiritus noſtris mentibus infundit. Quod quia quotidie per donum gratiæ in electorum mentibus agitur, ſpiritus uitæ erat in rotis. Hæc nobis ſcriptura in tenebris uitæ præſentis, facta eſt lumen itineris. Hinc ete-
1.Pet.2 nim Petrus ait: Cui benefacitis intendẽtes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Hinc Pſalmiſta dicit:
Pſal.118 Lucerna pedibus meis uerbum tuum domine, & lumen ſemitis meis. Scimus tamen quia & ipſa nobis noſtra lucerna obſcura eſt, niſi hanc noſtris mentibus ueritas illuſtret. Vnde iterum
Pſal.17 Pſalmiſta ait: Quoniam tu illuminas lucernam meam domine,deus meus illumina tenebras meas. Quid enim lucerna ardens,niſi lumen eſt? Sed lumen creatum nobis non lucet, niſi illuminetur à lumine non creato. Quia ergo omnipotẽs deus ad ſalutem noſtram ſanctorum teſtamentorum dicta & ipſe creauit, & ipſe aperuit, ſpiritus uitæ erat in rotis. Sequitur: Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamẽti,quaſi aſpectus cryſtalli horribilis extenti ſuper capita eorum deſuper.] Hæc largiente domino duobus modis exponimus, ut lectoris iudicio quod eligendum cenſeat relinquamus. Poſſunt enim firmamenti nomine,cœleſtes poteſtates intelligi. Quod firmamentum rectè quaſi aſpectus cryſtalli dicitur:quia uidelicet cryſtallum forte quidem nimis eſt, ſed ex aqua ſolidatur. Et natura angelica,quando creata eſt, liberum arbitrium accepit, utrum uellet in humilitate perſiſtere, & in omnipotentis dei conſpectu permanere, an ad ſuperbiam laberetur, & à beatitudine caderet, per ſimilitudinem aqua fuit. Sed quia cadentibus alijs,ſancti angeli in ſua beatitudine perſtiterunt, atq; hoc acceperunt in munere,ut iam cadere omnino non poſſent, in eis natura ſua, quia iam deijci mutabiliter non poteſt, quaſi in magnitudine cryſtalli durata eſt. Quod cryſtallum horribile & extenſum ſuper capita animalium dicit:quia illę poteſtates angelicæ,quę omnipotentis dei conſpectui aſſiſtunt, nobis adhuc in hac corruptione poſitis, terribiles atq; pauendæ ſunt. Quarũ nunc gaudia quia ſenſum noſtrarum mentium excedunt, ſuper capita animalium eſſe memorãtur. Quis enim in carne corruptibili poſitus,comprehendere ualeat quæ ſit illa angelorum ineffabilis & ſine fine lætitia? Quæ beatitudo,ſine defectu uultum uidere creatoris,atq; in eius delectatione ſine immutatione perſiſtere? Poteſt autem firmamenti nomine,ipſe per figurã noſter redemptor intelligi, uerus deus ſuper omnia,& factus inter omnia homo perfectus,in quo noſtra natura apud patrem cõfirmata eſt. De quo Pſal.79
etiam per Pſalmiſtam prophetando dicitur: Fiat manus tua ſuper uirum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Humana etenim natura priuſquam à creatore omnium ſuſciperetur, terra erat:nam firmamentum non erat. peccatori quippe homini dictum eſt: Terra es, & Gen.3
in terram ibis. Et poſtquam aſſumpta eſt ab autore omnium, atq; in cœlis ſubleuata, & ſuper angelos ducta,firmamentum facta eſt, quæ terra fuit. Sed firmamẽtum quod aſpicitur, cuius habeat ſimilitudinem,ſubinfertur, cùm dicit: Quaſi aſpectus cryſtalli horribilis.] Cryſtallum ſicut dictum eſt,ex aqua congelaſcit,& robuſtum fit. Scimus uerò quanta ſit aquæ mobilitas. Corpus autem redemptoris noſtri quia uſq; ad mortem paſſionibus ſubiacuit, aquæ ſimile iuxta aliquid fuit: quia naſcendo,creſcendo,laſſeſcendo,eſuriendo, ſitiendo, moriendo, uſq; ad paſſionem ſuam per momenta temporũ mobiliter decucurrit. Cuius Pſal.18
curſum propheta intuens ait: Exultauit ut gigas ad currendam uiam. Sed quia per reſurrectionis ſuæ gloriam ex ipſa ſua corruptione in incorruptionis uirtutẽ conualuit, quaſi cryſtalli more ex aqua duruit: ut in illo & hæc eadem natura eſſet, & ipſa quæ iã fuerat corruptionis mutabilitas nõ eſſet. Aqua ergo in cryſtallum uerſa eſt, quando corruptionis eius infirmitas per reſurrectionẽ ſuam ad incorruptionis eſt firmitatem mutata. Sed notandum quòd hoc cryſtallum horribile, id eſt pauendum,dicitur. Quis autem neſciat cuius pulchritudinis ſit cryſtallum? Et mirum quomodo in hoc cryſtallo cõueniat pulchritudo cum pauore? Sed omnibus uera ſcientibus conſtat quia redemptor humani generis cũ iudex apparuerit, & ſpecioſus iuſtis, & terribilis erit iniuſtis. Quem enim manſuetum aſpiciunt electi, hunc eundem pauendum atq; terribilem conſpiciunt reprobi. Sed hũc ideo tunc electi terribilem nõ uidebunt,quia modo terrorem illius conſiderare non ceſſant. Studioſe enim cõſiderant quàm terribilis ad iudicium ueniat. Culpas anteactas deflent,imminentes declinant. Pauorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & quando tremendus appareat, ſine ceſſatione ſuſpecti ſunt, atq; quotidie timendo agunt, ne quando uenerit pertimeſcant. Similitudo ergo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis. Et quia ipſe pauor eius quem in ſuis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, rectè ſubiungitur: Extenti ſu-

per

per capita eorum desuper.] Firmamentum hoc quod in similitudinem crystalli super capita eorum animalium apparet, & horribile & extentum est, quia bonorum mentes unde terret, inde protegit. Si enim pauendus in eorum cordibus non esset, protector & modo à peccatis & pòst à supplicijs non fuisset. Quia autem semper considerant quis pauor ex iudicio immineat, uirtutum pennas in rectitudinem cõseruant. Vnde & aptè mox subditur: Sub firmamento autem pennæ eorum rectę alterius ad alterum.] Tunc pennæ uirtutum sub firmamento rectæ sunt, quando bonum quod alter habet, hoc alteri impendit, ut qui terrenam substantiam accipit, indigentis proximi inopiam subleuet. Qui doctrinæ gratia plenus est, ignorantis proximi tenebras uerbo suæ prædicationis illustret. Qui temporali potestate subnixus est, oppressos à uiolentijs releuet. Qui prophetiæ spiritu plenus est, à uita proximi mala, imminentia bona suadendo, declinet. Qui gratiam curatiõis accipit, intercessione sua saluti infirmantium piè & humiliter impendat. Qui à terrenis actibus liber soli deo uacare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Fit autem sæpe ut qui in terrena substantia nimis occupatur, orationi non quantum debet inuigilet. Et fit plerunque ut is qui ad exorandum dominum cunctis mundi oneribus exutus uacat, sustentationem uiuendi non habeat. Sed dum diues porrigit alimentum atq; uestimentum pauperi, & dum pauper orationem suam animæ diuitis impendit, pennæ animalium rectæ alterius ad alterum tenduntur. Nam dum ille mihi uerbum prædicationis exhibet, & lumine ueritatis ex corde meo ignorantiæ tenebras expellit: dumq; illi ego quia fortasse à mundi huius potente opprimitur, solatium meæ defensionis impartior, atq; hunc de uiolentis manibus euello, uicissim nobis pennas nostras tendimus, ut nos affectu & ope uicaria, ex bono quod
1.Pet.4 accepimus tangamus. Vnde benè primus pastor admonet dicens: Omnium finis appropinquauit. Estote itaque prudentes, & uigilate in orationibus: ante omnia mutuam in uobismetipsis charitatem cõtinuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine murmurationibus. Vnusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrũ illam administrantes. Quod ergo apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum Apostolorum accepta gratia dicitur. Et quod ille ait: Rectæ pennæ alterius ad alterum, hoc Ecclesiæ pastor dicit, Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Pennæ enim nostræ rectæ iam non sunt, si ad utilitatem nostram solummodo reflectuntur. Sed tunc rectæ fiunt, cum in utilitatem proximi dirigimus quod habemus. Quia enim bona nostra non à nobis sunt, sed ab eo hæc accepimus à quo factũ est ut essemus, tanto ea nobis non debemus retinere priuata, quanto ea nobis conspicimus ab authore nostro ad communem utilitatem data. Vnde rectè Petrus Apostolus in exhortatione huius rei subdit dicens: Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ dei. Atq; adhuc adijcit: Si quis loquitur, quasi sermões dei, si quis ministrat, tanq; ex uirtute quã administrat deus. Ac si apertè dicat: Humiliter impendite bonũ proximis, quia scitis uobis nõ à uobis esse quod habetis. Quælibet enim pẽna uirtutis cùm ad proximum impartiendo tenditur, recta non erit, si humilitate caruerit. Sequitur: Vnumquodq; duabus alis uelabat corpus suum, & alterum similiter uelabatur.] Quia per corpus actio, per alas uerò uirtutes signentur, supra iam diximus. Et cùm dicat: Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum, quærendum est qualiter subditur: Vnumquodque duabus alis uelabat corpus suum.] Qua in re hoc patẽter indicatur, quia & pennas alias ad alterum tendebant, & tamẽ duabus alis corpus proprium uelabant. Quid est hoc nisi quia sic debemus uirtutes quas accepimus alijs impendere, ut & ea in quibus peccauimus, nõ desinamus cautè cogitare, & reatum nostrũ quotidie per timorẽ & pœnitentiam plangere? Duas enim alas superius, quibus corpus uelatur, timorẽ & pœnitentiã dixi mus. Sic ergo in charitate crescamus, ut pennas tendamus in proximos, ut nunquam desinamus cogitare & plangere nosmetipsos. Pẽnæ tendantur iuxta, pennæ cooperiant corpora, ut & de bonis actibus præbeamus exempla, & mala quæ egimus, abscondant à iudicio timor & pœnitẽtia. In translatione aũt ueteri de his alis dicitur: Singulis duæ coniunctæ & tegentes corpora eorũ.] In quibus uerbis intelligit, quia & ipsæ erant pennę quæ iungebantur alterius ad alterum, & ipse quę eorũ corpora cooperiebãt. Quod per figurã bene accipit, quia illæ nos uirtutes apud omnipotentẽ deũ protegũt, quas ex charitate proximis imparti mur atq; cõiungimus. Cum quibus dum cõcorditer uiuimus, mala quæ fecimus uelamus. Possunt ergo etiã per has alas duo præcepta charitatis intelligi, amor scilicet dei & proximi. Amando enim deum, nostra in nobis mala persequimur, id est corpus uelamus. Diligendo autẽ proximum, & ei in quo prodesse possumus festinamus, id est alas ad alterum tẽdimus. Hoc autem quod subditur: Et alterum similiter uelabatur] in translatione ueteri non habetur. Et quæri potest cur postq; dictum est: Vnũquodq; duabus alis uelabat corpus suum] subiungit: Et alterum similiter uelabatur?] Translationẽ aũt septuaginta interpretũ, Aquilę, Theodotionis, et Symmachi sollicitè per scrutantes, nihil ex his uerbis inuenimus, sed beati Hieronymi scripturã legẽtes agnouimus, quia hanc sententiã in Hebræa ueritate ita positã non quidem iuxta uerbũ, sed iuxta sensum inuenerit. Quæri etiam potest cur postq; dictũ est, Vnũquodq; uelabat corpus suũ:] statim subditur: & alterũ similiter uelabatur.] Si enim diceret unũ & alterũ, loquendi ratio staret. Postq; uerò dictum est unũ quodq;, cur adijcitur alterum, cùm in unoquoq; omnes comprehendãtur? Sed si & perfectorũ uitam, & proficiẽtiũ merita distinguimus, & unum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quodq; & alterum non irrationabiliter positum uidemus. Qui enim & sua deflent, & uirtutum pennas ad proximos in exemplum tendunt, proculdubio perfecti sunt. Sunt autem plerique paruulorum, qui eorum lachrymas conspiciunt & imitantur. Et qui nudi in suis prauitatibus esse potuissent, sanctos uigilantioresq; uiros considerāt: moxq; suis prauitatibus irati accenduntur ut plangant, & inflammātur ad pœnitentiam. Atq; ut uelare sanctos corpora sua conspiciunt, ita ipsi quoque lachrymarum suarum alis uelantur. Seipsos enim magnis increpationibus feriunt, cur qui uirtutes non habent, peccata sua minimè deplorant, si adhuc & illi plangere non desistunt, qui iam uirtutum pennas per exemplа ad proximos tendūt. In quibus uerbis necesse est ut nos qui paruuli ad huc sumus, perfectorum semper & uirtutes & lacrymas ante mētis nostræ oculos ponamus. Imitemur quę in illis aspicimus, ut dum cœperimus per incremēta crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus uelare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia habemus sacerdotem in cœlis, qui interpellat pro nobis. De quo etiam per loannē dicitur: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Ecce exultat animus, cum aduocati nostri potentiam audimus. Sed exultationem nostram iterū remordet timor quia ipse qui nobis aduocatus est, dicitur iustus. Nos enim causas iniustitiq; habem⁹, iustus uero aduocatus iniustas causas nullo modo suscipit, nec uerba durè pro iniustitia defendit. Quid ergo agimus charissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & deseramus, & accusemus. Scriptum est: Iustus in principio accusator est sui. Quilibet etenim peccator conuersus in fletibus, iam iustus esse inchoat, cū cœperit accusare quod fecit. Cur em̄ iustus nō sit, qui contra suā iniustitiā iam per lachrymas sæuit? Iustus igitur aduocatus noster iustos nos defendet in iudicio, quia nosmet ipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, nō in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus: Qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum. Amen.

1.Ioan.2

Prou.18

Homilia octaua.

ET audiebam sonum alarum quasi sonum aquarū multarum, quasi sonū sublimis dei. Cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum. Cunq; starent, dimittebantur pennæ eorum. Nam cùm fieret uox super firmamentum quod erat super caput eorum: stabant & submittebant alas suas. Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni, & super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et uidi quasi speciem electri, uelut aspectum ignis intrinsecus per circuitum à lumbis eius & desuper, & à lumbis eius usq; deorsum uidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu: uelut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ. Hic erat aspectus splēdoris per gyrū. Hæc uisio similitudinis gloriæ dñi. Et uidi, & cecidi in faciem meā.

QVod per exemplа iustorum multi proficiant, superioris locutionis fine tractatum est. Atque hoc ipsum propheta nobis certius aperit, cùm his quæ dixerat adiungit: Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum. Solent in sacro eloquio per aquas populi designari. Vnde per loannem dicitur: Aquæ uerò sunt populi. Idcirco autem aquis populus designatur, quia & in uita sonum habet ex tumultu carnis, & quotidie defluit ex decursu mortalitatis. Vt autē sæpe iam diximus, alæ sunt animalium, uirtutes sanctorum. Quid est ergo quòd propheta alarum sonum audit quasi sonum aquarum multarum: nisi quòd ex omnipotentis dei pietate illæ alæ uirtutum quæ in paucis prius sanctis sonabāt, iam nūc prædicatione diffusæ, in multorum populorum conuersatione resonant? Incarnato enim, passo, ac resurgente domino, pauca pennata animalia fuerunt: quia rari ualde extiterūt qui cœlestia desiderarent, & uirtutū pennis se in alta suspenderēt. Sed postquam diuinitatis eius prædicatio in mundo diffusa est, quanti iam paruuli, quanti grauiores, quanti fortes iuuenes, quāti imbecilles, quantæ conuersæ peccatrices, quantæ annosæ uirgines per fidem, per spem, per amorem ad cœlestia euolant, quis dicere, quis æstimare sufficiat? Ecce alarum sonitus qui prius in paucis animalibus fuit, iam nunc in populis resonat, iam nunc mundi multitudinem ad cœleste desiderium pennæ uirtutum leuant. Bene ergo dicitur: Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarū: quia sicut præfati sumus, ille uirtutum sonus qui in aurem dei prius ex paucis sanctis factus est, postmodum ex aquis multis, idest ex innumerabilib. est populis multiplicatus. De quo sono adhuc bene additur: Quasi sonum sublimis dei. Quid est quòd alarum sonus in sanctis animalibus quasi sonus sublimis dei dicitur, nisi q̄ omnipotens deus & ipse implet mentes sanctorum cœlesti desiderio, & ipse exaudit impletas? Ipse etenim creat in sanctorum cordibus amorem, & ipse exaudit amantibus cordibus suscipit precem. Negationē suam Petrus fleuit amarè: sed tamen illic præmittitur, quia Iesus respexit Petrum. Venit Maria Magdalene post multas maculas culpæ ad pedes redemptoris nostri cum lachrymis. Sed quis illam infudit intus, nisi qui benignè suscepit foris? Quis illam

Luc.22

Luc.7

illam ad lachrymas urgebat per compunctionis spiritũ, niſi qui hanc exterius corã ſimul recũbentibus recipiebat ad ueniam? Redẽptor igitur noſter peccatricis mulieris mẽtem extergebat, cùm de culpa compungeret: ſuſcipiebat ut à culpa liberaret. Bene ergo iſte alarum ſonus quaſi ſublimis dei dicitur: quia quicquid in ſanctorum uirtutibus agit, eius eſt gratiæ qui merita largitur. Qui rectè per prophetam ſublimis deus eſſe memoratur. In ſcriptura etenim ſacra aliquando deus nuncupatiuè, aliquãdo uerò eſſentialiter dicitur: Nuncupatiuè enim dicitur, ſicut ſcriptum eſt: Ecce cõſtitui te deũ Pharaõis. Et ſicut Moyſes ait: Si quis hoc uel illud fecerit applica illum ad deos: uidelicet ad ſacerdotes. Qui rurſum dicit: Dijs non detrahes: id eſt, ſacerdotibus. Et ſicut Pſalmiſta ait: Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernit. Eſſentialiter autem deus dicitur, ſicut ad Moyſen dicitur: Ego ſum deus patris tui: deus Abraham, deus Iſaac, deus Iacob. Vnde Paulus Apoſtolus uolens nuncupatiuum dei nomen ab eſſentiali diſcernere, de redemptore noſtro locutus eſt dicẽs: Quorum patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula. Qui enim nuncupatiuè dicitur deus inter omnia, qui uerò eſſentialiter, deus ſuper omnia eſt. Vt ergo oſtenderet Chriſtum naturaliter deum, non hunc deum tantũmodo, ſed deũ ſuper omnia eſſe memorauit: quia & electus quiſque ſicut præmiſimus, uel in exẽplo iuſtitiæ prærogando poſitus dici deus poteſt, ſed inter omnia, quoniam nuncupatiuè deus. Chriſtus autem deus eſt ſuper omnia: quia naturaliter deus. Quem ergo Paulus deum ſuper omnia, hunc Ezechiel propheta deum ſublimem nominat. Poſtquã uerò dictum eſt: Audiebam ſonum alarum quaſi ſonum aquarũ multarum.] quia adhuc additur: Quaſi ſonum ſublimis dei.] etiam hoc intelligere poſſumus, quod futurum electis omnibus ſcimus. Alarum etenim ſonitus, ſicut diximus, fuit in prædicatoribus ſanctis: aquarũ ſonitus in conuerſis & ſequentibus populis. Sed idem ipſe ſonitus erit quandoq; ſonus ſublimis dei: quia multitudo quæ nunc ad fidem per ſanctos doctores trahitur, quandoq; in cœleſtem patriam cõgregatur: ut ibi omnes electi ſine fine laudẽt, cùm uiderint ſine fine quẽ laudẽt. Et quia tũc perfectè corpus redẽptoris efficitur omnis multitudo ſanctorum, iuxta Pauli uocem dicentis: Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei: eiq; ita tunc inhæret, ut ei de corruptione, quæ per reſurrectionẽ uincitur, iam nihil in ſuo ſancto amore cõtradicat, ſed unita gloriæ ſui redemptoris fiat: Rectè dicitur: Quaſi ſonus ſublimis dei.] Notandus eſt ordo deſcribentis, quia prius ſonus ex alis animalium, qui poſtmodum quaſi ſonus aquarum multarum, ad extremum uerò quaſi ſonus ſublimis dei dicitur. Quòd enim prius prædicauerunt ſancti, hoc poſtmodum crediderunt atq; tenuerunt conuerſi ad fidem populi, qui ad extremum quoq; liberatori omnium reddent laudem in cœleſtia ſubleuati. Sonus itaq; animaliũ fit quaſi ſonus aquarũ, & ſonus aquarũ fit quaſi ſublimis ſonus dei: quia laudem omnipotentis domini quam prius in mũdo pauci, hanc poſtmodum multi clamauerunt. Et quam nunc multi clamant, cum adhuc eis in ſemetipſis ſua corruptio repugnat, hanc in cœleſtem patriam electi omnes ſuo iam capiti uniti reſonabunt. Adhuc autem ſanctorum animalium opera uirtutesq; deſcribuntur, cum ſubditur: Cum ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, ut ſonitus caſtrorum.] Si per ſonitum ſublimis dei, laus noſtri creatoris in cœleſti patria deſignatur, mirandum non eſt quòd rurſus ad ſanctorũ opera, in hac adhuc uita uiuentium, propheticus ſermo refunditur: quia ſanctus ſpiritus in corde prophetarum quod ſimul oſtendit intus, non ſimul eĳcit per linguam foras. Aqua quippe ſcientiæ qua prophetantis animus repletur, in contemplatione uehementer exuberat. Sed quia anguſtum eſt ſpiritui omne os hominis, id eſt foramen carnis ad explendam illam immenſitatem quæ conſpicitur, proferendo lingua uariatur. Poſtquam ergo ſonum alarum quaſi ſonum ſublimis dei eſſe cõſpexit in cœlis, rurſus ad terras redit, & pennata animalia quid hic agant loquitur, ut illic ſumma mereantur, dicens: Cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis: ut ſonitus caſtrorum.] Cùm prædicatores ſancti mundum prædicando & trahendo circumeunt, animalia ambulant. Et quia hi etiam quos colligunt, ſtatim ut crediderint, in laudẽ noſtri creatoris exurgunt, fit ſonus quaſi ſonus multitudinis. Et quia in prædicatione eadem bellum contra aerias poteſtates ſumunt, rectè ſubiungitur: Vt ſonitus caſtrorum.] Cùm ſanctis prædicatoribus fideles populi coniunguntur, contra malignos ſpiritus in procinctu fidei multitudines caſtrorum fiunt. Et dum quotidie fideles quique cœleſtibus deſideriis replentur, terrena deſpiciunt, dura ſibi pro amore ſupernæ patriæ proponunt, contra poteſtates aerias caſtra fiunt, quia armati fide & bonis operibus muniti gradiuntur. Quaſi enim quibuſdam caſtris ſpiritalis exercitus per Paulum dicitur: Induite uos armatura dei, ut poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quia nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Sanctorum ergo multitudinis caſtra ſunt, quæ bellum contra poteſtates aerias ſuſceperunt. Vnde ſancta uniuerſalis Eccleſia ita ſub ſpecie dilectæ deſcribitur, ut dicatur: Pulchra es amica mea, ſuauis decora ſicut Hieruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Quia enim Hieruſalem pacis uiſio interpretatur, cuius nomine patria cœleſtis exprimitur, ſancta Eccleſia ſuauis & decora ut Hieruſalem dicitur, quia eius uita & deſiderium uiſioni iam pacis intimæ comparatur: ut in eo quòd authorem ſuum diligit, quòd eius ſpeciem uidere concupiſcit, de quo ſcriptum eſt: In quem deſiderant an-

Exo.12 Pſal.31 Exo.3 Rom.9 Rom.8 Ephe.6 Canti.6 1.Pet.1

Universidad de Deusto
Biblioteca

geli prospicere, per ipsa iam amoris sui desideria A angelis similis dicatur: quæ quantum deo amabilis efficitur, tanto agitur ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem sit terribilis, subiuncta comparatione ostenditur, id est, ut castrorum acies ordinata. Cant.6 Quid est quòd sancta Ecclesia ab hostibus suis ut castrorum acies sit timenda? Non enim à magno intellectu uacat ista comparatio, & idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim & constat quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata atq; densata, ut in nullo loco interrupta uideat̃. Nam si ita disponitur, ut locus uacuus per quem hostis possit ingredi dimittatur, profecto iam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cùm contra ma B lignos spiritus spiritalis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per charitatẽ semper uniti atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inueniamur, quia si quælibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis ualeat intrare. Antiquus uerò inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet: quia ipse nec carne premitur, ut in eius luxuria dissoluatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo nõ utitur: quia necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit: quia diuitiarum subsidijs nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem uerã, id est amorem humilem, quem nobis uicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo. Bene ergo dicitur: Terribilis ut castrorum acies ordinata: quia electorũ multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam munitos contra se, & conglobatos aspiciunt. Quanta autem sit concordiæ uirtus ostenditur, cùm sine illa uirtutes reliquæ, uirtutes non esse monstrantur. Magna enim est uir- Rom.14 tus abstinentiæ. Sed si quis ita ab alimentis abstineat, ut cæteros in cibo dijudicet, & alimenta eadem quæ deus creauit ad percipiendum cum gratiarũ actione, in fidelibus etiã damnet, quid huic uirtus abstinentiæ facta est, nisi laqueus culpæ? D Psal.150 Vnde Psalmista quoque nullam esse abstinẽtiam sine cõcordia designans ait: Laudate eum in tympano & choro. In tympano enim corium siccum resonat, in choro autem uoces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum nisi abstinentia, & quid per chorum nisi charitatis concordia designatur? Qui itaque sic abstinentiam tenet, ut concordiã deserat, laudat quidẽ in tympano, sed non laudat in choro. Et sunt nonnulli qui dum plus sapere quàm necesse est student, à proximorum pace resiliunt, dum eos uelut hebetes stultosq; contemnunt. Vnde per se ueritas admonet, Mar.9 dicens: Habete in uobis sal, & pacem habete inter uos, ut quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est quatenus à pace concordiæ nunquam recedat. Quod uerò de his duabus uirtutibus diximus, hoc de cæteris omnibus sentiendum est. Vnde Paulus terribiliter admonet, di- Heb.12 cens: Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo uidebit deum. Quia autem nil sine concordia deo placeat, ipsa per se ue- Matt.5 ritas demonstrat, dicens: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ad altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Ecce à discordantibus accipere non uult sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite quantum sit malum discordiæ, propter quod & illud abijcitur, per quod culpa laxatur. Quia uerò electi semper in charitate coniuncti sunt, & hæc eadem eorum charitas sonum laudis reddit authori, malignis uerò spiritibus, id est, antiquis suis hostibus pœnã incutit timoris: rectè nunc de pennatis animalibus dicit̃: Cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum.] Debet autem ab exortu sanctæ Ecclesiæ fidei oculos usq; ad finem mundi tendere, & hæc eadem castra quomodo ambulent uidere. Castra enim multitudines appellantur exercitus, cùm in procinctu pergunt, aut in certo quolibet loco in itinere demorantur. Castris ergo uita est uita præsentis seculi, omnibus concorditer uiuentibus sanctis. Alia autem sunt castra prædicantiũ: qui huc illuc q; pro colligendis animabus in sancti operis C procinctu laborant. Alia castra cõtinentium, atq; ab hoc mundo recedentium, qui contra malignorum spirituum bella quotidie in corde se præparant. Alia castra bonorum coniugatorum, qui uiuentes in amore omnipotentis dei concorditer, sic uicissim sibi carnis debitum soluunt, ut tamen quid deo de bonis operibus debeant, nullatenus obliuiscantur. Sed etsi qua, ut homines, delinquunt, hæc incessanter prijs actibus redimũt. Quia ergo distincti fideliũ ordines ab exortu sanctę Ecclesiæ usque ad finem mundi concorditer uiuentes, contra potestates aerias dimicant, castra ambulant: & fit quasi quidam castrorũ sonitus, quia in eis ad laudem omnipotentis dei, & uirtutum gladij, & arma miraculorum sonant. De sanctis uerò animalibus adhuc subditur: Cunq; starent, demittebantur pennæ eorum.] Stant sancta animalia, quando ea quæ dei sunt, intenta contemplatione considerant. Sed eorum pennæ deponuntur, quia dum alta dei iudicia aspiciunt: suæ eis uirtutes uilescũt. Quod apertè exponitur, cùm statim subditur: Nam cùm fieret uox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabãt & submittebant alas suas.] Firmamentum superius sub intellectu duplici iudicauimus exponendum. Possunt enim, sicut dictum est, firmamenti nomine, cœlestes potestates intelligi. Et potest firmamenti nomine, incarnatus unigenitus, per hoc quòd in eum natura nostra ad æternitatem firmata est, designari. Prius ergo quid sentimus de angelis, postmodum de domino angelorum loquamur. Ecce enim dicitur: Cùm fieret uox

super

super firmamentum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.] Quo in loco hoc primò ſciendum eſt, quia non ſubmittere ab inferiori ad ſuperiora tendere, ſed à ſuperiori ad inferiora alas deponere debet intelligi, propter hoc quod præmiſſum eſt. Cùm ſtarent, demittebantur pennæ eorũ.] Quærendũ itaq; nobis eſt quę ſit uox quæ ſuper firmamentũ ſit. Sed eandẽ uocem melius intelligimus ſi ab imis ad ſuperiora gradientes, quaſi quibuſdam paſsibus aſcendamus. Sicut auditus corporis excitatur uoce, ita ſenſus mentis excitatur intellectu, qui de interioribus agitur. Vox ergo eſt in mente, quaſi quidam ſonus intelligentiæ. Sed ſciendũ eſt, quia noſtris ſenſib. aliquando uox carnis loquit̃, aliquando uox animæ, aliquando uox firmamenti, aliquando uox quæ ſuper firmamentum eſt. Ponamus ergo ante oculos quòd ſi quiſpiã ſit læſus à proximo, qui ex humana ratione cogitat, ut uicẽ læſioni reddat, malũ ꝓ malo retribuat, huic uox carnis loquit̃ in mẽte: quia cùm diuina mandata præcipiãt bene nos facere his qui nos oderunt, quiſquis malefacere ſe odientibus cogitat, in eius animo uox carnis ſonat. Multa terrena quotidie agimus, poſt ad orationem redimus. Accenditur ad compunctionem animus, ſed earum rerum quas egimus, imagines uerſantur in mente, & intentionem compunctionis præpediunt in oratione: & quod uolentes foris egimus, hoc interius patimur inuiti, & quædam cogitationum phantaſmata mentem per imagines corporeas diſpergũt, ne ſtricta totam in oratione ſe colligat. Hæc quoq; uox carnis eſt. Cùm uerò & iſta ſubigimus, atq; ab oculis mentis cunctas corporeas imagines effugamus, ipſam in nobiſmetipſis naturam animæ quærentes: qualis ſit, quæ carnem uiuificare poteſt, ſed ſemetipſam ſtringere in bonis cogitationib. ſicut deſiderat non poteſt: inuenimus quendam intellectualem ſpiritum per creatoris potentiam uiuentem, corpus quod ſuſtinet uiuificantem, ſed tamen obliuioni ſubditum, mutabilitati ſubiectum, quem ſæpe timor afficit, lætitia extollit. Ipſe itaque intellectus animæ uox eius eſt, quia ſonat q̃d eſt: quæ tamen adhuc uox ſub firmamento eſt. Sed tranſcendentes animam uocem de firmamento quærimus, cùm illa ſancto rum angelorum innumera multitudo in omnipotentis domini conſpectu qualis ſit inueſtigamus, quæ ſit in eis ſine fine feſtiuitas uiſionis domini, quæ lætitia ſine defectu, qui amoris ardor nõ crucians, ſed delectans, quantum in eis ſit deſiderium uiſionis dei cum ſatietate, & quanta ſatietas cum deſiderio. In quibus nec deſiderium pœnam generat, nec ſatietas faſtidium parit. Quomodo inhærendo beatitudini ſint beati, quomodo contemplando ſemper æternitatem ſint æterni, quomodo coniuncti uero lumini facti ſint lux, quomodo aſpicientes ſemper incommutabilem, mutati ſunt in incommutabilitatem. Sed cùm iſta de angelis cogitamus, adhuc uox de firmamento eſt non ſuper firmamentum. Tranſeat ergo animus, & ab ipſis tranſcendat omne quod creatum eſt.

A In ſolo creatoris ſui lumine fidei oculos figat, ꝙ unus uiuificet omnia quæ creauit deus, quòd ubique eſt, & ubiq; totus eſt, quòd incircumſcriptus & incomprehenſibilis ſentiri poteſt: & uideri nõ poteſt, quòd nuſquam deeſt, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe eſt: quòd nec ibi deeſt ubi longè eſt: quia ubi non eſt per gratiam, adeſt per uindictam: quòd omnia tangit, nec tamen æqualiter omnia tangit. Quædam enim tangit ut ſint, nec tamen ut uiuant & ſentiãt, ſicut ſunt cuncta inſenſibilia. Quædam tangit ut ſint, uiuant, & ſentiant, nec tamen ut diſcernant, ſicut ſunt bruta animalia. Quædam tangit ut ſint, uiuant, & ſentiant, & diſcernãt, ſicut eſt humana & angelica na
B tura. Et cùm ipſe nunquam ſibimetipſi ſit diſſimilis, diſſimiliter tangit diſſimilia. Quòd ubiq; præſens eſt, & inueniri uix poteſt: quòd ſtantem ſequimur, & apprehendere nõ ualemus. Ponamus ergo ante oculos mentis quæ illa natura ſit quæ tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, ſuperexcedit omnia, ſuſtinet omnia. Nec alia ex parte ſuſtinet, atque alia ſuperexcedit: neque alia ex parte implet, atq; alia circumplectitur, ſed circũplectendo implet, implendo circũplectit̃: ſuſtinendo ſuperexcedit, ſuperexcedendo ſuſtinet. Huius naturæ potentiam cùm ſtrictus in ea cogitat animus, uox ſuper firmamentum fit: quia eius intellectum concipit, qui & angelorum ſenſum ſua incomprehenſibilitate tranſcendit. Cùm er-
C go uox ſuper firmamentum fit, ſtant animalia, & ſubmittunt alas ſuas: quia ſanctorum mẽtes cùm creatoris ſui potentiam intenta contemplatione conſiderãt, uileſcunt eorum animo uirtutes quas habent, & tanto fiunt apud ſe humiles, quanto eis illud allatũ eſt quod ſuper angelos ſonat. Fortaſſe enim doctores ſunt, ſed cùm cœperint tacita mente cogitare quæ ſit ineffabilis dei ſapientia, quę mentes hominum ſine ſtrepitu uerborum doceat, & quomodo hæc eadem ſapientia ſi auditorum mentes non doceat, uox docentium uacuè laborat, ſua eis doctrina protinus uileſcit: quia neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui 1.Cor.3
incrementum dat deus. Fortaſſe prophetæ ſunt, ſed cùm tacita mente conſiderant, quia prophe-
D tiæ ſuę oculo ſimul omnia diuinitatis myſteria penetrare non poſſunt, quoniam ſicut ait Apoſtolus: Ex parte cognoſcimus, & ex parte propheta 1.Cor.13
mus: in illa immenſitate ſecretorum uident, quia parum eſt omne quod uident, atque ex ipſa immenſa altitudine luminis cõſiderãt quàm minus ſit illud quod intento oculo quaſi per rimas uiderunt. Deponant ergo alas ſuas, cùm uox ſuper firmamentũ fit: id eſt, humilientur in eo quod apprehendunt, cùm ſuperna cõſpiciunt, quæ ab eis cõprehendi non poſſunt. Sæpe etiã ſanctorũ cogitationibus ipſa quæ habent bona blandiuntur, ut eorum mentes in aliqua ſui fiducia eleuent: ſed protinus ad occulta dei iudicia recurrunt, quomodo alij ex uirtutibus ad infernum per elationem corruũt: alij ex uitijs correcti, ad cœlum per humilitatem leuantur. Vnde nos ad humilitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.65 reuocans propheta terret & admonet, dicens: Ve-
nite, & uidete opera domini, quàm terribilis in
consilijs super filios hominum. Quis enim dignè
considerare ualeat quantus super nos terror sit
consiliorum dei, quando alter ex uirtutibus in fi-
nem tendit ad uitia, & alter ex uitijs in uirtutibus
Eccls 9 concludit finem? Quia iuxta Salomonis uocem,
sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in ma-
nu dei. Nec tamen scit homo utrum amore uel o-
dio dignus sit, sed omnia in futuro seruantur in
Prou.14 certa. Et est uia quæ uidetur hominibus recta, &
nouissimum eius ducit ad mortem. Hæc itaq; oc-
culta iudicia profundè cogitare, quid est aliud
quàm alas deponere, id est, de nulla iam uirtute
confidere, sed sub magno timore trepidare. Siue
enim omnipotentis dei naturam cõsiderent, siue
eius iudicia perpendãt, trepidant, pertimescunt.
Eis ergo quali alas deponere, est uirtutes quas ha-
bent humiliare. Sic Abraham alas deposuit, qui
Gen.18 quando loqui cum deo cœpit, puluerem & cine-
rem se esse cognouit, dicens: Loquar ad dominũ
meum, cùm sim puluis & cinis? Sic Moyses alas
deposuit, qui eruditus omni scientia Ægyptiorũ,
Exo.4 mox ut uerba domini audiuit, uerba se non habe-
re deprehendit, dicens: Obsecro domine, nõ sum
eloquens ab heri & nudiustertius. Ex quo enim
locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tar-
dioris linguæ sum. Ac si apertè diceret: Postquam
à te uerba uitæ audio, confusum me in uerbis prio
ribus agnosco. Sic Esaias, cuius uita domino ad
prædicandum placuerat, cùm eundem dominum
contemplatus, carbone de altari in ore tactus est,
Esa.6 ait: Væ mihi quia tacui: quia uir pollutus labijs
ego sum. Ecce ad superiora subleuatus sibimet-
ipsi de labiorum pollutione displicuit. Nisi enim
cœlestis munditiæ alta conspiceret, esse se iudica-
bilem non inuenisset. Sic loquente domino Hie-
Hier.1 remias clamat: A, a, a, domine deus: ecce nescio
loqui: quia puer ego sum. Iuxta enim ea uerba
quæ audiebat, uerba se non habere cognouerat.
Danie.8 Sic Daniel sublimem uisionem uidens, per plurí-
mos dies elanguit & ægrotauit. Quia & hi qui in
uirtutibus fortes sunt, cùm altiora dei conspici-
unt, in sua sibimet æstimatione infirmi atq; imbe-
cilles fiunt. Sic beatus Iob de quo dominus ami-
Iob 42 cis illius dixit: Non estis locuti coram me rectum,
sicut seruus meus Iob, cùm uerba dei colloquen-
tis audiret, respondit, dicens: Insipienter locutus
sum, & quæ ultra modum excederent scientiam
meam. Et paulopost: Idcirco ipse me reprehen-
do, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Qui
enim quantum ad homines sapienter locutus fue
rat, loquentem sibi deum audiens, insipienter se
locutum fuisse reprehendit: quia in contemplatio
ne ueræ sapientiæ sua ei sapientia uiluit. Ad uo-
cem ergo desuper uenientem animalia alas depo
nunt, quia uirtutem dei siue in natura sua contem
plari requiramus, siue in occultis iudicijs inuesti
gare cogitemus, pro eo quòd eius alta nobis im-
penetrabilia sunt, nostra nobis si qua inesse bona
credebantur uilescunt. Et qui in quantulacunque
A scientia uolare credebamur, inuisibilẽ super nos
naturam & impenetrabilia eius iudicia perpen-
dentes, submissis alis humiliter stamus. Sequitur:

Et super firmamentum quod erat imminens ca
piti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, simili-
tudo throni. Et super similitudinem throni simili-
tudo, quasi aspectus hominis desuper. Quid per
thronum, nisi illæ uirtutes angelicæ designantur,
quæ ipsos quoq; angelos dignitate loci superioris
excedunt? Nam cùm angeli nuncij dicantur: fæ-
pe angeli ad annuncianda quædam hominibus
ueniunt, throni missi ad ministerium nuncij nus-
quam leguntur: quia eis longè sublimius creator
omnium præsidet. Vnde Paulus Apostolus or-
B dines cœlestium agminum quos ad tertium cœ-
lum raptus uiderat, describens ait: Siue throni, Col.1
siue dominationes, siue principatus, siue potesta-
tes, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Thro-
nos igitur ante eos angelorum ordines dixit: qui-
bus illos prælatos esse cognouit. Bene autem thro
nus lapidi sapphiro comparatur: quoniam lapis
sapphirus aerium habet colorem. Virtutes ergo
cœlestium lapide sapphiro designantur, quia ij
spiritus quibus deus omnipotens altius præsidet,
superioris loci in cœlestibus dignitatem tenent.
Super thronum uerò similitudo hominis: quia &
super illas uirtutes quæ & ipsos angelos antece-
C dunt, nostri est gloria redemptoris. Notandum
ergo qui ordo seruatur. Super animalia enim fir-
mamentum, super firmamentum thronus, super
thronum homo esse describitur: quia & super san
ctos homines adhuc in hac corruptione corpo-
ris uiuentes, angeli, & super angelos, superiores
& deo proximæ angelicæ potestates, super pote-
states deo proximas, eleuatus est mediator dei &
hominum homo Christus Iesus. Sin uerò, ut præ-
diximus, firmamenti nomine mediator dei & ho
minum pro assumpta humanitate debet intelli-
gi, quia sub unius nominis appellatione solent
per prophetiæ spiritum multa signari, uox super
firmamentum facta est quæ super baptizatum do
minum de cœlo sonuit, dicens: Tu es filius meus Luce 4
dilectus: in te complacui. Sicut per Euangeli- Mat.3&17
stam alium dicitur: Hic est filius meus dilectus,
D in quo mihi complacui. Quæramus igitur quo
modo uocem animalia audiunt, & alas depo-
nunt? Abacuc propheta requisitus, dicat: Do- Abac.3
mine audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua, & expaui. Quid est autem quod pa-
ter de filio loquitur, dicens: In quo mihi compla-
cui? Omnis enim qui pœnitendo corrigit aliqua
quæ fecit, eoipso quo pœnitet, se sibi displicuisse
indicat, quia emendat quod fecit. Et quia omni-
potens pater sicut intelligi ab hominibus pote-
rat, humano modo de peccatoribus locutus est,
dicens: Pœnitet me fecisse hominem super ter- Gen.6
ram: quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus
quos creauit. In solo autem sibi unigenito domi-
no nostro Iesu Christo complacuit: quia hunc in-
ter homines hominem creasse eum non pœnituit
omnimodo, in quo peccatũ nullo modo inuenit,

sicut

sicut de illo per Psalmistam dicitur: Iurauit dominus, & nō pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secūdum ordinem Melchisedech. In solo ergo sibi redēptore nostro complacuit pater, quia in solo nō inuenit culpam, in qua se reprehendat quasi per pœnitētiam. Sancta itaq; animalia uocem super firmamentum audiant & pertimescāt: quia si solus sine peccato est, in eius innocentia aspiciunt in quantis ipsa quotidie delinquant, quæ necesse est ut incessanter defleant. Considerent quoq; quia & ipse author uitæ, sine passionis dolore ex hac uita non exijt. Et hæc ergo uox super firmamentum facta est, quia omnipotentis patris sententia etiam de morte ac resurrectione unigeniti processit. Sed cùm uox super firmamētum fit, stant animalia, & submittunt alas suas, quia sancti quiq; cùm ipsum quoq; unigenitum flagellatum in hoc mūdo conspiciunt, deponūt si quid de suis meritis præsumunt. Nam si ipse hinc sine flagello non exijt qui uenit sine peccato, quomodo flagellis digni nō erunt, qui huc cum peccato uenerūt? Ipsum ergo firmamentum quod est super caput animalium, id est, quod transcendit mētes sanctorum, habet super se uocem, quia redēptor noster eam quam cum patre disposuit ex diuinitate sententiam pertulit in carne. Quam audiētes iusti terrētur, & omnem de suis uiribus præsumptionem deponunt. Quibuslibet etenim uirtutibus polleat, quid digna est uita peccatorum, si & eius uita pro nobis flagello subiacuit, quæ subdita nullo peccato fuit? Sed ecce grauis nobis quæstio oritur, cùm dicitur: quia super firmamētum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni. Si enim per firmamētum dominus, & per lapidem sapphirum & similitudinem throni summæ illæ potestates angelicæ figurantur, quomodo super firmamentum, id est, super Dominum esse credendæ sunt, cùm & mox subditur: Et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper?] Nā si, ita ut dictum est, firmamentum exprimitur dominus, & rursus homo accipitur dominus, qua ratione potest intelligi, & ipse super thronum, & ipse sub throno? Sed astrictos huius quæstionis nodos ipse soluit de quo loquimur, qui afflatu sancti spiritus ea quæ clausa sunt aperit. Incarnatus enim unigenitus patris per hoc quod homo factus
Psal.8 est, infra angelos fuit, sicut de eo scriptum est: Minuisti eum paulominus ab angelis. Resurgens autem & ascendens in cœlos, omnibus angelicis potestatibus præsidet, sicut de eo illic rursum sctiptū est: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et sicut ip-
Mat.28 se ait: Data est mihi omnis potestas. Firmamentum ergo sub throno, & homo super thronū est: quia per humanæ assumptionem naturæ, & ipse est sub angelis natus, & ipse super angelos exaltatus. Qui & prius quàm per resurrectionis exaltaretur gloriam, diuinitate super angelos fuit, sed tamen ab angelis, ut dictū est, humanitate minoratus, ex qua & morti subiacuit. At postquam mortem resurgendo calcauit, humanitatem suam etiam maiestatibus angelorum superposuit. Prius itaque thronus super firmamentum, & pòst homo super thronum uisus esse describitur: quia humani generis redemptor, humanitatem quam descendēdo sub angelis assumpsit, ascendēdo super angelos exaltauit. Sic uerò factum eum sub angelis dicimus, sicut factum sub lege prædicante A-
Gal.3 postolo audiuimus. Assumptam ergo humanitatem sub angelis accipimus pro ea minoratione in qua dignatus est apparere. Nam mox ut uerbum caro factum est: mox deus homo potestate super angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est: Ecce angeli accesserunt, & ministrabāt
Mat.4 ei. Sed tamen ut humanitatis eius infirmitas mō-
Luc.22 straretur, rursum de eo scriptum est: Apparuit illi angelus de cœlo, confortans eum. Indumento ergo utriusq; naturę, huic & angeli ministrare, hunc & angelus confortare describitur. Vnus quippe in utraq; natura, quoniam qui deus ante secula extitit, homo factus est in fine seculorum. Cui tamē ante passionem suam & angeli ministrāt, & hunc angelus confortat. Post passionem uerò atq; resurrectionē eius huic angeli ministrare possunt, sed iam hunc confortare nō possunt: quia, ut prędictum est, etsi prius firmamētum sub throno apparuit, iam tamen homo super thronum est. In cuius persona ut propheta sanctus adiūctionem utriusq; naturæ se uidisse ostenderet, protinus adiunxit: Et uidi quasi speciem electri.] Quid est quòd aspectus hominis uidetur in throno quasi species electri, nisi quòd in electro, sicut longè superius diximus, aurum argentumq; miscetur, ut res una ex metallis duobus fiat? In qua & per argentum auri claritas temperatur, & per auri claritatem species clarescit argenti. In redemptore autem nostro natura diuinitatis & humanitatis in confusè unita sibimet atq; coniuncta est, ut & per humanitatem diuinitatis eius claritas nostris potuisset oculis temperari, & per diuinitatem humana natura in eo clarescceret, atque exaltata fulgorem ultra hoc quod creata fuerat haberet. Ipse uerò aspectus hominis super thronum, & species electri quam uidit: qualis ei apparuerit, adhuc scribendo subiunxit: Velut aspectus ignis intrinsecus per circuitum, à lumbis eius & desuper. Et à lumbis eius usque deorsum uidi quasi speciem ignis splēdentis in circuitu.] Quid est quod mediator dei & hominum homo Christus Iesus à lumbis & desuper aspectū ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, & à lumbis & deorsum speciem ignis splēdentis per circuitum? Inuestigādum nāq; est quare à lumbis & desuper ignē intrinsecus, nec tamē splēdentem ignē habere naratur: à lumbis uerò & deorsum habere ignis speciem dicitur, nō tamē hūc habere intrinsecus memorat: quia & splendētem & in circuitu hūc habere describit. Quid em̄ lūborū nomine, nisi propago mortalitatis exprimit? Propter quod etiā de
Heb.7 Leui dicit, quia adhuc in lūbis patris erat cū Melchisedech occurrit Abrahæ. De lūbis uerò Abrahæ uirgo Maria exijt, in cuius utero unigenitus

Universidad de Deusto
Biblioteca

patris per ſpiritũ ſanctum incarnari dignatus eſt. A Ex qua incarnatione uniuerſo innotuit mũdo de
us, ſicut & per Pſalmiſtam dicitur: Accingere gla
Pſal. 44 dio tuo circa fœmur tuum potẽtiſsime. Gladium
etenim circa fœmur potentiſsimus ſumpſit, quia
ſermo prædicationis illius, ex incarnatione cõua-
luit. Quid uerò iſte ignis deſignat, niſi ardorẽ ſan
cti ſpiritus, qui corda quæ repleuerit incẽdit? De
quo ipſa ueritas dicit: Ignem ueni mittere in ter-
Luc. 12 ram. Quid eſt ergo ꝙ in hoc aſpectu hominis qui
prophetæ apparuit, à lumbis ſuperius intrinſecus
per circuitum ignis ardet, à lumbis uerò inferius
non ignis intrinſecus, ſed in circuitu reſplendet:
niſi quòd ante incarnationẽ unigeniti redempto-
ris noſtri, ſola intra ſe Iudæa ardorem amoris eius B
habuit, poſt incarnationem uerò illius in circuitu
eius ignis reſplenduit, quia in uniuerſo mũdo gẽ-
tibus claritatem ſancti ſpiritus effundit? Prius er-
go intrinſecus ignis erat, ſed ſplendor non erat,
quia ſpiritus ſanctus in multis quidem patribus
Iudæam replebat, ſed ad notitiam gentium nec-
dum eius lumen emicuerat. A lumbis uerò eius
& deorſum ignis in circuitu ſplendet: quia poſt-
quam de uirgine carnem ſumpſit, in humano ge-
nere longè lateq; ſancti ſpiritus dona dilatauit. Et
notandum ꝙ ignis iſte à lumbis ſuperius per cir-
cuitum eſſe deſcribitur, nõ extrinſecus, ſed intrin
ſecus: quia amoris flamma, ſicut dictum eſt, in ele
ctis atq; ſpiritalibus uiris ubiq; in ſuis finibus lu-
dæã repleuit. Nec tamen exibat extrinſecus, quia C
ſeſe in multitudinẽ gentiũ non dilatabat. Quæ ar-
doris flamma uiſa eſt poſtmodũ in circuitu ſplen
dere, quia per mundi cardines in uniuerſis genti-
bus omnipotentis dei cœpit amor excreſcere. E-
rat ergo prius ignis intrinſecus, cũ Iacob diceret:
Salutare tuũ expectabo dñe. Quod enim ſalutare
Gen. 49 dicimus Latinè, hoc uerbo Hebraico Ieſus dicit:
In quo uerbo beati Iacob mens oſtendit, quõ Ieſu
deſiderio ardebat, quẽ ſe moriens expectare per-
hibebat. Ardebat ignis cùm Moyſes diceret: Si in
Exodi 23 ueni gratiã in cõſpectu tuo, oſtẽde mihi temetip-
ſum, ut uideã te. Ardebat ignis in mente, cùm Da
uid diceret: Sitiuit anima mea ad deũ uiuũ, quãdo
Pſal. 42 ueniam & apparebo ante faciem dei mei? Qui in
carnationem uerbi deſiderãs, ait: Oſtende nobis
Pſal. 84 domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da
nobis. Ardebat ignis cùm Simeon de corruptio-
ne uitæ preſentis exire deſiderans, audiuit nõ pri-
us ſe uiſurũ mortẽ, niſi uideret Chriſtum domini.
Sed ecce iam ignis iſte quaſi ſub lumbis exterius
reſplendet, quia uniuerſa gentilitas incarnati dei
eſt amore ſuccenſa. Quod tamen intelligi & aliter
poteſt, quia redẽptor noſter deus dominus Ieſus
Chriſtus per humanitatẽ ſuam hominibus inno-
tuit, qui per diuinitatem notus angelis et ante in-
carnationẽ fuit. Nobis ergo à lumbis inferius re-
ſplendet in circuitu, cuius ignis intrinſecus à lum
bis ſuperius ardet in cœlo: quia illic cœleſtes ſpi-
ritus eum in diuinitate ſua cõſpiciunt, & amoris
eius ignibus accenduntur. Nos uero qui hũc ex aſ-
ſumpta humanitate diligimus, adhuc in hac cor-
ruptibili uita poſiti, ſplendorem ignis illius foris
habemus. Vnus itaq; ſuper thronũ eſt, qui & ſu-
per lumbos ignẽ intrinſecus habet in angelis, &
ſub lũbis ignẽ in circuitu habet in hominib. quia
in omne quod ab angelis amatur, per omne quod
ab hominib. deſideratur, unus eſt, qui in cordib. ar-
det amãtium. Hinc eſt em̃ quòd magnæ illæ po-
teſtates angelicæ, ſeraphin, id eſt, incẽdium nomi
nantur. Hinc de ipſo omnium creatore ſcriptũ eſt:
Heb. 12 Deus noſter ignis cõſumens eſt. Ignis em̃ deus di
Deut. 4 citur, quia flammis amoris ſui incẽdit mẽtes quas
replet. Et idcirco ſeraphin incẽdium dicũtur, quia
poteſtates ei proximæ, in cœlis inæſtimabili amo
ris eius igne ſuccẽſæ ſunt. Ex hoc igne ſuccenſa
ardent in terra corda iuſtorum. Hoc igne calefa-
cta redeũt ad pœnitẽtiam corda peccãtium, quæ
inflammata uehemẽter timorem in amorem uer-
tũt. Nam quæ prius tabeſcere metu cœperũt, poſt
modum igne amoris flagrant. Et quia eius mem-
bra ſunt electi angeli in cœlo, eius membra ſunt
cõuerſi homines in terra. Vnus homo eſt qui &
ſuper lumbos ardet intrinſecus, & ſub lumbis in-
ferius ignis ſui ſplẽdorem in circuitu emittit, quia
& angelos ad amorem ſuum per diuinitatem te-
nuit, & homines ad ſancti ardoris ſui deſiderium
ex humanitate reuocauit. Sequitur: Velut aſpe
ctus arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ.] Ar-
cum omnipotẽs deus inter ſe atq; homines in ſig-
no poſuit, ut ultra mũdum diluuio nõ deleret, di-
cens: Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſi- Gen. 9
gnum fœderis inter me & inter terram. Cunq; ob
duxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in
nubibus, & recordabor fœderis mei uobiſcũ. Vn
de & in arcu eodẽ color aquæ & ignis ſimul oſtẽ-
dit: quia & ex parte eſt ceruleus, & ex parte rubi-
cũdus: ut utriuſq; iudicij teſtis ſit, unius uidelicet fa-
ciẽdi, & alterius facti. Sed iã nõ ulteri⁹ faciẽdi, quia
mũdus quidẽ iudicij igne cremabit, ſed aqua iã di
luuij nõ delet. Quid eſt aũt quòd ſplendẽtẽ ignẽ
à lumbis hominis throno preſidentis, ſicut ait: A-
ſpectus arcus cũ fuerit in nube in die pluuiæ, pro-
pheta cõſpexit? Quia em̃ per ignẽ, ſicut dictũ eſt,
ardor ſancti ſpiritus deſignat, quæ ſimilitudo eſt
arcus & ſpiritus, ut ignis qui apparuit, quaſi aſpe-
D ctus arcus apparuiſſe diceretur? Sed ſi ipſi quam
prædiximus uiſioni arcus intẽdimus, quomodo
arcus ſignificet ſpiritum uidemus. In arcu quippe
ſicut præfatus ſum, aqua & ignis apparẽt. Et poſt
mediatoris aduentũ, eo uirtus ſpirituſſancti in hu
mano genere claruit, quo electos dei & aqua ba-
ptiſmatis lauit, & igne diuini amoris incẽdit. Qua
ſi em̃ admixto colore aquæ ſimul & ignis quidam
arcus in nube ad probationem ponitur, cùm ue-
ritas dicit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpi-
ritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum dei. Qui Ioan. 3
arcus in nube eſt in die pluuiæ, quia in dominica
incarnatione & in effuſione prædicationis oſten-
ditur, ut ad ueniam corda credẽtium domino par
cente reuocẽtur. Nubem enim redemptoris car-
nem non inconuenienter accipimus. De qua per
Pſalmiſtam dicitur: Qui ponit nubem aſcenſum
ſuum.

ſuum. Nubem quippe aſcēſum ſuum poſuit, quia is qui diuinitate ubiq; eſt, carne ad cœleſtia aſcendit. Expleta uerò omni myſtica uiſione, ſubiungit: Hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum, & hæc uiſio ſimilitudinis gloriæ domini.] Quid enim in uniuerſo mundo ſancti ſpiritus gratia agat aſpiciens ait: Hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum.] Quæ uerò intrinſecus eiuſdem ſancti ſpiritus gloria maneat, conſiderare uolens, ſed ſicut erat non ualens, ſubiūgit: Et hæc uiſio ſimilitudinis gloriæ domini.] Non enim ait: Viſio gloriæ, ſed ſimilitudinis glorię: ut uidelicet oſtendatur quia quantalibet ſe intentione mens humana tendat, etiam ſi iam phantaſias imaginum corporalium à cogitatione compeſcat, ſi iam omnes circūſcriptos ſpiritus ab oculis cordis amoueat, adhuc tamen in corde mortali poſita, uidere gloriam dei non ualet ſicut eſt. Sed quicquid de illa eſt quod in mente reſplendet, ſimilitudo, & non ipſa eſt. Vnde & ille prędicator qui raptus uſq; ad tertium cœlum fuerat, dicebat: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Qua in re non deſpicienda nobis quæſtio oritur, quomodo Ioannes Euangeliſta cùm erga miracula redemptoris noſtri Iudæorum perfidiam etiam ex uerbis prophe ticis deſcripſiſſet, adiūgit, dicēs: Hæc dixit Eſaias quando uidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. Et ſi Ezechiel uidit, quid eſt quòd iſte ſimilitudinem gloriæ, & ille eius gloriā uidiſſe deſcribitur? Sed cùm Ioannes Euangeliſta prius miracula redemptoris noſtri narrauit, atq; infidelitatem Iudæorum poſtmodum ſubdidit, hanc eiuſdem redemptoris noſtri gloriam quæ in mūdo apparuit, Eſaiam uidiſſe manifeſtat. Omne eñ quod in terra mirum diuinitus agitur, gloria omnipotentis dei eſt, & eius gloria in omnibus factis uideť. Eſaias ergo eius gloriam in terra uidit, Ezechiel uerò gloriā in cœlo ſicuti eſt uidere non potuit: quia aliter eſt gloria eius in rebus factis, atq; aliter in ſe metipſo. Hæc ergo eius gloria quæ in rebus eſt, uideri poteſt: illa uerò quæ in ipſo eſt, uideri modò niſi per ſimilitudinem nō poteſt. Sed & ſi eandē ſimilitudinem gloriæ uel ſubleuatus portare propheta potuerit, cognoſcamus. Sequitur Et uidi, & cecidi in faciem meam.] Quid ergo de hoc uiro fieret, ſi ita ut eſt, eius gloriam uidiſſet, ſi ferre non ualens cecidit? Qua in re cum magno mœrore penſare & cōſiderare cum lachrymis debemus in quantam miſeriam & infirmitatem cecidimus, qui & ipſum bonum ferre nō poſſumus, ad quod uidendum creati ſumus. Eſt tamen & aliud quod de prophetæ facto conſideremus in nobis, Propheta enim mox ut gloriæ domini ſimilitudinem uidit, in faciem ſuā cecidit. Cuius ſimilitudinem gloriæ quia nos per ſpiritū prophetiæ uidere nō poſſumus, hāc aſſiduè cognoſcere, & ſollicitè cōtemplari in ſacro eloquio, in cœleſtib. monitis, in præceptis ſpiritalib. debemus. Qui cū aliquid de deo cōſpicimus, in faciem noſtram cadimus, quia ex malis erubeſcimus quæ nos reminiſcimur perpetraſſe. Ibi eñ cadit homo ubi cōfunditur. Vnde & Paulus quaſi quibuſdam in facie iacentibus dicebat: Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis? Ecce cœleſtis gratiæ dono largiēte, obuolutum myſterijs libri initium in Ezechiel propheta diſcuſſimus, & dicta myſtica moraliter diſſerentes, uolantem prophetiæ hiſtoriam à terra extraximus: ut quæ prius par uulorum animæ mihiq; ſimilium uolabat, ſed nō eleuabatur, iam nunc ab eis legatur & cognoſcať, euolet & leuet. Agamus ergo gratias redemptori noſtro, qui ſpiritali ſemper alimento nos reficit, qui panis uiuus deſcendit de cœlo, & dat uitam mūdo. Qui uiuit & regnat cū patre in unitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Rom. 6

Homilia nona.

T audiui uocem loquentis, & dixit ad me: Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecū. Et ingreſſus eſt in me ſpiritus poſt quàm locutus eſt mihi, & ſtatuit me ſupra pedes meos. Et audiui loquentem ad me, & dicētem: Fili hominis mitto ego te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices quæ receſſerunt à me. Patres eorum prævaricati ſunt pactum meum uſque ad diem hanc, & filij dura facie & indomabili corde ſunt, ad quos ego mitto te. Et dices ad eos: Hæc dicit dominus deus, ſi forte uel ipſi audiant, & ſi forte quieſcāt, quia domus exaſperans eſt, & ſciēt quia propheta fuerit in medio eorū. Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neq; ſermones eorū metuas: quoniā increduli & ſubuerſores ſunt tecū, & cū ſcorpionib. habitas. Verba eorū ne timeas, & uultus eorū ne formides: quia domus exaſperans eſt. Loqueris ergo uerba mea ad eos, ſi forte audiāt & quieſcant, quoniā irritatores ſunt. Tu autē fili hominis audi quæcunq; loquor ad te, & noli eſſe exaſperās, ſicut domus exaſperatrix eſt. Aperi os tuū, & comede quęcunq; ego do tibi. Et uidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expādit illū corā me, qui erat ſcriptus intus & foris, & ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & uæ.

INitium libri in Ezechiel propheta magnis obſcuritatibus clauſum, & quibuſdam myſteriorum nodis ligatum in homilijs octo, deo domino noſtro leſu Chriſto largiēte diſcuſſimus. Iam nunc planiora ſunt & minus difficilia quę ſequūtur. Charitati itaq; ueſtrę colloquimur, eidem omnipotenti Deo gratias referentes, quia poſt tot opaca

Universidad de Deusto
Biblioteca

opaca ſyluarum,tãdem læti ad campos exiuimus, in quibus liberis greſſibus locutionis noſtræ intrepidum pedem ponamus. Ecce em̃ poſtq̃ propheta ſimilitudinem gloriæ domini cõtemplatus in faciem ſuam cecidit, adiungit: Et audiui uocem loquentis,& dixit ad me: Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.] Vbi adhuc ſubditur: Et ingreſſus eſt in me ſpiritus poſtquã locutus eſt mihi,& ſtatuit me ſuper pedes meos.]

Ecce diuina uox iacenti prophetæ iuſſit ut reſurgeret.Sed ſurgere omnino non poſſet, niſi in hunc omnipotẽtis dei ſpirit⁹ intraſſet: quia ex omnipotentis dei gratia ad bona opera conari quidẽ poſſumus,ſed hæc implere nõ poſſum⁹, ſi ipſe nõ adiuuat qui iubet.Sic Paulus cũ diſcipulos admoneret dicẽs:Cũ metu & tremore ueſtrã ipſorũ ſalutem operamini:ilico quis in eis hęc ipſa bona operaretur adiunxit,dicens:Deus eſt enim qui operatur in uobis & uelle & perficere pro bona uoluntate.Hinc eſt quod ipſa ueritas diſcipulis dicit: Sine me nihil poteſtis facere.Sed in his conſiderandum,quia ſi bona noſtra ſic omnipotentis dei dona ſunt,ut in eis aliquid noſtrũ nõ ſit,cur nos quaſi pro meritis æternam retributionem quęrimus? Si autem ita noſtra ſunt, ut dona dei omnipotentis non ſint,cur ex eis omnipotẽti deo gratias agimus? Sed ſciendum eſt quia mala noſtra ſolũmodo noſtra ſunt:bona autem noſtra, & omnipotentis dei ſunt & noſtra: quia ipſe aſpirando nos præuenit ut uelimus,qui adiuuando ſubſequitur, ne inaniter uelimus,ſed poſſimus implere quæ uolumus. Præueniente ergo gratia,& bona uoluntate ſubſequente,hoc quod omnipotentis dei donum eſt,fit meritum noſtrum. Quod bene Paulus breui ſententia explicat,dicẽs:Plus illis omnib.laboraui.Qui ne ſuæ uideret uirtuti tribuiſſe quod fecerat,adiunxit:Non autem ego,ſed gratia dei mecum.Quia enim cœleſti dono præuẽtus eſt,quaſi alienũ ſe à bono ſuo opere agnouit: Non autẽ ego.Sed quia præueniens gratia liberũ in eo arbitrium fecerat in bono,quòd libero arbitrio eandẽ gratiam eſt ſubſecutus in opere,adiunxit:Sed gratia dei mecum.Ac ſi diceret:In bono opere laboraui,non ego,ſed & ego.In hoc em̃ quòd ſolo domini dono præuentus ſum:non ego. In eo autem quòd donum uoluntate ſubſecutus,& ego.His igitur breuiter contra Pelagium & Celeſtinum dictis, ad exponendũ ordinem redeamus. Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.]

Notãdus nobis eſt ordo locutiõis & operis, quia prius ſimilitudo gloriæ domini apparet ut deijciat,poſtmodum alloquitur ut eleuet,deinde ſuper abundantis gratiæ ſpiritum mittit & leuat, ac ſupra pedes ſtatuit.Niſi em̃ aliquid de æternitate in mente uideremus, nunquam in facie noſtra pœnitendo caderemus.Sed iam iacentes uox domini conſolat̃ nos facere ut in opere ſurgam⁹, quod tamen nos noſtra uirtute nõ poſſumus facere. Ipſius ergo nos ſpiritus implet & leuat, & ſuper pedes noſtros ſtatuit:ut qui proni in pœnitentia proculpa iacuimus,recti poſtmodum in bono opere ſtemus.Sed ſtans propheta quid audierit adiũxit, dicens: Et audiui loquentem ad me,& dicentẽ: Fili hominis,mitto ego te ad filios Iſrael, ad gẽtes apoſtatrices,quæ receſſerunt à me.] Sic propheta deſcribit ſua,ut ſignificet noſtra.nã quid eſt hoc quod ei iacẽti dicitur:Sta ſupra pedes tuos, & loquar tecum? Qui em̃ iacenti loquebatur,cur non ſe niſi ſtanti promittit eſſe locuturum? Sed ſciendum quia alia ſunt quæ iacentes, alia quæ ſtantes audire debeamus.Iacẽti em̃ dicitur ut ſurgat, ſtanti autem præcipitur ut ad prædicationem proficiſci debeat.Adhuc enim nobis in infirmitatis confuſione iacentibus præberi non debet authoritas prædicationis.Sed cùm iam in bono opere ſurgimus,cùm iam recti ſtare cœperimus: dignum eſt ut ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus.Stans ergo propheta, uiſionem ſpiritalẽ uidit & cecidit.Cadens uerò,iam monitionis uerbum ſuſcepit ut ſurgeret.Surgens autem præceptum audiuit ut prædicaret.Nam qui adhuc ex ſuperbiæ uertice ſtamus,cùm iam de æternitatis timore aliquid ſentire cœperimus, dignũ eſt ut ad pœnitentiam cadamus.Et cùm infirmitatem noſtram ſubtiliter cognoſcẽtes, humiliter iacemus, per diuini uerbi conſolationem ſurgere ad fortiora opera iubemur.Et cùm iam in bonorum operũ ſoliditate perſiſtimus, neceſſe eſt ut unde noſmet ipſos correximus, inde iam prædicantes & alios leuemus.Iacenti ergo non præcipitur ut ad prædicationem pergat, ne infirmus quiſq̃ hoc quod uerbo ædificare poteſt,opere deſtruat. Vnde rectè quoq̃ per Pſalmiſtam dicitur: Eduxit me de lacu miſeriæ,& de luto fecis.Statuit ſupra petram pedes meos,& direxit greſſus meos,& immiſit in os meum cãticum nouum, hymnum deo noſtro. Prius enim de luto prauitatis educitur,ut eius pedes per fidem in petra ſolidẽtur. Sed quia rectam fidem,recta ſubſequi debet operatio:greſſus eius directi ſunt,ut poſt directionem greſſuum,id eſt, poſt perfectionem boni operis, in ore acciperet etiam nouum canticum prædicationis. Sic Saulus dum ſuperbè Damaſcum pergeret, redemptoris uoce proſtratus iacuit.Et qui prædicator futurus erat,non tamen mox ut prædicaret quod uiderat audiuit, ſed ei iacenti dicitur: Ingredere in ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Iacens ergo hoc ſolum audire potuit, ut ſurgens diſceret quod audierat. Surgens uerò hoc didicit ut quæ cognouerat prædicaret. Sed quærendum nobis eſt cur Ezechiel & Paulus in faciẽ cadunt, & de aſcenſore equi,id eſt, de eo qui in huius mũdi gloria elatus eſt,dicit̃: Vt cadat aſcenſor eius retro? Rurſumq; de perſecutoribus domini ſcriptũ eſt: Abierunt retrorſum,& ceciderunt in terram. Quid eſt hoc quòd electi in faciem,& reprobi retrorſus cadunt,niſi quòd omnis qui poſt ſe cadit, ibi proculdubio cadit ubi non uidet: qui uerò ante ſe ceciderit,ibi cadit ubi uidet? Iniqui ergo quia in inuiſibilibus cadũt, poſt ſe cadere dicunt̃: quia ibi corruunt ubi quid eos tunc ſequatur, modo uidere non poſſunt. Iuſti uerò quia in iſtis uiſibilibus

Phil.2 Ioan.15 1.Cor.15 Pſal.39 Act.9 Ioan.13

bilibus ſemetipſos ſponte deijciunt ut in inuiſibilibus erigantur, quaſi in faciem cadunt, quia timore compuncti uidentes humiliantur. Notandum uerò quod dicitur: Mitto ego te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me.] Sicut enim duobus modis à deo receditur, ita duobus modis à deo apoſtatæ homines fiunt. Nam unuſquiſq; à conditore ſuo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui à fide recedit apoſtata eſt, ita qui ad peruerſum opus quod deſerit redit, ab omnipotente deo apoſtata abſq; ulla dubietate deputabitur, etiam ſi fidem tenere uideatur. Vnum enim ſine altero nil prodeſſe ualet, quia nec fides ſine operibus, nec opera adiuuant ſine fide, niſi fortaſ-
Act.10 ſe pro fide percipienda fiant, ſicut Cornelius antè pro bonis operibus meruit audiri, quàm fidelis exiſteret. Qua ex re colligit, quia bona opera profide percipienda faciebat. Nam cui ab angelo dicitur: Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu dei: & mox pro eadem aſcenſione præcipitur ut ad Simonem mittat, qui ei ueniens prædicare debeat, conſtat quia hoc petijt, unde meruit exaudiri. Sequitur: Patres eorum præuaricati ſunt pactum meum uſq; ad diem hanc, & filij dura facie & indomabili corde ſunt ad quos ego mitto te.] Ecce eſt una culpa ſuperbiæ: quia præuaricati ſunt pactum. Ecce altera obſtinationis, quia uſq; ad diem hanc. Ecce in iniquitate filiorum culpa grauis impudentiæ, quia dura facie: quoniam mala quæ faciũt, iam nõ erubeſcunt, & nunquam uel poſt culpas ad pœnitentiam redeunt: quia indomabili corde ſunt. Cũ uerò tantæ prauitatis, tantęq; obſtinationis ſint hi ad quos propheta mittitur, quis iam non uideat, quia perſona prophetæ à tam peruerſis hominib. deſpici ualeat? Sed ecce authoritas perſonę tribuitur, cùm ſubditur: Et dices ad eos. Hæc dicit dominus Deus.] Ac ſi apertè diceretur: quia ſi ex te deſpiceris, ex mea uoce neceſſe eſt ut loquaris. Ne contemnaris ipſe qui mitteris, uerba mea proferens, oſtende qui miſit. Sequitur: Si forte uel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant: quia domus exaſperans eſt.] Dum conſtat quòd omnipotens Deus omnia ſciat, mirandum ualde eſt cur dicit: Si forte audiant, & ſi forte quieſcant. Quapropter ſciendum nobis eſt: quia iſta dubitatio locutionis dei non ex ignorantia, ſed ex aliqua ſignificatione deſcendit. Nam quis neſciat quòd qui fecit & uidet omnia, omnia ſciat? Et per ſemetipſam in Euangelio ueritas de antichriſti prędicatoribus dicit: Dabunt ſigna magna & prodigia: ita ut in er-
Mat.24 rorem inducãtur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Cur hoc ſub dubitatione dicitur, cùm quid futurũ ſit, à domino præſciatur? Vnum uerò è duobus eſt, quia ſi electi ſunt, fieri non poteſt. Si autem fieri poteſt, electi non ſunt. Et tamẽ dicitur ut in errorem inducantur ſi fieri poteſt etiam electi. Iſta ergo dominici ſermonis dubitatio ex electorũ cordibus, deſignatio tentationis fuit: quia qui electi ſunt ad perſiſtẽdum, per ſigna prædicatorum antichriſti tentabunt ad cadendũ. Per hoc ergo quod
A dicitur, ſi fieri poteſt, hoc exprimitur quòd electi in corde tentabuntur. Nutant eñ, ſed non cadũt. Dicitur ergo ſi fieri poteſt, quia trepidabunt: & tamen dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio itaq; ſermonis à domino in electis exprimit trepidationem mentis. Quos & electos nominat, quia cernit quòd in fide & bono opere perſiſtunt. Vnde hic quoque dicitur: Si forte audiant, & ſi forte quieſcant.] Per hoc enim quòd dicitur, ſi forte, quia ex magna multitudine pauci audituri ſunt demonſtratur. Per dubitationem ergo ſermonũ dei quid ſignificatur aliud, niſi paucitas auditorum? Notandum uerò quòd poſtquam mala parentũ defunctorum dixerat, mittens prophetam ad filios dicat: Si forte uel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant. Quid eſt dicere uel ipſi, niſi quia eorum pa-
B tres qui in culpa defuncti ſunt, audire noluerunt? Penſemus rogo quę uirtus ſit in hoc dominici ſermonis defectu, ut dicat: ſi forte uel ipſi audiãt. Nobis hoc apertè dicitur, qui afflicti, oppreſſi, concluſi, omnia quæ in hoc mundo habuimus bona perdidimus. Vrbes erutas, euerſa caſtra, depopulatos agros, ſuffoſſas Eccleſias uidemus, & tamẽ adhuc parentes noſtros ad iniquitates ſequimur, ab eorum elatione quam uidimus, nõ mutamur. Et illi quidem inter gaudia, nos uerò, quod eſt grauius, & inter flagella peccamus. Sed ecce omni-
C potens Deus iniquitates iudicans, iam priores noſtros abſtulit, iam ad iudicium uocauit. Nos adhuc ad pœnitentiam expectat, ad reuertẽdum ſuſtinet. Et qui in illis iam iudicium exercuit, nobis ſuæ patientiæ longanimitatem prærogat, ne cũ noſtris prioribus perdat, dicens: Si forte uel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant, quia domus exaſperans eſt.] Omnis anima etiam poſt acceptam fidem in peruerſitate ſua, aut permanẽs aut reuertens, domus exaſperans uocatur: quia eum quem per fidem ſuſceperat, repellit à ſe prauis moribus habitatorem deum. Nam domus inhabitatur à domino. Si ergo domus, quare exaſperans? Si uerò exaſperans, quare domus, quæ utiq; iam non habitatur? Domus, quia in ea Deus per fidem habitare cœperat. Exaſperans uerò eſt, quia ab ea prauis moribus repulſus exijt, ut uacua remaneat, quã
D prius cœleſtis inhabitator replebat. Vnde etiam Mat.12 ſicut ueritatis uoce cognouimus, iniquiſſimus ſpiritus cum ſeptem alijs rediẽs, domum ſcopis mũdatam inuenit, quia mẽtem à uirtutibus alienam replet. Sequitur: Et ſcient quia propheta fuerit in medio eorum.] Malis ſcire bonos, aut ad adiutorium ſalutis proficere, aut ad teſtimonium damnationis ſolet. Sciant ergo quia in medio eorum propheta fuerit, ut audita prædicatiõe aut adiuuentur ut ſurgant & conuertantur, aut ſic in iniquitatibus eorum damnentur, ut excuſatione careant. Sequitur: ergo fili hominis ne timeas eos, neq; ſermones eorum metuas, quoniam increduli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.] Patet ad q̃ peruerſos in prædicationem mittitur, qui ne timeat admoneẽ. Et quia praui atque peruerſi quiq; bona ſibi loquẽtib, alia iniqua

faciunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciunt, & adhuc alia minantur, propter illa quæ faciunt dicitur: Ne timeas eos, & propter hoc quod minantur, adiungitur: Neque sermones eorum metuas. Vel certe quia reprobi atq; iniqui & mala bonis ingerunt, & eorum semper actibus derogant, propheta missus admonetur, ne eorum uel crudelitatem aut furorem metuat, uel uerba pertimescat. In hoc itaque quod dicitur: Ne timeas, prophetæ datur authoritas prędicationis. Et quia omnes qui in deo uiuimus, organa ueritatis sumus, ut sæpe per aliũ mihi, sępe uerò alijs loquatur per me, sic nobis boni uerbi inesse authoritas debet, ut & is qui præest, dicat recta libere, & is qui subest, inferre bona humiliter non recuset. Bonũ enim quod maiori à minore dicitur: tunc uere bonum est, si humiliter dicatur. Nam si rectitudo sentiendi humilitatem loquendi perdiderit, radicem sensus in ramo linguæ uitiauit. Quod uidelicet uitium iam nõ ex ramo, sed ex radice est, quia nisi cor intumesceret, lingua minime superbiret. Inesse ergo ad loquendum priori humilis authoritas, inesse autem minori libera humilitas debet. Sed sæpe in hominibus ipse loquendi ordo confunditur, sicut & longe superius diximus. Nam aliquando quis per tumorem elationis loquitur: & loqui se per authoritatem libertatis existimat: & aliquando alius per stultum timorem tacet, & tacere se per humilitatem putat. Ille locum sui regiminis attendens, non metitur sensum tumoris: iste locum suæ subiectionis considerans, timet dicere bona quæ sentit, & ignorat quantum charitatis reus efficitur tacendo. Sic uerò sub authoritate superbia, & humanus timor sub humilitate se palliat, ut sępe nec ille ualeat cõsiderare quid deo, nec iste quid debeat proximo. Nam ille dum eos qui sibi subiecti sunt conspicit, & ei cui omnia subiacent non intendit, in elatione attollitur, & de elatione sua uelut de authoritate gloriatur. Iste uerò nonnunquam dum timet ne maioris gratiam amittat, atque per hoc aliquid temporalis damni sustineat, recta quæ intelligit occultat, atq; apud se tacitus, ipsum timorem quo constringitur, humilitatem nominat. Sed eum cui nil uult dicere, tacẽdo in cogitatione dijudicat. Fitq; ut unde se humilem existimat, inde grauius sit superbus. Discernenda ergo semper sunt libertas & superbia, humilitas & timor: ne aut timor humilitatem, aut superbia libertatem fingat. Ezechiel itaq; quia nõ solum populo, sed etiam senioribus loqui mittebatur, ne incautum timorem humilitatem crederet, ut timere nõ debeat, admonetur, dum dicitur: Ne timeas eos. Ac ne forte derogationis eorũ uerba pertimescat, adiũgitur: Neq; sermones eorum metuas. Cur autem linguas derogantium timere non debeat, etiam causa subiungitur, cùm protinus subinfertur: Quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Timendi enim essent hi quibus loqui mittebatur, si in fide & opere deo omnipotẽti placuissent. Quia autem increduli & subuersores sunt, in suis sermonibus derogantes, timendi non sunt: quia stultum ualde est si illis placere quærimus, quos non placere domino scimus. Debent enim haberi in metu & reuerentia iudicia iustorum, quia mẽbra omnipotentis dei sunt, & hoc ipsi in terra reprehendunt, quod dominus redarguit è cœlo. Nam peruersorum derogatio, uitæ nostræ approbatio est, quia iam ostendit nos aliquid iustitiæ habere, si illis displicere incipimus, qui non placent deo. Nemo etenim potest in una eademq; re, omnipotenti domino, atq; eius hostib⁹ gratus existere. Nam deo se amicum denegat, qui eius placet inimico. Inimicis ueritatis aduersabitur, qui eidem ueritati in mente subiugatur. Vnde sancti uiri in uocis liberæ increpatione succensi, eos ad sua odia excitare non metuunt, quos deum non diligere cognoscunt. Quod propheta ardenter exhibẽs, creatori omnium quasi in munere obtulit, dicens: Nõne qui oderunt te deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Ac si aperte dicat: Pensa quantum te diligo, qui tuorum hostium excitare contra me inimicitias non pertimesco. Hinc iterum dicit: Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam secutus sum iustitiam. Bonum ualde est quod iustus tribuit, quando male agẽtibus libera uoce contradicit. Sed peruersi mala pro bonis retribuunt, cùm iustis derogãt, quia contra eos iustitiæ defensionem seruãt. Non em̃ iusti humana iudicia, sed æterni iudicis examẽ aspiciunt, atq; ideo derogãtium uerba contemnũt. Hinc etenim derogantib. Corinthijs Paulus dicebat: Mihi autem pro minimo est ut à uobis iudicer, aut ab humano die. Qui nec in corde suo unde se reprehendere potuisset inueniens, adiungit: Sed neq; meipsum iudico. Videns autem quia ei ad perfectionem sanctitatis nec suum iudiciũ sufficeret, subdidit: Sed non in hoc iustificatus sum. Cur uerò nec sibimetipsi de seipso credidit, causam reddidit, cùm subiunxit: Qui autem iudicat me, dominus est. Ac si aperte dicat: Nec meo de me iudicio credendum existimo, quia ille me iudicat, cuius ego iudicium nõ comprehẽdo. Hinc B. Iob cùm amicorum derogantium linguas, inter dolores uulnerum pateretur iacula uerborũ, cogitatione protinus ad conscientiam recurrit, atque ubi mentem solidã haberet aspexit, dicẽs: Ecce em̃ in cœlo testis meus, & cõscius meus in excelsis. Qui etiam subdidit: Verbosi amici mei, ad deũ stillat oculus meus. In omne em̃ quod de nobis dicit̃, semper taciti recurrere ad mẽtem debemus, interiorem testem & iudicẽ quærere. Quid em̃ prodest si omnes laudẽt, cùm conscientia accuset? Aut quid poterit obesse si omnes nobis derogent, & conscientia sola nos defendat? Beatus ergo Iob inter linguas derogantium inflexa mente persistens, quia in terra se impugnari falsis sermonibus uidit, in cœlo testem quæsiuit. Hinc Esaias ait: Populi meus, qui beatificant te, ipsi te decipiunt, & uiam gressuũ tuorum dissipant. Qui uidelicet populus ne uerba suæ laudis attenderet, & in culpis altius periret, statim ei dicitur, quem aspiciat, cu-

Pſal.138
Pſal.37
1.Cor.4
Iob 16
Eſa.3

ciat, cuius iudicium pertimescat, cùm subditur: Stat ad iudicandum dominus, stat ad iudicandos populos. Ac si apertè diceretur: Iudicia humana cur sequeris, qui stare super te cœlestem iudicẽ scis? Hinc est quòd Ioannem baptistã ueritas esse
Mat.11 arundinem uento agitatam negat, dicens: Quid existis uidere in desertum? arundinem uento agi-
Luc.7 tatam? Quod quia negando dixerat, nõ affirmando, subiecta uerba testant. Ait em̃: Sed quid existis uidere in desertũ? hominẽ mollib. uestitũ? Ecce qui mollibus uestiunt, in domibus regum sunt. Arundo aũt uẽto agitata modo flatibus erigit̃ modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus, qui uel derogatione deijcitur, uel laudibus exaltatur, arundo uento agitata est. Quod loannes non erat, quia inflexibilem mentis uerticem inter laudes hominum & derogationes tenebat. Sed magna inquisitione res indiget, cùm recti operis uiam tenemus, utrum semper despicere derogantium uerba debeamus, an certa aliquando compescere. de qua re sciendum est quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare ne ipsi pereant, ita per suam malitiã excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. Aliquando autem etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. Hinc est enim quòd Ioannes obtrectatoris sui linguam redarguit dicens: Is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos, propter hoc si uenero, commoneã eius opera quæ facit, uerbis malignis garriens in nos. Hinc Paulus iterum de detrahẽtibus Corinthijs
2.Cor.10 loquitur dicens. Epistolæ inquiunt graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis. Hoc cogitet qui huiusmodi est, quia quales sumus uerbo per epistolas absentes, tales & præsentes in opere. Hi etenim quorum uita in exemplo imitationis est posita, debẽt, si possunt, detrahentium sibi uerba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes, bene uiuere contemnant. Sed hac in re subtili inquisitione necesse est ut semetipsum animꝰ inuestiget, ne fortasse suæ laudis gloriam quærat, & animarum lucra se quærere nostra cogitatio simulet. Sæpe enim sui nominis laude animus pascitur, & quasi sub obtentu lucrorum spiritaliũ, cùm de se bona dici cognouerit lætatur. Et sæpe suæ gloriæ defensione contra detrahentes irascitur, & fingit sibimet quòd hoc ex eorum zelo faciat, quorum corda à bono itinere detrahentis sermo perturbat. Illi ergo debent magnopere curare, ne contra eorum opinionem detrahentium uerba prævaleãt, qui suam conscientiam subtiliter discutientes, se in ea inueniunt de amore priuatæ gloriæ nihil habere. Hinc est em̃ quòd iusti atq; perfecti aliquãdo uirtutes suas prædicant, bona quę diuinitus acceperunt, narrant: non ut ipsi apud homines sua ostensione proficiant, sed ut eos quibus prædicãt, exemplo suo ad uitam trahãt. Vnde Paulus Apostolus quotiens fustibus cæsus, quotiẽs lapidatus, quotiens naufragium pertulit, quanta pro ueritate sustinuit, quòd ad tertium cœlum raptus, quòd in paradisum ductus sit, Corinthijs narrat, ut eorum sensum à falsis prædicatoribus auertat: ut dũ se innotesceret qualis esset, illi eis uilescerẽt quos ab eis cognouerat iniquè uenerari. Quod perfecti cùm faciũt, id est cũ uirtutes proprias loquuntur, in hoc quoque omnipotentis dei imitatores sunt, qui laudes suas hominib. loquitur, ut ab omnibus cognoscatur. Nam cũ scriptura sancta præcipiat, dicens: Laudet te alienus, & nõ os tuũ, quo Prou.37
modo facit ipse quod phibet? Sed si uirtutes suas omnipotẽs deꝰ taceret, eũ nullus agnosceret, si eũ nullus agnosceret, nullus amaret: si nullus amaret, nullus ad uitã rediret. Vñ & per Psalmistã de eo dicit: Virtutẽ operũ suorũ annunciabit populo suo, Psal.128
ut det illis hæreditatem gentiũ. Virtutes ergo suas annunciat, non ut laudibus suis ipse proficiat, sed ut hi qui hũc ex sua laude cognouerint, ad perpetuam hæreditatem ueniant. Iusti itaq; atq; perfecti non solum cùm uituperationis suæ uerba reprehendunt, sed etiam cùm uirtutes quas habẽt, infirmis loquũtur, reprehensibiles non sunt, quia per suam uitam quam referunt, aliorũ animas ad uitam quærunt. De quibus tamen sciendum est: quia nunq; bona sua detegunt, nisi eos, ut dixi, aut proximorũ utilitas, aut certè nimia necessitas cogat. Vnde Paulus Apostolus cũ uirtutes suas Co-
2.Cor.12 rinthijs enumerasset, adiunxit: Factus sum insipiens, uos me coegistis. Fit uerò aliquãdo ut necessitate compulsi, in bonis quæ de se referunt, nõ aliorum utilitatem, sed suam requirant, sicut B. Iob Iob 29
facta sua enumerat dicẽs: Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & causam quã nesciebam, diligentissimè inuestigabã. Et multa alia quæ sæpe egisse se commemorat. Sed quia in uulnere doloris positus, ab amicis increpantibus ipse impiè egisse, & uiolentus proximis, atq; oppressor pauperum fuisse dicebatur, uir sanctus inter flagella dei, & humanæ increpatiõis uerba deprehensus, mentem suam grauiter concuti, atq; ad desperationis foueã cõspexit impelli, qui iam iamq; cadere poterat, nisi ad memoriam bene acta reuocasset, ut ad spem animum reduceret, ne oppressus uerbis & uulnerib. in desperationem periret. Quòd ergo bona sua enumerat, non innotescere alijs quasi ex laude desiderat, sed ad spem animũ reformat. Iusti itaq; sicut sine arrogantia loquuntur aliquando bona quæ agunt, ita sine zelo priuatæ gloriæ detrahentium sibi linguas redarguunt, quia noxia loquuntur. Cùm uerò linguæ derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia tolerandæ. Nec obtrectationis sermo timendus est, ne dum uituperatio peruersorũ metuitur, recti operis uia deseratur. Vnde nunc Ezechieli prophetæ dicitur. Sermones eorum ne metuas: quia increduli & subuersores sunt tecũ.] Minus autem mali esset, si hi qui sunt increduli, subuersores minimè fuissent. Quia enim ipsi uel cœlestis regni præmia, uel gehennæ esse suppli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cia non credunt, in ſuis prauitatibus dimiſſi, à fide & opere etiam alios ſubuertũt, ut regnũ quod ipſi appetere non uolunt, nec alter aſſequatur. Hi nãq; cùm teneriores quoſdam bona incipere, mala iã deuitare cognouerint, modo irridẽdo quod in cœlis promittitur, modo deſpiciẽdo quod Deus omnipotens de inferni ſupplicijs minatur, modo laudando bona temporalia, & delectationes præſentis ſeculi callida perſuaſione pollicẽdo, deflectunt mentes innocẽtium, eorumq; itinera peruertunt. Gaudent ſi quos potuerint à uita reuocare, ad mortem trahere, lętanť in prauitatibus ſuis, exultant & in alienis. His nimirum pœna ſua nõ ſufficit, qui agunt ne ſoli moriantur. At ſi fortaſſe iuſtum quempiam tantæ iam uirtutis inuenerint, ut ei loqui contraria nõ pręſumant, quia ſubuerſores eſſe non poſſunt, ſtatim ſcorpiones fiũt. Scorpio enim palpando incedit, ſed cauda ferit. Nec mordet à facie, ſed à poſteriorib. nocet. Scorpiones ergo ſunt omnes blãdi & malitioſi, qui bonis quidem in faciem non reſiſtunt, ſed mox ut receſſerint derogant, alios quos ualuerint inflammant, quæq; poſſunt noxia immittunt, mortifera inferre occultè nõ deſinũt. Scorpiones ergo ſunt qui blandi & innoxij in facie uidentur, ſed poſt dorſum portãt, unde uenenum fundant. Qui eñ in occulto feriunt, quaſi mortem latẽter trahunt.

Pſal.117 Vnde etiam per Pſalmiſtam dicitur: Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis. Apes enim in ore mel habent, in aculeo caudæ uulnus. Et omnes qui lingua blandiũtur, ſed latenter ex malitia feriunt, apes ſunt: quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, ſed occultè feriendo uulnus inferunt. Iſta uerò facientes exardeſcũt ſicut ignis in ſpinis: quia per flammas detrahentium nõ iuſtorum uita comburitur, ſed ſi quæ in eis eſſe poterant peccatorum ſpinæ cõcremantur. Dicatur ergo: Incredvli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Incredvli ſcilicet deo, ſubuerſores uerò infirmãtibus proximis, ſcorpiones autem etiam fortibus & robuſtis. Quibus etſi in facie contradicere nõ præſumũt, ex occulto tamen uulnus derogationis inferunt. Incredvli quippe ſimul & ſubuerſores & ſcorpiões ſũt, quia et audita ea quę dei ſũt nõ credũt, & eos quos prędualent à bonis morib. ſubuertũt, & quos inflectere nõ ualent, occultis machinationib. feriunt. Qua in re hoc quoq; notandum eſt, quia cùm prophetæ dicitur: Incredvli & ſubuerſores ſunt tecũ, & cum ſcorpionibus habitas, nobis cõſolationis medicamentum profertur. Quos ſæpe tædet uiuere, dum nolumus cum malis habitare. Querimur etenim cur nõ omnes boni ſunt qui nobiſcum uiuunt. Mala proximorum ferre nolumus, omnes ſanctos iam debere eſſe decernimus, dum eſſe nolumus quod ex proximis portemus. Sed hac in re luce clarius patet dũ malos portare renuimus, quàm multum adhuc ipſi de bono minus habeamus. Neq; enim perfectè bonus eſt, niſi qui fuerit & cum malis bonus. Hinc B. Iob de ſemetipſo aſ-

Iob 30 ſerit, dicẽs: Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. Hinc Paulus Apoſtolus diſcipulis dicit: In medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. Hinc Petrus gregis dominici paſtor dicit: Iuſtũ Loth oppreſſum à nephandorum iniuria, conuerſatione eripuit. Aſpectu enim & auditu iuſtus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iuſti iniquis operibus cruciabant. Sæpe uerò cùm de uita proximorum querimur, mutare locum conamur, ſecretum uitæ remotioris eligere, uidelicet ignorãtes, quia ſi deſit ſpiritus, non adiuuat locus. Idem eñ Loth de quo loquimur, in Sodomis ſanctus extitit, in monte peccauit. Quia autem loca mentem non muniunt, ipſe humani generis primus teſtatur parẽs, qui & in paradiſo cecidit. Sed minus ſunt omnia quæ loquimur ex terra. Nã ſi locus ſaluare potuiſſet, Satan de cœlo nõ caderet. Vnde Pſalmiſta ubiq; in hoc mundo tribulationes eſſe cõſpiciens, quæſiuit locum quò fugeret, ſed ſine deo inuenire nõ potuit munitum. Ex qua re & ipſum ſibi locum fieri petijt, propter quem locum quæſiuit, dicens: Eſto mihi in deum protectorem, & in locum munitum, ut ſaluum me facias. Tolerandi Pſal.30 ergo ubiq; ſunt proximi, quia Abel fieri nõ ualet, quem Cain malitia nõ exercet. Vnũ uerò eſt pro quo uitari ſocietas debet malorum, ne ſi fortaſſe corrigi nõ ualent, ad imitationem trahãt. Et cùm ipſi à ſua malitia nõ mutantur, eos qui ſibi cõiuncti fuerint, peruertrant. Vnde Paulus ait: Corrumpũt bonos mores colloquia mala. Et ſicut per Salomonem dicitur: Noli eſſe amicus homini iracũdo, nec ambules cum uiro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Sicut ergo perfecti uiri peruerſos proximos nõ debent fugere, quia & eos ſæpe ad rectitudinem trahunt, & ipſi ad peruerſitatem nunquam trahuntur: ita infirmi quiq; ſocietatem declinare debent prauorum, ne mala quæ frequenter aſpiciunt, & corrigere nõ ualent, delectentur imitari. Sic enim uerba proximorum audiendo quotidie ſumimus in mente, ſicut flando atq; reſpirando aerem trahimus corpore. Et ſicut malꝰ aer aſſiduo flatu tractus inficit corpus, ita peruerſa locutio aſſiduè audita, infirmantium inficit animum, ut tabeſcat delectatione prauí operis, aſſidui iniquitate ſermonis. Sequitur: Verba eorum ne timeas, & uultus eorum ne formides: quia domus exaſperans eſt.] Ideo boni timendi ſunt, ne offendantur, ne forte per eos ille prouocetur ad iram, qui eorum corda ſemper inhabitat. Nam ſicut ſuperius dictũ eſt, ſi malos offendimus, timere minimè debemꝰ: quoniam illis noſtra actio diſplicet, quibus nec iuſtitia creatoris placet. Quid ergo timendum eſt, ſi nobis ingrati ſunt, qui deo amabiles nõ ſunt? Vnde rectè nunc dicitur: Verba eorum ne timeas, & uultus eorum ne formides: quia domus exaſperans eſt.] Ac ſi apertè diceretur: Timẽdi eſſent, niſi me in ſuis actibus exaſperarent. De quibus adhuc ſubditur: Loqueris ergo uerba mea ad eos, ſi forte audiant & quieſcant, quia irritatores ſunt. Omnis qui peccat, quid aliud quàm cõditoris ſui in ſe

in se iracundiam irritat? Et scimus quia quotiens actu, quotiens uerbo, quotiens cogitatione delinquimus, deum contra nos totiens irritamus. Sed tamen sustinet, & clementer expectat patientiam. Per prædicatores autem suos, uerbum nobis exhortationis prærogat. Omnis autem qui recta prædicat, si auditur, iram irritati creatoris super præuaricatorem populum placat. Vnde necesse est ut ipse non debeat agere malum, quod solet in populo furorem conditoris sui irritare. Propter quod etiam subditur: Tu autem fili hominis audi quæcunque loquor ad te, & noli esse exasperans sicut domus exasperatrix est] id est, mala quæ fieri cõspicis, ipse non facias: ne hoc quod prohibere niteris, ipse committas. Omnis etenim prædicator intenta semper debet mente pensare, ne qui missus est lapsos erigere, ipse in prauitate operis cum lapsis cadat, & Pauli hunc sententia
Rom.2 feriat dicentis: In quo alterum iudicas, teipsum condemnas. Vnde Balaam dei spiritu repletus ad loquendum, sed tamen in carnalem uitam suo spi
Num.22 ritu detentus, de semetipso loquitur dicens: Dixit auditor sermonum dei, qui nouit doctrinam altissimi: & uisiones omnipotentis uidet, qui cadens apertos habet oculos. Cadens apertos oculos habuit, qui rectum quod diceret uidit: sed rectè uidere contempsit. Cadens uidelicet in peruerso opere, & apertos habens oculos in sancta prædicatione. Est tamen aliud quod possit intelligi: cur beatus Ezechiel qui ad prędicationem mittitur, esse exasperans prohibetur. Nisi enim ad loquenda uerba cùm mittebatur obediret, omnipotentem dominum sicut populus de peruerso opere, sic propheta de suo silentio exasperasset. Nam sicut mali ideo deum exasperant, quia loquuntur uel faciunt mala: ita nonnunquam boni exasperant, quia reticent bona. Illis itaque in culpa est peruersa agere, istis recta reticere. In hoc ergo cum malis etiã boni simul deum exasperant, quia cùm peruersa non increpant, eis per suum silentium proficiendi licentiam præstant. Sequitur:

Aperi os tuum, & comede quæcunque do tibi.] Aperimus os nostrum, cùm recta loquimur: & comedimus quæ à deo accipimus: quia & tribuitur & augetur in nostris sensibus cibus uitæ, cùm prædicare cœperimus. Vnde propheta ali-
Psal.118 us dicit: Os meum aperui, & attraxi spiritum. Nõ enim spiritum attraheret, nisi os aperiret: quia nisi ad prædicandum proximis se impenderet, spiritalis doctrinę in eo gratia non creuisset. Sequitur:

Et uidi: & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber. Et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris.] Sicut per prophetam prædicatorum ordo, sic per librum quem accepit, scripturæ sacræ paginæ designãtur. Liber autem inuolutus, est scripturæ sacræ eloquiũ obscurum: quod profunditate sententiarum inuolutur, ut non facile sensu omnium penetretur. Sed coram propheta liber expanditur: quia coram prædicatoribus sacri eloquij obscuritas aperitur. Inuolutum librũ manus dei porrexerat, cùm saluator dicebat: Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Cũ autem dormirẽt homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania: & reliqua, quę charitas uestra etiam me reticente reminiscitur. Sed librum quem inuolutum ostẽderat, expãdit cùm hoc quod per ænigmata loquebatur, exposuit dicens: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum uerò semẽ, hi sunt filij regni: zizania autem filij sunt nequã. Inimicus autẽ qui seminauit ea, est diabolus. Messis uerò consummatio seculi. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colligũtur zizania, & igni cõburuntur, sic erit in cõsummatione seculi. Inuolutus itaq; liber expanditur, quando hoc quod obscurè prolatum fuerat, per latitudinẽ intellectus aperitur. Hunc inuolutum librum ueritas expandit, quando in discipulis egit quod scriptum est:
Luc.24 Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. De quo adhuc libro subditur: Qui erat scriptus intus & foris.] Liber enim sacri eloquij intus scriptus est per allegoriam, foris per historiã. Intus per spiritalem intellectum, foris autem per sensum literæ simplicem, adhuc infirmãtibus cõgruentem. Intus, quia inuisibilia promittit: foris, quia uisibilia præceptorum suorũ rectitudine disponit. Intus, quia cœlestia pollicetur: foris autem quia terrena contemptibilia qualiter sint uel in usu habẽda, uel ex desiderio fugienda, prędcepit. Alia nanq; de secretis cœlestibus loquitur, alia uerò in exterioribus actionibus iubet. Et ea quidẽ quę foris præcepit, patent: sed illa quæ de internis narrat, plenè apprehendi nequeunt. Vnde scriptum
Psal.103 est: Extẽdens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius. Quid enim cœli nomine nisi sacra scriptura signatur? De qua nobis & sol sapiẽtiæ, & luna scientiæ, & ex antiquis patribus stellæ exemplorum atq; uirtutum lucent. Quod sicut pellis extenditur: quia per scriptores suos carnis lingua formatum, ante oculos nostros & per uerba doctorum exponendo dilatatur. Quid uero aquarum nomine, nisi sanctissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est: Et aquæ
Psal.149 quæ super cœlos sunt, laudent nomẽ domini. Huius ergo cœli superiora dominus aquis tegit, quia alta sacri eloquij, id est, ea quæ de natura diuinitatis uel de æternis gaudijs narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Cœlum ergo hoc & coram nobis extẽditur, & tamen aquis superiora eius contegũtur: quia & quę dam sacri eloquij iam nobis per apertionem spiritus patẽt, & quædam quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc seruãtur occulta. De quibus tamen occultis iam partem per spiritalem intelligentiam sentimus, iam sancti spiritus pignus accepimus: qui hæc & plenè necdum cognouimus, & tamen medullitus amamus, & in multis spiritalibus sensibus quos iam cognouimus, ueritatis pabulo pascimur. Dicat ergo: Qui erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

scriptus intus & foris. Quia in sacro eloquio & dictis occultioribus atq; sublimioribus satiãtur fortes, & præceptis apertioribus nos paruuli nutrimur. Vnde scriptum est: Mõtes excelsi ceruis, petra refugium herinacijs. Habeant enim mõtes intelligentiæ qui iam cõtemplationis saltus dare nouerũt. Sed petra sit refugium herinacijs: quia nos paruuli & peccatorum nostrorum spinis cooperti, & si intelligere alta non possumus, in petræ nostræ refugium, id est, in Christi fide saluamur. Vnde & quibusdam dicitur: Nihil me iudicaui scire inter uos nisi Christum Iesum, & hunc crucifixũ. Ac si diceret: Quia uos capere diuinitatis eius mysteria nõ posse pensaui, sola uobis humanitatis eius infirma locutus sum. Sequitur: Et scriptæ erant in eo lamentationes, carmẽ, & uæ.] Carmẽ aliquando in bono, aliquãdo uerò in malo accipi dubium nõ est: quia & lætum carmen, & lugubre carmen dicere possumus. Sed nos scripturæ sacrę usum sequentes, quæ penè semper carmen ponere in prosperis solet, hoc in loco pro bona parte dictum carmen accipimus. Nam cùm omnipotens deus populum suum de mari rubro liberasset, scriptum est: Tunc Moyses & filij Israel cecinerũt carmen domino. Et cùm Dauid uictoriam de hostibus fecisset, scriptum est: Locutus est Dauid domino uerba carminis huius. Salomon quoq; ait: Acetum in nitro: qui cantat carmina corde pessimo. Acetum quippe si mittatur in nitro: feruescit nitrum protinus & ebullit. Et peruersa mens quãdo per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem bona suadentur, de correptione fit deterior. Et inde in murmurationis iniquitate succẽditur, unde debuit ab iniquitate compesci. Per Heliu quoq; de ingrato ac sese desperante dicitur: Et nõ dixit: Vbi est qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? Carmẽ quippe in nocte est lætitia in tribulatione. Carmẽ in nocte accipimus, quando in pressuris præsentibus de futuris gaudijs consolamur. Carmen nobis ostendebat Apostolus, cùm dicebat: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Carmẽ in nocte se Dauid habere indicat dicens: Tu es mihi refugium à pressura, quæ circumdedit me: exultatio mea, redime me à circũdantibus me. Qui enim circũdari se pressuris narrat, & tamen deum sibi esse exultationem nominat, proculdubio carmẽ in nocte cantat. Quia igitur penè semper in bono carmẽ ponere scriptura sacra cõsueuit, ita à nobis etiam in hoc loco debet intelligi. Væ autem in scriptura sacra sæpius de ęterno luctu, quàm præsenti solet intelligi. Vnde scriptum est: Væ impio in malo: retributio enim manuum eius fiet ei. Et B. Iob loquitur dicens: Si impius fuero, uæ mihi est, si autem iustus, nõ leuabo caput, saturatus afflictione & miseria. Iustorũ eñ afflictio temporalis est. Væ ergo quod dixit, à temporali afflictione distinxit, qui & iustum afflictionem, & impium uæ habere perhibuit. Per semetipsam quoq; ueritas dicit: Væ mundo à scandalis. Et uæ uobis qui ridetis, quoniam flebitis. Et uæ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

Pfal.103
1.Cor.2
Exodi 15
2.Reg.22
Prou.25
Iob 35
Rom.12
Pfal.31
Esa.3
Iob 1
Mat.25
Luc.6
Mat.23

A Pensandum ergo nobis est, quomodo hæc tria in sacro uolumine scripta sint, lamẽtationes, carmẽ, & uæ. Lamentationes uidelicet: quia in eo scripta est pœnitẽtia peccatorum. Carmen uerò, quia ibi prænunciantur gaudia iustorum. Væ autem, quia illic expressa est damnatio reproborum. Vt ergo peccata punias, lege quæ in hoc uolumine scripta sunt lamenta: Scindite corda uestra, & nõ uestimenta uestra. Et rursus: Miseri estote, & luge te, risus uester in luctum cõuertatur, & gaudium in mœrorem. Vt autem de promissione gaudij sequentis hilaresças, cognosce quæ in hoc uolumine scripta sunt carmina laudis æternæ: Beati qui habitant in domo tua domine, in seculum seculi B laudabunt te. Et sicut per quendam sapientem de cœlesti Hierusalem dicitur: Ex lapide precioso & mundo omnes plateæ eius sternentũr, & per omnes uicos eius hallelu ia cãtabitur. Hoc nobis carmen cœlestis patriæ nunciare ciues eius uenerãt, qui concorditer clamabãt: Gloria in excelsis deo: & in terra pax hominibus bonę uoluntatis. Sed si adhuc præsenti seculo mente inhæres, si adhuc terrenis uoluptatib. delectaris, amare nõ potes gaudia æterna quæ audis. Cognosce ergo in hoc uolumine uæ quod in eo scriptum est, atq; ab animo per timorem expelle quod diligis, ut possis ex iudicio carmen amare quod legis. Ibi quippe sub unius damnati specie, multitudo omnis exprimit reproborum, cùm uoce ueritatis dicitur: Ligatis C pedibus eius ac manibus, mittite eum in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Tũc etenim reprobi in exteriores tenebras cadũt: quia nunc in interioribus sua se sponte deiecerunt, ut ueritatis lumen nec credendo nec bene operando sequerentur. In quibus ligatis pedibus ac manibus mitti præcipiuntur: quia nunc dum tempus operandi atq; currẽdi est, habere manus & pedes liberos in bona actione noluerunt. Ibi uæ reproborum scriptum est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum nõ extinguetur. Ibi damnatis ac repulsis dicitur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. In hoc itaq; uolumine cuncta quæ ædificant, omnia quæ erudiunt, scripta continentur. Peccasti enim, & iam te pœnitet illicita perpetrasse, ut ad agendam pœnitentiam docearis: ibi inuenis lamẽta. Spe cœlestium gaudiorum mẽtem releuare desideras, ibi ad cõsolationem tuam inuenis carmẽ. Sin uerò & mala perpetrasti, & hæc te perpetrasse non pœnitet, sed ceruicem mẽtis erigis, ad nullas pœnitẽtiæ lamentationes inclinaris, nulla cœlestium gaudiorum expectatione corrigeris, uelis nolis, ibi scriptum auditurus es uæ: ut quẽ nec timor ad pœnitẽtiam humiliat, nec spes ad superna præmia exaltat, damnationis suæ iam nunc pœnam prospiciat, & sine excusatione in æternum supplicium cadat. Quid igitur fratres, quid agendum est miseris nobis, nisi ut euigilemus ad huius uerba uoluminis, & mala quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ, perueniamus ad carmen uitæ? Ne si affligi modo

Iohel 2
Iacob 4
Pfal.38
Tob.13
Mat.22
Esa.66
Mat.25

modo pœnitendo nolumus, uæ postmodum sine fine sentiamus. Nec nos nostrorũ uulnerum multitudo in desperationem deprimat: quia maior est potentia medici, quàm magnitudo lãguoris nostri. Quid est enim quod reparare ad salutem non possit, qui potuit omnia ex nihilo creare? Vnigenitus quippe est omnipotenti patri coæternus. Qui cum eo uiuit & regnat in unitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

Homilia decima.

Ezech. 3

Fili hominis, quodcunq; inueneris, comede. Comede uolumen istud, & uadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meũ, & cibauit me uolumine illo. Et dixit ad me: Fili hominis, uenter tuus comedet, & uiscera tua complebũtur uolumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce. Et dixit ad me: Fili hominis, uade ad domum Israel, & loqueris uerba mea ad eos. Nõ enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel: neq; ad populos multos profundi sermonis & ignotæ linguæ, quorum nõ possis audire sermones. Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolũt audire te: quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita frõte est, & duro corde. Ecce dedi faciem tuam ualentiorẽ faciebus eorum, & frontem tuam duriorẽ frontibus eorum, & ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuã. Ne timeas eos, neq; metuas à facie eorum: quia domus exasperans est. Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi, & uade: ingredere ad transmigrationẽ ad filios populi mei, & loqueris ad eos, & dices eis: Hæc dicit dominus deus, si forte audiant & quiescant. Et assumpsit me spiritus & audiui post me uocem commotionis magnæ: Benedicta gloria domini de loco suo, & uocem alarum animaliũ percutientiũ alteram ad alteram, & uocẽ rotarum sequentium animalia, & uocem commotionis magnæ. Spiritus quoq; leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus mei. Manus enim domini erat mecũ, confortans me.

A SOlent quidam scripturam sacri eloquij legentes, cùm sublimiores eius sentẽtias penetrant, minora mandata quæ infirmioribus data sunt, tumẽti sensu despicere, & ea uelle in alio intellectu permutare. Qui si rectè in eo alta intelligerẽt, mãdata quoq; minima despectui nõ haberent: quia diuina præcepta sic in quibusdam loquuntur magnis, ut tamẽ in quibusdã cõgruant paruulis, qui per incrementa intelligẽtiæ quasi quibusdam passibus mentis crescant, atq; ad maiora intelligenda perueniant. Vnde nunc sancto prophetæ dicit:

Fili hominis, quodcunq; inueneris, comede.] Quicquid enim in sacra scriptura inuenitur, edendum est: quia & eius parua simplicem componũt uitam, & eius magna subtilem ædificant intellígẽ
B tiam. Sequitur: Comede uolumẽ istud, & uade loquere ad filios Israel. Et aperui os meũ, & cibauit me uolumine illo.] Scriptura enim sacra cibus & potus est. Vnde etiam dominus per prophetam alium minatur: Mittam famen in terram, nõ famẽ panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum domini. Qui ergo subtracto suo eloquio, fame ac siti nos dicit atteri: quia eius uerba & cibus noster & potus sint demonstrat. Sed notandũ q; aliquãdo cibus, aliquãdo potus sunt. In rebus enim obscurioribus quæ intelligi nequeunt nisi exponantur, scriptura sacra cibus est: quia quicquid exponitur ut intelligatur, quasi manditur ut glutiatur. In rebus uerò apertioribus potus est. Potum
C enim nõ mandẽdo glutimus. Apertiora ergo mãdata bibimus: quia etiam nõ exposita intelligere ualemus. Pro eo autem quod multa Ezechiel propheta obscura atq; perplexa auditur⁹ erat, nequaquam ei de sacro uolumine dicitur, bibe, sed comede. Ac si apertè diceretur: Pertracta & intelli-ge, id est, prius mande, & tunc degluti. Sed in uerbis sacri eloquij iste debet studij nostri ordo seruari, ut hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quę fecimus, uitemus ne alia faciamus. Et cũ iam ex magno usu lachrymarum, de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per uerba dei quæ intelligimus, ad uitam quoq; & alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, ut & nobis prosint, & in-
D tentione spiritali alijs conferãtur. Vnde bene nũc dicitur: Comede uolumen istud, & uade loquere ad filios Israel. Ac si ei de sacro cibo diceretur: Comede & pasce, saturare & eructa, accipe & spargе, cõfortare & labora. Et notandũ quod prophe ta subiungit dicens: Et aperui os meum, & cibauit me uolumine illo.] Os in corde esse alius Psal. 11
propheta testatur, dicens: Labia dolosa in corde & corde locuti sunt mala. Os ergo aperimus, quãdo sensum ad intelligentiam sacri uerbi præparamus. Itaq; ad uocem domini propheta os aperuit, quia ad spiramentum dominici præcepti cordis nostri desideria inhiant, ut de cibo uitæ aliquid sumant. Sed tamen hoc ipsum sumere, nostrarum uirium nõ est, nisi ipse cibauerit qui ut comedatur iussit. Ille etenim cibatur, qui per se edere nõ potest. Et quia ad capiẽda uerba cœlestia idonea nostra in-

Amos 8

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtra infirmitas non eſt, ipſe nos cibat qui nobis in tempore menſuram tritici temperat, quatenus in ſacro uerbo dum hodie intelligimus quod heſter no die neſciebamus, cras quoq; comprehẽdimus quod hodie neſcimus, per diuinæ diſpenſationis gratiam quotidiano alimento nutriamur. Omnipotens etenim deus quaſi totiens ad os cordis noſtri manum porrigit, quoties nobis intellectũ aperit, & cibum ſacri eloquij in noſtris ſenſibus mittit. Cibat ergo nos uolumine, cùm ſenſum nobis ſcripturæ ſuæ diſpenſando aperit, & eius dulcedine noſtras cogitationes replet. Vnde & ſubditur:

Et dixit ad me: Fili hominis, uenter tuus comedet, & uiſcera tua replebuntur uolumine iſto quod ego do tibi.] In translatione ueteri nõ habetur, uenter tuus comedet, & uiſcera tua replebuntur. Os enim noſtrum comedit dum uerbum dei legimus, uiſcera uerò noſtra complẽtur, cùm intelligimus atq; ſeruamus ea in quibus legendo laboramus. In poſteriori autem translatione quã & ueraciorem credimus, ſcriptum eſt: Venter tuus comedet, & uiſcera tua replebuntur.]

In ſacro uero eloquio nonnunquam uenter pro mente poni conſueuit. Vnde & per Hieremiam

Hiere. 4 dicitur: Ventrem meum, uentrem meum doleo. Quod quia de ſpiritali & non corporeo uentre dixerat, adiunxit: Senſus cordis mei cõturbati ſunt. Neq; enim ad ſalutem populi pertinebat, ſi propheta uentrem corporeum ſe dolere prædicaret. Sed uentrem doluit, qui mentis afflictionem ſenſit. Sed cur exemplũ prophetæ proferimus, cùm teſtimonium domini apertius habeamus? Et neceſſe eſt ut cùm per ſemetipſam ueritas loquitur, propheta taceat: quia lucerna claritatem non ha-

Iohan. 6 bet in ſole: Ait enim. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Quia enim de mente fidelium ſanctæ prædicationes defluunt, quaſi de uentre credẽtium aquæ uiuæ flumina decurrunt. Vẽtris autẽ uiſcera quid ſunt aliud niſi mentis interna, id eſt, recta intentio, ſanctum deſiderium, humilis ad deum, pia ad proximum uoluntas? Vnde nunc rectè dicitur:

Venter tuus comedet, & uiſcera tua replebũtur.] Quia cùm mens noſtra pabulum ueritatis acceperit, interna noſtra nõ iam uacua remanent, ſed alimento uitæ ſatiata. Pẽſemus chariſſimi fratres mei quàm ſit pia iſta promiſſio, qua dicitur:

Venter tuus comedet, & uiſcera tua replebũtur uolumine iſto quod ego do tibi.] Multi etẽm legunt, & ab ipſa lectione ieiuni ſunt. Multi uocem prædicationis audiunt, ſed poſt uocem uacui recedunt. Quorum etſi uenter comedit, uiſcera non replentur: quia etſi mente intellectum ſacri uerbi percipiunt, obliuiſcendo & non ſeruando quæ audierint, hæc in cordis uiſceribus nõ reponunt. Hinc eſt enim quod per prophetam aliũ

Aggæi 1 quoſdam dominus increpat dicens: Ponite corda ueſtra ſuper uias ueſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, comediſtis, & non eſtis ſatiati, bibiſtis, & nõ eſtis inebriati. Multum cordi ſuo ſeminat, ſed parum infert, qui de mandatis cœleſtibus uel legẽdo, uel etiam audiendo multa cognoſcit, ſed negligẽter operando pauca fructificat. Comedit & nõ ſatiatur, qui uerba dei audiẽs, lucra uel gloriam ſeculi cõcupiſcit. Bene autem nõ ſatiari dicitur: quia aliud mandit, & aliud eſurijt. Bibit & nõ inebriatur qui ad uocem prædicationis aurem inclinat, ſed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibẽtium ſenſus mutari. Qui ergo ad cognoſcendum dei uerbum deuotus eſt, ſed ea quæ ſunt huius ſeculi adipiſci deſiderat, bibit & inebriatus nõ eſt. Si enim inebriatus eſſet, proculdubio mentem mutaſſet, ut iam terrena nõ quæreret, iam uana & tranſitoria quæ amauerat non amaret. De electis nanq; per Pſalmiſtam dicitur: Inebriabũtur ab ubertate domus tuæ. Quia Pſal. 35 tanto omnipotentis dei amore repleti ſunt, ut mutata mente ſibimetipſis extranei eſſe uideãtur, implentes quod ſcriptum eſt: Qui uult poſt me uenire, abneget ſemetipſum. Semetipſum abnegat, Matt. 16 qui mutatur ad meliora, & incipit eſſe quod non erat, & deſinit eſſe quod erat. Sæpe autem quoſdam uidimus ad uocẽ prædicationis quaſi ex cõuerſione compunctos, habitum nõ animum mutaſſe, ita ut religioſam ueſtem ſumerẽt, ſed anteacta uitia non calcarent, iræ ſtimulis inaniter agitari, malitia doloris in proximi læſionem ferueſcere, de oſtenſis quibuſdam bonis ante humanos oculos ſuperbire, præſentis mundi lucra inhianter quærere, & de ſolo exterius habitu quem ſumpſerunt, ſanctitatis fiduciam habere. Quibus quid aliud dicẽdum eſt, niſi hoc quod doctor egregius quibuſdam legis exteriora ſeruantibus loquitur dicens: quia in Chriſto Ieſu neq; circumciſio ali- Gal. 5 quid ualet, neque præputium, ſed noua creatura? Non enim magni eſt meriti, ſi quid foris erga nos agatur in corpore, ſed magnopere pẽſandum eſt quid agatur in mente. Nam præſentem mundum deſpicere, tranſitoria non amare, mẽtem medullitus in humilitate deo & proximo ſternere, contra illatas contumelias patientiam ſeruare, & cuſtodita patientia, dolorem malitiæ à corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minimè ambire, amicum in deo diligere, propter deũ & eos qui inimici ſunt amare, de afflictione proximi lugere, de morte eius qui inimicus eſt non exultare, hæc eſt noua creatura, quã idem magiſter gentium apud alios diſcipulos uigilanti oculo requirit, dicens: Si qua igitur in Chriſto noua creatura, 2. Cor. 5 uetera tranſierunt: Ecce facta ſunt omnia noua. Ad ueterem quippe hominem pertinet, præſentem mũdum quærere, trãſitoria ex cõcupiſcentia amare, mentem in ſuperbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læſione cogitare, ſua indigentibus non dare, atque ad multiplicandum aliena quærere, nullum purè propter deum diligere, inimicitias inimicis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta hæc uetuſti ſunt hominis, quæ uidelicet de radice trahimus corruptionis. Sed qui iam iſta exuperat, & ad præcepta dominica mẽtẽ in benignitatẽ cõmutat, de hoc rectè dicitur: Quia uetera trãſierunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt: ecce facta sunt omnia noua. Tũc ergo in nostris mentibus noua fiunt, cùm à nobis uetusti hominis uitia transeunt, quando sacri uerbi præceptum uenter comedit, & uiscera medullitus replent. Sæpe enim quosdam uidimus tota se mente ad sanctæ lectionis studiũ contulisse, atq; inter uerba dominica recognoscentes in quantis deliquerint, semetipsos in lachrymis mactare, mœrore continuo affligi, in nullis huius mundi prosperitatibus delectari: ita ut eis uita præsens oneri, & lux ipsa fastidio fieret, uix ad colloquendum communia admittere, atq; à rigore disciplinę animum difficile relaxare: per amorem conditoris, luctu solummodo & silentio gaudere. Horum uenter sacrũ uolumẽ comedit, & uiscera repleta sunt: quia præcepta uitæ quę sensus capere potuit, memoria non amisit, sed hæc collecta in deo animus lugendo semper & recolẽdo seruabit. Et fit plerunq; ut tales quiq; ex dono cœlestis gratiæ, etiã uerbũ doctrinæ percipiant, atq; de ueritatis pabulo, quod ipsi intrinsecus dulciter ruminant, proximos suauiter pascant. De quorum profectò ore prædicatio audientibus dulcis est: quando eorum actio contraria suis prædicationib. non est: quia de propria uita sumũt, quod per linguam proximis conferunt. Vnde rectè hic quoq; propheta subiũgit:

Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.] Liber qui uiscera repleuit, dulcis in ore sicut mel factus est: quia ipsi de omnipotenti domino sciũt suauiter loqui, qui hunc didicerint in cordis sui uiscerib. ueraciter amare. In eius quippe ore scriptura sacra dulcis est, cuius uitæ uiscera mandatis illius replentur: quia ei suauis est ad loquendum, cui interius impressa ad uiuendũ fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet, quem uita reproba intra conscientiam remordet. Vnde necesse est, ut qui uerbum dei loquitur, prius studeat qualiter uiuat, ut pòst ex uita colligat quæ & qualiter dicat. Ad prædicandum nanq; plus conscientia sancti amoris ædificat, quàm exercitatio sermonis: quia amãdo cœlestia, intra semetipsum prædicator legit quomodo persuadeat ut despici debeant terrena. Qui enim uitam suam interius pensat, & exemplo suo foris admonẽdo alios ædificat: quasi in corde linguæ calamum tingit, in eo quòd manu uerbi proximis exterius scribit. Inde admirabilis prædicator cum multa discipulis exhortando dixit: quia nullã intra semetipsum de conscientia contrarietatem pertulit, secutus ad Phil. 4 iunxit: Si qua uirtus, si qua laus disciplinæ: hæc cogitate quæ & didicistis & accepistis & audistis & uidistis in me. Hæc agite, & deus pacis erit uobiscum. Sequitur: Et dixit ad me: Fili hominis, uade ad domum Israel, & loqueris uerba mea ad eos.] In eo quòd dominus prophetæ dicit: loqueris uerba mea ad eos, quid aliud quàm eius ori frenum moderaminis imponit? ne quæ prius intus non audierit: foris dicere præsumat. Nam prophetæ falsi sua & non dei uerba loquebantur, de quibus Hier. 22 scriptum est: Nolite audire uerba prophetarum qui prophetant uobis, & decipiunt uos: uisionem cordis sui loquũtur, non de ore domini. Et rursum: Nõ loquebar ad eos, & ipsi prophetabãt. Qua ex re quoque colligendum est: quia & quisquis expositor in explanatione sacri eloquij ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua & non domini uerba loquitur, si tamen placendi uel seducendi studio mentiat. Nam si in uerbis dominicis uirtutem requirens, ipse aliter q̃ is per quẽ prolata sunt, senserit, etiã si sub intellectu alio ædificationẽ charitatis requirat, dñi sunt uerba quæ narrat: quia ad hoc solũ deus per totam nobis sacrã scripturã loquit, ut nos ad suũ & proximi amorem trahat. Sequitur: Nõ enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel, neq; ad populos multos profundi sermonis & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mitteres, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.] In ipso iussionis exordio quo propheta ad prædicandum mittitur, apertè & uocatio gentium, & Israelitarum repulsio designat: Nam cùm dicitur: Nõ ad populos multos profundi sermonis & ignotæ linguæ mitteris: quorũ non possis audire sermones, atq; statim subdit: Et si ad illos mitteres, ipsi audirẽt te: apertè declaratur obedientia gentiũ, quę quandoque prædicatorum uoces essent sine tarditate secuturæ. Et cùm subditur: Domus autẽ Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me: ludęæ duritia designatur, quæ uerba prædicantiũ & cognouit, & sequi noluit. Ignota autem lingua gentium ad obediendum moram non fecit, quamuis extranea ab eloquio legis fuit. Bene autem dicitur: Nolunt audire te: quia nolũt audire me, secundũ hoc quod scriptũ est: Qui uos spernit, me spernit. Cau Lucæ 10 sa quoq; cur nõ audiant, subinfertur cùm dicitur:

Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.] Cùm domus Israel attrita fronte esse perhibetur, quid aliud sentiendum, quidue cogitandũ est, nisi quòd frontem cordis in impudentiam atterit culpa frequens, ut quò crebrius cõmittitur, eo de illa cõmittentis animus minus uerecundetur? Atq; ideo ad tantã cordis duritiã quandoq; peccator peruenit, ut iam in correptione sensibilis nõ sit: quia qui usu peccãdi induruit, nullo modo corripientis uerbũ, id est, manum palpãtis sentit, sicut ludæę quoq; crebrius delinquenti dicitur: Frons mulieris meretricis facta est tibi, Ezech. 3 noluisti erubescere. Vel certè attrita frons est in huius mundi actibus assueta: quia sicut sunt nonnulli qui quietem cunctis mundi præmijs atque honoribus præponũt, ita nonnulli ut in hoc mundo aliquid esse uideantur, terrenis laboribus insudant, insistunt cauis, permiscentur iurgijs. Et quamuis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarũ rerum deuicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per prophetam dicitur: Effraim uitula docta diligere trituram. Vitula Oseæ 10 etenim in tritura areæ assueta, etiam si relaxatur à labore, sponte redit. Sic quibusdã prauis mentib. nihil est laboriosius q̃ si eis præcipitur, ut in huius

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundi actibus non laborent. Nam sæpe quidam repulsi ab actione terrena, deprecantur ut redeant. Rogant ut premant: graue se incurrisse periculū quietem putant. Attrita ergo fronte sunt, qui non solū labores nō fugiūt, sed neq; importuni uideri in laboribus qui sibi negant erubescunt. Sequit:

Ecce dedi faciem tuam ualentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.] Sicut uerecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est, Bonum uerò erubescere, fatuitatis. Vnde scriptū est: Est confusio adducens pec Eccli 4 catū, & est cōfusio adducēs gloriā. Qui em erubescit pœnitēdo mala quæ fecit, ad uitę libertatē peruenit. Qui uerò erubescit bona facere: à statu rectitudinis cadit, atq; ad damnationē tendit, sicut Lucæ 9 per redemptorē dicit: Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cùm uenerit in maiestate sua. Et sunt qui bona sua iam in mente concipiūt, sed necdum malis apertè cōtradicunt. Hi nimirum quia boni sunt in mente, sed authoritatem non habent in locutione, apti ad ueritatis defensionem non sunt. Ille enim esse ueritatis defensor debet: qui q̄d rectè sentit, loqui nec metuit, nec erubescit. Vnde nunc in magno munere prophetæ promittitur: Ecce dedi faciem tuā ualentiorem faciebus eorum, & frontem tuā duriorem frontib. eorū.] Quid est aūt peccator, nisi uulneratus? & quid prædicator nisi medicus? Si ergo non erubescit peccator qui iacet in uulnere, cur erubescat medicus qui per medicamenta prouidet salutem? Sæpe uerò contingit ut prædicator reuerenter audiatur. Nonnunq; uerò à peruersis ita despicitur, ac si eis nihil utilitatis loquat. Vnde rectè nunc dicitur: Vt adamantem & ut silicem dedi faciem tuam.] Adamas & silex utraque dura, sed unū horū precios um est, alterū uile. Adamas ad ornamentum sumitur, silex ab itinerantibus calcatur. Et sæpe contingit, ut hos quos correptionem suam cōspicimus nimis humiliter audire, uerecūdemur eis aliqua dicere. Nonnunq; uerò euenit, ut eos quos increpationem suam uidemus postponere, & despectui habere, trepidemus eis uerbum prędicationis inferre. Sed si rectè sapimus, & ad eos à quibus nos honorari conspicimus, & ad eos à quibus nos despici uidemus, authoritatem exhortationis uel increpationis sumimus, ut nec illorum humilitatem debeamus erubescere, nec illorū superbiam formidare. Dicatur ergo: Dedi faciem tuam ut adamantem.] id est, si ab auditorib. honoraris. Dedi faciem tuā ut silicem] si ab auditorib. cōculcaris atq; despiceris: ut nec per illatum honorem refrenet lingua ex uerecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate. Sequitur: Ne timeas eos, neq; metuas à facie eorum: quia domus exasperans est.] Hoc iam superius dictum est. Sed notandum quàm aspera domus habetur, cuius asperitas tam crebrò replicatur. Increpandus itaq; peccator est, & nunquàm timēdus, quia domus exasperās est. Timeri enim homo debuerat, si ipse authorem omnium ut homo timuisset. Nam qui rationis sensum ad timorem dei non habuit, tanto in nullo timendus est, quanto hoc quod esse debuit, non est. Sequitur:

Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos quos loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus audi: & uade ingredere ad transmigrationem filiorū populi mei.] Vigilanter intuendum est quod uoce domini ad prophetā dicitur: ut prius sermōes ei⁹ audiat, & postmodū loquatur. Audimus enim uerba dei, si facimus. Et tunc ea proximis rectè loquimur, cùm prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus euangelista confirmat, cùm Mar.7 factum domini miraculum narrat dicens: Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum. Cuius ordinem curationis insinuat, subdens: Misit digitos suos in auricu las: expuens q̄ tetigit linguam eius, & suspiciēs in cœlum ingemuit, & ait illi. Effeta: q̄d est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Quid est enim quòd creator omniū deus cùm surdum & mutum sanare uoluisset, in aures illius suos digitos misit, & expuēs linguam eius tetigit? Quid per digitos redemptoris, nisi dona sancti spiritus designant? Vnde cùm in alio loco eiecisset dæmonium, dixit: Si in digito dei eijcio dæmonia, pro- Luc.11 fecto peruenit in uos regnum dei. Qua de re per euangelistam alium dixisse describitur: Si ego in spiritu dei eijcio dæmones, igitur peruenit in uos regnum dei. Ex quo utroq; loco colligitur, quia digitus spiritus uocatur. Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona spiritus sancti mentē surdi ad obediēdum aperire. Quid est uerò quòd expuens linguam eius tetigit? Saliua nobis est ex ore redemptoris, accepta sapientia in eloquio diuino. Saliua quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis uerba formatur. Qui suspiciēs in cęlum ingemuit, nō q̄ ipse necessariū gemitū haberet qui dabat q̄d postulabat, sed nos ad eum gemere qui cœlo prędet docuit, ut & aures nostrę per donum spiritus sancti aperiri, & lingua per saliuam oris, id est, per scientiā diuinæ locutionis solui debeat ad uerba prædicationis. Cui mox effeta, id est, adaperire dicitur: & statim apertæ sunt aures eius: & solutū est uinculum linguæ eius. Qua in re notādum est, quia propter clausas aures dictum est, adaperire. Sed cui aures cordis ad obediendū apertæ fuerint, ex subsequenti proculdubio etiam linguæ eius uinculum soluitur: ut bona quæ ipse fecerit, etiam facienda alijs loquatur. Vbi bene additur, & loquebatur rectè. Ille enim rectè loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda. Quòd uerò ad transmigrationē populi admonendam propheta mittitur, nō solum ea transmigratio debet intelligi, quæ eius populi erat in corpore, sed etiam quæ facta fuerat in mente. Ab Hierusalem quippe ad Babyloniā uenerat. Et quid Hierusalē nisi uisio pacis? quid Babylonia nisi cōfusio uocatur? Quisquis uerò à rectis operibus in peruersis actibus

actibus cadit: quoniam à bono studio ad uitia defluit, quasi ab Hierusalē ad Babyloniæ ciuitatem uenit. Culmen enim bonæ contemplationis deseruit: atq; in trāsmigratione cōfusionis iacet. Quod illis solet sæpe euenire, qui cùm bona agunt, in his de sua uirtute gloriantur. Vnde Psalmista ne à uisione pacis, id est, à bonis actibus captiuus ad Baby
Psal. 61 loniam emigraret, domino supplicans dicit: Adiutor meus, non emigrabo. Si enim in se confideret: à iustitiæ operibus cadendo migrasset. Sed neque hi qui à statu rectitudinis in prauam actionem ceciderunt, desperandi sunt: quia ecce propheta ad
Mich. 4 transmigrationem Babylonię mittitur. Et per prophetam alium dominus dicit: Et uenies usq; Babylonem, & ibi liberaberis. Sæpe enim quis postquàm in confusionem uitiorum ceciderit, erubescens mala quæ perpetrauit, ad pœnitentiam redit: secq; à suis lapsibus bene uiuendo erigit. Quid ergo iste, nisi usq; ad Babylonem uenit, & ibi liberatus est? Qui postquam confusus mente, peruersa perpetrauit, hæc ipsa erubescens mala quæ fecit se contra se erigit, & bene operando ad statum rectitudinis redit. In Babylonem itaq; ueniens liberatus est, qui per diuinam gratiam ostenditur etiam de confusione saluatus. Propheta ergo ad transmigrationem loquit̄, cum illos increpat, qui à statu rectitudinis ad erroris uitia transmigrando ceciderunt. Sequitur: Et loqueris ad eos, & dices: Hæc dicit dominus deus, si forte audiant & quiescant.] Quoties diuinis uocibus difficultas audiendi repetitur, ut dicatur si forte audiant: quid aliud quàm transmigrati populi duritia designatur? In quibus uerbis magna est nostra cō solatio: quia si omnipotens deus prophetam mittens, à peruerso populo uerba sua denunciat difficile audiri, cur nos miseri contristamur, cum sæpe à fratribus in nostra admonitione contemnimur? Nam crebro delinquentes alloquimur, frequenter increpamus. Sæpe cum eis blādis sermonibus agimus, & tamen alter audit, alter audire contemnit. Alter ex parte uerbum exhortationis suscipit, & ex parte recipere recusat, ita ut quotidie impleri uideamus hoc quod per prophetam alium do-
Amos 4 minus narrat quæ fecerit iratus, cum dicit: Plui super ciuitatem unam, & super alterā non pluit. Pars una compluta est, & pars quæ compluta non est, aruit. Cùm enim sanctæ exhortationis uerba alia mens suscipit, alia suscipere recusat, super unā ciuitatem dominus pluit & super alterā nō pluit. Cùm uerò & ipse qui proximos audit, ab alijs se uitijs corrigit, atq; ab alijs emendare contemnit: una eadem q̄ ciuitas & ex parte compluitur, & ex parte arida remanet, in qua à se prædicationis pluuiam repellit. Sunt etenim quidā, qui exhortationis uerba omnino non audiunt, hi penitus suscipere pluuiam nolūt. Et sunt quidā qui audiunt, sed tamen hanc medullitus non sequuntur: quia alia in se uitia resecant, sed in alijs grauiter perdurant. Sæpe enim quosdā uidemus qui per prædicationis uerbū à semetipsis auaritiæ æstum repellunt, & nō solū iā aliena non rapiunt, sed & propria indigentibus largiunt̄, nec tamen iræ stimulos edomāt, nec patientiæ moderamina per mentis tranquillitatē seruant. Et sæpe alij ad exhortationis uerbū in semetipsis iam carnis immunditiā uincunt, corpus in castitate custodiūt, nec tamen adhuc animum sicut debent proximis inclinant, sed per rigorem superbiæ in cogitatione se eleuāt. In istis pars una compluta est, quia fructum fecit, & pars quæ compluta non est, aruit: quia exhortationis uerbū non plenè suscipiens, à bono opere sterilis remansit.

Sequitur. Et assumpsit me spiritus, & audiui post me uocem cōmotionis magnæ: Benedicta gloria dñi de loco suo.] Quid est hoc quod propheta postq; ad transmigrationem filiorū populi mittit̄, uocem post se magnæ cōmotionis audit dicentē: Benedicta gloria dñi de loco suo? Cōuersus quippe ad peccatores Babylonię fuerat, & uocē glorię domini de loco suo post tergum audiebat. Locus est enim dei Hierusalem, id est, uisio pacis: quia nimirum illa corda uident ea quæ dei sunt, quæ ad transmigrationem Babyloniæ, hoc est ad confusionis uitia nō descendūt. Ibi enim inhabitat deus ubi uera pax quæritur, internæ contemplationis gloria amatur. Nam qui ad peruersitatem defluit, locus dei esse contemnit. Locus ergo gloriæ dei est uel sancta quæq; anima, uel unusquisq; in cœlestibus permanens angelicus spiritus. Et gloria domini de loco suo benedicitur: cùm uel ab electis hominibus, uel à sanctis angelis authori omnium laus æterna cantatur. In eo ergo quod iusti de conuertendis peccatoribus cogitant: quia eorum uitia cōsiderando ad carnales actus oculum ducunt: quasi ad Babyloniam intendunt. Qui tamen pro statu suæ rectitudinis, quia in laude dei bona sanctorum considerare nunquam desinunt: quamuis per cogitationem aliud intendūt, quasi post se uocem gloriæ domini ab Hierusalē, id est, de loco suo audiunt. Sed cur in istis immoramur, qui hæc prophetæ uerba largiētē domino per sensum alterum & subtilius intelligere, & apertius dicere ualeamus? Ait enim: Et assumpsit me spiritus.] Prædicatorē spiritus assūmit, cùm eius mentem in amore dei omnipotentis eleuatam, à terrenis iam desiderijs alienam reddit, ut nihil ei agere libeat, nisi ea quibus lucra spiritalia congreget, & ad regna cœlestia quotidiani sui operis fructum portet. Vnde & nobis prædicatoribus iubetur: Ioan. 6
Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam. Bene autem subditur: Et audiui post me uocem commotionis magnæ.] Propheta sancto spiritu repletus, quasi transacta narrat, quæ facienda prænidet: quia & in prædestinatiōe iam facta sunt, quæ adhuc in opere sequuntur. Vnde & in translatione ueteri per Esaiam dicitur: Qui fecit quæ futura sunt. Quid est ergo q̄ post se propheta uocem audiuit cōmotionis magnæ, nisi quòd post sermonem prædicationis, qui fit ad corda peccantiū, lamēta pœnitentiā sequuntur? Peruersi etenim quiq; dum praua agunt, & à iustis recta nō audiunt, nesciunt quàm sint grauia quæ cōmittunt, atq; ex ipsa sua ignorantia, in suo stupore

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtupore ſecuri ſunt:& iacẽtes in culpis,quaſi molliter quieſcunt:ſicut de quodam peccatore & ſecuro populo dicitur: Requieuit in fecibus ſuis, Hier.48
quia ſecurus iacet in peccatis. Cùm uero audire peruerſi uerbũ prædicationis cœperint, quæ ſint ſupplicia æterna cognoſcere: qui terror iudicij, & ſubtilis examinatio de ſingulis quibuſque peccatis,ſtico contremiſcunt: implentur gemitibus, & non ſe capientibus ſuſpirijs anxiantur:atq; magno pauore cõcuſſi, in luctu & fletibus erũpunt. Prophetam ergo uox magnæ commotionis ſequitur:quia poſt uerbum prædicationis, conuerſorũ atq; pœnitentium luctus audiuntur.Qui enim prius quieti iacebant in uulnere: tacti poſtmodum manu medicinæ,cum dolore redeunt ad ſalutem. B
De hac commotione pœnitentium per prophetam alium dicitur:Pedes eius ſteterunt,& commo Zach.14
ta eſt terra: quia cùm ueritatis ueſtigia in mente audientiũ figuntur,ipſa mẽs in ſui conſideratione
turbata cõmouetur. Hinc Pſalmiſta pro peccatoribus exorat dicẽs:Qui ſedes ſuper cherubin, mo Pſal.69
ueatur terra.Hinc pro afflictis & pœnitẽtibus de
precans ait: Commouiſti terrã, & cõturbaſti eam: Pſal.59
ſana contritiones eius,quia mota eſt. Terra quippe commota & turbata,eſt peccator de cognitione reatus ſui anxius,& ad pœnitentiæ lamẽta perductus.Peccãti etenim homini dictũ eſt: Terra es Gen.3
& in terrã ibis.Exoret ergo ut ſaneẽ contritio terræ,quia mota eſt:quatenus peccator qui de culpis ſuis affligitur,de cœleſtis miſericordiæ gaudio cõ C
ſoletur.Hæc eſt itaq; uox commotionis magnæ: quando unuſquiſq; ſua acta dijudicans,in afflictione pœnitentię perturbatur.Sed quid uox ipſa dicat,audiamus: Benedicta gloria domini de loco ſuo.] Locus enim maligni ſpiritus fuerant corda peccantiũ,ſed cùm ſibimetipſis irati per pœnitentiam redeunt ad uitam,gloriæ domini locus fiunt.Iam enim ſe contra ſe erigunt: iam pœnitentiæ lachrymis inſequuntur mala quę commiſerũt. Inde ergo auditur benedictio gloriæ in laude domini,unde prius ſonabat creatoris iniuria de amore præſentis ſeculi.Et corda pœnitentiũ fiunt iam domino locus ſuus:quæ prius in peccatis poſita, fuerant locus alienus.Ipſi autem qui à peccatis ſuis ad dominũ conuertunt,non ſolum delent lach- D
rymis peruerſa quæ fecerũt, ſed etiã miris operibus ad alta proficiunt:ut ſancta animalia dei omnipotentis fiant:ut ſignis & uirtutibus ad alta euolent:ut terrã funditus deſerant, & acceptis donis ſe ad cœleſtia per deſideriũ ſuſpendãt. De quibus adhuc ſubditur:Et uocem alarũ animaliũ percutientium alterũ ad alterum.] Audit poſt ſe prophetа uocem commotionis magnę:quia ſicut dictum eſt,uerbum prędicantium luctus pœnitentium ſequitur. Audit poſt ſe uocem alarum animalium: quia ex ipſo luctu pœnitentium oriũtur uirtutes ſanctorum:ut tanto magis in ſancta actione proficiant,quanto ſe ad cognitionem uitæ nequiter egiſſe meminerunt.Sed eſt in his uerbis magna dubitatio: quia non aperteè per prophetam dicitur utrũ unumquodq; animal alas ſuas in ſemetipſis A
percutiat,an certè hęc eadẽ ſancta animalia alis ſuis ſe uiciſſim feriant,ut ala huius alterũ,& ala alterius iſtud animal tangat. Sed quia plerũq; in ſacro eloquio ideo aliquid obſcurè dicitur,ut diſpenſante mirabiliter deo multipliciter exponatur, nos charitati ueſtræ utraq; exponere largiente domino debemus.Sępe iam alas animalium uirtutes diximus eſſe ſanctorum.Quomodo ergo unũquodque animal alas ſuas excutiẽs,alterã ad alterã percutit:niſi quòd apertè datur intelligi: quia ſi ſancta animalia efficimur,uirtus in nobis uirtutẽ excitat dum una alterã ad perfectionem pulſat? Ecce etenim quis habet iam uerbi dei ſcientiam, diſcat ut uiſcera etiam miſericordiæ habeat. Per ſcientiam quippe uerbi dei diſcit:Date eleemoſynã, & ecce
omnia mũda ſunt uobis. Cunq; iã eſſe miſericors Luc.11
in eleemoſynis cœperit uerba ſanctæ authoritatis legit:& quicquid in eis de miſericordia dicit,uberius per experimentum intelligit.Ibi enim ſcriptũ Iob.29
eſt:Pater eram pauperum.Quod fortaſſe antea legebat,& præteribat. Sed cum in eius corde iam miſericordiã cœperit imitari natura, quod eſt patrem eſſe pauperum,legit & recognoſcit quia introrſus redit,in ſemetipſo intelligit quod foris audit.Aliud nanq; eſt eleemoſynam ex præcepto facere,atq; aliud ex charitate.Ex præcepto enim facere bonum inchoantium eſt.Ex charitate autem bonum perfectorum:qui non ſolum quia iubetur faciunt, ſed etiam diligunt faciẽdo quod iubetur.
Hinc eſt eñ quòd in magna uirtute per Pſalmiſtã
dicitur: Vide quia mandata tua dilexi domine: in Pſal.118
tua miſericordia uiuifica me. Mandata enim dei pro iuſſione facere,ſeruientis & obedientis eſt:diligendo hæc facere,obedientis & amantis eſt.Quia ergo & per ſcientiam charitatis miſericordia diſcitur:& per charitatẽ miſericordiæ in corde compuncto ſcientia multiplicatur, ala in nobis alam percutit:quia uirtus uirtutem excitat.Sic qui caſtitatis bonum in ſuo corpore cuſtodit, contra luxuriantes zelo accenditur,ut ab immunditiæ maculis expientur. Et ſæpe dum quoſdam in lapſibus inuenit,edomat,affligit,atq; ad caſtitatis munditiam reſtringit. Cuius ſi forte mens de immunditia luxuriæ fuerit tentata, ex ipſo zelo quo alios correxit,ſemetipſum cõuenit:& erubeſcit immũda cogitare, quæ ſe in alijs recolit correxiſſe. In hoc ergo ala alam percutit, dum uirtus uirtutem pulſat,& ab immũditia cuſtodit. Sin uerò,ut præfati ſumus,uiciſſim ſe alis ſuis animalia feriunt,& altera ad alterã ala percutiũt ſingulorũ, huius quoque deſcriptionis largiente domino ſenſus patet.
Quid eſt ergo quòd hæc pennata animalia uiciſſim alas altera ad alterã feriũt:niſi q; omnes ſancti ſe inuicẽ ſuis uirtutibus tangunt:& ſeſe ad profectum excitant ex conſideratione uirtutis alienæ? Non enim uni dãtur omnia,ne in ſuperbiã elatus cadat.Sed huic datur quod tibi nõ datur:& tibi datur quod illi denegatur:ut dũ iſte cõſiderat bonũ quod habes,& ipſe nõ habet,te ſibi in cogitatione præferat: Et rurſum dum tu habere illum conſpicis quod ipſe nõ habes, te illi in tua cogitatione poſt

ponas:

ponas & fiat quod ſcriptum eſt:Superiores ſibi in
Phil.2 uicem arbitrantes. Vt enim pauca ex multis lo-
quar:iſti mitæ abſtinentiæ uirtus tribuitur: & ta-
men uerbum ſcientiæ non habet. Illi autem datur
uerbum ſcientiæ,& tamen uirtutem perfectæ ab-
ſtinentiæ apprehẽdere conatur,& nõ ualet. Huic
libertas uocis tribuitur:ut oppreſſis quibuſq; pro
tectionis ſolatia impendens,ad defenſionem iuſti
tiæ liberè loquatur:ſed tamen adhuc multa in hoc
mundo poſſidens,relinquere omnia uult, & non
ualet.Illi uerò iam datum eſt omnia terrena relin-
quere,& nihil in hoc mundo cupit habere:ſed ta-
men adhuc authoritatem uocis contra peccantes
quoſq; non præſumit exerere.Et qui ideo plus lo-
qui liberè debuit quia iam non habet unde in hoc
mundo teneatur: loqui contra alios liberè recu-
ſat,ne ipſam uitæ ſuæ quietem perdat. Iſti uirtus
prophetiæ data eſt, multa iam quæ uentura ſint
præuidet:ſed tamen præſentis proximi ægritudi-
nem conſpiciens atq; compatiens non ualet cura-
re.Illi data eſt curationis gratia,atq; à corpore pro
ximi moleſtiam quæ in præſenti eſt, orationibus
repellit:ſed tamen quid ſeipſum paulopoſt ſequa
tur ignorat.Mira itaq; diſpenſatione omnipotens
deus ſic in electis ſuis ſua dona diſpenſat: ut & iſti
det quod illi denegat: & alteri maius, quod alteri
minus tribuit: quatenus dum uel iſte habere illũ
conſpicit quod ipſe nõ habet, uel ille hunc maius
accepiſſe conſiderat,quod ſibi minus adeſſe pen-
ſat,dona dei alter in altero, id eſt, uiciſſim omnes
admirentur: atq; ex hacipſa admiratione humilie
tur alter alteri: & quem uidet habere quod non
habet, eum diuino iudicio ſibi prælatum putet.
Alis ergo ſuis uiciſſim ſe animalia feriunt: cùm
ſanctæ mentes alternis ſe uirtutibus tangunt, &
tangendo excitant, atq; excitata ad profectum
uolant. Videamus Paulum quomodo Apoſto-
lorum alis tactus,atq; ad pœnitentiam excitatus
fuerat: qui mala præteritæ perſecutionis ſuæ, ad
Apoſtolorum innocentem uitam conſiderans di
1.Cor.15 cebat:Ego enim ſum minimus Apoſtolorũ, qui
non ſum dignus uocari Apoſtolus:quia perſecu-
tus ſum Eccleſiam dei.Conſiderauit quippe Apo
ſtolorum innocentiam,& propter præcedentem
malitiã,uilis in eius oculis facta eſt omnis quam
exhibebat in Eccleſia ſollicitudo ſua.Et quã mul-
tos ex accepto intellectu præcederet, non atten-
dit:quia illorum innocentiam penſans perſecuto
rẽ aliquando fuiſſe ſe doluit.Sed uideamus ſi quis
ex Apoſtolis eum qui Paulo datus eſt intellectũ
miratur. Ipſe nobis Apoſtolorũ primus requiren
2.Pet.3 dus eſt qui diſcipulos admonens ait:Sicut & cha-
riſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſi-
bi ſapientiam ſcripſit uobis:ſicut in omnibus epi-
ſtolis,loquens in eis de his in quibus ſunt quædã
difficilia intellectu:quæ indocti & inſtabiles de-
prauant.Miratur itaq; in Apoſtolis omnibus Pau
lus innocentiam: miratur Apoſtolorum primus
in Paulo ſapientiam.Alis ergo ſe tangunt qui in-
de ſe uiciſſim ad profectum excitant,unde uolãt.
Hoc itaq; omnipotens deus agit in cordibus ho-
minum,quod facit in regionibus terrarum. Pote-
rat nanq; uni cuilibet regioni fructus omnes tri-
buere:ſed ſi una quælibet regio alterius regionis
fructu non indigeret:communionem cum altera
non habuiſſet. Vnde fit ut huic uini, alij uero olei
abundantiam tribuat.Hanc multitudine pecudũ
illam uero ubertate abundare fructuũ: ut cùm il-
la defert q̃d iſta nõ habet, & iſta reddit quod illa
nõ detulit, per communionẽ gratiæ ſibi ſimul etiã
diuiſæ terrę cõiunctę ſint.Sicut ergo regiões terra
rũ ita ſunt mentes ſanctorũ,quæ dum uiciſſim ſibi
conferunt quod acceperunt:quaſi fructus ſuos re
giones regionib. impendũt:ut in una omnes cha-
ritate iungantur.Sed inter hæc ſciendum eſt quia
ſicut electi quique hoc ſemper in alijs attendunt
quod à deo melius acceperunt quàm ipſi, ut eos
ſibi in cogitatione præferant,ſeq; illis in humilita
te ſubſternant: ita reproborum mens nunquam
conſiderat quid alter boni amplius quàm ipſe,ſed
quid boni ipſe amplius quàm alter habeat. Neq;
enim penſant quæ bona ſpiritus alter acceperit,
& ipſis deſint:ſed quæ bona ipſi, & quæ mala ad-
ſint alteri. Et cum omnipotens deus ad hoc uirtu-
tes ſingulas diuidat,ut alterum alteri in cogitatio
ne humiliet:ad hoc reprobi pertrahũt bonũ quod
acceperunt,ut ex eo in elatione perdantur: dum
ſemper conſiderant bona quæ ipſi habent, & alij
non habent:& nunquam perpẽdere ſtudent quã-
ta bona alij habeant, & ipſi non habeant. Quod
ergo diuina pietas in augmentum diſponit humi
litatis,hoc mentes reprobæ in argumentum uer-
tunt elationis.Et ex diuerſitate munerum à bono
deficiunt,unde creſcere in humilitatis bono debu
erunt.Propter hoc ergo neceſſe eſt fratres chariſ-
ſimi, ut in uobis hoc ſemper debeatis aſpicere
quod minus habetis:in proximis uerò hoc quod
uobis amplius acceperunt: quatenus dum ſuper
uoſmetipſos eos pro bono quod ipſi habẽt,& uos
non habetis,aſpicitis, ad hoc quoq; obtinendum
etiam uos ex humilitate creſcatis. Si enim & uos
in illis accepta bona perpenditis, & illi in uobis
conſiderant dona quæ habetis: uiciſſim uos alis
tangitis, ut excitati ſemper ad cœleſtia uoletis.
Sequitur: Et uocem rotarum ſequentium anima
lia,& uocem commotionis magnæ.] In rotis ſa-
cri eloquij teſtamenta ſignari ſuperius diximus.
Vox igitur rotarum,eſt ſermo teſtamentorũ.Poſt
uocem itaq; alarum animalium auditur etiam uox
rotarum, quia prædicantium ſermone ſuſcepto,
dum uirtutes ſanctorum ad altiora agenda euo-
lant, ſeq; uiciſſim ad profectum pulſant, ſanctæ
Eccleſiæ ſtatus erigitur: ut per uniuerſum mun-
dum ſacrorum teſtamentorum paginæ legantur.
Vbiq; etenim iam ſanctum euangeliũ,ubiq; Apo
ſtolorum dicta, ubiq; lex & prophetæ reſonant.
Poſt alarum ergo uocem uox rotarum ſequitur:
quia poſt ſanctorum miracula,uerba ſacri eloquij
intra ſanctam Eccleſiam liberè & licenter audiun
tur.Quę rotæ animalia ſequunt̃,quia ut ſuperiꝰ di
ctũ eſt:poſtquã in honorẽ uenit uita ſanctorũ,ue
nerãda quoq; apparuerũt hominib. eloquia teſta-
mentorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentorũ. Vel certè rotæ animalia ſequunt̃: quia in ſanctorum patrum uita cognoſcimus, quid in ſacræ ſcripturæ uolumine intelligere debeamus. Illorũ quippe actio nobis aperit hoc quod in ſuis prædicationibus pagina teſtamentorũ dicit. Sed quærendum nobis eſt cur poſtq; ſuperius dictum eſt: Audiui poſt me uocem cõmotionis magnæ: poſt uocem quoq; alarum atq; rotarum ſubditur: Et uocem cõmotionis magnæ? Quod ſi diligẽter aſpicitur, inueniri poteſt quia non ocioſe repetit̃. Duæ quippe ſunt commotiones magnæ, quibus corda noſtra commouentur. Vna quippe cõmotio ex timore eſt, altera ex charitate: una fit ex luctu pœnitentium, alia ex feruore amantium. Poſt prædicationis ergo uerbum prima cõmotio eſt: cùm plangimus mala quæ fecimus. Poſt uocem uerò alarum & rotarũ, ſecunda cõmotio eſt: dum magnis fletibus quærimus cœleſtia bona quę audimus. Ecce enim quia intra ſanctam eccleſiã de multis patribus uirtutũ exempla cognoſcimus, quaſi alarũ ſonitum quotidie audimus: quia ubiq; ſacra eloquia perſonant, quaſi rotarũ uocibus excitamur. Et quia per eadem ſacra eloquia ad amorem noſtri conditoris accendimur: magni feruore ignis eſſe nos longè adhuc ab omnipotẽtis dei facie plangimus. Poſt primam ergo uocem commotionis magnæ, & ad extremum quoq; uox magnæ cõmotionis fit: quia qui cognoſcendo deum cœpimus peccata plangere, iam diligendo quem cognoſcimus, non ceſſamus eum cum fletibus deſiderare. Poſt rotarum itaque uocem uox magnæ commotionis ſequitur: quia cùm teſtamenta dei in aure cordis ſonare cœperint, audientium ſpiritus ex amore compunctus ad lamenta commouetur. Hinc eſt enim quòd ſcripturæ ſacræ uerba fiunt in corde legentiũ ſapida. Hinc eſt enim quòd ab amantibus plerunq; in ſilentium quaſi furtiuè & tacitè leguntur. Vnde per prophetã quoq; alium dicitur: Præcidiſti in alienatione capita potentium, mouebuntur in ea gentes, adaperient ora ſua ſicut pauper edens in occulto. Omnipotens enim deus in alienatione capita potentium præcidit: quia Iudæorum ſuperbiam à ſemetipſo alienando repulit. In qua alienatione gentes motæ ſunt: quia dum Iudæi à fide caderent, ad cognitionem fidei corda gentilium cucurrerunt. Quæ uidelicet gentes in ſacræ lectionis pabulum os cordis aperiunt: & in occulto ſicut pauper comedũt: quia cum feſtinatione & ſilentio uerba uitę legentes ſumunt. Sed ſciendum eſt quia quanto auditores in charitate atq; intellectu proficiunt, tanto ſanctis prædicatoribus maior gratia ſpiritus dat̃. Vnde cùm prius propheta dixiſſet: Aſſumpſit me ſpiritus, & audiui poſt me uocem cõmotionis magnæ: poſt uocem cõmotionis magnæ alarum atq; rotarum, atq; iterum commotionis magnæ, ilico ſubiungit: Spiritus quoq; eleuauit me & aſſumpſit me.] Cur qui ſe aſſumptum iam à ſpiritu dixerat: iterum eleuatum & aſſumptum narrat? Sed ad altiora mens prædicantium proficit: cùm per eos ſenſus audientium ad omnipotentis dei deſiderium commouetur. Qui uidelicet prædicatores ſancti idcirco proficiũt, ut per eorũ miniſteri um dona gratię in ſancta Eccleſia multiplicentur ſicut de hac eadem ſancta Eccleſia dictum eſt: Riuos eius inebrians multiplica generationes eius, in ſtillicidijs ſuis lętabitur cum exorieť. Riui quippe Eccleſiæ ſanctæ prædicatores ſunt, qui terram noſtri cordis infundunt. Sed cùm inebriantur riui, generationes Eccleſiæ multiplicantur: quia cũ uberiorem gratiam ſpiritus prædicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quæ ſancta Eccleſia in ſuis ſtillicidijs lætat̃. In ſtillicidio etenim aqua de tecto in terram cadit, quæ de cœlo ceciderat in tectum. Tectum uero Eccleſiæ ſancti prędicatores ſunt, qui nos intercedendo & admonitionibus muniendo protegunt. Sed quia illorum cor diuinitus in prædicatione infunditur, quaſi aqua de cœlo uenit in tectum. Quia uerò nos eorũ uerbis irrigamur, quaſi aqua de tecto defluit in terram. Sancta itaq; eccleſia dum exorit̃, in ſtillicidijs ſuis lætatur: quia cùm in fide & bonis operibus naſcitur, ea quę accepit dona conſiderat, & in uerbis prædicantium exultat. Quia ergo auditoribus ad meliora ſurgentibus, eorum quoq; prædicatorib. gratia multiplicat̃, propheta dicit, Spiritus quoq; eleuauit me & aſſumpſit me.] Inde enim prædicator magis ac magis eleuatur & aſſumitur, unde auditor ad meliorem uitam mutatur. Sed quærendum nobis eſt, cùm ſpiritus mentem nõ eleuet niſi aſſumpſerit, cur prius eleuauit, & poſtmodum dicitur aſſumpſit? Sed hoc loco aſſumpſit dictum eſt, cõſtanter tenuit. Nam ſunt nõnulli quos eleuat ſpiritus, ſed nõ aſſumit. Quorum & intellectus ad ſpiritalia emicat, ſed tamen uita in factis carnalibus remanens, intellectui nõ concordat. Balaam nanq; per prophetię ſpiritum eleuatus erat, ſed aſſumptus non erat, quia & uera citer potuit longè pòſt futura proſpicere, & tamẽ à terrenis deſiderijs mentem noluit ſeparare. Sed quia propheta ſanctus ſcientia eleuatus eſt, & uita pariter aſſumptus: iam qualis in prædicationẽ pergat, audiamus: Et abij amarus in indignatione ſpiritus mei.] Penſate fratres chariſſimi, is cui dona ſancti ſpiritus creuerant, cur amarus abibat? An omne cor quod idem ſpiritus aſſumit, amarum in indignatione ſui ſpiritus facit? Vnde ſciendum eſt, quia cui adhuc præſens uita dulcis eſt, etiam ſi uerbum dei loqui uideatur, eleuatus & aſſumptus prædicator non eſt. Mentem enim quam ſpiritus ſanctus replet, in amaritudinẽ temporalium delectatione æternorũ cõmouet. Dulce em̃ eſt eſſe in rebus humanis, ſed ei qui adhuc de cœleſtibus gaudia nulla guſtauit: quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in tẽporalibus requieſcit. At ſi quis iam cordis ore guſtauerit quæ ſit illa dulcedo cœleſtium pręmiorum, qui illi hymnidici angelorum chori, quæ in cõprehenſibilis uiſio ſanctæ trinitatis: huic quanto illud dulce fit quod intus uidet, tanto in amaritudinem uertitur omne quod foris ſuſtinet. Rixatur ſecum de his quę malè egiſſe, ſe recolit, & ſibimetipſi

Num.11

metipsi displicet, cum ei ille placere iam cœperit qui omnia creauit. Reprehendit se de cogitationi bus, insequit de uerbis, & punit flendo de factis. Supernis inhiat, terrena iam omnia per mētis despectum calcat. Et quandiu illud quod desiderat, adhuc per speciem non habet, flere dulce habet, seseq; continuis lamentis affligere. Et quia necdū se esse in patria ad quam creatus est uidet, in huius uitæ exilio nil ei plus illud q̄ sua amaritudo placet. Dedignatur itaq; subiacere temporalibus, & ardenter suspirat æternis. Vnde recte quoq; per Eccls 1 Salomonem dicitur: Eo quòd in multa sapientia multa sit indignatio, & qui apponit scientiam, apponit dolorem. Cœlestia etenim cognoscētes, terrenis animū subdere dedignamur. Et dum plus sa pere incipimus de his quæ malè egim⁹, nobis ipsis irascimur, & fit in multa sapientia multa indignatio: quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de peruerso opere. Atq; cum scientia dolor crescit: quia quanto magis æterna cognoscimus, tanto magis esse nos in huius exilij miseria dolemus. Vel sicut in translatione alia dicit̄: Et qui addit scientiā, addit laborem. Quo enim scire incipimus quæ sunt cœlestia gaudia, eo magis ut errorū nostrorū laqueos possi mus euadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio: quia si æterna iam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si æterna iam sapimus, nosmetipsos despicimus egisse hoc q̄d nos potuit ab æternitatis amore separare. Reprehendit semetipsam cōscientia, accusat quod egit, damnat per pœnitentiā quod accusat, fit rixa in animo, parturiens pacem cum deo. Sic Achab rex iniquus à propheta reprehensus, cùm contra se diuinam sententiam audisset, pertimuit, & magno mœrore deprehēsus est, ita ut pro 3. Reg. 21 phetæ suo dñs diceret: Nónne uidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. In quibus domini uerbis pensandū est quomodo & in electis suis mœror amaritudinis placeat qui amittere timent dominum, si sic ei & reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præsens seculum? Aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit & in eis qui displicebant? Sed sciendum quia nullus hæc pro amore omnipotentis domini ex toto corde agere prævalet, nisi is cuius animum spiritus sanctus assumpserit. Nam quādo homo ex sua uirtute sufficiat terrena despicere, cęlestia amare, pacem cum deo quærere, secū rixam subire, in cogitatione semetipsum reprehendere, & gemitib. punire? Nullus hæc agere, nisi quem diuina gratia roborauerit, ualet. Vnde & subditur: Manus enim domini erat mecum, confortans me.] Ad bona quippe assurgere perfectè non possumus, nisi nos spiritus & præveniendo eleuet, & subsequendo confortet. Sed quærendum est cùm superius de uolumine quod acceperit scriptū sit: Et factum est in ore meo sicut mel dulce:] qua ratione postmodū dicit̄: Abij amarus in indignatione spiritus mei? Mirū quippe ualde est, si dulcedo simul & amaritudo conueniant. Sed iuxta superiorem sensum sciendum est, quia cùm sermo dei in ore cordis dulcis esse cœperit, huius proculdubio contra semetipsum animus amarescit. Quo enim in illo subtiliter discit qualiter reprehendere se debeat, eo se durius per amaritudinē pœnitentiæ castigat. Qui tanto sibi magis displicet, quanto in sacro uolumine amplius de omnipotēte deo uidet quod amet. Sed quia ad ista proficere sua uirtute non ualet homo, rectè nunc dicitur: Manus domini erat mecum, confortans me. Manus enim domini in sacro eloquio aliquando etiā unigenitus filius appellatur, quia omnia per ipsum facta sunt. Et de cuius ascensiōe per Moysen pater omnipotēs loquitur dicens: Tollam in cœlum manū meam. Hæc manus quæ electorū suorum corda confortat, discipulis dicebat: Sine me nihil potestis facere. In omni ergo quod cogitamus, semper cogitandum est ut & ipso aspirāte cogitemus: & ipso adiuuante faciamus. Qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus in secula seculorum. Amen. Ioan. 15

Homilia undecima.

TUeni ad transmigratiōnem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar: & sedi ubi illi sedebant, & mansi ibi septē diebus, mœrens in medio eorum. Cùm autem pertransissent septem dies, factum est uerbum domini ad me, dicens: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris: nō annunciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia & uiuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à uia sua impia: ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed & si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo. Ipse morietur, quia non annunciasti ei. In peccato suo morietur: & non erunt in memoriam iustitiæ eius quas fecit, sanguinem uerò eius de manu tua requiram. Si autē tu annunciaueris iusto ut non peccet iustus, & ille non peccauerit: uiuens uiuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

INter cætera prophetiæ miracula hoc quoq; mirandum habent libri prophetarum: quòd ſicut in eis uerbis res, ita nonnunquam uerba rebus exponuntur, ut eorum non ſolum dicta, ſed etiã res geſtæ prophetiæ ſint. Vnde nunc dicitur: Veni ad tranſmigrationem, ad aceruum nouarũ frugũ, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar.] Cùm cauſa exigeret ut indicare debuiſſet quia ad tranſmigrationem ueniret: quæ dicendi neceſſitas fuit, ut per fruges locum quoq; exprimeret dicens: Ad aceruum nouarũ frugũ: niſi quòd ſæpe per res & loca cauſæ ſignant? Multi quippe Ezechiele prophetante iam captiuitatis anni defluxerant, atq; ex his qui in captiuitatem ducti fuerant, plures iam in morte carnis obierant: ad quorum filios loqui propheta ueniebat. Vnde & ei ſuperius dicitur: Fili hominis, mitto ego te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me. Patres eorum præuaricati ſunt pactum meum uſque ad diem hanc, & filij dura ceruice & indomabili corde ſunt, ad quos ego mitto te. Ex quibus quia multi fuerant credituri, atque per obedientiam ad fertilitatem boni operis peruenturi, acerui frugum uocantur. Quia enim bonæ animę fruges appellantur dei, propheta alius teſtatur dicens:
Hiere.2 Sancti Iſrael domino primitiæ frugum eius. Fruges etenim domini etiam conuerſæ ad fidem gentes poſtmodum factæ ſunt. Sed quia prius Iſrael domino credidit, rectè hunc propheta frugum eius primitias appellauit. Quia ergo propheta miſſus non priori populo, ſed filijs eiuſdem populi uerba intulit: ad aceruum frugum nouarum uenit. Quid uero per Chobar fluuiũ deſignetur, iam diximus. Quæ nequaquàm modo repetimus, ne repetendo faſtidium generemus. Sequitur:
Et ſedi ibi ubi illi ſedebant, & manſi ibi ſeptẽ diebus mœrens in medio eorum.] Notandum, captiuo populo propheta ſanctus quanta compaſſione ſe copulat, eorumq; ſe mœroribus conſedendo & mœrendo coniungit: quia radix uerbi, uirtus eſt operis. Et ille ſermo ab audiente libenter accipitur: qui à prædicante cum compaſſione animi profertur. Sic ferrum cum ferro iungit, liquatur prius, ut poſtmodum uiciſſim à ſemetipſo teneatur. Si enim prius minimè molleſcit, poſtmodum tenere ſe fortiter non ſufficit. Sic propheta captiuo populo conſedit, & mœrens in medio eorum extitit: ut dum per charitatis gratiam condeſcendendo ſe molliorem redderet, & eum ſtatim per uerbi fortitudinem teneret. Sin uero Iſraeliticus populus, qui domus exaſperans uocatur, quia culpas nec inter flagella cognouit, nullo mœrore animum depreſſit: propheta inter gaudentes mœrens ſedere ſtuduit, ut tacendo oſtenderet quod loquendo uenerat docere. Et priuſquam uerba faceret, in hoc quod mœrẽs tacuit, formam uerborum ſumpſit. Sequitur: Cùm autem per tranſiſſent ſeptem dies, factum eſt uerbum domini ad me dicens:] In eo quòd ſeptem diebus mœrens ſedit: & poſt diem ſeptimum uerba dominicæ iuſſionis accepit, ut loqui debuiſſet: apertè indicat quia eiſdem diebus mœrens tacuerat. Miſſus autem ad prædicandum fuerat, & tamen ſeptem diebus ſedens tacebat. Quid eſt hoc quod nobis propheta ſanctus in hoc ſuo ſilentio innuit, niſi quia ille loqui ueraciter nouit, qui prius bene tacere didicerit? Quaſi enim quoddam nutrimentum uerbi eſt cenſura ſilentij. Et rectè per excreſcentem quoque gratiam ſermonem accipit: qui ordinatè ante per humilitatem tacet. Hinc enim per Salomonem dicitur: Tempus tacendi, & tempus loquẽdi. Non enim ait tempus loquendi, & tempus tacendi: ſed prius tacendi præmittit tempus & poſtmodum ſubdit loquendi: quia non loquendo tacere, ſed tacendo debemus loqui diſcere. Si ergo propheta ſanctus qui miſſus ad loquendum fuerat, diu prius tacuit, ut poſtmodum rectè loquereꝰ: penſandum nobis eſt quanta ei culpa ſit non tacere, quem nulla cogit neceſsitas loqui. Sequitur: Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael.] Notandum quod eum quem dominus ad prædicandum mittit, ſpeculatorem eſſe denunciat. Cui enim aliena cura committitur, ſpeculator uocatur: ut in mentis altitudine ſedeat: atque uocabulum nominis ex uirtute actionis trahat. Non eſt enim ſpeculator qui in imo eſt. Speculator quippe ſemper in altitudine ſtat, ut quicquid uenturum eſt, longè proſpiciat. Et quiſquis populi ſpeculator ponitur, in altum debet ſtare per uitam, ut poſsit prodeſſe per prouidentiam. Hinc propheta alius ſpeculatorem admonet dicens: Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Vt uidelicet qui prædicationis locum ſuſcipit, ad altitudinẽ bonæ aſcendat actionis. Ad excelſa tranſeat, & eorum qui ſibi commiſsi ſunt opera tranſcendat, quatenus ſubiectorum uitam tanto ſubtilius uideat, quanto & terrenis rebus quas deſpicit, animum non ſupponit. O quàm dura mihi ſunt iſta quæ loquor: quia memetipſum loquendo ferio: cuius neq; lingua ut dignum eſt prædicationem tenet, neque inquantum tenere ſufficit, uita ſequitur linguam. Qui ocioſis uerbis ſæpe implicor, & ab exhortatione atq; ædificatione proximorum torpens & negligens ceſſo. Qui in conſpectu dei factus ſum mutus & uerboſus, mutus in neceſſarijs, uerboſus in ocioſis. Sed ecce ſermo dei de ſpeculatoris uita compellit ut loquar. Tacere non poſſum, & tamen loquendo me ferire pertimeſco. Dicam, dicam, ut uerbi dei gladius etiam per meipſum ad configendum cor proximi tranſeat. Dicam, dicam, ut etiam contra me ſermo dei ſonet per me. Ego reum me eſſe non abnego, torporem meum atque negligentiam uideo. Erit fortaſſe apud pium iudicem impetratio ueniæ, ipſa cognitio culpæ. Et quidem in monaſterio poſitus, ualebam & ab ocioſis linguam reſtringere, & in intentione orationis penè continuè mentem tenere. At poſtquam cordis humerum ſarcinæ paſtorali ſuppoſui: colligere ſe ad ſemetipſum aſsiduè non poteſt animus: quia ad multa partitur. Cogor nanque modo Eccleſiarum, modo monaſteriorũ cauſas di-

Eccls 3

Eſa. 40

sas discutere. Sæpe singulorum uitas actusq; pensare. Modo quædam ciuiũ negocia sustinere, modo de irruentibus Barbarorum gladijs gemere: & commisso gregi insidiantes lupos timere. Modo rerum curam sumere, ne desint subsidia eisipsis quibus disciplinæ regula tenetur. Modo raptores quosdam æquanimiter perpeti: modo eis sub studio seruatæ charitatis obuiare. Cùm itaq; ad tot & tanta cogitanda, scissa ac dilaniata mens ducitur, quando ad semetipsam redeat, ut totam se in prædicatione colligat, & à proferendi uerbi ministerio non recedat? Quia autem necessitate loci sæpe uiris secularibus iungor, nonnunquam mihi linguæ disciplinam relaxo. Nam si in assiduo censuræ meæ rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior, eosq; ad hoc quod appeto, nunquã traho. Vnde fit ut eorum sæpe & ociosa patienter audiam. Sed quia ipse quoq; infirmus sum, in ociosis sermonibus paulisper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cœperam inuitus. Et ubi tædebat cadere, libet iacere. Quis ergo ego uel qualis speculator sum, qui non in monte operis sto, sed adhuc in ualle infirmitatis iaceo? Potens uerò est humani generis creator & redemptor, in digno mihi & uitæ altitudinem, & linguæ efficaciã donare, pro cuius amori in eius eloquio nec mihi parco. Esse ergo speculatoris uita & alta debet semper & circunspecta. Ne enim terrenarum rerum amori succumbat, alta sit: ne occulti hostis iaculis feriatur, ex omni latere circunspecta. Neque enim speculatori sufficit ut altè uiuat, nisi & loquẽdo assiduè ad alta auditores suos pertrahat, eorumq; mentes ad amorem cœlestis patriæ loquendo succendat. Sed tunc hæc rectè agit, cum lingua eius ex uita arserit. Nam lucerna quæ in semetipsa non ardet, eam rem cui supponitur non
Ioan.5 accendit. Hinc enim de Ioanne ueritas dicit: Ille erat lucerna ardens & lucens. Ardens uidelicet per cœleste desiderium, lucens per uerbum. Vt ergo seruetur ueritas predicandi, teneatur necesse est altitudo uiuendi. Vnde rectè quoq; sanctæ Ecclesiæ sponsi uoce in canticis Canticorum dici
Can.7 tur: Nasus tuus sicut turris Libani. Quæ ergo laus est fratres mei, ut sponsæ nasus turri comparetur? Quia per nasum semper odores fœtoresq; discernimus, quid per nasum nisi speculatorum discretio designatur? Qui nimirum nasus & sicut turris esse, & Libani dicitur: quia uidelicet præpositorum discretio & munita semper debet esse ex circunspectione, & in altitudine uitæ consistere, id est, in ualle infirmi operis non iacere. Sicut enim turris in monte idcirco ad speculandum ponitur, ut hostes qui ueniunt, longius uideantur, sic prædicatoris uita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores uitiorum, odoresq; uirtutum. Incursus malignorum spirituum longè prospiciat, & commissas sibi animas per suam prouidentiam cautas reddat. Sequitur: Et audies ex ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me.] Ecce iterum monetur propheta ne præsumat loqui quod non audierit, sed prius aurem cordis aperiat uoci creatoris, & postmodum os sui corporis aperiat auribus plebis. Vnde prophe-
Psal.47 ta alius dicit: Inclinabo ad similitudinem aurem meam, aperiam in Psalterio propositionem meam. Qui enim rectè prædicat, prius sicut dictum est, aurẽ cordis locutioni intimæ inclinat, ut postmodum os corporis in propositionem admonitionis aperiat. Sequitur: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris, neque locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. In quibus uerbis quid nobis notandum est, quid sollicite cogitandum, nisi quia nec subiectus ex culpa præpositi moritur, nec præpositus sine culpa est, quando uerba uitæ non audiens, ex sua culpa moritur subiectus? Impio etenim mors debetur. Sed & à speculatore uia uitæ nuncianda est, & eius impietas increpanda. Si uerò speculator taceat, ipse impius in iniquitate sua morietur: quia impietatis eius meritum fuit, ut dignus non esset ad quem speculatoris sermo fieret. Sed sanguinẽ eius dñs de manu speculatoris requirit: quia ipse hũc occidit, qui eũ tacẽdo morti prodidit. In quibus utrisq; pẽsandum est quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum: quia ubi subiectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo fratres charissimi, pensate: quia & quòd nos digni pastores non sumus, etiam ex uestra culpa est, quibus tales prælati sumus. Et si quando uos ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro hoc reatu est, quòd obsistentes atque reclamantes in prauis desiderijs non habetis. Vobis ergo & nobis parcitis, si à prauo opere cessatis. Vobis & nobis parcimus, quando hoc quod displicet, non tacemus. O quàm liber à commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat: Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium dei uobis. Si enim non annunciasset, mundus à sanguine non esset. Sed quibus omne consilium dei annunciare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua uoce nos conuenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes uocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoq; mortes addimus: quia tot occidim⁹, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes uidemus. Cùm uerò dicitur, Sanguinem autem eius de manu tua requiram, si hoc in loco sanguinis nomine mors corporis designatur, ualde nobis de nostro silentio auget metus: quia si in subiectis suis is qui prælatus ad speculandũ est, & de morte corporis quã doq; morituri tam grauiter reus tenet, quo reatu de morte animę subiecti cõstringit, quę potuisset semper uiuere, si uerba correctionis audisset? Sed melius possunt sanguinis nomine peccata signari. Vnde quidam cum peccata carnis deflere, dixit: Libera me de sanguinibus deus, deus salutis
Psal.50 meæ. Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur: quia peccatum subditi culpa esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

præpoſiti ſi tacuerit rep utatur. Eſt ergo quod fa-
ciat ut etiam moriente ſubdito ſe lib erum red-
dat. Surgat, inuigilet, malis actibus contradicat, ſi
Prou.6 cut ſcriptum eſt: Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum
tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormi-
tent palpebræ tuæ. Vnde hic quoque additur: Si
autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit
conuerſus ab impietate ſua, & à uia ſua impia, ipſe
quidem in impietate ſua morietur, tu autem ani-
mam tuam liberaſti. Tunc enim ſubiectus mori-
tur ſine re, quando in cauſa mortis contradictorē
pertulerit te. Nam morti cui non contradicis, ad-
iungeris. Et notandum quæ ſunt quæ debeant à
ſpeculatore prædicari. Nimirum fides & opera-
tio. Nam ait: Si autem tu annunciaueris im-
pio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua,
& à uia ſua impia.] Impietas quippe ad infideli-
tatem pertinet, uia uerò impia ad prauam actio-
nem. Et omnis ſpeculator hoc habere debet ſtu-
dij, ut prius ad pietatem fidei, poſtmodum ad pi-
am uiam, ideſt, ad bonā actionem trahat. Sed quia
de exhortatione ſermo ſe intulit, innoteſcere bre-
uiter debemus, in ore paſtoris quantus eſſe debe-
at ordo, atq; conſideratio locutionis. Penſare ete-
nim doctor debet, quid loquat̄, cui loquat̄, quan
do loquatur, qualiter loquatur, & quantum loqua
tur. Si enim unum horū defuerit, locutio apta non
erit. Scriptum quippe eſt: Si rectè offeras, rectè au
tem non diuidas, peccaſti. Rectè autē offerimus
cū bono ſtudio bonū opus agimus. Sed rectè nō
diuidimus, ſi habere diſcretionem in bono opere
poſtponamus. Cōſiderare etenim debemus quid
Col.5 loquamur, ut iuxta Pauli uocē ſermo noſter ſem-
per in gratia ſale ſit conditus. Penſandum uerò no
bis eſt cui loquamur: quia ſæpe increpationis uer-
bum quod hæc admittit perſona, altera non ad-
mittit. Et ſæpe ipſa eadem perſona ſecundum fa-
2.Reg.12 ctum ſit altera. Vnde Nathan propheta Dauid
poſt adulterium forti increpationis ſententia per-
cuſſit. Qui cùm de raptore ouis diceret: Filius
mortis eſt uir qui fecit hoc, ei protinus reſpondit
dicens: Tu es ille uir. Cui tamen cùm de Salomo-
nis regno loqueretur: quia culpa defuit, ei ſe humi
liter in adoratione proſtrauit. In una ergo eadem-
que perſona quia cauſa diſpar extitit, etiam ſermo
prophetícus diſſimilis fuit. Penſandum quoque
eſt quando loqui debeamus, quia ſæpe etſi differ-
tur increpatio, poſtmodum benignè recipitur. Et
nonnunquam langueſcit, ſi hoc quod ante profer
1.Reg.25 ri debuit, tempus amiſerit. Nam & ſapiens mulier
Nabal ebrium uidens, increpare de culpa tenaciæ
noluit, quem digeſto uino increpationis ſuæ uer-
bis utiliter percuſſit. Et propheta adulantium lin-
guas nō eſſe in ſubſequenti tempore differendas
Pſal.40 annunciat, qui ait: Confundantur ſtatim erube-
ſcentes, qui dicunt mihi, euge euge. Adulatio
etenim ſi uel ad tempus patienter ſuſcipitur, auge
tur, & pauliſper demulcet animum ut à rigore ſuę
rectitudinis molleſcat in delectatione ſermonis.
Sed ne creſcere debeat, ſtatim eſt, & ſine mora fe-
rienda. Penſandum quoque nobis eſt, qualiter lo-

quamur. Nam ſæpe uerba quæ hūc ad ſalutem re-
uocant, aliū uulnerant. Vnde Paulus quoq; Apo-
ſtolus qui Titum admonet dicens: Argue cum o-
mni imperio: Timotheum exhortatur dicens: Ar
gue, obſecra, increpa cum omni patientia & do-
ctrina. Quid eſt quòd uni imperium, & alij patien
tiam præcepit, niſi quòd unum lenioris, alterum
uerò feruentioris ſpiritus eſſe cōſpexit? Leni per
authoritatem imperij iniungenda erat ſeueritas
uerbi, is autem qui per ſpiritum feruebat, per pa-
tientiam temperandus fuerat: ne ſi plus iuſtò in-
ferueſceret, non ad ſalutem uulnerata reduceret,
ſed ſana uulneraret. Curandum quoq; quantum
loquamur, ne ſi ei qui multa ferre non ualet, per
uerbum uel exhortationis uel increpationis lon-
gius trahimus, auditorem noſtrum ad faſtidium
perducamus. Vnde idem prædicator egregius
Hebræis loquitur, dicens: Obſecro uos fratres ut Heb.13
ſufferatis uerbum ſolatij. Etenim perpaucis ſcri-
pſi uobis. Hoc tamen infirmis præcipuè congru-
it, ut pauca quidem & quæ prævalent capere au-
diant, ſed quæ eorum mentem in pœnitentiæ do-
lorem compungant. Nam ſi eis uno in tempore
exhortationis ſermo fuerit multipliciter dictus:
quia multa retinere non ualent, ſimul amittunt
omnia. Vnde & medici corporum pannos quos
infirmantibus ſtomachis ponunt, apto quidem
medicamine, ſed ſubtiliter liniūt: ne ſi repleti mul
to medicamine fuerint, infirmitatē ſtomachi non
roborantes adiuuent, ſed opprimentes grauent.
Sciendum tamen quia etſi quando modum ſuum
ſermo prolixior tranſeat, periculoſum hoc audito
ribus non eſt. Si autem qualiter quid dicatur, &
quibus dicatur, non uigilanter conſpicitur, ualde
periculoſum eſt. Verecundæ etenim mentes ſi
quas fortaſſe culpas admiſerint, leniter arguendæ
ſunt: quia ſi aſperius increpentur, franguntur po-
tius quàm erudiuntur. At contrà mentes aſperæ
atque impudentes, ſi increpatæ leniter fuerint, ad
maiores culpas ipſa lenitate prouocantur. Quod 1.Cor.1
bene in eodem egregio prędicatore diſcimus, qui
cùm Corinthios cognoſceret pro amore perſona
rum in ſchiſma diuiſos, eorum uerecundiæ conſu
lens, locutionem ſuam eis à gratiarum actione &
laudibus cœpit, dicens: Gratias ago deo meo ſem
per pro uobis, in gratia dei quæ data eſt uobis in
Chriſto Ieſu: quia in omnibus diuites facti eſtis in
illo, in omni uerbo & in omni ſcientia, ſicut teſti-
monium Chriſti confirmatum eſt in uobis. Qui
adhuc adiungit & dicit: Ita ut nihil deſit uobis in
ulla gratia, expectantibus reuelationem domini
noſtri Ieſu Chriſti. Quęſo te Paule, ſi iam nihil de-
eſt, cur eis ſcribendo fatigaris? cur in longinquo
poſitus loqueris? Penſemus ergo fratres chariſsi-
mi quantum laudat. Ecce eis gratiam dei datam
aſſerit, factos in omnibus diuites dicit, in omni
uerbo & in omni ſcientia: Chriſti teſtimonium, id
eſt, quod de ſemetipſo moriendo & reſurgendo
teſtatus eſt, in eorum uita confirmatum eſſe per-
hibet, & nihil eis deeſſe in ulla gratia teſtat̄. Quis
rogo credat, quia paulopoſt eos corripiat quos

ita lau-

ita laudat? Nam post cætera subiungit: Obsecro autem uos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & nō sint in uobis schismata. Quod enim potuit tam perfectis tamq; laudabilibus schisma surrepere? Significatum enim est mihi de uobis fratres mei, ab his qui sunt Cloes, quia cōtentiones inter uos sunt. Hoc autem dico quod unusquisq; uestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego uerò Cephæ, ego autem Christi. Ecce quos in omni uerbo & in omni scientia laudauerat, quibus nihil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens ad increpandum leniter uenīēs, diuisos erga seipsos reprehendit. Et quorum prius salutem narrauerat, postmodum uulnera patefecit. Peritus enim medicus uulnus secandum uidens, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpauit, & subitò percussit. Prius blāda manu laudes posuit, & postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim uerecundæ mentes fuerint palpando reprehensæ, ita ut ex alijs rebus audiant quod in consolationem sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt. Sed nunquid mentitus est Paulus, ut prius eis nil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse? Absit hoc ut quis de illo talia uel desipiēs credat. Sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, & erant quidam in personarum fauoribus excisi, cœpit à laudibus perfectorum, ut modesta inuectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum. Et in hoc quoq; ad medicinam cordis, à medicina corporis usum trahens. Nam cùm ferendum uulnus medicus aspicit, prius ea membra quæ circa uulnus sana sunt palpat, ut pòst ad ea quæ uulnerata sunt, leniter palpando perueniat. Cùm ergo Paulus perfectos in Corinthijs laudauit, sana membra iuxta uulnus tetigit. Cùm uerò infirmos de diuisione reprehendit, uulnus in corpore percussit. Videamus tamen hunc ipsum qui tanta modestia atque mansuetudine ad corripiendos Corinthios ducitur, qualiter contra Galatas, qui à fide discesserant, erigitur. Nulla enim modestia in exordio inuehendo redarguit. Nam præmissa salutatione sic cœpit: Miror quòd sic tam cito transferimini ab eo qui uos uocauit in gratia Christi. Quibus etiam in aperta increpatione post cætera subiungit: O insensati Galatæ, quis uos fascinauit? Mentes etenim duræ nisi aperta essent increpatione percussæ, nullo modo malum cognoscerent quod egissent. Nam sæpe hi qui impudentes sunt, tantum se peccasse non sentiunt, quantum de peccatis quæ fecerunt, non increpantur. Minores culpas suas æstimant, quas minor inuectio castigat. Et quas uehementer obiurgari uiderint, maiores esse deprehendunt. Vnde necesse est ut semper sermo prædicantis cum auditorum debeat qualitate formari, ne aut uerecundis aspera, aut impudentibus lenia loquatur. Quid autem mirum si hoc uerbi dei erogator faciat, cùm & agricola qui semina in terram mittit, prius terræ qualitatem præuidet, quibus seminibus apta uideatur, & postquā qualitatem terræ uiderit, tunc semina aspergit? Sed qui de qualitate doctrinæ locutionem longius traximus, oportet ut ad eum quem cœpimus exponendi ordinem redeamus. Sed etsi conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annunciasti ei. In peccato suo morietur, & non erunt in memoriam iustitiæ eius quas fecit, sanguinem uerò eius de manu tua requiram.]

Quia iusto qui in peccato cadit, prædicator tacuit, eius sanguine reus tenetur. Et qui sollicitus esse non studuit in prædicatione, factus est particeps in damnatione. Sed cùm dicitur, In peccato suo morietur, & non erunt in memoriam iustitię eius quas fecit, hoc nobis maximè considerandum est, quia cùm mala cōmittimus, sine causa ad memoriam bona nostra transacta reuocamus, quoniam in perpetratione malorum, nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum. Sed quæri potest utrum iusto postquam ceciderit prædicādum sit, an & priusq; cadat? Inuigilare prædicator debet, ne ad casum ueniat proculdubio & priusq; cadat. Nam sequitur: Si autem tu annunciaueris iusto, ut non peccet iustus, & ille non peccauerit, uiuēs uiuet, quia annūciasti ei: tu autem animam tuam liberasti.] Si ergo prædicator ideo animam suam liberauit, quia iusto ne peccaret denūciauit, cùm iustus ad peccatum prædicatore tacente cecidit, prædicator quia tacuit, reus tenetur. Sed quis nostrum rogo ad hæc sufficiat, ut nō solum peccatores studiosè corripiat sed etiam iustis inuigilet ne cadant? Nos enim infirmitatis nostræ cōscij, cùm iustos uiros conspicimus, admonere eos non præsumimus, ut iustitiæ uiam teneant, quam quia tenent uidemus, & tamē prædicatoris est debitum etiam iustos admonere. Vnde prædicator egregius dicebat: Sapientibus & insipientibus debitor sum. In his uerò omnibus quæ de iusto ad iniquitatem conuerso dicta sunt, hoc est laboriosum ad loquendum, hoc ualde pertimescēdum quod dominus dicit: Ponam offendiculum coram eo. Ait enim: Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Nos enim dicimus, quia si iniquitatem fecerit, offēdit: & uerum est omnino quod dicimus. Cur adhuc ei deus omnipotens offendiculum ponet, quē iam impiè egisse, & cecidisse per iniquitatē quā perpetrauerat, conspicit? Sed districta sunt omnipotentis dei iudicia. Et qui peccatorem diu expectat ut redeat, nō redeunti atq; contemnēti ponit adhuc ubi grauius impingat. Peccatū quippe quod per pœnitentiam citius nō deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul et pœna peccati. Omne enim quod prius cōmittitur, peccatū est. Sed si citius pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens deus obligatam peccatis mētem etiam in culpam alterā permittit cadere, ut qui flēdo et corrigendo noluit mūdare ꝙd fecit, peccatū incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitētiæ lamēto nō diluitur, peccatū simul est & causa

Rom. 1

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccati: quia ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum uerò quod ex peccato sequitur, peccatum simul est & pœna peccati: quia excrescente cęcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi iam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa uitiorum. Fit uerò nonnunquam ut unũ idemq; peccatum & peccatum sit, & pœna peccati, simul & causa peccati. Ponamus enim ante oculos quempiam rem proximi concupisse, quam quia aperte non ualuit, furto diripuit, sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse iureiurando denegauit. Huic ergo concupiscentia peccatum fuit & causa peccati: quia per eam peruenit ad rapinam. Ipsum uerò furtum quo rem concupitam diripuit, & peccatum ei factum est & pœna peccati: quia ex retributione iam non repressæ concupiscẽtiæ factum est ut ueniret ad furtum, & culpa cordis excresceret in opere & ultione cæcitatis. Sed quia furtum periurio tegere curauit, ex peccato rursum peccatum genuit. Furtum ergo quod ex concupiscentia processit, & periurium pertulit, peccatũ & pœna peccati factũ est culpæ præcedenti: peccatũ & causa peccati culpæ subsequenti: quia de illa natũ hanc genuit. Quod bene Paulus de quibusdã deum intelligentibus, sed non honorantibus insinuat dicens: Cùm cognouissent deum, non sicut deum glorificauerũt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Ecce est peccatum & causa peccati. Ex qua causa quid sequatur adiungit: Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicẽtes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrũ, & quadrupedum, & serpentium. Ecce est peccatum solummodo. Et pœna peccati esset, si non adhuc ex hoc peccato & aliud sequeretur. Nam post infidelitatem eorum subditur: Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Quia igitur cognoscẽtes deum non sicut deum glorificauerunt, ex eo peccato & causa peccati ad hoc quoq; perducti sunt, ut ad cultũ serpentium & uolucrum laberẽtur. Sed quia per hanc etiam cæcitatem usq; ad immũditiam & carnis contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui & peccatum est & pœna peccati: subsequenti uero immũditiæ peccatum factum est & causa peccati. Sed quia de his in libris moralibus diu tractatum est, nobis nunc in eis diutius immorandum non est. Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quo modo iustus & omnipotens deus cùm præcedentibus peccatis irascitur permittit ut cæcata mens etiã in alijs labaẽ. Vnde Moyses ait: Nondum completa sunt peccata Amorrheorũ. Dauid quoq; ait: Appone iniquitatẽ super iniquitatẽ ipsorũ, ut nõ intrent in iustitia tua. Propheta etiam alius dicit: Maledictum & mendacium, & homicidiũ, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit. Sanguis eñ sanguinẽ tãgit, quando peccato peccatum additur, ut ante dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus Apostolus ait: Vt impleant peccata sua semper. 1. Tim. 5 Ioanni quoq; per angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Apoc. ult. Vnde nunc etiam dominus dicit: Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatẽ, ponã offendiculum coram eo. Ac si apertè dicat: Quia uidere pœnitendo noluit ubi iam impingit, iusto eum iudicio deserẽs, ponã ei ut & alibi impingat. Quod tamen domini ponere, est nequaquam ad peccandũ premere, sed nolle à peccato liberare, sicut de Pharaone dicit: Ego indurabo cor eius. Nõ enim cor peccãtis dominus obdurat: sed obdurare dicitur, cùm ab obduratione nõ liberat. Misericors enim deus tempus nobis ad pœnitentiã relaxat, sed cùm eius gratiæ patientiã nos ad augmentum uertimus culpæ, hoc ipsum tempus quod ad parcendũ piè dispositum, districtius ad feriendũ uertit: ut quia reuerti quis etiam spatio temporis acceptõ noluerit, per hoc mala sua ad reatũ augeat, p quod ea diluere potuit, si cõuerti uoluisset. Vnde scriptũ est: Ignoras quoniã benignitas dei ad pœnitentiã te adducit? secundũ duritiã aũt tuã & cor impœnitens thesaurizas tibi irã in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei. De benignitate ergo omnipotentis dei iram sibi in die irę reprobus thesaurizat: quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibeẽ, ipsum remediũ gratiæ uertit in augmentum culpæ. Vnde & omnipotens deus quia collata remedia conspicit ad culpę augmentum trahi, ipsam benignitatem quam cõtulit, in iudicij districtionẽ uertit, ut inde post amplius feriat unde modo amplius expectat. Et quia homo deserere malum nõ uult ut uiuat, auget unde moriatur. Sed siue iustus in culpa, siue peccator in morte corruat, speculatori timendum est ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter involuat. Sed interim dum loquor, auertere à memetipso oculos uolo, & ecce iterũ sermo diuinus me impingit in memetipsum, ut meam negligentiam uideam, & mihi dici hæc quæ audio pertimescam. Sicut enim superius dixi, cuius cor in curis innumeris expersum se ad se colligat? Quando etenim possum & ea quæ circa me sunt sollicitè omnia curare, & memetipsum adunato sensu conspicere? Quando possum prauorum nequitias insequendo corrigere, bonorum actus laudando & admonendo custodire, alijs terrorem atq; alijs dulcedinem demonstrare? Quando ualeo & de his quæ sunt necessaria fratribus cogitare, & contra hostiles gladios de urbis uigilijs sollicitudinẽ gerere, ne incursione subita ciues pereãt prouidere, & inter hæc omnia pro animarum custodia plenè atq; efficaciter uerbum exhortationis impendere? Loqui etenim de deo, quietæ ualde & liberæ mentis est. Tunc nanq; bene lingua dirigit in sermone, cùm securè sensus quieuerit in tranquillitate: quia nec concussa aqua imaginem respicientis reddit, sed tunc in ea uultus intendentis aspicitur, cùm non mouet. Quam ergo exhortationẽ uobis

Rom. 1

Gen. 15
Psal. 68
Osee 5

Rom. 2

speculator

ſpeculator ueſter fratres chariſſimi faciat, quē tot rerū cōfuſio perturbat? Certè is de quo loquimur propheta reuelatione ultima templū uidens, quæ in eodem templo conſpexerit, inter cætera narrat dicens: Terra uſq; ad feneſtras, & feneſtræ clauſæ. 1.Cor.3 Paulus quoq; apoſtolus dicit: Templū enim dei ſanctū eſt, quod eſtis uos. In hoc aūt templo feneſtræ ſacerdotes & ſpeculatores ſunt, qui in populo fideliū lumen ſanctæ prędicationis fundunt. Sed cùm terra uſq; ad feneſtras eſt, feneſtræ clauſæ ſunt: quia cum terrena cogitatio in ſacerdotum cordib. excreſcit, feneſtræ lumen nō fundūt: quia ſacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt. Eſt & aliud ualde in ordine ſacerdotū graue: quia nō ſicut hi qui uitā quietam ac remotā ducunt, fixi ualent in ſua cogitatione permanere. Hi enim, ſicut ſuperius diximus, qui à loco regiminis longè ſunt, poſſunt peccatorū ſuorum culpas & fletibus lauare, & poſt fletus in eodē mentis mœrore perſiſtere, ſicut de bona quoq; muliere ſcriptū eſt, quę ad tabernaculū orauerat, & ab intentione ſua animū poſt compunctionis gratiā non 1.Reg.1 mutauit, cùm dicitur: Vultusq; eius non ſunt amplius in diuerſa mutati. In qua nobis cōſiderandū eſt: quia ſi ſic planxit mulier quæ quærebat filiū, quomodo debet plāgere anima quæ quærit deū? Sacerdos uerò etiā poſt compunctionē ac lachrymas cogitur neceſſaria quoq; filiorū ſuorū cognoſcere, & ea quæ refugit animo, patienter audire, atq; poſt ſuſpiria cœleſtiū, quorumlibet carnaliū hominū onera portare, & ſæpe cum ſuperuenientibus cor in diuerſa qualitate transfundere. Nam aliquando de lucris ſpiritalibus gaudet, ſed cùm quilibet mœrēs ſuperuenerit, nili eius mœrorem in ſe ſuſceperit, tribulationi illius compatiēs non eſt. Et aliquando de damnis animarum luget, & repentè ſuperueniunt qui de quibuſdam ſuis proſperitatibus lætantur. Quorum ſi lætitiæ ſacerdos non congaudet, minus amare creditur filios in quo- Rom.12 rum gaudio non exultat. Præcipuè cùm Paulus dicat: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentib. Nihil ergo tam oneroſum in ordine ſacerdotum uideo, quàm rigorem mentis compatiendo flectere, & cum perſonis ſuperuenientibus animū mutare, & tamen hoc ualde eſt neceſſariū. Nam quando ex prædicatione eius ad boni operis gratiam peccator reducitur, ſi ipſe prædicator uidetur in- Exod.28. 29 gratus? Vnde per hūc quoq; eundem prophetam Leuit.11 in extrema parte dicit: Et cùm ſacerdotes intrinſecus miniſtrant, ueſtibus laneis non utantur. De quibus ſubditur: Cunq; egredientur atrium exterius ad populum, exuent ſe ueſtimenta ſua in quibus miniſtrauerant, & reponent ea in gazophylacia ſanctuarij. Groſſiora quippe ueſtimenta ſunt lanea. Sed cùm ſacerdos ad ſanctū miniſterium accedit, id eſt, cùm intus per compunctionem ingreditur, ſubtiliori intellectu neceſſe eſt quòd ipſe quaſi lineo ueſtimento ueſtiatur. Sed cùm ad populum foras egreditur, oportet ut ueſtimenta in quibus intrinſecus miniſtrauerat, reponat, atq; populo alijs ueſtib. indutus appareat. Quia ſi in compunctionis ſuæ rigore ſe teneat, ſi in eo quem orationis tempore habuit mœrore perduret, exteriorum uerba ſuſcipere nō admittat. Et quid grex de neceſſarijs faciat, ſi audire atq; perpēdere, & hoc quod præſens tēpus exigit, paſtor recuſat? Groſſiora ergo ueſtimenta ſacerdos exiens ante populum induat, ut mentis ſuæ habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda cōponat. Penſate ergo fratres chariſſimi, quantus ſpeculatori labor ſit & ad ſublimia cor tendere, & hoc repentè ad ima reuocare, & in ſublimitate cognitionis intimæ extenuare animum, & propter exteriores cauſas proximorum, ut ita dicam, ſubitò in cogitatione craſſeſcere. Non ergo mihi modo neceſſe eſt prophetæ uerba exponere, ſed meam corā uobis miſeriam deflere. Vnde peto ut ueſtra me oratio talem faciat, qualis & mihi ualeā & uobis prodeſſe. Potēs eſt indigno mihi & infirmo ex ueſtra interceſſione iſta tribuere, qui ex ſua pietate pro nobis dignatus eſt infirmari. Virtus ēm dei eſt atque ſapiētia, quæ noſtram infirmitatem ſumpſit, ut ex ſua nos infirmitate roboraret Ieſus Chriſtus dominus noſter. Qui uiuit &c.

Homilia duodecima.

ET facta eſt ſuper me manus domini, & dixit ad me: Surgens egredere in cāpū & ibi loquar tecū. Et ſurgens egreſſus ſum in campū: & ecce ibi gloria domini ſtabat, quaſi gloria quā uidi iuxta fluuiū Chobar, & cecidi in faciē meā. Et ingreſſus eſt in me ſpiritus, & ſtatuit me ſuper pedes meos, & locutus eſt mihi, & dixit ad me: Ingredere, & includere in medio domus tuę. Et tu fili hominis, ecce data ſunt ſuper te uincula, & ligabunt te in eis, & nō egredieris de medio eorū: & linguā tuā adhærere faciā palato tuo, & eris mutus, nec quaſi uir obiurgās: quia domus exaſperans eſt. Cùm autē locutus fuero tibi, aperiā os tuū, & dices ad eos: Hęc dicit dominus deus. Qui audit, audiat, & qui quieſcit, quieſcat: quia domus exaſperās eſt. Et tu fili hominis, ſume tibi laterē, & pones eū corā te, & deſcribes in eo ciuitatē Hieruſalē. Et ordinabis aduerſus eā obſidionē, & ædificabis munitiōes, & cōportabis aggerē, & dabis cōtra eā caſtra, & pones arietes in gyro. Et tu ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te & inter ciuitatem, & obfirmabis faciem tuā ad eam, & erit in obſidionem & circundabis eam. Signum eſt domui Iſrael.

SEruata ueritate hiſtorię, diuina eloquia aliquā A
do ex tēpore, aliquando ex loco cauſas deſi-
gnant, quas aperto ſermone non indicāt. Ex tem-
pore etenim, ſicut prędicante Iudæis domino per
Ioan.10 Euangeliſtam dicitur: Hyems erat. Inter illa enim
myſteria quę ueritas loquebatur, quę cauſa fuit ut
nomē hyemis adderetur, niſi ut per qualitatē tem
poris oſtenderet frigus cordis? quia & cùm uerba
ueritatis acciperēt, frigida Iudæorū corda remane
bant. Aliquando uero ex loco, ſicut carnali Iſraeli
Exod.19 tico populo deſcendēte de mōte, Moyſi lex in cā-
Matt.5 peſtrib. data eſt, & ſanctis Apoſtolis dominus in
monte ſedens, ſumma & ſpiritalia prędecepta locu-
tus eſt: ut ex locis uidelicet mōſtraretur, quia & il
lis tanquā carnalibus mandata minima dabantur B
in ualle terrarum: & iſti tanquam ſpiritales & ſan-
cti in mōte mandata cœleſtia audirent: quatenus
apertè monſtraretur quòd aſcēdentes corde ad cę
leſtia, infirma mundi relinquerent, & in mētis cul
mine ſtarent. Vnde nūc Ezechiel propheta quid
iubēte deo in locis egerit deſcribit, ut per locorū
qualitatem indicet quid in poſterum de prophetę
myſterijs ſequeretur. Ecce enim ait: Facta eſt ſu
per me manus domini, & dixit ad me: Surgens e-
gredere in campū, & ibi loquar tecum.] Quid eſt
hoc ꝙ prius dominus in medio Iſraelitarum locu-
tus ad prophetam ſuum fuerat, & tamen poſtmo-
dum dicit: Egredere in cāpum & ibi loquar tecū:
niſi quòd prophetiæ ſuę gratiā & prius Iudęæ in-
fundere, & hanc poſtmodum dignatus eſt in lati-
tudine gentium demōſtrare? Neq; enim immeri-
to per campum gentilitas deſignatur, quæ lōge la
teq;, id eſt, in uniuerſo mūdo diffēditur. Vbi & ſub
ditur: Et ſurgens egreſſus ſum in campū, & ecce
gloria domini ſtabat, quaſi gloria quā uidi iuxta
flumen Chobar.] In campo gloriam domini pro-
pheta uidit, quam iuxta flumē Chobar in medio
Iſraelitarum uiderat: quia ipſa eius maieſtas genti
bus apparuit, quæ prius ſe electis in Iudaico popu
lo reuelante ſpiritu declarauit. Sequitur: Et ce-
cidi in faciem meam.] Viſa gloria domini in faciē
ſuam propheta cadit, quia quāuis homo ad intelli
genda ſublimia eleuetur, ex cōtemplatione tamē
maieſtatis dei, infirmitatē ſuæ conditionis intelli-
git. Et quaſi ſtatū nō habet, qui ſe ante dei oculos D
eſſe cinerē & puluerem uidet. Sequit: Et ingreſ-
ſus eſt in me ſpiritus, & ſtatuit me ſuper pedes me
os.] Cùm nos humiliter deo ſternimus, cùm eſſe
nos puluerem cineremq; cognoſcimus, cum infir
mitatem cōditionis propriæ penſantes, ſtatū rigi-
ditatis & ſuperbiæ non habemus, omnipotēs de-
us per ſuum nos ſpiritum leuat, & ſuper pedes no
ſtros ſtatuit: ut qui humiliter apud nos ex infirmi
tatis noſtræ cogitatione iacuimus & iacemus, in
bono pòſt opere quaſi ſuper pedes ex rectitudine
ſtemus. Quod cur in cāpo de propheta agitur, ni-
ſi ut ſpecialiter deſignetur, quia etiā electis gētiū
ſpiritus ſāctus dandus eſſet: qui eos quos aſſume-
ret, & prius à ſuperbiæ ſuę ſtatu deijceret, & poſt-
modum ſuper pedes ſuos, id eſt, ſuper bona opera
ſolidaret: ſicut per Paulum dicitur: Remiſſas ma-
nus & diſſoluta genua erigite, & greſſus rectos fa
cite pedibus ueſtris. Sequitur: Et locutus eſt mi
hi, & dixit ad me: Ingredere & includere in medio
domus tuæ.] Quid eſt quòd de medio Iſraelitici
populi propheta ad campum educitur, atq; ad do
mum poſtea de campo reuocatur: niſi quòd prędi
cationis gratia à Iudaico populo ablata, in latitu-
dine gentilitatis aſperſa eſt? Sed tamen quia in fi-
ne mūdi Iudæi ad fidem redeūt, quaſi ad domum
propheta reducitur: ut in ſuo populo rurſus præ-
dicatio inhabitet, quæ modo uelut in campo ita
diuerſis gentibus fulget. Scriptū quippe eſt: Do-
nec plenitudo gentium ſubintraret, & ſic omnis Rom.11
Iſrael ſaluus fieret. Quia & per prophetam alte- B
rum dicitur: Si fuerit numerus filiorū Iſrael quaſi Oſee.1
arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Exeat ergo pro-
pheta de medio populi ad cāpū, de cāpo redeat ad
domū: ut prædicatio quæ Iudææ facta eſt, egredia
tur inter gentes, & repletis fide gentibus, recipiat
Iudæa ſpiritalis doctrinæ dona quæ amiſit. Inclu-
di autem propheta in medio domus ſuæ præcipi-
tur: quia antichriſti tempore ab eis gentibus quæ
in infidelitate remanſerint, plebs conuerſa Iudæo
rum, duris perſecutionibus coangueſtatur. Vnde Apoc.11
ſcriptum eſt: Atrium autem quod eſt extra tem-
plum, eijce foras, & ne metiaris illud: quoniam da
tum eſt gentibus, & ciuitatem ſanctam calcabūt
menſibus quadraginta duobus. Et tu fili homi- C
nis, ecce data ſunt ſuper te uincula, & ligabunt te
in eis, & non egredieris in medio eorum, & lin-
guam tuam adhæreſcere faciā palato tuo, & eris
mutus, nec quaſi uir obiurgans: quia domus exa-
ſperans eſt.] Quæ uidelicet uerba ſi per typicæ
expoſitionis ordinem ſequimur, propheta in do-
mo ſua uincula ſuſcipit & ligatur: quia in ex-
tremis cùm Iudæa crediderit, grauiſſimas anti-
chriſti tempore perſecutiones ſentit, ut prædica-
tiones eius, miniſtri iniquitatis non recipiant, ſed
reſiſtendo has uinculis dolorum premant. Et in
medio eorum non egreditur: quia ad corda pra-
uorum prædicatio non peruenit, dum lingua bo-
norum ligata tribulationibus tacet. Erunt etenim
tunc multi ex Iudæis infidelibus, qui eoſdē ipſos
D qui ex Iudæis crediderint, perſequentur. Vnde &
notandum eſt quòd hic quoque dicitur: quia in
domo ſua uincula propheta ſuſtineat, ut uidelī-
cet deſignetur, quoniam ex ipſo ſuo genere Iu-
dæa cùm fidelis fuerit, tribulationem perſecutio-
nis portet. Dum enim unigenitus ſummi patris
incarnatus ac mortuus reſurrexiſſe, atque ad cœ-
los aſcendiſſe non creditur, ſicut per ſacræ ſcriptu
ræ paginas prædicatur, nimirū apud eos prophe-
tia ligata erit. Quæ ſi ita ut dicta eſt, in eorū intel-
lectū decurreret, quaſi greſſus liberos ſuæ prædi-
cationis habuiſſet. Reprobis ergo tūc prædicato-
rum ſciētia tacere cōpellitur. Vnde & hic ſubdit:
Et linguā tuā adhæreſcere faciā palato tuo, & eris
mutus, nec quaſi uir obiurgans: quia domus exa-
ſperās eſt.] Sed quia Enoch & Helia prędicante,
multi

multi ex his qui tunc ex Iudæis in infidelitate remanserint, ad cognitionē ueritatis redeūt, sicut de eodem Helia dicitur: Helias ueniet, & ipse restituet omnia, qui utriq; per Zachariam duæ oliuæ, & per Ioannē duo candelabra nominantur, recte hic quoq; subiungitur. Cùm aūt locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos, Hæc dicit dominus deus.] Tūc em̄ uelut in extremo os prophetæ aperitur, cùm in prædicatione Enoch & Heliæ Iudæis ad fidem redeuntibus, prophetia sacri eloquij de Christo fuisse cognoscit̄. Sed quia hæc typicè diximus, nunc uerba eadem charitati uestræ moraliter disseramus. Quid enim est quòd exire propheta ad campum iubetur, nisi quòd unusquisq; qui prædicat, propter eos quos extra se positos corrigit, atq; ab iniquitate compescit, loquendo ad campum exit, ibiq; gloriam domini uidet? Quia tanto largius doctrinæ gratiam percipit, quanto se in labore prædicationis ex amore proximorum tēdit. Foras ergo exeundo in altam uisionem ducitur, quia unde in alienis cordibus ignorantiæ cæcitatem ministerio suæ locutionis illuminat, inde eum superna gratia in altiorem intelligentiam exaltat. Sed quia semper prædicator debet ad mentem recurrere, humilitatem atque mundítiam intrinsecus custodire, post campum necesse est ut ad domum redeat, quatenus in his quæ dicit, qualis etiam ipse sit intra conscientiam agnoscat. Si enim aut hoc quod loquitur minimè custodit, aut de his quæ loquitur, temporalem gloriam requirit, loquendo quidem ad campum exit, sed non cogitando semetipsum, ad domum redire contemnit. Accepto etenim spiritu, in medio domus includimur, quando per eius gratiam ad discutienda mentis nostræ secreta reuocamur, ut apud seipsum in deo animus quiescat, & non iam per exteriores concupiscentias in appetitu laudis & gloriæ, cogitationis mobilitate discurrat. De hac domo cordis cuidam sanato per semetipsam ueritas dicit: Tolle grabbatū tuum, & uade in domū tuam. Per grabbatū quippe, in quo carnis est requies, ipsa caro signatur. Per domum uerò conscientia figuratur. Et quia cùm mente mortui in uitijs iacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cùm uerò sanati fuerimus mente, ut iam pulsantibus carnis uitijs resistamus, necesse est ut & tētationū cōtumelias de nostra carne tolerem⁹. Ægro itaq; ad salutē reducto præcipitur: Tolle grabbatū tuū, id est, porta lectum in quo portatus es: quia necesse est ut sanatus quisq; portet cōtumeliam carnis in qua prius iacebat ęgrotus. Quid est ergo dicere: Tolle grabbatum tuum, et uade in domum tuam, nisi, porta tentationes carnis in quibus hactenus iacuisti, ac reuertere ad conscientiam tuam, ut uideas quæ feceris? Propheta itaq; post campum in domo includi præcipitur, ut prædicator post gratiam doctrinæ quam proximis ministrat, ad conscientiam redeat, seq; ipsum subtili examinatione discutiat, ne de his quæ foris prædicat, aliquid ipse apud se intrinsecus transitorię laudis quærat.

Mat.17 Zach.4 Apoc.11

Ioan.5 Mar.2

A Vnde & per Salomonem dicitur: Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Diriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Valde autē contraria esse uidentur quæ dicit: Diriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas diuide, cùm protinus adiungit: Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Quomodò enim aquam scientiæ solus habere poterit, si hanc in plateis diuidit? Quomodo alieni aquæ eius participes non sunt, si fontes illius foras diriuantur? Sed cùm prædicamus populis, nimirum in plateis aquas diuidimus, quia in auditorum multitudinē scientię uerba dilatamus. Cùm uerò nos adiuuante diuina gratia intrinsecus custodímus, & ne maligni spíritus, qui iure à B nobis alieni sunt, quia sortem beatitudinis perdiderunt, nobis in elatione surripiāt, sollicitudine cauta circumspicimus, soli habemus aquas quas in plateis diuidimus, ut nobis in eis alieni participes non sint. Hi nimirum, de quibus scriptum est: Alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam. Aquas ergo & in plateis diuidit, & solus habet, qui per hoc quod multis prædicat, se in cogitatione tēporalis gloriæ nō exaltat. Tūc enim possidet homo q̄d docet, quando se nō gaudet innotescere, sed prodesse. Ex cāpo ergo propheta ad domū reducit̄, ut is qui ex deo loquitur, postq; pro utilitate proximorum loquendo foras exierit, ex humilitate semper ad discutiēda cordis C sui secreta reuocet̄. Vnde & subditur: Et tu fili hominis, ecce data sunt super te uincula, & ligabunt te in eis, & nō egredieris in medio eorum.] Cùm em̄ prędicator quisq; ad conscientiā domus suæ reducitur, super eo uincula dantur, & ligatur in eis: quia quanto plus se in cogitatione discusserit, tanto amplius agnoscit iusti anima quātis mortalitatis suæ infirmitatib. sit ligata. Nisi em̄ se ligatum cōspiceret Paulus, minimè dixisset: Desiderium habēs dissolui, & cum Christo esse. Hinc per Psalmistam dicitur: Vt audiret gemitum uinculatorū, & solueret filios interemptorū. Et rursus: Intret in cōspectu tuo gemitus cōpeditorum. Sæpe autem cùm iam anima ad redemptoris sui speciem contemplandā exire desiderat, cùm cœlestí D bus gaudijs interesse suspirat, ipsa mortalitatis suę uincula cōspicit & gemit, quib. adhuc in præsenti mundo ligata retinetur. Hinc est enim quod subtile omnipotentis dei iudicium intuens Hieremias ait: Circumædificauit aduersum me ut non egrediar, aggrauauit cōpedem meam. Habemus enim compedes, ipsam infirmitatem atq; corruptionē mortalitatis nostrę, sed cū tribulatio nobis & gemitus additur, ipsæ nostræ compedes aggrauantur. Et quidem quandiu in hac uita iustus mores patitur loquendo bona, prodesse alijs festinat, sed cùm duras mentes conspicit, easq; considerat contentionibus occupari, prædicationis uerbum retinet. Et in medio eorum non egreditur, quia à bonis quæ loqui poterat, obmutescit, sicut per Paulum dicit̄: Nihil per cōtentionem. Et rursus: Si quis uult contētiosus esse, nos talem cōsuetudinem

Prou.5

Psal.53

Psal.66

Psal.101

Phil.2

1.Cor.11

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem non habemus: Vnde hic quoq; aptè subiungitur: Et linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo, & eris mut⁹, nec quaſi uir obiurgãs: quia domus exaſperans eſt.] Aliquãdo uerò etiam cõtra reſiſtentium linguas prædicantium corda zelo ſui dominus accendit ne taceãt, ſed dicta fallacium uerbis ueritatis premant. Vnde hic ſubdit: Cùm autem locutus fuero tibi, aperies os tuũ, & dices ad eos, Hæc dicit domin⁹ deus.] Sed hæc quæ breuiter ſub duplici intellectu diſcuſſimus, placet ut iuxta cõſiderationem literæ leuiter tangendo trãſeamus. Quid eñ nobis amplius per ipſa uerba hiſtoriæ quàm uirtus obediẽtiæ commẽdatur? cùm modo ad tranſmigrationem iuxta fluuium Chobar pergere, modo ad campum egredi, ex campo ad domum redire propheta præcipitur? ut prius ex iuſſione pergens, & paulopoſt exiens, atq; iterum domum rediẽs, & ſemetipſum recludens, ſemper ſuæ uoluntatis arbitrium ad diuini eloquij præceptum frãgat, quatenus in cœleſti iuſſione ſuſpenſus, nõ ſuam, ſed conditoris ſui uoluntatem impleat. Cui dicitur: Et tu fili hominis, ecce data ſunt ſuper te uincula, & ligabunt te in eis, & nõ egredieris in medio eorum.] Qua in re notandum eſt q̃ aduerſa propheta prænoſcit, ut contra omnia paretur. Minus eñ mala contra mentem præualent, quæ inopinata nõ ueniũt, & tamen dum contraria prænoſcuntur, quãta ſit in eo obedientiæ uirtus oſtenditur, qui & cognoſcit q̃ aduerſa paſſurus eſt, & tamen uoci dominicæ inobediens nõ eſt. Magna enim conſideratione indigent uerba quæ protinus adduntur: Et linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi uir obiurgans: quia domus exaſperans eſt.] Diſcernendum quippe nobis eſt, utrum pro ſolis malis auditorib. an aliquando etiam pro uitio prædicantis, prædicationis ſermo ſubtrahatur. Quatuor eñ qualitatib. res hæc conſiderata diſtinguitur. Nam aliquando propter malos auditores bonis tollitur ſermo doctoribus. Aliquando uerò pro bonis auditoribus datur ſermo doctorib. & malis. Aliquando autem propter docentium atq; audientium iuſtificationem, bonis doctorib. datur, ut & ipſi per meritum creſcãt, & auditores eorum in intellectu & uita proficiãt. Aliquando uerò quia nec hi digni ſunt accipere quibus doctrinæ ſermo profertur, neq; illi doctrinæ uerbum proferre qui locum docendi tenent, prædicationis ſermo tollitur, ut utraq; pars diſtrictè iudicetur. Propter malos nanq; auditores bonis ſermo doctorib. tollitur, ſicut nũc ad Ezechielem dicitur: Linguam tuam adhæreſcere faciã palato tuo, & eris mutus, nec quaſi uir obiurgãs, quia domus exaſperans eſt.] Et ſicut Paulo dicitur: Feſtina & exi uelociter ex Hieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me. Et ſicut uolentibus Apoſtolis prædicare in Aſia, ſcriptũ eſt: quia prohibuit eos ſpiritus leſu. Propter bonos auditores etiã malis doctoribus ſermo datur, ſicut de Phariſæis dominus dicit: Omnia quæ cũq; dixerint uobis, ſeruate & facite, ſecũdum ue-

Act.16

Mat.23

A rò opera eorũ nolite facere, dicunt eñ, & nõ faciunt. Propter docentium quoq; meritũ, & audientium iuſtificationem, ſermo doctrinę tribuitur, ſicut ſuis Apoſtolis dicit: Euntes docete omnes gẽtes. Propter malos uerò auditores & indignam uitam eorum qui docere debuerant, ſermo doctrinæ ſubtrahitur, ſicut Heli ad corrigendos filios diſtrictæ increpationis uerbum nõ habuit: quia & eius negligẽtia, & filiorum exigebat uita, ut cum eis & popul⁹ caderet, & arca domini capta ad Allophylos tranſiret. Magna eñ omnipotentis dei eſt gratia cùm iniquè agentib. durus à doctoribus ſermo increpationis profertur. Quo contra nunc dicitur: Et eris mutus, nec quaſi uir obiurgãs.] Mat.15

1. Reg. 3. & 4.

B Delinquẽtes etenim obiurgaſſet, ſi digni ipſa obiurgationis gratia fuiſſent. Sed cũ in doctrina atq; ſilentio ſit meritorum tãta diuerſitas, ut ſciri facilè nõ poſſit utrum ex auditoris, an ex eius uitio qui doctrinæ locũ uideẽ tenere, docẽdi ſermo ſubtrahatur, quid aliud nobis cẽ ſeruari ſemper in rebus dubijs humilitas iubetur? ut quãdo loqui poſſumus, non extollamur, ne fortaſſe hæc ipſa locutionis noſtrę gratia nõ nobis ſed auditoribus noſtris collata ſit. Et rurſus quando loqui non poſſumus, hi qui nobis commiſſi ſunt, minimè nos dijudicẽt ne fortaſſe nõ ex noſtro, ſed ex peccato audiẽtiũ loqui minimè poſſimus. Ad hoc ergo nobis cuncta de meritis noſtris incerta ſunt, ut unã certam gratiã teneamus humilitatẽ, quatenꝰ & nos cùm

C loquimur, ex omnipotẽtis dei dono hoc eſſe ueſtrum meritũ putemus. Et quãdo à locutione doctrinæ obmuteſcimus, quãuis noſtra ſit, uos tamẽ hãc eſſe ueſtrã ſpecialiter credatis, ut cũ uiciſſim mala nobis tribuimus, & bona alijs, per ipſam humilitatis gratiã fiat ut doctrinæ ſermo qui ablat⁹ fuerat, redeat. Sequitur: Cùm autẽ locutus fuero tibi, aperies os tuũ, & loqueris ad eos. Hæc dicit dominus deus: Qui audit, audiat, & qui quieſcit, quieſcat: quia domus exaſperans eſt.] Sæpe quidam uerbum dei audire deſiderant, ſed dum alios conſpiciunt aurem auertere, etiam ipſi à ſalutis auditu deuiant. & plerunq; multi quieſcere appetunt, atque cunctis mundi huius actibus uacare, nullis iam deſiderijs terrenis ſuccumbere:

D ſed dum uident alios inquietè agendo proficere, atque in hoc mundo diuitijs & honoribus extolli, quia necdum in uia rectitudinis firmi ſunt, ad praua opera ex aliorum exẽplo delabuntur. Hinc eſt enim quod in typo infirmantium Pſalmiſta loquens dicebat: Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelatus ſum in peccatoribus, pacem peccatorum uidens. Hinc iterum dicit: Dum ſuperbit impius, incendit pauper. Hinc ad Hieremiam prophetã uoce dominica de Iuda & Iſrael dicitur: Nunquid uidiſti quæ fecerit auerſatrix Iſrael? Abijt ſibimetipſa ſuper omnem montem excelſum, & ſub omne lignum frõdoſum, & fornicata eſt ibi. Et dixi cùm feciſſet hæc omnia, ad me cõuertere, & nõ eſt reuerſa. Vbi ſtatim ſubdit qualiter ex æmulatione eius etiã Iuda cecidit, qui ſtare uidebat. Ait enim: Eruidit

Pſal.77

Pſal.9

Hier.3

præuari-

præuaricatrix soror eius Iuda, quia pro eo quòd mœchata esset auersatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij, & nō timuit præuaricatrix Iuda soror eius, & abijt & fornicata est etiā ipsa. Ecce misericors deus contēnit & uocat, auersantibus se sinū misericordiæ aperit: quia peccanti dicit: Ad me conuertere, & tamen nō est cō uersa. Sed quia omnipotentē deum plebs Israelitica deseruit, reuerti nolens, libellum repudij accepit. Deseruit uidelicet peccando, sed libellum repudij accepit in suis iniquitatibus sine flagello remanendo. Anima eñ quæ peccat, recedit. Sed si eam post peccatū prosperitas sequitur, nulla disciplina, nulla districtiōis increpatio, reuocat ad cor diuisionem quam inter se & dominū fecit. Etiam libellum repudij accipit, ut iam uelut aliena derelicta faciat mala quę uult, zeli dei flagella non sentiat, quatenus ad æterna supplicia profundius descendat. Sed soror eius Iuda qm̄ dimissam Israelitica plebem in suis uoluptatibus uidit, ipsa quoq; in immūditia fornicationis exarsit. Quia enim aspexit adulteram in sua peruersitate florere, etiā ipsa non timuit deterius peccare, atq; à cōiunctione dñi quasi à uiri legitimi cubili recedere. Vnde necesse est ut peccantes quosq; tunc cōsideremus amplius miseros, quādo eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. Hinc enim per Salomonem dicitur: Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui enim à deo auertitur, & prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quāto à zelo disciplinæ inueniturꝰ alienus. Dicatur ergo: Qui audit, audiat, & qui quiescit, quiescat: quia dominus exasperans est.] Ac si aperte diceretur: Vos qui iam & uerba ueritatis audire, & à praua cœpistis actione quiescere, nolite illos imitari, quorum me exasperari moribus uidetis. Quod tamen intelligere & aliter possumus. Quidam enim uerbum audientes nō audiunt: quoniam aures ad sacrum eloquium ponunt, sed cor à mundi desiderijs non euellunt. Et sunt nonnulli qui quiescentes minimè quiescunt: quia à prauis quidem actibus ocioſi sunt corpore, sed peruersitates operum ex delectatione uersant in mēte. Hinc est eñ quod de ludęa Thren.1 ad captiuitatem perueniente scriptum est: Viderunt eam hostes, & deriserūt sabbata eius. Hostes quippe sabbata derident, quando maligni spiritus ocioſę menti prauas cogitationes inijciunt, ut & si quiescit ab opere, non quiescat à malorum operum delectatione. Rectè ergo nunc dicitur: Qui audit, audiat: quatenus sic fiat sermo in ore corporis, ut sonet in aure cordis. Et qui quiescit, quiescat: ut prauitatis desideria repellantur à cogitatione, cum iam repulsa uidentur ab opere. Vbi ne malorum, sicut diximus, exempla sequantur, adiungitur: Quia domus exasperans est.] Mali autem & si diu tolerātur, subito corruunt, & eorum pœnas infirmi cōspiciunt, ne quorum culpas impunitas existimant, imitentur. Vnde hic quoq; eiusdem ludææ desolatio subiungitur, quæ domus exasperans uocatur, cùm protinus prophetæ suo dominus dicit: Et tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum cōtra te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ędificabis munitiōes, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pone eam in murū ferreum inter te & ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & circumdabis eam, signū est domui Israel.] In quibus uidelicet uerbis quid aliud iuxta historiam, nisi Hierosolymæ urbis obsessio atq; destructio designatur, & peccatoris populi afflictio exprimitur? Qui domus exasperans uocatur, cùm apertè dicitur: Ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis cōtra eam castra, & pones arietes in gyro.] Sed quia uerba prophetiæ sic plerunq; narrant historiam, ut per hæc etiā mystica describant, oportet ut hæc eadē dicta quę protulimus historialiter, etiam spiritaliter differamus, maximè quia in eis interponitur quod teneri posse ad literam non uidetur, cùm dicitur: Et tu sume tibi sartaginē ferreā, & pones eam in murum ferreum inter te & ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem.] Nisi enim rebus historicis mystica miscerentur, quid sartago ferrea necessaria prophetæ fuit, ut hāc inter se & ciuitatem poneret, quatenus ab eius obsidione separaretur? Cùm enim dicitur: Sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murū ferreū inter te & ciuitatem, apertè declaratur quia per eandem sartaginem ferreā ab obsidione ciuitatis propheta se liberum reddat. Vnde & quod prædixit subiungitur: Et obfirmabis faciem tuā ad eam, & erit in obsidionem.] Ex qua re ostēditur quia propheta in eadem obsidione nō erit, si sartaginē ferreā inter se & ciuitatem murum ferreum ponit. Et certè siue in ea captiuitate, siue in ea quæ postmodum Israelitico populo cōtigit, nullus ab eiusdem captiuitatis periculo liber fuit, sed omnes simul par calamitas inuoluit. Quid ergo intelligi iuxta literā potest, ut propheta inter se & ciuitatē quæ obsidēda est, sartaginē ferreā ponat? Sed quā uis omne hoc quod in descriptiōe lateris sub signo Hierosolymorū ciuitatis legit, iuxta literā factum sit, nobis tamē sciēdum est quia typicum aliquid per sartaginem figurat, & obsessio Hierosolymorū uera describit. Quare instruimur ut dū aliud completum iuxta historiam scimus, & aliud iuxta allegoriam à ratione uacare cognoscimus, quatenus & obsessionē Hierosolymorū, quæ iuxta literā postmodū facta est, in prophetę uerbis & factis credamꝰ esse figuratā, & tamē per eādē obsidionē, obsidio alia, idest, interior designat. In qua iure quærimus quid per sartaginē ferreā, quę murus ferreus dicit, ualeat designari. Illā itaq; obsidionem qua Hierosolymorum ciuitas destructa est, iam factam nouimus, sed nunc aliam intrinsecus quæ quotidie agit requiramus. De qua per significationem dicitur: Et tu fili hominis, sume tibi laterē, & pones eum corā te, & describes in eo ciuitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

uitatem Hieruſalē.] Sed antè nobis inquirēdum eſt cur Ezechiel ꝓpheta uel quoties ſublimia cōſpicit, uel quoties agere aliqua myſtica iubet, prius filius hominis appellatur? Sæpe enim ſubleuatur ad cœleſtia, & occultis ac inuiſibilibus rebus eius mens paſcitur. Neceſſe ergo eſt ut inter occulta quæ penetrat, filius hominis uocetur, ut ſemper agnoſcat quod eſt, & nunquam extollatur de his ad quæ ducit. Quid eſt enim prophetæ ad ſpiritalia ſubleuato ſemper fili hominis dicere, niſi ei infirmitatis propriæ memoriam facere? ut cōſcius conditionis infirmæ, eleuari in cogitatione nō debeat de magnitudine cōtemplatiōis ſuæ. Quia uerò idem propheta, ut ſupra iam diximus, typū prædicantium uel doctorum tenet, rectè ei nunc dicitur: Sume tibi laterem, & pones eum corā te. Omnis enim doctor cùm terrenum quempiā auditorem ad cœleſtis uerbi doctrinam ſuſcipit, laterem aſſumit. Cui dum loqui cœperit quæ ſit retributio cœleſtis patriæ, quæ uiſio pacis ſuperne, ciuitatem Hieruſalem deſcribit in latere. Quem coram ſe ponit: quia intēta mente qualitatem audientis cōſiderat, id eſt, profectum uel defectum cōſpicit, & iuxta eiuſdem intelligētiam, prædicationis ſuæ uerba moderatur, ut deſcribi in audientis mēte ciuitas Hieruſalem, id eſt, uiſio pacis poſſit. Dicatur ergo: Sume tibi laterem, uidelicet proximi cor terrenum. Pones eum coram te, ſcilicet ut uitam atq; intellectum illius intenta mente cuſtodias. Et deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalē, ut ei quæ ſint ſuperna gaudia de uiſione pacis innoteſcas. Quaſi enim iam Hieruſalē in latere deſcripta eſt, cùm terrena mens cœperit quæ ſint illa internæ pacis gaudia uera cognoſcere, & ad conſpiciendam gloriam patriæ cœleſtis anhelare. Quaſi interna uiſio pacis deſcribitur, quādo mēs quæ prius terrena ſapuerat, per amorem iam ad cōtemplandam gloriam regni cœleſtis eleuat. Sed mox ut animus amare cœleſtia cœperit, mox ut ad uiſionem pacis intimæ tota ſe intentione collegerit, antiquꝰ ille aduerſarius qui de cœlo lapſus eſt inuidet, & inſidiari amplius incipit, & acriores q; conſueuerat tentationes admouet, ita ut plerunq; ſic reſiſtentem animam tentet, ſicut antè nunquā tentauerat quādo poſſidebat. Vnde ſcriptum eſt:
Eccls 2 Fili, accedēs ad ſeruitutem dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.
Vnde & dæmoniacus qui à domino ſanat, ab exe
Mar. 9 unte dęmone diſcerpitur, ſicut ſcriptum eſt: Et clamans & multum diſcerpēs eum, exijt ab eo. Quid eſt enim quod obſeſſum hominem antiquus hoſtis quem poſſeſſum non diſcerpſerat, deſerens diſcerpſit, niſi quòd plerunq; dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quàm prius excitauerat quando hoc quietus poſſidebat?
Vnde & Iſraelitæ quoq; ad Moyſen & Aaron di-
Exod. 5 cūt: Videat dominus & iudicet quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius, & præbuiſtis ei gladiū, ut occideret nos. In Moyſe enim & Aaron lex & prophetæ figurati ſunt. Et ſæpe apud ſe infirmus animus quaſi cōtra ſacra eloquia murmurat: quia poſtquam uerba cœleſtia audire & ſequi cœperit, regis Ægyptij aduerſitas, id eſt, maligni ſpiritus tentatio excreſcit. Debet ergo uigilanter doctor proficientis animæ quæ illam tentationes ſequantur innoteſcere, ut cautam ſe ualeat contra maligni ſpiritus inſidias prępărare. Vnde bene nunc poſt deſcriptam ciuitatē Hieruſalem in latere, dicitur prophetæ: Et ordinabis aduerſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerē.) In qua enim iam pacis uiſio deſcribitur, ei neceſſe eſt ut tentationum bella nuncientur. Nam ut ualeat ad illa pacis gaudia æterna perringere, hāc hic proculdubio oportet tribulationum certamina multa ſuſtinere. De qua bene dicitur: Ordinabis aduerſus eam obſidionem. Prædicatores quippe cōtra erudiendam animam obſidionem ordinant, cùm præmonendo indicant quibus ſe modis uitia uirtutibus opponant, quomodo luxuria caſtitatem feriat, qualiter ira tranquillitatem animi perturbet, quantum inepta lætitia uigorē mentis reſoluat, qualiter multiloquium munitionem cordis deſtruat, quomodo inuidia charitatem interficiat, quemadmodum ſuperbia arcem humilitatis effodiat, qualiter fallacia cùm ueritatē in ſermone corruperit, hanc etiam in cogitatione corrumpat, ut qui uerum dicere noluit quod intellexit, iam nec intelligat quod dicere ualeat. Ordinatur erga prædicatorē obſidio, cùm per ſanctæ admonitionis uerba ſingulis quibuſq; uirtutib. quæ uel quibus modis uitia inſidientur oſtenditur. Et contra Hieruſalem, quam deſcribit in latere, prędicator munitiones ædificat, quando mala quęq; quàm munita contra mētem ueniāt, demonſtrat: ut ſeſe uitia ſub uirtutum ſpecie abſcondant, quatenus, ſicut ſæpe iam diximus, immoderata ira iuſtitia uideri appetat, & diſciplinæ remiſſio, manſuetudo uideri uelit, & tenacia ſeſe parſimoniam nominet, & inordinata rerum effuſio ſe beneuolentiam appellet. Quaſi enim ædificatę cōtra mētem munitiones ſunt, quando uitia ſub uirtutum ſpecie excreſcunt, & in alto ſe oſtendunt per imaginem, quæ in imo iacent ſemper per actionem.
Adhuc quoq; additur: Et comportabis aggerem.] Quo enim mens deſiderare cœleſtia cœperit, eo in illam maligni ſpiritus tentationibus ſuis terrenas amplius cogitationes exaggerant. Propheta ergo aggerem comportat, cùm prædicator ſanctus bonis mentibus qualiter terrena deſideria ſurrepere ſolent denunciat. Atq; adhuc additur:
Et dabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro.] Quaſi dat contra animā doctor caſtra, quādo malignorum ſpirituum contra eam collectas atq; adunatas inſidias indicat, ut aliquando nō ſolummodo ex uno, ſed ex coniunctis uitijs ſimul tentent. Nam ſunt quædam uitia quaſi per quandam ſibi cognationem propinqua, ſicut diſſolutio ſpiritus, appetitus gulæ, & immunditia luxuriæ, ſicut multiloquium, fallacia, atq; periurium. Ex diſſolutione quippe ſpiritus mens ad ingluuiē uentris rapitur. Et dum cibis uenter extenditur,

ad lu-

ad luxuriam caro trahitur superbiẽdo captiua. Et rursum ex multiloquio fallacia generat̃, quia ualde difficile est ut qui multa loquitur, non etiã mẽtiatur. Et sæpe mendaciũ etiã periurio tegitur, ut ante humana iudicia ueletur. Superbia quoq; esse sine inuidia atque inani gloria nullatenus potest. Superbus etenim quisq; honorẽ quẽ ipse ambit, alijs inuidet. Et cùm hunc fortasse obtinuerit, in elationem gloriæ temporalis attollitur, atq; quod alios conspicit minimè percipere potuisse, hoc se per inanem gloriam gaudet præ cæteris habere. Sciendum quoq; est quia sæpe nonnulla uitia ad mentem non simul ueniunt, sed supponuntur, ut unum alteri in tentatione succedat. Et aliud cõtra faciem uenit, aliud uerò in tentatione se ex latere B subijcit, quatenus dũ alteri resistit̃, ab altero mẽs decepta capiat̃. Ipsa enim quæ superius diximus uitia, plerunq; se alia pro alijs furtiuè supponunt, sicut nõnunquam dum iram uincere in nobismet ipsis conamur, plusquam necesse est lenitas mentem occupat, ut asperitatem peccãtibus quam oportet minimè proponat. Sæpe uerò dum nobis inesse incauta lenitas displicet, zelus se in furorẽ trahit, atq; extra patientiæ limitem animum captiuum rapit. Quia ergo permixta uitia atq; adunata contra mentem ueniunt, rectè in prædicatoris ore contra descriptam Hierusalem castra proponuntur. Et quia aliquando singula hinc inde sensum feriunt, in gyro arietes ordinantur. Ponit ergo prædicator arietes in gyro, dum caute denun- C ciat quàm blande luxuria percutit, quàm asperè impatientia occîdit, quàm laboriosè auaritia accendit & interimit, quàm tumide superbia extinguit. In gyro itaq; arietes ponere, est prædicando ostendere qui undiq; soleant animam mucrones uitiorum ferire. Sequitur: Et tu sume sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te & inter ciuitatem.] Quia ferrum forte metallum est, & in sartagine cibus frigitur, quid per sartaginem ferream, nisi spiritalis zeli fortis frixura signatur? Omnis quippe spiritalis zelus doctoris animã frigit, quia ualde cruciatur dum infirmos quosq; eterna deserere, & rebus temporalibus delectari conspicit. Quàm bene Paulus sartaginem ferream sumpserat, cùm zelo animarum cruciatus dicebat: Quis infirmat̃, & ego non infirmor? 2.Cor.12 quis scandalizatur, & ego non uror? Ipsum suum cor quod animarum zelo succenderat, quid aliud quàm sartaginem fecerat, in quo amore uirtutum contra uitia ardebat? Quòd enim urebatur, sartago erat. Inardescebat enim & coquebat: quia incendebatur amaritudine, sed uirtutum alimenta preparabat ex sua afflicta cogitatiõe. Sed quid est quòd eandem sartaginem propheta inter se & ciuitatẽ murum ferreum ponit, nisi quòd idem fortis zelus qui nunc in mẽte doctoris agitur, in die extremi iudicij inter eum & animam quam à uitijs zelatur, testis est? ut etsi audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo quem exhibet, de auditoris negligentia reus non sit. Murum ergo ferreum inter se & ciuitatem ponit: quia ultionis tempore inde doctor à damnationis periculo munit̃, unde nunc per zelum custodiæ cordis frixuram patit̃. Nullum quippe omnipotenti deo tale est sacrificiũ, quale est zelus animarũ. Hinc em̃ Psalmista ait: Zelus domus tuę comedit me. Quã- Psal. 68 tum uerò frixura cordis quæ spiritali zelo agitur, omnipotentem dominũ deum placat, apertè ostenditur, cùm offerri per legem simila in sacrificium iubetur. De qua scriptum est: In sartagine o- Leuit. 6 leo cõspersa frigetur, offeretq; eam calidã in odorem suauissimum domino sacerdos qui patri iure successerit, & tota cremabitur in altari. Tũc enim simila in sartagine frigit̃, cùm mũda mens iusti per zelum sancti amoris crematur. Quæ conspergi oleo præcipitur, id est, charitati misericordiæ misceri, quæ in conspectu omnipotentis domini ardet & lucet. Conspergatur ergo oleo mens quę in sartagine frigitur: quia in sancti zeli districtione necesse est, ut ex misericordię uirtute & ardeat & clarescat. Amat enim eundem ipsum quẽ insequi uidetur. Vnde & calida in odorem suauissimum domino offerri præcipitur: quia si amorem zelus nõ habet, ea quæ de sartagine offertur, calorẽ simila amisit. Et notandum quis eam offerre præcipitur, uidelicet sacerdos qui patri iure successerit. Ille enim sacerdos patri iure succedit, qui esse se omnipotentis domini filium demonstrat moribus, atque à nobilitate intima, operum suorum ignobilitate non discrepat. Quæ in altari tota cremari præcipitur, ut uidelicet holocaustũ fiat. Holocaustum enim totum incensum dicimus. Vnde & in translatione altera hoc in loco hæc eadem simila quæ in sartagine frigitur, holocaustum fieri iubetur. Hoc autem inter holocaustum & sacrificium distat: quia omne quidem holocaustum sacrificiũ est, non omne sacrificium holocaustum. Sunt em̃ multa bona quæ aguntur sacrificia, sed holocaustum non sunt: quia totam mentem in amore spirituali minimè incendunt. Qui enim sic operãtur ea quæ dei sunt, ut tamẽ & quædã quę sunt seculi nõ relinquant, nimirum sacrificiũ & non holocaustũ offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt deserunt, & totam mentem igne diuini amoris incendunt, hi nimirũ omnipotenti domino sacrificium D & holocaustum fiũt. Simila itaq; in sartagine, est munda mens iusti in zeli spiritalis afflictione, quę per sollicitudinem animarum frigitur, & non solum sacrificium, sed etiã holocausiũ domino esse deputatur. Sumamus ergo sartaginem ferreã, & ponamus eam murum ferreum inter nos & ciuitatem, id est, assumamus zelum fortem, ut inter nos & auditoris nostri animã inueniamus hanc postmodum fortem munitionem. Tunc enim hũc murum ferreum inuenturi sumus, si nunc eum fortiter tenemus, uidelicet docendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquãdo uerò etiam seuerius agendo. De qua seueritate rectè subditur: Et obfirmabis faciem tuã ad eam, & erit in obsidionem.] Quid est obfirmare faciem ad Hierusalem in latere descriptã, nisi ut ei animæ cui cœlestis pacis uisionẽ

Holocaustum quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

doctor denunciat, si adhuc eam infirmari in suis actibus conspicit, remissiorem & clementiorem se minimè ostendat? Vnde scriptum est: Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Infirmæ quippe animæ atq; appetitui mundi deditæ, aliquãdo melius ex seueritate seruantur: ut obstirmata facies, ideſt, per seueritatis custodiam ab omni spe friuolæ remissionis abducta, inconstantem animam terreat, atq; à delectatione uitiorum districtionis uigore constringat. Quod cùm à doctore agitur, semper necesse est ut dulcedo & humilitas in corde teneat, quatenus & multum amet, & nunquã contra eum per elationem superbiat, cui tamẽ amorem suum & humilitatem pro utilitate eius prodere recusat. Sequitur: Et circundabis eam.] Circundat doctor auditoris animam cùm in omne quod in hac uita agitur, tentationum laqueos apponi posse denunciat: ut dum ubiq; sit mens pauida, ubiq; circunspecta, quanto timidior, tanto uigilantior uiuat. Sequitur: Signum est domui Israel.] Si ad historiam obsidionis quæ iuxta literam facta est, signum est domui Israel quod propheta fecit. si ad mysteriũ, quod quotidie erga uniuscuiusq; animam à doctore agitur: signum est domui Israel & hoc quod agendum nunciauit: quia sicut domus Israel obsidionem corporaliter pertulit, ita unaquæq; anima quæ iam seruire omnipotẽti deo incipit, obsidentes se insidias malignorum spirituũ sentit. A quibus si uerè eripi appetit, scire debet quia eripi sua uirtute non possit, sed eius necesse est ut adiutorium speret, qui nos & in carne corruptibili uiuentes, per redemptionis suæ mysterium potest etiam super spiritus qui sunt sine carne roborare, Iesus Christus dominus noster, qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Libri primi Homiliarum beati Gregorij papæ super Ezechielem, finis.

PRAEFATIO IN SECVNDVM LIBRVM HOMILIARVM B. Gregorij super Ezechielem.

QVia multis curis prementib. Ezechielis prophetæ librũ, coram charitate uestra totũ per ordinem perscrutari non licuit, bonis uestris desiderijs placuit petere, ut saltem extrema eius uisio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est uisionib. eius obscurior, exponi debuisset. Et quidem uoluntati uestræ me parere necesse est, sed duo sunt quę hac in re perturbãt animũ meũ. Vnum q̃ hæc eadem uisio tantæ obscuritatis nebulis tegit, ut uix in ea aliquid intellectu interlucente uideat. Aliud q̃ iam Agilulfum Longobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinantem Padum transisse cognouimus. Vnde pensate fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid ualeat mens misera, timoris sui perturbationib. occupata. Quãto em̃ circa terrena plus satagit, tãto in his quæ sunt cœlestia minus uidet, pro eo quòd curis suis extra se ducitur, & ualde intus minor est, quia scriptum est: Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Quę enim superiora penetrare etiam collecta nõ sufficit, pensate quid agere poterit diuisa. Scimus autẽ, scimus omnes quia & fluuius qui in multis riuis diuiditur, à suo alueo siccatur. Sed tamen inter hæc adest superna gratia. Et si mentem meam cogitationum mearum pondera deprimunt, uestrorum hanc pennæ desiderium leuant. Obscurum quidem ualde est opus quod aggredimur, sed ponamus in animo, quia nocturnum iter agimus. Restet ergo ut hoc palpando carpamus. Sap. 9

Homilia decimatertia.

IN uigesimoquinto anno transmigrationis nostrę, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno postquam percussa est ciuitas, ipsa hac die facta est super me manus domini, & adduxit me illuc in uisionibus dei. Adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis uergentis ad Austrum, & introduxit me illuc. Et ecce uir cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensurę in manu eius. Stabat autem in porta, & locutus est ad me idem uir.

IN uigesimo & quinto anno trãsmigratiõis nostræ, in exordio anni, decima mẽsis, quarto decimo anno postq̃ percussa est ciuitas, ipsa hac die facta est super me manus dñi, & adduxit me illuc.] Dicturus mysticã narrationẽ, historicã prę mittit, ut fiat ex tẽpore, quod credat̃ in reuelatione. Notandum uero q̃ in exordio libri huius quo anno prophetare cœperit, indicauit: in fine uerò inseruit, q̃d in extrema uisione uidit, ita ut cognosci ualeat in quot annis prophetiæ suæ librum dixerit. Tẽpus nanq; quo prophetare cœpit, in locutiõis suę initio posuit, dicẽs: Aperti sunt cœli, & uidi uisiones dñi in quinta mẽsis: ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachim. Nunc uerò loquitur, dicẽs: In uigesimo et quinto anno trãsmigrationis nostrę. Idẽ nanq; propheta in captiuitate prima cũ Ioachim rege fuerat in Babyloniã transductus. Nam de secunda Hierosolymorũ captiuitate subiũgit: Quartodecimo anno postq̃ percussa est ciuitas. Vndecim q̃ppe annis Sedechias post captiuitatẽ primã, in qua Ezechiel propheta cum Ioachim rege ductus est, in Hierosolymorũ urbe regnauerat. Post captiuitatẽ uerò eiusdem Sedechiæ, quæ etiam secunda erat urbis captiuitas, quartodecimo anno propheta uisionẽ ultimã uidit. Vndecim itaq; & quatuordecim simul iuncti, faciunt

faciunt uiginti & quinq;. Si igit̃ uisionẽ primam quinto captiuitatis prioris anno locutus est, atq; hanc ultimã uigesimo & quinto anno factã fuisse describit, profectò patet q; in uiginti annis locuti onis suæ moras usq; ad ultima uisiõis suæ uerba tenderit. Nec mouere quẽpiam debet q; in medio prophetiæ suæ uolumine, cũ de Babylonico rege loquereẽ, uigesimi ac septimi anni memoriã facit. Quo in loco cũ nihil de tẽpore suæ captiuitatis interserit, apertè demonstrat, quia eius regis tẽpora describat, de quo ut prophetaret acceperat. Qd' uerò ait, in exordio anni, decima mẽsis, tẽpus simpliciter exprimit: ut ex ipso quoq; tẽpore in corda audiẽtium iuxta literã uerbi radicem figat, ex qua spiritales fructus postmodũ proferat. Notandum uerò quod ait: Quartodecimo anno postq; percussa est ciuitas ipsa hac die. Quid est enim q; per hanc uisionẽ ultimã omnipotens deus eaipsa die dignatus est promissionis suæ misericordiam facere, qua die in percussa ciuitate iram iustitię impleuit: nisi q; illa diuinitas quæ usq; in diuersitatis motũ & mutabilitatẽ non ducit̃, ipsa luce iustitiæ afflictos ac pœnitentes uiuificat, qua superbientes ac rigidos percutit? Prœmisso itaq; uisionis suę tẽpore, subiũgit: Facta est super me manus dñi, & adduxit me illuc in uisionibus dei. Adduxit me in terrã Israel, & dimisit me super mõtẽ excelsum nimis, super quem erat quasi ędificiũ ciuitatis uergentis ad Austrum.] Cuius uidelicet ciuitatis ędificium accipi iuxta literã nullatenus potest. Nam paulo post subdit hocipsum ædificiũ calamo sex cubitorum et palmo, portam uerò eiusdem ciuitatis quatuordecim cubitis mensuratam, cuius portæ frontes esse perhibet sexaginta cubitorũ. Quæ cuncta stare iuxta literam nullatenus ualent. Quo modo enim totum simul ædificium calamo, id est, sex cubitis & palmo mensuratur, & portæ ædificij in quatuordecim cubitis, frontes uerò portarum in sexaginta cubitis extenduntur? Porta uerò in ciuitate est, frontes uerò in portis. Et nulla recipi ratio permittit, quia minus est hoc quod continetur ab eo quod continet. In scriptura autẽ sacra & ea quæ accipi secundum historiam possunt, plerunq; spiritaliter accipienda sunt: ut & fides habeatur in ueritate historiæ, & spiritalis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriæ. Sicut illud quoq; nouimus quod Psalmista ait: Quoniã uidebo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti. Ecce enim exterio ri descriptione stat sermo rationis, quia & cœli opera dei sunt, et luna ac stellę ab eo creatę atq; fundatæ sunt. Sed si hoc Psalmista iuxta sola exteriora opera, & non etiam secundum intellectum mysticum asserit, quia cœlos opera dei esse professus est, dicturus lunam & stellas, cur nõ etiam solem quem scimus quia eius opus est, pariter enumerauit? Si enim solum iuxta literam loquebat̃, dicitur̃ luminare minus, prius luminare maius dicerere debuit, ut antè solem, & pòst lunam atq; stellas fundatas esse perhiberet. Sed quia iuxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctã Ecclesiam, & stellas homines sanctos accipere deberemus, solem nominare noluit, quia uidelicet ipsi æterno soli loquebatur: De quo scriptũ est: Vobis autẽ qui timetis dominum, orietur sol iustitiæ. De quo reprobi in fine dicturi sunt: Sol iustitiæ nõ ortus est nobis. Dicendo ergo lunam & stellas quas tu fundasti, & tamen tacendo solem qui factus est, indicauit quia illi soli locutus est qui non solum solem & lunam atq; stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam atq; stellas homines sanctos spiritaliter fecit. Si ergo aliquid de historiæ aperta ratione ducimus ad intellectũ allegoriæ, quanto magis illa spiritaliter accipienda sunt, in quibus iuxta rationem literæ nihil historicum sonat? Facta est super me manus domini, & adduxit me illuc in uisionibus dei, adduxit me in terram Israel. Quod dixerat, adduxit me illuc, hoc replicans subdidit, adduxit me in terram Israel. Manus quippe in uisione, est uirtus in contemplatione. Quibus uerbis quid apertè indicat, nisi quia nihil de ciuitate quam uiderat, iuxta literam dicat? Nam spiritaliter de ea loquitur, quam spiritaliter contemplatur. Et dimisit me super montem excelsum nimis.] Quem ergo significat mõs excelsus, nisi mediatorem dei & hominum hominem Christum Iesum? Qui de terra quidem, sed ultra terram est: quia caro eiusdem redemptoris nostri de imis habet materiam, sed in summis prœeminet ex potestate. Quem minus erat ut excelsum diceret, nisi adderet nimis: quia nõ solum homo, sed eiusdem humanitatis conceptione quæ ab eo assumpta est, deus & homo. Non solum homo ultra homines, sed homo etiam super angelos factus. Hinc enim de illo per Esaiam dicit̃: In die illa erit fructus terræ sublimis. Creator etenim noster quia pro nobis incarnatus est, fructus terræ factus est nobis. Sed iam fructus terræ sublimis est, qa homo natus in terra, super angelos regnat in cœlo: quia iuxta Dauid & Pauli uocẽ, omnia subiecit sub pedibus eius. In eo enim quòd ei subiecit omnia, nihil dimisit non subiectum ei. Mons ergo iste est excelsus & nimis, quia etsi de terra est per substantiam humanitatis, incomprehensibilis tamen est altitudine diuinitatis. Hinc est eñ quod eundem dominũ cùm Esaias propheta prospiceret in carne esse uẽturum, per prophetiæ spiritum subleuatus, ait: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium. Domus enim domini Israeliticus populus fuit. Mons itaq; domus domini ille appellatus est, qui in Israelitico populo incarnari dignat̃ est. Fuerunt autem in eodem populo sancti uiri, qui mõtes iure uocarentur, quia per uitæ meritũ ad cœlestia propinquauerunt. Sed incarnatus unigenitus istis montibus æqualis non fuit, quia naturã, uitam, merita omnium ex sua diuinitate transcendit. Vnde & rectè mons super uerticem montiũ dicitur: quia excelsus ex diuinitate sua inuentus est, etiam super cacumina sanctorũ: ut hi qui multum in deo profecerant, eius uestigia uix potuissent tangere ex uertice cogitationis. Qui ergo ille mons

Psal.8 Mal.4 Sap.10 Heb.2 Esa.4 Psal.8 Esa.2

Universidad de Deusto
Biblioteca

lic mons super uerticem mõtium dicitur, ipse hic mons excelsus nimis esse perhibetur. Sequitur: Super quem erat quasi ciuitatis ædificium uergẽtis ad Austrum.] Notandum est quòd nõ dicitur super quem erat ædificium, sed quasi ædificium, ut uidelicet ostenderetur quod nõ de corporalis, sed de spiritalis ciuitatis ædificio cuncta dicerentur. Qui enim non se ædificium, sed quasi ædificiũ uidisse perhibet, cor audientium ad spiritalem fa-
Psal.121 bricam mittit, sicut per Psalmistam dicitur: Hieru salem quæ ædificatur ut ciuitas. Quia etenim illa internæ pacis uisio ex sanctorum ciuium congregatione construitur, Hierusalem cœlestis ut ciuitas ædificatur. Quæ tamen in hac peregrinationis terra dum flagellis percutitur, tribulationibus tũditur, eius lapides quotidie quadrãtur. Et ipsa est ciuitas, scilicet sancta Ecclesia, quæ regnatura in cœlo, adhuc laborat in terra. Cuius ciuib. Petrus
1.Pet.2 dicit: Et uos tanquam lapides uiui superedificami-
1.Cor.3 ni. Et Paulus ait: Dei agricultura, dei ædificatio estis. Quæ uidelicet ciuitas habet hic in sanctorum moribus magnum iam ædificium suum. In ædificio quippe lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur. Et qui portat alterum, portatur ab altero. Sic itaq; sic in sancta Ecclesia unusquisque & portat alterum, & portatur ab altero. Nam uicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium
Gal.6 charitatis surgat. Hinc enim Paulus admoner dicẽs: Inuicem onera uestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Cuius legis uirtutem denun-
Rom.13 cians, ait: Plenitudo legis charitas. Si em̃ ego uos portare negligendo in moribus meis, & uos me tolerare contemnitis in moribus uestris, charitatis ædificium inter nos unde surgit, quos uicaria dilectio per patientiam nõ coniungit? In ædificio autem, ut prædiximus, lapis qui portat portatur: quia sicut ego iam mores eorũ tolero qui adhuc in conuersatione boni operis rudes sunt: ita ego quoq; ab illis toleratus sum, qui me in timore domini præcesserunt & portauerũt, ut portatus portare discerem. Sed & ipsi quoq; à maioribus suis portati sunt. Lapides uerò qui in summitate atq; extremitate fabricæ ponuntur, ipsi quidem portantur ab alijs, sed alios nequaquam portant: quia & hi qui in fine Ecclesiæ, id est, in extremitate mũ di nascituri sunt, tolerantur quidem à maioribus, ut eorum mores ad bona opera imponantur. Sed cùm non eos sequuntur qui per illos proficiant, nullos super se fideles fabricæ lapides portãt. Nũc itaq; alij portant̃ à nobis, nos uerò portati sumus ab alijs. Omne autem pondus fabricæ fundamẽtum portat, quia mores simul omnium solus re-
1.Cor.3 demptor noster tolerat. De quo Paulus ait: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Portat fundamentum lapides, & à lapidibus non portatur: quia redemptor noster omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit quod tolerari debuisset. Vnde bene nunc dicitur: Dimisit me super montẽ excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis.] Quia mores & culpas nostras solus ille sustinet, qui totam sanctæ Ecclesiæ fabricam portat. Qui per prophetæ uocem de peruersè adhuc uiuentibus dicit: Labora- Hier.6
ui sustinens. Non autem sustinendo dominus laborat, cuius diuinitatis potentiam nulla fatigatio contingit: sed uerbis humanis loquens, ipsam suã circa nos patientiam, laborem uocat. Et notandũ quod eandem ciuitatem quam propheta conspexerat, ad Austrum uergentem uidit. Auster enim uentus, quia in sancti spiritus typo poni soleat, hi qui in sacro eloquio studiosi sunt recognoscunt, sicut ecõtrario per Aquilonem sæpe diabolus designatur: quia & ille relaxat in calore, & iste constringit in frigore. Et ueritas dicit: Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Prophe- Mat.24
ta quoq; de Iudæa asserit, dicẽs: Sicut frigidam fa- Hier.6
cit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam. Hinc enim diabolus propheta eodem attestã te dixisse perhibetur: Sedebo, inquit, in monte te- Esa.14
stamenti, in lateribus Aquilonis. Et quia torporem mẽtis sancti spiritus gratia relaxat, hinc Psalmista ait: Conuerte domine captiuitatem nostrã, Psal.125
sicut torrens in Austro. Captiuitas em̃ nostra quæ torporis frigore ad sequendũ deum pigra remanserat, per calorem sancti spiritus relaxatur, ut currat in amorem dei. Vnde & nunc dicitur quod ciuitas quæ in monte cõstituta est, ad Austrum uergit, quia electorum Ecclesia cogitationes suas in afflatu sancti spiritus aperit, atque ab omni superbiæ suæ uertice discedens, in deo cui credit, amoris calorem concipit, ut nihil ei libeat nisi eius gratiæ submitti, eius dilectione calefieri, eius afflatus semper munere repleri. Vnde & ualido amore succensus contemplator dicebat: Anima mea e- Psal.92
xultauit in domino, delectabitur super salutari eius. Qui enim Latinè salutaris, ipse Hebraicè Iesus dicitur. Propheta igitur quia uias eius atq; miracula, redemptionis quoq; nostræ mysteriũ per prophetiæ spiritum contemplatur, exultare se in domino, & delectari super Iesu perhibet: quia inde gaudium in mente conceperat, unde per amorem fortiter ardebat. Pensemus itaq; si mentes spiritalium patrum in illo delectatæ sunt, qui necdũ uenerat, sed præuidebat̃, cuius reatus sit eius uias, eius exempla, eius monita postquam uenit & redemptionem exhibuit, non amare. Hæc ergo ciuitas ad Austrum uergere dicitur, ac si aperte diceretur quod prior illa ciuitas, scilicet synagoga, in infidelibus suis ad Aquilonem stetit, quæ in frigore perfidiæ durauit. Sãcta uero Ecclesia quia charitatem fidei concepit, per calorem ad Austrum uergit, & quasi calido uentro innititur: quia nõ in sui fiducia, sed in dono spiritalis gratiæ lætatur.
Sequitur: Et introduxit me illuc.] Cœlestis ciuitatis ædificium ille intrat, qui in sancta Ecclesia bonorum uias imitãdo cõsiderat. Intrare quippe est ædificium super mõtem, electos sanctæ Ecclesiæ aspicere. Iste enim uitam coniugio ligatam ducit, proprijs rebus contentus est, aliena non diripit, de suo quicquid prævalet indigentibus largitur, peccata sine quibus quotidiana uita coniugatis

fugatis duci non potest, flere non negligit. Pro eo enim quòd ipsa familiaris cura animum conturbat, sese ad lacrymas excitat. Ille uerò iam cuncta quæ sunt mundi deseruit, nil eius habere appetit, solius contemplationis exercitatione pascitur, spe præmiorum cœlestium cum fletibus lætatur, transcendit præsentia quæ haberi concessa sunt, quotidianum cum domino habere secretum quærit, nulla eius animum prętereuntis mundi cura perturbat, mentē semper in expectatione cœlestium gaudiorum dilatat. Alius uerò iam huius mundi cuncta deseruit, eiusq; mens in contemplatione cœlestium subleuatur, sed tamē pro ędificatione multorum, locum regiminis tenens, qui rebus prætereuntibus desiderio non succumbit, ad eas aliquando propter proximorum compassionem reflectitur, ut ex earum cura indigentibus misereatur, uerbum uitæ auditoribus prædicat, animabus simul & corporibus necessaria ministrat. Et qui propter se ad cœleste desiderium iam per contemplationem euolat, adhuc tamen profectu & utilitate proximorum in rebus temporalibus laborat. Quisquis ergo in sancta Ecclesia considerare sollicitè studet, ut aut in bonorum coniugatorum uitam, aut in arcem continentium, & omnia quæ sunt huius mundi derelinquentium, aut etiam in prædicatorum summitatē proficiat, iam ciuitatis in monte positæ ædificium intrauit. Nam qui considerare meliorum uitam ut proficiat negligit, adhuc extra fabricam stat, Et si honorem quem iam sancta Ecclesia in mundo habet admiratur, quasi ædificium foris conspicit & obstupescit. Et quia exterioribus solis intentus est, intus ingressus non est. Sequitur: Et ecce uir cuius erat species quasi species æris.] Ipse signatur in uiro, qui figuratur ex monte. Vir autem iste metiri ædificium dicitur: Et rectè dominus per uirum signatur & mōtem, quia & ipse omnia intra sanctam Ecclesiam iudicando disponit, & ipse eandē sanctā Ecclesiā portat, & portando ad cœlestia subleuat, sicut in sancto quoq; Euangelio idem redemptor noster loquitur, dicēs: Ioan.10 Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Et paulo post: Ego sum ostium. Atque iterum post pauca subiungit: Ego sum pastor bonus. Si igitur ipse pastor & ipse ostium, & intrat pastor per ostium, cur non hoc loco & ipse mons, & ipse uir intelligitur, qui ædificium metitur in monte? Sed quærendum nobis est cur de hoc uiro dicitur: cuius species erat quasi species æris? Cuncti autem nouimus fratres metallum æris ualde esse durabile atq; omnimodo sonorum. Quid est ergo quòd aspectus mediatoris dei & hominū speciei comparatur æris, nisi hoc quod aperte nouimus, quia unigenitus filius formam serui accipiens, fragilitatem nostram carnis humanæ per resurrectionis suæ gloriam uertit in æternitatem, quia in eo ca- Rom.6 ro facta est iam sine fine durabilis. Nam surgens à mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quid est autem quòd ipsa eius incarnatio sonoro metallo comparatur, nisi quòd per eandem assumptionem humanitatis nostræ, insonuit omnibus gloria maiestatis suæ? Et quasi aspectum æris habet ex corpore, quia Deus mundo innotuit ex carne. Vnde & per Ioannem dicitur: Habebat in uestimento & in fœmore suo scriptum: rex regum, & dominus dominantiū. Quid enim uestimentum eius est, nisi corpus quod assumpsit ex uirgine? Nec tamē aliud eius uestimētum est, atq; aliud ipse. Nam nostrum quoq; uestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro qua uestimur. Hoc autem uestimentum illius longè antè Esaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit: Quare rubrum est in Esa.63 dumentum tuum, & uestimenta tua quasi calcantium in torculari? Cui ipse respōdit: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est uir mecum. Solus enim torcular in quo calcatus est calcauit, qui sua potentia eam quam pertulit passionem uicit. Nam qui usq; ad mortē crucis passus est, de morte cum gloria surrexit. Bene autem dicitur: Et de gentibus non est uir mecum: quia hi pro quibus pati uenerat, passionis eius esse participes debuerant: qui pro eo quod illo tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum uita in illa passione quęrebatur. Per fœmur enim propagatio carnis est. Quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Mat.1 Mathæo uel Luca narrantibus describuntur, in hoc Luc.3 mundo uenit ex uirgine, & per incarnationis suæ mysterium, quia rex esset & dominus, cūctis gentibus indicauit, in uestimēto & fœmore scriptum habuit: Rex regum, & dominus dominantium. Vnde enim in mundo innotuit, ibi de se lectionis scientiam infixit. Prædicatio ergo eius ex carne, quasi quidam sonitus ex ære est. Dicatur igitur rectè, Cuius species quasi species æris. Sequitur:

Et funiculus lineus in manu eius.] In septuaginta interpretibus funiculus lineus nō habetur, sed funiculus cementariorum. Quorum si in hoc uersu translationem ad exponendum tenemus, quid aliud cēmētarios quam sanctos doctores accipimus, qui loquendo spiritalia, ad cœleste ædificium uiuos lapides, id est electorum animas cōponūt? Quicquid enim antiqui patres, quicquid prophetæ, quicquid Apostoli, quicquid Apostolorum successores locuti sunt, quid aliud fuit quā compositio lapidum in hac quæ quotidie cōstruitur fabrica sanctorum? In funiculo autem cementarij hoc agi solet, ut cognosci æqualitas uel rectitudo surgentis parietis debeat, ut si lapis intus est, foras eijciatur, si exterius prominet, interius reuocet. Et certè quotidie hoc agit prędicatio doctorū, ut unaquæq; anima cui regiminis onera suscipere fortassè non expedit, etiam si foris apparere appetat, interius reuocetur. Et rursum quæ latere uult, & sui tantummodo curam gerere, si sibi ac multis esse utilis potest, etiam cum latere desiderat, exterius producatur ut appareat. Sicq; fit ut sanctorum lapidum ordo teneatur, dum sæpe & uolens

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad honorem uenire, repellit, & honorem fugiēs, in sacri ordinis arce subleuatur. Sed quia ut per interpretem nostrū didicimus, Hebrēorum hīstoria non habet cæmentariorum, sed funiculus lineus in manu eius: hoc quod apud nos certius habet, exponere debemus. Scimus aūt q funiculus lineus subtilior est q̄ qui funiculi fiant alīūde. Et quid in funiculo lineo nisi subtiliorem prædicationē, id est, spiritalē debemus accipere? Cēsura etenim legis, funiculus fuit, sed lineus non fuit: quia rudē populū nō subtili prædicatione coercuit, in quo per pœnæ sententiā nō peccata cogitationis, sed operis resecauit. At postq̄ per semetipsum dominus etiam cogitationes hominum prædicando religauit, & perfectum esse peccatum etiam in corde innotuit, funiculū lineum in manu tenuit. Ait
Exod.20 em̄: Audistis quia dictum est antiquis, Non mœ-
Mat.5 chaberis, ego autem dico uobis: quia qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eā in corde suo. Funiculus ergo lineus prędicatio est subtilis, quæ mentem audientis ligat, ne se uel in misera cogitatione dissoluat. Et notādum quod dicitur, quia ei funiculus in manu est, id est, prædicatio in operatione. Ipse enim ostenActo.1 dit omne quod docuit, sicut scriptū est: Quæ cœpit Iesus facere & docere. Et quia ipsa quæ dixit, etiā scripturæ tradidit, ut posteris mandarētur, rectè subiungitur: Et calamus mēsuræ in manu eius.] De sancta Ecclesia per prophetā alium Dominus pollicet, dicēs: Orietur in ea uiror calami,
Esa.35 & iunci. Quod in loco alio exposuisse me memini, ut per calamum scriptores, per iuncum uerò debeant auditores intelligi. Sed quia ad humorē aquæ & iuncus & calamus nasci solet, & ex una eademq̄ aqua utraq̄ proficiūt, & calamus quidē ad scribendū assumit, cū iunco uerò scribi nō potest: quid in iūco & calamo accipere debemus, nisi q̄ una est doctrina ueritatis, quæ multos auditores irrigat? Sed irrigati alij ad hoc usq̄ proficiūt in uerbo dei, ut etiā scriptores fiant, uidelicet tanq̄ calami. Alij uerò uerbū uitæ audiunt, bonæ spei & rectorum operū uiriditatē tenent, sed tamē ad scribendū proficere nullatenus possunt. Hi quid in aqua dei, nisi quidā, ut ita dicā, iunci sunt? Qui quidem uiridescēdo proficiūt, sed literas exprimere nequaq̄ possunt. Redemptor noster quia uerba quę dixit, etiā per doctorū studium scribi largitus est, in manu calamū tenuit. Qui calamus mēsuræ dicit: quia in ipsa doctorū studia sub quadā occulta iudicij dispensatione detinent, ut & alijs legentibus prosint, & alijs legentibus prodesse nō possint. Vñ sancti Apostoli cū magistrū ueritatis sibi apertius loquentē requirerēt, cur turbis in parabolis loqueret, audierunt: Quia uobis datum est
Mat.14 nosse mysterium regni cœlorū, illis autē non. Vel
Mar.4 certè calamus mēsuræ est: quia in ipso sacro eius eloquio quod nobis conscriptū est, occultas esse dispensationes eius agnoscimus. Nā per incōprehensibile eius iudiciū, & alter intra mēsuram electorum mittitur, & alter foras relinquitur, ut nullo modo ad electorum numerū pertinere mereat. Habet ergo funiculū, habet in manu calamū mēsuræ. Qui em̄ funiculo locū metit, alibi funiculum trahit, aliūde retrahit, & huc ducit quē aliūde subducit. Sic nimirū sic redemptor noster in collectione hominū facit, dū alios a suis iniquitatib. educit, alios in sua iniquitate derelinquit. In his enim quos colligere dignat? est, occultæ mēsuræ funiculū traxit, & ab his quos derelinquēdos esse iudicauit, quid aliud nisi funiculū retraxit? ut & boni intra mensurā cœlestis fabricæ teneant, & mali extra fabricā. In quib. bona quæ æstimant nō sunt quasi sine mēsura remanēt. Hūc funiculū & mensuræ calamū in manu sua redēptor noster tenuit, cū Paulū Apostolū per apparētem uirū Macedo nē admonere dignatus est, ita ut idē Macedo uir diceret: Trāsiens adiuua nos. Et tamē uolentibus Apostolis ad prædicandū ire in Asiā, nō permisit Acto.16 spiritus Iesu. Quid est q̄ sancti Apostoli & ibi uocabantur ire, ubi fortasse pergere nō cogitabāt, & illuc ubi desiderabant pergere prohibebātur, nisi quia occulti iudicij funiculus & mēsuræ calamus tenet in manu, ut & alij uerba uitæ audiant, & alij audire nullatenus mereantur? Funiculus ergo mensuræ est, qui aliò tractus est aliunde retractus. Sancto quoq̄ Euāgelio testante didicimus quod uenit qui diceret: Magister, sequar te quo- Mat.8
cunq̄ ieris. Cui responsum est: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Venit alter qui diceret: Magister, sine me primum ire, & sepelire patrem meum. Cui dicitur: Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu autem me sequere, & annuncia regnum dei. Quid est quod ille promittit se ire, & deseritur: iste domum uult redire, & tamen ut sequi debeat iubetur? Ille non suscipitur, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxat. Interno ergo occultoq̄ iudicio, funiculus & mensuræ calamus ducitur, in quo & iste trahitur, & ille relinquitur, ut cœlestis fabrica non sine pio & iusto examine construatur. Potest etiā calamus mensuræ scriptura sacra pro eo intelligi, quod quisquis hāc legit, in eam semetipsum metitur, uel quantum in spiritali uirtute proficit, uel quantum à bonis quæ præcepta sunt longè distinctus remansit, quantum iam assurgat ad bona facienda, quantum adhuc in prauis actibus prostratus iaceat. Sequitur: Stabat autem in porta.] Quisquis in porta stat, ex quadā parte intus est, ex quadā uerò foris: quia aliud eius foris aspicit, aliud intus abscondit. Redēptor itaq̄ noster pro bonis misericorditer incarnatus, ante humanos oculos quasi in porta stetit: quia & per humanitatem uisibilis apparuit, & sese inuisibilē per diuinitatem seruauit. Hinc em̄ ludæi qui hūc ex prophetarum promissione sustinuerāt, perfidiæ suæ cōfusione turbati sunt: quia eū quē ad ereptionē suam uenire crediderāt, mortalē uidebāt. qui igit in porta stat, sicut superiꝰ dictū est, ex quadā parte foris, ex quadā uerò parte intus uidetur. Vnde nec ipsa

ludæo-

Iudæorum perfidia sine diuinæ uirtutis ostensione est derelicta. Nam miracula eius uidentes trahebantur ut crederent, sed rursum passiones illius perpendentes dedignabantur deum credere, quem carne mortalem uidebant, unde factum est ut de eius cognitione dubitarent. Videbant enim esurientem, sitientem, comedentem, bibentem, lassescentem, dormientem, & purum hunc hominem esse æstimabant. Videbant mortuos suscitantem, leprosos mundantem, cæcos illuminantem, dæmonia eijcientem, & esse hunc ultra homines sentiebant. Sed ipsa eius miracula in eorum corde cogitata, humanitas perturbabat. Vnde sancta ecclesia sub sponsę uoce hunc aperte iam uidere desiderans, ait: En ipse stat post
Cant.2 parietem nostrum. Qui enim humanis oculis hoc quod de mortali natura assumpsit, ostendit: & in seipso inuisibilis permansit, in aperto se uidere quærentibus, quasi post parietem stetit, quia uidendum se manifesta maiestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit, ostendit: & diuinitatis naturam humanis oculis occultauit. Vnde & illic subditur: Respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos. Quisquis enim per fenestras, uel per cancellos respicit, nec totus latet, nec totus uidetur. Sic nimirum redemptor noster ante dubitantium oculos factus est: quia si miracula faciens nil pertulisset ut homo, plenè eis apparuisset Deus: & rursum humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, purus putaretur homo. Sed quia & diuina fecit, & humana pertulit: quasi per fenestras uel per cancellos ad homines prospexit, ut Deus & appareret ex miraculis, & lateret ex passionibus, & homo cernere tur ex passionibus, sed tamen esse ultra hominem ex miraculis agnosceretur. Sed quia uir iste stare in porta dicitur, quærendum nobis est utrum facie interius stetit? Qua in re si ea quæ sunt præmissa & subiuncta conspicimus, citius qualiter steterit inuenimus. Prius enim dicitur: Erat quasi ædificium ciuitatis uergentis ad Austrum, & introduxit me illuc.] Et paulopost de eodem uiro subditur: Stabat autem in porta.] Statimq; subiungitur: Et locutus est ad me idem uir.] Qui enim introducto propheta in ædificium, stans in porta locutus est: profecto constat, quia facie interius, & tergo exterius stetit. Sed introductus propheta cui uir stans in porta locutus est, procul dubio faciem ad portam tenebat, unde uerba loquentis audiebat. Quid est ergo quòd uir interius aspicit, propheta foris? Quid est quòd eiusdem uiri facies ad ædificium, prophetæ uerò oculi ad portam sunt: nisi quòd unigenitus patris idcirco incarnatus est, ut nos ad spiritale ædificium, id est ad sanctæ Ecclesiæ fidem introduceret? Cuius oculi ædificium suum semper aspiciunt: quia quantum quisque in uirtutibus proficiat, indesinenter attendunt. Propheta uerò ad portam respicit, quia qui uerba dei audit, semper oculos cordis ponere ad exitū debet, & sine cessatione meditari quando à præsenti uita exeat, atq; ad æterna gaudia pertingat. Propter hoc quippe incarnatus est deus, ut nos introduceret ad fidē, & educat ad speciem uisionis suæ. Vnde quoq; in sancto Euangelio loquitur, dicens: Per me si quis introierit, sal- Ioan.10
uabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inuenient. Ingredietur uidelicet ad fidem, egredietur autem ad speciem: pascua uerò inuenient in æterna satietate. Hinc etiā Psalmista ait: Dominus cu- Psal.120
stodiat introitum tuum, & exitum tuū. Custodit enim dominus uniuscuiusq; animæ introitū quo intrat ad fidem, exitū quoq; quo exit ad speciem, ut neq; intrans ecclesiam erroribus supplantetur, neque ab hac temporali ad æternam exiens, ab antiquo hoste rapiatur. Propter hunc uerò egressum nostrū quem quotidie debemus mente meditari: Apostolus de redemptore nostro loquit, dicens: Vt sanctificaret per suum sanguinem po- Heb.13
pulum, extra portā passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperiū eius portantes. Non enim hic habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Vir itaque qui apparuit, in porta stetit, atq; ita locutus est: quia mediator dei & hominum Christus Iesus in ipso quoq; passionis suę tempore, præcepta uitæ discipulis dedit: ut hi qui in eum credunt, ad portam semper respiciant, & passionem eius sollicita consideratione pensantes, à suo quoque exitu, cordis oculos nō auertāt. Nos quoq; cùm iā claustra carnis despicere, mortalitatis nostræ angustias per immortalitatis desideriū transire, ad supernæ lucis libertatem tendere, ad cœlestis patriæ gaudia anhelare cœperim⁹, ad portam oculos tenemus: quia dum à sacramentis temporalibus trāsire ad æterna cupimus, quasi iam præsenti uitę terga dedimus, & cordis faciem in desiderio nostri exitus habemus. Scriptū quippe est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat ani- Sapien.9
mam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sic itaque per contemplationem iam mentem extra carnis angustias tendimus: adhuc tamen in sacramentis quæ cognouimus, ipsa carnali angustia intra portam tenemus. Sæpe nanque animus ita in diuina cōtemplatione suspendi tur, ut iam se percipere de ęterna illa libertate quā oculus non uidit, nec auris audiuit, aliquid per quandam imaginem lætetur. Sed tamen cùm re- Esa.64
uerberatus pondere mortalitatis, ad ima relabi- 1.Cor.2
tur, quibusdam pœnæ suæ uinculis ligatus tenetur. Portæ igitur intendit, qui ueræ libertatis suæ gaudia conspicit, iamq; exire concupiscit, sed adhuc non ualet. Hinc est ergo quòd Hebraicus Exod.33
populus de Ægypti seruitute liberatus, cùm loquente deo columnam nubis cerneret, unusquisque in tabernaculi sui foribus stabat & orabat. De quibus paulò superius dicitur: Cùm egrederetur Moyses ad tabernaculū, surgebat uniuersa plebs, & stabat unusquisq; in ostio papilionis sui. Ibi etenim stamus, ubi mentis oculos figimus. Vnde Helias ait: Viuit dominus, in cuius cōspectu sto:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibi utiq; stabat, ubi cor fixerat. Quid est autem populum columnam nubis aspicere, & in tabernaculi sui foribus stare atq; orare, nisi quòd humana mens cùm superiora illa atq; cœlestia utcunq; in ænigmate cõspicit, iam claustra habitationis corporeæ per subleuatam cogitationem exit, atque illum humiliter adorat, cuius etsi uidere substantiam non ualet, iam tamen eius potentiam per illuminationem spiritus miratur? Et cùm Moyses tabernaculum ingreditur, eius terga populus aspicit, & in papilionum suorum ostijs consistit, quia cùm sanctus quisque prædicator alta de deo loquitur, supernæ habitationis iam utcunq; tabernaculum ingreditur. Cuius prædicationis infirmi quiq; etsi uirtutem plenè pensare non possunt, tamen uelut terga aspiciũt: quia postrema quæ præualent, per intellectũ sequuntur. Sed in ipsis quoque quæ minus capere sufficiunt, iam de suis papilionibus quasi exeunt, atque in ostijs stant: quia & habitacula carnis relinquere, & ad illa æternæ uitæ gaudia quæ audiunt, progredi conant. Hinc
2. Reg. 19 est etiam quòd Helias cùm uocem domini secum loquentis audiret, in speluncæ suæ ostio stetisse describitur, & faciem uelasse: quia cùm per contemplationis gratiam uox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo iam intra speluncã non est, quia animam carnis cura nõ possidet: sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed iam qui in ostio speluncæ consistit, & uerba dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciẽ uelet: quia dũ per supernã gratiã ad altiora intelligenda ducimur, quanto subtilius leuamur, tanto semper ad humilitatẽ nosmetipsos intellectu nostro premere debemus: ne cõemur plus sapere, q̃m
Rom. 12 oportet sapere, sed sapere ad sobrietatẽ, ne dũ nimis inuisibilia discutimus, aberrem⁹, ne in illa natura incorporea corporei luminis aliquid quæramus. Aurem ẽm intendere & faciẽ operire, est uocem interioris substantiæ audire per mentem, & tamen ab omni specie corporea oculos cordis auertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quę ubiq; tota, & ubiq; incircũscripta est. Nos itaq; fratres charissimi qui iam per redẽptoris nostri mortem ac resurrectionem, atque ad cœlos ascensionem, gaudia æterna didicimus: qui in testimonio diuinitatis eius apparuisse exterius ciues nostros angelos illius scimus, concupiscamus regem, desideremus ciues quos cognouimus, atque in hoc sanctæ Ecclesiæ ædificio stantes, oculos in porta teneamus, demus terga mentis huic corruptioni uitæ temporalis, intendamus cordis faciem ad cœlestis patriæ libertatem. Sed ecce ad huc multa sunt quæ nos de cura uitę corruptibilis premunt. Quia ergo perfectè exire nõ possumus saltem in speluncæ nostræ ostio stemus, exituri quandoq; prosperè per gratiam redemptoris nostri: Qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Homilia XIIII

Lli hominis, uide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi: quia ut ostendãtur tibi adductus es huc. Annuncia omnia quæ tu uides domui Israel. Et ecce murus foris secus in circuitu domus undique: & in manu uiri calamus mensuræ sex cubitorum & palmo. Et mensus est latitudinem ædificij calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.

NE quidam me fortasse tacita cogitatione reprehendant, qui Ezechielis prophetæ tam profunda mysteria à magnis expositoribus intentata discutere præsumo, qua mente id faciã agnoscant. Non enim hoc temeritate aggredior, sed humilitate. Scio enim quia plerunque multa in sacro eloquio quæ solus intelligere non potui, coram fratribus meis positus intellexi. Ex quo intellectu & hoc quoque intelligere studui, ut scirem ex quorum mihi merito intellectus daretur. Patet enim quia hoc mihi pro illis datur, quibus mihi præsentib. datur. Ex qua re largiẽte deo agitur ut sensus crescat, & elatio decrescat, dum propter uos disco quod inter uos doceo. Quia uerum fateor, plerunque uobiscum audio quod dico. Quicquid ergo in hoc propheta minus intellexero, meæ cæcitatis est: si quid intelligere aptè potuero, ex diuino munere uestræ uenerationis. Sæpe enim per omnipotentis domini gratiam in eius eloquio quædam intelliguntur melius cùm sermo dei secretius legitur, atq; animus culparum suarum cõscius, dum recognoscit quod audierit, doloris se iaculo percutit, & compunctionis gladio transfigit, ut nihil ei nisi flere libeat, & fluẽtes fletuum maculas lauare. Inter quæ etiam aliquando ad sublimiora contemplanda rapitur, & in eorum desiderio suaui fletu cruciatur. Dolet sese
D hic esse anima, ubi adhuc prostrata per infirmitatem iacet: atq; illic adhuc non esse, ubi illuminata fortiter uigeat, & iam mentis oculum ad mortalitatis tenebras non reducat. Hinc itaq; hic ardor nascitur in mente, luctus oritur ex ardore. Et quia inhærere cœlestibus necdum ualet, feruore suo in lachrymis fessa requiescit. Sed aliud est cùm de unius profectu res agitur, aliud cùm de ædificatione multorum. Ea itaq; doctrinæ sermone largiente deo proferenda sunt, quæ uitam audientium moresq; componant. Nunc ergo quicquid nos ad studium bonæ operationis ædificet, in prophetæ uerbis, sicut cœpimus, exequamur: Fili hominis uide oculis tuis, & auribus tuis audi.] Ad testimonium spiritalium rerum deducto, quid est quòd cùm dicitur, uide oculis, addit tuis, & cùm subditur

subditur, audi auribus, adiungitur tuis: Sed sciendum quia oculi atq; aures corporis adsunt etiam carnalibus, eisq; sunt in usu rerum quae corporaliter uidentur. Oculi uerò atq; aures cordis solummodo spiritalium sunt, qui inuisibilia per intellectum uident, & laudem dei sine sono audiũt. Has omnipotens dominus aures quærebat, cùm dicerLuc.8 ret: Qui habet aures audiendi, audiat. Quis nanq; in illo populo esse tunc poterat, qui aures corporis non haberet? Sed cùm dicitur: qui habet aures audiendi, audiat: apertè monstratur quòd illas aures quæreret, quas omnes habere non poterant. Dicatur ergo: Fili hominis uide oculis tuis, & auribus tuis audi.] In priori autem locutionum nostrarum parte iam diximus cur propheta quotiens ad uidenda spiritalia ducitur, filius hominis appellatur. Sed ne hoc mente excesserit, breuiter replicabo: quia in hac appellatione memoratur semper quid est ex infirmitate, ne extollatur de contemplationis magnitudine. Et notandũ quia diuersa sunt ut dicatur: oculis tuis uide, auribus tuis audi, & tamen filius hominis uocetur. Sed per hæc uerba quid ei aliud apertè dicitur, nisi spiritalia spiritaliter aspice, & tamen infirmitatis tuæ memorare? Hinc est etiam quòd plerunque qui plus in contemplationem rapitur, contingit ut amplius in tentatione fatigetur, sicut quibusdam sæpe contingere bene proficientibus solet: quorum mentem dum aut cõpunctio afficit, aut contemplatio super semetipsam rapit, statim etiam tentatio sequitur, ne de his ad quæ rapta est, extollatur. Nam compunctione uel contemplatione ad deum erigitur, sed tentationis suæ pondere uerberatur ad semetipsam: quatenus tentatio aggrauet, ne contemplatio inflet, & item contemplatio eleuet, ne tentatio demergat. Si enim sic contemplatio attolleret, ut tentatio funditus deesset, in superbia animus caderet. Et si sic tentatio premeret, ut contemplatio non leuaret, plenè in culpa laberetur. Sed mira dispensatione, in quodam medio anima libratur, ut neque in bonis superbiat, neq; in malis cadat. Vnde & per beatum
Iob 28 Iob de domino dicitur: Et aquas appendit mensura. Aquas quippe deo mensura appendere, est inter prospera & aduersa, inter dona & tentationes, inter summa & infima animarum sensum hu
3.Reg.18.19 militate custodire. Sic Helias ignem de cœlo de-
4.Reg.1 posuerat, aquas cœlo ligauerat, & tamen pauore
3.Reg.19 unius mulieris territus, per deserta fugiebat. Apparet fugienti angelus, cibum præbet, quia longum iter restat prędicit, & tamen timorem de corde non excutit: quia in corde prophetæ, mentis magna erat custodia fortitudinis, illa infirmitas timoris. Sequitur: Pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi: quia ut ostendatur tibi, adductus es huc. Annuncia omnia quæ tu uides domui.] Pone cor tuum. Ac si dicatur: Considera, quia ut ostendatur tibi, adductus es huc. Et annuncia omnia quæ uides. Ad hoc ideo es adductus huc, ut uideas. Et ideo uides, ut annuncies. Quia quisquis spiritalia uidendo proficit, oportet

A ut hæc loquendo etiã alijs propinet. Videt quippe ut annunciet, qui ideo quòd in se profecerit, & prædicando de profectu proximi curam gerit. Vnde & alibi scriptum est: Qui audit, dicat ueApoc.22 ni: Cui enim iam uox uocantis dei efficitur in corde, necesse est ut proximi per prædicationis officium erumpat in uoce, & idcirco alium uocet, quia iam ipse uocatus est. Vnde & sponsus quoque in Canticis canticorũ loquitur, dicens: Quæ Cant.8 habitas in hortis amica ausculta, fac me audire uocem tuam. In hortis enim sancta Ecclesia, in hortis unaquæq; anima habitat, quæ etiam uiriditate spei est, & bonorum operũ repleta. Sicca quippe spes est huius seculi, quia omnia quæ hic aman
B tur, cum festinatione marcescunt. Et Petrus nos Apostolus festinare admonet, dicens: In hæredi-1.Pet.1 tatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem. Quæ ergo in hortis habitat, oportet ut sponsum suum uocem suam audire faciat, id est, canticum bonæ prædicationis emittat, in qua ille delectetur quem desiderat: quia amici auscultant, uidelicet omnes electi, qui ut ad cœlestem patriam reuiuiscant, uerba uitæ audire desiderant. Sed iam propheta ea nobis quæ uidet aperiat. Sequitur: Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undiq;.] Plerunque in sacro eloquio ex protectionis suæ munimine, murus dici ipse incarnatus dominus solet, sicut de sancta Ecclesia per prophetam dicitur: Ponetur in ea Esa.26
C murus, & antemurale. Ipse enim nobis murus est, qui nos undique custodiendo circundat. Antemurale autem muri nostri prophetæ omnes fuerũt, qui prius quàm dominus appareret in carne, ad construendam fidem prophetando missi sunt. In sancta ergo Ecclesia dominus murus nobis, & prophetę eius antemurale sunt positi: quia ad nos quos ipse perfectè protegit, etiam prophetarum uerba in fidei constructionem uenerunt. Vnde & bene prius murus, & pòst antemurale ponitur: quia uocati ex gentibus, nisi prius dominum cognosceremus, prophetarum illius dicta minimè susceperimus. Et notandum quòd iste murus spiritalis ædificij esse forinsecus dicitur. Murus quippe qui ad munitionem ædificij constituitur, non
D interius sed exterius poni solet. Quid ergo necessarium fuit ut diceret forinsecus, dum nunquam poni murus intrinsecus soleat? quia necesse est ut exterius positus, ea quæ intus sunt defendat. Sed in hoc uerbo quid apertè nisi ipsa dominica incarnatio demonstratur? Murus enim nobis intus est deus: murus uerò foris est deus homo. Vnde & per quendam prophetã dicitur: Existi in salutem Abac.3 populi tui, ut saluos facias Christos tuos. Iste etenim murus, incarnatus uidelicet dominus, murus nobis non esset, si forinsecus non fuisset: quia intus nos nõ protegeret, si exterius non appareret. Sed neq; hoc negligenter prætereũdum est, quòd idem murus positus dicitur in circuitu domus undique. Domus quippe dei non solũ angeli sancti, de quib. Psalmista ait: Domine dilexi decorẽ do-Psal.25 mus tuæ, & locũ tabernaculi gloriæ tuæ, sed etiã

nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos ſumus, quorum mentes inhabitare dignatur. Et murus iſte undique incircuitu domus eſt: quia unigenitus patris, qui ſurſum eſt firmitas angelorum, ipſe deorſum factus eſt redemptio hominũ. Illis fortitudo ne cadant, nobis adiutorium ut ſurgamus poſt caſum. Si uerò per domum dei hoc loco ſola redemptorum hominum multitudo ſignatur, undique nobis dominus & per circuitum murus eſt, quia ut nos perfectè cuſtodiret, oñia quæ
Act.1 docuit oſtendit, ſicut ſcriptum eſt: Quæ cœpit Ieſus facere & docere. Quia enim nos uocare ad cœleſtem patriam uenit, nimirum deſpicere nos bona tranſitoria docuit, & mala temporalia non timere. Vnde & opprobria deſpexit, iniurias pertulit, mortem non timuit, crucis patibulum nõ refugit, & cùm hũc uoluiſſent rapere, & regem conſtituere, ſtatim fugit. Quid nobis aliud his exemplis innuens, niſi ut debeamus huius mũdi & aduerſa non metuere, & proſpera uitare? quia plus plerunq; eius bona occupant animũ, quàm mala perturbant. Ante paſſionem uerò ſuam contumelias audiuit, nec tamen contumelias reddidit. Traditorem ſuum diu tacitus pertulit, & fictè ſalutanti dare oſculum non recuſauit. Suſcepit mortem, ne mori timeremus. Oſtendit reſurrectionem, ut nos reſurgere poſſe crederemus. Poſt paſſionem quoq; ſuam de his qui ſe crucifixerant, ad fidei gratiam uocauit: donũ pro iniquitate reddidit. Qui ergo nos exemplo ſuo de omnibus inſtruxit, murus nobis per circuitum & undique factus eſt.

Sequitur: Et in manu uiri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo.] Præterita lectione iam diximus: quia per calamũ ſcriptura ſacra ſignatur. Qui calamus menſuræ eſſe dicit̃: quia in ipſa omnem uitæ noſtræ actionem metimur, ut ſcilicet uideamus, uel quantum proficimus, uel quantũ longè à profectu diſtamus. Nam ſæpe aliquid agentes, iam cuiuſdam meriti eſſe nos credimus, ſed cum ad uerba dei recurrimus, præcepta ſublimia audimus: ibi cognoſcimus quantum à perfectione minus habeamus. Calamus ergo menſuræ eſt, quia per manus ſcribentium uita menſuratur auditorum. Qui calamus in manu uiri eſſe dicitur: ſiue quia ſacrum eloquium in poteſtate eſt mediatoris dei & hominum hominis Chriſti Ieſu: ſeu quia hoc quod ſcribi uoluit, operando compleuit. Idem uerò calamus ſex cubitorum & palmo eſſe deſcribitur. Duæ etenim uitæ ſunt, in quibus nos omnipotens deus per ſacrũ eloquium erudit. Actiua uidelicet, & contemplatiua. Et per ſex cubitos quid aliud quàm actiua uita exprimitur: quia ſexto die perfecit deus omnia opera ſua. Palmus uerò qui ſuper ſex cubitos eſſe dicitur: iam de ſeptimo eſt, ſed tamen cubitus non eſt. Actiua ergo uita ſignatur per ſex cubitos, contemplatiua per palmum: quia illam opere perficimus, de iſta uerò etiam cùm cor tendimus, uix parum aliquid attingere ualemus. Actiua enim uita eſt, panem eſurienti tribuere, uerbo ſapientiæ neſcientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis uiam ſuperbientem proximum reuocare, infirmantis curam gerere, quæ ſingulis quibuſq; expediunt diſpenſare, & commiſſis nobis qualiter ſubſiſtere ualeant prouidere. Contemplatiua uerò uita eſt, charitatem quidem dei & proximi tota mente retinere, ſed ab exteriore actione quieſcere, ſoli deſiderio conditoris inhærere, ut nil iam agere debeat, ſed calcatis curis omnibus, ad uidendam faciem ſui creatoris animus inardeſcat: ita ut iam nouerit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisq; deſideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris intereſſe, admiſceri cœleſtibus ciuibus, de æterna in conſpectu dei incorruptione gaudere. In palmo itaque manus & digiti tenduntur. Sed parũ quid de menſura cubiti per palmum contingitur, quia quantolibet amore animus ardeat, quãtalibet uirtute ſe in domino & cogitatione tetenderit, non iam quod amat perfectè uidet, ſed adhuc inchoat uidere quod amat: quia ſicut fortiſsimus prædicator dicit: Videmus 1.Cor.13
nunc per ſpeculũ in ænigmate, tũc aũt facie ad faciem. Et nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. De ſeptimo ergo cubito palmum tangimus, qui in hac uita poſiti, contemplationis intimæ ſola initia deguſtamus. Actiua autem uita, quia pefectè teneri poteſt, & ſexto die homo eſt conditus, qui bona debet operari, ſex cubitos calamus habet. Bene has utraſq; uitas duæ illæ mulieres ſignauerunt: Martha uide Luc.10
licet & Maria: quarum una ſatagebat circa frequens miniſterium, alia uerò ſedebat ad pedes dei, & audiebat uerba de ore eius. Cunq; contra ſororem Martha quereretur quòd ſe adiuuare negligeret, reſpondit dominus dicens: Martha, occuparis & ſatagis erga multa. Porrò, unum eſt neceſſarium. Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ecce, pars Marthæ non reprehenditur, ſed Mariæ laudatur. Neque enim bonam partem elegiſſe Mariam dicit, ſed optimam, ut etiam pars Marthæ indicaretur bona. Quare autem pars Mariæ ſit optima, ſubinfertur cum dicitur: quæ non auferetur ab ea. Actiua etenim uita cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem eſurienti porrigat, ubi nemo eſurit? potũ tribuat ſitienti, ubi nemo ſitit? Quis mortuum ſepeliat, ubi nemo moritur? Cum præſenti ergo ſeculo uita aufertur actiua. Contemplatiua autem hic incipitur, ut in cœleſti patria perficiatur: quia amoris ignis qui hic ardere inchoat: cùm ipſum quem amat uiderit, in amore ipſius amplius igneſcit. Contemplatiua ergo uita minimè aufertur: quia ſubtracta præſentis ſeculi luce perficitur. Has utraſq;, ſicut & ante nos dictum Gen.29
eſt, duæ beati Iacob mulieres ſignauerunt: Lia uidelicet & Rachel. Lia quippe interpretatur laborioſa. Rachel uerò ouis, uel uiſum principium. Actiua autem uita laborioſa eſt: quia deſudat in opere. Contemplatiua uerò ſimplex ad ſolum uidendum principium anhelat, uidelicet ipſum qui ait: Ego ſum principium: propter quod & loquor Ioan.8
uobis. Beatus autem Iacob Rachel quidem concupierat, ſed in nocte accipit Liã, quia uidelicet

omnis

omnis qui ad deum conuertitur, cõtemplatiuam uitam desiderat, quietem æternæ patriæ appetit, sed prius necesse est ut in nocte uitæ præsentis operetur bona quæ potest, desudet in labore, id est Liam accipiat, ut post ad uidendum principiũ in Rachel amplexibus requiescat. Erat aũt Rachel uidens & sterilis. Lia autem lippa, sed fœcunda: Rachel pulchra & infœcunda. Quia contemplatiua uita speciosa est in animo, sed dum quiescere in silentio appetit, filios non generat ex prædicatione. Videt & non parit: quia quietis suæ studio minus se in aliorum collectione succẽdit. Et quantum introrsus conspicit: aperire alijs prædicando non sufficit. Lia uero lippa & fœcunda est, quia actiua uita dum occupatur in opere, minus uidet, sed dum modo per uerbum modo per exemplum ad imitationem suã proximos accendit, multos in bono opere filios generat. Et si in contẽplatione mentẽ tẽdere nõ ualet, ex eo tamẽ q̃d agit exteri us gignere sequaces ualet. Rectè ergo in mensura calami prius sex cubiti & postmodum palmus dicitur: quia antè actiua agit, ut ad contemplatiuam postmodũ ueniatur. Sed sciendũ est quia sicut bonus ordo uiuẽdi est ut ab actiua in contemplatiuã tendat, ita plerũq; utiliter à contẽplatiua animus ad actiuam reflectitur, ut per hoc quòd contemplatiua mentem accenderit, perfectius actiua teneatur. Debet ergo nos & actiua ad contemplatiuam transmittere, & aliquando tamen ex eo quòd introrsus mente conspeximus, ad actiuam melius contemplatiua reuocare. Vnde & idẽ Iacob post Rachelis amplexus ad Liæ redijt, quia & post uisum principium, laboriosa uita boni operis nõ est funditus deserenda. Est autem in contemplatiua uita magna mentis contentio, cùm sese ad cœlestia erigit, cùm in rebus spiritalibus animum tendit, cũ transgredi nititur omne q̃d corporaliter uidetur, cùm sese angustat ut dilatet. Et aliquando quidem uincit, & reluctantes tenebras suæ cæcitatis exuperat unde incircumscripto lumine quid dam furtim & tenuiter attingat. Sed tamen ad semetipsam protinus uerberata reuertitur, atque ab ea luce ad quam respirando transiit, ad suæ cæcita tis tenebras suspirando atque lamentando redit.

Quod bene sacra historia designat, quæ beatum
Gene.32 Iacob cum angelo luctatũ narrat. Cùm em̃ ad parentes proprios rediret, in uia angelum inuenit, cum quo in lucta magnum certamen habuit. Is enim qui certat in luctamine, aliquando superiorem se, aliquando uerò eo cum quo contenderit inferiorem inuenit. Designat autẽ angelus domini, & Iacob qui cum angelo contendit, uniuscuiusque perfecti uiri & in contemplatione positi animam. Quæ uidelicet anima cùm contemplari deum nititur, uelut in quodam certamine posita, modo quasi exuperat, quia intelligendo & sentiendo de incircumscripto lumine aliquid degustat: modo succumbit, quia & degustãdo iterum deficit. Quasi ergo uincitur angelus, quando intellectu intimo apprehenditur deus. Sed notandum quòd idem uictus angelus neruum fœmoris Iacob tenuit, eumq; marcescere statim fecit, atque ab eo Iacob tempore uno claudicauit pede, quia scilicet omnipotens deus cùm iam per desiderium & intellectum cognoscitur, omnem in nobis uoluptatem carnis arefacit. Et qui prius quasi duobus pedibus innitentes, & deum uidebamur quærere, & seculum tenere, post agnitionem suauitatis dei unus in nobis pes sanus remanet, atq; alius claudicat, quia necesse est ut debilitato amore seculi, conualescat ad amorem dei. Si ergo tenemus angelũ, uno claudicamus pede: quia dũ crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur quẽ sanum habet: quia & cui desiderium terrenum iam arefactum fuerit, in solo pede amoris dei tota uirtute se sustinet. Et in ipso stat, quia pedem amoris seculi quem ponere in terra cõsueuerat, iam à terra suspẽsum portat. Et nos ergo si ad parentes proprios, id est ad spiritales patres redimus, teneamus in uia angelum, ut suauitate intima apprehendamus deum. Contemplatiua etenim uita amabilis ualde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cœlestia aperit, terrena autẽ debere esse contemptui ostendit, spiritalia mentis oculis patefacit, corporalia abscondit. Vnde bene Ecclesia in Cant.2
Canticis canticorũ dicit: Ego dormio, & cor meum uigilat. Vigilanti etenim corde dormit, quia per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit. Sed inter hæc sciendum est quia quamdiu in hac mortali carne uiuitur, nullus ita in contemplationis uirtute proficit, ut in ipso incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. Neq; enim omniporens deus iam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur anima unde refota proficiat, & pòst ad uisionis eius gloriam pertingat. Sic nanque Esa- Esa.6
ias cùm se dominum uidisse fatetur, dicens: Anno quo mortuus est rex Ozias, uidi dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, protinus adiunxit: Et ea quæ sub eo erant, implebant templum. Quando Ozias rex superbus ac præsumptor moritur, dominus uidetur: quia cùm mundi huius elatio à desiderio mentis occiditur, tũc ipsa mens dei gloriam contemplatur. Et notandum quòd dominus super solium excelsum & eleuatum sedit. Quid nanq; est eius solium, nisi creatura angelica uel humana, cui per intellectũ quem dedit præsidet? Quod uidelicet solium excelsum & eleuatum dicitur, quia & natura humana ad cœlestem gloriam eleuata proficit, & creatura angelica dum multis spiritibus cadentibus iam solidata est in cœlo ne cadat, inde & eleuata est unde & confirmata. Templum uero eius hoc est quod solium, quia æternus rex ibi habitat ubi sedet. Nos ergo templum illius sumus in quorum mentibus habitare dignatur. Sed ea quæ sub eo erant, implẽ bant templum: quia quicquid de illo modo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. Sic Iacob angelũ uidit, & uidisse deũ fatetur: quia cùm ministeria eius cõspicimus, iam multum est quod

super

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuper noſmetipſos leuamur. Notandum uerò ꝙ dicitur: implebant templum, quoniam etſi angelus apparet, infirmæ tamen mentis deſiderio ſatisfacit, ut ſi adhuc maius non poteſt, iam tamen minus quod uidet admiretur. Ea ergo quæ ſub eo ſunt, implent templum: quia ſicut dictum eſt, & cùm mens in cõtemplatione profecerit, nõ iam quod ipſe, ſed id quod ſub ipſo eſt contemplatur. In qua uidelicet contemplatione iam quietis internæ guſtus contingitur. Cuius quia quædam quaſi pars eſt, & perfecta eſſe non poteſt, rectè in Apocalypſi ſcriptum eſt: Factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora. Cœlum quippe eſt anima iuſti, ſicut per prophetam dominus dicit: Cœlum mihi ſedes eſt. Et cœli enarrant gloriam dei. Cùm ergo quies contemplatiuæ uitæ agitur in mente, ſilentium fit in cœlo: quia terrenorum actuum ſtrepitus quieſcit à cogitatione, ut ad ſecretũ intimum auris animum apponat. Sed quia hæc quies mentis eſſe in hac uita perfecta non poteſt, nequaquam hora integra factum in cœlo ſilentium dicitur: ſed quaſi media hora, ut neque ipſa media hora plenè ſentiatur, cùm præmittitur quaſi: quia mox ut ſe animus ſubleuare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum ſtrepitu, de ſemetipſo cõfunditur, & confuſus cæcatur. Vita igitur contemplatiua quæ illic hora quaſi media dicitur: apud Ezechielem prophetam non cubitus, ſed palmus appellatur. Ecce fratres chariſſimi dum uniuſcuiuſque uitæ cauſas exprimere cupimus, paulo latius per exceſſum locuti ſumus. Sed bonis mentibus quibus utraque eadem uita eſt ad agendum amabilis, eſſe non debet ad audiendum grauis. Sequitur: Et menſus eſt latitudinẽ ædificij calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.] Omnipotens deus qui nec in magnis tenditur, nec in minimis anguſtatur, ſic de tota ſimul Eccleſia loquitur, ac ſi de una anima loquatur. Et ſæpe quod ab eo de una anima dicitur nil obſtat ſi de tota ſimul Eccleſia intelligatur. Latitudo itaq; ædificij ad charitatẽ pertinet, de qua Pſalmiſta dicit: Latum mandatũ tuũ nimis. Nihil enim latius quàm omnes in ſinu amoris recipere, & nullas odij anguſtias ſuſtinere. Sic quippe lata eſt charitas, ut in amplitudine dilectionis ſuæ capere etiam inimicos poſſit. Vnde & præcipitur: Diligite inimicos ueſtros, benefacite his qui oderunt uos. Conſiderandum quoq; nobis eſt, quia latitudo in æqualitate, altitudo uerò in ſublimitate tenditur. Latitudo ergo pertinet ad charitatem proximi, altitudo ad intelligentiam contemplatoris. Sed latitudo & altitudo ædificij uno calamo menſuratur, quia uidelicet unaquæq; anima quantum lata fuerit in amore proximi, tantum & alta erit in cognitione dei. Dum enim ſe per amorem iuxta dilatat, per cognitionem ſuperius exaltat. Et tantum ſuper ſemetipſam excelſa fit: quantũ ſe iuxta ſe in proximi amorem tendit. Et quia ædificium quod inhabitat deus, & angelica ſimul & humana natura perficitur, per hoc quòd angelica creatura ſurſum eſt, & humana adhuc deorſum, poteſt per latitudinẽ atq; altitudinem ædificij, utraq; hęc creatura ſignificari: quia iſta adhuc in imis degit, illa uerò in ſublimibus permanet. Sed uno calamo menſuratur utraq;, quia humilitas hominum quandoq; ad æqualitatem perducitur angelorum. Vnde ſcriptum eſt: Neq; nubent neq; nubentur, ſed erunt ſicut angeli dei in cœlo. Et unde per Ioannem dicitur: Menſura hominis quæ eſt angeli. Quia uſq; ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua ſolidatos ſe angeli lętantur. Latitudo ergo ædificij tanta eſt, quãta & altitudo: quia electi quiq; quo modo in imis laborant, quandoq; illis beatiſſimis ſpiritibus non erunt inæquales. Sed nos inter hæc redeamus ad mentem, ac totis medullis cordis deum diligamus & proximum. Dilatemur in affectu charitatis, ut exaltemur in gloria celſitudinis. Compatiamur per amorem proximo, ut coniungamur per congnitionem deo. Condeſcendamus fratribus minimis in terra, ut coæquemur angelis in cœlo: quia uir qui ſua imagine redemptorem ſignat, menſus eſt latitudinem ædificij calamo uno, altitudinẽ quoq; calamo uno. Nunc igitur metitur mores, penſat opera, cogitationes cõſiderat, ut ſine fine poſtmodum retributionẽ reddat Jeſus Chriſtus unigenitus patris, qui cum eo uiuit & regnat in unitate ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Mat.22 Mar.12 Luc.20 Apoc.21 Apoc.8 Pſal.102. 10 & 18 Pſal.118 Matt.5

Homilia decimaquinta.

ET uenit ad portam quæ reſpiciebat uiam Orientalem, & aſcendit per gradus eius. Et menſus eſt limen portæ calamo uno latitudinem, id eſt, limen unum calamo uno in latitudine, & thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum, & inter thalamos quinq; cubitos, & limen portæ iuxta ueſtibulum portæ intrinſecus calamo uno.

VIr cuius calamus menſuræ in manu eius deſcribitur, uenit ad portam quæ reſpiciebat ad uiam Orientalẽ.] Quis uerò alius portæ huius appellatione ſignatur, niſi ipſe dominus ac redẽptor noſter, qui nobis ianua factus eſt regni cœleſtis? ſicut ipſe ait: Nemo uenit ad patrem, niſi per me. Sed cùm eundem uirum lineis indutum figuram domini tenere dixerimus, quærendum nobis eſt qua ratione conueniat, ut idem dominus & per uirum deſignari ualeat, et per portam, dum uir ueniat ad portam? Numquidnã ipſe uenit ad ſemetipſum? An ita eſt quia & in Euangelio ipſe teſtatur dicens: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcẽdit aliunde, ille fur eſt & latro? Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Et paulopoſt dicit: Ego ſum oſtium. Atq; iterum ſubiungit: Ego ſum paſtor bonus. Si ergo paſtor intrat per oſtium, ipſe eſt oſtium, ipſe paſtor, ipſe proculdu-

Ioan.14 Ioan.10

proculdubio intrat per semetipsum. Ecce dū Ezechielis sensum enodare cupimus, de Euāgelio etiam quæstionem ligamus. Quærendum nobis itaque est qualiter & ipse intret, & per semetipsum intret. Dominus enim ac redemptor noster cum sancta Ecclesia quam redemit, secundum carnem
Col.1 una substantia est, Paulo attestante, qui ait: Adimpleo ea quæ desunt passionū Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia. Huius capitis corpus Ecclesia est, & huius corporis caput Chri
Col.1 stus. De quo suo capite exultat corpus, idest, san-
Psal.26 cta Ecclesia, cum per Psalmistam dicit: Nunc autem exultauit caput meum super inimicos meos. Quia enim quandoq; ipsa etiam exaltāda est, iam nunc caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in cœlis. Cum ergo electi quiq; ad uitam perueniunt, quia membra eius per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in suis membris est qui intrat, ipse caput ad quod intrātia mēbra perueniunt. Quod Ezechiel propheta multipliciter insinuat, qui uirum uenisse dicit ad portā, & quæ eadem porta sit ostendit, dicens: Quæ respiciebat ad uiam Orientalem.] Ipse etenim no-
Ioan.18 bis est uia qui dixit: Ego sum uia, ueritas, & uita.
Zacha.6 Ipse etiam Oriētalis uia, de quo scriptum est: Ecce uir, Oriens nomen eius. Porta ergo uiam Orientalem respicit, quia illum signat qui nobis iter ad ortum fecit luminis. Potest etiā portæ nomine unusquisq; prædicator intelligi: quia quisquis nobis ia-
Apoc.21 nuam regni cœlestis ore suo aperit porta est. Vnde & duodecim portę uel in Ioannis Apocalypsi, uel in extrema huius prophetæ uisione describuntur. Potest etiam portæ nomine, scripturæ sacræ scientia non inconuenienter intelligi. Quæ dum nobis intellectum aperit, cęlestis regni ianuā pandit. Possumus portæ nomine & fidem accipere, quam primam contingimus, ut ad uirtutum ædificia intremus. Vnde hic apertè subiungitur. Et ascendit per gradus eius.] Quid enim gradus sunt huius portę nisi merita uirtutum? Siue enim in cognitione mediatoris dei & hominum hominis Iesu Christi, seu in scientia diuini eloquij, seu in ipsa fide quam de illo accipimus, quibusdam gradib. ad altiora incrementa peruenimus. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conuersatione à minimis quisq; inchoat, ut ad magna perueniat.
Psal.47 De his gradibus per Psalmistam dicitur: Deus in gradibus eius dignoscetur dum susciperet eā. Dum enim sanctam Ecclesiam dominus suscipit, in gradibus eius dinoscitur, quia eius gloria per illius incrementa declaratur. Quantum enim sancta Ecclesia ascendendo profecerit, tantum deus hominibus ex eius uirtutibus innotescit. De his quo-
Iob 31 que gradibus beatus Iob loquitur, dicens: Per singulos gradus meos pronunciabo illum. Omnipotentem quippe dominum per singulos gradus suos, pronunciat, qui per incrementa uirtutum quæ cœpit, ei semper laudem suæ pietatis reddit. Si quidā gradus in cordis ascēsione nō essent,
Psal.63 Psalmista non diceret: Ambulabunt de uirtute in uirtutem. Nec mirum si de uirtute in uirtutem gradus sunt, quando unaquæq; uirtus quasi quibusdam gradibus agitur, & sic per incrementa meritorū ad summa perducitur. Aliud nāq; sunt uirtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si em & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdā gradibus duceretur, sancti Apostoli minime dixissent: Adauge nobis fidem. Et quidam uenit ad Luc.17
Iesum, qui curari uoluit filium suum, sed requisitus an crederet, respondit: Credo domine, adiu- Mat.9
ua incredulitatem meam. Pensate ergo quod dicitur: Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si uerò incredulitatem habere senouerat, quomodo credebat. Sed quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemq; tēpore is qui necdum perfectè crediderat, simul & credebat, & incredulus erat. Hos nimirum gradus dominus sub messis nomine describit, dicens: Sic est regnum dei quemadmo- Mar.4
dum si iaciat homo semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & crescat dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cùm ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Semen homo iactat in terram, cùm cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen iactauerit, dormit: quia iam in spe boni operis quiescit. Nocte uero exurgit ac die, quia in aduersa & prospera proficit. Et semen germinat & crescit, dum nescit ille: quia dum adhuc metiri incrementa sua non ualet, semel concepta uirtus ad perfectum ducitur. Et ultrò terra fructificat, quia præueniente se gratia, mens hominis spontaneè ad profectum boni operis assurgit. Sed hæc eadē terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam uerò herba peruenit, cùm se uirtus animo concepta, ad profectum boni operis pertrahit. Plenum uerò frumentum in spica fructificat, quando iam intantum uirtus proficit, ut esse robusti & perfecti operis possit. Sed cùm ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim deus producto fructu, falcem mittit, & messem suam desecat, quia cùm unumquemq; ad opera perfecta perduxerit, eius temporalem uitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad cœlestia horrea perducat. Cùm igitur de sideria bona concipimus, semen in terram mittimus. Cùm uerò operari recta incipimus, herba sumus. Cunq; in eiusdem operationis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus. Herba etenim Petrus fuerat, qui passio- Luc.22
nis tempore per amorem dominum sequēs, hunc Mat.26
confiteri ante ancillæ uocem timebat. Erat enim Mar.14
iam uiriditas in mente, quia credebat omnium re- Ioan.18
demptorem, sed ualde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Iam in spicā surrexerat, quando eum quem moriturum cōfiteri timuerat, nunciante angelo in Galilæa uiuentem uidebat. Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad plenum granum in spica peruenerat, quando ueniente desuper spiritu, & suam mentem in illius amore roborante ita solidatus est, ut uires persequentium cæsus despiceret, & redemptorem suum liberè inter flagella prædicaret. Nullus itaque qui ad bonum propositum adhuc in mentis tenuitate esse conspicitur, despiciatur: quia frumentum dei in herba incipit, ut granum fiat. Vir ergo uestitus lineis uenit ad portam: quia dominus ac redemptor noster membris suis intrantibus perducitur ad se. Et ascendit per gradus eius: quia nobis proficiētibus, eo nobis amplius exaltat, quanto altius & incomprehensibilis esse cognoscitur. In uirtute quippe nostrarum mentium gradibus ipse ascendere dicitur, quia tanto ipse sublimior nobis ostenditur, quātum noster animus à rebus infimis separatur. Sequitur: Et mēsus est limen portæ calamo uno latitudinem.] Cur postquam dictum est limen portæ, statim subiungitur limen unum? Nisi quia aperte innuit quòd adhuc inferius limen aliud dicatur. Porta autem à limine surgit ut porta sit. Si igitur porta dominus, quis huius portæ limen est, nisi illi antiqui patres ex quorum progenie dominus incarnari dignatus est? sicut per Paulum dicitur: Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula. Notandum nobis est in hac Pauli sententia, quòd dij & cæteri hominum sunt uocati, sicut Moysi dicitur. Ponam te in deum Pharaoni. Et per Psalmistā dicitur: Ego dixi dij estis. Et rursum deus stetit in synagoga deorum. Sed aliud est nuncupatiuè, aliud naturaliter dici deum. Etsi Moyses in deū Pharaoni est positus, sed deus intra omnia, non deus super omnia dicitur. Qui uerò est in utero uirginis incarnatus: deus super omnia uocatur. Itaque limē portæ, antiqui patres ex quibus ille natus est, qui nobis aditum regni cœlestis aperuit. Limen autem portæ uno calamo mensuratur, quia ipsi antiqui patres qui potuerunt redemptorem nostrum & prophetando & bene uiuendo prædicare, tanquam sex cubita in perfectione operis, & palmum inchoationis per contemplationem habuerunt. Quia enim eorum uitam in unitatem fidei & perfecta operatio, & inchoata contemplatio sublimem reddidit, in uno calamo mensura liminis fuit. Sequitur: Et thalamum uno calamo in longū, & uno calamo in latum.] Consideremus quid agi in thalamo soleat, atq; exinde hoc quod in sancta Ecclesia agitur colligamus. In thalamo quippe sponsus & sponsa fœderantur, sibiq; in amore iunguntur. Qui ergo sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda in quibus animæ per amorem spontaneo inuisibili iunguntur, ut eius desiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis uitę longitudinem pœnā deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cœlestis spōsi uisione requiescere? Mens itaq; quæ iā talis est, nullam præsentis seculi consolationem recipit, sed ad illam quam diligit medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est uulnere amoris, unde in canticis dicit: Vulnerata charitate ego sum. Mala autē salus est cordis, quæ dolorem huius uulneris nescit. Cùm uerò anhelare iam in cœlesti desiderio, & sentire uulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex uulnere, quæ prius ægrotabat ex salute. Menti autem sponsum suū fortiter amanti, de amore uitę præsentis una solet esse cōsolatio, si per hoc q̄ ipsa ab eius uisione differt̄, aliorū animæ eius uerbo proficiant, & ad cœlestē sponsum amoris facibus inardescant. Mœret, quia differri se conspicit. Triste est ei omne quod aspicit, quia illum adhuc non uidet quem uidere cōcupiscit. Sed est ut dixi non parua consolatio si feruens anima differtur, & per eam multæ colligūtur, ut tardè eum cum multis uideat, quem sola uidere citius uolebat. Vnde rursus in cāt̄ico sponsa dicit: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quid nanq; sunt flores, nisi animæ bonum iam opus inchoantes, & desiderium cœleste redolētes. Quid mala de floribus, nisi perfectæ iam bonorū mentes, quæ ad fructum perueniunt boni operis de initio sanctæ propositionis? Quæ ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis: quia si illum quem desiderat, uidere adhuc non permittitur, magna est ei consolatio si aliorum profectibus lætetur. Anima ergo sancta amore languida, floribus malisq; fulciat, ut requiescat in bono opere proximi, quę adhuc contemplari non ualet uultū dei. Pensemus ergo qualis thalamus Pauli mēs fuerat, qui dicebat: Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Omnipotenti deo inquantū se amore coniūxerat, qui sibi uitam Christū tantūmodo, & mori lucrum esse deputabat? Hinc est quòd iterum dicit, Desiderium habens dissolui, & cū Christo esse multo magis melius. Sed ecce qui dissolui desiderat, quo amore langueat uideamus. Quia interim differri te conspicimus, fulciri quæso floribus nō requiris? Quærit planè, nam sequitur: Permanere autem in carne necessarium propter uos. Et proficientibus discipulis dicit: Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? Non ne uos ante dominum nostrum Iesum Christum? Hinc est quòd idem thalamus uno calamo in longo, & uno calamo in lato dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatē expectationis pertinet, & latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo unusquisq; thalamus habet in longitudinem, quantum & in latitudinem habere potuerit: quia mens cœlesti desiderio succēsa, quantum amorem habuerit ad colligendū proximum, tantam & longanimitatem exhibet ad expectādum deum: & patienter portat moras lōgitudinis, quia se in profectu proximi dilatat amplitudo charitatis. Potest etiam ipsa longitudo longanimitatem patientiæ quæ exhibetur proximo, designare. Et quia latitudo charitatem signat, quæ sinum mentis aperit, & amicos simul atque inimicos in amorem recipit, tanta est longitudo thalami, quanta latitudo: quia quantum lata mens fuerit per amorē, tantum erit & patiens per longanimitatem. Nam

Rom.9 Exo.7 Psal.18 Cant.2 Phil.1

tantum

tãtum quisq; portat proximũ, quantũ amat. Si eñ amas, portas: si desistis amare, desistis tolerare. Quem enim minus diligimus, minus etiam toleramus, quia irruente fastidio, citius facta proximi adducuntur in grauedinem ponderis, quæ nobis non leuiat penna charitatis. Sequitur: Et inter thalamos quinque cubitos.] Vnum suprà thalamum dixerat, & postmodum quinq; cubitos esse inter thalamos narrat. Ea uidelicet ratione, quia multi thalami unum faciũt, sicut & multæ Ecclesiæ una Ecclesia uocatur. Vnde & in Ioannis Apocalypsi septem Ecclesiis scribitur, per quas una catholica designatur. Hi itaq; qui in sancta Ecclesia, sicut diximus, feruenti amore deum uidere sitiunt, eiq; iam per desiderium coniunguntur, thalami uocantur. Sed tamen sunt in ea quidam qui penetrare subtilia non ualentes, & quinq; adhuc corporis sensibus depressi, tanto minus amant eum qui fecit omnia, quanto amplius in his quæ facta sunt illigantur. Et iam quidem exercere se in timore domini, & amore proximi tendere studẽt, bona opera corporaliter agere, eleemosynis peccata redimere. Sed quia ui amoris in timi ardere ad cœleste desiderium nesciunt, quasi adhuc deuincti corporeis sensibus tenentur. Isti itaq; thalami non sunt, sed tamen inter thalamos continentur: quia per eorum ducatum qui uisionem dei perfectè diligunt, & ipsi ad perfectũ mẽtis diriguntur. Inter thalamos ergo quinq; sunt cubiti, quia hi qui ab exterioribus quinque sensibus ad intellectum mysticum nõ assurgunt, dum inter eos sunt qui spiritu amoris feruent, uelut manentes inter thalamos in fidei constructione proficiunt, & à mensura cœlestis ædificij diiuncti nõ sunt. Nam & paulisper se ab appetitu corporalium sensuum subtrahunt, & dilatato mẽtis spatio, imitantes charitatem quam conspiciunt, hincinde ad thalamos extenduntur. Quod ergo non per sex cubitos sed per quinque descripti sunt, ipsa adhuc eorum imperfectio designatur. Sed tamẽ per bonum desiderium in mensura spiritalis ædificij esse memorantur, quia ex uoce Ecclesiæ per Psal-
Psal.138 mistã dicitur: Imperfectũ meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo oẽs scribẽtur. Qui iterum per
Psal.113 Psalmistam dicit: Benedixit omnes timẽtes se dominus, pusillos cum maioribus. Hi itaq; & imperfecti sunt & pusilli. Inquantũ tamen cognoscere præualent, & deum & proximum diligunt, atque ideo bona quæ possunt, nõ negligũt operari. Qui etsi necdum ad spiritalia dona proficiũt, ut uel ad perfectam operationẽ, uel ad succensam contemplationẽ animam exerant, tamẽ ab amore dei & proximi in quantũ capere præualẽt nõ recedunt. Vnde fit ut ipsi quoq; etsi minori loco, in sancta tamen ædificatione sint positi, quia etsi ad doctrinam, si ad prophetiam, si ad miraculorũ gratiam, si ad contemptum mundi plenius exequendum fortasse minores sunt, tamen in timoris & amoris fundamẽto sunt, in quo solidant: quia etsi igne cœlestis desiderij non ardent, in ipsis exteriorib. quę exercere sufficiunt, uapore charitatis animantur,

A & inter proximorum præcellentium ædificia continent. Vnde & rectè sponsa in canticis canticorum loquitur dicens: Ferculum fecit sibi rex Salo Cant.3
mon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureũ, media charitate constrauit, propter filias Hierusalem. Neq; enim credendum est Salomonem tantæ magnitudinis regem, qui sic immensis delicijs affluebat, ut pondus auri eius æstimari nõ posset, & argentum in diebus illis precium non haberet, quia ferculũ sibi ligneum fecit. Sed est Salomon uidelicet pacificus noster, qui sibi de lignis Libani ferculum fecit. Libani quippe ligna cedrina ual
B de sunt imputribilia. Ferculum itaq; regis nostri sancta Ecclesia est, quæ de fortibus patribus, id est imputribilib. mentibus est constructa. Quæ rectè ferculũ dicitur, quia ipsa fert quotidie animas ad æternum conuiuium conditoris sui. Cui ferculo columnæ argenteæ factæ sunt: quia prædicatores Ecclesiæ sanctæ, eloquij luce resplendent. Est autem cum columnis argenteis reclinatorium aureum: quia per hoc quod à sanctis prædicatoribus lucidè dicitur, mentes audientium fulgorem charitatis intimæ in qua reclinentur inueniunt. Per hoc enim quòd luculentè & aperte audiunt, in illud quod claresci t in corde requiescunt. Columnæ ergo argenteæ & reclinatorium aureum factũ est, quia per lucem sermonis inuenitur apud
C animum claritas quietis. Illius iam quippe fulgor internus mentem irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi prædicationis gratia quęratur. De eadem quippe sancta Ecclesia scriptum est: Pen- Psal.67
nę columbę deargentatę, & posteriora dorsi eius in specie auri. Quæ enim hic spiritu mansuetudinis impleta, quasi columba pennas deargentatas habet, in posteriora dorsi eius speciem auri continet: quia hic prædicatores suos sermonis luce induit: in posteriori autem seculo, fulgorem in se claritatis ostendit. Sed ad hoc quod clarũ intus ostenditur, qualis sit ascensus adiungit, cùm de eodem ferculo protinus subdit: Ascensum purpureũ. Vera quippe purpura quia de sanguine tingitur, non immeritò in colore sanguinis uidetur: quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ec-
D clesię per martyrij sanguinem peruenit ad regnũ. Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo: quia ad clarũ quod intus aspicitur, per tribulationem sanguinis peruenitur. Quid ergo nos miseri atq; ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columna esse non possũmus, quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumẽ emicat prædicationis. Reclinatorium aureũ non habemus, quia necdum sicut oportet per intellectum spiritalem requiem internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro redemptore nostro fundere sanguinẽ nõ ualemus. Quid ergo de nobis agendum est? Quæ spes erit, si nullus ad regnum peruenit, nisi qui summis uirtutibus prędit us fuerit? Sed adest quoq; nostra cõsolatio. Amemus inquantum possumus deum, diligamus & proximum, & simul quoq; nos ad dei

ferculum pertinemus: quia sicut illic scriptum est: Media charitate constrauit. Habe quippe charitatem, & ibi sine dubio pertines, ubi & colũna argentea erigit̃, & ascẽsus purpureus tenetur. Nam quia hoc propter nostram infirmitatẽ dicit̃ apertè monstratur cum illic protinus subdidit: Propter filias Hierusalem. Sermo etenim dei qui non filios, sed filias dicit, quid aliud per sexũ fœmineũ quàm mentiũ infirma signauit? Quòd ergo illic inter columnas argenteas, reclinatoriũ aureũ & ascensum purpureum, inesse media charitas dicitur propter filias Hierusalẽ, hoc hic inter thalamos per quinq; cubitos designatur: quia & qui in uirtutibus infirmantur, si ipsi bona quę possunt facere cum charitate non negligunt, à dei ædificio alieni nõ sunt.

Sequitur: Et limen portæ iuxta uestibulum portæ intrinsecus calamo uno.] Dum limen quod modo describitur, iuxta uestibulum portæ intrinsecus esse memorat̃, apertè ostenditur, quia limen quod prius scriptum est, extrinsecus fuit. Sed si porta est dominus, quod sit limen portę intrinsecus, extrinsecus requiramus. Per limen etenim portam unusquisque ingreditur. Et quæ sunt duo hæc limina, nisi patres testamenti ueteris, & patres testamenti noui? Non solum quippe hi de quibus dominus incarnari dignatus est, sed omnes testamenti ueteris patres portæ huius limen fuerunt: quia hi qui eum prædicare & in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum uenientibus aperuerunt aditum fidei: ut omnis qui crediderit dominum, quasi iam portam huius liminis intraret. Sed cur antè limen exterius, & pòst limen interius dicitur, nisi quia prius testamẽti ueteris patres & postmodũ noui testamenti doctores fuerunt? Rectè autem limen exterius testamẽti ueteris patres designat, quia per eorum prædicationem opera peruersa punita sunt. Per dicta uerò nouorum patrum, uniuscuiusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus & in deliberatione cordis oftẽditur. Illi quippe à flagitijs, à crudelitatibus, à rapinis auditorum animas prohibere curauerunt: isti uerò dum non solum peruersa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt? Vnde & ipsa ueritas loquitur dicens: Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Rectè quoq; exterius limen illos patres designat, qui ab incarnatione redemptoris nostri per interualla temporum longius cõstiterunt. Et quidem ab Abel sanguine, passio iam cœpit Ecclesiæ. Et una est Ecclesia electorum præcedentium atq; sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur: Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: antiquis patribus quasi foris stetisse est, redemptoris nostri præsentiam corporaliter non uidisse. Exterius igitur sed tamen non diuisi à sancta Ecclesia fuerunt, quia mente, opere, prædicatione, ista iam fidei sacramenta tenuerunt, istam

Matt. 5

Lucæ 10

A sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerũt, quam nos non adhuc præstolando, sed iam habendo cõspicimus. Sicut enim nos in præterita passione redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem uentura sunt saluati. Illi ergo foris non extra mysterium, sed extra tempus. Vnde & in constructione tabernaculi, ut columnæ argẽteæ interius starent, paxilli ærei figi per circuitum exterius iussi sunt, in quibus religatũ tabernaculum teneretur. Columnæ itaque argenteæ interius, paxilli uerò ærei in circuitu figuntur, atq; in ipsis funes ligati sunt, ut tabernaculum fixum maneret: quia uidelicet ut sancti Apostoli in luce sermonis sui solidi starent, & totum tabernaculum, ideſt sancta Ecclesia in fidei integritate consisteret: tanquam paxilli ærei patres testamenti ueteris ac prophetæ exterius fixi sunt, qui uerborum suorũ funibus prædicatorum mentes in soliditate stringerent: atque in hoc dei paxilli sunt, ut habitaculum in statu fidei ligarent. Extra ergo paxilli sunt, qui ante tempus huius sanctæ Ecclesiæ fuerũt. Sed tamen eos ligant qui in ipsa sunt, quia dum cœlestia mysteria uenturą prædicant, hęc postquam ostensa sunt credibilia omnibus fecerũt. Vt ergo intus columnæ immobiles stent, foris paxilli funes cõtinent: quia ut sancti Apostoli perfectè incarnationis dominicæ mysterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc priusquam fuerit, & uidere & prædicere potuerunt. Vnde rectè quoque ipse primus Apostolorum, magna scilicet columna uerí tabernaculi, loquitur dicens: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. In quibus uerbis indicat, quanto ad altiora surrexit ex culmine, ubi religata persistat in fide. Quæ tamen lucerna prophetici sermonis iam quidem intelligentibus lucet, sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Vnde etiam per Psalmistam de ijsdem dictis prophetarum dicitur: Tenebrosa aqua in nubibus aeris, quia uidelicet occulta est scientia in prophetis. Nec immeritò columnæ argenteæ paxilli uerò ærei facti sunt: quia quod clare iam Apostoli prædicant, hoc prophetæ sub intellectu mystico obscurè locuti sunt. Rectè ergo per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuerunt. Sancti uerò Apostoli qui ad redemptoris nostri mysterium lucem prædicationis habuerunt, argenteis colũnis expressi sunt. Et notandum quòd argentum sonat & lucet, æs uerò sonat & non lucet, quia prædicatores noui testamenti apertè locuti sunt quæ etiam monstrare potuerunt. Prædicatores uerò testamenti ueteris quia per allegoriarum umbras de cœlesti mysterio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt. Quod ergo illic per paxillos & columnas, hoc hic per limen exterius designatur. Si uerò portam scripturam sacram hoc in loco accipimus, ipsa quoque duo limina habet, exterius & interius, quia in litera diuiditur & allegoria. Limen quippe scripturæ sacræ exterius litera: limen uerò

B

C

2. Par.

Psal. 17

D

men uerò eius interius allegoria. Quia enim per li teram ad allegoriã tendimus, quasi à limine quod est exterius, ad hoc quod est interius uenimus. Et sunt in ea permulta quę ita iuxta literam mentem ædificant, ut per hoc quod exterius agitur, audientis mens interius trahatur. Ibi quippe inuenimus prædicamenta operis & exempla uirtutis: ibi iubetur quid agere etiam corporaliter debemus: ibi hoc quod ad operandum præcipitur, in sanctorum uirorum ac fortium actione monstratur: ut postquam nos apertiora præcepta atq; exempla iustorum ad bonam operationem instruunt, tunc ad limen interius, id est ad intellectum mysticum intimæ contemplationis tendamus si possumus pedem mentis. Studete quæso fratres charissimi B dei uerba meditari, nolite despicere scripta nostri conditoris, quæ ad nos missa sunt. Multum ualde est quòd per ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis suæ frigore torpescat. Cùm illa præcedentes iustos fortiter egisse cognoscimus, & ipsi ad fortitudinem bonæ operationis accingimur, sanctorum exemplorum flamma animus legentis incenditur. Videt quæ fortia ab eis facta sunt, & ualde indignatur sibi quia talia non imitatur.
Cant.4 Vnde rectè sponsi uoce ad sponsam dicitur: Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis. Mille clypei pẽdent ex ea, omnis armatura fortium. In collo etenim guttur, in gutture uox est. Quid ergo per collum sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra eius eloquia designantur? In qua C dum mille clypei dependere memorant, per hũc perfectum numerum numerus uniuersus ostenditur, quia uniuersa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt præcepta dei, ibi exempla iustorum. Si enim torpet animus à con-
Matt.22 ditoris sui desiderio audiat quod dicitur: Diliges dominum deum tuum ex tota mente tua, & ex to-
Mar.12 ta uirtute tua. Si quis in odio fortasse labitur proximi, audiat quod dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Res aliena cõcupiscit? audiat quod
Exod.20 illic scriptum est: Non cõcupisces rẽ proximi tui.
Mar.19 De iniuria quæ proximi ore uel facto illata est, ad
Leu.19 iram mens accenditur? audiat quod dicit: Non quæres ultionẽ, nec memor eris iniuriæ ciuiũ tuorum. In carnis concupiscentiam malè saucia mens ac- D cenditur? ne sequatur oculus mentem, audiat quod
Matt.5 paulò superius dictum est: Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Contra inimicum forsitan quisq; animum suum relaxare ponit in odio? audiat quod illic scriptum est: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui uos oderũt. Sed is qui aliena iam nõ rapit, adhuc forsitan sua inordinatè retinet? audiat
Lucæ 12 quod illic dicitur: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Infirmantis animus perfrui desiderat deo simul et seculo? audiat quod illic scriptũ
Matt.6 est: Nemo potest duobus dominis seruire. Alius non ad necessitatem stipendij, sed ad uoluntatem desiderij possessa retinet? audiat quod illic dicit:
Lucæ 14 Qui non renunciauerit omnib. quæ possidet non potest esse meus discipulus. Quidam enim relinquunt omnia, multi autem possidendo renunciãt; qui sic ad usum possessa retinent, ut eis desiderio non succumbant. Torpere quisque appetit, & laborem subire pro domino etiam cum prævalet refugit. In collo ergo Ecclesiæ, idest in sacri eloquij prædicatiõe quæ pro sua munitione & altitudine turri Dauid similis dicit, mille clypei dependent: quia quot illic præcepta sunt, tot etiã pectoris nostri munimina. Ad seruandã itaq; innocentiã etiã lesi à proximo perdurare in humilitate festinamus? Abel ante oculos ueniat, qui & occisus à fratre Gen.4
scribitur, & non legitur reluctatus. Mentis munditia etiam cum coniugali copula eligitur? Enoch Gen.5
debet imitari, qui & in cõiugio positus ambulauit cũ deo, & nõ inueniebat, quia transtulit illũ deus. Præcepta dei festinamus præsenti nostræ utilitati præponere? Noe ante oculos ueniat, qui cura, do- Gen.6
mestica postposita, ex iussione omnipotentis domini, per centum annos ad arcæ fabricam uixit occupatus. Subire obedientiæ uirtutem nitimur? aspicere Abraham debemus: qui relicta domo co Gen.12
gnatione, patria, obediuit exire in locũ quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt nescies quo iret: qui paratus extitit, ut pro æterna hæreditate Gen.22
dilectum quem acceperat occideret hæredem. Et quia unicum domino offerre non distulit, uniuersam multitudinem gentium in semẽ accepit. Morum simplicitas placet? Isaac ad mentem ueniat, Gen.24
quem in omnipotentis dei oculis uitæ suæ tranquillitas ornauit. Laboriosa fortitudo ut obtinere debeat quæritur? Iacob ad memoriam deducatur, Gen.31.32
qui postquam sciuit fortiter seruire homini, ad eã &29
quoque uirtutem deductus est, ut non potuisset à luctante angelo superari. Conamur carnis illecebram uincere? Ioseph ad memoriam redeat, qui Gen.39
tentante se domina studuit carnis continentiam etiam cum uitę periculo custodire. Vnde factũ est ut quia membra sua bene nouerat regere, regendæ quoque omni Ægypto præesset. Mansuetudinem atque patientiam obtinere quærimus? Moy Num.12
sen ante oculos deducamus qui exceptis paruulis ac mulieribus, sexcenta milia armatorum regens, mitis fuisse describitur super omnes homines qui habitabant super faciem orbis terræ. Rectitudi- D nis zelo contra uitia accendimur? Phinees ante Num.25
oculos deducatur, qui coeuntes gladio transfigẽs castitati populum reddidit, & iram dei iratus placauit. De spe omnipotentis dei præsumere in du- Deut.34
bijs quærimus? Iosue ad memoriam reuocemus, Iosue 3.5.8
qui dum dubia certamina certa mẽte subijt, ad uictoriam sine dubietate peruenit. Iam mentis inimicitias punire cupimus, in benignitate animum dilatare? Samuel in cogitationem deducatur, qui 1.Reg.8
de principatu deiectus à populo, cum idem populus peteret, ut pro eo domino preces effunderet, respondit dicens: Absit à me hoc peccatum in do- 1.Reg.12
mino, ut cessem orare pro uobis. Culpam quippe uir sanctꝰ perpetrare se credidit, si eis quos aduersarios pertulerat usq; ad deiectionem benignitatem gratiæ non reddidisset in prece. Qui rursus cum iubente domino mitteretur ut Dauid ungeret in

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret in regem, reſpondit: Quomodo uadam? inueniet enim me Saul, & occidet me. Et tamen quia iratum deũ eidem Sauli cognouerat, in tanto ſe luctu afflixerat, ut ei per ſe dñs diceret: Quouſq; tu Saulem luges, cùm ego illũ abiecerim? Penſemus ergo eius animũ quãtus ardor charitatis incenderat, qui & illum flebat à quo timebat occidi. Caue re autem uolumus quem timemus? ſollicita nobis mente penſandum eſt ne ſi locum fortaſſe reperimus, malum pro malo reddamus ipſi quem fugimus. Dauid ergo ad memoriam redeat, qui perſequentem ſe regem & inuenit ut potuiſſet occidere, & tamen in ipſa feriendi poteſtate poſitus, elegit bonũ quod ipſe deberet facere, non autẽ malũ
1.Reg. 24 & 26 quod ille merebatur pati, dicẽs: Abſit à me ut mittam manum meam in Chriſtum domini. Et cùm idem Saul pòſt ab hoſtib. fuiſſet interemptus, eũ quem perſecutorem dum uiueret pertulit, fleuit
2.Reg. 1 occiſum. Errantibus huius mũdi potentibus libere loqui decernimus? Ioannis authoritas ad animum reducatur, qui Herodis nequitiã reprehendens, pro uerbi rectitudine occidi non timuit. Et
Luc. 3
Mar. 6 quia Chriſtus ueritas, ipſe ideo pro Chriſto, quia pro ueritate animam poſuit. Carnem iam noſtrã pro deo ponere in mortem feſtinamus? Petrus ad
Act. 4 mentem ueniat, qui inter flagella gaudet, qui cæſus principibus reſtitit, qui uitã ſuam pro uita deſpicit. Cum mortis appetitu diſponimus aduerſa
Act. 20 contemnere? Paulus ante oculos deducatur, qui non ſolum alligari, ſed & mori paratus pro Chriſto, nõ facit precioſiorem animam ſuam quàm ſe. Succendi cor noſtrum igne charitatis quærimus?
1.Ioan. per totam Ioannis uerba penſemus, cuius omne quod loquitur, charitatis igne uaporatur. Quia in uoce ſacri eloquij cuiuslibet quærimus munimen uirtutis, inuenimus: mille clypei pendent ex ea, omnis ar-
Cant. 4 matura fortium. Si enim pugnare contra ſpiritalia nequitiæ uolumus, in collo Eccleſiæ quę nobis ſicut Dauid turris erecta eſt: id eſt in diuino eloquio protectionis arma requiramus, ut ex diſcretione præcepti, contra uitia ſumatur uirtus adiutorij. Ecce enim contra aerias poteſtates feſtinamus fortes exiſtere? in hac turri armaturã noſtræ mentis inuenimus, ut inde præcepta cõditoris, inde ſumamus exempla præcedentiũ, per quæ contra aduerſarios noſtros inexpugnabiliter armemur. Dũ enim quamlibet uirtutem ſubire appetis, & hanc illic à patribus iam impletã uides, ibi armaturam tuam inuenis, per quam contra ſpiritalia bella muniaris. Dependent in ea quippe clypei, ſi quis pugnare appetit, aſſumat, & ex ea uirtute pectus muniat, & uerborũ iacula emittat. Et notandum quia ædificata cum propugnaculis ſuis dicit. Hoc quippe agunt propugnacula quod clypei, quia utraq; pugnantem muniunt. Sed inter utraq; diſtat, quia clypeos pro noſtro munimine ubicunq; uolumus mouemus. Propugnaculo autem defendi poſſumus, ſed hoc mouere non poſſumus. Clypeus in manu tenetur, nam propugnaculum nõ tenetur. Quid ergo inter propugnacula & clypeos diſtat: niſi quòd in ſacro eloquio patrum præcedentium A & miracula legimus, & uirtutes bonorũ operum audimus? Ibi nanq; cognoſcimus quòd alius potuit mare diuidere, alius ſolem figere, alius mortuum ſuſcitare, alius paralyticũ uerbo erigere: alius umbra ægros curare, alius per ſuã ſententiã infirmantium febribus obuiare. Qui tamen omnes & patientiæ longanimitate mites, & zelo rectitudinis feruentes fuerunt, uerbi prædicatione diuites, ſimul & miſericordia largi. Hi itaq; quàm uera de deo dixerint, teſtantur miracula, quia talia per illum non facerent, niſi de illo uera narrarent Et q̃ pij, quàm humiles, quàm benigni extiterint, eorũ teſtantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum prædicatione concepimus, loB quentium miracula cõſpiciamus, & in fide quam ab eis accepimus, confirmamur. Quid ergo illorũ miracula niſi noſtra ſunt propugnacula? quia & muniri per illa poſſumus, & tamẽ hæc in manu noſtri arbitrij non tenemus: nam talia facere non ualemus. Clypeus uerò in manu eſt, & defendit: quia uirtus patientiæ, uirtus miſericordiæ, præcedente nos gratia, & in poteſtate eſt arbitrij, & à periculo protegit aduerſitatis. Turris itaq; noſtra cum propugnaculis ſuis ædificata eſt, in qua mille clypei dependent, quia ſcriptura ſacra ſub miraculis patrum à iaculo aduerſitatis abſcondimur, & cõuerſationis ſanctæ munimina etiam in manu operis tenemus. Notandũ uerò quòd limen portæ uno calamo menſuratur. Calamus autẽ in ſex cubitis
C & palmo tenditꝰ, quia uidelicet in ſcriptura ſacra doctrina perfectæ operationis, & initiũ ſupernæ contemplationis inuenitur. Sin uerò porta hoc loco unuſquiſq; prædicator accipit, limen exterius in porta eſt uita actiua, limen uerò interius uita cõtemplatiua. Per illam quippe ambulat in fide, per hanc uerò feſtinatur ad ſpeciem. Illa exterius ducit, ut unuſquiſq; bene uiuere debeat, iſta interius perducit, ut ex bona uita ad gaudia æterna pertingat. Hæc nos hodie tractaſſe ſufficiat. Quia enim tranſeuntes ad alia, diu per exceſſum locuti ſumꝰ, ea quæ ſubiecta ſunt, lectioni alteri reſeruemus, reparandi per ſilentium, ſperantes in uerbo, quod uiuit & regnat cũ patre in unitate ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

D

Homilia XVI

IT menſus eſt ueſtibulũ portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis. Veſtibulũ aũt portæ erat intrinſecus. Porrò thalami portæ ad uiam orientalem tres hinc & tres inde, menſura una trium: & menſura una frontium ex utraq; parte. Et menſus eſt latitudinem liminis portæ decem cubitorũ: & longitudinem portæ tredecim cubitorum, & marginẽ ante thalamos cubiti unius, & cubitus unus finis utrunque.

Vit

Vir cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris, men ſus eſt ueſtibulum portæ octo cubitorũ, & frontem eius duobus cubitis.] Ac ne hoc ueſtibulum extra portã eſſe crederemus, ſubditur: Veſtibulum autẽ portæ erat intrinſecus.] Quid ergo per interius ueſtibulum niſi æternæ uitæ latitudo ſignatur? quæ modo inter anguſtias uitæ præſentis iam ſpe mẽte concipit. De qua per Pſalmiſtã dicit: Intrate portas eius in cõfeſſione, atria eius in hymnis cõfeſſionum. Cùm em̃ peccata noſtra per lachrymas confitemur, anguſtæ uitæ portam ingredimur. Sed cùm poſt hæc ad æternam uitam perducimur, portæ noſtræ atria in confeſſionum laudibus intramus, quia ibi iam anguſtia non erit, cùm nos lætitia æternæ ſolennitatis aſſumpſerit. Propter cõfeſſionis noſtræ anguſtiam ueritas dicit: Intrate per anguſtam portã. Et cùm ſe Pſalmiſta recipere in latitudine gaudia æterna præſumpſerat, dicebat: Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos. Ad atrium ergo per portã tendit, quia ad latitudinem ſolẽnitatis pertingit ab anguſtia confeſſionis. Illa itaq; gaudia, quæ apud Dauid atria, apud Ezechielem ueſtibulum intrinſecus uocat. Vnde & hoc ipſum ueſtibulum octo cubitis dicit menſuratum. Ibi em̃ omnes recipiendi ſunt, qui nunc in exercitio operis laborãt, & ad ęterna gaudia per contemplationis gratiã ſuſpirant. Nec immeritò menſura ueſtibuli in octo cubitis ponit, quia ſeptem diebus uniuerſum tempus euoluit. Æterna etenim dies, quæ expleta ſeptẽ dierum uiciſſitudine ſequitur ſcilicet, octaua eſt. Vnde etiam Pſalmiſta reſurrectionis diem conſiderans, quia de extremi iudicij diſtrictiõe erat locuturus, præmiſit titulum dicens: In finem Pſalmus Dauid pro octaua. Vt enim quam octauã diceret demõſtraret, diem illam tremendi terroris in Pſalmi inchoatione ſecutus eſt, dicẽs: Domine ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias me. Modò enim quiſquis per flagella corripit, & correptionibus emendatur, in manſuetudine corrípit, non in ira. In diſtricto autem illo examine omnis argutio atque correptio ira eſt, quia uenia poſt correptionẽ nõ eſt. Huius octonarij numeri cauſa eſt, quod poſt ſabbatum Dominus uoluit à morte reſurgere. Dies quippe dominicus, qui tertius eſt à morte dominica, à conditione dierum numerat octauus, quia ſeptimum ſequit. Vnde & ipſa uera redemptoris noſtri paſſio & uera reſurrectio figurauit aliquid de ſuo corpore in diebus paſſionis ſuæ. Sexta em̃ feria paſſus eſt: ſabbato quieuit in ſepulchro, dominico die reſurrexit à morte. Præſens etenim uita nobis adhuc ſexta eſt feria, quia in doloribus ducit, & in anguſtijs cruciatur. Sed ſabbato quaſi in ſepulchro quieſcim⁹, quia requiem animæ poſt corp⁹ inuenim⁹. Dominico uerò die, uidelicet à paſſione tertio, à cõditione ut diximus octauo, iam corpore à morte reſurgem⁹, & in gloria animæ etiã cũ carne gaudebimus. Quod ergo mirè ſaluator noſter fecit in ſe, hoc ueraciter ſignificauit in nobis, ut nos dolor in ſexta, & requies in ſeptima, & gloria excipiat in octaua. Hinc per Salomonẽ dicit: Da partes ſeptẽ, necnõ & octo, quia ignoras quid mali futurũ ſit ſuper terrã. Partes etem̃ ſeptẽ ſimul & octo damus, quando ſic ea quæ ſeptẽ diebus euoluunt diſponim⁹, ut per hęc ad bona æterna ueniamus. Vt dũmodo cautè agitur, poſtmodũ ueniẽtis tremẽdi iudicij ira deuitetur. Octo itaq; cubitis ueſtibulũ menſuratũ intrinſecus: quia per lucẽ quæ poſt ſeptẽ dies ſequit, latitudo nobis æternitatis aperit. Sed nemo ad illã uenit, niſi qui hic dilectionẽ dei ac proximi deuota mẽte tenuerit. Vnde & ſubdit: Et frontẽ eius duobus cubitis.] Frons etem̃ portæ eſt boni meritum uitæ præſentis. Sicut em̃ ueſtibulũ intrinſecus ſuperna requies debet intelligi, ita per frontẽ portæ neceſſe eſt qualitatẽ uiſibilis uitæ ſignari. Frõs ergo portæ duobus cubitis menſuratur: quia quiſquis hic dilectionẽ dei ac proximi ſeruare ſtuduerit, ipſe ad æternitatis atriũ pertingit. Vita igitur noſtra ut duobus cubitis ſit mẽſurata, tẽdi quotidie per charitatẽ debet in amorẽ dei ſimul & proximi. Nõ eſt em̃ charitas uera, ſi minus à duobus cubitis habet. Vnde Moyſes cũ per colores ueſtium, electorum uirtutes exprimeret, in ornamẽto põtificis bis tinctum coccũ iubet adhiberi. Quid nanq; per coccum, niſi charitas deſignat, quę ſem per flamma amoris accẽditur? Sed coccus bis tingitur, quando non ſolum ex amore dei, ſed etiam proximi noſtra charitas inflammatur. Nam quiſquis ſic amat deum, ut commiſſi ſibi proximi curam relinquat, adhuc in eo coccus ſemel tinctus eſt. Et quiſquis ſic amat proximum ut minuat deſiderium quo flagrare debet in deum, non eſt adhuc in eo color tincturæ geminatus. Debem⁹ ergo & amare eos cum quibus uiuimus, & ad illum totis deſiderijs anhelare, in quo ueraciter uiuamus. Ecce etenim ad fidem atq; ad audiẽdum uerbum omnipotentis domini nos qui religioſo induti habitu uidemur, ex diuerſa mundi qualitate conuenimus, atq; ex diſſimilibus iniquitatibus in ſanctæ Eccleſiæ concordia congregati ſumus, ita ut iam patẽter factum eſſe uideat quod de promiſſione Eccleſiæ per Eſaiam dicit: Habitabit lupus cum agno, & pardus cũ hœdo accubabit. Nã per ſanctæ charitatis uiſcera lupus cum agno habitat: quia hi qui in ſeculo raptores fuerunt, cum manſuetis ac mitibus in pace conquieſcũt. Et pardus cum hædo accubabit: quia is qui peccatorum ſuorum maculis uarius fuit, cum eo qui ſe deſpicit & peccatorem fatetur, humiliter conſentit. Vbi & ſubditur: Vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur. Quia & is qui per contritum cor ad quotidianum ſe deo ſacrificium præparat, & alius qui tanquam leo ex crudelitate ſæuiebat, & alter qui uelut ouis in innocentiæ ſuæ ſimplicitate perdurat, in caulis ſanctæ Eccleſiæ conuenerunt. Ecce qualis eſt charitas, quæ per diuerſitates mẽtium accẽditur, cõcremat, cõflat, & quaſi in unã auri ſpeciẽ reformat. Sed ĩ eo q⁹ ſe electi ſic amãt, ad illũ neceſſe eſt ut feſtinẽt, quẽ ęterno gaudio ĩ cœlis uidere mereant

Universidad de Deusto
Biblioteca

mereantur. Vnus est etenim dominus ac redemptor noster, qui & hic electorum suorũ corda ad unanimitatem ligat, & ad supernum amorem per interna desideria semper stimulat. Vnde & illic subditur: Et puer paruulus minabit eos. Quis iste est puer paruulus, nisi de quo scriptũ est: Puer natus est nobis, filius datus est nobis? Qui simul habitantes minat, quia ne in terrenis rebus corda nostra inhæreãt, hæc per internum desiderium quotidie inflammat. Et hoc ipsum eius minare, est ad suum nos amorem incessanter accendere, ne cum nos uicissim diligimus, mente in hoc exilio remaneamus: ne quies huius uitæ sic placeat, ut ad obliuionem patriæ perducat, ne delectata mens prosperis torpeat. Vnde & donis suis flagella permiscet, ut nobis oñe quod nos in seculo delectabat, amarescat, & illud incendium surgat in animo, ꝙd nos semper ad cœleste desiderium in quiete excitet, atque ut ita dicam, delectabiliter mordeat, sua uiter cruciet, hilariter cõtristet. Puer ergo nos paruulus minat, quia is qui paulominus quàm angeli minoratus est, per charitatem quam nobis tribuit in hoc nos mundo mentem figere non permittit. Bis tinctus itaq; in nobis coccus est, si & hic proximos nostros sicut nos diligimus, & ad authorẽ omnium cum ipsis quos diligimus festinamus. Si igitur uita nostra de perfecta charitate bis tingit, frons in uobis portæ duobus cubitis mensuratur. Siue igitur doctor seu sacrum eloquium, uel certe fides portæ nomine signet, in mensura utriusq; cubiti charitas non incõuenienter accipitur: quia & ille uera prædicat, qui dei ac proximi amorem docet, & ipsa est certa scientia quam charitas ædificat, & fides robusta est, quæ se in in dilectione dei ac proximi exercet. Sequitur: Porrò thalami portæ ad uiam orientalem tres hinc & tres inde, & mensura una trium.] Quid thalami, quid uia orientalis designet, iam superius diximus, nec replicare latius necessarium putamus. Sed quærẽdum nobis est, quid est quod dicitur, tres hinc & tres inde? Thalami quippe iuxta uiam orientalẽ sunt corda feruentium in amore dei. Et siue hi qui electi in testamento ueteri fuerunt, siue hi qui in testamento nouo secuti sunt, nimirũ constat, quia omnes ex amore trinitatis accensi sunt. Neque enim uerè deum diligerent, si eiusdẽ trinitatis, quæ deus est, gratiam nõ accepissent. Iuxta uiam ergo oriẽtalem tres hinc & tres inde sunt thalami, quia dum inter ueteres & nouos patres dominus incarnari dignatus est, quasi in medio thalamorum uia oriẽtalis apparuit, qui thalami ad ueram speciem ex trinitatis sunt cognitiõe decorati. Sin uerò ad uirtutes electorum eũdem numerum referamus, tres sunt uirtutes sine quibus is qui aliquid operari iam potest, saluari non potest, uidelicet fides, spes, charitas. Et quia eadẽ fides, spes, & charitas in antiquis patribus quæ in nouis doctoribus fuit, iuxta oriẽtalem uiam tres hinc & tres inde thalami describuntur. Vel certe quia tres patrum ueterum distinctiones fuerunt, tres quoq; nouorum sub gratia sequuntur. Vetus quippe populus habuit patres ante legem, ac deinde in lege, & postmodũ prophetas. In nouo autẽ populo prius Hebræorum primitię crediderunt, postmodũ plenitudo gentium fidẽ secuta est, ac deinde in fine seculi Hebręorum relíquiæ saluantur. Quia ergo incarnatio domini & ex superiori parte patres ante legẽ, patres in lege, atq; ad extremũ prophetas habuit, & ex posteriore fideles ex Hebræis, fideles ex gentibus, ac postmodũ Hebræorum omnes reliquias collegit, oriẽtalis uia tres hinc & tres inde thalamos habere memoratur. Sed hoc quoq; non incõuenienter accipimus, si tres esse fidelium ordines dicamus. Siue namq; in ueteri, seu in nouo testamẽto, alius est ordo prędicãtium, alius continentium, atq; alius bonorũ coniugatorum. Vnde & idem propheta in superiori parte tres uiros libe ratos uidit: Noe, Daniel, & Iob, in quibus uidelicet tribus, prędicatores, cõtinẽtes, & coniugati signati sunt. Nam Noe arcã in undis rexit, atq; ideo figuram rectorũ tenuit. Daniel in aula regia abstinentiæ deditus fuit, & idcirco uitam cõtinẽtium signauit. Iob uero in cõiugio positus, & curam domus propriæ exercẽs placuit, per quem digne bonorum coniugatorũ ordo figuratur. Quia ergo etiã ante mediatoris aduentum, & prędicatores & cõtinentes, ac boni coniugati fuerunt, qui eũdem eius aduentum præstolarentur, & magna hũc siti desiderij uidere cuperẽt: & postmodum prædicatores, continentes, ac boni coniugati, sicut cernimus existunt, qui redemptorem nostrũ non iam desiderant incarnatum, sed in maiestatis suę gloria contemplãdum: orientalis uia tres hinc, & tres inde thalamos habet, iuxta Psalmistæ uocem, qui de eadem uia redẽptore uidelicet nostro dicit: In circuitu eius tabernaculum eius. Sed pẽsandũ nobis est sollicita intentione quod dicitur, quia mensura una trium. Cum enim lõgè sit à cõtinentibus & tacentibus excellentia prædicatorum: & ualde à coniugatis distet eminẽtia continentiũ, quid est quod una mensura dicitur trium? Cõiugati quippe quamuis & bene agant, & omnipotentem deum uidere desiderent, domesticis tamẽ curis occupantur, & necessitate cogente, in utroq; mentem diuidunt. Continentes autem ab huius mundi actione remoti sunt, & uoluptatem carnis etiã à licito coniugio restringunt: nulla coniugis, nulla filiorum cura, nullis noxijs ac difficilibus rei familiaris cogitationibus implicantur. Prædicatores uerò non solum se à uitijs coercent, sed etiam alios peccare prohibent, ad fidem ducunt, in studio bonæ conuersationis instruunt. Quomodo ergo una eorum mensura est, quorum uitæ æqualitas una non est? Sed mensura una trium est, quia etsi in eis meritorum magna est diuersitas, tamen distantia in fide in qua tenduntur non est. Nam eadem fides qua istos solidat in maximis, illorum infirmitatem continet in paruis. Vel certè triũ una mẽsura est, quia in retributione ultima quamuis eadem dignitas omnibus non sit

Rom.9

Ezech.

Psal.17

nō sit,una tamen erit omnibus uita beatitudinis. A
Vnde & per semetipsum Dominus dicit: In domo patris meis māsiones multæ sunt. Sed tamen qui in ea ducti sunt,quamuis diuersis horis uenerint,unū denarium perceperūt. Qua itaq; ratione conueniant mansiones multæ cùm uno denario, nisi quia diuersæ quidem beatorū ciuium dignitates erunt,sed tamen una requies æternæ retributionis: Nam & si dispar erit meritum singulorū, non erit diuersitas gaudiorum: quia etsi alter minus atq; alius amplius exultat, omnes tamen unū gaudium de conditoris sui uisione lætificat. Hoc quoq; est siue de ueteríb.seu de nouis patrib. sentiendum:quia oriētalis uia cū tres hinc,& tres inde thalamos habet,mēsura una trium est: quoniā ipsa fides atq; ipsum meritum tenuit corda præce B
dentium,quæ repleuit corda sequētium sub testamento nouo positorū,sicut & per Paulū dicitur:
2.Cor.4 Habētes autem eundē spiritū fidei,sicut scriptum
Psal.115 est:credidi,propter quod locutus sum:& nos credimus propter quod & loquimur.Spiritales quippe illi patres omnipotētem deum trinitatē ita esse crediderūt,sicut eādem trinitatem noui patres apertè locuti sunt. Esaias nāq; audiuit angelica ag
Esa.6 mina in cœlo clamātia:Sanctus,sanctus, sanctus, Dominus deus sabbaoth. Vt eīn personarū trinitas monstraret, tertiò sanctus dicitur. Sed ut una esse substātia trinitatis appareat, nō Domini sabbaoth,sed Dominus sabbaoth esse perhibet:quod Dauid quoq; sentiēs ait:Benedicat nos deus de- C
Psal.66 us noster,benedicat nos deus. Qui cum tertiò dixisset deus,ut unum esse hunc ostenderet, subdidit:Et metuāt eū omnes fines terræ. Paulus quo-
Rom.12 que loquit dicēs:Quoniam ex ipso,& per ipsum, & in ipso sunt omnia.Ex ipso uidelicet, ex patre. Per ipsum,per filium.In ipso aūt, in spiritusancto. Quē ergo ipsum cùm tertiò dixisset, adiūxit. Ipsi gloria in secula seculorū.amē.Qui eīn nō dixit, ipsis,sed ipsi,dicēdo ter ipsum, distinxit per personas,& subiūgendo ipsi gloria, nō diuisit substantiam.Quia itaq; una est ueterū ac nouorum patrū fides,rectè thalamorum describit mēsura una triū. Quod uerbis alijs replicatur cùm subditur: Et mensura una frontiū.] Ex utraq; eīn parte est mē-
sura frontiū: quia patres nostri uel prius à ueteri, D
uel nūc à nouo testamento ueniētes,in una mediatoris fide cōueniunt. Qui pro eo q; charitate pleni sunt,carnē suā abstinētia edomant,corda audientiū prædicationis lumine illustrāt, signa faciūt, uirtutes operant. Per hoc q; eorū bona nobis foris innotescūt,nō immeritò huius cœlestis ædificij frontes uocant. Omne eīn quod nūc in aperto ostendit,frons est:ut illud sit uestibulū ædificij, q; nobis interius reseruat. Vñ & sanctæ Ecclesiæ in Cantico cāticorū dicit: Sicut cortex mali punici
Cant.6 genæ tuæ absq; occultis tuis. Genæ quippe sunt sanctæ Ecclesiæ spiritales patres, qui nūc in ea miraculis coruscāt,& uelut in eius facie uenerabiles apparēt. Cū eīn uidemus multos mira agere,uentura prophetare,mūdum perfectè relinquere, cœ lestibus desiderijs ardere, sicut cortex mali punici sanctæ genæ rubent. Sed quid istud est omne q; miramur, in illius rei cōparatione de qua scriptū Esa.64
est, quòd oculus non uidit,nec auris audiuit, nec 1.Cor.12
in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se? Bene ergo cum miraretur genas Ecclesiæ, subdidit: Absq; occultis tuis. Ac si apertè diceretur: Ea quidem quæ in te nō latent, magna sunt, sed illa ualde ineffabilia quæ latent. Sequitur: Et mensus est latitudinē liminis portæ decem cubitorum, & lōgitudinem portæ tredecim cubitorum.] Multa superius de portę significatione iam diximus. Sed unum tenere aliquid debemus, per quod possit & cætera lectoris prudentia penetrare. Dictum quippe est, per portam scripturam sacrā posse significari. Sed hoc nobis modo laboriosè discutiendum est, cur latitudo liminis portæ decem cubitis, & longitudo portæ tredecim mensuratur. Hoc autē loco longitudo portæ altitudo dicitur, sicut nos lōgę staturæ dicim⁹, quē altū uidemus. Nā lōgitudo portę dici in trāsuersum nō potest, cui⁹ latitudo per decē cubitos demonstrat. Quid ergo latitudo liminis portæ, nisi lex testamēti ueteris fuit, & longitudo portæ, nisi gratia testamenti noui? Quia uidelicet scriptura sacra dum per testamētum uetus crimina operum compescuit, dari decimas præcepit, quasi per mandata humilia in liminis latitudine iacuit. Sed dum per testamētum nouū cogitationes prauas coercuit, derelinqui omnia, & pro deo uitam corporis iussit cū præsenti seculo despici, quasi porta nostra in lōgitudinis altitudine surrexit. Minora quippe præcepta Israelitico populo per legē data sunt. Vñ & eidē populo Moyses in campo lo- Exo.19
cutus est. Altiora Dñs sanctis Apostolis dedit. Vnde & eosdē de mandatis uitæ in mōte docuit. Mat.5
Dum uerò redemptor noster per Euāgelium dicit:Nolite putare quoniam ueni soluere legē aut prophetas,nō ueni soluere,sed adimplere. Adimplere enim uenerat legem, qui legis iustitiæ gratiam addidit,ut quod illa iubebat in minimis, ipse perfici adiuuaret in summis: & quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret à corde. Intellecta ergo lex quæ in latitudine iacuit,in altitudine surrexit. Ipsa enim dei cognitio quę apud illam in spiritalibus patribus fuit,nota omni Hebræorū populo non fuit. Nam omnipotentē deum, sanctam uidelicet trinitatem cùm prophetæ prædicarent, populus ignorabat,solum decalogum tenebat in fide,legem trinitatis nescíens. Mensuretur ergo latitudo liminis portæ decem cubitis, quia durus ille populus subtilitatem fidei ignorans, mandatis seruiebat decalogi. Mensuretur ergo longitudo portæ tredecim cubitis, quia per testamentum nouum in corde fidelis populi super mandata decalogi quem uerius custodit, cognitio trinitatis creuit. Et cùm mandata legis perficit, trinitatem esse omnipotentem Dominum credidit. Vbi & quæri rationabiliter potest, cur istam latitudinem liminis portæ, quam superius dixerat uno calamo mensurari, inferius subiunxit quòd decem cubitis mēsuretur, ac deinde subdit quòd longitu-

longitudo portæ tredecim sit cubitis mensurata? A
Vnus etenim calamus iam, sicut sæpe dictum est, sex cubitos habet, & palmum, decem uerò cubiti iam mensuram suam super calamum tenent, tredecim uerò amplius quàm decem. Quid est ergo quòd prius uno calamo limen portæ, postmodū latitudo eius decem cubitis, ad extremum quoq; longitudo portæ tredecim mensuratur: nisi quod sancti patres quos per sacram scripturam ante legem fuisse cognoscimus, unum quidem omnipotentem deum, sanctam uidelicet trinitatē esse nouerunt, sed eādem trinitatem quam cognouerāt, apertè minimè prædicauerūt? Qui eius iussionib. obedientes, & uitæ munditiā conseruātes, quasi in sex cubitis calami habuerūt perfectionē operis, B
& sæpe angelos uidentes, habuerunt palmum cōtemplationis. Data autem lege, rudis ille Hebræorum populus mādata decalogi seruare conatus est, sed tamē de cognitione sanctæ trinitatis erudi tus nō est. Et quamuis hāc spiritales patres perfectè cognouissent, multitudo tamē synagogæ nec inuenire mysteriū trinitatis potuit, nec quærere sciuit. Superuenięte autem gratia per testamentū nouū, omnis fidelis populus unū deum trinitatem esse cognouit, & uirtutem decalogi eius agnitione compleuit. Prius ergo limē portæ mensuretur calamo uno, postmodū latitudo eius cubitis decē: atq; ad extremū lōgitudo portę cubitis tredecim: quia & sanctis patribus ante legem actiua & contemplatiua uita nō fuit, & sub legę decalogi popu C
lus diuinæ substantiæ mysterium nescięs, in mandatorum latitudinē seruiuit. Et nūc sub gratia custoditis uerius decalogi præceptis, omnis qui ad fidem uenerit, sanctæ trinitatis sacramenta cognoscit. Qua in re hoc quoq; nobis sciędū est, quia & per incremēta temporū creuit sciętia spiritaliū patrum. Plus nanq; Moyses quàm Abrahā, plus prophetæ quàm Moyses, plus Apostoli & prophetæ in omnipotētis dei sciętia eruditi sunt. fallor si hęc
Dan.12 ipsa scriptura non loquit̄: Petrāsibunt plurimi, & multiplex erit sciętia. Sed hæc eadē quę de Abraham, Moyse, Prophetis & Apostolis diximus, & eiusdem scripturæ uerbis si possumus ostēdamus. Quis em̄ nesciat quia Abrahā cū deo locutus est? & tamē ad Moysen dominus dicit: Ego sum deus D
Exo.6 Abrahā, deus Isaac, & deus Iacob, & nomen meū Adonai non indicaui eis. Ecce plus Moysi & Abrahæ innotuerat, qui illud de se Moysi indicat, quod se Abrahæ nō indicasse narrabat. Sed uidea mus si prophetæ plus quàm Moyses diuinā scientiam apprehendere potuerūt. Certè Psalmista di-
Psal.118 cit: Quomodo dilexi legem tuā domine? tota die meditatio mea est. Atq; subiunxit: Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Et iterum: Super seniores intellexi. Qui ergo legē meditari se memorat, & super omnes docētes se ac super seniores intellexisse testat̄, quia diuinā scientiā plusq; Moyses acceperat manifestat. Quomodo aūt ostēsuri sumus: quia plus sancti Apostoli edocti sunt & prophetæ? Certè ueritas dicit: Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uidetis, & audire quæ auditis, sed nō uiderunt. Plus ergo quàm prophetæ de diuina scientia nouerunt, quia quod illi solo spiritu uiderāt, ipsi etiā corporaliter uidebāt. Impleta itaq; est ea, quam superius diximus, Danielis sententia: quia Dan.12
pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Mensura ergo calami qui est sex cubitorū & palmo, ducatur ad cubitos decem, & mēsura decem cubitorum ad extremū surgat in tredecim. Quia quāto mundus ad extremitatem ducitur, tāto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur. Sequitur: Et marginē ante thalamos cubiti unius.] Sicut sæpe diximus, thalami corda electorū sunt, omnipotentis amore feruentia. Quid per marginem ante thalamos, nisi fides exprimitur? quia nisi prius ipsa teneat̄, nullo modo ad spiritalem amorem pertingit̄. Non em̄ charitas fidē, sed fides charitatem præcedit. Nemo em̄ potest amare quod non crediderit. Margo itaq; est ante thalamos, fides ante ardorem charitatis: quia sicut dictū est, nisi ea quæ audis credideris, ad amorem eorū quę audieris, nullatenus inflāmaris. Sed margo ante thalamum cubiti unius est: quia tunc fides corda audiētium in amore copulat, quando per errores & schismata diuisa non est, sed in unitate perdurat. Vt uidelicet margo unius cubiti audientis animum ad thalamum perducat, quia cœlestis spiritus speciē quā hic prædicat, postmodum in cœlestibus demonstrat. Vbi & bene subditur: Et cubitus unus, finis utrunq;.] Vtrunq; autem dicit̄, ac si dicatur utrorumq;. Per latitudinem quippe liminis, & longitudinem portę, uetus ac nouum testamentum diximus designari. Ad extremum uerò additur quòd cubitus unus sit finis utrorumq;, quia uidelicet & testamentum uetus unum nobis mediatorem dei & hominum nunciauit, & testamentum nouum eundem nobis nunciat in æterna claritate uenturum, quem iam pro nobis cognouimus incarnatum. Cubitus ergo unus utrorumq; est: quia & quem lex prędixit, in carne apparuit, & ipse quem nunc testamētum nouum loquitur, in gloria maiestatis apparebit. Et tūc utrorumq; finis erit, cum uisus in diuinitatis suæ potētia, omnia quæ sunt prædicta compleuerit. Scriptum nanq; est: Finis legis Christus ad iustitiam Rom.
credenti. Finis uidelicet, non qui consumit, sed qui perficit. Tunc etenim legem perfecit, cum sicut lex prædixerat, incarnatus apparuit. Sed adhuc de eius iudicio multa nouum testamentum loquitur, adhuc multa de regno illius narrat, quæ necdum uidemus impleta. Ecce quotidie Euangelium legitur, uentura prædicantur. Tunc ergo erit & noui testamenti finis, cum & quæ de se promisit compleuerit. Finietur uerò testamentum nouum, quia perficietur. Nam cùm ipse de quo loquitur, uisus fuerit, eiusdem testamēti uerba cessabunt. Vnde & sanctæ Ecclesię ueri luminis diē quasi tēpus uernale pręstolāti per spōsi uocē dicit̄: Surge, ppera amica mea, colūba mea, formosa mea, & ueni. Iā em̄ hyēs trāsiit, imber abiit et Cant.
receſſit, flores apparuerūt in terra. Siue em̄ sancta

Ecclesia

Ecclesia, seu unaquæq; electa anima, cœlesti spon A
so est amica per amorem, columba per spiritum,
formosa per morum pulchritudinem. Quæ cùm
iam de corruptione carnis ducit, ei proculdubio
hyems trãsit, quia præsentis uitæ torpor abscedit.
Imber quoq; abit & recedit: quia cùm ad contem
plandum in sua substantia omnipotentem deum
educitur, iam uerborum guttæ necessariæ non e-
rũt, ut pluuia debeat prædicationis infundi. Nam
quod minus audire potuit, amplius uidebit. Tunc
apparent flores in terra, quia cum de æterna beati
tudinis uita quædam suauitatis primordia prægu-
stare anima cœperit, quasi iam in floribus odorata
exit. Quod postq; egressa fuerit, in fructu uberius
habebit. Vnde illic subdit: Tempus putationis ad B
uenit. In putatiõe quippe sarmẽta sterilia recidun
tur, ut ea quæ præualent, uberius fructũ ferãt. No
stræ itaq; putationis tẽpus tũc aduenit, quãdo in-
fructuosam ac noxiam corruptionẽ carnis deseri-
mus, ut ad fructũ animę peruenire ualeamus. Qui
Psal. 140 fructus nobis erit uberrim⁹, uisio unius cubiti. Er
go unus est finis utrunq;, quia unus est ille qui di-
xit: Singulariter sum ego donec transeam. Qui so
lus cum patre & sancto spiritu prẽsidet in cœlo, si
cut passer unicus in ædificio. Quemadmodum im
pleuit legem per mysteriũ incarnationis & perfe-
ctæ humanitatis suæ, ita testamẽti noui promissa
impleturus est per ostensam gloriã claritatis suæ.
Hunc unũ nobis cubitũ mẽsura quoq; arcæ locu-
Gen. 6 ta est. Arca em̃ quæ trecentis cubitis fieri in longi C
tudine iussa est, sexaginta uerò in latitudine, tri-
ginta autẽ in altitudine, in uno est cubito cõsum-
mata. Quid em̃ per arcam nisi sancta Ecclesia figu
rat, quæ inferius ampla est, superius angusta? Quę
à trecẽtis & sexaginta ac triginta cubitis ad unum
cubitũ colligitur, quia latitudinem quã sancta Ec
clesia in membris suis adhuc infirmãtibus habet,
paulisper angustata & in altũ proficiẽs ad unum
tẽdit. Ipsa em̃ ratio exigit ut credamus quòd in il-
la arcæ latitudine omnes bestiæ, cũcta quadrupe-
dia atq; reptilia in inferioribus fuerunt, homo ue
rò atq; uolatilia nimirum in superioribus. Iuxta su-
periorem etenim partem fenestra fuit in latere, de
qua coruũ & columbã dimisit homo, ut si iam di
luuij transissent aqua, cognosceret. Et quia arca ea- D
dem in uno fuit cubito cõsummata, homo & uo-
latilia iuxta cubitum fuerũt. Rectè itaq; per arcã
uniuersa Ecclesia designat, quæ adhuc in multis
suis carnalib. lata est, in paucis spiritalib. angusta.
Et quia ad unum hominẽ qui est sine peccato col
ligitur, quasi in uno cubito cõsummat. Videmus
etenim multos intra eiusdem sanctæ Ecclesiæ si-
num in superbia erigi, in carnis uoluptate dissol-
ui, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante
auaritia mare trãsire, deseruire iracundiæ, iurgijs
uacare, proximos quos præualẽt lædere. Sed quia
eos adhuc sancta Ecclesia tolerat ut cõuertat, qua
si in arcæ latitudine deorsum bestiæ morantur. Vi
demus alios iam aliena non quærere, illatas iniu-
rias æquanimiter portare, rebus proprijs esse con
tentos, humiliter uiuere. Sed quia isti iam pauci
sunt, angustatur arca. Alios autem cõspicimus e-
tiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus
studium dare, inimicos diligere, carnem à cunctis
uoluptatibus domare, motus omnes sub rationis
iudicio premere, per cœleste desiderium cõtem-
plationis pennas subleuare. Sed quia tales quique
ualde rari sunt, in arca iuxta cubitum ducuntur, u-
bi homines & uolatilia continentur. Quæratur ta
men si quis in eis esse ualeat sine peccato, & nul-
lus inuenit. Quis itaq; homo sine peccato est, nisi
ille qui in peccato natus non est? In uno ergo cu-
bito cõsummatur arca, quia unus est author & re-
demptor sanctæ Ecclesię sine peccato, ad quẽ om
nes proficiunt qui se esse peccatores nouerũt. Di-
catur itaq; de limine & porta. Et cubitus unus, fi-
nis utrumq;. Quia cum unus mediator dei & ho-
minum Christus Iesus in maiestate sua apparue-
rit, omnia utriusq; testamenti quæ prędicta & pro
missa sunt cõplebit. Sin uerò utraq; hoc loco mar
ginem ac thalamos memorat, neq; hoc ab hac sen
tentia abhorret: quia cùm maiestas redemptoris
nostri nobis fuerit ostensa, finitur fides, cùm iam
cœperit uidere homo quod credidit. Et ad finem
suum perueniunt thalami, quia corda fidelium in
comparabiliter longè quàm modo sunt in amore
illius perficiuntur. Cubitus ergo unus finis utrun-
que est: quia unius domini & saluatoris uisio in e-
lectis suis fidem finit, & charitatem perficit. Con-
siderare libet qui nos sumus qui ista tractamus.
Certè ex gentibus uenimus, certe parentes no-
stri lignorum ac lapidum cultores fuerunt. Vnde
ergo hoc nobis ut ea quæ nunc usq; Hebræi nes-
ciunt, Ezechielis prophetæ tam profunda myste-
ria rimemur? Agamus ergo gratias toto delide-
rio uni, qui cuncta quæ de eo in sacro eloquio scri
pta sunt, opere impleuit, ut quæ intelligi audita
non poterant, uisa panderentur. Ibi quippe incar
natio, ibi passio, ibi mors, ibi resurrectio, ibi ascen
sio illius continetur, Sed quis nostrum hæc audi-
ta crederet, nisi facta cognouisset? Signatum ergo
librum, sicut in Ioannis Apocalypsi legitur, quem Apoc. 5
aperire & legere nemo poterat, leo de tribu Iuda
aperuit, quia omnia ei⁹ nobis mysteria in sua pas-
sione ac resurrectione patefecit. Et per hoc quòd
infirmitatis nostræ mala pertulit, suæ nobis potẽ-
tiæ & claritatis bona mõstrauit. Caro em̃ fact⁹ est,
ut nos spiritales faceret: benignè inclinat⁹ est, ut
leuaret, exijt, ut introduceret, uisibilis apparuit, ut
inuisibilia mõstraret, flagella pertulit, ut sanaret,
opprobria & irrisiones sustinuit, ut ab opprobrio
ęterno liberaret, mortu⁹ est, ut uiuificaret. Agam⁹
ergo gratias uiuificãti & mortuo, & ideo amplius
uiuificãti, quia mortuo. Vñ benè salutẽ nostrã, &
passionẽ illius, Esaias contẽplatus ait: Vt faciat o-
pus suũ, alienũ est opus eius: ut operẽ opus suum,
peregrinũ est opus ei⁹ ab eo. Op⁹ etem̃ dei est ani Esa. 27
mas quas creauit colligere, & ad æternæ lucis gau
dia reuocare. Flagellari aũt atq; sputis illiniri, cru-
cifigi, mori, atq; sepeliri, nõ hoc in sua substãtia o-
p⁹ dei ẽ, sed op⁹ hominis peccatoris, q hęc omnia
meruit per peccatũ. Sed peccata nostra ipse pertu-
lit in

Universidad de Deusto
Biblioteca

lit in corpore suo super lignum. Et qui in natura sua ante semper incomprehensibilis, in natura nostra comprehendi dignatus est ac flagellari, nisi ea quæ erant infirmitatis nostræ susciperet, nunquã nos ad suæ fortitudinis potẽtiam subleuaret. Vnde ergo faciat opus suum? Alienum opus eius, & ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo: quia incarnatus deus ut nos ad suam iustitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo uapulare. Et alienum opus fecit ut faceret proprium, quia per hoc quòd infirmãs mala nostra sustinuit, nos qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suæ gloriam perduxit. In qua uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

A

Homilia XVII.

Ezc.40

THalami autem sex cubitorum erant hinc & inde. Et mensus est portam à tecto thalami usq; ad tectum eius, latitudinem uiginti quinque cubitorum, ostium contra ostium. Et fecit frontes per sexaginta cubitos, & ad frontem atrium portæ undique per circuitum, & ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem uestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos, & fenestras obliquas in thalamis & in frontibus eorum, quæ erant intra portam undiq; per circuitum. Similiter autem erant & in uestibulis fenestræ per gyrũ intrinsecus, & ante frontes pictura palmarum celata.

MEmoratis superius thalamis, propheta subiungit, quia thalami sex cubitorum erant hinc & inde. Qua in re magna nobis quæstio generatur, cur superius thalamum uno calamo mensuratum dixit, quem uidelicet calamum sex cubitos & palmum habere perhibuit, atque inferius thalamos sex solummodo dicit cubitis mensurari? Si enim non calamo, sed sex cubitis mensuratur, palmus deest, qui superius in mensura calami dicebatur adesse. Sed si thalami sunt sensus atque cogitationes fidelium, in quibus castæ animæ conditori suo in amore iunguntur, & per sex cubitos perfecta operatio, per palmum uerò inchoatio contemplationis exprimitur, sanctæ uniuersalis Ecclesiæ debemus membra conspicere, & citius inuenimus quia sunt in ea thalami uno calamo, & sunt alij sex tantummodo cubitis mensurati. Nam fideles quidam in illa omnipotentem deum ita amant, ut & in opere perfecti sint, & in contemplatione suspensi. Hi profecto calamum in mensura habent, quia & cubitos operationis, & palmum contemplationis possident. Quidam uerò omnipotentem quidem deum diligunt, & perfectè in bonis operibus exercentur, sed tamẽ contemplari eius magnitudinem subtiliori intellectu nesciunt: Amant autem, sed inuestigare gaudia eius claritatis ignorãt. Hi itaq; sex cubitos habent, & palmum nõ habẽt, quia etiam per amorem iuncti sunt, sed ex contemplatione disiuncti. Qui tamen thalami post cõmemorationem cubiti unius, hinc & inde esse referunt: quia uidelicet in amore authoris ac redẽptoris nostri fideles animæ, & ex Iudaico populo & ex gentilitate conuenerunt. Vnde & idem redemptor noster cùm asellum sedens, Hierusalem tenderet, sicut Euangelista testatur, multi uestimẽta sua strauerunt in uia, alij autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in uia, & qui prẽibãt & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna benedictus qui uenit in nomine domini. Saluator etenim noster asellum sedens, Hierusalem tẽdit, quãdo uniuscuiusq; fidelis anima, regẽs uidelicet iumentum suum, ad pacis intimæ uisionem ducit. Iumentum sedet etiam cùm sanctæ Ecclesiæ uniuersaliter præsidet, eamq; in supernæ pacis desideriũ accendit. Multi autem uestimenta sua in uia sternunt, quia corpora sua per abstinẽtiam domãt: ut ei iter ad mentem parent, & exempla bona sequẽtibus præbeant. Alij autem ramos uel frondes de arboribus cædunt, & sternunt in uia: quia in doctrina ueritatis, uerba atq; sentẽtias patrum ex eorum eloquio carpunt, & hæc in uia dei ad auditoris animum uenientes, humili prædicatione submittunt. Quod indigni quoq; & nos modo facimus. Nam cum patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cedimus, & has in uia dei omnipotẽtis domini sternimus. Sed qui præibant & qui sequebantur, clamabant: Osanna. Præcessit quippe Iudaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes electi siue qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui nũc in Ecclesia existunt, in mediatorem dei & hominũ crediderunt & credunt, qui præeunt & qui sequunt, osanna clamant: Osanna autem latina lingua, salua nos dicitur: Ab ipso eñ salutem & priores quę fierunt & præsentes quærunt, & benedictum qui uenit in nomine domini confitentur, quoniam una spes, una fides est præcedentium atq; sequentium populorum. Nam sicut illis peccata passione ac resurrectione eius sanata sunt, ita nos præterita passione illius ac permanenti in secula resurrectione saluamur. Quem enim priores nostri ex Iudaico populo crediderunt atq; amauerunt uenturum, hunc nos & uenisse credimus & amamus, eiusq; desiderio accendimur, ut eum facie ad faciẽ contemplemur. Thalami ergo eius hinc & inde sunt, quia corda amantium fidem quæ in illo est, & à priori parte seculi & ab ultima complectunt. Sequitur: Et mensus est portam à tecto thalami usq; ad tectum eius, latitudinẽ uiginti & quinque cubitorum.] Sæpe iam diximus portam fidem, & per eandem fidem ipsum dominum acredemptorem nostrum mediatorem dei & hominum Iesum Christum posse signari, quia per fidẽ quæ in eo est, introitus ad fidem patet. Sed etiam

B

C

D

Mat.21
Mat.21
Luc.19

Osanna interpretatur saluum

scripturam

scripturam sacram quæ nobis eandem ipsam fidē in redemptoris nostri intellectū aperit, non immeritò portam accipimus, quia ea ut oportet cognita, ad intelligenda uisibilia intramus. Si igit̄ hoc in loco, ut prædiximus, porta scriptura accipitur, quærēdum est quid per tectum thalami, quid per tectum portę signetur. Sed habet thalamus tectū, quia operta est mens amantium, & adhuc feruor amoris in occulto est. Habet quoque & porta tectum, quia scriptura tota quidē propter nos scripta est, sed non tota intelligitur à nobis. Multa quippe in illa ita aperta sunt ut pascant paruulos, quædam uerò obscurioribus sententijs ut exerceant fortes: quatenus cum labore intellecta plus grata sint. Nonnulla autem ita in ea clausa sunt, ut dum ea non intelligimus, agnoscentes infirma nostræ cæcitatis, ad humilitatem magis quàm ad intelligentiam proficiamus. Sunt enim quædam quæ ita de cœlestibus loquuntur, ut solis illis supernis ciuibus in patria sua persistētibus pateant, necdumqúe nobis peregrinantibus referentur. Nam si quis ad urbem incognitam pergens, multa de illa in uia audiat, quædam quidem ex ratione colligit, quædam uerò quia necdum uidet, nullo modo cognoscit, ipsi uerò ciues qui in ea sunt, & quæ de illa tacentur uident, & quæ de illa dicuntur intelligunt. Nos igitur in uia adhuc sumus, multa de illa cœlesti patria audimus, alia iam per spiritum & rationem intelligimus, quædam uerò non intellecta ueneramur. Vnde & de eodem sacro eloquio scriptum est: Extēdens cœlum sicut pellē, qui tegis in aquis superiora eius. Cœlum quippe sicut pellis extēditur, quia per ora mortalium scriptura sacra nobis expositionibus explicatur. Sed sunt aquæ in cœlo, superiores uidelicet multitudines, id est angelorū agmina, in quibus eiusdem cœli teguntur superiora: quia ea quæ in sacro eloquio altiora & obscuriora sunt, angelicis solummodo spiritibus patent, & nobis adhuc incognita perdurant. Habet ergo thalamus tectū, quia nescit adhuc proximus quātum amatur à proximo. Porta quoq; id est sacrū eloquium, habet tectum: quia necdum omnia penetrare intellectu possumus quæ de cœlestibus audimus. Restat ergo ut in his quæ intelligimus, in profectu quotidie charitatis ambulemus. Et quamuis in nobis proximi quoque nostri non uideant quantum diligantur à nobis, atq; in sacro eloquio ea quæ necdum intelligimus humiliter ueneramur, in his tamen ad quæ intelligendo perue nimus, dilatari per bonam operationē debemus. Vnde & dicitur: Et mensus est portam à tecto thalami usq; ad tectum eius latitudinē uiginti & quinq; cubitorū.] Quinq; enim carnis sensib. præditi sumus, uidelicet uisu, gustu, olfactu, auditu, atque tactu. Idem uerò quinarius numerus per semetipsum multiplicatus, ad uicesimū & quintum numerū surgit. Operari autē exterius quiddā de mādatis cœlestibus, sine istis corporeis quinq; sensibus non ualemus. His quippe officijs suis iudex animus interius præsidet, & quid exterius agere iustè uel misericorditer possit, quasi eisdē officijs renunciantibus ac deseruientibus agnoscit. Cùm ergo timore omnipotētis domini animus impletur, necesse est ut quinq; nostri sensus nobis uelut subiecta officia in bona operatione deseruiāt. Per quos cùm aliquid agere misericorditer cœperimus, plus se quotidie ipsa misericordia aperit, & quasi quidam sinus boni operis expandit. Quinq; igitur sensus multiplicantur in se, dum hoc quod per ipsos agitur, in bono quotidie opere per profectum multiplicatur. Vnde & latitudo esse uiginti & quinq; cubitorum dicitur, quia timor, tenacia, & pigredo angustia est. Quisquis em̄ ideo indigenti dare panem metuit, ne sibi desit: adhuc in angustia timoris est. Quisquis igitur uestimentum algenti non porrigit, quia hoc solus habere concupiscit, adhuc tenaciæ suæ angustia coarctatur. Quisquis ideo bonum non agit, quia tepore animi torpescit, ipse ei su⁹ torpor angustia est. Respicere autem inopem, exaudire precē, largiri stipem, præbere defensionem, atq; pro eiusdem defensione pauperis, aduersantis cuiuslibet inimicitias non timere, magnæ mentis latitudo est. Mensuretur ergo inter thalamum & portam ea quæ interest latitudo, cubitis uiginti & quinq; quia in exteriore sensuum operatione probatur & cognoscitur quæ intrinsecus largitas bonitatis habeat̄. Nam quid iam de scriptura sacra dideceris, & quātum proximū tacitus ames, in latitudine boni operis ostendis. Pateat itaq; uiginti & quinq; cubitis latitudo inter thalamum & portam, quia inter charitatem & scientiam testis est bona operatio. Quæ si fortasse defuerit, profectò certum est nec cognouisse te deum, nec diligere proximum, id est nec portam sacri eloquij, nec amoris thalamū habere. Et notandum quòd à tecto thalami usq; ad tectum portæ dicitur mensuratum. Per ea em̄ quæ nobis in sacra scriptura cooperta sunt, nostra humilitas approbatur, quia quicquid in illa non intelligimus, non superbè reprehendere, sed uenerari humiliter debemus. Vnde & de domino scriptum est: Palpebræ eius interrogant filios hominum: Palpebræ quippe eius interrogant, quando aliquid nobis claudunt, & aliquid aperiūt. Aperiendo nos interrogant, si intelligendo non extollimur. Claudendo nos interrogant, si non despicimus quæ intelligere non ualemus. Per ea autem quæ de charitate nostra proximis nostris nō loquimur, in conspectu dei uerius probamur. In quorundam em̄ ore charitas ficta est, in quorundam cordibus uera. Et sæpe de charitate ostenditur quod non est, & demonstratur quod est. Amorem itaq; nostrum erga proximum plus bona operatio loquitur quàm lingua, ut in ipso bono opere proximus noster amari se uideat. Et cùm tantum non possumus quantum uolumus operari, omnipotenti deo occulta amoris nostri sufficiāt. A tecto ergo thalami usq; ad tectum portæ sit magna latitudo, ut ab occultis nostræ charitatis propter proximum usq; ad humilitatem scientiæ, & propter deum, inquantum intelligimus & ualemus

Pſal.103

Pſal.16

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, bona semper operemur. Potest ẽ porta ipse iam aditus regni cœlestis intelligi. Habet nunc thalamus tectum, habet & porta tectum: quia & quanta sit nostra charitas inter deum & proximũ, non cognoscitur, & quando de hoc seculo ad æternæ uitæ requiem introducamur, ignoratur. Esse enim nobis cõditor noster diem mortis nostræ incognitum uoluit, ut dum semper ignorar̃, semper esse proximus credatur, & tanto quis ferue[n]tior sit in operatione, quanto & incertus est de uocatione. Vnde & latitudo uiginti & quinq; cubitorum à thalamo ad portã tenditur: quia per charitatem quam semel in deo & proximo cõcepim⁹, usq; ad ingressum regni debem⁹ omne quod possumus multipliciter atq; incessanter operari. A tecto itaq; thalami usq; ad tectum portæ magna latitudo est: quia ex gratia qua inchoamus deum diligere, usq; ad ipsam dilectionem quæ nobis aditum regni cœlestis aperit, debemus nosmetipsos in magna bonorum operum actione dilatare, aduersa patienter perpeti, benigna charitatis obsequia libenter impendere, ipsos etiam quos patimur amare, habita tribuere, non habita non ambire, proximos sicut semetipsos diligere, eorum bona nostra credere, eorum mala quasi propria deflere. In tali ergo mẽte magna latitudo est, in qua angustia odiorum non est. Quam profectò latitudinem ex dei & proximi amore concipimus, quãtum per sacra mandata cognouimus. Nam & ipsos latitudinis uiginti & quinq; cubitos nõ incõuenienter intelligimus, si eos iuxta sacrum eloquium discutere uelimus. Sex ẽ cubitis mẽsuratos
Gen.1 thalamos dixerat, & sexto die homo est conditus, eo quoq; die dominus perfecisse opera sua describitur. Vnde etiam pro perfectione poni senarius numerus solet. Et quia omnem operationem bonam per quatuor sancti Euangelij libros agnouimus, si sex quater ducimus, ad uiginti & quatuor peruenim⁹. Cui monas addit̃, quia in uno semper deo bene omnes operamur. Viginti ergo & quinque cubitis latitudo hæc explicari debuit: quia omnis bona operatio per quatuor sancti Euangelij, ut diximus, libros agnoscit̃, & in unius dei cognitione & confessione completur. Sequitur:

Et ostium contra ostium.] Hoc loco contra non ad aduersitatem ponitur, sed ad rectitudinẽ. Ostium enim contra ostium est, cùm recto itinere ab exteriore ad interiorem aditum peruenitur. In cognitione uerò omnipotentis dei primum ostium nostrum fides est, secundum uerò species illius, ad quam per fidem ambulando peruenimus. In hac etenim uita hanc ingredimur, ut ad illam postmodum perducamur. Ostium ergo contra ostium est, quia per aditum fidei, aperitur aditus uisionis dei. Si quis uerò utraq; hæc ostia in hac uita uelit accipere, neq; hoc à salubri intelligẽtia abhorret. Nam sæpe uolumus omnipotentis dei naturam inuisibilem considerare, sed nequaquã ualemus, atq; ipsis difficultatibus fatigata anima ad semetipsam redit, sibiq; de seipsa gradus ascensionum facit: ut primùm semetipsam, si ualet, consideret, & tunc illam naturã quæ super ipsam est, in quantum potuerit, inuestiget. Sed mens nostra si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquã uel se uel animæ naturam cõsiderare sufficit: quia per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obsta cula cæcar̃. Primus ergo gradus est ut se ad se colligat. Secundus, ut uideat qualis est collecta. Tertius, ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi authoris inuisibilis intendẽdo subijciat. Sed se ad se nullatenus colligit, nisi prius didicerit terrenarum atq; cœlestium imaginum phantasmata ab oculo mẽtis cõpescere, quicquid de uisu, quicquid de auditu, quicquid de odoratu, quicquid de tactu & gustu corporeo cogitationi eius occurrerit, respuere atq; calcare, quatenus talem se quærat intus, qualis sine istis est. Nam hæc quando cogitat, quasi quasdam umbras corporum introrsus uersat. Abigẽda ergo sunt omnia manu discretionis ab oculis mẽtis, quatenus talem se anima consideret, qualis sub deo super corpus creata est, ut à superiore uiuificata, uiuificet inferius quod administrat. Quæ & sic infusa est corpori, ut nõ per mẽbrorum partes partibus sit diuisa. Nam in quolibet loco pars corporis percutitur, tota dolet. Miro aũt modo, una eademq; uiuificatione mẽbrorum præsidens, cùm ipsa per naturã non diuersa sit, per corpus tamẽ agit diuersa. Ipsa quippe est quæ per oculos uidet, per aures audit, per nares odoratur, per os gustat, per membra omnia tãgit, & tangẽdo lene ab aspero discernit. Et cùm tã diuersa per sensus operar̃, non hæc diuersa, sed una illa, in qua creata est, ratione disponit. Cùm ergo seipsam sine imaginibus corporis cogitat anima, iam primum ostiũ intrauit. Sed ab hoc ostio ad illud tẽdit̃, unde de natura dei omnipotẽtis aliquid contẽpletur. Anima itaq; in corpore, uita est carnis. Deus uerò, qui uiuificat omnia, uita est animarum. Si igit̃ tantæ est magnitudinis ut comprehẽdi non possit uita uiuificata, quis intellectu cõprehẽdere ualeat, quantæ maiestatis sit uita uiuificans? Sed hocipsum cõsiderare atq; discernere, iam est aliquatenus intrare: quia ex sua æstimatione anima colligit quid de incircumscripto spiritu sentiat, qui ea incomprehensibiliter regit quæ incomprehẽsibiliter creauit. Conditor etenim noster longè incomparabiliter creaturæ suæ præsidet, & quædã operar̃ ut sint, nec tamẽ uiuant, quedam uerò ut sint & uiuant, nec tamẽ discernere aliquid de uita ualeant, quædam autẽ ut sint, uiuant, atq; discernant. Et operar̃ unus omnia, sed in om- 1.Cor.
nibus non diuisus. Est enim uerè summus, & nunquam sibi dissimilis. Anima autem etsi per naturam sibimetipsi diuersa non est, per cogitationẽ tamẽ diuersa est. Eo enim momẽto iste quo de uisu cogitat, de auditu cogitare obliuiscit̃, & eo momento iste quo de auditu uel gustu cogitat, de odoratu uel tactu cogitare non prævaler: quia per contentionẽ & obliuionẽ fit semper sibimetipsi dissimilis, ut nunc hoc, nunc illud cogitatione teneat. Omnipotens autem deus, quia sibimetipsi similis est, ea uirtute uidet qua audit, omnia ea uir-

tute

tute creat,qua iudicat creata.Eius ergo & uidere, A simul omnia administrare est,& administrata cõspicere.Nec alia cogitatione iustos adiuuat,atque alia iniustos damnat, sed una eademq; ui naturæ singularis, sibi semper indissimilis dissimilia disponit.Cur autem hoc de potẽtia creatoris admiremur,qui uirtutis eius uestigia & in creatura cõspicimus? Natura quippe luti & ceræ diuersa est, Solis uerò radius non est diuersus, & tamen cùm diuersus non sit,diuersa sunt quæ in luto operatur & cera:quia uno eodemq; sui ignis calore lutũ durat,& ceram liquat.Sed fortasse hoc in natura luti uel ceræ est,non in ipsa Solis substãtia, quæ in naturis diuersis diuersa uidet operari. Omnipotens autem deus in semetipso habet sine immutatione mutabilia disponere:sine diuersitate sui diuersa a- B gere:sine cogitationũ uicissitudine dissimilia formare. Longe ergo dissimiliter operatur dissimilia nunquã sibi dissimilis deus, qui & ubiq; est,& ubi Esa.66 que totus est. Ait enim: Cœlũ mihi sedes est,terra autem scabellũ pedum meorũ. Et de ipso scriptũ Esa.4 est:Qui cœlum metitur palmo, & terram pugillo concludit.Ex qua re considerare necesse est: quia is qui cœlum uelut sedem præsidet,super & intus est.Et qui cœlum palmo, & terram pugillo concludit,exterius,superius,& inferius est. Vt ergo indicaret omnipotens deus interiorem se esse & superiorem omnibus,cœlum ipse sibi sedem esse perhibuit: Vt uerò se ostenderet omnia circumdare,cœlum metiri palmo, & terram se asserit pu- C gillo concludere.Ipse est interior & exterior:ipse inferior & superior:regẽdo superior,portando inferior:replẽdo interior,circundãdo exterior.Sicq; est intus ut portet, sic circũdat ut penetret: sic præsidet ut portet:sic portat ut præsideat. Cũ ergo eleuata ad seipsam anima suum modulum intelligit, & quia corporalia omnia transcendat agnoscit, atq; ibi intellectu suo se ad autoris intellectũ tendit,quid iam hæc, nisi ostium contra ostium aspicit? Vnde & authori omnium propheta dicit:Mi Psal.138 rabilis facta est scientia tua ex me. Quia quantũlibet intenderit, nec semetipsam anima perfectè sufficit penetrare, quanto magis illius magnitudinem qui potuit & animam condere? Cunq; in scientia dei intellectu laboraret, lassescens ac defici D ens subdidit: Confortata est, nec potero ad eam. Sed cùm conantes atq; tendentes quiddam iam de inuisibili natura conspicere lassamur,reuerberamur, repellimur, & si interiora penetrare non possumus, tamen iam ab exteriore ostio interius ostium uidemus. Ipse considerationis labor ostiũ est:quia ostendit aliquid ex eo quod intus est,& si adhuc ingrediendi potestas non est. Sequitur:

Et fecit frõtes per sexaginta cubitos, & ad frontem atrium portæ undique per circuitum.] Sæpe iam diximus senario numero perfectionẽ boni operis designari,nõ illud sequentes quod conati sunt huius seculi sapiẽtes astruere, dicẽtes idcirco senarium numerum esse perfectum, quia suo ordine numeratus perficitur: ut cũ unus duo tres dicuntur, senarius numerus impleatur. uel quia in tribus partibus diuiditur,id est, sexta,tertia, & dimidia: uidelicet in uno, duobus, & tribus: sed idcirco senarium numerum esse perfectum, quia sicut paulò ante dictum est: Sexto die perfecit de- Gen.1. us omnia opera sua. Quoniam uerò peccatori homini legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est, & sex decies ducta in sexagenarium surgunt, rectè per sexaginta cubitos, bonorum operum perfectio designatur. Quod aperte etiam dominus in Euangelio designat: qui cùm parabolam seminantis exponeret,dixit: Aliud cecidit in Mat.13 terram bonam,& dabat fructum ascendentem & excrescentẽ,& afferebat unum triginta, & unum sexaginta,& unum centum.Fructus etenim terræ Mar.4 bonæ triginta affert, cùm mens perfectionem fidei,quæ est in trinitate conceperit. Sexaginta affert,cum bonæ uitæ opera perfectè protulerit.Cẽtum uerò affert, cùm ad æternæ uitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra, est uita præsens: dextera uerò, est uita uentura. Et rectè per centenarium numerum æternæ uitæ contemplatio designatur, quia cùm post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum computandum peruenimus, idem cẽtenarius numerus in dextrã transit. Fides atque operatio adhuc in sinistra est: quia hic adhuc positi & credimus quod non uidemus,& operamur ut uideamus. Cum uerò iam se animus in contemplationem æternæ uitæ suspenderit, quasi ad dexteram manum cõputus peruenit.Fecit itaq; frõtes per sexaginta cubitos. Quia enim per sexagenarium numerũ perfectio, quid per frontes ædificij nisi ipsa opera designant quæ exterius uidentur? Prædicationis enim uerbum tribuere,alimenta esurientibus,uestimenta algentibus dare, & pro bono opere patienter aduersa tolerare,quid aliud quàm frontes sunt ædificij cœlestis? quia pulchritudo operum exteriorum ornat habitaculum dei, quod adhuc latet intrinsecus. Sed istæ frontes habent atrium undiq; per circuitũ,quia in hoc magna sunt opera,si hæc in mẽte dilatat amplitudo charitatis.De charitate quippe scriptum est: Latum mandatum tuum nimis. Psal.118 De hac iterum Psalmista ait: Statuisti in loco spa- Psal.30 tioso pedes meos. Sed ecce dum loquor, animo occurrit quomodo lata est charitas. Si per charitatem pertingitur ad deum, & per semetipsam ueritas dicit: Intrate per angustã portam: & rursum Mat.7 Psalmistam audio dicentem: Propter uerba labio- Psal.16 rum tuorum, ego custodiui uias duras, atq; in Euangelio dominus dicit: Iugum enim meum suaue est,& onus meum leue: quomodo ergo aut lata charitas,si angusta porta:aut quomodo iugum suaue est,& onus leue,si in præceptis dei uiæ durę sunt quæ custodiuntur? Sed hanc nobis quæstionem citius ipsa ueritas soluit,quia uia dei et inchoantibus angusta est,& perfectè iam uiuentibus lata. Et dura sunt quæ contra usum spiritaliter animo proponimus,& tamen onus dei leue est postquam hoc ferre cœperimus, ita ut pro amore eius etiam persecutio placeat, & omnis pro eo affectio in mentis dulcedine ueniat, sicut sancti

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoq; Apoſtoli gaudebãt, cùm pro domino fla- A
gella tolerabãt. Ipſa ergo anguſta porta amantib.
lata fit, ipſæ uiæ duræ ſpiritaliter currentib. mol-
les & planæ fiunt, dum ſcit animus ſe pro tempo-
ralib. doloríb. gaudia æterna recipere, & hoc inci
pit quod affligit amare. Atrium ergo ante frõtes
eius, in perfectione operis eſt latitudo dilectionis
Et notandum quòd dicit. Vndiq; per circuitũ: ut
uidelicet homo per omne quod agit, ſemper ſe in
charitatis amplitudine dilatet, ne hunc aut timor,
aut odia anguſtent. Si quis ergo de uerbo dei lo-
quitur, & charitatem quã prædicat, in mẽte non
ſeruat, ædificij frontem habet, ſed atriũ ante fron-
tem nõ habet. Si quis eleemoſynam indigentib⁹
largit, & per hãc fortaſſe in corde extollit, nec ex B
charitate proximi inopiæ ſubuenit, ſed ſe elatio-
ne tacita extollit, frontem quidem in ædificio o-
ſtendit, ſed iuxta frontem atrium nõ fecit. Si quis
illatas à proximo cõtumelias tolerat, & mala obie
cta tacitus portat, magna eſt patientia quã demõ-
ſtrat, ſi dolorem in corde non habeat, ſi lucrari ad
tranquillitatem mãſuetudinis etiã ipſum qui ma-
lè exceſſerat, quærat. Nam ſi patientiam exterius
adhibẽs, intus dolorẽ tenet, nec amat eum quem
ſuſtinet, habet quidem frontem in ædificio, ſed
ante frontem atrium non habet: quia is qui ſe an-
guſtiæ odiorum ſubdidit, profectò charitatis lati-
tudinem amiſit. Nam ſicut in ſuperiori parte iam
diximus: Patiẽtia ea uera eſt, quæ & ipſum amat
quem portat. Nam tolerare, ſed odiſſe, non eſt uir C
tus manſuetudinis, ſed uelamentum furoris. Et
notandum quod hoc ipſum atrium portæ dicitur.
Porta quippe noſtra eſt aditus ad regnum. Et de-
um ac proximum perfectè amare, iam ad ingreſ-
ſum regni eſt tendere. Inquantum enim quiſque
amat, intantum ad ingreſſum propinquat. Inquã-
tum uerò amare negligit, intantum ingredi recu-
ſat: quia nec ſtudet uidere quod appetit. Tunc er-
go habemus atrium portæ, quando ex latitudine
charitatis ad ſupernam uitam quam adhuc con-
tingere minimè poſſumus, iam per deſiderium in
tramus. Itaq; cùm bonum opus erga proximũ agi
tur, reſtat ut eiuſdem boni operis intentio diſcer-
natur, ſi non præſentis gratiæ retributionẽ quæ-
rit, ſed ſpem ſuam animus ad futuram promiſſio- D
nem tendit, ut ex temporalibus æterna, ex terre-
nis cœleſtia ſperet. Spes enim cœleſtium mentem
ſolidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum ter-
renorum De qua & per Paulum dicitur: Quam ſi
Heb.5 cut anchoram habemus animæ tutam ac firmam,
& incedentem uſq; ad interiora uelaminis. De
quibus interioribus hic quoq; ſubiungitur: Et
ante faciem portæ quæ pertingebat uſq; ad faciẽ
ueſtibuli portę interiorisquinquaginta cubitos.]

Hoc quod hoc loco dicitur, ante faciem portę:
non exterior, ſed interior ante portam locus de-
ſcribitur, dum uſq; ad faciem ueſtibuli portæ inte
rioris pertingere perhibetur. Vnde & idem locus
quinquaginta cubitis dicit menſuratus. Per quin
quagenarium enim numerum requies æterna ſi-
gnatur. Habet enim ſeptenarius numerus perfe-
ctionem ſuã: quia eo die dierum numerus eſt cõ-
pletus. Et per legem ſabbatum in requiem datum
eſt. Ipſe autẽ ſeptenarius per ſemetipſum multipli
catus, ad quadraginta & nouem ducit. Cui ſi mo-
nas additur, ad quinquagenarium peruenit: quia
omnis noſtra perfectio in illius unius contempla
tione erit, in cuius nobis uiſione iam minus ali-
quid ſalutis & gaudij nõ erit. Hinc etiã Iubileus,
id eſt, annus quinquageſimus in requiẽ datus eſt:
quia quiſquis ad omnipotẽtis dei gaudia peruene
rit, laborẽ & gemitum ulterius nõ habebit. Notã-
dum uerò: quia locus qui deſcribitur per quinqua
ginta cubitos tendi, ad faciẽ ueſtibuli portæ inte-
rioris pertingere memoratur. Non ergo hoc loco
propheta iam ipſum ueſtibulum portę interioris,
ſed locum interius qui tendit ad ueſtibulum por-
tæ interioris narrat. Per quẽ locum utiq;, ſicut di-
ximus, ſpes noſtra ſignatur, quæ dum æternam re
quiem quærit, mẽtem ad ueſtibulum portæ inte-
rioris ducit. Hoc ipſum emi q; deſideramus cœle-
ſtia, q; ad promiſſa gaudia ſuſpiramus, q; æternæ
uitæ requiẽ quærimus, iam ad interioris ueſtibuli
faciẽ propinquamus. Signetur ergo per portam fi
des, per atriũ charitas, per locũ uerò qui ad faciem
ueſtibuli portæ interioris propinquat, figuretur
ſpes, ſine quibus tribus uirtutib. quiſquis iam uti
ratione poteſt, ingredi ad cœleſte ædificiũ nõ po-
teſt. Habeat ergo fides in porta: quia introducit
ad intelligentiã. Charitas in atrio: quia mẽtem di-
latat in amorẽ. Spes in loco quinquaginta deſcri-
bitur cubitis: quia per deſideria atq; ſuſpiria intro
ducit animum ad ſecreta gaudia quietis. De qua
quiete etſi adhuc ſicut eſt ueritatis lumẽ nõ cerni
mus, iam tamẽ per rimas intelligentiæ aliquid ui-
demus. Vnde & hic ſubdit: Et feneſtras obli-
quas in thalamis.] In feneſtris obliquis parsilla
per quã lumẽ intrat, anguſta eſt, ſed pars interior
quæ lumẽ ſuſcipit, lata. Quia mẽtes cõtemplantiũ
quãuis aliquid tenuiter de uero lumine uideãt, in
ſemetipſis tñ magna amplitudine dilatãtur. Quæ
uidelicet & ipſa quæ cõſpiciunt, capere pauca uix
poſſunt. Exiguũ ualde eſt, quod de æternitate cõ-
templãtes uident, ſed ex ipſo exiguo laxatur ſinus
mẽtium in augmento feruoris & amoris. Et inde
apud ſe amplæ ſunt, unde ad ſeueritatis lumẽ qua
ſi per anguſtias admittũtur. Quæ magnitudo con
templationis: quia concedi nõ niſi amantibus po
teſt, in thalamis obliquæ feneſtræ eſſe perhiben-
tur, uel in his quæ iuxta thalamos non iam extrin
ſecus, ſed eſſe intrinſecus dicuntur. Nam de eiſdẽ
feneſtris ſubditur: Et in frontibus eorũ quæ erant
intra portam undiq; per circuitum. Erant enim in
thalamis, erant & in frontibus eorum, quæ intra
portam undiq; per circuitum fuerant conſtructa:
quia qui cor intus habet, ipſe quoq; lumẽ contem
plationis ſuſcipit. Nam qui adhuc exteriora im-
moderatius cogitant, quæ ſint de æterno lumine
rimæ contemplationis ignorant. Neq; enim cùm
corporearum rerum imaginibus illa ſe infuſio in
corporeæ lucis capit: quia dum ſola uiſibilia cogi
tantur, lumen inuiſibile ad mentem non admitti-
tur. Sed

tur. Sed quisquis iam lumini contemplationis intendit, curare magnopere debet, ut mentem semper in humilitate custodiat, nunquam se de gratia qua infunditur extollat, & ipsas quæ mentes contemplantium signant quales sint obliquę fenestrę consideret. Per obliquas etenim fenestras lumen intrat, & fur non intrat: quia hi qui uerè speculatores sunt, semper sensum in humilitate deprimunt, atq; ad eorum mentes intelligẽtia contemplationis intrat, sed iactantia elationis non intrat. Et patent itaq; fenestræ, & munitæ sunt: quia & aperta est in mentibus eorum gratia qua replentur, & tamen ad se aduersarium ingredi ad superbiam nõ permittunt. Notandum uerò, quod intra portam undiq; per circuitum fenestræ obliquæ esse memorantur. Non enim contemplationis gratia summis datur, & minimis non dat̃, sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquãdo eam cõiugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium à quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest: quia intra portam undiq; per circuitum fenestræ obliquæ constructæ sunt, ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur. Nullus se donum ueri luminis æstimet habere priuatum: quia in eo quod se habere præcipuum putat, sæpe alter est ditior, quem habere apud se boni aliquid non putat. Vnde hic quoq; adhuc aptè subiungitur: Similiter autem erant, & in uestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus.] Postq; dixit fenestræ in frontibus, adiungit fenestras in uestibulis per gyrum intrinsecus: quia nõ solum alta sanctæ Ecclesiæ membra quæ prominent, habent contemplationis gratiam, sed plerũque hoc donum etiã illa membra percipiunt, quæ etsi iam per desiderium ad summa emicant, tamẽ adhuc per officium in imis iacent. Nisi em̃ his qui despecti uidentur, omnipotens deus lumen contemplationis infuderit, fenestræ in uestibulis non fuissent. Videmus itaq; alios in summis locis sanctæ Ecclesiæ cõstitutos, alta de cœlestibus loqui: miro studio inquantum illustrata mens sufficit supernæ patriæ secreta rimari: quia fenestræ sunt in frontibus. Alij uerò in sanctæ Ecclesiæ sinu continentur, & despecti humanis oculis uidẽtur, sed apud se sapientiæ studijs uacant, ad cœlestia anhelant, atq; inquantum præualent quæ sint gaudia æterna considerant. Fenestræ itaq; obliquæ sunt, sed in uestibulis. Bene autem dicitur per gyrum: quia omnis inquisitio secretarum rerum gyrũ habet, dum in cogitatione sua dicit animus, putasne hoc illud est? Quasi circuit, ut inueniat quod quærit. Cui cùm incircumscriptum lumen erumpere in cogitatione cœperit, quasi per obliquam fenestram radius ueritatis uenit. Sic quippe in cõtemplationem nostram multa cogitationibus circumeundo proficimus, sicut exempla bonorum sæpe quærimus, ut in moribus proficiamus. Nam cùm iam cogitat animus ad meliora transire, quicquid melius de alijs audire possit exquirit, nunc huius, nunc sancti alterius uitam uentilat. Vnde & electus quidam qui in expanso riuo sanctæ Ecclesiæ per uniuersum mundum mentis oculos miserat, bonorum uitam ad imitationem requirens, dicebat: Circuibo & immolabo in tabernaculo dei hostiam iubilationis. Ecce ut immolaret iubilationis hostiam, circuibat: quia nisi animã huc illucq; ad bonorum uitam exquirẽdam mitteret, ipse usque ad iubilationis sacrificiũ non peruenire. Cũ uerò sancti uiri intra Ecclesiã ad loca summa perducuntur, eorum uita quasi in speculo ponitur, ut cuncti uideãt bona quæ debeant imitari. Vnde & adhuc aptè subiungitur: Et ante frontes pictura palmarum.] Quid per palmas nisi præmia uictoriæ designãtur? Ipsæ quippe dari uincentibus solent. Vnde de his quoq; qui in certamine martyrij antiquum hostem uicerant, & iam uictores in patria gaudebant, scriptum est: Et palmæ in manibus eorum, & clamabãt uoce magna, dicentes: Salus deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Palmas quippe in manibus tenere, est uictorias in operatione tenuisse. Cuius operationis palma ibi retribuetur, ubi iam sine certamine gaudebit. Vnde & hic non dicitur: Palmę ante frontes, sed ante frontes pictura palmarum. Ibi em̃ uictoriæ palma uidebit̃, ubi iam sine fine gaudebit̃. Nam hic plerunq; sanctos uiros aspicimus mira agere, uirtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia eijcere, tactu ęgritudinis corpora sanare, prophetiæ spiritu uentura prædicere. Cuncta itaq; hæc necdum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarũ. Nã hæc aliquãdo dantur & reprobis. Vnde & per Euangelium ueritas dicit: Multi dicent mihi in die illa: domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in tuo nomine dæmonia eiecim⁹, & in tuo nomine uirtutes multas fecimus? Et tũc confitebor illis, quia nunq; noui uos: discedite à me qui operamini iniquitatẽ. Vnum uerò signũ electionis est soliditas charitatis, sicut scriptũ est: In hoc scietur quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Hęc autẽ miracula cũ electi faciunt, longè dissimiliter à reprobis fiunt: quia quod electi ex charitate, hoc reprobi studẽt agere per elationem. Sed eisdem electis ipsa mira quæ per charitatem faciunt, non iam palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum: quia de eis foris ostenditur, quales apud omnipotentem dominum intus habeantur. Ibi autem eis palma erit, ubi iam mortis contentio non erit. Nam prędicator egregius tunc aspexit palmam ueram uincentibus dari, cùm resurrectionem præuidit mortuorum fieri, sicut dicit: Oportet em̃ corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors uictoria tua, ubi est mors stimulus tuus? Tunc erit perfecta uictoria, cùm mors plenè fuerit absorpta. Id omne autem quod modo mirabiliter de signis agi conspicimus, nõ iam ipsam uictoriam, sed adhuc imagines uictoriæ uidemus. Quia plerunq; sanctis etiã & in locis sublimioribus positis, ut ad bona ope-

Apoc.7

Mat.7

Ioan.13

1.Cor.15

na opera alij prouocent, uirtutes & signa dantur, ante frontes interioris ædificij palmarum pictura ostenditur. Hęc hodierno die tractata sufficiāt, ut ad ea quæ subiuncta sunt, ualentiores adiuante Domino nostro Iesu Christo ueniamus, qui uiuit & regnat, &c.

Homilia XVIII

ET eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimētum stratum lapide in atrium per circuitum. Triginta gazophylacia in circuitu pauimenti, & pauimētum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris usq; ad frontē atrij interioris extrinsecus, cētum cubitos ad Orientem & Aquilonem.

POstquam de cōtemplationis gratia obliquas fenestras insinuans propheta multa locutus est, eductum se exterius dicit, & gazophylacia uidisse cōmemorat. In quibus gazophylacijs quid aliud quàm doctorum scientia designatur? Sed recte hac in re quæri potest, cùm doctores sancti spiritalia atq; interna doceant, cur propheta eductū se exterius dicit, & gazophylacia foris uidisse? sed sciendum est: quia alia est contemplatio quæ tantum uidet quantum dicere non ualet: alia uerò scientia atq; doctrina, quæ tantum uidet, quātum exprimere per linguā possit. In comparatione quippe illius luminis quod uoce exprimi non potest, quasi hoc totum foris est quod exprimi uoce potest. Ait itaq;: Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia & pauimentum stratum lapide in atrium per circuitum.] Quia sermone græco phylattein seruare dicitur, & gaza lingua Persica diuitiæ uocatur, gazophylacium locus appellari solet in quo diuitiæ seruantur. Quid itaq; per gazophylacia designatur, nisi, ut prædiximus, corda doctorum sapientię atq; scientię diuitijs plena? quia iuxta Pauli uocem: Alij datur per spiritū sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ in eodem spiritu. Sunt enim quidam qui per donum gratiæ, & ipsa intelligunt quę exponi à doctoribus non audierunt, hi uidelicet sermonem sapientiæ perceperunt. Et sunt quidam qui per semetipsos intelligere audita nequeunt, sed ea quæ in expositoribus legerint retinent, atq; scienter proferunt quæ lecta didicerunt. Vnde itaq; isti, nisi sermone scientiæ pleni sunt? Quamuis hoc intelligi & aliter possit: quia sapientia ad uitam, scientia uerò pertinet ad doctrinam. Qui igitur bene uiuit & prudenter prædicat, gazophylacium spiritalis ędificij rectè nominat: quia ab eius ore cœlestes diuitiæ dispensant. His diuitijs abundare discipulos idē magister gentium uiderat, cùm dicebat: Diuites facti estis in illo, in omni uerbo & omni scientia. Sunt itaq; in sanctæ Ecclesiæ ædificio constructa gazophylacia: quia abundat diuitijs scientiæ lingua doctorum. Has ueras esse diuitias ipsa per se ueritas denunciat, cùm de transitorijs diuitijs dicit: Fallacia diuitiarum suffocat uerbum scientiæ. Sapientia etenim atq; scientia doctrinę, spiritales ueræ sunt diuitiæ, in quarum comparatione quæ transire possunt, falsæ nominantur. De his diuitijs per Salomonem dicitur: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Excepto autē eo quod ad æternam patriam diuitiæ spiritales ducunt, est eis à terrenis diuitijs magna distantia: quia spiritales diuitiæ erogatæ proficiunt, terrenæ autem diuitiæ aut erogantur & deficiunt, aut retinētur & utiles non sunt. Qui ergo has in se ueras diuitias continent, rectè gazophylacia nominātur. Et habent ipsa gazophylacia pauimentum per circuitum: qia eis adhæret ac subiacet humilitas auditorum. Quod pauimentum rectè stratum lapide in atrium dicitur: quia in latitudinem charitatis uicissim sibi iunctæ sunt animæ fideles. Quæ & lapides appellantur pro fortitudine fidei, & stratæ in pauimento sunt in compage humilitatis. Has fidelium mentes Petrus apostolus fortes in fide conspexerat, cùm dicebat: Et uos tāquam lapides uiui superædificamini domos spiritales. De his lapidibus sanctæ Ecclesiæ dominus per Esaiam dicit: Ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, uniuersos terminos in lapides desiderabiles, omnes filios tuos doctos à domino. Omnipotens enim Deus sanctæ Ecclesiæ propugnacula iaspidem, qui lapis uiridis coloris est, posuit: quia prædicatorum illius mentes internæ uiriditatis amore solidauit, ut transitoria cuncta despiciant, nihil in hoc mundo quod fine cladditur appetant, cuncta eius gaudia uelut arida cōtemnant. Vnde & ipse pastor Ecclesiæ, auditores suos ad pascua æternæ uiriditatis uocans, de deo loquitur dicens: Secundum magnam misericordiam suā regenerauit nos in spem uiuā, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatē incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem, conseruatam in cœlis. Huius sanctæ Ecclesiæ portæ in sculptos lapides ponuntur: quia hi per quorum nos uocem ad uitam æternam ingredimur, sancta opera quæ diuinitus præcepta sunt, dum in semetipsis ostenderent, quasi in se sculpta tenuerunt. Portæ etenim non sculptæ, sed puræ essent, si uocem quidem promerent, sed sancta in se opera non demonstrarent. At ubi secūdum hoc se ostendunt uiuere quod loquūtur, & portę sunt, quia intus ducūt, & sculptæ, quia uiuendo custodiunt quæ alijs loquunt. Huius sanctæ Ecclesiæ uniuersos terminos in lapides desiderabiles positos uidemus, dum in ea fideles quosq; fortes in fide & charitate conspicimus. Qui ut quos dixerit lapides demonstraret, adiūxit: Omnes filios tuos doctos à domino. Quod ergo Esaias uniuersos Ecclesię terminos desiderabiles uidit, hoc Ezechiel pauimentū lapide stratū per circuitū esse perhibuit, q adhuc de gazophylacijs subdit: Triginta gazophylacia in circuitu pauimēti.] Denari⁹ numerus pro

Mat.13 Prou.21 1.Pet.2 Esa.54 Esa.54 1.Pet.1

rus pro perfectione ſemper accipitur, quia in decem præceptis legis cuſtodia continetur. Actiua etenim ac contemplatiua uita ſimul in decalogi mandatis coniuncta eſt, quia in ea & amor dei & amor ſeruari proximi iubetur. Amor quippe dei ad contemplatiuam, amor uerò proximi pertinet ad actiuam. Sed unuſquiſque doctor, ut in actiuam uitam plenè ſe dilatet, atque in contemplatiuam uigilanter ſurgat, in ſanctæ trinitatis fide debet eſſe perfectus. Vnde & eadem gazophylacia triginta eſſe cõmemorantur, ut cùm denarius ter ducitur, uita & lingua doctoris in trinitate ſolidetur. Sed hac in re illud nobis eſt uigilanter intuendum, quòd propheta dum gazophylacia deſcripſiſſet, adiunxit: Pauimentum per circuitum. Atque inferius ſubiunxit: Gazophylacia in circuitu pauimenti. Quatenus & gazophylacia in circuitu pauimenti, & pauimentum in circuitu gazophylaciorum eſſe uideatur. Pauimentum quippe & gazophylacia eo ſunt ordine diſtincta, ut gazophylacia inter pauimentum, & pauimentum inter gazophylacia fuerit ſtratum. Non hoc fratres ſine magno myſterio eſt, quòd in circuitu gazophylaciorum dicitur eſſe pauimentum, & in circuitu pauimenti narrat eſſe gazophylacia. Habet enim pauimentum in circuitu gazophylacia, quia uita audientium erudit quotidie & cuſtodit linguam doctorum. Doctores etenim boni in ſanctæ eruditionis uerbis modo fomentis dulcedinis, modo aſperitate increpationis inuigilant, ut auditorum ſuorum uitam à uitijs defendant. Sed habent ipſa quoque gazophylacia in circuitu pauimentum: quia ſæpe etiam doctorum cor, uitiorum tentationibus tangitur, ut modo eleuetur iactationis ſuperbia, modo iræ ſtimulis inflammetur. Sed cùm bonorum auditorum uitam conſiderant, eamq; profeciſſe ſuis exhortationibus penſant, erubeſcunt tales non eſſe quales authore deo per ſe conſpiciunt alios factos eſſe, & tanto ſe in mente ſtabiliunt, quanto plenè in culpam labuntur. Nam cùm ipſa ſua doctoribus uerba ad memoriam reducunt, erubeſcunt non ſeruare quod dicunt. Vnde per Salomonem quoque dicitur: Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. Os enim noſtrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod dicimus, à uitijs refrenamur: quia turpe nimis eſt ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati ſumus alios leuare. Habent ergo gazophylacia in circuitu pauimentum, quia doctorum magna cuſtodia eſt uita uenerabilis auditorum. Et ſuus ei ſermo ſit in adiutorio, quia erubeſcunt pulſantibus uitijs non reſiſtere, qui contra uitia alios armauerũt. Quia enim quandiu in hac uita uiuimus, contra malignos ſpiritus quid aliud quàm in acie ſtamus? ſicut prædiximus, doctoris animus forſitan aliqua elatione pulſatur. Sed ſiue ne ipſe pereat, ſeu ne per exemplum ſuum alios ad perditionem trahat, uigilanter ſe & feſtinè circunſpicit, in cogitationibus remordet. Adducta auditorũ ſuorũ uita ad memoriã, ſemetipſum humiliat, & quib. præualet modis agit ne elatio principetur in mente, ne dominetur in opere. Scriptum quippe eſt: Initium omnis peccati ſuperbia. Quis ergo ante dei oculos fructus boni operis, ſi ex radice putruit elationis? Sæpe ut prædictum eſt, eius animus tentatur ex ira, ſed citius ſe ad circunſpiciendum recolligit, & diſciplinæ pondere deprimens agit ne motus animi tranſeat in ſermone, ne erumpat in uoce. Fitq; ut ira perturbati animi, ubi per negligentiam oritur, ibi per iudicium ſuffocata moriatur. Qua ex re agitur, ut ex cœpta culpa animus uirtutem pariat, qui etſi ſe fortiter cuſtodire noluit ne ad motum ſurgeret, ſe tamen in commotione fortiter uicit. Vnde bene per Salomonem dicitur: Melior eſt patiens uiro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Patiens præferẽ: quia in illa actione uictoriæ, homo uictor eſt hominum, in hac aũt manſuetudine patientiæ, animus uictor eſt ſuus. Sequitur:

Prou. 16

Prou. 16

Et pauimentum in fronte portarum ſecundum longitudinem portarum erat inferius.] Si portarum longitudinem ad locum referimus in quo portæ fuerant conſtructæ, ſecundum longitudinem portarum pauimentum erat inferius: quia quantum tenere locus portarum poterat, tantum tendebatur & pauimẽtum quod erat inferius. Longitudo ergo pauimenti à portis non erat diſſimilis, ſed tamen æqualitas pauimenti nõ erat cum portis. Quid eſt ergo quòd pauimẽtum cum portis longum ſimiliter erat, ſed æquale non erat, niſi quòd longè diſtat uita populorum à uita docentium? quia & ſi ad regna cœleſtia tendentes, eandem longanimitatem ſpei habent, eadem uerò uiuendi ſtudia non habent. Tendatur ergo pauimentum ſimiliter in longum: quia ipſam fidem, ipſam ſpem in ſe retinent auditores, quam habere certum eſt prædicatores. Sed pauimentum inferius iaceat, ut omnes auditores, prædicatores ſuos longè ſuis meritis antecedere cognoſcant. Sin uerò longitudinem portarum ipſam, ſicut ſuperius diximus, earum altitudinem intelligere debemus, dum ſicut paulopoſt ſcriptum eſt, ad portas gradibus aſcendebatur, tanto pauimentum iacet inferius, quanto unaquæque porta ſurgit in altitudinem. Quia quanto ſanctior eſt uita doctoris, tanto fit humilior ſenſus audientis. Et ſemetipſum deſpicit, dum prædicatoris ſui uitam in magna ſurgere altitudine perpendit. Imitari etenim bona eius alia forſitan poteſt, alia non poteſt. In quibus præualet proficit: in quibus minimè præualet, ad humilitatem creſcit. Et hoc ipſum ergo ei in profectu eſt, quod ei imitabile ad profectum non eſt. Ecce enim prædicatorum noſtrorum ea quæ legimus dicta & facta penſamus, & in quantam altitudinem ſurrexerint portæ, cognoſcimus. Vt enim taceamus de oſtenſione ſignorum, loquamur de uirtutibus cordium. Certè Paulus qui ſe legi mortuum per legem dicit, quia ut in Chriſto crederet, ei hoc & lex ipſa prædicauit, magno fidei ardore ſuccẽſus, præcepta legis tenere carnali

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter noluit, circũcisionem in gentibus fieri uetuit. Et cùm Petrus Apostolus seruari adhuc in circun
Gala.5 cisione legis consuetudinem uellet, ei in faciem
restitit, eumq; hac in re fuisse reprehensibilem di-
cit. Et in hoc eius studium discipulis loquens, non
solum culpam, sed quod est magis, hypocrisim, id
Gala.2 est, simulationem nominat, dicens: Cùm uenisset
Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia repre
hensibilis erat. Et paulopost: Et simulationi eius
consenserunt cæteri Iudæi. Idem uerò Apostolo-
rum primus cùm multa discipulos admoneret,
atq; à quibusdam detrahi Pauli scriptis agnosce-
2.Pet.3 ret, dicit: Sicut charissimus frater noster Paulus se
cundum datam sibi sapientiam scripsit uobis, lo-
quens in eis de his, in quibus sunt quædam diffi-
cilia intellectu, quæ indocti & instabiles depra-
uant, sicut cæteras scripturas, ad suam ipsorum
perditionem. Ecce Paulus in epistolis suis scri-
psit Petrum reprehensibilem, & ecce Petrus in
epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat
admirandum. Certè enim nisi legisset Petrus Pau-
li epistolas, non laudasset. Si autem legit, quia il-
lic ipse reprehensibilis dicitur, inuenit. Amicus
ergo ueritatis laudauit, etiam quod reprehensus
est, atque ei hoc ipsum placuit, quia in his non
placuerat quæ aliter quàm debuerat sensit. Secq;
etiam minori fratri ad cõsensum dedit, atq; in ea-
dem re factus est sequens minoris sui, etiam ut in
hoc præiret: quatenus qui primus erat in Aposto
latus culmine, esset primus & in humilitate. Pen-
sate ergo fratres charissimi, in quo mentis uertice
stetit qui illas epistolas laudauit, in quibus scriptũ
se uituperabilem inuenit. Quæ illa mansuetudo
tanta esse potuit, quæ quies animi, quæ soliditas,
atq; imperturbatio cogitationis? Ecce à minore
suo reprehenditur, & reprehendi nõ dedignatur.
Non ad memoriã reuocat, quòd primus in Apo-
stolatum uocatus sit, nõ quòd claues regni cœle-
stis acceperit, non quòd peccata quæcunq; in ter-
ra soluerit, essent soluta & in cœlo, non quòd in
mari pedibus ambulauit, non quòd paralyticos
in Iesu nomine iubendo erexerat, nõ quòd ægros
corporis sui umbra sanauerat, non quòd mentien
tes uerbo occiderat, non quòd mortuos oratione
suscitabat. Ne igitur increpationis uerba dedigna
retur audire, omnia dona quæ acceperat, quasi à
memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis do
num teneret. Quis ergo nostrum si uel extremum
aliquod signum fecisset, à minori fratre increpa-
tus increpationis uerba patienter audiret? Nihil
enim signi fecimus: & si quis nos fortasse de actio
ne nostra reprehẽderit, statim intumescimus, ma-
gnos quosdam nos taciti cogitamus, uirtutes no-
bis ad animum deducimus, etiam quas non habe
mus. At contra Petrus cum uirtutibus humilis in
reprehensionibus permansit, sed porta surrexit in
altitudinem. Hanc autem tantam mansuetudinẽ
nos imitari non possumus, sed quia pauimentum
sumus, longè inferius iacemus. Sunt uerò non-
nulli qui non Petrum Apostolorum principem,
sed quendam alium eo nomine, qui à Paulo est
reprehensus accipiunt. Qui si Pauli studiosius uer
ba legissent, ista non dicerent. Dicturus etenim
Gala.2 Paulus: Cùm uenisset Petrus Antiochiam, ei in
faciem restiti, ut de quo Petro loqueretur, osten-
deret: in ipso suæ narrationis initio præmisit, di-
cens: Creditum est mihi Euangelium præputij, si-
cut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est
Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus
est & mihi inter gentes. Patet ergo de quo Petro
Paulus loquitur, quem & Apostolum nominat,
& præfuisse Euangelio circumcisionis narrat. Et
fuerunt quidam qui secundam Petri epistolam,
in qua epistolæ Pauli laudatæ sunt, eius dicerent
non fuisse. Sed si eiusdem epistolæ uerba pensare
uoluissent, longè aliter pensare poterant. In ea
2.Pet.3 quippe scriptum est: Voce delapsa ad eum huiu-
scemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus di
lectus, in quo mihi complacui. Atque subiungi-
tur: Et hanc uocem nos audiuimus cùm essemus
cum ipso in monte sancto. Legant itaque Euan-
gelium, & protinus cognoscũt, quia cùm uox ista
de cœlo uenit, Petrus Apostolus cũ domino ste-
tit. Ipse ergo hanc epistolam scripsit, qui hanc uo-
cem in monte de domino audiuit. Sed quia pauca
de Petro diximus: nunc si placet ad Pauli mansue
tudinem conuertamur, & pensemus si possumus,
ille qui tanti ardoris est in zelo prædicationis, ut
Apostolorum quoque primo non parceret, quan
2.Cor.11 tæ sit mansuetudinis in studio longanimitatis. Ta
ceamus autem quòd ter uirgis cæsus est, quia se-
mel lapidatus est, quia ter naufragium fecit, quia
nocte ac die in profundo maris fuit, quia à Iudæis
quinquies quadragenas una minus accepit. Mi-
nus enim animum ad iracundiam commouent ea
mala quæ nobis ab apertis aduersarijs irrogãtur,
hoc plus solet dolere quod à propriis patimur.
Vnde & per Psalmistam ipsa ueritas contra tradi
Psal.54 torem suum loquitur, dicens: Quoniam si inimi-
cus meus maledixisset mihi, supportassem utiq;.
Tu uerò unanimis dux meus & notus meus, qui
simul mecum dulces capiebas cibos. Pensemus
ergo si possumus, Paulus Apostolus qui tantum
patiens inter persecutores, quantum mansuetus
inter discipulos fuerit. Certè Corinthi ueniens, ab
idolorum seruitio Corinthios retraxit, quis esset
uerus deus innotuit, æternæ eius uitę gaudia præ-
dicauit. Et cùm magnam multitudinem populi in
fide collegisset, tantam illic inopiam pertulit, ut
uictus sui graui necessitate laboraret. Et panem
terræ à discipulis non accepit, quibus panem cœ-
li prædicauit. Insistebat uerbo pro uita audienti-
um, insistebat labori manuum pro uita corporis
1.Cor.4 sui. De terris quoque alijs stipendia ei à discipu-
lis mittebantur, ut Corinthijs prædicare sufficee-
ret. Ipse quoque ad eosdem Corinthios pòst per
2.Cor.11 epistolam loquitur, dicens: Cùm essem apud uos
& egerem, nulli onerosus fui, nam quod mihi de-
erat, suppleuerunt fratres qui uenerunt à Mace-
donia. Quibus ad magnũ quoq; improperiũ præ-
misit, dicẽs: Alias Ecclesias spoliaui, accipiens sti-
pendiũ ad ministerium uestrum. Pensemus ergo
si possumus

si possumus cuius hoc mansuetudinis fuerit, panem spiritus prædicare, & panem carnis non accipere, corda audientium de diuitijs æternis instruere, & inter eosdem discipulos fideles & abūdantes fame laborare, inter satiatos pati inopiam, nec tamen quod patiebatur dicere, nec tamen dolere, uidere dura erga se corda audientium tenacium, nec à prædicatione desistere. Nam sicut Apostolorum Acta testantur, anno & sex mensibus continuè in eadem ciuitate prædicauit. Cunq; ab eisdem Corinthijs recessisset, ad eos postmodum scribit quod apud eos positus pertulit. Quare autem hoc eis cùm inter eos uiueret, nunquam dixit? Ne quod erga eum factum ex bona uoluntate non fuerat, fieret ex iussione. Et cùm innotesceret eorū miseria, remaneret uolūtas ignota. Quare autem hoc postmodum longè positus scribit? Ne omnimodo discipuli incorrecti remanerent, & quales magistro in tenacia fuerant, alijs quoq; fratribus tales non essent. Verè in hoc Paulus, uerè magister gentium: sua negligens, aliena curans impleuit quod prædicauerat: Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius. Et non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed ea quæ aliorum. Quanta itaque ista mansuetudinis uirtus est? Quanta tranquillitas spiritus? Quis autem nostrum, si unum huius mundi diuitem ad omnipotentis dei seruitium conuertisset, seq; egere conspiceret, & illum sibi uitæ subsidia non præbere, non protinus de eius uita desperasset? Quis non incassum laborasse se diceret? Quis non ab eius exhortatione obmutescceret, quem in semetipsum primùm ferre fructum boni operis non uideret? Sed Paulus per mansuetudinem in uirtutū uertice solidatus perstitit, prædicauit, dilexit, & bonum quod cœperat expleuit, eaq; portando & persistendo discipulorum corda ad misericordiam perduxit. Nam eorum profectum postmodum scire se indicans, in eadem epistola scribit de ministerio quod fit in sanctos: Ex abundantia est enim mihi scribere uobis. Scio enim promptum animum uestrum, pro quo de uobis glorior apud Macedonas, quoniā Achaia parata est ab anno priore, & uestra æmulatio prouocauit plurimos. De quibus rursus ait: Qui non solum facere, sed & uelle cœpistis ab anno priore. In quibus enim non tam opera quàm pia uota requirebat, in eis procul dubio plus laudat pia uota quàm opera. Notandum nobis est, quia habet improperium hæc ipsa cōsolatio, cùm dicitur, ab anno priore. Bonum quippe, sed tardè fecerant, atq; ideo hoc magister non sine reprehensione laudat. Medicus quippe est qui medicamentum uulneri apponit, quod & ea quæ purgata sunt, refouet: & ea quæ putrida inueniunt, mordet. Sed hæc tolerando atq; prædicando, expleuit quod cœpit. Et miræ longanimitatis uirtus discipulorum duritiam emolliuit ad misericordiæ uiscera: quia longitudo portæ surrexit in altitudinem. Sed infirmi nos ad imitandū altę māsuetudinis longanimitatem idonei non sumus: quia uidelicet pauimentum sumus, & despecti in nostris moribus iacemus. Ecce aūt dum de duobus ducibus cœlestis exercitus loquor martyr quoque Stephanus memoriæ occurrit: qui tentus pro creatoris sui nomine, & in medium persecutorum deductus, imperterritus stetit, fiducialiter docuit, & ex zelo ueritatis persecutores suos fortiter increpauit, dicens: Vos semper spiritui sancto restitistis. Cunq; illi ad lapides currerēt, flexo genu pro eisdem persecutoribus orauit dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Quæ itaq; ista uirtus est, sic zelo feruere, ut eis à quibus terrebatur, per fidiæ impropria fiducialiter diceret: & sic diligere, ut in morte quoque pro eis à quibus moriebatur oraret? Sic quippe ex zelo inferbuit, ac si mansuetudinis nihil haberet. Et sic mansuetus in eorum dilectione perstitit, ac si contra eos feruoris nihil habuisset. Pensemus inter hæc ubi nostræ conscientiæ reatus iacet. Quis enim nostrum si saltem uerbi contumeliam à proximo acceperit, nō confunditur, commouetur, non ad odium erumpit, non præceptum dilectionis obliuiscitur? Sed hoc Stephanus ex omnipotentis dei gratia potuit, quia surgens in altitudinē porta fuit. Hoc nos miseri nostra uirtute imitari non possumus, quia longè inferius sicut pauimentum iacemus. Quid autem nos in uita sanctorum de nostra admiratione dicimus: cùm ipsi quoque antiqui patres prædicatorum sanctæ Ecclesiæ uitam considerantes, ualde admirati sint? An non eorum uitam Psalmista admiratus est, cùm dicebat: Mihi autem ualde honorati sunt amici tui deus, nimis cōfortatus est principatus eorum? Quod de quibus eius amicis dicat, Euangelium interroga, in quo ueritas prædicatoribus dicit: Vos amici mei estis. Esaias quoque eorum uitam intuens, ait: Qui sunt isti qui ut nubes uolāt, & quasi columbæ ad fenestras suas? Rectè autem prædicatores sancti nubes appellati sunt: quia uerbis pluunt, miraculis coruscant. Qui uolare quoq; ut nubes dicuntur: quia in terra uiuentes, extra terram fuit omne quod egerunt. Vnde & per quandam nubem dicitur: In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Priores enim patres coniugijs utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant. Istos autem prophetię iam spiritu præuidens substantias deserere, nihil in terra quærere, nil possidere, non eos uel homines per terram ambulantes, sed nubes uolantes nominat. Volant enim qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nil appetūt. Qui & ad fenestras suas quasi columbæ sunt, quia pro mansuetudinis suæ spiritu in hoc mundo per oculos nil concupiscunt. Consideremus ergo quantæ altitudinis istę spiritalis ædificij portæ sunt, quas & spiritales patres admirantur, quantumq; nos in earum admiratione humiliare necesse est, qui pauimentum sumus. Sed quia sub longitudinis appellatione altitudinem portarum audiuimus, nunc aliquid de earum latitudine cognoscamus. Sequitur: Et mensus est latitudinem, à facie portæ inferioris usq; ad frōtem atrij interioris extrinsecus centum cubitos

Acto. 18 · 2. Cor. 11 · 1. Cor. 10 · 2. Cor. 9 · Acto. 7 · Psal. 138 · Ioan. 16 · Esa. 60 · 1. Cor. 16

Universidad de Deusto
Biblioteca

cubitos ad Orientem & ad Aquilonem.] In quibus uerbis si portam aditũ accipimus quo ad cognitionem domini intramus, porta inferior fides est, atrium uerò interius comtemplatio. Habet autem porta inferior latitudinem in facie, quia uidelicet fides per charitatis suæ amplitudinem habet eam quę uidetur à proximis operationem. Quam dum fortiter à perfectioribus agi cõspicimus, nos qui in bonis actibus angustamur, exempla per eos magnæ operationis accipimus. Et unaquæque sancta actio quasi quædam nobis fit latitudo itineris, quæ prius erat angustia difficultatis. Habet quoque atrium interius frontem, quia contemplatiua uita per quædam signa desideriorum & gemituum ostendit quantum intus uideat quę tantum amat. Denarius autem numerus per semetipsum multiplicatus, in centenarium surgit. Vnde rectè per centenarium magna perfectio designatur, sicut de electis dicitur: Omnis qui reliquit domum uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Neq; etenim sanctus quisq; ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit: quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit. Nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est, sed per centenarium numerum perfectio designat. Quia quisquis pro dei nomine temporalia atq; terrena contẽnit, & hic perfectionem mentis recipit, ut iam ea nõ appetat, quæ contemnit, & in sequẽti seculo ad æternæ uitæ gloriã peruenit. Centies itaq; recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget etiã si hæc non habet. Ille aũt pauper est qui eget eo quod non habet. Nam qui & non habens habere non appetit, diues est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui in paupertate bene conuenit, nõ est pauper. Mẽsus est ergo uir latitudinem à facie portæ inferioris, usq; ad frõtem atrij interioris extrinsecus centum cubitos, Quia redemptor noster quotidie per magistros atq; doctores in mensura perfectionis metitur uitam fidelium, uel in specie boni operis per fidẽ, uel in sanctis desiderijs per contemplationem. Multi etenim uidentur in fide positi magna operari, sed in centum cubitis nõ mensurantur: quia per ipsa quæ faciunt, terrenam gloriam quærunt. Et quidam uidentur per abstinentiam cruciari, gemitibus insistere, sed eorum mensura ad centum cubitos minimè ducitur: quia in his quæ agunt, ab humano iudicio fauores requirunt. Quis ergo est qui per centum cubitos mensuratur, nisi is cuius bona operatio recta intentione utitur, ut in eo quod agit, non ad terrena lucra appetenda, aut ad laudes transitorias reflectatur? Ecce enim misericordiã proximis exhibere, possessa largiri, cum celeritate indigenti tribuere, latitudo in facie portæ inferioris est. Sed si tua dans aliena non appetas, si terrenam gloriam de ipso bono opere non requiras, rectè in centenario numero, id est, in perfectione mensuraris. Nam qui uidetur dare misericorditer propria, & rapit forsi tan uiolenter aliena, iste adhuc quæ sit uia perfectionis ignorat, nec cognouit unde ad perfectionẽ tendit, quia nec ipsum eius initiũ inuenit. Prius enim apperitũ euellere à mente debuit, & postea quæ iure possidet largiri. Vnde scriptum est: Declina à malo, & fac bonũ. Quid eñ potest esse boni quod fecit, qui necdum à malo declinauit? Et sunt quidam qui, sicut dictum est, ab alimentis abstinent, carnem cruciant, sed tamen si pulsati fuerint, cognoscuntur quia ad mundi gloriam anhelant. Isti frontem atrij interioris ostendunt, sed per centum cubitos non mensurantur. Hi ergo in numero perfectionis sunt, de quibus per Paulum dicitur: Qui carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs. Et notandum, quia non dicitur quòd intrinsecus, sed extrinsecus ista mensuratur: quia uidelicet redemptor noster cùm per nos facta hominũ, uel approbat, uel iudicat, non intrinsecus metitur. Vnde & per Euangelium dicit: Ex fructibus eorũ cognoscetis eos. Quia eñ per hoc quod uidemus, cognoscimus operantis animum quem non uidemus, siue latitudinem quæ in facie portę est inferioris, siue frontem atrij interioris extrinsecus metimur. Cùm enim alios conspicimus largiri eleemosynam, afflicto occurrere, oppresso subuenire, nihil in hoc mundo gloriæ quærere, nullis huius mundi cõpendijs inhiare, atq; alios uidemus carnem domare, lachrymis insistere, uerbis cœlestibus occupari, nihil transitorij honoris appetere, quid aliud debemus nisi eos perfectos esse credere, sanctos æstimare? Quia ergo per hoc quod aspicimus, eos perfectos esse uidemus, eorum uitam per centum cubitos extrinsecus metimur. Et quia multi in Iudæa, pleriq; uerò in gẽtilitate positi, ad hanc perfectionis summam uenerunt, rectè subiungitur: Ad Orientem & ad Aquilonem.] Iudaicus etenim populus Oriens iure dictus est, de cuius carne ille est natus qui Sol iustitiæ uocatur. De quo per prophetam dicitur: Vobis autem qui timetis dominum, orietur Sol iustitiæ. Per Aquilonem uerò gentilitas figuratur, quæ diu perfidiæ suæ frigore torpuit, & in cuius corde ille regnauit, qui attestante propheta apud semetipsum dixit: Ponam sedem meam ad Aquilonem. Quia itaq; incarnatus omnipotens deus alios perfectos ex Iudæa, alios ex gentilitate perfectos intra sanctam Ecclesiam fecit, centum cubitos non solum ad Orientem mensus est, sed etiã ad Aquilonem. Sed quia sub Aquilonis nomine de gẽtilitate sermo se intulit, considerare libet quantũ super nos effusa sunt uiscera creatoris nostri. Omnes enim nos ex gentilitate uenimus. Antiqui parẽtes nostri lignis & lapidibus seruiebant, & derelinquentes deum à quo facti sunt, deos uenerati sunt quos fecerunt. Nos aũt per omnipotentis dei gratiã ad lucem de tenebris uenimus. Recolamus ergo de quibus tenebris uenimus, & de luce quã accepimus, gratias agamus. Neq; eñ diuinã misericordiã intelligit

Psal. 33
Gal. 5
Mat. 7
Mala. 4
Esa. 14

ligit, qui suæ misericordiæ memor non est. Vnde
Psal.16 & per Psalmistam deo dicitur: Mirifica misericordias tuas domine, qui saluos facis sperantes in te. Tunc enim nobis dei misericordiæ mirificantur, cùm nobis ad memoriã miseriæ nostræ reuocantur: quia recolentes quid fuimus, intelligimus cui debemus quod sumus. Cantemus itaq; cum gaudio creatori nostro, qui de seruitio creaturę, collamentis excusimus. Gaudeamus in nobis impleEsa.30 tum esse quod per Esaiam dictum est: Et frenum erroris quod erat in maxillis populorum, canticum erit uobis sicut uox sanctificatæ solennitatis. Frenum quippe erroris maxillas populorum constrinxerat, quãdo idolorũ errore obligata gentilitas, deo uero confessionis laudem dare nesciebat. Sed hoc ipsum erroris frenũ iam nobis in canticum uersum est, cùm gaudendo psallimus atq;
Psal.103 cantamus: Omnes dij gentium dæmonia, dominus autẽ cœlos fecit. Et rursum: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non uidebũt. Aures habent & nõ audiẽt, nares habent & non odorabunt. Manus habẽt & non palpabunt, pedes habent & non ambulabũt. Qui itaq; hæc omnipotenti dño psallendo dicimus: ipsum erroris nostri frenũ quod à laude dei ora nostra ligauerat, uero dño canticum fecimus. Bene autem dicitur, sicut uox sanctificatæ solennitatis: quia dum confessionis laudem deo reddimus, in sanctificata solennitate gaudem⁹. Respon
C deamus ergo moribus tantæ misericordiæ redemptoris nostri, & qui lucem cognouimus, prauorum operum tenebras declinemus. Quid est iam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Vbiq; luctus aspicimus, ubiq; gemitus audimus. Destructæ urbes, euersa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in urbibus habitator remansit, & tamen ipsæ paruæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur. Et finem non habent flagella cœlestis iustitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ. Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici uidemus. Quid est ergo quod in hac libeat fratres
D mei? Si & talem adhuc mundum diligimus: non iam gaudia, sed uulnera amamus. Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse uidebatur, qualis remanserit Roma conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita: desolatione ciuium, impressione hostiũ, frequentia ruinarum: ita ut in ea completũ esse uideamus, quod contra urbem Samariam per hunc eundem prophetam longè superius dicitur: Pone ollam, pone inquam & mitte
Ezech.34 in ea aquam, & congere frusta eius in ea. Et paulopòst: Efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa illius in medio eius. Atque iterum: Congere ossa quæ igne succendam, consumentur carnes, & coquetur uniuersa compositio, & ossa tabescent. Pone quoq; eam super prunas uacuam, ut incalescat & liquefiat æs eius. Tũc eñ nobis olla posita est, cùm hæc est ciuitas constituta. Tunc in eam aqua
A missa est, & frusta eius congesta sunt, quando ad eam undiq; populi defluebant, qui uelut aqua calens actionibus mundi feruescerent, & quasi frusta carnium in ipso suo feruore liquarentur. De qua bene dicit: Efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa eius in medio illius. Quia prius quidem in ea uehementer incaluit actio gloriæ secularis, sed postmodum ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim potentes seculi, per carnes uerò populi designantur: quia sicut carnes portantur ossibus, ita per potentes seculi infirmitas regitur populorum. Sed ecce iam de illa omnes huius seculi potentes ablati sunt, ossa ergo excocta sunt. Ecce populi defecerunt, carnes eius
B liquefactæ sunt. Dicatur itaq;: Congere ossa quæ igni succendam: consumẽtur carnes, & coquetur uniuersa compositio eius, & ossa tabefient. Vbi enim senatus? ubi iam populus? Contabuerũt ossa, cõsumptæ sunt carnes, omnis in ea secularium dignitatũ ordo extinctus est. Excocta est uniuersa compositio eius. Et tamẽ ipsos nos paucos qui remanlimus, adhuc quotidie gladij, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergo: Pone quoq; eã super prunas uacuã. Quia enim senatus deest populus interijt: & tamẽ in paucis qui sunt, dolores & gemitus quotidie multiplicantur, iam uacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus, ipsa quoq; destrui ædificia uidemus? Vnde aptè de
C uitate iam uacua subditur: Incalescat & liquefiat æs eius. Iam enim & ipsa olla consumitur, in qua prius & carnes & ossa consumebantur: quia postquam defecerunt homines, etiam parietes cadũt. Vbi autem sunt qui in eius aliquando gloria lætabantur? ubi eorum pompa? ubi superbia? ubi frequens & immoderatum gaudium? Impletum est in ea quod contra destructam Niniuem per prophetam dicitur: Vbi est habitaculum leonum, & Naum 2
pascua catulorum leonũ? An eius duces ac principes leones nõ erant, qui per diuersas mundi prouincias discurrẽtes, prędã sæuiẽdo, & interficiendo rapiebant? Hic leonum catuli inueniebant pascua: quia pueri, adolescentes, iuuenes, seculares, & secularium filij huc undiq; concurrebant,
D cùm proficere in hoc mundo uoluissent. Sed iam ecce desolata, ecce contrita, ecce gemitib. oppressa est. Iam nemo ad eam currit, ut in hoc mundo proficiat: iam nullus potens & uiolentus remansit, qui opprimendo prædam diripiat. Dicamus ergo. Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? Contigit ei quod de Iudæa nouimus per prophetam dictum: Dilata caluitium Mich.1
tuum sicut aquila. Caluitium quippe hominis in solo capite fieri solet, caluitium uerò aquilæ in toto corpore: quia cùm ualde senuerit, plumæ eius ac pennæ ex omnib. membris illius cadunt. Caluitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidit, quæ populum amisit. Alarũ quoq; pennæ ceciderũt, cum quibus uolare ad prædam consueuerat: quia oẽs potẽtes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hæc autẽ quæ de Romanæ urbis

contri-

contritione dicimus, in cunctis facta mundi ciui-
tatib. ſcimus. Alia etẽ loca clade deſolata ſunt,
alia gladio conſumpta, alia fame cruciata, alia ter-
ræ hiatibus abſorpta. Deſpiciamus ergo ex toto
animo hoc præſens ſeculũ uel extinctũ. Finiamus
mundi deſideria ſaltem cum mũdi fine. Imitemur
bonorum facta quæ poſſumus. Apud Orientem
& Aquilonem multi ſunt, qui pro perfectione ui-
tæ centum cubitis menſurantur. Ex Iudea etenim
& gentilitate, ſicut dictum eſt, ad ſanctitatis cul-
men excreuerũt. Quanuis intelligi per Orientem
& Aquilonem, etiam iuſti & peccatores poſsint.
Oriẽs quippe nõ immeritò iuſti nominanť, qui ſi-
cut in luce fidei nati ſunt, in innocẽtia perſtiterũt.
Per Aquilonẽ uerò rectè peccatores accipimus, B
qui mentis frigore dilapſi ſub peccati ſui umbra
torpuerunt. Sed quia omnipotentis dei miſericor
dia etiam tales ad pœnitentiam reuocat, compun
ctione & lachrymis lauat, uirtutibus ditat, uſq; ad
perfectionis gloriam ſubleuat, non centum cubi-
tis ſolum ad Orientem, ſed etiam ad Aquilonem
ducuntur, dum cum iuſtis etiã peccatores per do-
na & pœnitentiam ad perfectionem ueniunt.

Homilia XIX

POrtam uerò quæ reſpici
ebat uiam Aquilonis a-
trij exterioris, menſus eſt
tam in lõgitudine quàm
in latitudine: & thalamos C
eius tres hinc & tres in-
de, & frontem eius & ueſtibulum eius ſe-
cundũ menſuram portæ prioris, quinqua-
ginta cubitorum longitudinem eius, & la-
titudinem uiginti quinque cubitorum. Fe-
neſtræ autem eius, & ueſtibulum, & ſcul-
pturæ ſecundum menſuram portæ quæ re-
ſpiciebat ad Orientem, & ſeptem graduum
erat aſcenſus eius. Et ueſtibulum ante eam,
& porta atrij interioris contra portã Aqui
lonis & Orientalem. Et menſus eſt à porta
uſq; ad portam centum cubitos. Et eduxit D
me ad uiam Auſtralem, & ecce porta quæ
reſpiciebat ad Auſtrum. Et menſus eſt fron
tem eius & ueſtibulum eius iuxta menſuras
ſuperiores, & feneſtras eius, & ueſtibula in
circuitu ſicut feneſtras cæteras: quinqua-
ginta cubitorum lõgitudine, & latitudine
uigintiquinque cubitorum, & in gradibus
ſeptem aſcendebatur ad eam. Et ueſtibu-
lum ante fores eius, & cælatæ palmæ erant:
una hinc, & altera inde in fronte eius.

MAgna legentium debet eſſe diſcretio, ut in
ſacro eloquio cum quilibet unus ſermo di
citur non ſemper unam eandemq; rem ſignificare
credatur: ſicut aliquando ſol in bono, aliquando
A uerò accipitur in malo. Solis etenim nomine ali-
quando ſignatur dominus, aliquãdo perſecutio.
Atteſtante enim libro Sapientiæ, in inferno im- Sapie.
pij dicturi ſunt: Errauimus à uia ueritatis, & Sol
iuſtitiæ nõ luxit nobis. Et de iactis ſeminibus do-
minus dicit: Orto ſole aruerunt, quia uidelicet fa Matt.
cta perſecutione, in reproborum cordibus prædi
cationis uerba ſiccantur. Sic leo dominũ ſignat.
Vnde ſcriptum eſt: Vicit leo de tribu Iuda. Sic leo Apoc.
nis nomine diaboli ſimilitudo exprimitur, ſicut
per primũ paſtorem dicitur: Aduerſarius ueſter 1.Pet.
diabolus ſicut leo rugiens circuit quærens quem
deuoret. Sic bouis nomine ſapiẽs deſignatur. Vn
de ſcriptum eſt: Non iunges bouem & aſinum: id Deut.
eſt, ſapientem cum ſtulto in prædicatione non ſo-
cies. Sic per bouẽ fatuus figuratur, ſicut de eo qui Prou.
in turpitudine amoris captus eſt, dicit: Statimq;
eam ſequitur, quaſi bos ductus ad uictimã: id eſt,
ſicut fatuus trahitur ad mortem. Hæc igitur dixi,
ne quia portam ſignificare dominũ, uel prædica-
tores, uel ſcripturam ſacram, uel fidem expoſui,
ubicũq; iam in hoc propheta porta legitur, ſigna-
re aliud non credatur. Cùm eñ de una porta pro
pheta loqueretur, rectè fides intellecta eſt, quia
una eſt omnium electorum fides. Cùm uerò aliæ
portæ nominantur, intelligi ora prædicatorum
poſſunt, per quæ uera uita cognoſcit, & per quę
aſcenditur ad ſacramentorum ſpiritalium cogni-
tionem. Nam porta per quam ſignificari fidem di
ximus, notandum nobis eſt, quia inferior appella
tur. In hac enim uita dum ſumus, quaſi in imo po-
ſiti adhuc inferius tenemur. Et rectè inferior por-
ta fides eſt, quia nobis in terra poſitis aperit co-
gnitionẽ dei, Itaq; nunc dicitur: Portam quoq;
quæ reſpiciebat uiam Aquilonis atrij exterioris,
mẽſus eſt tam in longitudine quàm in latitudine,
& thalamos eius tres hinc, & tres inde. Et frontes
eius, & ueſtibulum eius ſecundum mẽſuram por-
tæ prioris quinquaginta cubitorum longitudinẽ
eius, & latitudinem uiginti & quinq; cubitorum.
Feneſtræ autem eius, & ueſtibulum, & ſculpturæ
ſecundum menſuram portæ quæ reſpiciebat ad
Orientem: & ſeptem graduum erat aſcenſus eius,
& ueſtibulum ante eam.] De porta quę reſpicie-
bat uiam Aquilonis atrij exterioris ea ipſa repli-
cantur quæ iam de porta alia ſuperiori dicta ſunt,
atq; alia ſubiunguntur quæ de prędicta porta pro
pheta tacuerat. Vt ergo de his latius diſſeramus,
quæ necdum diſcuſſa ſunt, debemus ea quæ dicta
ſunt, ſub breuitate replicare. Porta enim uiam A-
quilonis reſpicit, cùm prædicator quiſq; uitã pec-
catoris agnoſcit, eiq; interiora uitæ per uerbũ præ
dicationis aperit. Quæ porta atrij exterioris dici-
tur. Exterius quippe eſt atriũ uita præſens, in qua
omne quod corporaliter agitur, corporaliter etiã
uidetur. Quæ tam in longitudine quàm in latitu-
dine menſuratur, quia cùm ad fidem peccator du
citur, neceſſe eſt ut eius doctor cõſideret, uel quã-
tum in longitudinem ſpei, uel quantum in latitu-
dinem charitatis ex eius admonitione proficiat.
Qui enim ad deum cõuertitur, ſi adhuc bona uitę
præſentis

præsentis sperat, longitudinem non habet, quia breuis est uita in qua spem posuit. Si per terrenorum concupiscentiã, & adhuc proximi odio coangustatur, latitudinem non habet: quia nescit uel transitoria contemnere, uel se in proximi amore dilatare. Cum uerò conuersus quisq; æternæ uitæ gaudia longanimiter sperat, proximorum molestias cum charitate tolerat, & ea quæ non habet, concupiscere contemnit, longitudinem & latitudinẽ porta habet, quia gloria prædicatoris est profectus auditoris. Vnde quibusdam per magnum
Philip.4 prædicatorem dicitur: Gaudium meum, corona
1.Tim.3 mea. Et rursum: Ecce nunc uiuo, si uos statis in do-
1.Thes.2 mino. Atq; iterum: Quæ est nostra spes aut gaudium? nónne uos ante dominũ? Longitudo ergo & latitudo portæ est quę ad Aquilonem respicit: quia cùm infidelem quempiam in peccati sui frigore torpentem prædicator ad fidem conuerterit, per hoc quòd eum in longitudinem spei tendit, & in amplitudinem charitatis dilatat, eius gloriam facit. Et quia in cognitione sanctæ trinitatis ex uerbo prædicationis auditores quique in eiusdem trinitatis amore proficiunt: habet hæc eadem porta thalamos tres hinc, & tres inde: quia omne quod per testamentum nouum de trinitate conditor loquitur, hoc etiam de testamento ueteri ostendit. Et cor audientiũ in amore cœlestis patriæ perficit, ut anima inhærens deo, quasi sponsa cum sponso in quodam iam thalamo sedeat, atq; se à terrenis desideriis funditus auertat. Vel certè, ut longè superius dictum est, quia tres sunt ordines bene uiuentium: bonorum scilicet coniugatorum, cõtinentium, atq; prædicatorum: & quia alij etiam in coniugijs positi, amore cœlestis patriæ anhelant, alij autem spe æterni gaudij etiam carnem macerant, omnesq; actus terrenos refugiunt, & in cura huius seculi implicari cõtemnunt, alij uerò & terrena bona despiciunt, & cœlestia gaudia prædicant quæ cognouerunt: quid isti nisi in spiritali ædificio thalami sunt, in quorum cogitatione & meditatione anima cœlesti sponso sociatur? Quos tres bonorũ ordines, quia non solum Ecclesia ex gentib, habet, sed aliquando etiam synagoga habuit, dum magna multitudo spiritalium, redemptoris gratiam ardenter expectauit, porta ædificij cœlestis tres hinc, & tres inde thalamos habet: quia prædicator quisq; cùm ad supernam patriam auditorem prouocat, & nouos patres & ueteres anhelasse cœlesti desiderio demonstrat. plus enim plerunq; exemplũ, quàm ratiocinationis uerba compungunt: & cùm prædicator dicit quales alij in coniugio, uel in continentia, uel in prædicatione erga omnipotẽtis dei amorem in nouo testamento fuerint, uel alij quales in ueteri, porta quæ loquitur, ternos ex utroq; latere habere thalamos ostenditur. Quæ porta habet & frontẽ, quia sunt in prædicatoris uita aperta opera quæ uidentur. Habet & ante frontem uestibulum: quia priusquam bona opera insinuet, prædicat fidem, per quã anima humiliter ueniẽs, ad bonorum actuum altitudinẽ subleuetur. Quæ

A cuncta secundum mensuram portæ prioris sunt, iuxta hoc quod subditur: Quia mensus est quinquaginta cubitorum longitudinem eius, & latitudinem uigintiquinq; cubitorum. Hæc iam superius latius me dixisse meministis. Per quinquagenarium enim numerum requiem diximus figurari: quia & quinquagesimus ueteri populo in requiẽ datus, appellatus est Iubileus: & septenarius numerus, per quem hoc omne tempus euoluitur, septies multiplicatus, ad quadraginta & nouem ducitur. Cui monas additur, quia in unius contemplatione requies ęterna perficitur. Idem ergo quinquagenarius numerus nobis in longitudinẽ
B est, quia peruenire ad illam requiem non potest, nisi qui ad eam spem suam modo tendere longanimiter potest. Quia enim per quinquagenarium numerum ad æternam requiem prouocamur, etiam hoc nos omnino instruit, quòd in tabernaculo decem cortinæ iussæ sunt fieri, quæ haberent ansulas quinquagenas, & circulos aureos quinquagenos à latere & summitate. Cortinæ tabernaculi sancti omnes sunt, qui ex diuersis uirtutum coloribus in sanctę Ecclesiæ ornamẽto proficiũt. Qui & interiora uelant, & exteriora omnimodo exornant, quia eorum uita inquãtum uidetur, ornamentũ est, & eorum intellectus intus absconditus, dum cœlestia quæ in mẽte seruant, edicere nõ possunt, in eis aliquo modo uelatur. Rectè autem decẽ cortinæ sunt, quia per decalogi studiũ, ipsa
C sanctorum corda profecerunt. Hyacinthinæ uerò ansulæ cortinarum fieri quinquaginta præceptę sunt. Hyacinthus cœli speciem habet. Ansulę ergo cortinarũ sunt præcepta cœlestia, in quibus ligantur animæ, ut ab inferioribus subleuatæ, superius pendeant. Quæ uidelicet ansulæ habent & circulos aureos, intellectum scilicet uera sapiẽtia fulgentem. Qui intellectus, quia esse debet per omnia circunspectus, & cautæ sollicitudinis uigilantia munitus, rectè per circulos designat. Et notandum q; à latere & summitate iubentur ansulæ uel circuli in cortinis fieri: quia præcepta cœlestia & intellectus spiritalis, non solum debet nos sursum in dei amorem suspendere, sed etiam proximo in charitate sociare. In eo enim quòd condi-
D torem nostrum diligimus, quasi per superiores ansulas in aere pẽdemus. In eo uerò quòd sicut nosmetipsos proximos amamus, ansulas & circulos à latere habemus, ut cortinæ tabernaculi, id est, fidelium animæ per charitatem coniunctæ sint, & non per discordiam diuisæ. Vnde & hic post longitudinem quinquaginta cubitorum, protinus latitudo subiungitur uiginti & quinq; cubitorum, quę uidelicet latitudo ad charitatem proximi pertinet. Ipsa enim in fratrum amore se dilatat, atq; erga eos omne quod potest boni operis, exercet. Cũcta aũt bona opera quæ corporaliter fiunt, per quinq; corporeos sensus exhibẽtur, uidelicet per uisum, auditum, tactum, gustum, odoratum. Quinarius uerò numerus per semetipsum ductus ad uicesimũ & quintũ peruenit, quia bona opera cũ agi cœperint, per feruorem animum ad augmen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum excitant, & per semetipsa multiplicanē. Vnde & latitudinem menti faciunt, ut non sit angusta per teporē, sed expansa in bonis actib. per charitatem. Omnis enim torpor teporis angustia est, omnis uerò benignitas charitatis magna latitudo. Nam etsi res desunt, quę fortasse indigēti proximo præbeantur, ampla est substantia uoluntatis bonæ, quæ sufficit ad regni retributionem, sicut scriptum est: In terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Sequitur: Fenestræ autem eius, uestibulum & sculpturæ, secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad Orientem.] Cuncta hæc iam superius latius dicta sunt, & idcirco sermo nō debet morosa expositione tardare. Hoc tamē magnopere notandum est, quòd porta ad Aquilonē ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad Orientem: fenestras scilicet contemplationis, uestibulum humilitatis, sculpturā bonæ operationis. Omnes enim qui per hoc quòd in conuersione nati sunt, in innocentia perstiterunt, portam ad Orientem habēt, quia eis cœlestis regni aditus patet ex lumine quod acceperunt. Et omnes qui in peccatis postmodum lapsi, torporis sui frigore sunt depressi, sed per pœnitentiam redeunt ad amorem cœlestis patriæ & recalescunt, portam ad Aquilonem habēt: quia eis etiam post peccati sui frigus, regni aditus per misericordiam patet. Ea ergo habere dicit̄ porta ad Aquilonē, quia & cōuersi peccatores sic ditantur uirtutibus, sicut illi sunt diuites qui cadere in peccati pœnitentiam uitauerūt. Vnde & Psalmistæ uoce per dominum dicitur: Cinerem sicut panem manducabam. Quia sic pœnitentes recipit ut iustos. Scriptum quippe est de peccatoribus: Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Cinis ergo sicut panis comeditur, quando authori suo peccator per pœnitentiam, sicut innocens reuocatur. Porta igitur ad Aquilonem habet fenestras, habet uestibulum, habet sculpturas: quia cùm peccator ad uitam post culpas reducitur, sæpe lumen contemplationis accipit, atq; de ipsa memoria iniquitatis suæ gratiam magnæ humilitatis: bonæ quoque operationis efficaciam, ut omne quod fieri præcipit̄, in uita eius quasi sculptum esse uideatur: Septem uerò graduum erat ascensus eius, & uestibulum ante eam.] Septem gradibus ad portam ascenditur, quia per sancti spiritus septiformem gratiam aditus nobis regni cœlestis aperitur. Quam septiformem gratiam Esaias in ipso nostro capite, uel in eius corpore quod sumus, enumerans dicit: Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Quos gradus de cœlestibus loquens, descendendo magis quàm ascendendo numerauit: uidelicet sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Et cùm scriptum sit: Initium sapientiæ timor domini: constat procul dubio, quia à timore ad sapientiam ascenditur, non aūt à sapientia ad timorem reditur, quia nimirum perfectam habet sapientia charitatem. Et scriptum est: Perfecta charitas foras mittit timorem. Propheta ergo, quia de cœlestibus ad ima loquebatur, cœpit magis à sapiētia, & descendit ad timorem. Sed nos qui à terrenis ad cœlestia tendimus, eosdem gradus ascendendo enumeremus, ut à timore ad sapientiam peruenire ualeamus. In mente etenim nostra primus ascensionis gradus est timor domini: secundus, pietas: tertius, scientia: quartus, fortitudo: quintus, consilium: sextus, intellectus: septimus, sapientia. Est enim timor domini in mente. Sed qualis est iste timor, si cum eo pietas non est? Qui enim miserari proximo ignorat, qui compati eius tribulationibus dissimulat: huius timor ante omnipotentis dei oculos nullus est, quia non subleuatur ad pietatem. Sed sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si fortasse pepercerit quæ parcēda nō sunt. Peccata etenim quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ uerbere sunt corrigenda. Sed inordinata pietas cùm temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. Vt ergo uera & ordinata sit pietas, ad gradum est alium subleuanda, id est, ad scientiā: ut sciat uel quid ex misericordia puniat, uel quid ex pietate dimittat. Sed quid si sciat quid agere quis debeat, uirtutem uerò agendi non habeat? Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut cùm uidet quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit, ne timore trepidet, & pauore collapsa, nō ualeat bona defendere quæ sentit. Sed sæpe fortitudo si improuida fuerit, & minus contra uitia circunspecta, ipsa sui præsumptione in casum ruit. Accēdat ergo ad consilium, ut prouidendo præmuniat omne quod agere fortiter potest. Sed esse consilium non potest, si intellectus deest: quia qui non intelligit malum quod agentem grauat, quomodo potest bonum solidare quod adiuuat? Itaque à consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid si intellectus magno acumine uigiler, & moderari se nescíat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendamus ad sapientiam: ut hoc quod acute intellectus inuenit, sapiētia maturè disponat. Quia igitur per timorem surgimus ad pietatem, per pietatem ad scientiam ducimur, per scientiam ad fortitudinē roboramur, per fortitudinem ad cōsiliū tendimus, per consiliū intellectu proficimus, per intellectū ad maturitatem sapientię peruenimus: septem gradibus ad portam ascendimus, per quā nobis aditus uitæ spiritalis aperitur. Bene aūt dicitur, quia uestibulum erat ante eam: quia nisi quis prius humilitatem habuerit, ad hos gradus donorum spiritalium non ascendit, sicut scriptum est: Super quē requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos? De quo per Psalmistam dicitur: Ascensus in corde eius disposuit in conualle lachrymarum. Conuallis quippe humilis locus est, & peccator quisque dum se in lachrymis humiliter affligit in corde, per ascensum uirtutum proficit. Qui rursus ait: Emittit fontes in conuallibus: Quia omni potens deus dona spiritalis gratiæ humilibus præ-

Lucæ 2
Psal. 101
Matt. 11
Esa. 11
Prou. 9
Esa. 66
Psal. 83
Psal. 103

stat. Potest quoq; per uestibulum fides intelligi. Ipsa quippe est ante gradus & portam: quia prius ad fidem uenimus, ut postmodum per spiritalium donorum gradus, cœlestis uitæ aditum intremus. Non enim uirtutibus uenitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad uirtutes. Cornelius enim Centurio cuius eleemosynæ ante baptismum angelo testante laudatæ sunt: non operibus uenit ad fidem, sed fide uenit ad opera. Nam & ei per
Acto.10 angelum dicitur: Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in conspectū dei. Si enim deum uere & ante baptismum non crediderat, quid orabat? uel quomodo hunc omnipotens deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur creatorem omniū deum, sed quòd B eius omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat. Neque enim poterat bona agere, nisi antè
Heb.11 credidisset. Scriptum nanq; est: Sine fide impossibile est placere deo. Fidem ergo habuit, cuius operationes & eleemosynæ placere potuerūt. Bona autem actione promeruit, ut deum perfectè cognosceret, & incarnationis eius mysterium crederet, quatenus ad sacramentum baptismatis perueniret. Per fidem ergo uenit ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Vestibulum itaq; ante gradus est: quia qui prius credidit, ipse pòst uirtutum gradibus ad portæ aditū ascendit. Sequitur:

Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis & Orientalem.] Hoc loco contrà non pro aduersitate ponitur, sed pro rectitudine, ita C enim porta interioris atrij posita monstrabat, ut porta Aquilonis & Orientis perfecto ad eam aditu tenderet. Quid est ergo quòd porta interior recto itinere posita contra portam Orientis & Aquilonis ostenditur, nisi hoc quòd apertè datur intelligi: quia siue Iudaico & gentili populo, seu iustis & peccatoribus, sed pòst peccata conuersis, æquè aditus regni cœlestis aperit? Larga est enim misericordia creatoris nostri. Et porta interior non solum portam Orientis respicit, sed etiam Aquilonis: quia non solum his qui in innocentia permanent, sed etiam peccatoribus peccata sua pœnitendo damnantibus aperiuntur interioris atrij gaudia: ut ineffabilia mysteria patriæ cœlestis agnoscant, agnoscendo sitiant, sitiendo currant, D currendo perueniant. Hæc æterni gaudij secreta
Psal.61 cognouerat, qui dicebat: Sitiuit anima mea ad deum uiuum, quando ueniam & apparebo ante faciem dei? Prædicator gentium ad hunc aditum
Philip.1 regni cœlestis anhelabat cùm dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Hæc exultationis occul
Cant.5 tæ secreta cognouerat sponsa, quæ dicebat: Dilectus meus misit manum suam per foramen, & uenter meus intremuit ad tactum eius. Dilectus etenim manū per foramen mittit, quādo uirtute sua dñs nostrū animum per subtilem intellectū pulsat. Et uenter in tactu illius cōtremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod cœlestis gaudij intellectu tangit, ipsa sua exultatione turbat, & fit in mē te pauor cū lætitia: quia etsi iam sentit quid de cœlesti gaudio diligit, adhuc metuit, ne pereat quod A uix tenuiter sentit. Quid igitur restat, nisi ut se ad perfectioris uitæ cursum dirigant omnes qui illa gaudia patriæ cœlestis agnoscunt? Vnde & hic aptè subiungitur: Et mensus est à porta usque ad portam centum cubitos.] Centenarium numerum, quia decies per denarium ducitur, iam superius diximus esse perfectum. Is itaque qui aditum atrij interioris uidet, profecto necesse est ut per uitam perfectionis currat, & à porta inchoationis usque ad consummationis ingressum perueniat. Mensuretur ergo atrium interius, quod à portis exterioribus usque ad portam interiorem tenditur centum cubitis: ut qui intrare amando cœpit, latitudinem perfectionis habeat in mente, quatenus in eo quem diligit, hunc nec aduersa coangustent, sed transitoria cuncta despiciens, quousq; ad gaudia secreta perueniat, per atrium perfectionis currat. Sunt etenim multi qui iam in septem gradibus aditum portæ exterioris intrauerunt, iuxta quendam supernæ dispensationis modum, per timorem dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum prouidi, per sapientiam maturi, sed adhuc quibusdam necessitatibus obligati, huius mundi curis inseruiunt. Et unde iam ex magna parte excusserunt animum, ibi adhuc tenentur inuiti. Cunq; superimposita terrenæ occupationis portant onera, minus in præceptis cœ
C lestibus exercentur. Et dum anhelare medullitus ad æternam patriam non uacat, ipsa in eis sua aliquo modo desideria languescunt, quia animo curis temporalibus præpediti, uera gaudia quæ cognouerunt, amare non tantum licet quantum libet. Hi plerunque à iugo mundi colla mentis excutiunt, omnia deserunt, terrenæ curæ pondera deponunt: atque ut ad cœleste desiderium latius animi sinum laxent, uitam remotam petunt, & in ea sanctis precibus intenti, sacris meditationibus dediti, quotidiano se fletu afficiunt, & uetustatem cordis, igne amoris conflant, atq; ad cœleste gaudium accendendo se innouant. Hi plerunque in ipso suo desiderio accensi, exire iam de carne concupiscunt, atque ad uitam præsentem D redire pòst fletum nolunt. Sed tamen differuntur, ut dilatus amor ex ipsa sua dilatione proficiat, & ardenti desiderio quasi quod negatur, crescat. Sic in regione Gerasenorum qui liberatus à legione dæmonum fuerat, iam cum domino ire
Luc.8 uolebat, sed tamen ei dicitur: Reuertere in domum tuam, & narra quanta fecerit tibi dominus. Sic sponsa in Canticis canticorum sanctis desiderijs anxia loquitur dicens: In lectulo meo per no-
Can.3 ctes quæsiui quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni. In lectulo enim dilectū quærit, quādo in ipso suo ocio & uacatione quam appetit, iam uidere anima dominū concupiscit, iam ad eum exire desiderat, iam carere præsentis uitæ tenebris anhelat. Sed quærit illum, & nō inuenit, quia quanuis magno amore desiderat, adhuc tamen ei non conceditur uidere quem amat. Tales

Universidad de Deusto
Biblioteca

itaq; sanctorum mentes quid aliud in hoc desiderio faciũt, nisi quòd iam à portis exterioribus per atrium interioris ad portam currunt? Quibus sæpe euenit, ut cùm se uiderint magno cœlestis gratiæ munere compunctos, iam se perfectos existiment, & obedientes putent, sed quia nullus est qui dura præcipiat: patientes esse se credant, sed quia nemo eos per contumelias & aduersitates pulsat. Et plerunque contingit, ut spiritale ministerium uel inuiti suscipiant, atque ad gubernationem fidelium deducantur. Qui cùm magnis tribulationib. fuerint hinc inde pulsati, turbati mente, sese imperfectos inueniunt, qui non pulsati perfectos se esse crediderunt. Qua ex re agitur, ut se ad semetipsos colligant, & apud se opprobrium suæ infirmitatis erubescant, atque ex ipsa sua confusione roborati, contra aduersa patientiam oppoñt, & ex tribulatione proficiãt, qui prius in ocio ex ipsa sua securitate torpebant. Et ueraciter esse tales incipiunt, quales se esse prius inaniter putauerunt. Hi itaque cum à portis exterioribus usq; ad interiorem portam per boni studij atrium deferuntur, hoc ipsum in eis atrium centum cubitis mensuratur, quia dilectione & exercitio in sancta quotidie perfectione proficiunt. Per quotidiana enim desideria in mente perfici, quasi centum est cubitis interius atrium mensurari. Idcirco ergo à portis usque ad portam centum sunt cubiti, ut quasi quædam moræ: unde fit ipsa dilatio uiuendi per quam quotidie in uirtutibus crescitur, ut ad interiorem aditum perfectius perueniatur. Sequitur: Et eduxit me ad uiam Australem, & ecce porta quæ respiciebat ad Austrum. Et mensus est frontem eius, & uestibulum eius iuxta mensuras superiores, & fenestras eius, & uestibula in circuitu, sicut fenestras cæteras, quinquaginta cubitorum longitudinem, & latitudinem uiginti quinque cubitorum. Et in gradibus septem ascendebatur ad eam, & uestibulum ante fores eius.]

Cuncta hæc in Orientis & Aquilonis porta iam dicta sunt, & congruum non est, ut ea quæ semel ac secundo exponentes diximus, sæpius replicemus. Notandũ tamẽ nobis est, quia in spiritali ædificio alter aditus ad Orientẽ alius ad Aquilonẽ atque alius ad Austrum patet. Sicut enim Aquilonis frigore peccatores, ita per Australem uiam feruentes spiritu designantur, qui calore sancti spiritus accensi, uelut in meridiana luce uirtutibus excrescunt. Pateat itaque porta ad Orientem, ut hi qui sacramenta fidei bene inchoauerũt, & in nulla postmodum uitiorũ profunditate demersi sunt, ad gaudia secreta perueniant. Pateat porta ad Aquilonem, ut hi qui post inchoationẽ caloris & luminis in peccatorum suorum frigore & obscuritate dilapsi sunt, per cõpunctionem pœnitentiæ ad ueniam redeant, & quæ sit internæ retributionis uera lætitia cognoscant. Pateat porta ad meridiem, ut hi qui sanctis desiderijs in uirtutibus feruent, spiritali intellectu quotidie interni gaudij mysteria penetrent. Inter hæc autem quæri potest, cùm quatuor huius mundi partes sint: cur in hoc ædificio hæ exteriores nõ quatuor, sed tres portæ esse memorantur? Quod rectè quærendum fuerat, si propheta non spiritale, sed corporale ædificium uidisset. Sancta enim Ecclesia, id est, spiritale ædificium, ut ad secreta gaudia pertingat tres solummodo portas habet, uidelicet fidem, spem, atque charitatem. Vnam ad Orientem, aliam ad Aquilonem, tertiam ad Meridiem. Porta quippe in Oriente est fides, quia per ipsam lux uera nascitur in mente. Porta ad aquilonem spes, quia unusquisque in peccatis positus, si de uenia desperauerit, funditus perit. Vnde necesse est, ut qui per suam iniquitatem extinctus est, per spem misericordiæ reuiuiscat. Porta ad Meridiem charitas, quia igne amoris ardet. In meridiana etenim parte Sol in altum ducitur, quia per charitatem lumen fidei in dei & proximi dilectiõe subleuatur. Tribus igitur portis ad interius atrium tenditur, quia per fidem, spem, atque charitatem ad gaudia secreta peruenitur. Alia quoque quæstio oritur, cur porta atrij interioris posita contra portam Orientis & Aquilonis dicitur, & an ad Australem portam pateat, tacetur. Sed quia per Orientem inchoantes, per Aquilonem lapsos diximus designari, dignum fuit, ut uel de inchoantibus quibus adhuc Sol in tepore est: uel etiam de lapsis, sed per conuersionem redeuntibus apertè diceretur, quòd eis porta atrij interioris pateat, quatenus ex ipsis nos certos faceret de quibus dubitari potuerat. Hoc autem de porta Australi dicendum non erat, quia eos ad gaudia interna pertingere qui feruore spiritus in uirtutibus permanent, nullus ignorat. Sequitur: Et cælatæ palmæ erant: una hinc, & altera inde in fronte eius.]

Quid est hoc quòd prius in frontibus pictura palmarum, nunc autem cælatæ palmæ in fronte esse memorantur? Sed sicut iam superius diximus pictura palmarum est ostensio signorum. Nunc uerò cælatura palmarum dicitur, ut bonorum operum demonstratio designetur. Ipsis enim summis prædicatoribus dicitur: Videant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Qui igitur in uita sua impressa esse sancta opera demonstrant, palmas in fronte cælatas habent: quia quanta illos in posterum uictoria sequatur, iam nunc in sanctis suis operibus ostendunt. Vel certè quia fidem per Orientis, spem per Aquilonis: charitatem uerò per Australem portam diximus designari. Notandum uerò nobis est, quia in Orientis porta pictura palmarum, in Aquilone uerò & Meridie cælatura esse perhibetur: quia contingit sæpe, ut hi qui adhuc inchoantes sunt, necdum se in operibus solidis ac magnis exerceant: hi uerò qui post iniquitates ad uirtutem redeunt, plerunque ut culpas suas ante omnipotentis dei oculos tegere ualeant, in magnis operibus exercentur. Et quia iam feruore spiritus actibus & uirtutibus excreuerunt, quasi meridies in sanctis actibus inardescant. In Orientis ergo porta pictura est, in Aquilonis uerò & Meridiei cælatura: quia signum uictoriæ quod inchoantib. ostenditur

ditur,hoc in reuertentibus atq; feruentibus iam solidius & robustius tenetur. Notandum quoq; magnopere est, q̃ dicitur hinc & inde. Oẽs enim qui ad uitæ aditum tendimus,& ex dextro & sinistro latere habere palmam debemus. Quod enim hinc inde dicitur,latus utrumq; signatur. A dextro igitur palmam habet is, quem prospera non extollunt. A sinistro palmam habet is,quem aduersa non deijciunt.Quasi ex utraque parte por-
2.Cor.6 tabat Paulus palmam cùm diceret:Per arma iustitiæ à dexteris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem,per infamiam,& bonam famam:ut seductores,& ueraces.Non hunc aduersa frangebant non prospera in mentis tumorem subleuabant. Hinc inde ergo gestabat palmã, quia & in aduersitate fortis,& in prosperitate humilis permanebat. Quisquis enim de prosperis extollitur, habere in dexteram partem palmam nescit.Quisquis in aduersitatibus frangitur, portare palmam à sinistro latere ignorat. Vt ergo hinc & inde palma gestetur in fronte,adesse semper nostris mentibus debet & in aduersis fiducia,& in prosperis timor:ne aut aduersa in desperationem pertrahant, aut pro
Philip.4 spera animum in sui fiducia extollant. Hinc est quòd idem egregius prædicator dicebat: Scio & humiliari,scio & abundare:ubiq; & in omnib.instítutus sum.Et satiari,& esurire,& abũdare,& penuriam pati,omnia possum in eo qui me confortat.Nunquid nam fratres ars est aliqua, humiliari & abundare,satiari & esurire:abundare & penuriam pati,ut pro magno se ista scire tantus prædicator insinuet? Ars omnino,& mira disciplinæ scientia,quæ toto nobis cordis est adnisu discenda. Quem enim penuria sua non frangit, à gratiarum actione non retrahit,in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari. Hoc enim loco Apostolus humiliari, dicit penuriam perpeti.Nam statim econtrario subiungit, scio & abundare.Qui enim acceptis rebus non extollitur,qui eas ad usum uanæ gloriæ non intorquet,qui solus non possidet quod accepit:sed hoc cum indigentibus miserícorditer diuidit,scit abundare. Qui accepta alimenta non ad ingurgitationem uentris utitur,sed ad reparationem uirtutis,nec plus carni tribuit, quàm necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat,nec pro necessitate uirtutis agit aliquid unde anima peccati laqueũ incurrat,scit esurire. Quem ergo nec abundantia in superbiam eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriam pati.Qui cùm statim subdiderit,omnia possum:ne elationis esse uerba crediderimus, adiunxit:in eo qui me confortat. Ecce in altũ ramus prodijt,sed quia in radice se tenuit, in uiriditate permansit. In altum enim surgens aresceret, si se à radice diuisisset. Sibi enim nihil tribuit,quia omnia se posse non in se,sed in eo qui se confortat fatetur. Hinc & inde ergo prædicator egregius palmam habet,quem nec abundantia in superbiam,nec inopia ad auaritiam pertrahit. Discamus itaque fratres non solum in prosperis, sed in aduersis quoque gratias agere. Pater enim nobis ex pietate sua factus est conditor noster, nosq; adoptiuos filios ad hæreditatem regni cœlestis nutrit.Et non solum donis reficit,sed etiam flagellis erudit.Discamus igitur abundare,ut cuncta quæ ab eo accepimus, cum indigentibus partiamur, ut mentem abundantia nõ eleuet,ne fortasse gaudeat;quia hoc adest sibi quod deest alteri, & non iam communi bono,sed proprio lætetur.A priuato gaudio ueritas ad commune discípulos reuocat,cùm eos de prædicatione redeuntes,& de subiectione dæmonum lætantes admonet dicens: Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete & Lucæ 10
exultate,quia nomina uestra scripta sunt in cœlo. Non enim omnes electi dæmonia eijciunt,sed tamen electorum omnium nomina cœlo tenentur adscripta.Admonentur ergo discípuli priuatam lætitiam deponere, de communi autem & perpetua felicitate gaudere. Quisquis itaque in eo gaudet quod alter non habet: ex ipsa sua abundantia deterior factus, gaudium priuatum habet. Contra huius nos appetitum abundantię Ioannes admonet, dicens: Nolite diligere mundum, neq; ea 1.Ioan.1
quæ in mundo sunt. Qui mox rationem subdidit, quare: Si quis díligit mundum, non est charitas patris in eo. Nemo enim potest duobus dominis seruire, quia non ualet simul transitoria & æterna diligere. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu nõ in affectu possidemus. Qui eandem rationem protinus subdidit,dicẽs: Quia omne quod in mundo est,cõcupiscẽtia carnis est, & cõcupiscentia oculorum,& superbia uitę. Ideo enim habere aliquid homines, & ultra quàm necesse est,concupiscunt,ut habendo superbiant,& quia hoc alius nõ habet, se in cogitationibus extollant. Quisquis itaq; talis est, adhuc ad portandam abundantiam doctus non est. Sæpe autem quod auaritia ex appetitu suggerit, necessitatem putat.Et cùm minora sufficiant, dolet maiora deesse,atq; incautus animus quandam quasi necessitatem patiẽ quam parit. Et cùm minima sunt quæ desiderat,suam sibi auaritiam aliquo modo excusat. Abundantia itaq; superbiæ uicina est. Quam si quando etiam cupiditas intercepit, hanc, ut ita diximus,quasi peregrina captiuitas inuasit.Si igitur abundandi artem scire uolumus, necesse est, ut non solum ea quæ uicina sunt,sed ea etiam quę de longinquo ueniunt,uitia fugiamus.Discamus penuriam pati, ne ea quæ non habemus, habere etiam cũ culpa requiramus, ne felices putemus, quos rebus onustos cernimus. Nimia ualde sunt ea quæ sibi quasi in sumptus uitæ præsentis præparant.Multa portant,sed in uia breui.Magna est nobis in hoc itinere socia paupertas,quę animum non angustat, cùm deest terrena substãtia, de qua æterno iudici rationes ponamus.Liberius ad patriam tendimus, quia quasi in uia pondere caremus. Discamus satiari, ne in sumendis alimentis corporis , gulæ magis quàm necessitati seruiamus. Plus enim concupiscentia, quàm necessitas petit:Et sæpe dum carnis inopiæ satisfacere cura-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus,uoluptas surrepit,modum refectionis excedit. Vnde fit ut culpa transeat ad culpam: quia plerunque inde alia tentatio carnis nascitur,dum carni immoderata refectione seruit. Ex peccato etenim primi hominis,infirmãte natura, in hoc mundo cum nostris tentationibus nascimur. Et caro nobis aliquando adiutrix est in bono opere, aliquando aũt seductrix in malum. Si igitur ei plusquam debemus tribuimus, hostem nutrimus. Et si necessitati eius quæ debemus non reddimus, ciuem necamus.Satianda itaq; est caro,sed ad hoc usque, ut in bono nobis opere famulari sufficiat. Nam quisquis ei tantum tribuit ut superbiat, satiari penit⁹ ignorat.Ars itaq; magna est satiari, ne unusquisque per satietatem carnis ad iniquitatem prorumpat turpitudinis. Discamus esurire,ut nobis propter abundantiam sequentem nostra hic inopia placeat.Nec nos uentris necessitas ad culpam trahat, nec peccatum menti ipsa indigentia suggerat,& dum caro fame afficitur,ad cupiditatem animus irritetur,& quærat cum culpa prouidere unde carni ualeat in necessitate satisfacere: ne cor in indignationem prosiliat, & linguam in murmurationis amaritudinem accendat.Qui igitur in carnis suæ inopia se hincinde circumspicit, atq; à peccati laqueo custodit, nouit esurire. Nos itaq; fratres charissimi iram atq; auaritiam in aduersitate fugientes, & elationem & immoderata gaudia in prosperitate declinãtes,quia per fidem, spem, atq; charitatem, interioris uitæ atrium tribus portis intrare concupiscimus,palmas hinc & inde teneamus. Libet adhuc alterum ciuem cœlestis patriæ ad mentem reducere, & qualiter hinc inde palmam teneat,demonstrare.Beatus etenim Iob cùm esset uiris Orientalibus ditior, & ei prospera cuncta suppeterent, filijs polleret, familia crescceret, greges exuberarent, in tanto omnipotentis dei timore perstitit,ut inter custodiam discíplinæ, inter acta iustitiæ, inter multa humilitatis obsequia: misericordiæ operibus intentus, sacrificijs offerendis deditus, holocausta domino pro singulis filijs immolaret, ne quis eorum saltem in corde peccasset. Pensemus ergo quanta erat custodia boni operis, qui in filijs suis expiabat sacrificijs culpas cordis. Sed quàm iustus esset in prosperitate innotuerat. Valde autẽ ignotum erat, si perseuerare iustus & inter flagella potuisset. Tangendus ergo erat uerbere. Vir ille sanctus in proſperis,interrogatur aduersis:ut qui notus erat omnipotenti domino, notus per flagella fieret nobis & sibimetipsi. Disponente itaq; domino,cõsumpti sunt greges , interfecti custodes, euersa domus,extincti filij, percussa caro à planta pedis usque ad uerticem. Remansit uxor incolumis, quæ uerborum iaculis uulnera augeret. Sed hanc uir sanctus in tentatione, sanus in uulnere prudenter
Iob 2 docet, eiq; respondet dicens: Si bona accepimus de manu domini, mala quare non suscipiamus? Amici quoque ad consolandum ueniunt,ad contumelias prorumpunt,& in dolore uulnerum,addunt adhuc uulnera uerborum. Immisericordem dicunt, raptorem nominant, uiolentum denunciant,oppressorem pauperum fatentur.Quid igitur miles dei faceret inter dolẽtia uulnera & amara uerba depressus? Ecce flagella dei & uerba hominum simul afflicti animum ad desperationem premunt,sed uirtute spiritus plenus, carnis uulneribus iacens,mentis robore stans,contra desperationis impulsum reduxit ad memoriam bona quæ egerat. Quia misericors fuerat, dicit: Oculus fui cæco,& pes claudo.Et rursum: Pater eram pauperum . Quia disciplinæ custos & benignus, dicit : Cunq; sederem quasi rex circunspectante me exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Quia humilis fuerat, dicit: Si contempsi sub- Iob 31
ire iudicium cum seruo meo & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me. Quia hospitalis fuerat,fatetur: Si despexi prætereuntem,eo quòd nõ habuerit indumentum . Quia largus in donis, dicit: Si non benedixerunt mihi latera eius,& de uelleribus ouium mearum calefactus est.Quia uiolentus non fuerat , testatur dicens : Si leuaui super pupillum manum meam, cùm uiderem me in porta superiorem. Quia de inimici periculo nunquam exultauerat, dicit: Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat. Quia patiens fuit, & etiam suorum malitiam æquanimiter pertulit, dicit:Si non dixerunt uiri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius ut saturemur? Quid est hoc quòd uir sanctus tot suas uirtutes inter flagella enumerat? Quid est quòd ore suo opera quæ fecerat,laudat: nisi quia inter uulnera & uerba quæ hunc ad desperationem trahere poterant ad spem animum reformat? Et qui in prosperitate humilis fuit,reuocatis bonis suis ad memoriam, infractus in aduersitate permansit. Cuius enim animum inter tot flagella illa uerba ad desperationem non impellerent,nisi sibi ad memoriam bona quæ fecerat reuocasset? Vidit igitur sanctus uir mentem suam auditis tot malis ad desperationem concuti,& mirabiliter studuit in spe certa ex bonis suis actibus solidari. Sic impletur quod scriptum
Eccli 11 est:In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorũ. Si enim cùm bona habemus,malorum reminiscimur quæ aut iam passi sumus,aut adhuc pati possumus: accepta bona mentem non eleẽut,quia eorum gaudium timor memorię malorum premit.Et si cùm mala habemus bonorum reminiscimur, quæ aut iam accepimus,aut adhuc nos posse accipere speramus,malorum pondus animum ad desperationem non premit,quia hunc ad spem memoria bonorum leuat. Si itaque fratres charissimi, & per præcepta dominica, & per sanctorũ exempla gradimur,ut nos nec prosperitas eleuet,nec aduersitas frangat,habere nos ante omnipotentis dei oculos palmas hinc & inde monstramus.

Cui est honor & gloria, in secula seculorum
Amen.

Homilia

Universidad de Deusto

Homilia xx

IT porta atrij interioris in uia Auſtrali. Et menſus eſt à porta uſque ad portã in uia Auſtrali centum cubitos. Et introduxit me in atrium interius ad portam Auſtralem, & menſus eſt portã iuxta menſuras ſuperiores, thalamum eius, & frontem eius, & ueſtibulum eius eiſdem menſuris, & feneſtras, & ueſtibulum eius in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis uigintiquinq; cubitos, & ueſtibulum per gyrum longitudine uigintiquinq; cubitorum, & latitudine quinque cubitorum. Et ueſtibulum eius ad atriũ exterius, & palmas eius in fronte, & octo gradus erãt quibus aſcendebatur per eam. Et introduxit me in atrium interius per uiã Orientalem, & mẽſus eſt portam ſecundũ menſuras ſuperiores, thalamũ eius, & frontem eius, & ueſtibulum eius ſicut ſupra, & feneſtras eius, & ueſtibula in circuitu longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine uigintiquinq; cubitorũ, & ueſtibulum eius, id eſt, atrij exterioris, & palmæ cę late in frõte eius hinc & inde, & in octo gradibus aſcẽſus eius. Et introduxit me ad portam quæ reſpiciebat ad Aquilonẽ. Et menſus eſt ſecundum menſuras ſuperiores, thalamum eius, & frontem eius, & ueſtibulum eius, & feneſtras eius per circuitum longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine uigintiquinq; cubitorum. Et ueſtibulum eius reſpiciebat ad atrium exterius, & cælatura palmarum in frõte eius hinc & inde, & in octo gradibus aſcẽſus eius, & per ſingula gazophylacia oſtium in frontibus portarum. Ibi lauabant holocauſtum.

PRophetæ uerba, quæ largiente domino hodie charitati ueſtræ loquenda ſunt, lectione magis indigent quàm expoſitione. Ea enim in tribus portis interioribus replicantur, quæ ſecundò iam uel tertiò de exteriorib. dicta ſunt. Pauca uerò in earum deſcriptione permutantur. Vnde neceſſe eſt ea nos quæ iam dicta ſunt, replicare, ut ea quæ dicenda ſunt, licentius poſſimus enodare. Itaq; nunc dicitur: Et porta atrij interioris in uia Auſtrali, & menſus eſt à porta uſq; ad portã in uia Auſtrali centum cubitos. Et introduxit me in atrium interius ad portam Auſtralem, & menſus eſt portam iuxta menſuras ſuperiores, thalamum eius, & frontem eius, & ueſtibulũ eius eiſdem menſuris. Et feneſtras eius, & ueſtibulum eius in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis uigintiquinq; cubitos, & ueſtibulum per gyrum.] Cuncta hæc ſuperius dicta atq; expoſita eſſe meminiſtis. Necdum uerò eſt dictum quod de eodem ueſtibulo ſubditur: Longitudine uiginti & quinq; cubitorum, & latitudine quinq; cubitorum, & ueſtibulũ eius ad atriũ exterius. Atq; iterum hoc quod iam ſuperius dictum fuerat, replicatur cùm dicit: Et palmas eius in frõte, & ſtatim quod adhuc dictum non fuerat, ſubditur: Et octo gradus erant in quibus aſcendebatur ad eam. Hoc quoq; quod de Auſtrali porta ſcriptum eſt, de Orientali quoq; porta in eodem ordine narratur. Nam protinus ſubinfertur: Et introduxit me in atrium interius per portam Oriẽtalem, & menſus eſt portam ſecundum menſuras ſuperiores, thalamum eius, & frontem eius, & ueſtibulum eius ſicut ſupra, & feneſtras eius, & ueſtibula eius in circuitu longitudine quinquaginta cubitorum, latitudine uigintiquinq; cubitorũ. Et ueſtibulum eius, id eſt, atrij interioris, & palmę cęlatæ in fronte eius hinc & inde, & in octo gradib. aſcenſus eius. Ea quoq; quæ de Auſtrali porta & Orientali dicta ſunt, in eiſdem uerbis etiam de porta quæ ad Aquilonem reſpicit, replicãtur. Nam ſubditur: Et introduxit me ad portã quę reſpiciebat ad Aquilonem, & menſus eſt ſecundũ menſuras ſuperiores, thalamum eius, & frontem eius, & ueſtibulum eius, & feneſtras eius per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, latitudine uigintiquinq; cubitorum, & ueſtibulum eius reſpiciebat in atrium exterius, & cælatura palmarum in fronte illius hinc & inde, & in octo gradib. aſcenſus eius.] Quid itaq; interiori atrio, quid thalamo, quid frontibus, quid ueſtibulo, quid feneſtris, quid longitudine & latitudine, quid palmarum cælatura ſignetur, latè iam ſuperius diximus. Nec oportet ut in eiſdem iterum, ſed in his ſolummodo quæ necdum dicta ſunt, occupemur. Nunc ergo quærendũ nobis eſt quæ iſtæ tres portæ interiores ſint, uel quid eſt quòd earundem portarum ueſtibula uigintiquinque cubitis longitudine, & quinq; cubitis latitudine metiuntur: uel cur ad eas non ſeptem ſicut de portis exterioribus dictum fuerat, ſed octo gradibus aſcenditur. Porta enim atrij interioris quæ ſuperius dicta eſt, de his tribus portis interioribus non eſt: quia illa contra Orientis & Aquilonis portam reſpicere dicitur, iſtæ autem ſingulæ interius ad Auſtrũ uel Orientem & Aquilonem poſitæ memorantur. Vnde rectè per illam aditus interior deſignatur, quia ſicut præcedenti locutione iam dictum eſt, uel ludææ & Gentilitati, uel inchoantibus atq; in bono perſeuerantibus, uel à bono cadẽtibus, ſed poſt culpas per pœnitentiam ſurgentibus patet. Nunc autem poſtquam ſingulæ in Oriẽte & Aquilone & Auſtro portæ deſcriptæ ſunt, cur interioris atrij rurſum portæ ſingulæ in Auſtro &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Oriente atq; Aquilone describuntur? Aspiran- A te domino, magna intentione opus est sinum tantæ profunditatis indagare. Si enim portarum nomine sanctos prædicatores accipimus, sciendum nobis est: quia una est Ecclesia in prædicatoribus testamenti ueteris ac noui. Portæ autem septem uel octo gradus habent: quia sancti spiritus septiformem gratiam concorditer prædicant. Octauo uerò gradu annunciant præmium retributionis æternæ. Vnde scriptum est: Da partes septem, nec Eccli 11 non & octo. Quid itaq; dicere possumus exteriores portas, nisi antiquos patres fuisse, qui per præcepta legis nouerant opera populi magis quàm corda custodire? ut interiores portas prædicatores sanctæ Ecclesiæ debeamus accipere, qui spiri- B talibus monitis discipulorum suorum corda custodiunt, ne malis quæ non faciunt, uel in cogitationibus delectentur. Per illas enim septem gradibus ascendi dicitur, istarum uerò octo graduũ ascensus esse perhibetur: quia & in ueneratione legis dies septimus fuit, & in nouo testamento octauus dies in sacramento est: is uidelicet qui dominicus appellatur, qui tertius à passione, sed octauus à conditione est: quia & septimum sequitur. Sin uerò portarũ nomine solos intelligimus sanctos Apostolos designari, qui uidelicet primi nobis sunt sanctæ Ecclesiæ prædicatores, & nos fidem, spẽ atq; charitatẽ summopere tenere docuerunt: ipsi itaq; nobis in his uirtutibus portæ sunt, qui nos per easdem uirtutes ad interiorem intel- C lectum æternæ sapientiæ perducunt. Sed si ipsi exteriores portæ sunt, quos accipimus interiores? Si uerò ipsi interiores sunt, quos intelligimus exteriores? Qua in re intelligi utiliter potest: quia ipsi nobis & exteriores simul & interiores portæ sunt. Cùm enim adhuc inchoantibus non alta & mystica, sed quædam quæ capi præualent prædicant, portæ exteriores sunt. Cùm uerò perfectis profunda & mystica loquuntur, portę interiores.

1.Cor.3 Videamus qualiter porta exterior pateat: Nõ potui uobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac uobis potum dedi, non escam. Videamus qualiter porta in-

1.Cor.2 terior pateat: Sapientiam loquimur inter perfectos. Videamus utrum ipsa eadem si porta inte- D

Rom.1 rior & exterior: Sapientibus & insipientibus de-

2.Cor.5 bitor sum. Qui rursum dicit: Siue mente excedimus, deo: siue sobrij sum⁹, uobis. In hoc eñ quòd contemplando & loquendo sapientibus mente excedit, porta interior est. In hoc uerò quòd paruulis sobriè in prædicatione se temperat, & quanta ebrietate spiritus infundatur in mente cùm prędicat non ostendit, exteriorem portam se esse manifestat. Ipsi itaq; & exteriores portæ nobis sunt & interiores, qui nos & in primo aditu fidei, spei, atq; charitatis instituunt, & cùm iam proficientibus cœlestis regni mysteria prædicant, per subtiliorem sensum nos ad interiora perducunt. Vnde & per septem gradus prius ascensus earum describitur, & postmodum per octo. Per octauum etenim gradum illius uitæ mysteria signantur, quam in secretis suis perfecti intelligunt, qui iam cuncta temporalia mente transcendere nouerũt, qui præsentem uitam quæ septẽ dierum curriculo euoluitur, plenè despiciunt, qui de intima contemplatione pascuntur. Habent igitur portæ spiritalis ædificij septem gradus: quia timorem domini, pietatem & scientiam, fortitudinem & consilium intellectũ & sapientiam suis auditoribus prædicant. Sed cùm iam omnia dimitti præcipiunt, cũ nihil in hoc mundo diligi admonent, nisi per affectum teneri, uim contemplationis cœlestis patrię intendi, atq; in eius suadent mysterijs delectari, gradum addunt, & ad interiora trajiciunt. Iste gradus docente ueritate cuidam ostensus est, cui cùm legis præcepta dicerentur, respondit: Hæc Matt.19 omnia custodiui à iuuẽtute mea. Quasi enim iam in septem gradibus stabat, cùm à iuuẽtute sua omnia custodisse se diceret. Sed ei mox dicitur: Adhuc unũ tibi deest: Si uis perfectus esse, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni sequere me. In quibus uerbis octauũ quidẽ gradũ uidit, sed ascendere noluit: quia tristis abscessit. Quisquis itaq; contemptis rebus temporalibus, æternitatis contemplatione pascitur, cœlestis regni gaudia rimatur. Post septem gradus quos timendo & operando atq; intellectu sapientiæ suæ crescendo tenuit, octauo gradu interioris portæ aditum intrauit. Per octauum uerò numerum & dies æterni iudicij, & carnis resurrectio designatur. Vnde & Psalmus qui pro octaua scribit, à pauore iudicij est inchoatus, cùm dicitur: Domine ne in ira tua arguas me, Psal.6 neq; in furore tuo corripias me. Nunc enim tempus est misericordiæ, in illo autẽ iudicio dies iræ. In quo uidelicet die omne hoc tẽpus finitur, quod septem diebus euoluitur. Et quia post septem dies sequitur, iure octauus appellatur. In quo & caro nostra resurgit expuluere, ut siue bona siue mala quę egit, recipiat à ueritate. Vnde & per legẽ quoque octauo die fieri circuncisio iubet. Nã per mẽbrum quod circumciditur, mortalis propagatio generatur, decedentium quoq; & succedentium numerus augetur. Sed quia in resurrectione mortuorum, nec carnis iam propagatio agitur, & decessio atq; successio nulla erit: quia sicut scriptum est: Neq; nubent neque nubentur, sed erunt sicut Matt. angeli in cœlo, octaua die præcipitur præputiũ Matt. incidi. Ibi enim locum iam carnis propagatio nõ Luca tenet, ubi resurgens caro perseuerantiam æternitatis habet. Per hoc uerbum mater uirgo descendit, quæ deum in utero sine uirilis carnis admixtione concepit, qui primus nobis æternæ patriæ gloriam in sua resurrectione monstrauit. Qui resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei Rom. ultrà non dominabitur. Nobisq; exemplum dedit, ut ea fieri in die ultimo de nostra carne credamus, quæ facta de carne illius in die resurrectionis agnouimus. Sed quia de carnis resurrectione nobis sermo se intulit, triste nimis & ualde lugubre est, quòd quosdã in Ecclesia stare, & de carnis resurrectiõe dubitare cognoscimus. Hanc autem

antiqui

antiqui patres ueritatem esse certissimè crediderunt, etiã cùm nullum adhuc eiusdem resurrectionis exemplum tenuerunt. Qua igitur damnatione digni sunt, qui & exemplum iam dominicæ resurrectionis acceperunt, & tamen adhuc de sua resurrectione diffidunt. Pignus tenent, & fidem nõ habent. Ecclesias replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente uacua stant. De hac quippe resurrectione per B. Iob dicitur: Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea uidebo deum. Quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Hinc etiam per Psalmistam dicitur: In conspectu eius procidunt uniuersi qui descendunt in terram. In terram enim mortui non spiritu, sed corpore descendunt. In conspectu ergo domini procidunt qui in terram descendunt: quia resurgendo ad iudicium ueniunt, qui nunc in puluere putrescũt. Hinc iterum dicit: Sitiuit in te anima mea, quã multipliciter tibi caro mea: Sitiuit anima mea ad deum. Videat caro quid sitit, nisi ut resurgat. Hinc rursus ait: Aufer spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Moxq; de carnis resurrectione subiungit: Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Hinc iterum dicit: Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Exurrexit em̃ dominus in requiem suam, cùm carnem suam de sepulchro suscitauit. Post hunc quoq; exurgit & arca: quia resurgit Ecclesia. Hinc per eundem prophetam de quo loquimur scriptum est: Ossa arida, audite uerbum domini. Hæc dicit dominus deus ossibus his: Ecce ego intromittam in uos spiritum, & uiuetis. Et dabo super uos neruos, & succrescere faciam super uos carnes, & superextendam in uos cutem, & dabo uobis spiritum, & uiuetis. Hinc est quòd propheta alius per resurrectionem domini humanum genus uidit in finem suscitari, atq; ait: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in conspectu eius. Hinc est quòd cùm de semetipso dominus loqueretur, adiunxit: Nolite mirari hoc, quia uenit hora in qua omnes qui in monumẽtis sunt, audient uocem eius. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Hinc Paulus ait: Vnde etiam saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrę configuratũ corpori claritatis suæ. Hinc iterum dicit: Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & deus eos qui dormierũt, per Iesum adducet cum eo. Qui rursus ait: Primitiæ dormientium Christus. Si enim nos à mortis somno non surgimus, quomodo resurrectionem dominicam primitias habemus? Ecce ueteres ac noui patres uno sibi spiritu de carnis resurrectione concordant. Ecce ipsa per se ueritas prius uoce docuit, quod de resurrectione carnis postmodum opere demonstrauit, & tamẽ adhuc quorun

Iob 19 Pſal.21 Pſal.52 Pſal.103 Pſal.31 Ezech.37 Oſee 6 Ioan.5 Philip.3 1.Theſ.4 1.Cor.15

A dam infirmitas fidem nõ habet in domo fidei stãs. Sed mirari solent qualiter caro reuiuiscere possit ex puluere. Mirentur igitur altitudinem cœli, molem terræ, abyssos aquarũ, omnia quæ in mundo sunt, ipsos quoq; angelos creatos ex nihilo. Minus est ualde aliquid ex aliquo facere, quàm omnia ex nihilo fecisse. Ipsa nobis elementa, ipsæ rerum species, resurrectionis imaginem prædicant. Sol enim quotidie nostris oculis moritur, quotidie resurgit. Stellę matutinis horis nobis occidũt, uesperi resurgũt. Arbusta æstiuis temporibus plena foliis & frugibus uidemus, quæ hyemali tempore nuda foliis, floribus, ac fructibus, & quasi arida remanent, sed uernali Sole redeunte, cùm à radice humor surrexerit, suo iterum decore uestiun
B tur. Cur ergo de hominibus diffiditur, quod fieri in lignis uidetur? Sed sæpe in puluerem putrescentes carnes aspiciunt, & dicunt: Vnde ossa & medullæ, unde caro uel capilli poterunt in resurrectione reparari? Hæc itaq; requirẽtes, parua semina ingentium arborum uideant, atq; si possunt dicant: Vbi in eis latet tanta moles roboris, tanta diuersitas ramorum, tanta multitudo & uiriditas foliorum, tanta species florum, tanta ubertas, sapor, atq; odor fructuum? Nunquidnam semina arborum odorem uel saporẽ habẽt, quem ipsæ post arbores in suis fructibus proferunt? Si ergo ex semine arborum quod uideri non potest, produci
C potest, cur de puluere carnis humanæ diffiditur, quia ex eo reparari forma ualeat quæ non uidet? Sæpe autem obijcere inanem quæstiunculam solent, qua dicunt: Carnem hominis lupus comedit, lupum leo deuorauit, leo moriens ad puluerem redijt, cùm puluis ille suscitatur, quomodo caro hominis à lupi & leonis carne diuiditur? Quibus quid respondere aliud debemus, nisi ut prius cogitent qualiter in hoc mundo uenerint, & tunc in uenient qualiter resurgant? Certè tu homo qui loqueris, aliquando in matris utero spuma sanguinis fuisti, ibi quippe ex patris semine, & matris sanguine paruus ac liquidus globus eras. Dic rogo, si nosti qualiter ille humor seminis in ossibus duruit, qualiter in medullis liquidus remansit, qualiter in neruis solidatus est, qualiter in carne creuit,
D qualiter in cute extensus est, qualiter in capillis atq; unguibus distinctus, ita ut capilli molliores carnibus, & ungues essent teneriores ossibus, carnibus duriores. Si igitur tot & tanta ex uno semine per species distincta sunt, & tamen in forma remanent coniuncta, quid mirum si possit omnipotens deus in illa resurrectione mortuorum, carnẽ hominis distinguere à carne bestiarum, ut unus idemq; puluis & non surgat inquantum puluis lupi & leonis est, & tamen resurgat inquantum puluis est hominis? Vide itaq; homo qualiter ad uitam ueneris, & nequaquã dubites ad uitam qualiter redeas. Cur aũt ratione uis cõprehẽdere quomodo redeas, qui ignoras quomodo ueneris? Da potẽtiæ creatoris tui quod cõprehendere nõ uales de temetipso. Certè enim quia tu ex terra fa-

ctus es

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus es, terra uerò ex nihilo, tu es creatus ex nihilo. Ne ergo de carnis tuæ reſurrectione deſperes, perpende prudenter, quia minus eſt deo reparare quod erat, quàm feciſſe quod non erat. Si non potes reſurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quàm multa ſunt quæ non intelligis qualiter ſint, & tamen eſſe non dubitas. Dic rogo ſi noſti, gyrus cœli, terræ cardines, aquarum abyſſus, ubi finiuntur, ubi ſuſpenſi ſunt? Scimus autem, quia quod ex nihilo factum eſt, pendet in nihilo. Sed ſi eſt aliquid quod dicitur nihilum, iam nihilum non eſt. Si autem nihil eſt nihilum, nuſquam mundi moles dependet, nec eſt ubi ſit quod creatum eſt ut ſit. Quomodo ergo nuſquam eſt quod nouimus quia eſt? Sed hæc fortaſſe ad te multa ſunt: Ad temetipſum homo reuertere. Certe ex ſpiritu es creatus & limo. Vno inuiſibili, altero uiſibili, uno ſenſibili, & altero inſenſibili. Quomodo ergo permiſceri in te potuit ſpiritus & limus, atque ex diuerſo fieri res non diuerſa: ita ut in tanta conuenientia miſceretur ſpiritus & limus, ut cùm caro atteritur, ſpiritus marceat, & cum ſpiritus affligitur, caro contabeſcat? Sed forſitan necdum præuales diſcutere temetipſum, perpende rogo ſi uales, quomodo rubrum
Exod.14 mare uirga diuiſum eſt, quomodo petræ duritia
Num.20 percuſſione uirgę undas emanauit, quomodo Aa-
Num.17 ron uirga ſicca floruit, quomodo ex eius genere ueniens uirgo concepit, quomodo & in partu uirgo permanſit, quomodo quatriduanus mortuus
Ioan.6 iuſſione ſuſcitatus, ligatus manibus ac pedibus de ſepulchro exijt, quem poſtmodum ſolui dominus per diſcipulos iuſſit: quomodo idem redem-
Ioan.20 ptor noſter in uera carne atq; oſsibus reſurgens, clauſis oſtijs ad diſcipulos intrauit. Ecce hæc inueſtigare non uales, & tamen credis. Cur ergo de reſurrectionis gloria dubitando & diſcutiẽdo dubitas, qui tam multa myſteria ſine diſcuſſione credidiſti? Qui tamen ſi reſurrectionem carnis non credis, omnia ſine cauſa credidiſti: quia in hoc angelorum ſpectaculo uideris quidem uelociter currere, ſed poſtquam curſum peregeris, ne brauium accipias auerſaris. Vnde per Paulum dicitur: Sic currite, ut comprehendatis. Qui rurſus
1.Cor.9 ait: Si in hac uita in Chriſto tantum ſperantes ſu-
1.Cor.15 mus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Diuinæ autem uirtutis myſteria quæ comprehendi non poſſunt, non intellectu diſcutienda ſunt, ſed fide ueneranda. Sciendum itaq; nobis eſt, quia quicquid ratione hominis comprehendi poteſt, mirum eſſe iam non poteſt. Sed ſola eſt in miraculis ratio, potentia facientis. Ecce dum de reſurrectione carnis loquimur, ab expoſitionis ordine paululum digreſsi ſumus. Ad ea ergo quæ cœpimus redeamus. Habent autem interiores portæ ueſtibula, quæ uiginti & quinq; cubitis in longitudinem metiuntur. Si enim octo ter ducimus, ad uiginti & quatuor peruenimus. Cui unus additur ut uiginti & quinque teneamus. Auditores etenim boni qui quaſi quædam ueſtibula ſunt portarum, æternæ ſpei longanimitatem tenent, octauum diem in trinitatis fide ſuſtinent. Quæ trinitas quia unus eſt deus, octo quidem per tria ducunt, ſed in unius dei confeſſione ſolidant. Plana ſunt ueſtibula: quia humilia ſunt corda bonorum auditorum. Habent longitudinem: quia in ſpei perſeuerant longanimitatem. Viginti & quinq; cubitis earum longitudo menſuratur: quia reſurrectionem carnis in octaua per trinitatem credunt, & eandem ſanctam trinitatẽ unum eſſe deum fatentur. Habent quoq; quinq; cubitos latitudinẽ: quia per uitam ſimplicem quæ quinque ſenſibus ducitur, circa amorem proximi dilatantur. Et notandum quia poſt quàm portarum ueſtibula ſuperius alia dicta ſunt, poſtmodũ ueſtibulũ quod quinq; cubitis habet latitudinem, exterius reſpicere dicitur: quia nimirum ſunt auditores alij qui intellectum interioris uitę magnis uirtutibus proficiendo penetrant: & ſunt quidam ſimplices qui bene quidem, ſed iuxta ſenſus corporeos uiuunt. Vnde & exterius reſpicere dicuntur. Quaſi enim extra reſpiciunt, quia iuxta ſenſus corporeos uiuunt. Sed tamẽ & exterius reſpiciẽtes intus ſunt. Quia & ſi ſenſus corporeos intelligendo tranſcẽdere neſciunt: fidem tamen atq; charitatem & humilitatem tenent. Et intus ergo ſunt in ſpiritali ędificio per amorem, & quaſi foris reſpiciunt per ſimplicitatem. Poteſt per ueſtibulum quod exterius reſpicit, fides inchoantium deſignari: & per ueſtibulum quod eſt interius, fides perfectorum, qui iam per eam in uirtutibus emicant. Poſſunt etiam per ueſtibulum interius prędecepta altiora, per ueſtibulum uerò quod reſpicit exterius, præcepta adhuc minima figurari. Per ueſtibulum quippe itur ad gradus & ad portam: quia per præcepta prædicationis pertingitur ad uirtutes atq; aditum gratiæ cœleſtis. Cùm uerò iubet alijs in cogitatione ſua æterna meditari, cœleſtia ſapere, eisq; dicit in Pſalmis & hymnis & canticis ſpiritalibus uiuere, quaſi interius ueſtibulum oſtẽditur: quod quinquaginta cubitis lõgitudine, & uigintiquinque latitudine menſuratur. De quibus numeris nunc tacemus: quia ex his iam multa ſuperius diximus. Cùm uerò alijs præcipitur, uxori uir debi-
1.Cor.7 tum reddat, ſimiliter autem & uxor uiro, quaſi ueſtibulum quod exterius reſpicit, deſignat. Quod quamuis extra reſpiciat, tamen intus eſt: quia rudis auditor & adhuc agit quod carnis eſt, & tamẽ à bonorum numero alienus non eſt. Poteſt autem & per Orientis portam Dominus, & per Auſtralem Iudæa, per Aquilonis uerò conuerſa gentilitas deſignari. Sed hac in re quæſtio animum pulſat, cur in ſuperiori narratione prophetæ prius Orientalis, poſtmodum Aquilonis, ac deinde Auſtri porta deſcripta eſt? Cunq; eaſdem portas interiori atrio narraret: prius portam Auſtri, deinde Orientis, & tertio in loco deſcripſit Aquilonis. Cur autem non eundem ordinem quem cœperat tenuit, ſed hunc in portarum deſcriptione permutauit, ut & prius diceret, Orientis por

tis portam, Aquilonis, & Austri, & postmodum Austri, Orientis & Aquilonis? Sed si Aquilõis nomine gẽtilitas designat, cũctis studiosè legentib. liquet, quia ante synagogam gentilitas fuit. Nam & uir ipse à quo Hebræi appellati sunt, ex gentibus est electus. Gen.10 Dicatur ergo porta Orientalis ante portam Aquilonis & Austri: quia in diuinitate sua Dominus ante gentilitatem & Iudæam natus est: quia & ante omnia secula. Dicatur uerò narratione subsequenti porta Austri, Orientis & Aquilonis: quia redemptor noster in humana natura inter Iudæã & gentilitatem nasci dignatus est: quia & in fide synagogæ uenit, & ante initium Ecclesiæ quam ex gentibus collegit. In prima ergo descriptione sit Orientalis porta ante portam Aquilonis, & Austri, in secunda autem inter portã Austri & Aquilonis, Orientis porta nominetur: quia ex diuinitate antecessit omnia, & ex humanitate uenit inter omnia: quia & decedentis Iudææ finis factus est, & subsequentis gentilitatis initium. Igitur quia ea quæ necdum dicta fuerant, ut domino largiente potuimus, rimati sumus, & ea quæ sæpius sunt replicata, transcurrimus, nunc ad ea ueniamus quæ sic iam per ordinem dicũtur, ut in eis penè nihil de his quæ dicta sunt replicetur. Et per singula gazophylacia ostium in frõtibus portarum.] Gazophylacia superius diximus corda doctorum, quæ scientiæ diuitias seruant. Frontes autem portarum sunt uerba atq; opera prædicatorum, in quibus eos foris agnoscimus, quales apud se intrinsecus uiuãt. Est autem ostium per gazophylacia singula in frontib. portarum: quia unusquisq; doctor in corde auditoris intellectum aperit in dictis & operibus patrum. Cùm eñ Petri Apostoli prædicationẽ discutimus, cùm Pauli uerba perscrutamur, cùm Ioannis Euangelium inuestigamus, atq; ex eorum uerbis auditores nostros ad interiorem intellectum trahimus, quid aliud agimus, nisi ostium in portarum frontibus aperimus? Dicat ergo: Per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: quia si doctor hoc quod loquitur, Apostolorum dictis minimè confirmat, in frõtibus portarum ostium nõ habet. Et si ostium non habet, dici iam gazophylacium spiritalis ædificij non potest: quia si intellectum non aperit, doctor non est. Cùm uerò auditores boni per ora docentium, Apostolorum dicta & opera cognoscunt, culpas suas apud semetipsos tacitè reprehendunt, & lachrymis insequuntur omne quod se egisse iniquè meminerunt. Vnde hic quoque de ostio quod est in frontibus portarum, subditur: Ibi lauabunt holocaustum.] Qui enim se per fidem in conuersatione sancta domino deuouerunt, holocaustum domino facti sunt. Sed quia adhuc multa in se de corruptibili sua carne patiuntur: quia adhuc in eis cordis munditia sordidis cogitationibus inquinatur, quotidie ad lachrymas redeunt, assiduis fletibus affliguntur. Sanctorum enim patrum dicta & facta considerant, & cùm se indignos pensant, in portarum ostio holocaustum lauant. Ecce etenim quis pro timore omnipotentis domini esse patiens deouit, nulli conuitium pro conuitio reddere, omnia æquanimiter tolerare, & tamen cùm hunc contumelia ab ore proximi illata subitò percusserit, turbatur: forte aliquid loquitur quod loqui non debuit. Certè iste iam holocaustum est, sed adhuc inquinatum. Fortassè contra illatas contumelias patientiam exhibuit, tacitus permansit: sed tamen contra easdem contumelias quas portat, dolore tangitur, eiusq; animus in charitate sauciatur. Patientia enim uera est, quæ & ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse, nõ est uirtus mãsuetudinis, sed uelamentum furoris. Hic itaq; sæpe in cogitatione sua se iudicat, reprehendit semetipsum quia dolet, nec tamen apud se prẽualet obtinere ne doleat. Iam ergo per bonam deuotionem holocaustum est, sed tamẽ per dolorem quo tangitur, adhuc inquinatum. Alius ea quæ possidet, apud semetipsum decreuit indigentibus cuncta tribuere, nil sibimet reseruare, uitam suam soli supernæ gubernationi cõmittere: sed dum præbet pauperibus quæ habet, fortasse cogitatio mentem subrepit quæ dicit, unde uiues, si cuncta deris? Nec tamen desistit tribuere. Sed quod lætus dare cœperat, postmodum tristis prẽbet. Quid huius mens nisi misericordiæ holocaustum est? sed tamen per tristitiã cogitationis inquinatum. Aut enim deliberare summa non debuit, aut post deliberationem nullo modo dubitare. Alius contempta mundi superbia, honores atq; dignitates huius seculi decreuit uitare. Vltimum appetit inter homines locum tenere, ut tanto excellior inueniatur in permanenti gloria, quanto humilior aspicitur in transeunte uita. Is fortasse cùm subitò se à proximo despici agnoscit, dedignatur cur despicitur. Vult quidem in loco humili, sed tamen attendi contemptibilis non uult. Hunc iam deuotio eleuat, sed adhuc infirmitas grauat. Iam ergo per deuotionem holocaustum est, sed adhuc ex infirmitate inquinatũ. Hi itaq; qui in eis quæ optimè deuouerunt, aliqua infirmitate sui culpa tanguntur, cùm per uerba doctorum dicta patrũ intelligunt, & in quanta culpa iaceant, agnoscunt, seq; ipsos pœnitentiæ lamentis afficiunt, holocaustum in ostio portarum lauant. Sciẽdum uerò est, quia hoc inter sacrificium atque holocaustum distat, quòd omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium holocaustum. In sacrificio etenim pars pecudis, in holocausto uerò totum pecus offerri consueuerat. Vnde & holocaustum Latina lingua totum incensum dicitur. Pensemus ergo quid est sacrificium, quid holocaustũ. Cùm enim quis suum aliquid deo uouet, & aliquid non uouet, sacrificium est. Cùm uerò omne quod habet, omne quod uiuit, omne quod sapit, omnipotẽti Deo uouerit, holocaustum est. Nam sunt quidam qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, & tamen ex possessis rebus subsidia egentib. ministrant, oppressos defendere festinãt. Isti in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia & aliquid de actione sua deo immolant, & aliquid sibi

metipsis

Universidad de Deusto
Biblioteca

metipsis reseruant. Et sunt quidam qui nihil sibi metipsis reseruant, sed sensum, linguã, uitam, atq; substantiam quam perceperunt, omnipotenti domino immolant. Quid isti nisi holocaustum offerunt, immò magis holocaustum fiunt? Israeliticus etenim populus primum sacrificium in Ægypto obtulit, secundum uerò in eremo. Qui itaque adhuc mentem habet in seculo, sed boni iam aliquid operatur, deo sacrificium obtulit in Ægypto. Qui uerò præsens seculum deserit, & agit bona quæ ualet, quasi Ægypto derelicta sacrificium præbet in eremo: quia repulso strepitu desideriorum carnalium, in mentis suæ quiete atque solitudine deo immolat quicquid operat. Quam uis ergo, sicut dictum est, sacrificium sit etiam holocaustum, maius tamen est holocaustum sacrificio: quia mente quæ huius mundi delectatione non premitur, totum in omnipotentis dei sacrificio incenditur quod habetur. Sed sciendum nobis est, quia sunt quidam qui etiam seculum relinquentes, totum quidem quod habẽt offerunt, sed tamen in bonis quæ agunt, minimè compunguntur: & bonum quod agunt, holocaustum est, sed quia flere ac semetipsos dijudicare nesciunt, secq; ex amore ad lachrymas non accendunt, perfectũ eorum holocaustum non est. Hinc per Psalmistã dicitur: Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Holocaustum quippe siccum, est bonum opus quod orationis lachrymæ non infundunt. Holocaustum uerò pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur. Vnde rursus dicitur: Holocausta medullata offeram tibi. Quisquis enim bonum opus agit, sed omnipotentis dei amore atq; desiderio flere nescit: holocaustum habet, sed medullam in holocausto non habet. Qui uerò bona operat, et uisioni iam creatoris sui inhiat, atque ad æterna contemplationis gaudia peruenire festinat, secq; ipsum ex amore quo accenditur, in fletibus mactat, holocausta domino medullata dedit. Studẽdum uerò nobis est & mala funditus relinquere, & bona quæ sufficimus operari, atq; in ipsis bonis quæ agimus, amore æterni luminis cõpungi. Ipse enim cordis tenebras discutit amor lucis, ut subtilius uidere ualeam⁹, ne qua in bonis quæ agimus, praua misceantur. Considerandum nobis quippe est opus nostrum quale sit, quæ cogitatio in opere, quæ intentio in cogitatione. Et cùm nostro bono operi admixtum aliquid malitiæ uel pravæ delectationis agnoscimus, redeamus ad lachrymas, lauemus holocaustum. Sunt autem quidam qui semetipsos in magnis actionibus domino deuouerunt, atque ad tantam perfectionem perueniunt, ut ab eis nulla unquam difficultate flectantur, quatenus à deliberatione castitatis nequaquam caro in pravæ cogitationis delectatione animum sternat. Nam etsi quando per suggestionẽ pulsat, surgere non permittitur: quia uigore iudicij calcatur. In deliberatione quoque patientiæ nec sermo inordinatus ab ore prodeat, nec dolor tacitus animum premat, ut in largitate eleemosynæ nulla inopiæ suspicio tristitiam generet, ut in deliberatione humilitatis nullus despectus animum mordeat. Sed cùm iam in his quæ rectè deuouerunt, sese fortiter exhibent, priora tamen peccata quæ ab ipsis ante bonam deliberationem perpetrata sunt, ad memoriam deducunt, & plãgunt quicquid illicitè se egisse meminerũt. Hi itaq; per uitam quã tenent, holocaustum sunt, sed per uitam quam antè tenuerunt, inquinatum. Lauãt ergo holocaustum in ostio portarum: quia intellectu quem percipiunt de dictis patrum, lamentis se quotidianis afficiunt, & mundãt uitam lachrymis quam pravis aliquando actibus inquinauerunt. Nos itaq; inter hæc ad uitam præteritã mentis oculos reducamus, reminiscamur qui fuimus, cùm mundi huius concupiscentias sequeremur. Et si iam domino toto corde seruimus: quia nos peccasse meminimus, defluamus in fletibus, lauemus holocaustum. Ecce, omnipotẽti deo deuouimus castitatem nostram. Sed si adhuc immũda cogitatio mẽtem inquinat, redeam⁹ ad lachrymas, lauemus holocaustum. Ecce patientiam nos seruare decreuimus. Si adhuc ira perturbat, si mẽtem tacitus dolor excruciat, redeamus ad lachrymas, lauemus holocaustũ. Ecce iam nouimus possessa tribuere, atq; in hoc mundo humilem locum tenere. Si qua adhuc animum inopiæ suspicio deprimit, si despectus proximi in aliqua nos indignatione confundit, redeamus ad lachrymas, lauemus holocaustum. Magnus est etenim creatori nostro ad recipiendos fletus humilium, misericordiæ sinus. Vbi enim innumerabilium hominũ fletus susceptí sunt, ibi locum suum inuenturæ sunt & lachrymæ nostræ. Pẽsemus quid per alium prophetam dicitur: Et erit qui offenderit ex eis in illa Zach die quasi Dauid, & domus Dauid quasi dei, sicut angelus domini in conspectu eius. Hæc dies misericordiæ, quæ nobis de aduentu redemptoris nostri promissa est. Qui itaq; offẽderit, erit quasi Dauid: quia peccator ad pœnitentiam redit. Domus autem Dauid, quasi dei: quia reuersus quisq; ad iustitiam, habitatio efficitur creatoris sui, ut sit sicut angelus in conspectu eius: quia misericordiæ uiscera quæ in se expertus est, annunciando & alijs propinat. Hinc etiam paulopost illic dicit: In die illa erit fons patens domus Dauid habitantibus Zach Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Fons quippe occultus est unigenitus patris inuisibilis deus. Fons uerò patens est idem deus incarnatus. Qui fons patens rectè domus Dauid dicitur: quia ex Dauid genere noster ad nos redemptor processit. Hierusalem uerò uisio pacis interpretatur. Hi autem Hierusalem habitant, qui in uisione pacis intimæ mẽtem figunt. Peccator uerò & mẽstruata est uel is qui delinquit in opere, uel mens quæ labitur in praua cogitatione. Mẽstruata nãq; ista pollutio est: quia & aliena carne nõ tangit, & sua carne inquinatur. Sic itaq; sic est omnis anima, quæ etsi malũ opus nõ agit, polluta tamen cogitatione sordescit. Vnde etiam per prophetam alium sub ludææ specie de anima immundis

Heb.2 mundis desiderijs occupata dicitur: Oēs qui quæ runt eā, non deficient, in mēstruis eius inuenient eam. Maligni quippe spiritus quærentes non deficiunt, cùm inferre perditionem cupiunt, & nulla bonæ cogitationis rectitudine repelluntur. Atq; in mēstruis luis animam inueniūt, quādo in pollutis cogitationibus positam facilè ad peruersam operationem trahunt. Dicatur ergo: In die illa erit fons patens domus Dauid habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & mēstruatæ: quia apertus iam nobis est fons misericordię redēptor noster, qui in domo Dauid incarnari dignatus est: ut peccatorē lauet à peruerso opere, & mēstruatam mentem diluat ab immūda cogitatione. Patet igit fons, curramus cum lachrymis, lauemur in hoc fonte pietatis. In hoc fonte ipse quoq; Dauid lotus est, cum redijt ad lamenta pœnitentiæ post maculas grauis culpę. Ipsum quippe inuenire fon
Psal.50 tem quærebat, cum diceret: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Iesus enim Hebraicè, Latinè salutaris dicit. Et quid est quod sibi lætitiam Iesu reddi postulabat, nisi quòd hunc ante culpam contemplari consueuerat, eiusq; contemplationis gaudia in culpa perdiderat? Vnde rectè post pœnitentiā, uisionis eius
Luc.7 lætitiam sibi reddi quærebat. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene, quæ prius famosa peccatrix, postmodum lauit maculas lachry
Mat.26 mis, detersit maculas corrigendo mores. In hoc fonte misericordiæ omnibus aperto lauit Petrus,
Luc.23 quod negauerat: quia fleuit amarè. In hoc fonte misericordiæ in fine suo lotus est latro, qui semetipsum in morte reprehendens, à culpa sua ablutus est confessione ueritatis. Cur igitur pigri sumus? cur torpentes & frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos iam se lauisse cognouimus? Ergo ne in mūdatiōe nostra desperabimus, qui tot exempla misericordiæ in pignore tenemus? & cessamus ueniam quærere, atque cum lachrymis fiduciam habere, qui tantorū iam emundationem spei nostræ pignus accepimus? Quærere enim misericordiæ fontem debuimus, etiamsi clausus esset. Patet, & negligimus. Mittamus oculos fidei in mundū uniuersum, cōsideremus quanti peccatores diebus ac noctibus per lamenta in hoc fonte misericordię lauantur, quanti post tenebras ad lucem, quanti post maculas ad munditiā redeunt. Curramus cum talibus post mortis tenebras ad aquam uitæ: consideremus quantum peccauimus, quantū quotidie peccamus, atq; ut appareamus mūdi post culpas lauemus holocaustum.

Homilia XXI

ET in uestibulo portę duę mensæ hinc, & duæ mensæ inde: ut immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto. Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ quę pergit ad Aquilonē, duæ mēsæ: & ad latus alterū ante uestibulū portæ duæ mēsæ. Quatuor mēsæ hinc, & quatuor mēsę inde. Per latera portæ octo mēsæ erāt, super quas immolabāt. Quatuor aūt mēsæ ad holocaustū de lapidibus quadris extructæ, lōgitudine cubiti unius & dimidij, & latitudine cubiti unius & dimidij, & altitudine cubiti unius, super quas ponūt uasa in quibus immolatur holocaustū & uictima. Et labia earū palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum. Super mensas autem carnes oblationis.

QVid sumus de mysticis sensibus Ezechielis prophetæ locuturi, qui ipsa eius historiæ uerba uix capimus? Ecce etenim dicit: Et in uestibulo portæ duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde, ut immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto. Et ad latus exterius quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonē duæ mensæ: & ad latus alterū ante uestibulū portæ duæ mensæ. Quatuor mensæ hinc, & quatuor mensæ inde. per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant.] In quibus uidelicet uerbis magna caligo dubietatis oritur, utrum hæc de una porta qualibet, an de duabus, aut de singulis portis dicantur. Sed dum quaternæ mensæ per latera describuntur, ac postmodum in summa conclusione dicitur: Octo mensæ erant, super quas immolabant,] patet quia hoc spiritus non de singulis portis quas superius descripserat dicat: quia si portæ sex superius enarratæ quaternas mensas per latera haberent, simul oēs non octo, sed quadraginta & octo dicerētur. Rursum si hoc de una dicitur, magno obstaculo nostra intelligentia reuerberatur, quod post descriptum portæ uestibulum, ubi duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde esse narratæ sunt, adhuc ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portę quæ pertingit ad Aquilonem duæ mensæ esse memorantur: atq; subiungitur: Et ad latus alterum ante uestibulum duæ mensæ] Si enim intra uestibulum portæ binæ per latera mensæ erant, cùm subditur: Et ad latus exterius duę mensæ, atq; ad latus alterum ante uestibulum duæ mensæ, inter quas etiam porta quæ respicit uiam Aquilonis, esse memoratur: profectò patet aliud uestibulum intrinsecus, atq; aliud extrinsecus fuisse: quia & prius porta interior, & postmodum hoc in loco exterior Aquilonis porta describitur. Nam cùm tres portas superius descripsisset tres quoque alias interioris atrij esse memorauit, quarum extremam Aquilonis portam narrauerat: sed ut prædictum est, atrij interioris. Nunc ergo cùm duæ mensæ hinc in portæ uestibulo, & & duæ mensæ inde describuntur, adhuc de eadē interiori porta sermo contexitur. Quippe cū protinus subinferē: quia ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ quę pertingit ad Aquilonem, duæ mensæ: & ad latus alterum ante uestibulum portæ duæ mensæ. Porta ergo interior binas per

Universidad de Deusto
Biblioteca

latera in uestíbulo mensas habere descripta est,& porta exterior símiliter binas. Quatuor aũt hinc, & quatuor inde mensæ pariter fiunt,dum per latera singula binæ in uestibulo portæ interioris,& binę hinc et inde exterius in Aquilonis porta describunt: quæ simul oẽs octo sunt, in quibus immolatur. His itaq; de exteriori narratione discussis, ad spiritalẽ intellectũ sermo redeat:quia tanto iã nobis interioris esse largiẽte domino facilior debet, quãto nos exterioris descriptionis ignorãtia non angustat. Possũt etenim portarũ nomine,sicut superius dictũ est,sancti prędicatores intelligi,ut uestibulũ portæ sit populus. Qui dum mente humili uerba prædicationis suscipit,in eo mẽsæ ad sacrificiũ ex uirtute cõstruuntur. Rursum nihil obstat si portã accipimus hoc quod nobis per ora prædicãtium sacri eloquij intellectus aperit: ut uestibulũ portæ eiusdẽ nobis prædicationis uerba sint,quæ prius humiliter accipimus,ut pòst ad sacri eloquij intelligentiã ueniamus. Sit itaq; nobis porta interior testamentũ nouum, porta uerò exterior testamentũ uetus:quia & hoc spiritalẽ intellectum aperit,et illud rudibus adhuc mẽtibus in hístoría sacri eloquij literã custodit. Habet aũt porta interior in magna iam multitudine fideliũ populorũ duo latera:uidelicet dilectionẽ dei,& dilectionẽ proximi. Binæ aũt mensæ sunt hinc & inde: quia in dilectione dei necessariò tenẽda est fides & uita: in dilectione aũt proximi debet summopere patiẽtia & benignitas custodiri. Est enim in dilectione dei necessaria fides & uita: quia uidelicet scriptũ est, Heb.11 Sine fide impossibile est placere deo. Et rursus Iac.12 scriptũ est: Fides sine operibus mortua est. Est aũt in dilectiõe proximi nobis patiẽtia & benignitas 1.Cor.13 cõseruãda:quia de eadẽ dilectiõe scriptũ est: Charitas patiẽs est,benigna est. Patiẽs scilicet,ut illata à proximis mala æquanimiter portet. Benigna autẽ,ut sua bona proximis desiderabiliter impẽdat. Habet quoq; porta exterior,uidelicet lex,duo latera:spiritales patres & carnalẽ populũ. In quibus singulis binę mẽsæ sunt:quia habet in spiritalibus patribus doctrinã & prophetiã, habet in carnali populo circũcisionẽ & sacrificiũ. In his itaq; octo mensis immolatẽ:quia quicquid fides credit,quicquid uita in exẽplo boni operis ostẽdit, quicquid patientia humiliter tolerat, quicquid benignitas largiter ministrat, quicquid doctrina salubriter docet,quicquid prophetía imposterum præmonet,quicquid circuncisio ad mandatũ exterius ligauit,quicquid sacrificiũ ex deuotione offerentis egit, in omnipotentis dei oculis hoc esse uictimã ostendit. In lege enim etiam per carnale sacrificium quid aliud populus, nisi deuotionẽ sui cordis immolabat? Notandum uerò q̃ quatuor mẽsæ solummodo ad holocaustũ fuisse memorãtur, quas uidelicet uestíbuli portæ interioris accipimus, ut de reliquis quatuor sentiamus,quæ ad sacrificium constructæ fuerant,non ad holocaustũ. Holocaustum enim,sicut præcedẽti iam locutione professus sum,totum incensum dicitur: Et lex quidẽ deum ac proximum dilígi, diuina mãdata custodiri præcipit: ab alienarũ rerum concupiscẽtia cõpescit,non tamen omnia dimitti iubet. In testamẽto autem nouo nos ueritas contestatur, dicens: Nisi Luc.14 quis renunciauerit omnibus quæ possidet, nõ potest esse meus discipulus. Atq; iterum dicit: Qui Luc.9 uult post me uenire,abneget semetipsum. Mensę ergo interioris portæ holocaustum habent: quia in uirtutibus testamenti noui quasi per holocaustum omnia incẽdimus,quando omnibus quæ huius mũdi sunt renũciauimus. Mensæ uerò portæ exterioris sacrificium habent,sed holocaustũ non habent:quia præcepta legalia decimas offerri iubent,sed dimitti omnia non iubent. De interioris autẽ uestibuli quatuor mensis dicítur: Vt immoletur super eas holocaustũ & pro peccato & pro delicto. Hoc etenim inter peccatũ & delictũ distat, q̃ peccatum est mala facere;delictum uerò est bona derelinquere quæ summopere sunt tenenda. Vel certè peccatum in opere est,delictũ in cogitatione. Rectè ergo in interioris portę quatuor mẽsis immolatur holocaustum & pro peccato,et pro delicto:quia quicunq; potuerit hoc præsens secułum pleniter contẽnere, & derelinquens omnia, semetipsum domino holocaustũ dare, ipse iã perfectè nouit & peccata operis plangere,& peccata cogitationis, uel quòd malum fecit,uel quod debuit facere bonum, non fecit. Qui etenim totum dimisit,culpas suas in fletibus iam liberius conspicit. Cunq; eius mentem terrena cura nõ præpedit, pro opere simul & cogitatione plangendo, mentem suam omnipotenti domino quid aliud q̃ holocaustũ dedit? Neq; hoc à ratione uidetur extraneum,quod propheta cùm latus exterius diceret, & ostium portæ nominaret, addidit: Quæ pergit ad Aquilonẽ. In exteriori enim custodia literę lex data tenebatur. Ostium uerò portę est ipse historicus intellectus legis, qui ad domini timorem ducit. Quæ porta ad Aquilonẽ pergere dicitur: quia lex eadẽ sub timore mortis frigida Iudaici populi corda constrinxit. Quasi enim per calorem ille populus curreret,si pręcepta domínica ex amore seruasset. Sed quía sub timore mortis propositæ literam custodiuit, quasi in torpore frigoris remãsit. Vnde nouis populis æterna præmia amantibus, non aũt temporalia tormenta timẽtibus atq; iam calentibus dicítur: Non accepistis spiritum seruRom.8 tutis iterum in timore,sed spiritum adoptionis,in quo clamamus,abba pater, Dicatur aũt: Quatuor mensæ hinc,& quatuor mensę inde per latera portæ.] Dum enim fides & uita,doctrina & prophetia in bonorũ mentibus custoditur, porta nostra, id est,intellectus sacri eloquij, quatuor ex latere mensas habet. Cunq; in proficiẽtibus populis sancta prædicatio patiẽtiam & benignitatem seruat, quæ prius in carnalibus circuncisionem & sacrificium custodiunt, mensæ quoq; quatuor quasi ex alio latere monstrantur. Quæ simul omnes octo ad immolandum fiunt, quatuor uidelicet interiores ad holocaustũ, quatuor uerò exteriores ad sacrificium. Quia & hi qui in sancta Ecclesia fidem, uitã patientiã atq; benignitatẽ custodiũt,summis

iam

iam proculdubio uirtutibus pollent. Et hi qui in synagoga doctrinā & prophetiam, circuncisionē & sacrificium cognouerunt, alia offerendo, atq; si bimetipsis alia retinendo, deuotionis uictimā omnipotenti domino dederūt. Sed quia superius dictum est, ideo mēsas quatuor interioris uestibuli constructas, ut immoletur super eas holocaustū & pro peccato & pro delicto, unde mensæ ipsę cōstructæ sint, inferius aperitur, cùm subditur: Quatuor aūt mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris extructæ.] Quos enim hoc loco lapides quadros accipimus, nisi quoslibet sanctos quorū uita in prosperitate atq; aduersitate nouit fortiter stare? Lapis etenim quadrus æque stat, in quocūq; latere fuerit uersus. Quisquis ergo in prosperitate non extollit, in aduersitate non frangit, suasionibus ad malum nō trahitur, uituperationibus à bono opere nō reuocatur, lapis quadrus est. Et quasi ex omni latere statū habet, qui casum in qualibet permutatione nō habet. Certè cùm Iudæorū populum propheta à fide perire cognosceret, & sanctos Apostolos surgere in Ecclesia pręuideret, per quos multi sunt ex gentibus in fidei et uitę fortitudine solidati, in magna cōsolatione locutus est, di
Esa.6 cens: Lapides ceciderūt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Vidēs quippe in sancta Ecclesia Apostolos, martyres atq; doctores surgere, de lapidum casu, id est, de Iudæorum perditione, minus doluit: quia omnipotentis dei ędificium, id est, sanctam Ecclesiam de quadris lapidibus ædificari cōspexit. Mensæ ergo quatuor de quadris lapidibus construuntur: quia fides & uita, patiētia & benignitas de uita sanctorum in exemplum datę sunt sequentibus populis, ut iam uestibulum mensas habeat, id est, uirtutes uitę populus teneat, in quibus omnipotenti deo orationis sacrificium in ara sui cordis incendat. Quicquid enim boni fideles sanctæ Ecclesiæ populi uel fecerunt uel faciunt, hoc in exemplo de prædicatorum suorum uita susceperunt. Vnde enim mensas hoc uestibulum haberet, nisi quadros lapides inuenisset? Vt enim unū de quadris lapidibus breuiter ad medium deducamus, uultis fratres charissimi fidem uidere? Mihi
Phil.1 uiuere Christus est, & mori lucrum. Vultis uitam
Gala.6 cognoscere? Mihi mundus crucifixus est, & ego
1.Cor.4 mundo. Vultis patientiam audire? Vsq; in hāc horam & esurimus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionē patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obse-
2.Cor.12 cramus. Vultis benignitatē cognoscere? Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus uestris. Ac ne forsitan credamus quia eorum pro quibus impendi desiderat, debitor fuerit, mox ad eosdem discipulos subiungit, dicens: Licet plus uos diligens, minus diligar. Cùm ergo à populo fideli ad imitandas uirtutes sanctorum prædicatorum uita cognoscitur, profectò in uestibulo de quadris lapidibus mensæ construuntur. Habuit uerò & synagoga spiritales patres in doctrina atq; prophetia, ex quibus exemplū uitæ

A in uirtutibus traheret. Sed rudis eius populus magis per timorē seruiens, quàm per amorē sequēs, uitas patrum noluit imitari quas uidit: atque ideo porta exterior, quæ ad Aquilonem uergit, mēsas non habet ad holocaustum. Sed quia hæc moraliter diximus, restat adhuc ut easdem mensas per intelligētiam typicam perscrutemur. Porta etenim nostra in interiori uestibulo quatuor mensas habet: quia sancta Ecclesia ad eruditionem fidelium populorum, quatuor regentium ordines accipit, quos Paulus ex dono omnipotentis dei enume-
1.Cor.12 rat, dicens: Ipse dedit quosdam quidem Apos-
& Eph.4 tolos, quosdam autem prophetas, alios uerò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Pastores uerò & doctores unum regentium ordinem
B nominat: quia gregē dei ipse ueraciter pascit, qui docet. Habuit quoq; & porta exterior mēsas quatuor: quia uidelicet synagoga, obsequij exterioris obseruantiam per principes sacerdotum & seniores populi, per scribas atq; Pharisæos tenuit. Qui scilicet Pharisæi, etiam legis doctores uocati sunt. Siue autem exteriori, seu interiori portæ duæ mēsæ hinc sunt, & duæ inde: quia in exordijs suis sancta Ecclesia Apostolos & prophetas habuit. Prophetas autem dicimus non eos qui in ueteri populo fuerant, sed eos qui in sancta Ecclesia post Apostolos sunt exorti. Posteriori quoque tempore quod nunc est, habet Euangelistas atq; doctores.
C Quia uerò Euangelium bonum nūcium dicitur, Euangelistas utiq; appellamus, qui rudibus populis bona patriæ cœlestis annunciant. Qui uidelicet Euangelistæ atq; doctores et priori quidē tempore fuerunt, sed & nunc usq; domino largiente permanent: quia adhuc quotidie & infideles populos ad fidem trahi, & fideles quosque in bonos mores per doctores erudiri cognoscimus. Apostoli uero & prophetæ ab hoc tempore præsenti sublati sunt: atque ideo dicimus quia mensæ hæ portæ nostræ, id est sanctæ Ecclesiæ, quasi in alio latere fuerūt. Habet & porta quæ pergit ad Aquilonem, duas mēsas hinc, & duas inde: eosdē quos diximus principes sacerdotū et seniores populi in maiori authoritate regiminis: Scribas quoque & Pharisęos qui rudi illi populo minori loco prefuerunt. Sed hæ mensæ iuxta portam sunt quæ ad A-
D quilonē pergit: quia cùm quatuor isti ordines populo præessent, synagoga in persecutione redemptoris nostri sæuiens, ad torporē perfidiæ prorupit. Quę tamē mensę habuerūt sacrificiū, quod iuxta solā literā tenuerunt: unde & ad torporē frigoris lapsi sunt, quia flāma spiritus succensi nō sunt. Interiores aūt mensæ holocaustū non habēt, quia siue in cordibus Apostolorū atq; prophetarū, seu in mente Euangelistarū atq; doctorū, ignis spiritus & arsit & ardet. Qui pro eo quod omnem eorum cogitationē in bono opere assumit, flamma amoris dei quasi holocaustū simul quod inuenit incendit. Holocaustum enim offerunt, qui siue in bono opere, seu in sancta cogitatione medullitus accendunt. Mēsæ uerò hę ex quadris lapidibus factæ sunt, quia dū quotidie sacri eloquij in suis cor-

dibus uerba meditant, ad offerendũ domino ora- A
tionis holocaustũ quasi ex quadris lapidibus con
struuntur. Verba etenim scripturæ sacræ lapides
quadri sunt, qui ubique stant: quia ex nullo latere
reprehensibilia inueniuntur. Nam in omne quod
præteritum narrant, in omne quod uenturum an
nunciant, in omne quod moraliter prædicant, in
omne quod spiritaliter sonant, quasi in diuerso la
tere statum habent: quia reprehensionem non ha
bent. Corda itaq; sanctorum mensę dei sunt ad ho
locaustum ex quadris lapidibus constructæ: quia
qui dei uerba semper cogitãt, semetipsos domino
a carnali uita in cogitatione mactant. Vnde scri-
Psal.36 ptum est: Lex dei eius in corde ipsius, & non sup-
Psal.118 plantabũtur gressus eius. Et unde rursum dicit: In
corde meo abscondi eloquia tua, ut nõ peccem ti B
bi. Sed quia mensæ hæ unde sint constructæ cog-
nouimus, etiam cuius mensuræ sint audiamus. Se
quitur: Longitudinẽ unius cubiti & dimidij, &
latitudinẽ cubiti unius & dimidij, & altitudinem
cubiti unius.] Hunc locum quidam exposuit, di-
cens: Longitudinem & latitudinem habet mẽsa,
unum cubitum & dimidium, id est, per quadrum:
quæ simul iunctæ tres cubitos faciũt. Qui tres cu-
biti habent in altitudinem cubitum unum, ut my
steria trinitatis unius cubiti, hoc est diuinæ maie-
statis mensura conseruet. Qui uidelicet sensus ex-
positionis idcirco nõ potest stare, quia in illa sum-
ma trinitate quæ omnia creauit, omnia continet,
dimidium nihil est, nec ex duobus dimidijs ali-
quid unum. Neq; enim quicquàm imminutionis C
ac decisionis habet illa substantia: quæ semper in-
commutabilis manens, nec detrimentum recipit
nec augmentum. Sæpe autem diximus longitu-
dinem ad longanimitatem spei, latitudinem uerò
ad charitatis amplitudinem pertinere. Mensæ er-
go quæ ad holocaustum constructæ sunt, longitu
dine cubiti unius & dimidij metiuntur: quia san-
cti patres atq; doctores, qui se longanimiter ad se
creta spei intimæ extendunt, per hoc quod in uir-
tutibus uiuũt, quantum ad humanam quidẽ men-
suram pertinet, ualde perfecti sunt: quantum ue-
rò ad diuina mysteria, quæ plenè ab homine capi
non possunt quàm diu in hac mortali carne subsi-
stit, perfecti non sunt. In semetipsis ergo iam cubi
tum habent, in deo autem adhuc cubitum non ha D
bent: quia iam quidem in uirtutibus plenè profi-
ciũt, sed tãtum aliquid de deo adhuc ex parte cog
noscunt. Ecce iterum in mensura mensæ ad testi-
monium Paulus occurrit. Videamus an eius uita
Phil.2 cubito integro mẽsuretur. Dicit enim: Quotquot
perfecti sumus, hoc sapiamus. Videamus si in his
quæ de deo sentit, iam se ad percipienda mysteria
Phil.3 perfectè tetenderit. Ego me non arbitror compre
hendisse. Qui rursus ait: Ex parte cognoscimus,
& ex parte prophetamus. Cùm autem uenerit
quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte
est. Qui iterum dicit: Nunc cognosco ex parte,
tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Si
ergo perfectus est, & ex parte cognoscit, cubitum
habet quantum ad se, sed tamen dimidium super

se. Tendantur ergo in longanimitate spei corda A
sanctorum, tendantur in perfectione quam ha-
bent, cubito uno. Sed quia adhuc plenè uidere nõ
possunt ubi spei oculum mittunt, hoc quod super
unum cubitum habent, in dimidio cubito recida-
tur, quatenus in hac uita semper se imperfectos a-
spiciant, & ardentius ad perfectionem currant.
Habent quoque mensæ latitudinem cubiti unius
& dimidij: quia sanctorum corda in charitatis am
plitudine dilatata, iuxta proximum quem diligũt
et uident, habent cubitum. Possunt enim perfectè
diligere, quos perfectè ualent iuxta aliquid scire.
Omnipotentem uerò deum medullitus diligunt,
medullitus sequuntur, sed tamen tantum diligere
non possunt quantum debent: quia adhuc non ua
lent uidere quem diligunt, & mensura amoris mi B
nor est, ubi adhuc mensura minor est cognitionis.
Super unum ergo cubitum habent & dimidium:
quia hoc eis iam in amore integrum est, quod ual
de minus est in charitate cum proximo, atque il-
lud quod eis ualde maius est adhuc in amore dei
quem non uident, integrum non est. De hoc amo
re qui hic incipitur, ut ex uisione domini in æter-
na patria perficiatur, rectè Esaias loquitur, dicẽs: Esa.
Viuit dominus cuius ignis est in Sion, & cami-
nus eius in Hierusalem. Plus est autem caminum
esse quàm ignem: quia esse ignis & paruus potest,
in camino autem uastior flamma succenditur. Si-
on uerò speculatio, Hierusalem uisio pacis dici-
tur: Pacem uerò nostram hic interim speculamur,
ut illic postmodum plenè uideamus. Ex amore er C
go domini in Sion ignis, in Hierusalem caminus:
quia hic amoris eius flammis aliquatenus arde-
mus, ubi de illo aliquid cõtemplamur. Sed ibi ple
nè ardebimus, ubi illum plenè uidebimus quem
amamus. Altitudo uerò mensarum est cubiti u-
nius. Quæ est enim altitudo sanctorum, nisi fi-
des inuisibilium? Per fidem enim creditur quod
non uidetur, atque ideo per hanc iustorum men-
sa ad altitudinem ducitur, ut cuncta uisibilia despi
ciat in terra, & ea quæ audit inuisibilia sequatur in
cœlo. Sed unum cubitum habet altitudo mensæ:
quia unitas est fidei in corde omnium sanctorum.
Vnum deum esse trinitatem & patres testamen-
ti ueteris, & prædicatores professi sunt testamen-
ti noui. Altitudo itaque mensarum nil uno cu- D
bito amplius, nil minus habet: quia in magna sibi
unitate concordat omnium fides patrum. Sed hi
qui iam in longanimitatem spei summis uirtuti-
bus proficientes, unum & dimidium cubitum ha-
bent, atq; in latitudine charitatis uno ac dimidio
cubito metiuntur, in altitudinem uerò fidei uno
cubito excrescunt, magni sunt, & summa admira
tione uenerandi. Debent ergo paruulorum ani-
mas in sinu suæ conuersationis suscipere, atque
eas in conspectu domini uelut quoddam holo-
caustum ac sacrificium offerre. Vnde apertè se-
quitur: Super quas ponunt uasa in quibus im-
molatur holocaustum & uictima.] Quid enim
sunt animæ fidelium, nisi uasa sancta, quæ uerba
pietatis capiunt, ut ex eorum mentibus holocau-

stum

stum uitæ atq; orationis immoletur? Hinc est enim q; Paulus cùm adhuc rudis esset in fidei uocatione: quia iam domini uerba perceperat, & cœlesti gratia plenus erat, uas appellat, cùm dicitur:
Act.9 Vas electionis mihi est. Hinc pastores atq; doctoEsa.52 res propheta admonet, dicens: Mundamini qui fertis uasa domini. Ipsi etenim quasi mensæ domini uasa portant, qui uitam fidelium erudiendo tolerat, ut quandoq; hanc domino ad holocaustum & sacrificium perducant. Sed neq; hoc negligenter intuendum est, quod in eisdem uasis holocaustum & uictima dicitur immolari. Holocaustum enim sicut & superius diximus, uictima est, non tamen uictima holocaustum: quia cùm quid ex parte offertur, & ex parte retinetur, sacrificiũ quidem est, sed holocaustum non est. Sunt uerò in multitudine magna fidelium alij, qui quæ mũdi sunt omnia relinquunt, cuncta quæ possident tribuunt, nihil sibimetipsis reseruant, ad æternã patriam medullitus anhelant, seq; ex toto corde in lachrymis mactant. Hi uidelicet uasa super mensam sunt, in quibus immolatur holocaustũ. Et sunt alij qui curam propriæ domus gerunt, de filijs cogitant, eisdem hæreditatem seruant. Qui tamẽ æterni iudicij memores, misericordiam pauperibus impendunt, alimenta ac uestimenta eis ex parte qua [illegible] sunt, in tribuunt. Hi nimirum uasa [illegible] est, non holocaustum. [illegible] cum patientia & doctrina sanctorum admonendo & sustinendo, suadendo atq; terrendo aliorum corda usq; ad hoc eruditunt, ut omnia deserant, & totos se in amore domini accendãt: aliorum uerò ad hoc usq; instruunt, ut quia omnia relinquere non ualent, uel ex parte qua prævalent, misericordes fiant, & carnis curam cum animę cura partiantur: mensæ domini de quadris lapidibus instructæ uasa portant, in quibus immolatur holocaustum & uictima: quia & perfecti, sicut dictum est, cùm omnia deserunt, totum cor in amore domini accendunt, & imperfecti sacrificiũ offerunt, quod ex parte deuouerunt. Sequitur: Et labia eorum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum.] Quid est hoc quod mensarum labia palmo metiuntur, nisi quod in palmo manus tenditur, & sancti patres atq; doctores ea prædicãt, in quibus auditorum opera tenduntur? Quasi enim manum extendimus, cùm opera nostra dilatamus. Loquatur ergo unusquisq; doctor, cor audientis exerceat, ocioforum torporem excutiat. Quos dum ad bona opera tetẽderit, palmum se habere in labijs ostendit. Pensandum quoq; quia in palmo digitus maior ac minimus tenditur. Quid uerò in maiori ac minimo digito, nisi magna & extrema actio designatur? Palmum ergo mensæ in labijs habeant, quatenus in doctorum suorum prædicatione auditor euigilet, & sic ex eorum admonitione magna opera faciat, ut agere & minima non omittat. Sic minimis intentus sit, ut piger in agendis maioribus non sit. Vnde per Euangelium ueritas
Mat.23 dicit: Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia decimatis mentam & anetum & cyminum,

A & relinquitis quæ grauiora sunt legis: iudicium & misericordiam & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Per iudicium quippe & misericordiam & fidem, maior digitus operationis ostẽditur. Per mentam uerò & anetum & cyminum, digitus proculdubio minimus figuratur. Hæc ergo oportuit facere, & illa non omittere: quia si opus nostrum palmo metiri uolumus, sic necesse est ut tendatur minimus, quatenus maior digitus non attrahatur. Bene autem cùm mensarum labia metiuntur, & mensura palmi dicitur, additur unius: ut ex doctorum prædicatione sicut unitas tenetur in fide, ita quoq; unitas mentium seruetur in opere: ne per opus bonum quod alter agit, alter ad discordię malum prorumpat. Ita etenim bona facere opera debemus, ut per hæc quoq; cum
B his cum quibus uiuimus unanimitatem rectè ut possumus conseruemus: id est, nõ deserẽdo quod agimus, sed præueniendo bonis persuasionibus malum discordiæ quod timemus. Sic in [illegible] discordibus unitatem palmi custodiens. P[illegible]quendam lapsum am generari prohibeha[illegible] [illegible]um iam uelle recipere Co- 2.Cor.2
atq; ab Eccle[illegible]set, dicens: Si cui aliquid donastis, & [illegible]rinthijs
C Nã et ego si quid donaui, propter uos in persona Christi, ut nõ circunueniamur à satana. Qui uidelicet solet de bonis mala generare, & hoc quod per charitatẽ agitur, ad discordiã trahit. Vnde & mox de ipso subiecit, dicens: Non enim ignoramus cogitationes eius. Doctor autem qui per bona quę prędicat, in suis auditoribus rectam operationem format, si mentes operantium ad unanimitatem non ligat, in labijs palmum habet, sed eam quæ dicta est, palmi unitatem non habet. Pensandum uerò est valde quod dicitur: quia earundem mensarum labia interius sunt reflexa. Tunc enim mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando doctores ad conscientiam reuocant tacita cogitatione quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur si faciunt quod loquũtur. Rectè autem cùm reflexa intrinsecus mensarum labia dicuntur, additur quoq;, per circuitum: ut non in una qualibet se parte considerent, atque ex alia semetipsos perpendere prætermittant, sed
D ubicq; semetipsos inspiciant, & in quantum præualent studeant singula opere implere quæ docent, ne si prædicantes facere bona dissimulant, sui uastatores sint, cultores alieni. O doctor, ecce iam mensa es, iam uasa portas, iam in uasis fidelibus pondus holocausti & uictimæ sustines, sed intus reflecte labium, id est, ad cor reuoca sermonem. Audi quod dicis, operare quod prædicas. Si enim negligis implere quod doces, alijs messem seminas, & ipse à frumenti participatione ieiunas. Vnde scriptum est: Cuius messem famelicus comeIob 6 dit. Messem quippe doctoris qui bona loquitur sed non operatur, famelicus comedit: quia is qui panem iustitiæ esurit, operatur mandata quæ audit, & ipse fructum non habet qui seminando laborauit. Hinc Salomon ait: Abscondit piger ma- Prou.
num suam sub axella, nec ad os suũ porriget eam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nemo ita piger est, ut ad os manum comedendo reducere laborem putet. Sed piger nec ad os manum suã porrigit, qui nec hoc uult operari quod dicit. Hinc iterum de bene docentibus & malè operantibus dicitur: Filij Effraim intendentes arcum, & mittentes sagittas, conuersi sunt in die belli. Intendunt arcum, atq; sagittas mittunt, qui scripturæ sacræ sententias proponunt, & uerbis rectis auditorum uitia feriunt. Sed conuertuntur in die belli: quia post semetipsos redeunt in tentatione uitiorum, & pectus opponere non uolunt: quia in tentationum certamine nõ resistunt. Hinc iterum dicitur: Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello. Gladius quippe doctoris, est sermo dei. Vnde per Paulum dicitur: Et gladium spiritus, quod est uerbum dei. Omnipotens itaque deus cùm doctorem respicit nolle operari quæ dicit, in die belli adiutorij eius gladium auertit: quia in tentationum certamine non quæ dedit ei esse in adiutorium doctrinæ uerba lo non adiuuat: quia [illegible] gladium, sed hunc in bello non adiuuat: quia [illegible] uersitas tentationis eruperit, uerbi obliuiscitur quod [illegible]bat. Ecce enim de patiẽtia forsitan sermo doctori[illegible] strinæ suæ magisterio docere cogitur qualiter contra illata damna, contra auditas contumelias patientia seruetur. Sed cùm ipse uel damno uel contumelia fuerit lacessitus, oblitus quod docuerit, uel in læsione proximi, uel in reddendo grauius contumeliam excedit. Inter hæc itaque cogitet: quia mensa dei est, labium intus reflectat, seruet quod prædicat. Scriptum quippe est: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Et rursum scriptum est: Doctrina uiri per patientiam noscitur. Si itaq; index doctrinæ patientia est, tanto quisq; doctus ostẽditur, quanto patiens fuerit. Hinc est enim quod bonus ille discipulus qui magistrum tolli in aera uidebat, per magnæ charitatis affectum clamabat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Quid est fratres charissimi q; Helias currus Israel & auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi et per patientiã sustinet, et sacri eloquij uerbis docet, & currus dicit̃ et auriga. Currus, quia tolerando portat: auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala sustinet: auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet. Fortasse autem contra uanam gloriam sermo doctori est, & mirè insinuans qualiter debeat declinari, eisdem ipsis sermonibus uanam gloriam quærit, quibus contra eandem uanam gloriam disputat. Si igitur hoc appetit adipisci quod prohibet, mensa intus labium non reflectit. Tunc autem mensa domini ex quadris lapidibus extructa habebit intus labium reflexũ, si studuerit audire quod docet. Scriptum quippe est: Ne quid per contentionem, neq; per inanem gloriam. Atq; eisdem rursus egregius prędicator dicit: Nec quærentes ab hominibus gloriam, neq; à uobis neque ab alijs. De prædicationis etenim labore laudem transitoriam quęrere, quid est aliud quàm rem magnam uili precio uenunda re? Sed est in doctrinæ uerbis graue periculum: quia sæpe sermonem docentium fauores audientium sequuntur: & cùm doctores ab eo quod bene innotuerint, apparere iam minores in dictis nolunt, doctrinæ uerbum quod pro acquirendis animabus auditores ex omnipotentis dei amore inchoauerunt, in hoc postmodum pro acquirendis laudibus laborant. Et qui in uerbis dei quęrebant prius lucra spiritalia, temporales postmodum fauores sequuntur. Vnde fit ut siue recta quælibet opera, seu sanctæ doctrinæ uerba, in omnipotentis dei iudicio pereant, cùm per hæc quisq; transitorijs fauoribus anhelat. Hinc etenim per prophetam Iudææ dicitur, quod in seipsam incauta mens inuenit, si saltem post culpam suas cautè cogitationes rimetur. Oliuam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam uocauit dominus nomen tuum. Ad uocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt frureta eius. Oliuam quippe uberem & pulchram, fructiferam & speciosam dominus uocat, cuius uel efficaciam in operatione, uel sancta studia in uerbis scientiæ approbat. Sed ad uocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea: quia cùm laudari quis cœperit, erubescit forsitan miti- [illegible] uideri quam dicitur, & studet esse quod dicatis. Vnde [illegible] grandis loquelæ est, fauor adulantis. Vnde scriptum [illegible] Qui benedicit proximo suo uoce grandi de nocte consurgens, similis est maledicenti. Ad uocem ergo loquelæ grandis exarsit ignis in ea: quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia oliuæ fruteta comburuntur: quia ante omnipotẽtis dei oculos uel quæ bene gesta, uel quæ scienter sunt dicta depereunt, cùm iam non amore domini, sed intentione transitoriæ laudis fiũt. Sic enim cogitationi bonæ cogitatio sinistra subiungitur, ut uix ipse qui easdem cogitationes generat animus cognoscat. Vnde prædicator egregius cùm loquens subtiliter diceret: Viuus est sermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingẽs usq; ad diuisionem animæ ac spiritus: ilico subiunxit, Compagum quoq; et medullarum: & discretor cogitationum & intentionum cordis. Distinguit enim dei sermo compages & medullas: quia discernit cogitationes & intentiones cordis. Per compages quoq; ossibus ossa iunguntur. Et sæpe dum quid recta cogitatione agimus, sed subitò in laudis amore declinamus, atq; hoc pro laude facimus quod prius facere pro ueritate cœperamus: quia cogitationes cogitationibus adiunguntur, quasi quædam compages fiunt. Sed habent ossa quæ in compage iuncta sunt, etiam medullas. Quod prædicator sanctus apertius intulit, cùm subiunxit: Discretor cogitationum & intentionum cordis. Compages enim nostræ, cogitationes sunt: medullæ autem intentiones. Et sæpe aliud cogitamus, atq; aliud est quod per cogitationem intendimus. Nam si quis proposito nummorum præmio, pupilli uel uiduæ causam defendat, & fortasse Ecclesiam ingrediens, in suis precibus deo dicat: Tu uides quia causam pupilli

&

& uiduæ defendo? iſte proculdubio quod cogitat A
ſcit, ſed quò intẽdat eius cogitatio ignorat. Aliud
quippe cogitat, atq; aliò intẽdit. Non enim defen
ſionem pupilli uel uiduæ, ſed mercedem nummo
rum quærit. Nam tollere temporale præmium, &
non pupillum ac uiduam defendere intendit. Ser-
mo itaq; dei diſcretor eſt cogitationum & inten-
tionum cordis: quia non aſpicit quid apud temet-
ipſum cogitas, ſed per medullam compagis, id eſt,
per intentionem cogitationis quæ accipere requi
ris. Reſtat ergo ut doctor cùm loquitur, quaſi men-
ſa dei ſemper intus labiũ reflectat, ne aut mala in-
tentione loqui inchoet, aut cùm bene cœperit, ſe-
ductus fauoribus, in appetitũ alium declinet. For-
taſſe autem de cuſtodia diſciplinæ ſermo doctori
eſt. Et ſæpe etiam contingit ut diſciplinæ regulam B
quam ſcit dicere, neſciat tenere: qui aut nimio ze-
lo motus, minus ſe per manſuetudinẽ temperat,
aut nimia manſuetudine placidus, minus ſe cõtra
uitia in zeli ſtimulo inflammat. Magna enim con
ſideratione debemus penſare quod ſcriptum eſt:
3.Reg.2 Quia in uaſis templi inter coronas & plectas, bo-
ues & leones & Cherubin exculpta ſunt, & ſubter
boues & leones lora dependentia. Coronæ quip-
pe ſignum uictoriæ, plectæ autem cõcordiæ una-
nimitatẽ ſignant. Cherubin uero plenitudo ſcien
tiæ dicuntur. Sacerdotes enim atq; doctores inter
coronas & plectas, id eſt, inter fortitudinem bo-
ni operis quo ad uictoriam currunt, & charitatis
concordiam quo à ſe uiciſsim non diſcrepant, per
boues & leones atque Cherubin deſignati ſunt: C
quia in plenitudine ſcientiæ quam habent, neceſ-
ſe eſt ut & boum manſuetudinem teneant, & fer-
uorem leonum: quatenus in diſciplinã quam prę-
dicant, & ex ſancto zelo accenſi ſint, & ex pater-
na dulcedine tranquilli. Quibus ſubter ſe lora de-
pendeant, ut diſciplinæ ſuæ retinacula quibus ipſi
ligati ſunt, etiam ſubiectis ſuis ſollicitè impẽdant.
Super eos enim lora dependere, eſt cuſtodiæ uin-
cula ſubditis tenere. Quæ tunc recte ſeruant, cùm
nec boum manſuetudo in zeli feruore amittitur,
nec leonum terror in manſuetudine declinatur.
Tanta quippe debet eſſe diſcretio ut nec diſcipli-
na nimia, nec ipſa quoq; miſericordia ſit remiſſa:
ne ſi inordinatè culpa dimittitur, is qui eſt culpabi
lis, in reatu grauius adſtringatur. Et rurſus, ſi culpa D
immoderate retinetur, tanto qui corrigitur dete-
rior fiat, quanto erga ſe nil ex benignitatis gratia
agi conſiderat. Exhibenda itaq; prauis eſt aſperi-
tas in oſtenſione, charitas in mente: ut & dura o-
ſtenſio delinquentẽ coerceat, & charitatis cuſto-
dia mercedem manſuetudinis non omittat. Ecce
dum loquor, Ioſeph animũ pulſat, ut ad oſtenden
Gen.37 da quæ dico, ipſe teſtis ueniat. Certe ſomniũ quod
de profectu ſuo uiderat, fratribus narrãs, per hoc
quod innocenter retulit, malitiæ contra ſe ſtimu-
los excitauit. Ab eiſdem fratribus, Hiſmaelitis eſt
uenditus, in Ægyptum ductus, mira omnipoten-
tis domini diſpenſatione eidem Ægypto præla-
Gen.39 tus eſt. Cumq; in terra Chanaan fames exurgeret,
fratres ad Ægyptũ uenerunt, Ioſeph prælatũ Æ-

gypto repererunt, eumq; ſubmiſſis ad terram cer-
uicibus adorauerunt. Et quia mutari dei cõſilium
non ualet, quem ideo uendiderant ne adorarent,
adorauerunt quia uendiderunt. Tunc ipſe uir dei Gen.42
ſpiritu diſcretionis plenus, cognouit fratres, non
cognitus. Sed memor culpæ, & remiſſor iniuriæ,
mala fratrum nec reddere ſtuduit, nec ſine purga-
tione laxare. Nam ſuſpecta uoce protinus dixit:
Exploratores eſtis uos, ut uideatis infirmiora ter-
ræ, ueniſtis, iam nunc experimentũ ueſtri capiam.
Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc. O
iaculum in corde. Peregrini uenerant, famis peri-
culum fugiebant, frumenta quæ quærebant non
acceperant, & feriri ſe inſuper factatione criminis
uidebant. Inter hæc ducuntur ad carcerẽ, & poſt
triduũ adhuc in eadẽ aſperitate terrentur. Iam re-
ditur ad cor, iam culpæ memoria pulſat animũ, at-
que inter ſe inuicem loquuntur. Meritò hæc pati- Gen.43
mur: quia peccauimus in fratrẽ noſtrum, uidentes
anguſtiam animæ illius, cùm deprecaretur nos, &
non audiuimus: idcirco uenit ſuper nos iſta tribu-
latio. In his autem cor Ioſeph amore uincitur, ſe-
ceſſum petit, ſoluit flẽdo quod pietati debuit. Se-
uerus ad fratres reuertitur: ut cruciatas eorum ani
mas à culpa liberaret. Poſt hæc unus religatur in
uinculis, dimittuntur cæteri cum frumentis, ut u-
nus frater ueniat, quẽ minimũ habere ſe dixerant.
Venit poſtmodũ frater. Vincebat mentẽ pietas,
cùm frater innocens uideretur, ſed permanebat in
oſtenſione aſperitas, ut fratres noxñ purgarentur.
Frumenta dantur, cyphus in ſacco iunioris fratris Gen.44
abſconditur, furti poſt eos queſtio mouetur. Mit-
titur ut reducãtur addicti, in ſeruitutẽ decernitur
apud quem cyphus fuiſſet inuentus. In ſacco ulti-
mi fratris inuenitur. Tũc Beniamin reducitur, af-
flicti omnes fratres ſequuntur. O tormenta miſe-
ricordiæ. Cruciat & amat. Reuerſi igitur, in terra
cum lachrymis proſtrati, ueniã poſtulant. Memo-
res enim quid de illo patri promiſerant, mœrore
intolerabili tabeſcebant. Tunc ſe ultra cohibere
non ualens pietas clauſa prorupit ad medium, &
excuſsit charitatis lachrymas de uultu ſeueritatis.
Deterſa eſt ira quæ apparebat & non erat, oſtenſa
miſericordia quæ erat & nõ apparebat. Sic uir ſan
ctus facinus fratrũ & dimiſit, & uindicauit. Sic in
uigore clementiã tenuit, ut delinquentibus fratri
bus nec ſine ultione pius exiſteret, nec ſine pieta-
te diſtrictus. Ecce hoc eſt magiſterium diſcipline,
ut culpis & diſcretè nouerit parcere, & piè reſeca-
re. Qui autem diſcretionis ſpiritũ non habent, aut
ſic dimittunt peccata ut non corrigant, aut ſic qua
ſi corrigendo feriunt ut non dimittant. Doctor er
go cui de diſciplinæ moderamine loqui neceſſe
eſt, menſam dei eſſe ſe ſciat, atq; intus labrum re-
flectat, ut quod docendo loquitur, hoc ſub diſcre-
tionis ſpiritu uigilanter operetur. Nec ſi quædam
ſibi deeſſe conſiderat, oportet ut ab eorum prædi-
catione cõticeſcat. Locus quippe eius exigit ut lo
quatẽ. Verbis ergo ſuis ſemetipſum conueniat: etſi
non ideo loquitẽ quia operatur, ideo operetẽ quia
loqui compellitur. Vbi itaq; ſe cõſpicit opere im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plere quod dicit, ibi auditores admoneat, eorũq; animos ad studium bonæ operationis accingat. Vbi autem necdum se uidet impleſſe quod loquitur, ad bona de quibus auditores admonet, se quoque pariter inflammet: ut ipſe etiam ſimul diſcat in opere, quod per eum loquitur ueritas in prædicatione. Sæpe enim quod uiuendo neſcimus, cõpulſi loqui doctrinam, loquẽdo diſcimus: ut dum de cogitationis noſtræ pigritia reatus naſcitur in mente, eandem mentem compunctio ſubito obortа tranſuerberet, & ſua uoce excitata eurgiſet in opere, quæ prius torpebat in ocio ſine uoce. Ecce autem cùm menſæ labium palmo tenditur, id eſt, cùm per doctoris os contra uitia diſputatur, atq; ad bona opera cor auditorum accenditur, multi qui eius uerba audiunt, quanta uel qualia mala perpetrauerint, recognoſcunt, atq; ad eum confitentes ueniunt, eumq; pro peccatis ſuis interceſſorem fieri cùm fletibus petunt, ut ipſe orando deleat culpas, quas prædicando manifeſtat. Vnde & ſubditur: Super menſas autem carnes oblationis.] Doctores etenim ſancti cùm pro compunctis peccatoribus atq; confitentibus omnipotenti domino preces fundunt, per hoc quod ad ueniã pro carnali eorum uita poſtulant, menſæ domini carnes oblationis portãt. Vt ergo ſint pro quibus conuerſis & flentibus rogent, oportet ut eiſdem prius in peccato poſitis prædicent: & cùm iam cœperint peccata relinquere, atq; ad innocentiam feſtinare, neceſſe eſt ut erga eos in ore doctoris incrementa prædicationis excreſcãt, & quibuſdam doctrinæ ſuæ uerbo tanto uehementius inſiſtat, quanto eos grauius cecidiſſe conſiderat: uidelicet ſciens quòd ipſe tanto mercedem magnę remunerationis accipiat, quanto uerbis ſuis alios de profundioribus peccatis leuat. Libet inter hæc ſancti Euãgelij ad medium uerba deducere, cuius ſacra hiſtoria per hoc quod factum eſt miraculum narrat, mira quæ quotidie aguntur denunciat. Nam confeſſi atq; ieiuni ad dominum populi cùm ue-
Matt.8 niſſent, diſcipulis dominus dixit: Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quid manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domos ſuas, deficiẽt in uia, quidam enim ex eis de longè uenerunt. Turba triduo dominum ſuſtinet, quando multitudo fidelium peccata quę perpetrauit, per pœnitẽtiam declinans, ad deum ſe in opere, locutione atque in cogitatione conuertit. Quos dimittere ieiunos in domũ ſuam dominus noluit, ne deficiant in uia: quia uidelicet conuerſi peccatores in præſentis uitæ uia deficiunt, ſi in ſua conſcientia ſine doctrinæ ſanctę pabulo dimittantur. Ne ergo laſſemur in huius peregrinationis itinere, paſcendi ſumus ſacra admonitione. Valde autem penſanda eſt pia ſententia quę proceſſit ex
Matt.8 ore ueritatis, qua dicitur: Quidam enim ex eis de longè uenerunt. Eſt autem qui nihil fraudis & nihil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis dei ſeruitium feſtinauit. Iſte de longinquo non uenit: quia per incorruptionem & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitijs inquinatur, ſolo autem coniugio expertus, ad miniſterium ſpirituale conuerſus eſt. Nec iſte uenit de longinquo: quia uſus cõiunctione cõceſſa, per illicita non errauit. Alij uero poſt carnis flagitia, alij poſt falſa teſtimonia, alij poſt facta furta, alij poſt illatas uiolentias, alij poſt perpetrata homicidia ad pœnitentiã redeunt, atq; ad omnipotentis dei ſeruitium conuertuntur, hi uidelicet ad dominum de longinquo ueniunt. Quanto etenim quiſq; plus in prauo opere errauit, tanto ab omnipotente domino longius receſſit. Nam & prodigus filius qui patrem deſeruit, abijt in regionem longinquam, in qua porcos pauit: quia uitia nutriuit. Dentur igitur alimenta eis etiã qui de longinquo ueniunt: quia conuerſis peccatoribus doctrinæ ſanctæ cibi præbendi ſunt, ut in deum uires reparent, quas in flagitijs amiſerunt. Qui ſæpe à doctoribus tanto neceſſe eſt ut largioribus cibis doctrinæ ſatientur, quanto felli maioribus uitijs uenerunt. Et cùm iam confiteri cœperint mala quæ cõmiſerunt, atq; cõfitendo relinquere & fletibus punire, neceſſe eſt ut doctores ſancti pro eorum peccatis ſollicitè exorent, quatenus menſæ domini carnes oblationis portẽt. Quod quoties agunt, & in hoc pro alienis peccatis interueniunt, ſua ante dei oculos amplius detergunt: quia ea ipſa charitate ſe iuſtificãt, qua mira pietate pro alienis iniquitatibus ſe in lamẽtis mactant. Nec laborioſum debet eſſe doctori pro conuerſis peccatoribus lachrymas fundere, quando & ipſe qui omnia creauit, homo factus, pro noſtris iniquitatibus in cruce ſanguinẽ fudit. Qui uiuit & regnat cũ patre in unitate ſpũs ſancti deus in ſecula ſeculorũ, Amen.

Homilia xxij. & ultima.

T extra portã interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ reſpicientis ad Aquilonẽ, & facies eorũ cõtra uiam Auſtralem unã ex latere portę Orientalis, quę reſpiciebat ad uiam Aquilonis. Et dixit ad me: Hoc gazophylaciũ quod reſpicit uiam Meridianam, ſacerdotum eſt qui excubant in cuſtodijs templi. Porrò gazophylacium quod reſpicit ad uiam Aquilonis, ſacerdotum erit qui excubant ad miniſterium altaris. Iſti ſunt filij Sadoch, qui accedunt de filijs Leui ad dominum, ut miniſtrent ei. Et menſus eſt atriũ longitudine centũ cubitorũ, & latitudine cẽtũ cubitorũ per quadrũ, & altare ante faciẽ templi. Et introduxit me in ueſtibulũ tẽpli, & mẽſus eſt ueſtibulum quinq; cubitis hinc, & quinq; cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorũ hinc, & trium cubitorum inde, longitudinem

autem

autem uestibuli uiginti cubitorum, & latitudinem undecim cubitorum. Et octo gradibus ascendebatur ad eam, & columnæ erant in frontibus una hinc, & altera inde.

Finis textus Ezechielis.

SAcri eloquij mysticos sensus, ppheta per aspirationem sancti spiritus prudenter intelligẽs,
Psal.118 dicit: Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Qui rursus ait: Reuela oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua. Qui enim nec dum occulta de apertis intelligit, oculos uelatos habet. Qui uero iam intelligit, reuelatos. Et mirabilia de lege dei considerat, qui spiritaliter literæ uerba discutiens, quæ interius magnitudo lateat B
pensat. An non est mirabile quando aliud auribus sonat, atq; aliud exit ad intelligentiam quod non sonabat? Cui ergo uerba sacri eloquij, nisi lapidi similia dixerim, in quo ignis latet? Qui manu quidem frigidus tenetur, sed percussus ferro, per scintillas micat, atq; hoc emittit ignẽ qui pòst ardeat, quod prius manus frigidum tenebat. Sic etenim, sic uerba sunt sacri eloquij, quæ quidem per narrationem literæ frigida tenentur, sed si quis hęc aspirante domino intẽto intellectu pulsauerit, de mysticis eius sensibus ignem producit, ut in eius uerbis pòst animus spiritaliter ardeat, quæ prius per literã ipse quoq; frigidus audiebat. Ecce etenim propheta dicit: Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat C
in latere portæ respicientis ad Aquilonem, & facies eorum contra uiam Australem unam, ex latere portæ Oriẽtalis quæ respiciebat ad uiam Aquilonis.] In his itaq; uerbis literæ, ad amorem dei cuius animus inferuescat, quin potius quis non ex ipsa eorum lectione tepefiat? Si autem latens in litera spiritalis medulla discutitur, per hoc scintillæ intellectus exeunt, & incendunt quod prius cordis auribus frigidum sonabat. Nobis tamen ut se aspirãte domino interior intellectus aperiat, ipsa prius narratio iuxta literã patefiat. Ait enim quia porta erat interior, atque extra hanc atrium quod appellatur interius, ac deinde aliæ, id est, Aquilonis, Austri atque Orientis portæ describuntur, ut ipsum atrium quod esse extra portam interiorem D
dixerat, à portis exterioribus esse interius ostendat. Atriũ ergo hoc & foris & intus est. Foris, quia extra portam interiorem: intus autem, quia intra portas exteriores. Gazophylacia quoq; cantorũ esse in hoc eodẽ atrio narrantur, quæ à latere portæ posita dicuntur respicientis ad Aquilonẽ. Sed ipsa eadem gazophylacia ad Australem uiam respiciunt. Et subditur: Ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad uiam Aquilonis.] In quibus uerbis aperte intelligitur quia cantorum gazophylacia inter latus portæ respicientis ad Aquilonem, & latus portæ Orientalis fuerant posita: quæ porta uidelicet respiciebat ad uiam Aquilonis. Facies itaque gazophylaciorum contra uiam Australem, sed positio inter portam erat Orien- A
tis & Aquilonis. Porta ergo interior habebat ex latere portam Aquilonis, ex alio quoq; latere portam Australem. In fronte uero uestibuli Orientalis porta surrexerat, atq; sic atrium quod erat extra portam interiorẽ, ut hoc quoq; esset interius, portæ exterius ambiebant. Hæc de uerbis literæ sub breuitate transcurrimus, ut in eis sensus mysticos non breuiter exquiramus. In parte autem superiori tres portæ descriptæ sunt, id est, Orientis, Aquilonis & Austri: moxq; interioris atrij tres aliæ narratæ, id est, Austri, Orientis, & Aquilonis: ac deinde porta atrij interioris dicta est, in qua mẽsæ de quadris lapidibus extructæ memorantur: & porta quæ respiciebat ad Aquilonem, in qua mensæ essent ad sacrificium, non ad holocaustum. Vnde in interiori diximus significari Ecclesiam, in exteriori synagogam. Sed his expletis, rursum propheta incipit interiorem portam, atq; tres alias, id est, Aquilonis, Austri, & Orientis describere: & in earum atrio interiori quod erat extra portam interiorem, esse gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia perhibet. In quibus uerbis quia de sanctæ Ecclesiæ institutione narrare alia ab eis quæ superius dixerat cœpit, patet quòd interioris portæ intellectum mutauit. Si enim sub uno intellectu omnia diceret, nouo ordine ipsa atq; alio nõ replicaret. Nam quomodo possumus extra portam interiorẽ atrium, gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia dicere, si per eandem prophetiã interior hoc loco sancta Ecclesia designatur? Cùm enim cũcta hæc intra ipsam sint, quomodò extra portam interiorem sunt, si extra Ecclesiã non sunt? Intelligi ergo porta interior potest ea de qua iam longè superius locuti sumus, quæ contra portam Aquilonis & Orientalem dicitur posita, per quam figurari diximus aditum qui nobis ad interiora gaudia patriæ cœlestis aperitur. ut hìc quoq; per portas quæ circa uestibulum narrantur, sancta Ecclesia: per portam uero interiorẽ, cœlestis regni aditus figurentur. Sed ne quis me uerba sancti spiritus æstimet ad intellectum meum uiolenter inflectere, & dicat quia de porta interiori significationem sanctæ Ecclesiæ quam semel dixi, mutare non debui, infulgente dei omnipotentis gratia quæ cœpimus ipsa teneamus, ut & porta interior signet Ecclesiam, quæ nos ad interiora gaudia perducet, & gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia sint in atrio quod est extra portam, & tamẽ extra Ecclesiam non sint. Si enim subtili inuestigatione perquirimus, nil obstat intelligi ut interiorem portam sicut dictũ est, sanctam Ecclesiam sentiamus. De qua nunc dicitur: Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori. Duo sunt etenim quæ dicuntur: Porta interior, atq; extra hanc atrium interius, quatenus hoc ipsum atrium & exterius sit & interius. A porta exterius, interius aũt, sicut prędiximus, portis quas narrando subiunxit. Sancta enim Ecclesia duas uitas habet. Vnã quam tẽporaliter ducit, aliam quam in æternũ recipit. Vnam qua laborat

in terra

Universidad de Deusto
Biblioteca

in terra,aliam qua remuneratur in cœlo. Vnã qua mercedes colligit, aliam uero in qua iam de receptis mercedibus gaudet, atq; in utraq; uita offert sacrificium. Hic uidelicet sacrificium cõpunctionis,& illic sacrificium laudis. De hoc sacrificio dicitur : Sacrificium deo spiritus contribulatus. De
Psal.50 illo autem scriptum est: Tunc acceptabis sacrificiũ iustitiæ,oblationes & holocausta. De quo rur
Psal.29 sus ait: Vt cantem tibi gloria mea,& non compungar. In utroq; autem sacrificio carnes offeruntur: quia hic oblatio carnis est maceratio corporis,ibi oblatio carnis est in laude dei gloria resurrectionis. Tũc quippe illic quasi in holocaustũ offeretur caro:quando in æterna incorruptione permutata, nil contradictionis,nil mortalitatis habuerit:quia tota simul amoris eius ignibus accensa, in laude B sine fine permanebit. Porta ergo hæc interior,id est, sancta Ecclesia habeat interiora sua, illam uidelicet uitã quæ adhuc oculis nostris occulta est. Habeat extra eam atrium exterius,id est,uitã prę-sentem,in qua omne bonũ agitur, ut ad bonũ sine fine perueniatur. Sint ergo in interiori atrio,quod tamen extra portam est,gazophylacia cantorum: quia electi quiq; atq; perfecti qui adhuc in carne mortali subsistunt, & intra sinum sunt sanctæ Ecclesiæ,& adhuc extra secreta gaudia interioris uitæ. Sint gazophylacia cantorum interius & exterius:quia corda sanctorum quæ omnipotenti deo desiderium suum per magni ardoris amorem cantant, & iam intus sunt, & adhuc intus non sunt: quia in sanctæ Ecclesiæ sinu posita, & iam uident C per spiritum quod intus fortiter ament, & tamen adhuc non uident perfecte quod amant. Sint itaq; in interiori atrio gazophylacia,sed extra portam, ut iam & intus sint per desiderium,& adhuc intus non sint per plenariũ effectum. Quid sunt autem gazophylacia cantorũ, nisi sancta desideria amantium ? Qui præcepta diuina quasi quasdã diuitias custodiunt in mente,quas cantando seruant:quia mandata dei non ex timore sed ex amore perficiunt, eisq; ipsæ sacri eloquij præceptiones cantabiles fiunt, quas non ex tristitia, sed ex desiderio semper operantur. Vultis cor iusti quasi cuiusdam
Psal.118 cantoris gazophylaciũ audire ? Cantabiles mihi erant iustificationes tuę in loco incolatus mei. Iustificatiões dei dicimus præcepta diuina, quæ nos D iustos faciunt,si impleantur. Quę tunc nobis in loco incolatus nostri cantabiles fiunt, quãdo in hac peregrinatione uitæ præsentis ipsa eadem manda ta diligimus, & ex desiderio implemus. Hinc est q; idem Psalmista iterũ ex cantorũ gazophylacio
Psal.100 se esse insinuat, qui ait : Misericordiã & iudicium cantabo tibi domine. Misericordiam domini qua peccata laxantur, cantare etiam peccator debet: id est,hanc cũ gaudio dicere atq; sperare. Sed quis ita iustus est,ut eius sibi æternũ iudiciũ ante mentis oculos reuocet, & non contremiscat ? An potius uenire ad illud examẽ tanti iudicis præsumat, festinet & gaudeat ? Quisquis ille est, magnus est: quia iam misericordiam domini & iudicium cantat. Cantat quippe iudicium, ad quod intrare non A trepidat. Sit ergo mens illius gazophylacium cantorum, ut per diuitias misericordiæ quas accipit, lætus pergat ad iudicium quod iam non pertimescit. Videamus si placeat fratres charissimi, aliud quoq; gazophylaciũ cantoris. Forsitan & ipse iudicium cantat. Quid etenim dicit ? Ego enim iam 2.Tim
delibor,& tẽpus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui,cursum consummaui, fidem ser
uaui,de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã redder mihi dominus in illa die iustus iudex. Qui laborũ suorum conscius, memor certaminis quod egit,memor fidei quam seruauit, esse sibi in iudicio repositam coronam dicit,eamq; sibi in illa die reddi sperat potius quàm donari, profecto patet quia iudiciũ cantat, quod uenire desiderat. Vn
de etiam subdit: Non solũ autẽ mihi,sed & his qui 2.Tim
diligunt aduentũ eius. Nemo enim aduentũ iudicis diligit,nisi qui se habere causam in iudicio bonam nouit. Eorũ ergo corda qui aduentũ iusti iudicis diligunt, gazophylacia cantorum sunt:quia per præsumptionem gratiæ & uitæ, per uirtutes sancti desiderij cantant iusti iudiciũ, quod omnes iniusti pertimescunt. Meminit autem charitas uestra, quia superiori locutione per portam Oriẽtis fidem, per Aquilonis spem, per Austri autem charitatem diximus designari. Hæc itaq; gazophylacia inter portã Orientis & Aquilonis esse memorantur,atq; ad uiam Australem respicere:quia corda sanctorum inter fidem & spem posita, Australem uiam respiciunt, quoniam sanctæ charitatis C ignibus inardescunt. Ipsa quoq; Orientalis porta respicere dicitur ad uiam Aquilonis : quia nobis per fidem quidem omnia in baptismate peccata laxantur,sed tamẽ dum adhuc hic uiuimus, etiam post fidem sæpius ad peccata declinamus. Et quasi Oriẽtis porta uiam Aquilonis respicit,cùm uita nostra post perceptam fidem, adhuc aliquatenus in frigore culpæ torpescit. Quis enim in hac uita ualeat post fidem sine culpa uiuere, cùm Ioannes dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, 1.Ioan
ipsi nos seducimus,& ueritas in nobis nõ est ? Cuius uerbis Iacobus cõcordans ait : In multis enim Iacob
offendimus omnes. Si autem peccata præterita in fidei perceptione dimissa sunt,& adhuc post fidẽ ad peccata declinatur,quæ nobis erit præsumptio iustitiæ,quæ spes uitæ permanẽtis: nisi ut dum adhuc inter portam Oriẽtis & Aquilonis sumus, ad uiam Austri mentis oculos leuemus,quatenus ex sancta charitate feruentes calor nos amoris liberet à culpa teporis & frigoris ? Sint ergo gazophylacia inter portam Oriẽtis & Aquilonis, sed sicut dictum est, ad Australem uiam facies intendant: ut inter hoc q; nati in fide sumus,& q; post ad peccata delapsi, de spe pietatis præsumimus, exerceamus nosmetipsos in ardore charitatis,& ibi tendamus oculos cordis, ubi accendamur ignibus amoris. Potest autem per Aquilonis portam gẽtilitas, per Austri uiam Iudæa, per Orientis autẽ portam ipse dominus designari. Per Aquilonẽ quippe nõ immeritò gentilitas figuratur, quam ille in torporis frigore possidet qui dixit : Sedebo in mon- Esa.14
te testamen-

te teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Per Auſtralem quoq; portã recte Iudæa accipitur, in qua ſpiritales patres cœleſti amore ferbuerunt. Quorum
Pſal.125 unus loquitur dicens: Conuerte domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro. Quæ etſi carnalem populum habuit, in quo uelut Aquilonis frigora portauit, in ſanctis tamen ſuis doctoribus ac prophetis ad deum ac proximũ calore charitatis arſit. Orientalis autem porta non immeritò ipſum ſignat, de quo ſcriptum eſt: Ecce uir, Oriẽs
Zach.6 nomẽ eius. Et de quo Zacharias ait: Viſitauit nos
Luc.1 Oriẽs ex alto. Sint ergo gazophylacia cantorũ ex latere portæ Aquilonis: quia non ſolum in Iudæa fuerunt corda ſanctorum ſpiritaliter accenſa, ſed etiam in gentilitatis multitudine ad ſanctę fidei ſacramenta conuerſa, ardent corda ſanctorum amore cœleſtis patriæ, inhiant gaudia æterna, ſuſpirãt ad ſocietatem ſanctorũ ciuium in cœlo, ſed tamen exempla huius ardoris quem dono ſancti ſpiritus acceperunt, à ſpiritalibus patribus ſynagogæ capiunt. Vnde ipſa quoq; gazophylacia & in Aquilonis latere poſita, oculos ad uiam Auſtralem tendunt. Ecce enim ex gentibus uenimus, ſed in hoc quoq; pro ſancti ſpiritus amore calemus. Iudææ patres aſpicimus, qui nobis in ſuis dictis quotidie ſancti deſiderij exempla præbent. An non quaſi calore Meridiani feruoris ardebat, qui ęſtuabat di
Pſal.61 cens: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te deus. Sitiuit anima mea ad deum uiuum: quando ueniam & appare-
Pſal.100 bo ante faciem dei? Qui rurſus ait: Pſallam & intelligam in uia immaculata, quãdo uenies ad me. Hoc quoq; ardore ſuccenſus fuerat qui dicebat:
Luc.2 Nunc dimittis domine ſeruum tuum ſecundum uerbum tuum in pace: quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum. Quia ergo ex gẽtilitate uenimus, ſed ſanctos Iudææ patres nobis in diuini amoris imitatione proponimus, quaſi quædam cantorum gazophylacia ex latere portæ quæ uiam Aquilonis reſpicit, ſumus: ſed ad uiã Auſtri facies tenemus. Et notandum quòd hęc eadem gazophylacia inter portam Aquilonis & Orientis eſſe perhibentur: quia uidelicet poſt incarnationẽ dominicam, multitudo gentiũ ad fidem uenit, atq; inter ipſos fideles populos & ſacramenta dominicę incarnationis quæ medullitus diligunt, corda amantium ſurgunt. Habeant ergo ſancti gazophylacia, hinc Oriẽtis portam, & inde Aquilonis: quia inter ipſa redemptionis ſuæ myſteria quæ ſequuntur, & carnales quoſdã quos et intra ſanctã Eccleſiã tolerãt, multi in deũ forti amore proficiunt, uirtutibus excreſcunt, æterni iudicis aduentũ quærunt, & inter ea quæ amant atq; illa quæ tolerãt, quaſi quædam gazophylacia, diuitias ſpiritus in mente ſeruant. Nec inter ſacramẽta quę diligunt, & quæ iam contraria portant, deficiunt: quia ad Auſtralẽ uiam facies intendunt. Quid enim patimur quod patres noſtri pro amore domini antea non pertulerunt? Notandũ uero q̃ inter portã Auſtri et Aquilonis, Orientalis porta eſſe deſcribitur: quia dominus ac redemptor noſter de Iudæa eſt natus, moxq; in ſua Eccleſiã ex gentibus traxit. Quaſi enim inter Meridianã portã & Aquilonis apparuit: quia ex illa uenit, & iſtam in ſuo ſeruitio conuertit. Vnde & bene dicit̃ q̃ porta eadẽ Orientalis ad uiam reſpicit Aquilonis: quia natus dominus ſynagogam deſeruit, & multitudinẽ gentiũ collegit. Notandũ quoq; eſt q̃ dum de gazophylacijs diceret: Et facies eorũ ad uiã Auſtralẽ, additũ eſt, unam: ut uidelicet apertè ſentiamus, quia nõ alia eſt uia ad cœleſtẽ patriã nobis qui ex gentilitate uenimus, atq; alia illis patribus qui fuerũt in Iudæa: ſed hæc eadẽ una uia eſt nobis & illis, quæ nos ad æterna gaudia perducit, quæ nobis per Euangeliũ dicit: Ego ſum uia, ueritas, & uita. De qua Pſalmiſta ait: Ioan.14
Vt cognoſcamus in terra uiam tuam, in omnibus Pſal.56
gentibus ſalutare tuũ. Quod enim hebraicè Ieſus, hoc latinè dicitur ſalutaris. In terra ergo uia cognoſcitur: quia Ieſus, deus ante ſecula, & homo factus in fine ſeculorum, gentibus eſt manifeſtatus. Vna ergo eſt uia & illis qui ab Auſtro ſunt, & his qui ab Aquilonis porta reſpiciunt: quia electis Iudæis & gentibus dominus ac redẽptor noſter expulſa pœna formidinis, ad patrẽ factus eſt iter amoris, atq; adiutorium peruentionis. Sequitur: Et dixit ad me: Hoc gazophylaciũ quod reſpicit uiam Meridianã, ſacerdotũ eſt qui excubãt in cuſtodijs templi.] Atq; mox ſubditur: Porrò gazophylaciũ quod reſpicit ad uiam Aquilonis, ſacerdotũ erit qui excubant ad miniſteriũ altaris.] Quibus prophetæ uerbis prius nobis quærendũ eſt, qui ſint maioris ordinis ſacerdotes, utrũ hi qui in cuſtodijs excubant templi, an qui in miniſterio altaris? Sed quia paulopoſt ſubditur: Altare erat ante faciem templi:] apertè oſtenditur illos eſſe maioris ordinis ſacerdotes qui in cuſtodijs templi excubãt, quia profecto in altari quod eſt interius miniſtrãt. Hi autẽ qui ad altare quod intra faciem templi eſt excubant, tanto inferiores ſunt, quanto exterioribus miniſtrant. Quærendum ergo nobis eſt, qui ſacerdotes ſint qui templũ cuſtodiunt, & qui ad miniſterium altaris excubare perhibentur. Magiſter gentiũ fidelibus ſcribens ait: Templum 1.Cor.13
dei ſanctum eſt: quod eſtis uos. Qui itaq; ſacerdotes ſunt qui templum dei cuſtodiunt, niſi hi qui orando, prædicando, ſpiritalibus actibus uigilando, ſanctam Eccleſiam à malignorũ ſpirituum immiſſionibus, à prauorum ſuaſionibus, ab hęreticorum erroribus defendunt? An non cuſtos templi fuerat qui labores ſuæ paſſionis enumerans dicit:
In labore & ærumna, in uigilijs multis, in fame & 2.Cor.11
ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate? Atque ſtatim ſubdit: Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Penſate quæſo, cuſtos templi quanta ſollicitudine uigilet. Ecce enim in ſeipſo inæſtimabilia patitur, & cordis ſui ſollicitudinem alijs impartitur. Cuius rogo uirtutis eſt, plus de utilitate proximorum quàm de ſua afflictione cogitare? Quis hoc digne æſtimet? quis digne penſet? Laborat, luget, eſurit, ſitit, alget, ieiunat, uigilat, & tamen uigilando de Eccleſiarum omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium sollicitudine cogitat. Ecce enim est soler A
rissimus custos templi æterni in exemplo propo-
situs. Imitetur qui ualet aduersa pro ueritate pa-
ti, bona proximis impẽdere, circa animarum sol-
licitudinẽ uigilare. Ne quis in perfidiam, ne quis
in superbiam, ne quis in rapinã uel immunditiam
labatur, exquirere atq; compescere: hoc est tem-
plum dei, id est, sanctam Ecclesiã custodire. Sunt
autem minoris ordinis sacerdotes, qui ad ministe
rium altaris excubant, qui uidelicet in adiutorio
maiorum, peccata delinquentium subtiliter inue-
stigant, & uitam carnalium corrigunt, atq; ad hoc
usq; perducunt, ut per lamenta pœnitentiæ quasi
incendant carnem in sacrificio, quam prius uiue-
re permiserãt in peccato. Non enim hi qui sanctis
Ecclesiis præsunt, per semetipsos cũcta agere pre B
ualent. Sed dum ipsi cauſis spiritalibus occupan-
tur, si qua praua ac carnalia perpetrantur, hęc alijs
discutienda atq; corrigenda cõmittunt. Per quos
dum carnalis uita corrigitur, & usq; ad abstinẽtiæ
atq; orationis studium à proficientibus peruenit-
tur, quasi in altari iam caro incenditur, ut in cõspe
ctu omnipotentis domini inde sacrificium redo-
leat, unde prius culpa displicebat. Sed hac in re
quæstio oritur, cùm superius dictum sit quòd ga-
zophylacia ad Australem uiam facies haberent,
qua ratione nũc dicatur quia gazophylaciũ quod
respicit uiam Meridianam, sacerdotum est qui ex
cubãt in custodijs templi: & gazophylaciũ quod
respicit uiam Aquilonis, sacerdotũ qui excubant
ad ministeriũ altaris? Si enim utraq; facies ad Au- C
stralem uiam tendebãt, quomodo nunc unum ad
Meridianam, atq; aliud ad Aquilonis uiam respi-
cere dicitur? Sed in his uerbis agnoscimus quòd
gazophylacium sacerdotum qui excubant in cu-
stodijs templi, ita positũ fuerat, ut solam Meridia-
nam uiam respiceret: gazophylacium uerò sacer-
dotum qui excubant ad ministerium altaris, ita e-
rat in atrio, ut & ad Australem uiam & Aquilonis
faciem tenderet, quatenus & cum gazophyla-
cio sacerdotum qui excubant in custodijs templi,
Meridianam uiam aspiceret, & tamen sine gazo-
phylacio eorundem sacerdotum Aquilonis uiam
uideret. Sed quid est hoc fratres charissimi? quid
in his uerbis mysticum possumus intueri, nisi hoc
quòd secundum ea quæ præmissa sunt, iam spiri- D
talis auditor intelligit: quia sacerdotes maioris or
dinis, qui excubant in custodijs templi, solam Me
ridianam uiam respiciunt, quoniã solis studijs spi-
ritalib. occupati, semper his quæ amoris dei sunt,
sollicitè intendunt: sacerdotes autem minoris or-
dinis, qui discutiendis peccatis delinquentiũ pre-
sunt, etiam ad Aquilonis uiam oculos reflectunt,
ut in mentibus peccantium quæ sint operis frigo-
ra uideant, & hęc uerbis correptionis usq; ad pœ-
nitentiæ gemitus perducentes, quasi carnes in al-
tari domini incendant? Respiciant etiam cum ma
gnis sacerdotibus ad Meridianã uiam: quia quan
tum ad semetipsos est, feruent igne charitatis, &
succensi sunt flammis amoris dei. Sed quia pecca-
ta delinquentium crebrò corrigunt, etiam ad A-
quilonis uiam oculos reducunt. De utriſq; autem
sacerdotum ordinibus subditur: Isti sunt filij Sa
doch, qui accedunt de filijs Leui ad dominum ut
ministrent ei.] Sadoch latine dicitur iustus. Quis
autem iustus est nisi ipse cui dicitur: Iustus es do- Psal.
mine, & rectum iudicium tuum? Qui uero sunt fi-
lij iusti, nisi hi de quibus scriptum est: Quotquot Ioan.
autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem fi
lios dei fieri? Leui autẽ interpretatur assumptus.
Quis autẽ assumptus est, nisi populus fidelis, qui
per sacramenta fidei est à perfidis segregatus? Om
nes ergo qui perseuerãter spiritalibus actibus in-
tendunt, filij sunt iusti. Et de filijs populi assumpti
accedunt ad dominum, ut ministrent ei: quia de
ipsis quoq; fidelibus eliguntur qui ad omnipoten
tis dei ministerium ueniant, & cœlestibus studijs
pro eruditione populi intendant. Sed nobis soler
ter inquirendum est, qui sunt qui domino mini-
strant. Neq; enim omnes qui legunt, omnes qui
prædicant, omnes qui propria tribuũt, omnes qui
per carnis abstinentiam corpus castigant, domi-
no ministrant. Qui enim legendo atq; prædican-
do gloriam propriam quærunt, largiendo quæ ha
bent, & corpus in abstinentia macerando, laudes
recipere ab hominibus appetunt: sibi, non domi-
no ministrant. Quo contrà per Psalmistam domi- Psal.
nus dicit: Ambulans in uia immaculata, hic mihi
ministrabat. Habet enim maculã in uia, qui in bo-
no opere quod agit, terrenæ gloriæ sibi præmium
proponit: quia qui in hoc mundo recipere mer-
dem quærit, fœdat in conspectu dei speciem boni
operis per maculam prauæ intentionis. Fortasse
etenim quis disciplinę studio intentus feruet: cul-
pas delinquentium resecat. Qui tamen ad hæc a-
genda si non ex omnipotentis dei amore, sed ze-
lo proprio ducitur: sibi in his & non domino mini
strat. Alius ne asper esse uideatur, multa leniter to
lerat quæ prauè perpetrantur. Iste itaq; qui uideri
pro domino districtus non uult, per lenitatis suæ
studiũ sibi & non domino ministrat. Restat ergo
ut siue in uerbi ministerio fatigemur: seu indigen-
tibus nostra largiamur: siue per abstinentiam car-
nem domemus: seu zelo moueamur: siue per pa-
tientiã aliquando leniter praua toleremus: ut nos
summopere debeamus intentionem nostram dis-
cutere: quatenus omne quod facimus, non nostro
sed domini zelo faciamus: ne in his quæ agimus,
nobis potius quàm domino ministremus. Non e-
nim domino, sed sibi ministrauerant: de quibus
Paulus dicebat: Omnes quæ sunt sua quærunt, Phil.
non quæ sunt Christi Iesu. Idem uero Paulus cum
coelectis fratribus non sibi ministrare, sed domi-
no, & uiuendo & moriendo festinabat, dicẽs: Ne- Rom.
mo nostrum sibi uiuit: & nemo sibi moritur. Siue
enim uiuimus, domino uiuimus: siue morimur,
domini sumus. Sibi enim sancti nec uiuũt: nec mo
riuntur. Sibi non uiuunt, quia per omne quod a-
gunt, ad lucra spiritalia anhelant: atq; orando, prę
dicando, sanctis operibus insistendo, cœlestis pa-
triæ ciues multiplicare desiderant. Sibi minime
moriuntur, quia in cõspectu hominum deum sua

morte

morte glorificant:ad quem peruenire etiam moriendo festinant.Pensemus itaq; in morte sanctorum non quantum eorũ opprobriũ ab infidelibus fuit:sed quanta laus domini in corde fidelium excreuit. Qui si suam laudẽ quærerent:profecto paterent quia opprobria in morte timuissent.Sed nemo illorum sibi uiuit,& nemo sibi moritur:quia suam gloriam nec uiuendo nec moriendo quæsierunt. Videamus si ipse primus pastor Ecclesiæ qui sibi non uixit, sibi sit mortuus. Ioannes eius socius requiratur:et ex uerbis domini de morte pastoris e-
Ioan.21 iusdem dicat:Hoc autẽ dixit significans qua morte clarificaturus esset deũ. Non ergo sibi est mortuus,qui deum clarificauit in morte.Discamus igitur fratres mei intentionẽ nostram in omne quod agimus,sollicita inquisitione discutere : & nostra non quærere,si omnipotenti deo uolumus ministrare. Sed quia ex fideli populo filios Sadoch ad omnipotentis dei ministeriũ diximus assumptos: nunquid in eodem populo non sunt multi qui inueniantur in mandatis dei uiuere perfecti? Sunt omnino. Nam subditur: Et mensus est atriũ longitudinem centum cubitorum: & latitudinẽ centum cubitorum per quadrum.] Sæpe iam per longitudinem,longanimitatem spei:per latitudinem uero,charitatis amplitudinẽ diximus signari.Centenarius autem numerus, in quo denarius decies ducitur,quòd summam perfectionis signet,plenè superius dictum est. Quid est igitur atrium spiritalis ędificij:nisi amplitudo fidelium populorũ? Ipsa autem longanimitas spei & latitudo charitatis ua cua in cordibus fidelium non est. Nam per fidem quicquid ualet operatur. Vnde & per Paulum di-
Gal.5 citur: In Christo Iesu neq; circumcisio aliquid ualet,neq; præputiũ: sed fides quæ per dilectionem operatur. Si ergo in uita fidelium iuxta quendam modum per singulos perfecta est longanimitas spei,perfecta latitudo charitatis, perfecta certitudo fidei,perfectum studium operationis : atrium templi per quadrum centũ cubitos habet. In mensura autem quadri non aliud latus maius est,atque aliud minus:sed cũcta simul quatuor latera æquali spatio tenduntur: quia & ipsas easdem uirtutes quas diximus,fidem scilicet,spem,charitatem atque operationem, quandiu in hac uita uiuimus, æquales sibi esse apud nosmetipsos inuenimus.Id circo autẽ maior spe & fide charitas dicitur: quia postquam ad authoris nostri speciem peruenitur, spes quidem & fides trãsit,sed charitas permanet. Nam nunc & quantum credimus,tantũ amamus, & quantum amamus, tantũ de spe præsumimus. De fide quoq; & operatione Ioannes Apostolus
1.Ioan.2 fatetur dicẽs:Qui se dicit nosse deum,& mandata eius non custodit,mendax est.Notitia quippe dei ad fidem pertinet: mandatorum custodia ad operationem.Cùm ergo uirtus, tempus, & locus operandi suppetit,tanto quis operatur,quanto deum nouerat. Et tantum se nosse deum indicat, quantum pro deo bona operatur.Metiantur ergo fidelis populi uirtutes in quadrũ, quia unusquisq; qui in hoc uitæ exercitio uersatur,tantũ credit, quantum sperat & amat:& tantum operatur,quantum credit, amat & sperat. Quia itaq; sanctæ Ecclesiæ populi multi sunt et robusti per fidẽ,et lõganimes per spẽ, & ampli per charitatẽ, & efficaces per operationem:atrium templi centum cubitis in quadro mensuretur. Nam ut aliquid quoq; de eorum uirtutibus loquamur : sæpe ex eis quosdam uidemus prudẽtes per intelligentiam, fortes in aduersitate, iustos in operatione, temperantes à uoluptatibus,atq; in omni zelo discretionis se mensura moderantes. Qui dum prudentiam, fortitudinem,iustitiam,atq; temperantiam, uel sicut eas ẽnumerare quibusdam placet,prudentiam, temperantiam,fortitudinem,atq; iustitiam tenent:mensuram spiritalis atrij in quadro habent.Ecce enim ipsæ uirtutes quas habere bonos ac fideles diximus,ita in quadro sunt, ut una aliam non excedat. Magna quippe est prudentia:sed si minus est à uoluptatibus temperans : minus in periculis fortis: minus in operationibus iusta: profecto minus est prudens. Magna est temperantia, sed si minus intelligit unde se temperat: si aduersa sustinere per fortitudinem minus ualet,atq; in timore animum deiicit : si per præceptionẽ suam aliquando ad iniustitiæ opera prorumpit, minus est temperans. Magna est fortitudo, sed si minus intelligit quæ bona custodiat, quibus malis resistat : si minus à uoluptatis appetitu se temperat, sed uincitur delectatiõe:si iustitię opera minus tenet,atq; aliquando ad iniustitiæ opera dominatione superatur:minus est fortis. Magna est iustitia,sed si minus q̃ debet inter iusta & iniusta opera discernit: si minus cor à mundi delectatione tẽperat: si minus se contra aduersa confortat,minus est iusta.Mensuretur ergo perfectorum fidelium uita per quadrum : & tantum habeat spiritalis atrij latus unũ, quantum latera singula: quia unusquisq; tantũ prudens est, quantum temperans:& iustus tantum, quantum prudens, temperans, & fortis fuerit. Sunt tamen inter eos plurimi,qui adhuc carnaliter uiuũt. Qui & si fortasse literas ignorant,& præcepta dei legere non ualent:certe in multorum fidelium conuersatione,bona quæ imitentur uident.Ecce in Ecclesia uoces sancti Euangelij atq; Apostolorum sonant:ecce exempla bene uiuentium quotidie omnium oculis opponuntur. Nec in excusatione dicere poterunt,non uidimus quod imitari deberemus. Vnde & subditur: Et altare ante faciẽ templi.] Quid est templum nisi fidelis populus? sicut
1.Cor.3 per Paulũ apostolũ discipulis dicitur: Templum enim dei sanctum est, quod estis uos. Et quid est altare dei:nisi mens bene uiuentium? Qui peccatorum suorum memores,lachrymis se lauant: carnem per abstinentiam macerant: nullis se mundi huius actionibus miscent:quæ habent,indigentibus tribuunt:& habere quæ non habent, non concupiscunt.Recte igitur horum cor altare dei dicitur,ubi ex mœrore compunctionis ignis ardet,& caro cõsumitur.Et nunquid non tales, fratres charissimi,quotidie in sancto hoc fideli populo quasi in templi atrio uidemus? Nunquid non eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

uitam nobis ad exemplum propoſitam indeſinen A incenſum flamma amoris ardeamus. Per compun
ter aſpicimus? Altare ergo ante faciem templi eſt: ctionis autem lachrymas nil terrenum, nil tranſi-
cùm multi in ſanctæ Eccleſię conſpectu ſunt pro- toriũ quærere debemus. Solus nobis deſiderium
poſiti: qui ęterni iudicij memores, ſemetipſos quo perficit, qui fecit omnia. Tranſcendamus per de-
tidie deo ſacrificium in lamento compunctionis ſiderium omnia, ut mente colligamur in unum,
mactant. Qui ut prædictum eſt, corpora caſtigãt: Non iam timore pœnarum, non memoria uitio-
quatenus hoc quod per magiſtrum gentium dici- rum, ſed amoris flamma ſuccenſi, ardeamus in la-
Rom.12 tur, impleant: Vt exhibeatis corpora ueſtra hoſtiã chrymis cum odore uirtutum. Iſta electorum ora-
uiuentem, ſanctam, deo placentem. Hoſtia quip- tio iam proſpiciebatur, cùm in ſponſæ laude dice- Cant.
pe occiditur, ut offeratur: Sed hoſtia uiuens, eſt retur: Quæ eſt iſta quę aſcendit per deſertum ſicut
corpus domino afflictum. Quod et hoſtia dicitur, uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris: &
& uiuẽs: quia uiuit in uirtutibus, & eſt à uitijs oc- uniuerſi pulueris pigmentarij? Sancta quippe ele
ciſum. Hoſtia uidelicet, quia iam huic mundo eſt ctorũ Eccleſia cùm ab hoc mundo in ſanctis pre-
à prauis actibus mortuũ. Viuens autem, quia cun cibus ardenti amore ſe erigit, per deſertum quod
cta quæ prævalet bona operatur. Sed quia ſub al- deſerit aſcendit. Qualiter uero aſcendat adiungit.
taris nomine, de compunctionis flamma ſermo ſe B Sicut uirgula fumi ex aromatibus. Fumus de in- Pſal.
intulit: neceſſariũ puto quæ ſit diuerſitas eiuſdem cenſo naſcitur, ſicut per Pſalmiſtam dicitur: Diri-
compunctionis oſtendere. Alia quippe compun gatur oratio mea ſicut incenſum in cõſpectu tuo.
ctio eſt quæ per timorem naſcitur: alia quæ per a- Fumus excutere lachrymas ſolet. Itaq; fumus eſt
morem: quia aliud eſt ſupplicia fugere, aliud præ- ex aromatibus, compunctio orationis concepta
mia deſiderare. Vnde etiam in tabernaculo per le ex uirtutibus amoris. Quę tamen oratio fumi uir-
Exo.27 gem duo altaria fieri iubentur. Vnũ uidelicet ex- gula dicitur: quia dum ſola cœleſtia poſtulat, ſe-
& 30 terius, aliud uero interius. Vnũ in atrio, aliud an- creta progreditur: ut ad terrena atq; temporalia
te arcam. Vnum quod ære coopertum eſt, aliud petenda minime reflectatur. Et notandum quòd
quod auro veſtitur. Atq; in altari æreo cremantur non uirga, ſed uirgula nũcupatur: quia interdum
carnes: in altari uero aureo incenduntur aromata. in compunctionis ardore tantæ ſubtilitatis eſt uis
Quid eſt hoc fratres chariſſimi quòd foris concre amoris, ut hanc nec ipſe animus poſſit cõprehen-
mantur carnes, intus aromata: niſi hoc quod quo- dere qui illuminatus meruit habere. Bene autem
tidie uidemus: quia duo ſunt compunctionis gene- dicitur: myrrhæ & thuris. Thus enim ex lege do-
ra? Quia alij adhuc per timorem plangunt: alij mino in ſacrificium incenditur. Per myrrham ue-
uero iam ſe per amorẽ in lamentis afficiunt. Mul- C ro corpora mortua condiuntur, ne uermibus cor-
ti nanq; peccatorum ſuorum memores, dum ſup- rumpantur. Myrrhę ergo & thuris ſacrificium of-
plicia æterna pertimeſcunt, quotidianis ſe lachry- ferunt, qui & carnem afficiũt, ne eis corruptionis
mis affligunt. Plangunt mala quæ fecerunt: & in- uitia dominentur: & redolentem in conſpectu do
cenduntur uitia igne compunctionis, quorũ ad- mini amoris ſui hoſtiam incendunt: ſeq; ipſos deo
huc ſuggeſtiones in corde patiuntur. Quid iſti ni- in ſanctis uirtutibus exhibent. Vnde & illic ſub-
ſi altare ſunt æreum? in quo carnes ardẽt: quia ad- ditur: Et uniuerſi pulueris pigmentarij. Puluis eſt
huc ab eis carnalia opera planguntur. Alij uero à pigmentarij, uirtus bene operantis. Et notandum
carnalibus uitijs liberi, aut longis iam fletibus ſe- quòd uirtutes bene operantium non pigmenta,
curi, amoris flamma in compunctionis lachrymis ſed pulueres dicuntur: Cùm enim quælibet bona
inardeſcunt, cœleſtis patriæ præmia cordis oculis agimus, pigmẽta offerimus. Cùm uero ipſa etiam
aſpiciunt, ſupernis iam ciuibus intereſſe concupi bona quæ agimus, retractamus, & ne quid in his
ſcunt. Dura eis apparet ſeruitus, longitudo pere- ſiniſtrum ſit, iudicio retractationis attendimus,
grinationis ſuę. Regem in decore ſuo uidere deſi- quaſi ex pigmentis puluerem facimus: ut oratio-
derãt: & flere quotidie ex eius amore non ceſſant. nem noſtram domino per diſcretionem & amo-
Quid iſti, niſi altare ſunt aureum? in quorum cor- D rem ſubtilius incendamus. Ecce hæc ut deo lar-
de aromata incenſa ſunt: quia uirtutes ardent. Be- giente potuimus, coram uobis fratres chariſſimi
neautẽ de eodem altari dicitur quòd ante uelum rimati ſumus. Nemo autem me reprehẽdat, ſi poſt
arcæ ſit poſitum in ſancta ſanctorum. Arca quip- hanc locutionem ceſſauero: quia ſicut omnes cer
pe teſtamenti ipſe nobis factus eſt, de quo ſcriptũ nitis, noſtrę tribulationes excreuerunt: undiq; gla
Col.2 eſſe nouimus: In quo ſunt omnes theſauri ſapien- dijs circumfuſi ſumus, undiq; imminẽs mortis pe-
tiæ abſcõditi. Arca intra uelum eſt redemptor riculum timemus. Alij detruncatis ad nos ma-
noſter in cœlo. Altare uero aureum in quo thy- nibus redeunt, alij captiui, alij interempti nuncian-
miama incenditur ante uelum: quia ſanctorũ cor- tur. Iam cogor linguam ab expoſitione retinere:
da quæ cum magnis uirtutibus in dei amore ſuc- quia tædet animam meam uitæ meæ. Iam nullus Iob
cenſa ſunt, per ſanctum deſiderium in illo ardent, in me ſacri eloquij ſtudiũ requirat: quia uerſa eſt Iob
quem adhuc reuelata facie uidere nõ poſſunt. In- in luctum cithara mea, & organum meum in uo-
ter arcã quippe & altare uelum eſt: quia hoc quod cem flentium. Iam cordis oculus in myſteriorum
nos adhuc à viſione dei ſeparat, corruptionis no- diſcuſsione non uigilat: quia dormitauit anima Pſal.
ſtræ obſtaculum remotum non eſt. Sed quouſq; mea præ tędio. Iam minus lectio animo dulcis eſt: Pſal.
ante uelum ſumus, oportet ut quaſi thymiamatis quia oblitus ſum mãducare panem meum, à uoce

gemitus

gemitus mei. Cui autem uiuere non licet, de scripturæ sacræ sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amara bibere, quando possum dulcia propinare? Quid igitur restat nisi ut inter flagella quæ ex nostris iniquitatib. patimur: cum lachrymis gratias agamus? Ipse etenim qui nos creauit, etiam pater nobis factus est per adoptionis spiritum quem dedit. Et aliquando filios pane nutrit: aliquando flagello corrigit: quia per dolores & munera ad hereditatē perpetuā erudit. Sit itaq; gloria omnipotenti domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat cū patre in unitate spiritus sancti deus, per omnia secula seculorū, Amē.

Homiliarum beati Gregorij papæ super Ezechielem libri duo finiunt feliciter.

Homilia, si Tortellio creditur, cum aspiratione principij & unico l atq; i latino secundum ueram orthographiā scribitur: indicatq; apud nos sermonē: & descēdit ab ὁμιλέω, quod est sermocinor. Calepinus aūt dicit homiliā esse colloquiū uel sermonem ad populū. Et habet penultimā correptam.

B. GREGORII PAPAE

QVADRAGINTA HOMILIARVM DE diuersis lectionibus Euangelij, ad Secundinum Laurimitanum episcopum, liber.

PROLOGVS.

Euerendissimo & sanctissimo fratri Secundino episcopo Gregorius seruus seruorum dei. Inter sacra missarū solennia, ex his quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent: sancti Euangelij quadraginta lectiones exposui. Et quarundam quidem dictata expositio assistenti plebi est per notarium recitata: quarundam uero explanationem coram populo ipse locutus sum: atq; ita ut loquebar, ita excepta est. Sed quidam fratres sacri uerbi studio feruētes: anteq; ad propositum modum ea quæ dixeram, subtili emendatione perducerem, transtulerunt. Quos recte ego quibusdam famelicis similes dixerim: qui prius escas edere appetunt, quàm cibi plenius excoquantur. Hoc uero ubi scriptū est: Ductus est Iesus in desertū à spiritu, ut tentaretur à diabolo: prius quidem quasi sub quadam ambiguitate exposui: sed eandem dubitationem postmodum certa notatione correxi. Easdem quoq; homilias eo quo dictæ sunt ordine, in duobus codicibus ponere curaui: ut & priores uiginti quæ dictatæ sunt: & posteriores totidem, quæ sub oculis dictæ: in singulis essent distinctæ corporibus. Quòd uero quędam antepositę sunt quę in Euangelio pòst leguntur: quædam uero postpositæ, quæ ante per Euangelistam scriptæ sunt, inueniuntur: nequaq; mouere tuam fraternitatem debet: quia sicut à me diuersis temporibus dictatæ sunt: ita quoq; sunt abceptoribus in codicibus affixę. Tua itaq; fraternitas sacris semper lectionibus intēta, si prædictum locum Euangelij inuenerit sub dubietate prolatum: uel easdem homilias repererit ita ut prædixi non esse dispositas: has inemendatas remansisse cognoscat: & iuxta easdem quas per præsentem portitorē mittere studui, corrigat: nulloq; modo illas sine emendatione remanere permittat. Editæ autē in scrinio sanctæ Ecclesiæ nostræ retinentur: ut si qui forte à tua fraternitate longè sunt: hìc inueniāt unde in his quæ emēdatæ sunt, certiores fiāt.

Famelicorum natura

Mat.4

Homiliarū liber diuisus est in duas partes.

Homiliæ xl. Gregorij quare recto ordine non sunt positæ

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.



IN illo tēpore, dixit Iesus discipulis suis. Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gētium: præ confusione sonitus maris & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore & expectatione: quæ superuenient uniuerso orbi. Nam uirtutes cœlorum mouebuntur. Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipiētibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem. Videte ficulneam & omnes arbores: cùm producunt iam ex se fructū: scitis quoniam propè est æstas. Ita & uos cùm uideritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum dei. Amē dico uobis: quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Cœlum & terra transibūt: uerba autē mea non transibūt. Luc.21

Homilia beati Gregorij papæ in basilica beati Petri apostoli ad populū habita: Dominica secunda aduentus domini.

Homilia prima.

DOminus ac redēptor noster, fratres charissimi, paratos nos inuenire desiderās, senescentē mundum quę mala sequantur denunciat: ut nos ab eius amore cōpescat. Appropinquantem eius terminum quantæ percussiones præueniant innotescit: ut si deum metuere in tranquillitate non uolumus: saltem uicinum eius iudicium uel percussionibus attriti timeamus. Huic etenim lectioni sancti Euangelij quam modo uestra fraternitas audiuit, paulò supèrius dominus præmisit dicens: Exurget gens contra gentem: & regnum aduersus regnum: & erunt terræmotus magni per loca, pestilentiæ, & fames: Mar.13

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quibuſdam interpoſitis, hoc quod modo audiſtis adiunxit: Erũt ſigna in Sole & Luna, & ſtellis: & in terris preſſura gentium, præ cõfuſione ſonitus maris & fluctuũ.] Ex quibus profecto omnibus alia iam facta cernimus: alia è proximo uentura formidamus. Nam gentẽ contra gentẽ exurgere, earumq; preſſuram terris inſiſtere, plus iam in noſtris tẽporibus cernimus, q; in codicibus legimus. Quòd terræmotus urbes innumerabiles obruat: ex aliis mundi partibus ſcitis & frequẽter audiuimus. Peſtilentias ſine ceſſatione patimur. Signa uero in Sole & luna & ſtellis adhuc apertè minime uidimus. Sed quia & hæc non longè ſint, ex ipſa iam aeris immutatione colligimus: quamuis priuſq; Italia gentili gladio feriẽda traderetur, igneas in cœlo acies uidimus, ipſumq; qui poſtea humani generis fuſus eſt ſanguinem coruſcantes. Confuſio autẽ maris & fluctuũ necdum noua exorta eſt. Sed cùm multa prænunciata iam completa ſint, dubiũ non eſt quin ſequantur etiam pauca quæ reſtant: quia ſequentiũ rerũ certitudo eſt præteritarũ exhibitio. Hæc nos fratres chariſſimi idcirco dicimus: ut ad cautelæ ſtudium ueſtræ mentes euigilent: ne ſecuritate torpeant, ne ignorantia langueſcant: ſed ſemper eas & timor ſollicitet: & in bono opere ſollicitudo confirmet: penſantes hoc quod redemptoris noſtri uoce ſubiungitur:

Italiæ perſecutio ſignis quibuſdam oſtenſa fuerat

Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperuenient uniuerſo orbi. Nã uirtutes cœlorũ mouebuntur.] Quid etenim dominus uirtutes cœlorum niſi angelos, archangelos, thronos, dominationes, principatus & poteſtates appellat? quæ in aduentu diſtricti iudicis noſtris tunc oculis uiſibiliter apparebunt: ut diſtrictè tũc à nobis exigant hoc quod modo inuiſibilis conditor æquanimiter portat. Vbi & ſubditur: Et tũc uidebunt filiũ hominis uenientẽ in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate.] Ac ſi apertè diceretur, in poteſtate magna & maieſtate uiſuri ſunt, quẽ in humilitate poſitũ audire noluerunt: ut uirtutem eius tanto tunc diſtrictius ſentiant, quanto nũc ceruicẽ cordis ad eius patientiã non inclinãt. Sed quia hæc contra reprobos dicta ſunt, mox ad electorũ conſolationẽ uerba uertuntur. Nam & ſubditur: His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita ueſtra: quoniam appropinquat redẽptio ueſtra.] Ac ſi apertè ueritas electos ſuos admoneat dicens: Cùm plagæ mundi crebreſcũt: cùm terror iudicij uirtutibus cõmotis oſtenditur: leuate capita, id eſt, exhilarate corda: quia dum finitur mundus cuius amici non eſtis, propè fit redemptio quam quęſiſtis. In ſcriptura etenim ſacra ſæpe caput pro mente ponitur: quia ſicut capite reguntur membra, ita & cogitationes mente diſponuntur. Leuare itaq; capita, eſt mentes noſtras ad gaudia patriæ cœleſtis erigere. Qui ergo deum diligunt, ex mundi fine gaudere atq; hilareſcere iubentur: quia uidelicet eum quem amant, mox inueniunt: dum tranſit is quem non amauerunt. Abſit enim ut fidelis quiſq; qui deum uidere deſiderat, de mundi percuſſionibus lugeat: quem finiri eiſdem ſuis percuſſionibus nõ ignorat. Scriptum nanq; eſt: Quicunq; uoluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus dei conſtituitur. Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicũ ſe illius eſſe teſtatur: atq; per hoc inimicus dei eſſe conuincit. Sed abſit hoc à fidelium cordibus: abſit ab his qui & eſſe aliam uitam per fidem credunt, & eam per operationem diligunt. Ex mundi enim deſtructio ne lugere, eorum eſt qui radices cordis in eius amore plantauerunt: qui ſequentẽ uitam non quærunt, qui illam neq; eſſe ſuſpicantur. Nos autẽ qui cœleſtis patriæ gaudia æterna cognouimus, feſtinare ad ea quantocyus debemus. Optandum nobis eſt citius pergere, atq; ad illã breuiore uia peruenire. Quibus enim malis mundus non urgetur? Quæ nos triſtitia, quæ aduerſitas non anguſtat? Quid eſt uita mortalis niſi uia? Et quale ſit fratres mei perpẽdite: in labore uiæ laſſeſcere, & tandem eandem uiam nolle finiri? Quòd aũt calcari mundus ac deſpici debeat: redemptor noſter prouida cõparatione manifeſtat: cùm protinus adiunxit:

Cœlorũ uirtutes quæ dicuntur

Videte ficulneam & omnes arbores: cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quia propè eſt æſtas. Ita & uos cùm uideritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum dei.] Ac ſi apertè dicat: quia ſicut ex fructu arborũ uicina æſtas cognoſcitur: ita ex ruina mũdi propè eſſe agnoſcit regnum dei. Quibus profecto uerbis oſtenditur: quia fructus mundi ruina eſt. Ad hoc enim creſcit, ut cadat. Ad hoc cadit, ut germinet. Ad hoc germinat, ut quæcunq; germinauerit, cladibus cõſumat. Ne autem regnum dei æſtati cõparatur: quia tunc mœroris noſtri nubila tranſeunt: cùm uitę dies æterni Solis claritate fulgeſcunt. Quæ omnia ſub magna certitudine confirmantur: cum ſententia ſubiungitur: qua dicitur: Amen dico uobis: quia non præteribit generatio hęc, donec omnia fiant. Cœlum et terra tranſibunt: uerba autem mea non tranſibunt.] Nihil enim in rerum corporaliũ natura cœlo & terra durabilius: & nihil in rerum natura, tã uelociter quàm ſermo tranſit. Verba enim quouſq; imperfecta ſunt, uerba non ſunt: cùm uero perfecta fuerint, omnino iam nõ ſunt: quia nec perfici niſi tranſeundo poſſunt. Ait ergo: Cœlũ & terra tranſibunt: uerba autem mea non tranſibunt.] Ac ſi apertè dicat: Omne quod apud uos durabile eſt, ſine mutatione durabile ad æternitatem non eſt: & omne quod apud me tranſire cernitur, fixum & ſine tranſitu tenetur: quia ſine mutabilitate manentes ſententias exprimit meus ſermo qui tranſit. Ecce fratres mei iam cernimus quod audiebamus. Nouis quotidie & crebreſcentibus malis mundus urgetur. Ex illa plebe innumerabili quanti remanſeritis, aſpicitis: & tamen adhuc quotidie flagella urgent. Repentini caſus opprimunt: nouæ nos & improuiſæ clades affligunt. Sicut enim in iuuentute uiget corpus: forte & incolume manet pectus: toroſa ceruix, plena ſunt brachia: in annis autem ſenilibus ſtatura curuatur, ceruix exiccata deponitur, frequentibus ſuſpiriis pectus urgeẽ, uirtus deficit, loquẽtis uerba

anhelitus

Iacobi 4.

anhelitus intercidit: nam & si languor desit, plerunq; senibus ipsa sua salus ægritudo est. Ita mundus in annis prioribus uelut in iuuentute uiguit: ad propagandam humani generis prolem robustus fuit: salute corporum uiridis, opulẽtia rerum pinguis. At nãc ipsa sua senectute deprimitur: & quasi ad uicinam mortem molestijs crebrescentibus crebrius urgetur. Nolite ergo fratres mei diligere quem uidetis diu stare non posse: Præcepta apostolica in animo ponite, quibus nos admo-
1.Ioan.2 net dicens: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Nudiustertius fratres agnouistis quòd subito turbine annosa arbusta eruta, destructæ domus, atq; Ecclesiæ à fundamentis euersæ sunt. Quanti ad uesperum sani atq; incolu- B mes, acturos se in crastinum aliquid putabant: & tamen nocte eadẽ repentina morte defuncti sunt, in laqueo ruinæ deprehensi? Sed considerandum nobis est dilectissimi, quòd ad hæc agenda inuisibilis iudex uenti tenuissimi spiritum mouit: unius procellam nubis excitauit: & terram subruit, casura tot ædificiorũ fundamenta concussit. Quid ergo iudex ipse facturus est, cũ per semetipsum uenerit: & in ultionem peccatorum, ira eius exarserit: si portari nõ potest, cùm nos per tenuissimam nubem ferit? In iræ eius præsentia quæ caro subsisteret, si uentum mouit, & terram subruit, & cõcitauit aera, & tot ædificia strauit? Hãc districtionem
Hebr.10 uenturi iudicis Paulus considerans ait: Horrendũ
Psal.49 est incidere in manus dei uiuentis. Hanc Psalmi- C sta exprimit dicens: Deus manifeste ueniet, deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit: & in circuitu eius tempestas ualida. Districtionem quippe tanti iudicis, tempestas ignisq; comitabuntur: quia tẽpestas examinat quos ignis exu-
Iudicij dies semper ante oculos ponendus est Sopho.1 rit. Illum ergo diem, fratres charissimi, ante oculos ponite: & quicquid modo graue creditur, in eius cõparatione leuigatur. De illo etenim die per prophetã dicitur: Iuxtà est dies domini magnus: iuxtà & uelox nimis. Vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ, dies illa: dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ: dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ & clangoris. De hac die dominus iterũ per prophetam dicit: Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed etiam cœlum. Ecce, ut prędiximus, aera mouit, & terra nõ substitit. Quis ergo ferat, cùm cœlum mouerit? Quid autem terrores quos cernimus, nisi sequentis iræ præcones dixerimus? Vnde & considerare necesse est: quia ab illa tribulatione ultima tanto sunt istæ tribulationes dissimiles: quantum à potentia iudicis persona præconis distat. Illum ergo diem fratres charissimi tota intentione cogitate, uitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo uincite, perpetrata autem fletibus punite. Aduentũ nanque æterni iudicis tanto securiores quandoq; uidebitis: quanto nunc districtionem illius timendo præuenitis, præstante domino, &c.

A

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tẽpore. Assumpsit Ie- Lucæ 18
sus duodecim discipulos suos: & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam: & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postq̃ flagellauerint, occidẽt eum: & die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerũt. Erat autem uerbum istud absconditũ ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur. Factum est autem cùm appropinquaret Hiericho: cæcus quidam sedebat secus uiam mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei: quòd Iesus Nazarenus trãsiret. Et exclamauit dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse uero multo magis clamabat: fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquasset interrogauit illum dicens: Quid tibi uis faciam? At ille dixit: domine ut uideam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim uidit: & sequebatur illum, magnificans deum. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem deo.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum, in basilica beati Petri Apostoli: Dominica in quinquagesima.

Homilia secunda.

REdemptor noster pręuidens ex passione sua discipulorũ animos perturbandos, eis longè antè & eiusdem passionis pœnam, & resurrectionis suę gloriam prędixit: ut cùm eum morientem, sicut prædictũ est, cernerẽt: etiã resurrecturũ non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli nullo modo ualebant capere uerba mysterij, uenitur ad miraculũ. Ante eorũ oculos cæcus lumen recipit: ut qui cœlestis mysterij uerba non caperent, eos ad fidem cœlestia facta solidarẽt. Sed miracula domini & saluatoris nostri sic accipiẽda sunt fratres charissimi: ut & in ueritate credantur facta: & tamen per significationẽ nobis aliquid innuant. Opera quippe eius & per potentiã aliud ostẽdũt: & per mysteriũ aliud loquuntur. Ecce enim quis iuxta historiam cęcus iste fuerit, ignoramus: sed tamen quid per mysteriũ significet, nouimus. Cæcũ quippe est genus humanũ: quod in parẽte primo à paradisi gaudijs expulsum, claritatẽ supernæ lu-

Miracula Christi ultra ipsam ueritatem aliquid innuunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

cis ignorãs, damnationis suæ tenebras patitur: sed tamen per redemptoris sui præsentiam illuminatur: ut internę lucis gaudia iam per desiderium uideat, atq; in uia uitę boni operis gressus ponat. Notandum uero est quòd cùm Iesus Hiericho appropinquare dicitur, cęcus illuminat̃. Hiericho quippe luna interpretatur: luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur: quia dum mensiruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur cõditor noster appropinquat Hiericho, cæcus ad lumẽ redit: quia dum diuinitas defectũ nostræ carnis susceperit, humanum genus lumen quod amiserat recepit. Vnde enim deus humana patitur: inde homo ad diuina subleuatur. Qui uidelicet cæcus recte & iuxta uiam sedere, & mendicans esse describitur. Ipsa enim ueritas dicit: Ego sum uia. Qui ergo æternæ lucis claritatẽ nescit, cæcus est. Sed si iam in redemptorem credit, iuxta uiam sedet: si autem iam credit, sed ut æternam lucem recipiat, rogare dissimulat, atq; à precibus cessat: cæcus quidem iuxta uiam sedet, sed minimè mendicat. Si uerò & crediderit, & cæcitatem cordis sui cognouerit, & ut lumen ueritatis recipiat postulat, iuxta uiam cæcus sedet & mendicat. Quisquis ergo cæcitatis suæ tenebras agnoscit, quisquis hoc quod sibi deest lumen æternitatis intelligit, clamet medullis cordis, clamet & uocibus mentis, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei.] Sed quid clamante cæco subiungitur, audiamus. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret.] Quid autem designant isti qui Iesum uenientem præcedunt, nisi desideriorum carnalium turbas, tumultusq; uitiorũ? Qui priusquam Iesus ad cor nostrum ueniat, tentationibus suis cogitationem nostram dissipant, & uoces cordis in oratione perturbant. Sæpe nanq; dum cõuerti ad dominũ post perpetrata uitia uolumus, dum contrà hæc eadem exorare uitia quæ perpetramus conamur, occurrũt cordi phantasmata peccatorum quæ fecimus, mentis nostræ aciem reuerberant, confundunt animum, & uocem nostræ deprecationis premunt. Qui præibant ergo, increpabant eum ut taceret: quia priusquã Iesus ad cor ueniat, mala quæ fecimus, cogitationi nostræ suis imaginibus illisa, in ipsa nos nostra oratione perturbãt. Sed quid adhuc illuminandus iste cæcus fecit, audiamus. Sequitur: Ipse uerò multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei.] Ecce quem turba increpat ut taceat, magis ac magis clamat: quia quanto grauiori tumultu cogitationũ carnalium premimur, tanto orationi insistere ardentius debemus. Cõtradicit turba ne clamemus: quia peccatorum nostrorum phantasmata plerunq; & in oratione patimur. Sed nimirum necesse est ut uox cordis nostri quo durius repellitur, eo ualentius insistat: quatenus cogitationis illicitæ tumultum superet, atq; ad pias aures domini nimietate suæ importunitatis erumpat. In se, ut suspicor, recognoscit unusquisque quod dicimus: quia dum ab hoc mundo animum ad deum mutamus: dum ad orationis opus conuertimur: ipsa quæ prius delectabiliter gessimus, importuna postea atq; grauia in oratione nostra toleramus. Vix eorum cogitatio manu sancti desiderij ab oculis cordis abijcitur. Vix eorum phantasmata per pœnitentiæ lamenta superantur. Sed cùm in oratione nostra uehementer insistimus, transeuntem Iesum mentis figimus. Vnde illic subditur: Stans autem Iesus iussit eum adduci ad se.] Ecce stat, qui antè transibat: quia dum adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, Iesum aliquatenus transeuntem sentimus. Cùm uerò orationi uehementer insistimus, stat Iesus ut lucem restituat: quia deus in corde figitur, & lux amissa reparatur. Qua tamẽ in re & aliud aliquid nobis dominus innuit, quod intelligi de humanitate ac diuinitate illius utiliter possit. Clamantem etenim cæcum Iesus transiens audiuit, sed stans miraculum illuminationis exhibuit. Transire nanq; humanitatis est, stare diuinitatis. Per humanitatem quippe habuit nasci, crescere, mori, resurgere, de loco ad locum uenire. Quia ergo in diuinitate mutabilitas non est: atq; hoc ipsum mutari transire est: profecto iste transitus ex carne est, non ex diuinitate. Per diuinitatem uero ei semper stare est: quia ubiq; præsens nec per motum recedit, sicut nec per motum uenit. Cæcum igitur clamantem dominus transiens audiuit, sed stans illuminauit: quia per humanitatem suam uocibus nostræ cæcitatis compatiendo misertus est, sed lumen nobis gratiæ per diuinitatis potentiam infudit. Et notandum quid cæco uenienti dicat: Quid tibi uis faciam?] Nunquid qui lumen reddere poterat, quid uellet cæcus ignorabat? Sed peti uult hoc quod & nos petere, & se concedere prænoscit. Importunè nanq; adorationem nos admonet, & tamen dicit: Scit nanque pater uester cœlestis quid opus sit uobis, antequam petatis eum. Ad hoc ergo requirit ut petatur: ad hoc requirit, ut cor ad orationem excitet. Vnde & cæcus protinus adiunxit: Domine ut uideam.] Ecce cæcus à domino non aurum sed lucem quærit: paruipendens extra lucem aliquid quærere: quia etsi habere cæcus quodlibet potest, sine luce uidere non potest quod habet. Imitemur ergo fratres charissimi eum quem & corpore audiuimus & mente illuminatum. Non falsas diuitias, non terrena dona, nõ fugitiuos honores à domino, sed lucem quæramus: nec lucem quæ loco clauditur, quæ tempore finitur, quæ noctium interruptione uariatur, quæ à nobis cõmunis cum pecoribus cernitur: sed lucem quæramus quam uidere cum solis angelis possimus: quã nec initium inchoat, nec finis angustat. Ad quam profecto lucem uia fides est. Vnde recte & illuminando cæco protinus respõdetur: Respice, fides tua te saluum fecit.] Sed adhuc cogitatio carnalis dicit: Quomodo possum lucẽ spiritalẽ quærere, quam uidere non possum? Vnde mihi certũ est si sit, quę corporeis oculis non infulget? Cui scilicet cogitationi est quod breuiter quisq; respondeat: quia & hæc ipsa quæ sentit, non per corpus sed per animam cogitat. Et nemo suam animam uidet: nec

Hiericho luna interpretatur

Ioan. 14

Conuersio peccatorũ ad dominũ per quid impeditur

Humanitas Christi transiens sed stans diuinitas

Matt.

nec tamen dubitat se animam habere, quam nõ ui A
det. Ex inuisibili nanq; anima, uisibile regitur cor
pus. Si aũt auferatur quod est inuisibile, protinus
corruit hoc quod uisibile stare uidebatur. Ex inui
sibili ergo substantia in hac uita uisibili uiuitur: &
esse uita inuisibilis dubitatur? Sed iam petenti cæ
co quid factũ sit: uel quid ipse fecerit, audiamus.
Sequitur: Cõfestim uidit, & sequebatur eum.]
Videt & sequitur qui bonum quod intelligit ope
ratur. Videt autem, sed non sequitur: qui bonum
quidem intelligit, sed bene operari contemnit. Si
ergo fratres charissimi cæcitatem iam nostrę pere
grinationis agnoscimus: si credendo in redempto
ris nostri mysterium, iuxta uiam sedemus: si exorã
do quotidie ab authore nostro uitæ lumen peti-
mus: si eadem luce iam per intellectum uidẽdo il- B
luminati post cæcitatem sumus: Iesum quẽ mente
cernimus, opere sequamur. Aspiciamus qua gra-
ditur: & eius uestigia imitando teneamus. Iesum
etenim sequitur qui imitatur. Hinc nanq; dicit: Se
quere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos
Mat.8 suos. Sequere enim dicitur, imitare. Hinc rursus
Ioan.12 admonet dicens: Si quis mihi ministrat, me sequa
tur. Consideremus ergo quà graditur, ut sequi me
reamur. Ecce cùm sit dominus & creator angelo-
rum, susceptur us naturam nostram quã condidit,
in uterum uirginis uenit. Nasci tamen in hoc mũ-
do per diuites noluit: parẽtes pauperes elegit. Vn
de & cùm agnus qui pro illo offerretur defuit, co-
lumbarum pullos & par turturum ad sacrificium
Christus mater inuenit. Prosperari in mũdo noluit, oppro- C
pro homini bria, irrisiones q; tolerauit: sputa, flagella, alapas,
bus multa spineam coronam, crucemq; sustinuit. Et quia re-
tolerauit. rum corporalium delectatione à gaudio interno
cecidimus, cũ qua amaritudine illuc redeatur ostẽ
dit. Quid itaq; homo pro se pati debet, si tãta deus
pro hominibus pertulit? Qui ergo in Christũ iam
credidit, sed adhuc auaritię lucra sectatur, in super
bia honoris extollitur: inuidiæ facibus inardescit
libidinis se immunditia polluit: prosperari ad ea
quæ in mundo sunt concupiscit: Iesum in quẽ cre
didit, sequi cõtemnit. Diuerso quippe itinere am
bulat, si gaudia delectationesq; appetit, cui dux su
us uiam amaritudinis ostendit. Reuocemus ergo
ante oculos peccata quæ fecimus: consideremus
quã terribilis iudex hæc puniturus aduenìat. Men D
tem formemus ad lamẽta. Vita nostra ad tempus
amarescat in pœnitentia: ne æternam amaritudi-
nem sentiat in uindicta. Per fletus quippe ad æter
na gaudia ducimur, ueritate pollicente, quæ ait:
Mat.5 Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabũtur. Ad
fletum uerò per gaudia peruenitur, hac eadem ue
Lucæ 6 ritate attestante, quæ ait: Væ uobis qui nunc rideti-
tis: quia lugebitis & flebitis. Si ergo retributionis
gaudium in peruentione quærimus, pœnitentiæ
amaritudinem in uia teneamus. Sicq; fit ut non so
lum uita nostra in deum proficiat, sed hæc ipsa no
stra conuersatio ad laudem dei & alios accendat.
Vnde illic subditur: Et omnis plebs ut uidit, de
dit laudem deo.]

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore. Loquen Cap.12
te Iesu ad turbas: ecce ma
ter eius et fratres stabant
foris, quærentes loqui ei.
Dixit autem ei quidã: Ec
ce mater tua et fratres tui
foris stant, quærentes te. At ille respondẽs
dicenti sibi ait: Quæ est mater mea, & qui
sunt fratres mei? Et extendens manus in di
scipulos, dixit: Ecce mater mea & fratres
mei. Quicunq; enim fecerit uoluntatem pa
tris mei qui in cœlis est: ipse meus frater, so
ror, & mater est.

Homilia lectionis eiusdem, habita ad po
pulũ in basilica sanctæ Felicitatis die nata-
lis eius.

Homilia tertia.

SAncti Euangelij fratres charissimi breuis est
lectio recitata: sed magnis mysteriorum pon-
deribus grauida. Iesus etenim conditor & redem
ptor noster matrem se nosse dissimulat: & quæ ei
mater sit, & qui propinqui, non per cognationem
carnis, sed per coniunctionem spiritus designat,
dicens: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres
mei? Quicunque enim fecerit uoluntatem patris
mei qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, &
mater est.] Quibus nobis uerbis quid aliud in-
nuit: nisi quod obsequentes iussionibus suis mul-
tos ex gentilitate colligit: & Iudæam, ex cuius car
ne est genitus, non agnoscit? Vnde & mater eius
cùm quasi non agnoscitur, foris stare perhibetur:
quia uidelicet synagoga idcirco ab authore suo
non recognoscitur: quia legis obseruationes te-
nens, spiritalem intellectum perdidit, & sese ad cu
stodiam literæ foris fixit. Sed cùm is qui uolunta
tem patris fecerit, soror & frater domini dicitur:
propter utrunq; sexum qui ad fidem colligitur, mi
rum non est: mirandum uerò ualde est quomodo
etiam mater dicatur. Fideles enim discipulos fra-
tres uocare dignatus est dicens: Ite nunciate fratri
bus meis. Qui ergo frater domini fieri ad fidẽ ue- Mat.28
niendo potuerit, quærendum est quomodo etiam
& mater esse possit. Sed sciendum nobis est: quia
qui Christi soror & frater est credendo, mater effi
citur prædicãdo. Quasi enim parit dominũ, quem
cordi audientis infuderit. Et mater eius prædican
do efficitur, si per eius uocẽ amor domini in pro-
ximi mente generatur. Ad quam rem nobis ido-
neè cõfirmandam adest beata Felicitas, cuius ho Beatæ Feli-
die natalitia celebramus: quæ credendo extitit an citatis mira
cilla Christi, & prædicando facta est mater Chri- bilis cõmen
sti. Septem quippe filios, sicut in gestis eius emen datio.
datioribus legitur, sic post se timuit uiuos in car-
ne relinquere: sicut carnales parentes solent me-
tuere ne mortuos præmittant. In persecutionis

enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roborauit. Et parturiuit spiritu quos carne pepererat: ut prædicatione pareret deo, quos carne pepererat mundo. Considerate fratres charissimi in fœmineo corpore uiri le pectus. Ad mortem stetit imperterrita. Amittere se in filijs lumen ueritatis timuit, si nō fuisset orbata. Nunquid ergo hanc fœminam martyrem dixerim? sed plusquàm martyrem. Certè dominus
Matt.11 cum de Ioanne loqueretur dixit: Quid existis in desertum uidere? prophetam? utiq; dico uobis & Ioan.1 plusquàm prophetam. Et Ioannes ipse requisitus, respondit dicens: Non sum propheta. Qui enim se plusquam prophetam nouerat, esse se prophetam negabat. Qui idcirco plusquam propheta dicitur: quia prophetæ est officium uentura prænunciare, non etiam ostendere. Ioannes uerò plusquā propheta est: quia quem uerbo dixit, digito ostendit. Non ergo hanc fœminam martyrem, sed plusquam martyrem dixerim: quæ septē pignoribus ad regnum præmisslis, tot ante se mortuos transmisit. Ad pœnam prima uenit: sed peruenit octaua. Aspexit mater & cruciata & imperterrita filiorum mortem: spei gaudio adhibuit dolorem naturæ. Timuit uiuentibus, gauisa est morientibus. Optauit nullum post se relinquere: ne si quem haberet superstitem, non posset habere consortem. Nemo ergo ex uobis fratres charissimi existimet quod eius cor moriētibus filijs, etiam carnalis affectus minimè pulsarit. Neq; enim filios quos carnem suam esse nouerat, sine dolore poterat moriē tes uidere: sed erat uis amoris interior, quæ dolorem uinceret carnis. Vnde & passuro Petro dicitur: Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget: & ducet quò tu nō uis. Neq; enim si plenissimè Petrus nollet: pro Christo pati potuisset. Sed martyrium quod per infirmitatem carnis noluit, per uirtutē spiritus amauit. Qui dum per carnem ad pœnas trepidat, per spiritum ad gloriam exultat. Actumq; est ut cruciatum martyrij nolen
Salutē ut re cuperemus, amara po/ tamus. do uoluisset. Sic nos quoq; cum gaudium quærimus salutis, amarum poculum sumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo displicet, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Amauit ergo iuxta carnem Felicitas filios suos: sed pro amore cœlestis patriæ mori etiam coram se uoluit, quos amauit. Ipsa eorum uulnera accepit: sed ipsa in eisdem ad regnum præueniētibus excreuit. Recte ergo hanc fœminam ultra martyrem dixerim: quæ toties in filijs est desiderabiliter extincta. Dū multiplex martyrium sustinuit, ipsam quoq; martyrij palmam uicit. Fertur apud ueteres mos fuisse, ut quisquis consul existeret, iuxta ordinem temporum honoris sui locum teneret. Et si quis posterius ad consulatum ueniens, consul non semel sed bis fortasse aut tertiō fieret: etiam illos laude et honore transcenderet, qui non plus quàm semel consules extitissent. Vicit ergo beata Felicitas martyres: quæ tot ante se morientibus filijs, pro Christo frequenter occubuit: quia ad illius amorem, sola sua mors ei minimè suffecit. Cōsideremus fratres hanc fœminam, consideremus nos qui membris corporeis uiri sumus: in eius cōparatione quid existimabimur. Sæpe nanq; agenda aliqua bona proponimus: sed si unicus cōtra nos uel leuissimus sermo ab ore irridentis eruperit: ab intentione actionis nostræ fracti protinus & confusi resilimus. Ecce nos plerunq; à bono opere uerba reuocant: Felicitatem uerò à sancta intentione frāgere, nec tormenta potuerunt. Nos iniuriam maledictionis in aurem maledictoris impingimus: hæc ad regnum etiam per ferrū exijt, nihilq; esse quod obsistebat æstimauit. Nos ad præcepta dominica largiri nostra saltem superflua nolumus: hæc nō solum deo suam substantiam contulit, sed pro illo etiam propriam carnem dedit. Nos cùm ex diuina iussione filios amittimus, sine consolatione lugemus. Hæc eos uelut mortuos plāgeret, si nō obtulisset. Cùm ergo ad illud terribile examē districtus iudex uenerit, quid nos uiri dicemus, cùm huius fœminæ gloriam uiderimus? De debilitate mentis sue quę tunc erit uiris excusatio, quando hæc ostendetur, quæ cū seculo & sexum uicit? Sequamur ergo fratres charissimi districtā & asperam redemptoris uiam. Vsu quippe uirtutū ita iam plana facta est: ut per eā fœminis libeat ambulare. Despiciamus ergo cuncta præsentia. Nulla sunt etenim in hoc mūdo, quæ trāsire possūt. Turpe sit diligere, quod cōstat citius perire. Nō nos terrenarum rerū amor superet, non superbia inflet, non ira dilaniet, nō luxuria polluat, non inuidia cōsumat. Amore nostri fratres charissimi redemptor noster occubuit: & nos amore eius discamus uincere nosmetipsos. Quod si perfectè agimus, non solum imminentes pœnas euademus, sed una cum martyribus gloria remunerabimur. Nam quamuis occasio persecutionis desit, habet tamen et pax nostra martyrium suum: quia etsi carnis colla ferro nō subdimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria in mēte trucidamus, ipso adiuuante &c.

Vitam pro fratribus ponere.

Lectio sancti euangelij secundum Matthæum.

IN illo tēpore. Misit dominus Iesus duodecim discipulos suos: præcipiens eis & dicens: In uiam gentiū ne abieritis: et in ciuitates Samaritanorū ne intraueritis: sed potius ite ad oues quæ perierūt domus Israel. Eūtes autem prædicāte dicētes: quia appropinquauit regnū cœlorū. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mūdate, dæmones eijcite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neq; argētum, neq; pecuniam in zonis uestris. Nō peram in uia, neq; duas tunicas, neq; calciamēta, neq; uirgā. Dignus est enim operarius cibo suo.

Cap.

Homi-

Universidad de Deusto Biblioteca

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica sancti Stephani: de Apostolis.

Homilia quarta.

CVm cõstet omnibus fratres charissimi: quia redẽptor noster in mundũ pro redẽptione gentium uenit: cùm Samaritanos quotidie ad fidem uocari conspicimus: quid est quod in prædicationem discipulos mittens dicit: In uiam gentiũ ne abieritis: & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues quę perierunt domus Israel: nisi quod ex facti fine colligimus: quia prius soli Iudææ uoluit, & postmodum cunctis gẽtibus prædicari? ut dum illa conuerti uocata renueret, prædicatores sancti ad uocationem gentium per ordinem uenirent: quatenus redemptoris nostri prædicatio à propriis repulsa, gẽtiles populos quasi extraneos quæreret: & quod Iudæis fiebat in testimonium, hoc gentibus gratię esset in crementum. Erant enim tunc qui de Iudea uocandi essent, & de gentibus uocandi non essent. Nam & in Apostolorum actibus prædicante Petro legimus, & prius Hebræorum tria milia, & postea quinq; milia credidisse. Et cum prædicare Apostoli gentibus in Asia uoluissent, per spiritũ prohibiti esse memorantur: & tamen ipse spiritus qui prius prædicationem prohibuit, hãc Asianorum cordibus postmodum infudit. Nam diu est quod Asia cuncta iam credidit. Idcirco ergo prius prohibuit, quod postmodum fecit: quia tunc in illa erant qui saluandi non erant. Tunc in illa erant, qui necdum ad uitam reparari merebãtur: nec tamen grauius de contempta prędicatione iudicari. Subtili ergo occultoq; iudicio, à quorundam auribus prædicatio sancta subtrahitur: quia suscitari per gratiam non merentur. Vnde necesse est fratres charissimi, ut in omni quod agimus, omnipotentis dei super nos consilia occulta timeamus: ne dũ mens nostra exterius fusa, à sua se uoluptate non reuocat, intus contra eam iudex terribiliter aduersa disponat. Quod bene psalmista intuens ait: Venite & uidete opera domini: quàm terribilis in cõsilijs super filios hominum. Vidit nanq; quòd alius misericorditer uocatur, alius iustitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo dominus, alia iracundo disponit: expauit quod penetrare non potuit. Et quem non solum inuestigabilem in quibusdam suis sententijs, sed etiam inflexibilem uidit: terribilem in consilijs esse memorauit. Missis autem prædicatoribus quid præcipiatur audiamus. Euntes prędicate dicentes: quia appropinquauit regnum cœlorum.] Hoc iam fratres charissimi, etiam si Euangelium taceat, mundus clamat. Ruinæ nanq; illius uoces eius sunt. Qui enim tot attritus percussionibus à gloria sua cecidit: quasi iam nobis è proximo regnum aliud quod sequitur ostendit. Ipsis iam & à quibus amatur, amarus est. Ipsæ ruinæ eius prædicant quòd amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret. Et qui statem dilexerat, recedere quantocyus à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur, opprimi uolumus potius quàm habitare: quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quos eius passionibus amor ligat. Facile est ergo nunc iam cùm destructa omnia cernimus, animum nostrum ab eius dilectione disiungere. Sed hoc illo in tempore difficillimum fuit, quo prædicare cœlorum regnũ inuisibile mittebantur: cùm longe lateq; omnes cernerent florere regna terrarum. Vnde & adiuncta sunt prædicatoribus sanctis miracula: ut fidem uerbis daret uirtus ostẽsa: & noua facerent qui noua prædicarẽt: sicut in hac eadem lectione subiungitur: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.] Florente mundo, crescente humano genere, diu in hac uita subsistente carne, exuberante rerum opulentia: quis cùm audiret uitam esse aliam, crederet? quis inuisibilia uisibilibus præferret? Sed ad salutem redeũtibus infirmis, ad uitam resurgentibus mortuis, carnis munditiam recipientibus leprosis, ereptis à iure immundorum spirituum dæmoniacis, tot uisibilibus miraculis exactis, quis non crederet quod de inuisibilibus audiret? Ad hoc quippe uisibilia miracula coruscãt: ut corda uidentium ad fidem inuisibilium pertrahant: ut per hoc quod mirũ foris agitur, hoc quod intus est, lõgè mirabilius esse sentiatur. Vnde nũc quoq; cùm fidelium numerositas excreuit, intra sanctam Ecclesiam multi sunt qui uiam uirtutum tenent, sed signa uirtutum non habent: quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur. Nam iuxta magistri gẽtium uocem: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Vnde & idem prædicator egregius inter prędicationis uerba dormientem, cadentemq; de fenestra Eutychum, atq; à uita funditus extinctum, coram cunctis infidelibus orando suscitauit. Meliten ueniens, & plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publij dysenteria febribusq; uexatum, orando sanauit. Peregrinationis uerò suæ comitem, & sanctæ prædicationis adiutorem Timotheum ex infirmitate stomachi lassescentem non uerbo curauit, sed medicinali arte reparauit dicens: Modico uino utere, propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Qui ergo infirmum infidelem, & (ut credimus) mortuũ una prece saluat, cur & ægrotum socium prece non roborat? Quia nimirum ille foris per miraculum sanandus erat, qui adhuc interius uiuus non erat: ut per hoc quod exterior potestas ostenderet, hũc ad uitam interior uirtus animaret. Ægrotanti autem fideli socio exhibenda foris signa non fuerant, qui salubriter intus uiuebat. Sed concessa potestate prędicationis, cõcessis uirtutũ miraculis, quid redẽptor noster subiũgat audiamus: Gratis accepistis, gratis date.] Pręsciebat nãq; nõnullos hoc ipsum donũ accepti spiritus in usum negociationis inflexuros: & miraculorũ signa ad auaritiæ obsequiũ declinaturos. Hinc est enim quod Simõ magus per impo-

Discipuli Christi qua re prohibiti fuerunt prædicare gentibus & Samaritanis.

Act.3

Act.4

Miraculorũ effectus.

1.Cor.14

Act.10

Act.28

1.Tim.5

Act.8

impoſitionem manus edita miracula cõſpiciens, A percipere donum ſpiritus ſancti pecunia uoluit: ſcilicet ut deterius uẽderet quod malè comparaſſet. Hinc de templo redemptor noſter flagello de reſticulis facto turbas eiecit, cathedras uendentium columbas euertit. Columbas quippe uendere, eſt impoſitionem manus qua ſpiritus ſanctus accipitur, non ad uitæ meritum, ſed ad præmium dare. Sed ſunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt: & tamẽ ſacros ordines pro humana gratia largiuntur: atque de largitate eadem, laudis ſolummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum eſt, gratis non tribuunt: quia de impenſo officio ſanctitatis, nummum expetunt fauoris. Vnde bene cùm iuſtum uirum deſcriberet propheta ait: B Eſa. 33 Qui excutit manus ſuas ab omni munere. Neq; enim dicit: Qui excutit manus ſuas à munere: ſed adiunxit, ab omni: quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obſequio, eſt ſubiectio indebitè impenſa. Munus à manu, pecunia eſt. Munus à lingua, fauor. Qui ergo ſacros ordines tribuit, tũc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non ſolum nullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit. Sed uos fratres chariſſimi, quos ſecularis habitus tenet, cùm quæ ſint noſtra cognoſcitis, mentis oculos ad ueſtra reuocate. Cũcta erga uos uiciſſim gratis agite. Nolite operis ueſtri in hoc mũdo retributionem quærere, quem cum tanta iam cernitis uelocitate defeciſſe. Sicut malè acta abſcondi uultis ne alij uideant: ita bona ne ad humanam laudem appareant cauete. Neq; mala quoquomodo, nec bona pro temporali retributione faciatis. Ipſum ueſtri operis teſtem quærite: quem iudicem ſuſtinetis. Occulta nunc bona ueſtra eſſe uideat: ut ea retributionis ſuæ tempore in publico oſtendat. Sicut carni ueſtræ ne deficiat, cibos quotidie præbetis: ſic mentis ueſtræ quotidiana alimenta bona ſint opera. Cibo corpus paſcitur: pio opere ſpiritus nutriatur. Quod morituræ carni tribuitis, uicturæ in perpetuum animæ non negetis. Si quando enim repentinus ignis habitaculum abſumit: quiſquis eius poſſeſſor extiterit: rapit quod ualuerit, & fugit: lucrum deputat, ſi quid ſecum ex ignibus tollat. Ecce tribulationum flamma mundum concremat: & cuncta quæ in eo ſpecioſa uidebantur, finis iam proximus uelut ignis deuaſtat. Lucrum ergo fratres chariſſimi maximum credite: ſi uobiſcum aliquid de illo rapiatis: ſi quid fugientes tollitis: ſi hoc quod perire remanendo poterat, ad retributionem uobis perpetuam largiendo ſeruatis. Terrena quippe omnia ſeruando amittimus, ſed bene largiendo ſeruamus. Cum uelocitate tẽpora fugiunt. Ad uidendum ergo citius iudicem noſtrum quia cum magna importunitate impellimur, ei bonis actibus cum feſtinatione præparemur, donante domino noſtro Ieſu Chriſto. &c.

Colũbas uẽdere quid eſt.

Carni & mẽti quotidie præbenda ſunt alimenta.

Lectio

Lectio ſancti euangelij ſecundum Matthæum.

ILLO tempore. Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ, uidit duos fratres, Simonẽ, qui uocatur Petrus, & Andreã fratrem eius, mittẽtes rete in mare. Erant enim piſcatores. Et ait illis. Venite poſt me: & faciam uos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedẽs indè uidit duos alios fratres, Iacobũ Zebedæi, & Ioannem fratrẽ eius in naui, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & uocauit eos: Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum.

Homilia lectionis eiuſdem, habita ad populum in baſilica beati Andreæ Apoſtoli, in natali eius.

Homilia quinta.

AVdiſtis fratres chariſſimi: quia ad unius uocẽ Petrus & Andreas relictis retibus ſecuti ſunt redemptorẽ. Nulla uerò hunc facere adhuc miracula uiderãt: nihil ab eo de præmio C æternæ retributionis audierant: & tamẽ ad unum domini præceptũ, hoc quod poſſidere uidebãtur, obliti ſunt. Quanta nos eius miracula uidemus: quot flagellis affligimur: quãtis minarũ aſperitatibus deterremur: & tamẽ uocantẽ ſequi contemnimus? In cœlo iam ſedet, qui de cõuerſione nos admonet: iã iugo fidei colla gentiũ ſubdidit: iam mũdi gloriã ſtrauit: iam ruinis eius crebreſcẽtibus diſtricti ſui iudicij diem propinquantẽ denũciat: & tamen ſuperba mẽs noſtra adhuc nõ uult hoc ſpõte deſerere, quod quotidie perdit inuita. Quid ergo fratres chariſsimi, quid in eius iudicio dicturi ſumus: qui ab amore præſentis ſeculi, nec præceptis flectimur, nec uerberibus emendamur? Sed fortaſſe aliquis tacitis ſibi cogitationib⁹ dicat: Ad D uocẽ dominicã uterq; iſte piſcator quid aut quantũ dimiſit, qui penè nihil habuit? Sed hac in re fratres chariſsimi, affectũ debemus potius pẽſare q̃ cenſum. Multũ reliquit, qui ſibi nihil retinuit: multũ reliquit, qui quantũlibet parũ totũ deſeruit. Certe nos & habita cũ amore poſsidemus: & ea quæ minimè habemus, ex deſiderio quærimus. Multũ ergo Petrus et Andreas dimiſit: quãdo uterq; etiã deſideria habẽdi dereliquit. Multũ dimiſit: qui cũ re poſſeſſa etiã cõcupiſcentijs renũciauit. A ſequẽtibus ergo tanta dimiſſa ſunt: quãta à nõ ſequentibus cõcupiſci potuerunt. Nemo igit etiã cũ quoſdam conſpicit multa reliquiſſe, apud ſemetipſum dicat: Imitari mũdi huius contemptores uolo: ſed quod relinquã, nõ habeo. Multa fratres relinquitis, ſi deſideriis terrenis renũciatis. Exteriora etẽ

Multũ poteſt dilinqui ſibi nõ tene.

noſtra

nostra domino quālibet parua sufficiunt: cor nan A litia fellis alienum. Quasi columbæ ergo ad fenestras suas sunt, qui nihil in hoc mūdo concupiscūt, qui omnia simpliciter aspiciunt, & in hæc quæ uident, rapacitatis studio non trahuntur. At contra miluus & non columba ad fenestras suas est, qui ad ea quæ oculis considerat, rapinæ desiderio anhelat. Quia ergo fratres charissimi, beati Andreæ apostoli natalitia celebramus, debemus imitari quod colimus. Ostendat nostrę obsequium deuotionis, immutatæ solennitas mentis: despiciamus quæ terrena sunt: relictis tēporalibus mercemur æterna. Si autem necdū possumus relinquere propria, saltem non cōcupiscamus aliena. Si necdum mens nostra accenditur igne charitatis, in ambitione sua habeat frenum timoris: ut profectus sui passibus uegetata, dum ab alienorum appetitu compescitur, quandoq; ad propria contemnenda perducat; adiuuāte domino nostro Iesu Christo.

que & non substantiā pensat. Nec perpendit quātum in eius sacrificio, sed ex quāto proferat. Nam si exteriorem substantiam perpendamus: ecce sancti negociatores nostri perpetuam angelorum uitam datis retibus et naui, mercati sunt. Æstimationem quippe precij recte non habet: sed tamen re-
Luc.19 gnum dei tantum ualet quantū habes. Valuit nanque Zacchæo dimidiū substantię: quia dimidium aliud ad hoc quod iniuste abstulit, restituēdum in
Luc.21 quadruplum reseruauit. Valuit Petro & Andreæ dimissis retibus & naui. Valuit uiduæ duobus mi-
Mat.9 nutis. Valuit alteri calice aquæ frigidæ. Regnum itaq; dei, ut diximus, tantum ualet quātum habes. Pēsate igitur fratres quid uilius cùm emitur: quid carius cùm possidetur? Sed fortasse nec calix a- B quæ frigidæ suppetit qui indigenti præbeatur: etiam tunc securitatem nobis promittit sermo diuinus. Redemptore etenim nato, cœli ciues ostē-
Luc.2 si sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis deo: & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Ante dei nanq; oculos nunquàm est uacua manus à munere: si fuerit arca cordis repleta bona uoluntate.
Psal.55 Hinc etenim psalmista dicit: In me sunt deus uota tua: quæ reddam laudationes tibi. Ac si apertè dicat: Etsi exterius munera offerenda non habeo: intra memetipsum tamē inuenio quid in ara tuæ laudis impono: quia qui nostra datione non pascēris, oblatione cordis melius placaris. Nihil quippe of-
Voluntas bo na, quā de us appetit, in quo con sistat. fertur deo ditius uoluntate bona. Voluntas autem bona est, sic aduersa alterius sicut nostra perti C mescere: sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari. Aliena damna, nostra crēdere: aliena lucra, nostra putare. Amicum nō propter mundum, sed propter deum diligere. Inimicum etiam amando tolerare. Nulli quod pati non uis, facere: nulli quod tibi iustè impēdi desideras, denegare. Necessitati proximi non solum iuxta uires succurrere: sed prodesse etiam ultra uires uelle. Quid ergo isto holocausto locupletius: quando per hoc quod deo immolat in ara cordis, anima semetipsam mactat? Sed hoc bonæ uoluntatis sacrificium deo nunquàm plenè persoluitur: nisi mundi huius cupiditas perfectè deseratur. Nam quicquid in eo concupiscimus, hoc proculdubio proximis inuidemus. Videtur etenim quia nobis D desit quod alter assequitur. Et quia semper inuidia à bona uoluntate discordat, mox ut hæc mentem cœperit, illa discedit. Vnde prędicatores sancti ut possent proximos perfectè diligere, studuerūt in hoc seculo nihil amare, nihil unquam appetere, nihil etiam cū appetitu possidere. Quos bene Esaias intuens ait: Qui sunt isti qui ut nubes uolant:
Esa.60 & quasi columbæ ad fenestras suas? Vidit quippe terrena eos despicere, mente cœlestibus propinquare, uerbis pluere, miraculis coruscare. Et quos à terrenis contagijs sancta prædicatio & sublimis uita suspenderat: hos uolantes pariter & nubes
Occili sunt fenestræ animæ. appellat. Fenestræ autem nostri sunt oculi: quia per ipsos anima respicit quod exterius concupiscit. Columba uerò simplex est animal, atq; à ma-

Lectio sancti euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore. Cùm audisset Ioannes in uinculis opera Christi: mittēs duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui uenturus es: an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes reuuncia te Ioanni quæ audistis & uidistis. Cæci uident: claudi ambulant: leprosi mundantur. Surdi audiunt: mortui resurgūt: pauperes euangelizantur. Et beatus est, qui nō fuerit scandalizatus in me. Illis aūt abeūtibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne, Quid existis in desertum uidere? Arūdinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? Hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiūtur, in domibus regū sunt. Sed quid existis uidere? Prophetam? Etiam dico uobis: & plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelū Malā 3. meum ante faciē tuā: qui præparabit uiam tuam ante te.

Homilia lectionis eiusdem, habita ad populum, in basilica sanctorum Marcellini & Petri: die natalis eorum: Dominica tertia aduentus domini.

Homilia sexta.

QVærendum nobis est fratres charissimi: Ioannes propheta & plusquàm propheta, qui uenientem ad Iordanis baptisma dominum ostendit dicens: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata Ioan.1 mundi: qui & humilitatem suam, & diuinitatis eius potentiam considerans dicit: Qui de terra Ioan.3 est, de terra loquitur: qui autem de cœlo uenit, super omnes est: cur in carcere positus, mittens

discí-

Universidad de Deusto
Biblioteca

discípulos suos requirit: Tu es qui uenturus es: an alium expectamus?] tanquàm si ignoret quē ostenderat: & an ipse sit nesciat, quē ipsum esse prophetando, baptizando, & ostēdendo clamauerat. Sed hæc citius quæstio soluitur: si gestæ rei tēpus & ordo pensetur. Ad Iordanis enim fluenta positus: quia ipse redemptor mūdi esset, asseruit. Missus uerò in carcerem, an ipse ueniat requirit: non quia ipsum esse mundi redemptorem dubitat: sed quærit ut sciat si is qui per se in mundum uenerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. Quem enim præcurrens mundo nunciauerat, hunc moriendo & ad inferos descendendo præcurrebat. Ait ergo: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus?] Ac si aperte dicat: Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori, & ad inferos descendere digneris insinua: ut qui natiuitatis tuæ præcursor extiti, descensionis etiā præcursor fiam, & uenturū in inferno te nūciem, quem iam uenisse mundo enunciaui. Vnde & inquisitus dominus enumeratis potentiæ suæ miraculis, de mortis suæ protinus humilitate respōdit dicens: Cæci uidēt, claudi ambulāt, leprosi mūdantur, surdi audiunt, mortui resurgūt, pauperes euangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.] Visis tot signis, tantisq; uirtutibus non scandalizari quisq; potuit, sed admirari. Sed infidelium mens graue in illo scandalum pertulit, cùm eum post tot miracula moriētem uidit. Vnde & Paulus dicit: Nos aūt prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Stultum quippe hominibus uisum est, ut pro hominibus author uitæ moreretur: & inde contra eum homo scandalū sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit. Nam tāto deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus & indigna suscepit. Quid est ergo dicere: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me: nisi aperta uoce abiectionē mortis suæ humilitatemq; signare? Ac si patenter dicat: Mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te subsequor, cauendū ualde est hominibus ne in me mortē despiciāt, qui si gna uenerantur. Sed dimissis Ioannis discipulis, quid de eodem Ioanne turbis dicat, audiamus: Quid existis in desertum uidere? Arundinem uento agitatam?] Quod uidelicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? Qui mox ut fauore uel detractione tangitur, statim in partem quālibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilarescit & extollitur, totumq; se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde uentus detractionis eruperit unde laudis aura ueniebat, mox eum quasi in partem alteram ad uim furoris inclinat. Sed arundo uento agitata Ioannes non erat, quia hunc nec blādum gratia, nec cuiuslibet detractionis ira asperum faciebat. Nec prospera hunc erigere, nec aduersa nouerant inclinare. Arundo ergo uento agitata, Ioānes nō erat,

Ioannes Baptista dubitauit an ad inferos Christus descēderet.

1.Cor.1

quem à status sui rectitudine nulla rerum uarietas inflectebat. Discamus ergo fratres charissimi arūdo uento agitata non esse, solidemus animum inter auras linguarum positum, stet inflexibilis status mētis. Nulla nos detractio ad iram prouocet, atq; ad remissionem inutilis gratiæ nullus fauor inclinet. Non nos prospera eleuent, non aduersa perturbent, ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntiū mutabilitate mouea mur. Adhuc autem de eius sanctitate subiūgitur:

Sed quid existis in desertum uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiūtur, in domibus regum sunt.] Camelorum etenim pilis contextis, ut scitis, uestitus Ioānes fuisse describitur. Et quid est dicere: Ecce qui mollibus uestiū tur, in domibus regum sunt: nisi aperta sententia demonstrare, quia nō cœlesti sed terreno regi militant hi qui pro deo perpeti aspera fugiunt, & solis exterioribus dediti, præsentis uitæ mollitiem & delectationem quærunt. Nemo ergo existimet in fluxu atque studio preciosarum uestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Ioannem dominus de uestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Paulus Apostolus per epistolam fœminas à preciosarum uestium appetitu compesceret, dicens: Non in ueste preciosa. Pensate ergo quę culpa sit, hoc etiam uiros appetere, à quo curauit pastor Ecclesiæ & fœminas prohibere. Qamuis hoc quod Ioannes non esse uestitus mollibus dicitur, per significationem intelligi & aliter potest. Mollibus enim uestitus non fuit, quia uitam peccantiū non blandimentis fouit, sed uigore asperæ inuectionis increpauit, dicens: Genimina uiperarum quis uobis demonstrauit fugere à uentura ira? Vnde & per Salomonem dicitur: Verba sapiētum quasi stimuli, et sicut claui in altum defixi. Clauis quippe atq; stimulis, sapientum uerba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere: Sed quid existis uidere in desertum? Prophetam? etiam dico uobis & pluspquam prophetam.] Prophetæ quippe ministerium est, uentura prædicere, non etiam demonstrare. Ioannes ergo pluspquam propheta est, quia eum quem præcurrendo prophetauerat, etiam ostendendo monstrabat. Sed quia arundo uento agitata esse denegatur, quia nō esse uestitus mollibus dicitur, quia prophetæ nomē huic impar esse perhibetur, iam quid dignè dici possit, audiamus. Sequitur: Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te.] Quod enim Græcè angelus, hoc Latinè nuncius dicitur: Rectè ergo qui nunciare supernum iudicem mittitur, angelus uocatur, ut dignitatem seruet in nomine, quam explet in operatione. Altum quidem nomē est, si uita nomine inferior non est. Vtinam fratres charissimi, non ad iudicium nostrum dicamus, quia omnes qui sacerdotij nomine censentur, angeli uocantur: Prophetā attestāte, qui ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiā, & legem requirūt ex ore eius, quia angelus domini

Vel in

1.Tim.

Mat.3

Prou.

Mala.

Sacerdos quilibet angelus dicitur

domini exercituum est. Sed huius altitudinem no A
minis etiam uos si uultis potestis mereri. Nam u-
nusquisq; uestrum inquantum sufficit, inquātum
gratiam supernæ aspirationis accepit, si à prauita-
te proximum reuocat, si exhortari ad bene operā
dum curat, si æternum regnum uel supplicium er
ranti denunciat, cùm sanctæ denunciationis uer-
ba impendit, profectò angelus existit. Et nemo di
cat, admonere non sufficio, exhortari idoneus nō
sum. Quantum potes exhibe, ne malè seruatum ta
lentum quod acceperas, in tormentis pēdere exi-
garis. Neq; enim plus quàm unum talentum acce
perat, qui hoc abscōdere magis studuit, quàm ero
gare. Et scimus quod in tabernaculo nō solū phia
læ, sed præcipiēte domino etiam cyathi facti sunt.
Per phialas quippe doctrina exuberans: per cya- B
thos uerò parua atq; angusta designatur scientia.
Alius doctrina ueritatis plenus, audientiū mētes
inebriat. Per hoc ergo quod dicit, profectò phialā
porrigit. Alius explere quod sentit non ualet, sed
quia hoc utcunq; denunciat, profectò per cyathū
gustum præbet. In dei ergo tabernaculo, id est, in
sancta Ecclesia positi, si per doctrinam sapientiæ
ministrare phialas minimè potestis, inquantū pro
diuina largitate sufficitis, proximis uestris boni
uerbi cyathos date. Inquātum uos profeciſſe pen-
satis, etiam uobiscum alios trahite, in uias domini
socios habere desiderate. Si quis uestrum fratres
ad forum aut fortasse ad balneum pergit, quem o-
ciosum esse considerat, ut secum ueniat inuitat. Ip
sa ergo terrena actio uestra uos conueniat, & si ad C
deum tenditis, curate ne ad eum soli ueniatis.
Apo.22 Hinc etenim scriptum est: Qui audit, dicat ueni,
ut qui iam in corde uocem superni amoris acce-
perit, foras etiam proximis uocem exhortationis
reddat. Et fortasse panem ut indigenti eleemosy-
nam porrigat non habet, sed maius est quod tri-
buere ualeat, qui linguā habet. Plus enim est uer-
bi pabulo uicturam in perpetuum mentem refice
re, quàm uentrem morituræ carnis terreno pane
satiare. Nolite ergo fratres proximis uestram elee
mosynam uerbi subtrahere. Mecum uos admo-
neo, ut ab ocioso sermone parcamus, inutiliter lo-
qui declinemus. In quantum reniti linguæ præua
lemus, in uentum uerba non defluant, cùm iu-
Mat.12 dex dicat: Omne uerbum ociosum quod locuti D
Verbum o- fuerint homines, reddēt de eo rationem in die iu-
cioſum qua dicij. Ociosum quippe uerbum est quod aut utili-
le est. tate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis ca-
ret. Ociosa ergo colloquia ad ædificationis studi-
um uertite. Quàm celerrimè huius uitæ tempora
fugiant, considerate. Quàm districtus ueniat iu-
dex attendite. Hunc ante oculos uestri cordis po-
nite. Hunc proximorum uestrorum mentibus in-
timate, ut in quantum uires suppetunt, si an-
nunciare eum non negligitis, uocari
ab eo angeli cum Ioanne ua
leatis, adiuuante do
mino, &c.

Lectio sancti euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore. Miserunt Iudæi Ioan.1
ab Hierosolymis sacerdotes &
Leuitas ad Ioannem, ut interro-
garent eum, tu quis es? Et con-
fessus est, & non negauit. Et confessus est,
quia non sum ego Christus. Et interroga-
uerunt eum: Quid ergo? Helias es tu? qui di
xit non sum. Propheta es tu? Et respondit,
Non. Dixerunt ergo ei: Quis es? ut respon
sum demus his qui miserunt nos. Quid di- Esa.40
cis de teipso? Ait: Ego uox clamantis in de
serto, dirigite uiam domini, sicut dixit Esai-
as propheta. Et qui missi fuerant, erant ex
pharisæis. Et interrogauerūt eum, & dixe-
runt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es
Christus, neq; Helias, neq; Propheta? Re-
spondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in
aqua. Medius autem uestrum stetit, quem
uos nescitis: Ipse est qui post me uenturus
est, qui ante me factus est, cuius non sum di
gnus ut soluam eius corrigiam calciamēti.
Hęc in Bethabara facta sunt trans Iordanē,
ubi erat Ioannes baptizans.

Homiliā lectionis eiusdem habita ad po
pulū in basilica sancti Petri Apostoli: Do-
minica quarta in aduentu domini.

Homilia septima.

EX huius nobis lectionis uerbis fratres cha-
rissimi, Ioannis humilitas commēdatur, qui
cum tantæ uirtutis esset ut Christus credi potuis-
set, elegit solidè subsistere in se, ne humana opinio
ne raperetur inaniter super se. Nam confessus
est, & non negauit: & confessus est, quia non sum
ego Christus.] Sed qui dixit nō sum, negauit pla
nè quod non erat, sed non negauit quod erat: ut
ueritatem loquens, eius membrum fieret, cuius si
bi nomen fallaciter nō usurparet. Cùm ergo non
uult appetere nomē Christi, factus est membrum
Christi, quia dum infirmitatem suam studuit hu-
militer agnoscere, illius celsitudinem meruit uera
citer obtinere. Sed cùm ex lectione alia redem-
ptoris nostri sententia ad mentem reducitur, ex
huius lectionis uerbis nobis quæstio ualde imple
xa generatur. Alio quippe in loco inquisitus à di-
scipulis dominus de Heliæ aduentu, respōdit: He Mat.17
lias iam uenit, & non cognouerunt eum, sed fece-
runt in eum quæcunq; uoluerunt. Et si uultis sci-
re: Ioannes ipse est Helias. Requisitus autem Io-
annes dicit: Non sum Helias.] Quid est hoc
fratres charissimi, quia quod ueritas affirmat, hoc
propheta ueritatis negat? Valde nanq; inter se di
uersa sunt, ipse est, & non sum. Quomodo ergo
propheta ueritatis est, si eiusdem ueritatis sermo-

nibus concors non est? Sed si subtiliter ueritas ipsa requiratur, hoc quod inter se contrarium sonat quomodo contrarium non sit, inuenitur. Ad Zachariam nanque de Ioanne angelus dicit: Ipse precedet ante illum in spiritu & uirtute Heliæ. Qui id circo uenturus in spiritu, & uirtute Heliæ dicitur, quia sicut Helias secundum domini aduentũ præueniet, ita Ioannes præuenit primum. Sicut ille præcursor uenturus est iudicis, ita iste præcursor est factus redemptoris. Ioãnes ergo in spiritu Helias erat, in persona Helias non erat. Quod ergo dominus fatetur de spiritu: hoc Ioannes denegat de persona: quia & iustum sic erat, ut & discipulis dominus spiritalem de Ioanne sententiam diceret: & Ioannes ĩsdem turbis carnalibus nõ de spiritu, sed de corpore responderet. Contrarium ergo ueritati uidetur esse quod Ioannes sonuit, sed tamen à ueritatis tramite non recessit. Qui cùm se etiam prophetam negat, quia uidelicet non solum poterat redemptorem prædicare, sed etiam demonstrare, quisnam sit, cõtinuò exprimit, dum subiungit: Ego uox clamantis in deserto.] Scitis fratres charissimi, quia unigenitus filius uerbum patris uocatur, Ioanne attestante qui ait: In principio erat uerbum, & uerbũ erat apud deum, & deus erat uerbum. Et ex ipsa uestra locutione cognoscitis, quia prius uox sonat, ut uerbum post modum possit audiri. Ioannes ergo uocem se esse asserit, quia uerbum præcedit. Aduentum itaque dominicum præcurrens uox dicitur, quia per eius ministerium patris uerbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat, quia derelictæ destitutæq; Iudææ solatium sui redẽptoris annunciat. Quid autem clamet insinuat, cùm subiungit:

Dirigite uiam domini, sicut dixit Esaias propheta.] Via domini ad cor dirigitur, cùm ueritatis sermo humiliter auditur. Via domini ad cor dirigitur, cùm ad præceptum illius uita præparatur. Vnde scriptum est: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quisquis ergo in superbiam mẽtem eleuat, quisquis auaritiæ æstibus anhelat, quisquis se luxuriæ inquinationibus polluit, cordis ostium contra ueritatem claudit, & ne ad se dominus ueniat, claustra animi seris uitiorum damnat. Sed adhuc qui missi sunt, percontantur: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neq; Helias, neque propheta? Quod quia non studio cognoscendæ ueritatis, sed malitia exercendæ æmulationis dicitur, Euangelista tacitè innotuit, qui subiungit dicens: Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis.] Ac si apertè dicat: Illi Ioannem de suis actibus requirunt, qui doctrinam nesciunt quærere, sed inuidere. Sed sanctus quisq; etiã cùm peruersa mente requiritur, à bonitatis suæ studio non mutatur. Vnde Ioannes quoq; ad uerba inuidiæ, prædicamenta respondit uitæ. Nam protinus adiungit: Ego baptizo in aqua, medius autem uestrũ stetit quem uos nescitis.] Ioannes non in spiritu sed in aqua baptizat, quia peccata soluere non ualens, baptizatorum corpora per aquam lauat, sed tamen mentem per ueniam non sanat. Cur ergo baptizat qui peccata per baptisma non relaxat, nisi ut præcursionis suæ ordinem seruans, qui nascitu rum nascendo præuenerat, baptizaturum quoq; dominum baptizando præueniret? & qui prædicando factus est præcursor Christi, baptizando etiam præcursor eius fieret imitatione sacramenti. Qui inter hæc mysterium nostri redemptoris annuncians, hunc in medio hominum & stetisse asserit, & nesciri: quia per carnem dominus apparẽs, & uisibilis extitit corpore, & inuisibilis maiestate. De quo etiam subdit: Qui post me uenit, ante me factus est.] Sic nanque dicitur ante me factus: ac si dicatur, Ante me positus. Post me ergo uenit, quia postmodum natus. Ante me autem factus est, quia mihi prælatus. Sed hæc paulò superius dicens, etiam prælationis eius causas aperuit, cùm subiunxit: Quia prior me erat. Ac si apertè dicat: Inde me etiam pòst natus superat, quo eum natiuitatis suæ tempora non angustant. Nam qui per matrem in tempore nascitur, sine matre ante tempora est à patre generatus. Cui quantæ reuerentiæ humilitatem debeat, subdẽdo manifestat:

Cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamenti.] Mos apud ueteres fuit, ut si quis eam quæ sibi competeret, accipere uxorem nollet, ille ei calciamentum solueret, qui ad hanc sponsus iure propinquitatis ueniret. Quid igitur inter homines Christus, nisi sanctæ Ecclesiæ sponsus apparuit? De quo & idẽ Ioannes dicit: Qui habet sponsam, sponsus est. Sed quia Ioannem homines Christum esse putauerunt, quod idem Ioannes negat, rectè se indignum esse ad soluẽdam corrigiam eius calciamenti denunciat. Ac si apertè dicat: Ego redemptoris nostri uestigia denudare non ualeo, quia sponsi nomen mihi immeritò non usurpo. Quod tamen intelligi & aliter potest. Quis enim nesciat quòd calciamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus uerò dominus ueniẽs, quasi calciatus apparuit, quia in diuinitate sua, morticina nostræ corruptionis assumpsit. Vnde etiam per prophetam dicit: In Idumæam extendam calciamentum meum. Per Idumæã quippe gentilitas, per calciamentum uerò assumpta mortalitas designatur. In Idumæam ergo dominus calciamẽtum suum se extendere asserit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calciata ad nos diuinitas uenit. Sed huius incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit. Inuestigari etenim nullatenus potest quomodo incarnatur uerbum: quomodo summus & uiuificator spiritus, intra uterum matris animatur: quomodo is qui initium non habet, & existit & concipitur. Corrigia ergo calciamenti, est ligatura mysterij. Ioãnes itaque soluere corrigiam calciamenti eius non ualet, quia incarnationis eius mysterium nec ipse inuestigare sufficit, qui hoc per prophetiæ spiritum agnouit. Quid est ergo dicere, non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius: nisi apertè & humiliter suam ignorantiam profiteri? Ac si patẽter dicat:

Lucæ 1 Ioannes baptista in quibus est imitatus Heliã.

Ioan. 1

Ioannes baptista quare dictus est uox.

Ioan. 14

Baptismus Ioannis erat in aqua.

Ioan. 3

Psal. 59

Christ. carnat. uix intelligi potest

dicat: Quid mirũ si ille mihi prælatus est, quẽ post me quidem natum considero, sed natiuitatis eius mysterium non apprehendo? Ecce Ioannes prophetiæ spiritu impletus, mira scientia emicat, & tamen illud de se insinuat, quod ignorat. Qua in re pensandum nobis est fratres charissimi, & tota intentione cogitandum, quomodo sancti uiri ut humilitatis in se uirtutem custodiant, cùm quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos studẽt reuocare quod nesciunt: ut dum ex parte alia infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua per
Humilitas est custos uirtutis. fecti sunt, eorum se animus non extollat. Scientia etenim uirtus est, humilitas etiam custos uirtutis. Restat ergo ut in omne quod scit, sese mens deprimat: ne quod uirtus scientiæ congregat, uentus elationis spargat. Cùm bona fratres agitis, semper ad memoriam malè acta reuocate, ut dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur. Superiores inuicem in uia dei eos maxime qui uobis commissi non sunt, proximos uestros attendite, quia & quos agere aliqua praua conspicitis, quæ in eis lateant bona nescitis. Magnus ergo unusquisq; esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat intus quod erat.
Esa.5 Hinc etenim per prophetam dicitur: Væ qui sapi
Rom.12 entes estis in oculis uestris, & coram uobismetipsis prudentes. Hinc Paulus ait: Nolite prudentes esse apud uosmetipsos. Hinc contra superbiẽtem
1.Reg.15 Saul dicitur: Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Ac si apertè dicere tur: Cùm tu te paruulũ conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia uerò tu te magnum conspicis, à me paruus æstimaris. Quo cõtra cùm Dauid regni sui potentiam coram arca fœderis domini saltando despiceret, dixit: Ludam & uilior fiam plusquã factus sum, & ero humilis in oculis meis. Quem enim non extolleret, ora leonum frãgere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, à rege proposita extinctis allophylis numerosa præputia reportare, regnum ex promissione percipere, cunctumq; Israeliticum populum sine ulla postmodum contradictione possidere? & tamen in cunctis se despicit, qui in suis oculis se esse humilem confitetur. Si ergo sancti uiri etiam cùm agunt fortia, de semetipsis uilia sentiunt, quid in sua excusatione dicturi sunt, qui sine operatione
Opera bona sine humilitate nihil sunt. uirtutis intumescunt? Sed & si quælibet bona assint opera: nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non eleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate uirtutes congregat, quasi in uento puluerem portat, & unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. In cunctis ergo quæ agitis fratres mei, radicem boni operis humilitatem tenete, nec quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspicite: ut dum meliora uobis exẽpla proponitis, ad maiora semper ascendere ex humilitate ualeatis.

Greg.

Lectio sancti euangelij secundũ Lucam.

IN illo tempore. Exijt edictum à Cap.2 Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à prẽside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterẽtur singuli in suã ciuitatẽ. Ascẽdit aũt & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæã ciuitatem Dauid quæ uocatur Bethlehẽ, eo quòd esset de domo & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria despõsata sibi uxore prẽgnante. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies ut páreret, & peperit filium suum primogenitum. Et pannis eum inuoluit & reclinauit eum in prẽsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem, uigilantes & custodiẽtes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos, & claritas dei circunfulsit illos: Et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnũ quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in prẽsepio. Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis exercitus, laudantium & dicentium: Gloria in altíssimis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in Basilica beatæ Mariæ, in die natalis domini.

Homilia octaua.

QVia largiente domino, missarum solẽnia terra hodie celebraturi sumus, loqui diu de euangelica lectione nõ possumus. Sed nos aliquid uel breuiter dicere, redemptoris nostri natiuitas ipsa compellit. Quid est enim quod nascituro domino mundus describitur, nisi hoc quod apertè mõstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate? Quo contrà de reprobis per prophetam dicitur: Deleantur de libro uiPsal.68 uentium, & cum iustis non scribantur. Qui bene etiam in Bethlehem nascitur. Bethlehem quippe domus panis interpretatur. Ipse nanq; est qui ait: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. LoIoan.6 cus ergo in quo dominus nascitur, domus panis antea uocatus est, quia futurum profectò erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Qui nõ in parentũ domo, sed in uia nascitur: ut profectò ostenderet, quia per humanitatem suam quam assumpse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alienum ui delicet non secundum potestatem dico, sed secun
Ioan.1 dū naturā. Nā de potestate eius scriptū est: In propria uenit. In natura etenim sua ante tēpora natus est, in nostra uenit ex tempore. Qui ergo æternus permanēs, tēporalis apparuit, alienū est ubi desce
Esa.40 dit. Et quia per propheta dicitur: Omnis caro fœnum: factus homo, fœnum nostrum uertit in fru
Ioan.12 mentum, qui de semetipso ait: Nisi granum frumēti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Vnde & natus in præsepio reclinatur, ut fideles omnes, uidelicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret, ne ab æternæ intelligentiæ pa
Pastores uigiles sublimia uidere merentur. bulo ieiuna remanerent. Quid autem est quod uigilantibus pastoribus angelus apparet, eosq; dei claritas circunfulget, nisi q; illi præ cæteris uidere sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicitè sciunt? Dumq; ipsi piè super gregē uigilant, diuina super eos gratia largius coruscat. Regem uerò natū angelus nūciat, eiusq; uoci angelorum chori concinūt, & congaudētes clamāt: Gloria in excelsis deo, et in terra pax hominibus bonę uoluntatis. Prius quippe q; redemptor noster nasceretur per carnem, discordiā cum angelis habuimus, à quorū claritate atq; mūditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta lōgè distabamus. Quia enim peccādo extranei eramus à deo, extraneos nos à suo cōsortio deputabant angeli, ciues dei. Sed quia nos cognouimus regē nostrū, recognouerunt nos angeli ciues suos. Quia enim cœli rex terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa iam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, & quos prius infirmos, abiectosq; despexerant, iam socios uene
Gen.19 rantur. Hinc est enim quod Loth & Iosue angelos adorant, nec tamen adorare prohibētur: Ioannes uerò in Apocalypsi sua adorare angelum uoluit, sed tamen idem hunc angelus ne se debeat adora
Apo.22 re compescuit, dicens: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum. Quid est quod ante redemptoris aduētum angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodum uerò adorari refugiunt: nisi quòd naturam nostrā quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptā conspiciunt, prostratā sibi uidere pertimescunt? Nec iam sub se uelut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se uidelicet in cœli rege uenerantur. Nec habere dedignantur hominē socium, qui super se adorant hominem deum. Curemus ergo fratres charissimi ne qua nos immūditia polluat, qui in æterna præscientia & dei ciues, & angelis eius æquales sumus. Vendicemus moribus dignitatē nostram, nulla nos luxuria inquinet, nulla nos turpis cogitatio accuset, nō malitia mentē mordeat, non inuidiæ rubigo consumat, nō elatio inflet, nō ambitiò per terrena oblectamenta dilanier, nō ira
Psal.81 inflāmet. Dij etenim uocati sunt homines. Defende ergo tibi ò homo contra uitia honorē dei, quia propter te factus est deus homo, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Lectio sancti euāgelij secundū Matthęū.

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis parabolam hāc: Homo quidam peregrè proficiscens uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij uerò unum: unicuiq; secūdum propriā uirtutem: & profectus est statim. Abijt aūt qui quinq; talēta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinq;. Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum uerò tēporis uenit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinq; talenta acceperat, obtulit alia quinq; talenta, dicens: Domine, quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinq; superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cōsti tuam: Intra in gaudium domini tui. Accessit autē & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cōsti tuam: Intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti, & timens abij et abscōdi talentum tuū in terra. Ecce habes quod tuū est. Respondens autem dominus eius dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & cōgrego ubi non sparsi? Oportuit ergo te committere pecuniā meam numularijs, & ueniens ego recepissem utique quod meū est, cum usura. Tollite itaq; ab eo talentum, & date ei qui habet decē talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit, ei autem qui non habet, & quod uidetur habere auferetur ab eo. Et inutilē seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

Homilia lectionis eiusdem, habita ad populum in basilica sancti Siluestri Episcopi, die natalis eius.

Homilia nona.

LEctio sancti Euangelij, fratres charissimi, sollicitè considerare nos admonet, ne nos qui plus

plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cerni mur ab authore mundi, grauius inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiã crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atq; ad seruiendum prõptior quisq; debet ex munere, quanto se obligatiorem esse cõspicit in reddẽda ratione. Ecce homo qui peregrè proficiscitur, seruos suos uocat, eisq; ad negociũ talenta partitur. Post multum uerò temporis positurus rationẽ reuertit. Bene operantes pro apportato lucro remunerat, seruum uerò à bono opere torpentem damnat. Quis itaq; iste homo est qui peregrè proficiscit, nisi redemptor noster, qui in ea carne quã assumpserat, abijt in cœlũ? Carnis eñ locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per redẽptorem nostrum in cœlo collocat. Sed homo iste peregrè proficiscẽs, seruis suis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritalia dona concessit. Et uni quidem quinq; talenta, alij duo, alij uerò commisit unum. Quinq; etenim sunt corporis sensus: uidelicet uisus, auditus, gustus, odoratus, et tactus. Quinque ergo talentis, donum quinq; sensuum: id est, exteriorum scientia exprimitur. Duobus uerò, intellectus & operatio designatur. Vnius aũt talenti nomine, intellectus tãtummodo designat. Sed is qui quinq; talenta acceperat, alia quinq; lucratus est, quia sunt nonnulli qui etsi interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamẽ supernæ patriæ docent recta quos possunt, de ipsis exterioribus quæ acceperunt, duplum talentum portant. Dumq; se à carnis petulantia, & à terrenarũ rerum ambitu, atq; à uisibilium uoluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescũt. Et sunt nonnulli qui quasi duobus talentis ditati, intellectũ atq; operationem percipiũt, subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur. Cunq; & intelligendo & operando alijs prædicant, quasi duplicatum de negocio lucrum reportant. Bene autem alia quinq; uel alia duo in lucrũ uenisse referuntur, quia dum utriusq; sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talenta geminãtur. Sed is qui unum talentum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Talentum in terra abscondere, est acceptum ingeniũ terrenis actibus implicare, lucrũ spiritale nõ quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam leuare. Sunt nanq; nonnulli qui donum intelligentiæ perceperunt, sed tamẽ sola quæ carnis sunt sapiũt, de quibus per prophetam dicitur: Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierũt. Sed dominus qui talenta contulit, rationem positurus redit: quia is qui nũc piè spiritalia dona tribuit, districtè in iudicio merita exquirit. Quid quisq; accepit, considerat: & quod lucrũ de acceptis reportet, pensat. Seruus qui geminata talenta retulit, à domino laudatur, atq; ad æternam remunerationem intromittitur, cùm ei uoce dominica dicitur:

Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.] Pauca quippe bona sunt omnia præsentis uitæ, quamlibet multa esse uideãtur, comparatione retributionis æternæ. Sed tunc fidelis seruus super multa cõstituitur, quando deiecta omni corruptionis molestia, de æternis gaudijs in illa cœlesti sede gloriatur. Tũc ad domini sui gaudium perfectè intromittitur, quando in æterna illa patria assumptus, atq; angelorũ cœtibus admixtus, sic interius gaudet de munere, ut non sit iam quod exterius doleat de corruptione. Seruus aũt qui operari de talento noluit, ad dominum cũ uerbis excusationis redit, dicẽs: Domine, scio quia homo durus es: metis ubi non seminasti, & cõgregas ubi non sparsisti, & timens abij & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est.] Notandum quòd inutilis seruus durum dominũ uocat, cui tamen ad lucrum deseruire dissimulat, & timuisse se dicit in lucrũ talentũ expendere, qui hoc solũ timere debuerat, ne hoc sine lucro ad dominum reportaret. Sunt enim plerique intra sanctã Ecclesiam, quorum iste seruus imaginẽ tenet, qui melioris uitæ uias aggredi metuunt, & tamẽ iacere in sui torporis ignauia non pertimescũt. Cumq; se peccatores considerant, sanctitatis uias arripere trepidant, & remanere in suis iniquitatibus nõ formidant. Quorũ bene Petrus adhuc in infirmitate positus speciem tenet, cùm uiso miraculo piscium dixit: Exi à me domine, quia homo peccator sum. Immo si te peccatorẽ consideras, oportet ut à te dominum nõ repellas. Sed qui idcirco melioris habitus uias, & rectioris uitæ apprehendere arcem nolunt, quia infirmos se esse conspiciũt: quasi & peccatores se fatentur, & dominum repellunt, eumq; in quo sanctificari debuerant, fugiũt: & uelut in perturbatione consilium nõ habent dũ moriuntur, & uitam timent. Vnde & huic seruo protinus respondetur: Serue male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non spargo? Oportuit ergo te dare pecuniam meã numularijs, & ego ueniẽs recepissem utiq; quod meum est, cum usura.] Ex uerbis suis seruus piger cõstringitur, cùm dominus dicit: Meto ubi non semino, & congrego ubi nõ sparsi.] Ac si apertè dicat: Si iuxta tuam sententiã & illud exquiro quod non dedi, quanto magis à te exigo quod ad erogãdum dedi? Pecuniam uerò dare numularijs, est eis scientiam prædicationis impendere, qui hanc ualeant & dictis & operibus exercere. Sed sicut nostrum periculum aspicitis, si dominicã pecuniam teneamus: ita uestrum fratres charissimi sollicitè pensate, quia à uobis cum usura exigitur, quod auditis. In usura quippe pecunia etiã non data recipitur. Cùm enim hoc redditur quod acceptũ fuerat, illud etiam superimpenditur quod acceptum nõ est. Pensate ergo fratres charissimi, quia de accepta hac uerbi pecunia usuras soluetis, & curate ut ex eo quod auditis, etiam alia studeatis intelligere quæ non auditis, quatenus alia ex alijs colligẽtes, etiam illa discatis ex uobismetipsis agere, quę nec dum ex prædicatoris ore didicistis. Pigrum uerò seruum qua sententia feriat, audiamus. Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.] Opportunũ ualde uidebatur, ut cùm à malo

Talẽta quinque, duo, & unum, quid signant.

Hier. 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

Talẽta duo qui accepit plus habuit quàm ille qui habuerat quinq;.

seruo unum talentũ tollitur, ei potius qui duo, q̃ A qui quinq; talenta acceperat daretur. Illi enim magis dari debuit, qui minus quàm qui plus habuit. Sed, sicut superius diximus, per quinque talenta, quinq; uidelicet sensus, id est exteriorum scientia designatur. Per duo autem, intellectus & operatio exprimitur. Plus ergo habuit qui duo, quàm qui quinq; talẽta perceperat, quia qui per quinq; talenta, exteriorum administrationem meruit, ab intellectu interiorum adhuc uacuus fuit. Vnũ ergo talentum quod intellectum significare diximus, illi dari debuit, qui bene exteriora quæ acceperat, ministrauit. Quod quotidie in sancta cernimus Ecclesia, quia pleriq; dum bene ministrãt exteriora quæ accipiunt, per adiunctam gratiam, ad intellectum quoq; mysticum perducuntur, ut etiB am de interna intelligentia polleant, qui exteriora fideliter administrãt. Generalis etiam mox sententia subditur, qua dicitur: Omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo.] Habenti nanq; dabitur, & abundabit, quia quisquis charitatem habet, etiã dona alia percipit. Quisquis charitatem non habet, etiam dona quæ percepisse uidebatur, amittit. Vnde necesse est fratres mei ut per omne quod agitis, erga charitatis custodiã uigiletis. Charitas autem uera est, & amicum diligere in deum, & inimicũ diligere propter deũ. Quũ quisquis non habet, omne bonum amittit quod habet, talẽto quod acceperat priuatur, & iuxta dominicam sentẽtiam, in exteriores tenebras mittit. C Per pœnam quippe in exteriores tenebras cadit, qui per culpã suã spõte in interiores tenebras cecidit: & illic coactꝰ patit tenebras ultionis, qui hic libenter sustinuit tenebras uoluptatis. Sciendum uerò est quòd nullus piger ab hac talẽti acceptione securus est. Nullus nãq; est qui ueraciter dicat: Talentum minimè accepi, non est unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine, cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod uel minimum accepit. Alius nanq; accepit intelligentiam prædicationis, ministerium debet ex talẽto. Alius terrenam substantiam accepit, erogationem talẽti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligẽtiam, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem qua pascitur, ipsa ars ei in talenti acceD ptionem reputatur. Alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse familiaritatis locum apud diuitem meruit, talentum profectò familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigẽtibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, uigilet ne à misericordię largitate torpescat. Habẽs artem qua regitur, magnopere studeat ut usum atq; utilitatem illius cum proximo partiatur. Habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si cùm ualet, non apud eum pro pauperibus intercedit. Talentum quippe ab unoquoq; nostrum uenturus iudex exigit, quantũ dedit. Vt ergo de talẽti sui rationibus redeũte domino quisq; securus sit, cum tremore penset quotidie quid accepit. Ecce nanq; iam iuxtà est, ut ille qui peregrè profectus est, redeat. Quasi quippe peregrè abijt, qui scilicet de hac terra in qua natus est, lõgè discessit. sed profectò reuertitur, ut de talẽtis rationes ponat: quia si à bona actione torpescimus, de ipsis donis quæ contulit, nos districtius iudicat. Consideremus ergo quæ accepimus, atq; in eorum erogatione uigilemus. Nulla nos à spiritali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti dominus ad iracũdiam prouocetur. Piger etenim seruus, cùm iam culpas iudex examinat, talentum de terra leuat: quia sunt pleriq; qui tunc se à terrenis desiderijs uel operibus subtrahũt, quãdo iam per animaduersionẽ iudicis ad ęternum suppliciũ trahuntur. Antè ergo de talenti nostri ponẽda ratione uigilemus, ut cùm iam iudex ad feriendũ iminet, lucrum nos quod fecimus excuset. Quod præstet nobis deus qui uiuit, &c.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Vm natus esset Iesus in Cap. Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriẽte uenerũt Hierosolymã, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorũ? Vidimus enim stellã eius in Oriente, & uenimus adorare eum. Audiẽs autẽ Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotũ & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meũ Israel. Tunc Herodes clam uocatis Magis, diligẽter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum. Qui cùm audissent regem, abierũt: Et ecce stella quam uiderant in Oriente, antecedebat eos, usq; dum ueniens staret suprà ubi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt puerũ cum Maria matre eius. Et procidentes, adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurũ, thus, & myrrhã. Et respõso accepto in somnis, ne redirẽt ad Herodẽ, per aliã uiam reuersi sunt in regionem suam.

Charitas uera in duobus cõsistit.

Diuites debent esse liberales.

Homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Homilia lectionis eiusdem habita ad populū in Basilica sancti Petri apostoli, in die Epiphaniæ.

Homilia x

Sicut in lectione Euangelica fratres charissimi audistis, cœli rege nato, rex terræ turbatus est: quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm celsitudo cœlestis aperitur. Sed quærēdum nobis est quidnam sit ꝙ redemptore nato, pastoribus in Iudæa angelus apparuit, atq; ad adorandum hunc ab Oriente magos non angelus sed stella perduxit? Quia uidelicet Iudæis tanq; ratione utētibus, rationale animal, id est angelus, prædicare debuit: Gentiles uero quia uti ratione nesciebāt, ad cognoscendum dominum, non per uocem, sed per signa perducuntur. Vnde etiam per Paulū dicitur: Prophetiæ fidelibus datæ sunt, non infidelibus. Signa autē infidelibus, non fidelibus. Quia & illis prophetiæ tanq; fidelibus non infidelibus, & istis signa tanq; infidelibus non fidelibus data sunt. Et notandū ꝙ redemptorē nostrū cùm iam perfectæ esset ætatis, eisdē gentilibus Apostoli prædicant, eumq; paruulū & necdum per humani corporis officium loquentē, stella gentibus denūciat: quia nimirum rationis ordo poscebat: ut et loquentem iam dominum loquentes nobis prædicatores innotescerent, & necdum loquentē elementa muta prædicarent. Sed in omnibus signis, quæ uel nascente domino, uel moriente eo monstrata sunt, considerandū nobis est quanta fuerit in quorundam Iudæorū corde duritia, quæ hūc nec per prophetiæ donū, nec per miracula cognouit. Omnia quippe elementa authorē suū uenisse testata sunt. Vt enim de eis quiddā usu humano loquar, deum hunc cœli esse cognouerūt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognouit, quia sub plantis eius se calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente contremuit. Sol cognouit, quia lucis suæ radios abscōdit. Saxa & parietes cognouerūt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Infernus agnouit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit. Et tamē hunc quem deum omnia insensibilia elemēta senserunt, adhuc infideliū Iudæorū corda deū esse minime cognoscunt, & duriora saxis, scindi ad pœnitendum nolunt, eumq; confiteri abnegant, quem elementa, ut diximus, aut signis, aut scissionibus deum clamant. Qui etiam ad damnationis suæ cumulum eum quem natū despiciunt, nascturū longè antè præsciuerunt. Et non solū quia nasceretur nouerant, sed etiā ubi nascereť. Nam ab Herode requisiti, locū natiuitatis eius exprimunt, quē scripturæ authoritate didicerunt. Et testimoniū profe rūt, ꝙ Bethlehē honorari natiuitate noui ducis ostenditur, ut ipsa eorū gemina scientia & illis fieret ad testimoniū damnationis, & nobis ad adiutoriū credulitatis. Quos profecto bene Isaac cū Iacob filium suum benediceret, designauit: qui & caligās oculis, & prophetans, in præsenti filiū non uidit, cui tamen multa in posterū prꝛuidit. Quia nimirū Iudaicus populus prophetiæ spiritu plenus & cæcus, eum de quo multa in futurū prædixit, in præsenti positū non agnouit. Sed natiuitate regis nostri cognita, Herodes ad callida argumenta cōuertitur: & ne terreno regno priuaretur, renunciari sibi ubi puer inueniat postulat. Adorare eum uelle se simulat, ut hūc si inuenire possit, extinguat. Sed quanta est humana malitia contra consilium diuinitatis? Scriptū quippe est: Non est sapientia, non est prudentia, non est cōsilium contra dominum. Nam ea quæ apparuit stella, magos perducit. Natum regem reperiunt, munera deferunt. Et ne redire ad Herodem debeant, in somnis admonentē. Sicq; fit ut Iesum quem quærit Herodes, inuenire non possit. Cuius persona qui aliꝭ quàm hypocritę designantur, qui dum fictē quærunt inuenire dominum, nunquam merentur? Sed inter hæc sciendum ꝙ Priscillianistæ hæretici nasci unumquemq; hominem sub constitutionibus stellarum putant: & hoc in adiutoriū sui erroris assumunt, quòd noua stella exiit cùm dominus in carne apparuit. Cuius fuisse fatū eandem quæ apparuit stellā, putant. Sed si Euangeliꝭ uerba pensamus, quibus de eadē stella dicitur: Vsq; dum ueniens staret suprà ubi erat puer.] Dum non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatū pueri, sed fatum stellæ is qui apparuit puer fuit. Sed à fidelium cordibus absit ut aliquid esse fatū dicant. Vitam quippe hominum solus hic conditor qui creauit administrat. Neq; enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt. Et si stella fatum hominis dicitur, ipsis suis ministeriꝭ subesse homo perhibetur. Certe cum Iacob de utero egrediens, prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, nisi subsequens inchoasset: & tamen cum uno tempore, eodemq; momento utrunq; mater fuderit, non una utriusq; uitæ qualitas fuit. Sed ad hoc solent mathematici respondere, quia uirtus constellatiōnis in ictu puncti est. Quibus è diuerso nos dicimus, quia magna est mora natiuitatis. Si igitur in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iam erit, ut tot dicant fata quot sunt membra nascentium. Fateri etiam mathematici solent, quòd quisquis in signo aquariꝭ nascit, in hac uita piscatoris ministeriū sortiatur. Piscatores uero, ut fertur, Getulia non habet. Quis ergo dicat quia nemo illic in stella aquariꝭ nascitur, ubi piscator omnino nō habet? Rursum quos nasci in signo libræ asserunt, trapezitas futuros dicūt, & trapezitas multarum gentium prouinciæ ignorant. Fateantur ergo necesse est, aut hoc in eis signū deesse, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Persarum quoq; Francorumq; terra reges ex genere prodeūt, quibus profecto nascentibus quis æstimet quanti eisdem momentis horarum ac temporum ex seruili conditione nascuntur? & tamen regum filiꝭ uno eodemq; sydere cum seruis nati, ad regnum proficiunt, cùm serui qui secū fuerāt geniti, in seruitute moriantur. Hæc de stella breuiter diximus, ne mathematicorū stultitiā indiscussam præteriisse uideamur. Magi uero aurum, thus, & myrrham deferunt

Gentiles ad cognitionē domini per signa sunt perducti

Gen. 27

Vitā huiusmodi neque à stellis neq; à fato administratur, sed à solo creatore

Gen. 25

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regum mu nera Chri sto oblata quid sig nificant

runt. Aurum quippe regi congruit. Thus uero in dei sacrificium ponitur. Myrrha autē mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi quem adorant, etiam mysticis muneribus prędicant, auro regem, thure deum, myrrha mortalem. Sunt uero nonnulli hæretici qui hunc deum credunt, sed ubiq; regnare nequaq; credunt. Hi profecto ei thus offerunt, sed offerre etiam aurum nolunt. Et sunt nonnulli qui hunc regem existimāt, sed deum negant. Hi uidelicet ei aurū offerunt, sed offerre thus nolunt. Et sunt nonnulli qui hunc & deum & regem fatentur, sed assumpsisse carnem mortalē negant. Hi nimirū ei aurū & thus offerunt, sed offerre myrrhā assumptæ mortalitatis nolunt. Nos itaque nato domino offeramus aurum, & hūc ubiq; regnare fateamur. Offeramus thus, ut credamus quòd is qui in tempore apparuit, deus ante tempora extitit. Offeramus myrrham, ut eum quē credimus in sua diuinitate impassibilem, credamus etiam in nostra fuisse carne mortalem. Quamuis in auro, thure, & myrrha intelligi & aliud potest. Auro nanq; sapientia designatur: Salomone attestante, qui ait: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Thure autem quod deo incendit, uirtus orationis exprimitur: Psalmista testāte, qui dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Per myrrham uero carnis nostræ mortificatio figuratur. Vnde sancta Ecclesia de suis operarijs usq; ad mortem pro deo certātibus dicit: Manus meæ distillauerunt myrrham. Nato ergo regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationū studia in ara cordis incendimus, ut suaue aliquid deo per cœleste desiderium redolere ualeamus. Myrrham offerimus, si carnis uitia per abstinentiam mortificamus. Per myrrhā nāq;, ut diximus, agitur ne mortua caro putrefiat. Mortuā uero carnem putrescere, est hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deseruire: sicut de quibusdam per prophetā dicitur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta quippe in stercore suo putrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ uitā finire. Myrrham ergo deo offerimus, quando hoc mortale corpus à luxurię putredine per condimentū continentiæ custodimus. Magnū uero nobis aliquid magi innuunt, ꝙ in regionē suam per aliam uiam reuertuntur. In eo nanq; quod admoniti faciūt, nos profecto insinuāt quid faciamus. Regio quippe nostra paradisus est. Ad quam Iesu cognito, redire per uiam qua uenimus prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, uisibilia sequendo, cibum uetitum gustando, discessimus: sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, uisibilia contemnendo, atq; appetitū carnis refrenādo, redeamus. Per aliam ergo uiam ad regionē nostram regredimur: quoniam qui à paradisi gaudijs per delectamenta discessimus, ad hæc per lamēta reuocamur. Vnde necesse est fratres charissimi, ut semper pauidi semperq; suspecti ponamus ante oculos cordis hinc culpas operis, illinc iudicium extremæ districtionis. Pensemus quàm districtus iudex ueniat, qui iudiciū minatur & latet. Terrores peccatoribus intentat, & tamen adhuc sustinet. Et idcirco uenire citius differt, ut minus inueniat quod cōdemnet. Puniamus fletibus culpas, & cum Psalmistæ uoce præueniamus faciem eius in confessione. Voluptatum nos ergo fallacia nulla decipiat, nulla uana lætitia seducat, in proximo nāq; est iudex qui dixit: Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Hinc enim Salomon ait: Risus dolori miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Hinc iterum dicit: Risum deputaui errorem: & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Hinc rursus ait: Cor sapientium ubi tristitia est, & cor stultorū ubi lætitia. Pertimescamus ergo præcepta dei, si celebramus ueraciter solennitatem diei. Gratū nanq; deo sacrificium est afflictio contra peccatum, Psalmista testante, qui ait: Sacrificium deo spiritus cōtribulatus. Peccata nostra præterita in baptismatis perceptione laxata sunt, & tamē post baptisma multa cōmisimus, sed lauari iterum baptismatis aqua non possumus. Quia ergo et post baptisma inquinauimus uitam, baptizemus lachrymis cōscientiam, quatenus regionē nostram per uiam aliam repetentes, qui ex ea bonis delectati discessimus, ad eam malis amaricati redeamus, præstante domino, &c.

Regionem nostrā paradisum scilicet per aliā uiam quære re debemus

Prou. 21
Psal. 140
Cant. 5
Ioel 1

Lectio sancti euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum thesauro abscōdito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius uadit, & uendit uniuersa quę habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negociatori quęrenti bonas margaritas. Inuenta autem preciosa margarita, abijt & uendidit uniuersa quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenę missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in uasa sua, malos autē foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabūt malos de medio iustorum, & mittēt eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & uetera.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in Basilica sanctæ Agnetis, in die natalis eius.

Homilia

Homilia XI

COelorum regnum fratres chariſſimi idcirco terrenis rebus ſimile dicitur, ut ex his quę animus nouit ſurgat ad incognita quæ non nouit: quatenus exemplo viſibilium ſe ad inuiſibilia rapiat, & per ea quæ uſu didicit, quaſi cõfricatus incaleſcat: ut per hoc quod ſcit notũ diligere, diſcat & incognita amare. Ecce enim cœlorũ regnũ theſauro abſcondito in agro comparatur, quẽ qui inuenit homo abſcõdit, & prę gaudio illius uadit & uendit uniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. Qua in re hoc quoq; notandũ eſt q̃ inuentus theſaurus abſconditur ut ſeruetur: quia ſtudium cœleſtis deſiderij à malignis ſpiritibus cuſtodire non ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abſcondit. In preſenti etenim uita quaſi in uia ſumus, qua ad patriam pergimus. Maligni aũt ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſidẽt. Deprędari ergo deſiderat, qui theſaurum publice portat in uia. Hoc autẽ dico, nõ ut proximi opera noſtra bona non uideant: cùm ſcriptũ ſit: Videant opera ueſtra bona, & glorificẽt patrem ueſtrum qui in cœlis eſt: ſed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autẽ ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intẽtionẽ, qua deo ſoli placere quærimus, ſemper optemus ſecretũ. Theſaurus autẽ cœleſte eſt deſideriũ: ager uero in quo theſaurus abſcõditur, diſciplina ſtudij cœleſtis. Quem profecto agrum uenditis omnibus cõparat, qui uoluptatibus carnis renuncians, cuncta ſua terrena deſideria per diſciplinæ cœleſtis cuſtodiam calcat: ut nihil iam quod caro blanditur libeat, nihil quod carnalem uitam trucidat, ſpiritus perhorreſcat. Rurſum cœleſte regnum negociatori homini ſimile dicitur, qui bonas margaritas quærit, ſed unã precioſam inuenit, quã uidelicet inuentã, omnia uendens emit: quia qui cœleſtis uitæ dulcedinẽ inquantum poſſibilitas admittit, perfecte cognouerit, ea quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione eius uileſcunt omnia, deſerit habita, cõgregata diſpergit, inardeſcit in cœleſtibus animus, nihil in terrenis libet, deforme cõſpicitur quicquid de terrenæ rei placebat ſpecie, quia ſola precioſæ margaritæ claritas fulget in mẽte. De cuius dilectione recte per Salomonẽ dicitur: Fortis eſt ut mors dilectio: quia uidelicet ſicut mors corpus interimit, ſic ab amore rerũ corporaliũ æternę uitæ charitas occidit. Nam quẽ perfecte abſorbuerit, ad terrena foris deſideria uelut inſenſibilẽ reddit. Nec enim ſancta hæc cuius hodie natalitia celebramus, mori pro domino potuiſſet in corpore, ſi prius à terrenis deſiderijs mortua non fuiſſet in mente. Erectus nanq; in uirtutis culmine animus tormẽta deſpexit, præmia calcauit. Ante armatos reges & præſides inuicta ſtetit, feriẽte robuſtior, iudicãte ſublimior. Quid inter hæc nos barbati & debiles dicimus, qui ire ad regna cœleſtia puellas per ferrũ uidemus? Quos ira ſuperat, ſuperbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat. Qui ſi adipiſci regna cœlorũ per bella perſecutionũ non poſſumus, hoc ipſum nobis turpe ſit q̃ deũ nolumus ſaltẽ per pacẽ ſequi. Ecce nulli noſtrũ hoc tẽpore dicit deus, Pro me morere: ſed illicita tantũmodo in te deſideria occide. Qui ergo in pace ſubigere carnis deſideria nolumus, quando in bello pro domino ipſam carnẽ daremus? Rurſus ſimile eſſe regnũ cœlorũ ſagenę in mare miſſę dicitur, ex omni genere piſciũ cõgreganti, quę impleta ad littus educitur, & in uaſis boni piſces eliguntˇ, mali autẽ proijciuntˇ foras. Sancta Eccleſia ſagenę cõparatˇ, quia & piſcatoribus eſt cõmiſſa, & per eam quiſq; ad ęternũ regnũ à preſentis ſeculi fluctibus trahitur, ne in æternæ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piſcium congregat: quia ad peccatorũ uenią ſapientes & fatuos, liberos & ſeruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos uocat. Vnde per Pſalmiſtã deo dicitur: Ad te omnis caro ueniet. Quæ ſagena ſcilicet Eccleſia tunc uniuerſaliter repletur, cùm in fine ſuo humani generis ſumma concluditur. Quã educunt, & ſecus littus ſedent: quia ſicut mare ſeculũ, ita ſeculi finẽ ſignificat littus maris. In quo ſcilicet fine boni piſces in uaſis eliguntur, mali autẽ proijciuntˇ foras: quia & electi quiq; in tabernacula ęterna recipiũtur, & interni regni luce perdita, ad exteriores tenebras reprobi pertrahuntur. Nunc enim bonos malosq; cõmuniter quaſi permixtos piſces fidei ſagena nos cõtinet, ſed littus indicat ſanctæ Eccleſię ſagena quid trahebat. Et quidẽ piſces qui capti fuerint, mutari non poſſunt: nos autem mali capimur, ſed in bonitate permutamur. Cogitemus igitur in captione, ne diuidamur in littore. Ecce q̃ grata eſt nobis hodierna ſolennitas, ita ut ſe non modicũ addicat, ſi cui ex hoc cõuentu noſtro deeſſe cõtingat. Quid ergo in die illa acturus eſt, qui à cõſpectu iudicis rapitur, ab electorũ ſocietate ſeparatur, qui tenebreſcit à lumine, cruciatur æterna cõbuſtione? Vnde & hanc eandẽ cõparationẽ dominus ſub breuitate aperit, cùm ſubiungit: Sic erit in cõſummatione ſeculi. Exibũt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorũ, & mittent eos in caminũ ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentiũ.] Hoc iam fratres chariſſimi timendũ eſt potius q̃ exponendũ. Aperta enim uoce tormenta peccantium dicta ſunt, ne quis ad ignorantiæ ſuæ excuſationẽ recurreret, ſi quid de ęterno ſupplicio obſcurè diceretur. Vnde & ſubditur: Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Vtiq; domine.] Atq; in cõcluſione ſubiungitur: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorũ ſimilis eſt homini patrifamiliãs proferenti de theſauro ſuo noua & uetera.] Si per nouum & uetus quod dicitur, utrunq; teſtamentum accipimus, Abrahã doctũ fuiſſe denegamus, qui noui & ueteris teſtamẽti etſi facta nouit, miníme uerba nunciauit. Moyſen quoq; docto patrifamiliãs cõparare nõ poſſumus, qui etſi teſtamentũ tertius edocuit, noui tamẽ dicta nõ protulit. Dũ ergo ab hoc intellectu excludimur, ad alium uocamur. Sed in eo q̃d ueritas dicit: Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt patrifamiliãs; intelligi

tialet

Vitæ cœleſtis cupidus cuncta terrena facile dereliquit

Cant. 8

Ecclesiã ſagenæ comparatur

Pſal. 64

Maria littus ſeculi finem ſignificat

Tormenta peccantium

ualet: quia non de his qui fuerāt, sed de his qui esse A in Ecclesia poterāt loquebatur. Qui tunc noua & uetera proferunt, cùm utriusq; testamenti prędicamenta uocibus & moribus loquuntur. Quod tamen intelligi & aliter potest. Vetustū quippe humani generis fuit, ad inferni claustra descendere, pro peccatis suis supplicia æterna tolerare. Cui per mediatoris aduentū, nouū aliquid accessit, ut si hic recte studeat uiuere, cœlorū regna ualeat penetrare. Et homo in terra editus, à corruptibili uita moriat, in cœlo collocandus. Et uetus itaq; est, ut pro culpa humanū genus in æterna pœna intereat: & nouū, ut conuersus in regno uiuat. Quod ergo in conclusione locutionis suæ dominus subdidit, hoc est utiq; quod præmisit. Prius enim de regni similitudine thesaurum inuentū, ac bonam B margaritam protulit, postmodū uero inferni pœnas de malorū combustione narrauit, atq; in conclusione subiunxit: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorū similis est patrifamiliâs proferenti de thesauro suo noua & uetera.] Ac si apertè dicetur: Ille in sancta Ecclesia doctus prędicator est, qui & noua scit proferre de suauitate regni, & uetusta dicere de terrore supplicij: ut uel pœnæ terreant, quos præmia non inuitāt. Audiat de regno quod amet, audiat de supplicio unusquisq; quod timeat: ut torpentē animū & terræ uehemēter inhærentē, si amor ad regnū non trahit, uel timor mi net. Ecce enim de gehennæ expressione dicitur:

Prædicator quando dicitur doctus

Ibi erit fletus & stridor dentiū.] Sed quia præsentia gaudia sequuntur perpetua lamēta, hic fratres charissimi uanam lætitiam fugite, si illic flere formidatis. Nemo etenim potest & hic gaudere cum seculo, & illic regnare cum Christo. Temporalis itaq; lætitiæ fluxa restringite, carnis uoluptates edomate. Quicquid animo ex præsenti seculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat. Quicquid in mente puerīliter hilarescit, hoc disciplinæ iuuenilis cēsura coerceat: ut dū spōte tēporalia fugitis, æterna gaudia sine labore capiatis: præstāte domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat deus per omnia secula seculorum, Amen.

Lectio sancti euangelij secundum Matthæum.

Mat.25 IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolā hanc. Simile est regnum cœlorū decē uirginibus, quæ accipiētes lampades suas, exierunt obuiam sponso & spōsæ. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes. Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleū secum. Prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus. Moram autē faciēte sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & ornāuerunt lampades suas. Fatuę autē sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderūt prudentes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & uobis, ite potius ad uendentes, & emite uobis. Dum autē irent emere, uenit spōsus, & quæ paratæ erāt intrauerūt cū eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè uero ueniūt & reliquę uirgines dicētes: Domine domine, aperi nobis. At ille respōdēs ait: Amen dico uobis, nescio uos. Vigilate itaq;, quia nescitis diem neq; horam.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in Basilica sanctæ Agnetis, in diena talis eius. Homilia XII

SÆpe uos fratres charissimi admoneo praua opera fugere, mundi huius inquinamēta deuitare, sed hodierna sancti Euangelij lectione compellor dicere, ut & bona quæ agitis, cū magna cautela timeatis, ne per hoc quod à uobis rectè geritur, fauor aut gratia humana requiratur. Ne appetitus laudis surrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede uacuetur. Ecce enim redemptoris uoce decē uirgines, & omnes dicuntur uirgines, & tamē intra beatitudinis ianuā non omnes sunt receptæ: quia earū quædā dum de uirginitate sua gloriā foris expetunt, in uasis suis oleū habere noluerunt. Sed prius quærendū nobis est quid sit regnum cœlorū, aut cur decē uirginibus cōparetur, quæ etiam uirgines prudentes & fatuæ dicantur. Dum enim cœlorū regnū constat quia reproborum nullus ingreditur, etiā fatuis uirginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciēdū nobis est quod sæpe in sacro eloquio regnū cœlorū, præsentis tēporis Ecclesia dicitur: De quo alio in loco dominus dicit: Mittet filius hominis angelos suos, & colligēt de regno eius omnia scandala. Neq; enim in illo regno beatitudinis in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt quę colligantur. Et un de rursum dicitur: Qui ergo soluerit unū de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, hic minimus uocabitur in regno cœlorū. Qui autē fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorū. Mandatū quippe soluit & docet, quādo hoc quisq; uoce prædicat, quod uiuendo non implet. Sed ad regnū æternæ beatitudinis peruenire non ualet, qui non uult opere implere quod docet. Quomodo ergo in eo minimus uocabit, qui adhuc nullo modo intrare permittit? Quid itaq; per hanc sententiam nisi presens Ecclesia regnum cœlorum dicitur? In qua doctor qui mandatū soluerit, minimus uocatur, quia cuius uita despicitur, restat ut eius prædicatio contemnatur. In quinq; autem corporis sensibus unusquisq; subsistit: geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex utroq; sexu fideliū multitudo colligitur, sancta Ecclesia decē uirginibus similis denunciat. In qua quia mali cū bonis, & reprobi cū electis admixti sunt

sunt, recte similis uirginibus prudẽtibus & fatuis esse perhibeẽ. Sunt nanq; plerique continentes, qui ab appetitu se exteriori custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur, carnẽ macerant, & toto desiderio ad supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos fauores expetunt, doctrinæ inseruiunt, indigẽtibus multa largiũtur. Sed fatuę profecto sunt uirgines, quia solam laudis transitorię retributionem quærunt. Vnde & aptẽ subditur: Quinq; fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleũ secũ, prudentes autẽ acceperunt oleũ in uasis suis cum lampadibus.] Per oleũ quippe nitor gloriæ designatur: uascula autẽ nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quę cogitamus. Prudentes ergo oleũ in uasis habent, quia nitorẽ gloriæ intra conscientiam retinent: Paulo attestante, qui ait: Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. Fatuæ aũt uirgines oleũ secũ nõ sumũt, quia gloriã intra conscientiã non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt. Notandũ uero q̃ omnes lampades habent, sed omnes oleũ non habent: quia plerũq; bona in se opera cum electis & reprobi ostendunt, sed soli ad sponsum cum oleo ueniũt, qui de his quę foris egerint, intus gloriam requirunt. Vnde per Psalmistam quoq; de sancta electorũ Ecclesia dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.] Quia dum uenire iudex ad extremũ iudicium differt, electi & reprobi in mortis somno sopiunt. Dormire etenim mori est. Ante somnũ uero dormitare, est ante mortẽ à salute lãguescere, quia per pondus ęgritudinis, peruenitur ad somnũ mortis. Media autẽ nocte clamor factus est, ecce sponsus uenit, exite obuiã ei.] De aduentu spõsi clamor in media nocte fit, quia sic dies iudicij surrepit, ut præuideri non ualeat, quãdo uenit. Vnde scriptũ est: Dies domini sicut fur in nocte ita ueniet. Tunc omnes uirgines surgunt, quia & electi & reprobi à somno suę mortis excitantur. Lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinẽ expectant. Sed lampades fatuarũ uirginũ extinguuntur, quia earũ opera quę clara hominibus foris apparuerant, in aduentu iudicis intus obscurantur: & à deo retributionem non inueniunt, quia pro eis receperũt ab hominibus laudes quas amauerũt. Quid est autẽ q̃ tunc à prudẽtibus oleũ petunt, nisi q̃ in aduentu iudicis cùm se intus uacuas inuenerint, testimoniũ foris quærunt? Ac si à sua fiducia deceptæ proximis dicant: Quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus quid uidistis. Sed prudentes uirgines respondent dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & uobis.] In illo enim die, quod tamen de quibusdã in pace Ecclesiæ quiescentibus loquor, sibimetipsi testimonium uniuscuiusq; uix sufficit, quanto minus & sibi & proximo? Vnde & protinus per increpationẽ subdunt: Ite potius ad uendentes, & emite uobis.] Venditores quippe olei, adulatores sunt. Qui enim accepta qualibet gratia, uanis suis laudibus nitorẽ gloriæ offerũt, quasi oleũ uendunt. De quo profecto oleo Psalmista dicit: Oleũ autẽ peccatoris non impinguet caput meum. Principale etenim membrũ nostrũ, caput est. Appellatione autẽ capitis, ea quæ principatur corpori, mens uocatur. Impinguat ergo caput oleũ peccatoris, cũ demulcet mentẽ fauor adulantis. Sed dum irent emere, uenit sponsus.] Quia cùm uitæ suæ testimoniũ à proximis quærunt, iudex uenit, qui non solũ operũ, sed & cordiũ testis est: Quæ autẽ paratæ erant, intrauerũt cũ eo ad nuptias, & clausa est ianua.] O si sapere in cordis palato posset, quid admirationis habet quod dicitur, uenit sponsus? Quid dulcedinis, intrauerunt cum eo ad nuptias? Quid amaritudinis, & clausa est ianua? Venit quippe ille qui aduentu suo elementa concutit, in cuius conspectu cœlũ & terra cõtremiscit. Vnde etiã per prophetã dicit: Adhuc semel, & ego mouebo non solũ terrã, sed etiã cœlum. Ad cuius examen omne humanũ genus deducitur. Cui ad uindictã malorũ remunerationẽq; bonorũ, archangeli, throni, principatus & dominationes obsequuntur. Pensate fratres charissimi, ante conspectũ tanti iudicis, qui in illo die terror erit, quando iam in pœna remediũ non erit? Quæ illa confusio, cui reatu suo exigente continget in cõuentu omniũ angelorũ hominũq; erubescere? Qui pauor, eum quẽ & tranquillũ mens humana capere non ualet, etiã iratũ uidere? Quẽ diẽ bene propheta intuẽs ait: Dies irę dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miserię, dies tenebrarũ et caliginis, dies nebulę et turbinis, dies tubæ & clangoris. Pensate ergo fratres charissimi extremi diẽ iudicij super corda reproborũ qua asperitate propheta uidit amarescere, quem tot appellationibus non ualet explicare. Quanta uero tũc erit electorũ lætitia, qui de eius merent uisione gaudere, de cuius cõspectu uidẽt & elemẽta omnia cõtremiscere, cũ eo simul ad nuptias intrare: qui et in spõsi nuptijs gaudẽt, & tamẽ ipsi sũt spõsa, quia in illo æterni regis thalamo uisioni nostræ deus cõiungit. Quę scilicet uisio nunq; iam in perpetuũ ab amoris sui amplexibus euellet. Tunc regni ianua lugẽtibus claudet, quæ modo quotidie pœnitentibus aperit. Erit nanq; & tũc pœnitẽtia, sed fructuosa iam nõ erit: quia nequaq; tũc ueniã inuenit, qui modo aptũ ueniæ tẽpus perdit. Hinc etenim Paulus dicit: Ecce nũc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hinc propheta ait: Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Vnde & easdẽ uirgines fatuas inuocantes dominus non audit, quia intercluſa regni ianua, is qui nunc per exauditionẽ prope esse poterat, prope iã nõ erit. Nã subdit: Nouissimè ueniũt & reliquę uirgines dicẽtes: Domine domine aperi nobis. At ille respõdens ait: Amẽ dico uobis, nescio uos.] Ibi iam à deo non potest mereri quod

1.Cor.1 — Psal.44 — 1.Thes.5 — Psal.140 — Aggæi 2 — Iudicij dies terribilis erit — Sopho.1 — Paradisus quotidie pœnitentibus aperitur — 2.Cor.6 — Esa.55

quod petit, qui hic noluit audire quod iussit: quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni ianuam cum precibus uenit. Hinc est enim quod per Salomonem dominus dicit: Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne cõsiliũ meũ, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cùm uobis quod timebatis aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando uenerit super uos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane cõ surgent, & non inueniẽt me. Ecce aperiri clamãt, & repulsionis suę dolore compulsæ, appellationẽ dominantis ingeminant dicentes: Domine domine aperi nobis.] Preces offerunt, sed nesciunt, quia tũc uelut incognitos dominus deserit, quos modo suos per uitæ meritũ nõ agnoscit. Vbi aptè quoq; generalis ad discipulos exhortatio subinfertur, cùm dicitur: Vigilate itaq;, quia nescitis diem neq; horam.] Quia post peccata deus pœnitentiam suscipit, si sciret quisq; de præsenti seculo quo tempore exiret, aliud tempus uoluptatibus, atq; aliud pœnitẽtiæ aptare potuisset. Sed qui pœnitenti ueniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo extremũ diẽ debemus metuere, quem nunq; possumus præuidere. Ecce hũc ipsum diem de quo loquimur, ad inducias cõuersionis accepimus, & tamẽ mala quæ fecimus, flere recusamus. Non solum cõmissa non plangimus, sed etiã quæ defleantur augemus. At si aliqua nos ægritudo corripiat, si signa ægritudinis uicinã mortẽ denunciẽt, inducias uiuẽdi quærimus, ut peccata nostra defleamus, & eas cum magno æstu desiderij petimus, quas acceptas modo pro nihilo habemus. Rem fratres charissimi refero, quam si intentè audire uult charitas uestra, ex consideratione illius uehementer instruitur. Quidã uir nobilis in Valeria prouincia nomine Chrysaorius fuit, quẽ lingua rustica populus Chrisoriũ uocabat, uir ualde idoneus, sed tantũ plenus uitijs quantũ rebus: superbia tumidus, carnis suæ uoluptatibus subditus, in acquirendis rebus auaritię facibus accẽsus. Sed cũ tot malis dominus finẽ ponere decreuisset, sicut à religioso uiro quodã qui nũc supereſt, propinquo illius didici, corporis lãguore percussus est. Qui ad extremũ ueniens, eadẽ hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis uidit tetros & nigerrimos spiritus corã se assistere, & uehemẽter imminere, ut ad inferni claustra se raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis uocibus inducias petere, filiũq; suũ nomine Maximũ, quẽ ipse iam monachus monachũ uidi, nimijs & turbatis clamoribus uocare, dicens: Maxime curre: Maxime curre, nunq; tibi aliquid mali feci, in fidẽ tuam me suscipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugẽs & perstrepens familia conuenit. Eos autẽ quos ille insistẽtes sibi grauiter tolerabat, ipsi malignos spiritus uidere non poterãt, sed eorũ præsentiã in cõfusione, in pallore ac tremore illius qui trahebatur, uidebant. Pauore autẽ tetræ eorũ imaginis, huc illucq; uertebat in lectulo. Iacebat in sinistro latere, aspectũ eorũ ferre non poterat: uertebatur ad parietẽ, ibi aderant. Cumq; cõstrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis uocibus clamare dicens: Inducias uel usq; manè, inducias uel usq; manè. Sed cũ hæc clamaret, in ipsis suis uocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat, quia pro nobis ista non pro se uiderit, ut eius uisio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat. Nã illi tetros spiritus ante mortem uidisse, & inducias petisse, quid profuit, qui easdem inducias quas petijt non accepit? Nos ergo fratres charissimi nũc sollicitè ista cogitemus, ne nobis in uacuũ tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum uiuere, cùm iam cõpellimur de corpore exire. Mementote quid ueritas dicat: Orate ne fiat fuga uestra hyeme uel sabbato. Per legis quippe mandatũ, ambulare longius sabbato non licet: hyems quoq; ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium torpor frigoris astringit. Ait ergo: Orate ne fiat fuga uestra hyeme uel sabbato. Ac si aperte dicat: Vide te ne tunc queratis peccata uestra fugere, quando iam non licet ambulare. Illud ergo tempus quo fugere non licet, modo debet cogitari dum licet. Illa hora nostri exitus est semper intuenda, ista redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper ponenda, qui ait: Vigilate itaq;, quia nescitis diem neq; horam.]

Pœnitenti ueniam, sed non peccanti crastinum promittit deus

Matt. 24. Fugite ne fiat fuga uestra hyeme uel sabbato

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis. Sint lũbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Et uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, ut cùm uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cùm uenerit dominus inuenerit uigilãtes. Amẽ dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secũda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, et ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret utiq;, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & uos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet.

Luc. 12.

Homilia lectionis eiusdem, habita in Basilica beati Felicis, die natalis eius.

Homilia XIII

SAncti Euangelij fratres charissimi aperta uobis est lectio recitata. Sed ne aliquib. ipsa eius planities

planities alta fortaſſe uideatur, eam ſub breuitate A trāſcurrimus, quatenus eius expoſitio ita neſcientibus fiat cognita, ut tamen ſcientibus non ſit onerosa. Quia uiris luxuria in lumbis ſit, fœminis in umbilico, teſtatur dominus, quia de diabolo ad Iob 40 beatum Iob loquitur dicens: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in umbilico uētris eius. A principali igitur ſexu, lumborum nomine, luxuria deſignatur, cùm dominus dicit: Sint lumbi ueſtri pręcincti.] Lumbos enim pręcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus eſt mala non agere, niſi etiā Mala nō agere nō ſufficit, niſi etiā fiant bona quiſq; ſtudeat, & bonis operibus inſudare protinus additur: Et lucernæ ardētes in manibus ueſtris.] Lucernas quippe ardentes in manib. tenemus, cū per bona opera proximis noſtris lucis exempla mōſtramus. De quibus profecto operibus Mat.5 dñs dicit: Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrē ueſtrū qui in cœlis eſt. Duo aūt ſunt quæ iubētur, & lūbos reſtringere, & lucernas tenere, ut & mundi tia ſit caſtitatis in corpore, & lumē ueritatis in operatione. Redēptori etenim noſtro unū ſine altero placere nequaq; poteſt, ſi aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deſerit, aut is qui caſtitate præminet, necdum ſe per bona opera exercet. Nec caſtitas ergo magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquod ſine caſtitate. Sed & ſi utrunq; agitur, reſtat ut quiſquis ille eſt, ſpe ad ſupernam patriam tendat, & nequaq; ſe à C uitijs pro mundi huius honeſtate contineat. Qui etſi quædam bona aliquādo pro honeſtate incho at, in eius tamen intentione non debet permanere, nec per bona opera præſentis mundi gloriam quærere, ſed totam ſpem in redemptoris ſui aduē tum conſtituat. Vnde & protinus ſubditur:

Et uos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs.] Ad nu Dominus quando ad nuptias abijt. ptias quippe dominus abijt, quia reſurgens à mortuis, aſcendēs in cœlum, ſupernam ſibi angelorum multitudinem nouus homo copulauit. Qui tunc reuertitur, cùm nobis iam per iudicium manifeſtatur. Bene autem de ſeruis expectantibus ſubditur: Vt cum uenerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.] Venit quippe dominus cùm ad D Dominus quādo dicitur pulſare iudicium properat, pulſat uerò, cùm iam per ęgritudinis moleſtias eſſe mortem uicinam deſignat. Cui confeſtim aperimus, ſi hunc cum amore ſuſcipimus. Aperire enim iudici pulſanti non uult, qui exire de corpore trepidat, & uidere eum quē contempſiſſe ſe meminit, iudicem formidat. Qui autem de ſua ſpe & operatione ſecurus eſt, pulſanti confeſtim aperit, quia lętus iudicem ſuſtinet. Et cùm tempus propinquę mortis aduenerit, de gloria retributionis hilarescit. Vnde & protinus ſubditur: Beati ſunt ſerui illi quos cùm uenerit dominus inuenerit uigilantes.] Vigilat, qui ad aſpectum ueri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui ſeruat operādo quod credit. Vigilat, qui à ſe torporis & negligentiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Hinc rurſus ait: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Sed ueniens dominus quid ſeruis uigilantibus exhibeat, audiamus: Amen dico uobis quòd prącinget ſe, & faciet eos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.] Prącinget ſe, id eſt, ad retributionem præparabit. Et faciet illos diſcumbere, id eſt, æterna quiete refoueri. Diſcumbere quippe noſtrum, in regno quieſcere eſt. Vnde rurſum dominus dicit: Venient & recumbent Mat.8 cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Tranſiens autem dominus miniſtrat: quia lucis ſuæ illuſtratiōe nos ſatiat. Trāſire uerò dictum eſt, cùm de iudicio ad regnum redit. Vel certe dominus nobis poſt iudicium tranſit: quia ab humanitatis forma, in diuinitatis ſuæ contemplationem nos eleuat. Et tranſire eius eſt in claritatis ſuę ſpeculationem nos ducere, cùm eum quem in humanitate in iudicio cernimus, etiā in diuinitate poſt iudicium uidemus. Ad iudicium quippe ueniens, in forma ſerui omnibus apparet: quia ſcriptum eſt: Videbūt in quē transfixerunt. Sed cùm reprobi in ſuppliciū corIoan.19 ruunt, iuſti ad claritatis eius gloriam pertrahunt, ſicut ſcriptum eſt: Tollatur impius, ne uideat gloEſa.26 riam dei. Sed quid ſi ſerui in prima uigilia negligētes exiſtunt? Prima quippe uigilia, primæuæ ætatis cuſtodia eſt. Sed neq; ſic deſperandum eſt, & à bono opere ceſſandū. Nam lōganimitatis ſuæ patientiam inſinuans dominus ſubdit: Et ſi uenerit in ſecunda uigilia, & ſi in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi.] Prima quip- Vigiliæ tres ſunt pe uigilia, primæuum tempus eſt, id eſt, pueritia. Secunda adoleſcentia uel iuuentus, quæ authoritate ſacri eloquij unum ſunt, dicente Salomone: Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Tertia autem Eccłs 11 ſenectus accipitur. Qui ergo uigilare in prima uigilia noluit, cuſtodiat uel ſecundam, ut qui conuerti à prauitatibus ſuis in pueritia neglexit, ad uias uitæ ſaltem in tempore iuuentutis euigilet. Et qui euigilare in ſecunda uigilia noluit, tertiæ uigiliæ remedia non amittat, ut qui in iuuentute ad uias uitæ non euigilat, ſaltem in ſenectute reſipiſcat. Penſate fratres chariſſimi, quia concluſit dei pietas duritiam noſtram. Non eſt iam quid homo excuſationis inueniat. Deus deſpicitur, & expectat, contemni ſe uidet, & reuocat. Iniuriam de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoq; reuertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc eius longanimitatem negligat: quia tanto diſtrictiorem iuſtitiam in iudicio exigit, quanto longiorem patiētiam ante iudiciū prærogauit. Hinc etenim Paulus dicit: Ignoras Rom.2 quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei. Hinc Pſalmiſta ait: Deus Pſal.7 iudex iuſtus, fortis & longanimis. Dicturus quippe longanimem, præmiſit iuſtum, ut quem uides peccata delinquentium diu patienter ferre, ſcias hunc etiam quandoq; diſtrictè iudicare. Hinc perquendam ſapientem dicitur: Altiſſimus enim eſt Eccłi 5 patiens redditor. Patiens em̄ redditor dicit: quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccata hominum & patitur & reddit. Nam quos diu ut conuertantur tolerat, non cõuersos durius damnat. Ad excutiendam uerò mentis nostræ desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem ad medium deducũt, ut per hæc animus ad sui custodiam suscitetur. Nam dicit: Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret uigilaret utiq;, & nõ sineret perfodi domũ suã.] Ex qua præmissa similitudine etiã exhortatio sub infertur, cùm dicitur: Et uos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis uenit.] Ne scientè emi patrefamilias, fur domũ perfodit: quia dũ à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors ueniens, carnis nostræ habitaculum irrumpit, & eum quem dominum domus inuenerit dormientem, necat: quia cùm uentura damna spiritus minimè præuidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret, si uigilaret: quia aduentum iudicis qui occultè animam rapit precauens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam uerò ultimam dominus noster id circo uoluit nobis esse incognitã, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Proinde fratres mei in conditione mortalitatis uestræ mentis oculos figite, uenienti uos iudici per fletus quotidie, & lamenta præparate. Et cùm certa mors maneat omnes, nolite de temporalis uitæ prouidentia incerta cogitare. Terrenarum rerum uos cura non aggrauet. Quantislibet emi auri & argenti molibus circundetur, quibuslibet precio sis uestibus induatur caro, quid est aliud eq; caro? Nolite ergo attẽdere quid habetis, sed quid estis. Vultis audire quid estis? Propheta indicat dicẽs: Verè fœnum est populus. Si enim fœnum populus non est, ubi sunt illi qui ea quæ hodie colimus, nobiscum transacto anno beati Felicis natalitia celebrauerunt? O quanta & qualia de præsentis uitæ prouisione cogitabant, sed surrepente mortis articulo, repentè in his quę prouidere nolebãt, inuenti sunt. Et cuncta simul temporalia quæ cõgregata quasi stabiliter tenere uidebantur, amiserunt. Sic ergo trãsacta multitudo generis humani quæ per natiuitatem uiruit in carne, post mortem aruit in puluere, uelut fœnum fuit. Quia igit momentis suis horæ fugiunt, agite fratres charissimi ut in boni operis mercede teneãtur. Audite quid sapiens Salomon dicat: Quodcũq; potest manus tua facere, instãter operare: quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quia ergo & uẽturæ mortis tẽpus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest, ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim sic mors ipsa cùm uenerit, uincetur, si priusquam ueniat, semper timeatur.

Horam ultimam quare dominꝰ uoluit nobis esse incognitam

Isa.40 Populus est fœnum

Eccli 9

Lectio sancti euangelij secundũ Ioannem.

Ioan.10

IN illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suã dat pro ouibus suis. Mercenarius autem & qui nõ est pastor, cuius nõ sunt oues propriæ, uidet lupum uenientẽ, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eũ de ouibꝰ. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscũt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animã meã pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meã audient. Et fiet unum ouile, & unus pastor.

Homilia lectionis eiusdem, habita ad populum in Basilica S. Petri Apostoli, Dominica prima post octauas Paschæ.

Homilia XIIII

AVdistis fratres charissimi ex lectione Euãgelica eruditionem uestram, audistis ex lectione Euangelica periculum nostrum. Ecce emi is qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus.] Atq; eiusdẽ bonitatis formam quam nos imitemur, adiungit dicens: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.] Fecit quod monuit, ostendit quod iussit. Bonus pastor pro ouibus suis animã suam posuit, ut in sacramẽto nostro corpus suum & sanguinem uerteret, & oues quas redemerat, carnis suæ alimẽto satiaret. Ostensa nobis est de contemptu mortis uia quam sequamur, appositа est forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere. Postremum uerò, si necesse sit, etiam moriẽ nostram pro eisdem ouibus ministrare. A primo autem hoc minimo peruenitur ad postremũ maius. Sed cùm incomparabiliter longè sit melior anima qua uiuimus, eq; terrena substantia quam exterius possidemus, qui non dat pro ouibus substãtiam suam, quãdo pro his daturus est animã suã? Et sunt nonnulli qui dum plus terrenam substantiam quàm oues diligunt, meritò nomen pastoris perdunt. De quibus protinus subditur: Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius nõ sunt oues propriæ, uidet lupum ueniẽtem, & dimittit oues, & fugit.] Non pastor sed mercenarius uocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit. Terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur. Istæ sunt etenim mercedes mercenarij, ut pro eo ipso, quod in regimine laborat, hic quod quærit inueniat, & ab hæreditate regis in posterum alienus existat. Vtrum uerò pastor sit an mercenarius, cognosci ueraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim tempore, plerunq; ad gregis custodiam, sicut uerus pastor, sic etiam mercenarius stat, sed

lupus

lupus ueniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus etenim super oues uenit, cùm quilibet iniustus & raptor, fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse uidebatur & non erat, relinquit oues & fugit: quia dum sibi ab eo periculum ingeri metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia iniustitiam uidit & tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus bene per
Ezech.13 prophetam dicitur: Non ascendistis ex aduerso neq; opposuistis murum pro domo Israel, ut stare tis in prælio in die domini. Ex aduerso quippe ascendere, est quibuslibet potestatibus praue agẽtibus, rationis libera uoce contraire. Et in die domini pro domo Israel in prælio stamus, ac murum B opponimus, si fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam ex iustitiæ authoritate uindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cùm ue-
Diabolus est lupus mentes dilanians nientem lupum uiderit, fugit. Sed est alius lupus qui sine cessatione quotidie nõ corpora sed mentes dilaniat, malignus uidelicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circuit, & mortes animarum quærit. De quo lupo mox subditur: Et lupus rapit & dispergit oues.] Lupus uenit, & mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tẽtatione dilaniat, & is qui locum pastoris tenet, curam solicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipse de terrenis cõmodis lætatur. Lupus rapit & dispergit oues, cùm alium ad C luxuriam pertrahit, alium ad auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, hunc inuidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cùm fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hęc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur: quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Vnde & mox adiungitur: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.] Sola enim causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si apertè diceretur: Stare in periculo ouium non potest, qui in eo quòd ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terre-D num quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Sed quia redemptor noster culpas sicti pastoris innotuit, iterum formam cui debeamus imprimi ostendit dicens: Ego sum pastor bonus.] Atque subiungit: Et cognosco oues meas.] Hoc est diligo: Et cognoscũt me meæ.] Ac si patenter dicat, diligentes obsequuntur. Qui enim ueritatem nõ diligit, adhuc minime cognouit. Quia ergo audistis fratres charissimi periculum nostrum, pensate in uerbis dominicis etiam periculum uestrum. Videte si oues eius estis, uidete si eum cognoscitis, uidete si lumen ueritatis scitis. Scitis autem dico, non per fidem, sed per amorem. Scitis dico, non ex credulitate, sed ex operatione. Nã idem ipse qui hoc loquitur Ioannes Euangelista testatur dicens: Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Vnde & in hoc loco dominus protinus subdit: Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrẽ, & animam meam pono pro ouibus meis.] Ac si apertè dicat: In hoc constat quia & ego agnosco patrem, & cognoscor à patre, quia animã meam pono pro ouibus meis: id est, ea charitate qua pro ouibus morior, quantũ patrẽ diligã ostendo. Quia uerò nõ solũ Iudęã, sed etiã Gentilitatẽ, redimere uenerat, adiungit: Et alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocẽ meã audiẽt, & fiet unũ ouile, & unus pastor.] Redemptionem nostram, qui ex Gẽtili populo uenimus, dominus aspexerat, cùm se adducere & alias oues dicebat: Hoc quotidie fieri fratres aspicitis, hoc reconciliatis gentibus factũ hodie uidetis. Hodie quasi ex duobus gregibus unum ouile efficit: quia Iudaicum & Gentilẽ populum in sua fide coniungit: Paulo attestante, qui ait: Ipse est pax nostra, qui fecit utraq; unũ. Dum Ephes.2 enim ad æternam uitam ex utraq; natione simplices eligit, ad ouile propriũ oues deducit. De quibus profectò ouibus rursum dicit: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis.] De quibus & paulò superius dicit: Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.] Ingredietur quippe ad fidem, egredietur uerò à fide ad speciem, à credulitate ad contemplationem, pascua autem inueniet in æterna refectione. Oues ergo eius pascua inuenient: quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ uiriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ouiũ pascua, nisi interna gaudia semper uirentis paradisi? Pascua nanq; electorũ sunt, Pascua ouium Christi quæ sunt uultus præsens dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens uitæ cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis satietate lætati sunt, qui iam laqueos uoluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi hymnidici angelorum chori. Ibi societas supernorum ciuium. Ibi dulcis solennitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium. Ibi prouidi prophetarum chori. Ibi iudex Apostolorum numerus. Ibi innumerabilium martyrum uictor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus. Ibi confessorum constantia, præmij sui perceptione consolata. Ibi fideles uiri, quos à uirilitatis suæ robore uoluptas seculi emollire non potuit. Ibi sanctæ mulieres, quæ cum seculo & sexum uicerunt. Ibi pueri, qui hic annos suos moribus transcenderunt. Ibi senes, quos hic & ætas debiles reddidit, & uirtus operis nõ reliquit. Quæram⁹ ergo fratres charissimi hæc pascua, in quibus cum tantorum ciuium solennitate gaudeamus. Ipsa nos lętantium festiuitas inuitet. Certè sicubi populus nundinas celebraret, si ad alicuius Ecclesiæ dedicationem denunciata solennitate concurreret, festinaremus omnes simul inueniri, & interesse unusquisq; satageret. Graui se damno afflictum crederet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

deret,si ſolennitatem communis lætitiæ non uideret.Ecce in cœleſtibus electorum ciuium lætitia agitur, uiciſſim de ſe omnes in ſuo conuentu gratulantur,& tamen nos ab amore eternitatis tepidi,nullo deſiderio ardemus,intereſſe tantæ ſolennitati non quærimus,priuamur gaudijs,& læti ſumus.Accendamus ergo animum fratres, recaleſcat fides in id quod credidit,inardeſcant ad ſuperna noſtra deſideria, & ſic amare, iã ire eſt. Ab internæ ſolennitatis gaudio nulla nos aduerſitas reuocet:quia & ſi quis ad locum propoſitum ire deſiderat,eius deſiderium quælibet uiæ aſperitas non immutat.Nulla nos proſperitas blandiens ſe ducat:quia ſtultus uiator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens, obliuiſcitur ire quo tendebat.Toto ergo deſiderio ad ſupernam patriam animus anhelet, nil in hoc mundo appetat, quod conſtat quia citius relinquat: ut ſi cœleſtis paſtoris ueraciter oues ſumus, quia in uiæ delectatione non figimur, æternis paſcuis in peruentione ſatiemur,præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto qui uiuit & regnat in unitate ſpiritus ſancti deus, per omnia ſecula ſeculorum,Amen.

Viatoris ſtulti conditio

Lectio ſancti euangelij ſecundum Lucam.

Luc.8

IN illo tẽpore:Cùm turba plurima cõueniret ad Ieſum,& de ciuitatibus properarent ad eũ, dixit per ſimilitudinem:Exijt qui ſeminat ſeminare ſemẽ ſuum. Et dũ ſeminat,aliud cecidit ſecus uiam, & conculcatum eſt,& uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram, & natũ aruit,quia nõ habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam,& ortum,fecit fructum centuplum.Hæc dicens,clamabat:Qui habet aures audiendi,audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni dei,cæteris autem in parabolis,ut uidentes non uideant,& audientes non intelligant.Eſt autem hæc parabola:Semen eſt uerbum dei. Quod autem ſecus uiam,hi ſunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorũ, ne credentes ſalui fiant. Nam quod ſupra petram,hi ſunt qui cùm audierint, cũ gaudio ſuſcipiunt uerbum. Et hi radices nõ habẽt,quia ad tempus credũt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinis cecidit,ſunt qui audierunt,& à ſollicitudinibus & diuitijs & uoluptatib. uitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem cecidit in terrã bonã, hi ſunt qui in corde bono & optimo audiẽtes uerbum retinent, & fructũ afferũt in patiẽtia.

Homilia lectionis eiuſdem,habita ad populum in Baſilica ſancti Petri Apoſtoli in ſexageſima.

Homilia XV

LEctio ſancti Euangelij, quam modo fratres chariſſimi audiſtis,expoſitione non indiget, ſed admonitione.Quam emẽ per ſemetipſam ueritas expoſuit,hanc diſcutere humana fragilitas nõ præſumit.Sed eſt quod ſollicitè in hac ipſa expoſitione dominica penſare debeamus,quia ſi nos uobis ſemen uerbum,agrum mundum,uolucres dæmonia,ſpinas diuitias ſignificare dicerem⁹,ad credendum nobis mẽs forſitan ueſtra dubitaret. Vnde & idem dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere quod dicebat,ut ſciatis rerum ſignificationes quærere in his etiam quæ per ſemetipſum noluit explanare.Exponendo ergo quod dixit,figuratè ſe loqui innotuit,quatenus certos nos redderet, cum uobis noſtra fragilitas uerborũ illius figuras aperiret.Quis enim mihi unquam crederet,ſi ſpinas diuitias interpretari uoluiſſem? Maxime cùm illæ pungant,iſtæ delectent. Et tamen ſpinæ ſunt,quæ cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & cùm uſq; ad peccatũ pertrahunt,quaſi inflicto uulnere cruentãt. Quas bene hoc in loco,alio Euangeliſta atteſtante, nequaquam dominus diuitias, ſed fallaces diuitias appellat.Fallaces emẽ ſunt, quæ nobiſcũ diu permanere non poſſunt.Fallaces ſunt quæ mẽtis noſtræ inopiam non expellunt.Solæ autem diuitiæ ueræ ſunt,quæ nos diuites uirtutibus faciũt.Si ergo fratres chariſſimi eſſe diuites cupitis, ueras diuitias amate.Si culmen ueri honoris quæritis, ad cœleſte regnum tendite.Si gloriam dignitatum diligitis,in illa ſuperna angelorum curia adſcribi feliciter,uerba domini quæ aure percipitis, mente tenete.Cibus enim mentis eſt ſermo dei. Et quaſi acceptus cibus ſtomacho languente reijcit,quando auditus ſermo in uentre memoriæ non tenet. Sed quiſquis alimenta nõ retinet, huius profectò uita deſperatur.Æternæ igitur mortis periculum formidate,ſi cibum quidem ſanctæ exhortatiõis accipitis,ſed uerba uitæ,id eſt, alimẽta iuſtitiæ in memoria non tenetis.Ecce tranſit omne quod agitis,& ad extremum iudicium ſine ulla momenti interpoſitione quotidie uolentes nolẽtesq; properatis.Cur ergo amatur quod relinquitur? Cur illud negligitur quo peruenitur? Mementote quod dicitur: Si quis habet aures audiendi,audiat.] Omnes enim qui illic aderant, aures corporis habebant.Sed qui cunctis aures habentibus, ſi quis habet aures audiendi audiat, dicit: aures procul-

Mar. Diac. contr. lacer.

dubio

dubio cordis requirit. Curate ergo, ut acceptꝰ ser-
mo in cordis aure remaneat. Curate ne semen iux
ta uiam cadat, ne malignus spiritus ueniat, & à me
moria uerbū tollat. Curate ne petrosa terra semen
excipiat, & fructum boni operis sine perseueran-
tiæ radicibus mittat. Multis enim libet quod audi
unt, boni operis initia proponunt, sed mox ut fati
gari aduersitatib. cœperint, inchoata derelinquūt
Petrosa ergo terra humorem nō habuit: quia hoc
quod germinauerat, ad fructum perseuerātiæ nō
perduxit. Multi itaq; cùm uerbum contra auari-
tiam audiunt, eandem auaritiam detestantur, re-
rum omnium contemptum laudant: sed mox ut
uiderit animus quod cōcupiscat, obliuiscīt quod
laudabat. Multi cùm uerbum contra luxuriam au
diunt, pollutiones carnis nō solum perpetrare nō
appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt: sed
mox ut carnis species eorū oculis apparet, sic mēs
ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit con-
tra hæc eadem desideria deliberatum: & damnan
da agit, qui quicquid egisse se meminit, iam & ip-
se damnauit. Sæpe etiam contra culpas compun-
gimur, & tamen post fletum, ad easdem culpas re-
dimus. Sic Balaam Israelitici populi tabernacula
contemplatus fleuit, eisq; se similem fieri in mor-
te depoposcit, dicens: Moriatur anima mea mor-
te iustorum, & fiant nouissima mea horum similia
Sed mox ut hora compunctionis transiit, in auari
tiæ nequitiam exarsit. Nam propter promissā mu
nera, in eius populi mortem consilium dedit, cu-
ius morti se fieri similem optauit. Et oblitus est q̄
planxerat, cùm extinguere noluit, quod per auari
tiam ardebat. Notandum uerò est quòd exponēs
dominus dicit, quia sollicitudines & uoluptates
& diuitiæ suffocāt uerbum. Suffocant enim, quia
importunis cogitationibus suis, guttur mētis strā
gulant, & dum bonum desiderium intrare ad cor
non sinunt, quasi aditum flatus uitalis necant. No
tandum etiam quod duo sunt quæ diuitijs iungit,
sollicitudines uidelicet & uoluptates: quia profe-
ctò & per curam mentem opprimunt, & per af-
fluentiam resoluunt. Re enim contraria possesso-
res suos & afflictos & lubricos faciunt. Sed quia
uoluptas conuenire non potest cum afflictione,
alio quidem tempore per custodiæ suæ sollicitu-
dinem affligunt, atq; alio per abundantiam ad uo
luptates emolliunt. Terra autem bona fructū per
patientiam reddit, quia uidelicet nulla sunt bona
quæ agimus, si non æquanimiter etiam proximo
rum mala toleramus. Quanto enim quisq; altius
profecerit, tanto in hoc mundo inuenit quod du-
rius portet: quia cùm à præsenti seculo mentis no
stræ dilectio deficit, eiusdem seculi aduersitas cre-
scit. Hinc est enim quod plerosq; cernimus & bo
na agere, & tamen sub graui tribulationum fasce
desudare. Terrena nanq; iam desideria fugiunt, &
tamen flagellis durioribus fatigantur. Sed iux-
ta uocem domini, fructum per patiētiam reddūt,
quia cùm humiliter flagella suscipiūt, post flagel-
la ad requiem sublimiter suscipiuntur. Sic uua cal
cibus tunditur, & in uini saporem liquat. Sic oli-

Num. 23 Balaam propter auaritiam in populi necem cōsensit

A ua contusionibus expressa, amurcam suam dese-
rit, & in olei liquorem pinguescit. Sic per triturā
areæ, à paleis grana separantur, & ad horreū pur-
gata perueniunt. Quisquis ergo appetit plenè uiti-
tia uincere, studeat humiliter purgationis suæ fla-
gella tolerare: ut tanto post ad iudicem mundior
ueniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribu-
lationis purgat. In ea porticu quæ euntibus ad
Ecclesiam B. Clementis est peruia, fuit quidā Ser
uolus nomine, quem multi uestrum mecum no-
uerunt, rebus pauper, meritis diues, quem longa
ægritudo dissoluerat. Nam à primæua ætate usq;
ad finem uitæ paralyticus iacebat. Quid dicā quia
stare non potuerat, qui nunquam in lecto suo sur-
B gere uel ad sedendum ualebat? nūquam manum
suam ad os ducere, nunquam se potuit in latus a-
liud declinare. Huic ad seruiēdum mater cum fra
tre aderat, & quicquid ex eleemosyna potuisset
accipere, hoc eorum manibus pauperibus eroga-
bat. Nequaquam literas nouerat, sed scripturæ sa-
cræ sibimet codices emerat, & religiosos quosq;
in hospitalitatem suscipiēs, hos coram se legere si
ne intermissione faciebat. Factumq; est ut quan-
tum ad mensuram propriam attinet, plenè sacrā
scripturam disceret, cùm, sicut dixi, literas fundi-
tus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias
agere, hymnis deo & laudibus diebus ac noctib.
uacare. Sed cùm iam tempus esset ut tanta eius pa
tientia remunerari debuisset, membrorum dolor
C ad uitalia redijt. Cunq; se iam morti proximū ag-
nouit, peregrinos uiros atq; in hospitalitate susce
ptos admonuit ut surgerēt, & cū eo Psalmos pro
expectatione exitus sui decantarent. Cunq; cum
eis & ipse moriens psalleret, uoces psallentium re
pentè compescuit, cum terrore magni clamoris
dicens: Tacete. Nunquid non auditis quantæ re-
sonāt laudes in cœlo? Cunq; ad easdē laudes quas
intus audierat, aurē cordis intenderet, sancta illa
anima à carne soluta est. Sed exeunte illa, tanta il-
lic fragrantia odoris aspersa est, ut omnes illi qui
aderant, inæstimabili suauitate replerētur: ita ut
per hoc patēter agnoscerēt, quòd eā laudes quas
audierat, in cœlo susciepissent. Cui rei monachus
noster interfuit, qui nuncusq; uiuit, & cum mag-
D no fletu atteslari solet, quia quousq; corpus eius
sepulturæ traderēt, ab eorum naribus odoris illi-
us fragrantia non recessit. Ecce quo fine ex hac
uita migrauit, qui in hac uita æquanimiter flagel-
la tolerauit. Iuxta uocem ergo dominicam, bona
terra fructum per patiētiam reddidit, quæ exara-
ta disciplinæ uomere, ad remunerationis segetem
peruenit. Sed uos rogo fratres charissimi attendi-
te, quod excusationis argumētum in illo districto
iudicio habituri sumus nos, qui à bono opere tor
pentes, & res & manus accipimus, si præcepta do
minica egenus & sine manibus potuit implere?
Non contra nos dominus tunc Apostolos ostē-
dat, qui ad regnum secum turbas fidelium prædi-
cando traxerunt. Non contra nos martyres exhi-
beat, qui ad cœlestem patriam sanguinē fundē-
do peruenerunt. Quid tunc dicturi sumus, cùm

Seruoli pauperis Romani patientia fuit maxima

hunc de quo locuti sumus, Seruolum uiderimus, A cui longus languor brachia tenuit, sed tamen hæc à bono opere non ligauit: Hæc uobiscum fratres agite, sic uos ad studium boni operis instigate, ut cùm bonos uobis modo ad imitandum proponitis, eorum consortes tunc esse ualeatis, præstante domino nostro Iesu Christo, &c.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Mat.4 IN illo tẽpore: Ductus est Iesus in desertũ à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus B & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiãt. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo q̃d Deut.8 procedit de ore dei. Tũc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatẽ, & statuit eum su- Psal.90 per pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius dei es, mitte te deorsum. Scriptum est em̃, quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollẽt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus rursum: Scriptũ C est: Non tentabis dominũ deum tuum. Ite- Deut.7 rum assumpsit eum diabolus in mõtem excelsum ualde, & ostẽdit ei omnia regna mũdi, & gloriam eorum & dixit illi. Hæc omnia tibi dabo, si cadẽs adoraueris me. Tũc dixit ei Iesus: Vade Satana. Scriptum est enim: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserũt, & ministrabãt ei.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum, in basilica sancti Ioannis, quæ dicit Constantiniana: Dominica prima in quadragesima. D

Homilia XVI

DVbitari à quibusdam solet, à quo spiritu sit Iesus ductus in desertum, propter hoc quod subditur: Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.] Et rursum: Assumpsit eum in montem excelsum ualde.] Sed uerè & absq; ulla quę stione conuenienter accipitur, ut à sancto spiritu in desertum ductus credatur, ut illic eum suus spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inueniret. Sed ecce cùm dicitur Deus homo uel in excelsum montem, uel in sanctam ciuitatem à diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expauescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si illo & alia facta pensamus. Certè iniquorum omnium caput diabolus est, & huius capitis mẽbra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra, Iudæi persequentes, & milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirũ si se ab illo permisit in mõtem duci, qui se pertulit etiam à mẽbris illius crucifigi? Nõ est ergo indignum redemptori nostro quòd tẽtari uoluit, qui uenerat occidi. Iustũ quippe erat ut sic tentationes nostras suis tentationibus uinceret, sicut mortem nostram uenerat sua morte superare. Sed sciẽdum nobis est quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione, & consensu. Et nos cùm tentamur, plerunque in delectationem aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus uerò qui in utero uirginis incarnatus, in mũdum sine peccato uenerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tẽtari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentẽ peccati delectatio nõ momordit. Atq; ideo omnis diabolica illa tentatio foris non intus fuit. Sed si ipsum ordinem tentationis eius aspicimus, pensemus quanta magnitudine nos à tentatione liberamur. Antiquus hostis contra primum hominem parentem nostrum in tribus se tentationibus erexit, quia hunc uidelicet gula, uana gloria, & auaritia tentauit: sed tentando superauit, quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippe tentauit, cùm cibum ligni uetiti ostendit, atq; ad comedendum suasit. Ex uana autem gloria tentauit, cùm diceret: Eritis sicut dij. Et ex prouectu auaritię tentauit, cùm diceret: Scitẽtes bonum & malum. Auaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Rectè em̃ auaritia dicitur, cùm supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad auaritiã honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de unigenito dei filio diceret: Non rapinam arbitratus est se esse æqualem deo. In hoc autem diabolus parentem nostrũ ad superbiam traxit, quo eum ad auaritiam sublimitatis excitauit. Sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis secundo homini tentator succubuit. Per gulam quippe tentat, cùm dicit: Dic ut lapides isti panes fiant.] Per uanam gloriam tentat, cùm dicit: Si filius dei es, mitte te deorsum.] Per sublimitatis auaritiam tentat, cùm regna omnia mundi ostendit dicens: Hęc omnia tibi dabo, si procidẽs adoraueris me.] Sed eisdem modis à secundo homine uincit̃, quibus primum hominẽ se uicisse gloriabat̃, ut à nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intromissus tenebat. Sed est aliud fratres charissimi quod in hac tentatione dominica considerare debemus: quia tentatus à diabolo Dominus sacri eloquij præcepta respondit, & qui eo uerbo quod erat, tẽtatorem suũ mergere in abyssum poterat, uirtutem suæ potentiæ nõ ostẽdit, sola diuinæ scripturæ præcepta edidit: quatenus suę nobis patiẽtię prębęret exemplũ, ut quotiẽs à prauis hominib, aliquid patimur, ad doctrinã excitemur potius

Iesus à spiritu sancto ductus est in desertum

tius quàm ad uindictam. Pensate quanta est patientia dei, & quanta impatientia nostra. Nos si iniurijs aut aliqua læsione prouocamur, furore permoti, aut quantum possumus, nosmetipsos ulciscimur, aut quod non possumus, facere minamur. Ecce aduersitatem diaboli dominus pertulit, & nihil ei nisi mansuetudinis uerba respondit. Portat quem punire poterat, ut hoc in laudē eius altius cresceret, si hostem suum non extinguendo, sed interim patiendo superaret. Notādum uerò quod subditur, quia recedente diabolo, angeli ministrabant ei. Ex qua re quid aliud quàm unius personæ utraque natura ostenditur? Quia & homo est quem diabolus tentat, & idem ipse deus est, cui ab angelis ministratur. Cognoscamus igitur in eo naturam nostram, quia nisi hunc diabolus hominem cerneret, non tentaret. Veneremur in illo diuinitatem suam, quia nisi super omnia deus existeret, ei nullo modo angeli ministrarēt. Sed quia his diebus lectio congruit, nam quadraginta dierum abstinentiam nostri redemptoris audiuimus, quia quadragesimæ tempus inchoamus, discutiendum nobis est, cur hæc ipsa abstinentia per quadraginta dierum numerum custoditur. Moyses enim ut legem acciperet, secundò diebus quadraginta ie-
Exod.34 iunauit. Helias in deserto quadraginta diebus ab-
3.Reg.19 stinuit. Ipse author hominum ad homines ueniens, in quadraginta diebus nullum omnimodo cibum sumpsit. Nos quoque inquantum possumus annuo quadragesimæ tempore carnem nostram per abstinentiam affligere conemur. Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, nisi quia uirtus decalogi per libros quatuor sancti Euangelij impletur? Denarius etenim quater ductus, in quadragenarium surgit: quia tunc decalogi mandata perficimus, cùm profectò quatuor libros sancti Euangelij custodimus. Ex qua re sentiri & aliud potest. In hoc enim mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, & per uoluptates eiusdem corporis, præceptis dominicis contraimus. Præcepta autem dominica per decalogū sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria, decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eandem carnem quaterdecies affligamus. Quamuis de quadragesimali tempore est adhuc aliud quod possit intelligi. A præsenti etenim die usq; ad paschalis solennitatis gaudia sex hebdomadæ ueniunt. Quarum uidelicet dies quadragintaduo fiunt. Ex quibus dum sex dies dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quàm triginta & sex dies remanent. Dum uerò per trecentos & sexagintaquinq; dies annus ducit̄, nos autē per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas deo damus, ut qui nobismetipsis per acceptum annum uiximus, authori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Vnde fratres charissimi sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum. Vnusquisq; inquantum uirtus suppetit, carnem macerer, eius q̄ desideria affligat, concupiscentias turpes interficiat, ut iuxta

A Pauli uocem, hostia uiua fiat. Hostia quippe & immolatur, & uiua est, quādo ab hac uita homo desicit, & tamen se à carnalibus desiderijs occidit. Caro nos læta traxit ad culpā, afflicta reducat ad ueniam. Author etenim mortis nostræ, per fructum ligni uetiti, uitæ præcepta transgressus est. Qui ergo à paradisi gaudijs per cibū cecidimus, ad hæc inquantum possumus, per abstinentiam resurgamus. Sed nemo sibi eandem abstinentiam solam credat posse sufficere, cùm per prophetam dominus dicat: Nónne hoc est magis ieiuniū quod elegi? subijciens: Frange esurienti panem tuū, & egenos, uagosq; induc in domum tuam. Cùm uideris nudum, operi eum, & carnem tuā ne despexeris. Esa.58
B Illud ergo ieiunium deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemosynarū leuat, quod cū proximi dilectione agitur, quod pietate condit̄. Hoc ergo q̄d tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hinc etenim per prophetam dominus dicit: Cùm ieiunaretis, & plangeretis, nunquid ieiuniū ieiunastis mihi? Et cùm comeditis & bibitis, nunquid non uobis comeditis, & uobismetipsis bibitis? Sibi enim comedit & bibit, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quisq; ieiunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed uentri postmodum offerenda custodit. Zacha.7 Ioel.1
Hinc per Iohelem dicit̄: Sanctificate ieiuniū. Ieiuniū quippe sanctificare, est adiunctis bonis alijs,
C dignam deo abstinentiā carnis ostendere. Cessēt ira, sopiantur iurgia. Incassum enim caro atteritur, si à prauis suis uoluptatibus animus non refrenatur, cùm per prophetam dominus dicat: Ecce in die ieiunij uestri inuenitur uoluntas uestra. Ecce ad lites & cōtentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè, & omnes debitores uestros repetitis. Esa.58
Neq; enim qui à debitore suo hoc quod dedit repetit, aliquid iniustum facit, sed dignū est ut quisquis se in pœnitentia macerat, etiā hoc quod sibi iustè competit, interdicat. Sic sic nobis afflictis & pœnitentibus à deo dimittitur quod iniustè egimus, si pro amore illius & hoc quod nobis iustè competit, relaxemus.

Lectio sancti euangelij secundum Lucam

D

IN illo tempore: Designauit dominus Iesus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locū quò erat ipse uenturus, & dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suā. Ite: Ecce ego mitto uos, sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neq; peram, neq; calciamenta: & neminem per Luca 10

uiam ſalutaueritis. In quãcunq; domum in A
traueritis, primum dicite: Pax huic domui.
Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper
illum pax ueſtra. Sin autem, ad uos reuer-
tetur. In eadem autem domo manete, eden-
tes & bibẽtes, quæ apud illos ſunt. Dignus
eſt enim operarius mercede ſua. Nolite trã
ſire de domo in domum. Et in quãcunque
ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint uos,
manducate quæ apponuntur uobis. Et cu-
rate infirmos qui in illa ſunt, & dicite illis:
Appropinquabit in uos regnum dei.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad po
pulũ in baſilica Lateranẽſi: De Apoſtolis.

Homilia XVII

Domini di uerſæ ſunt admoni / tiones

DOminus & ſaluator noſter, fratres chariſſi-
mi aliquando nos ſermonibus, aliquando
uerò operibus admonet. Ipſa etenim facta eius
præcepta ſunt, quia dum aliquid tacitus facit quid
agere debeamus innoteſcit. Ecce enim binos in
prædicationem diſcipulos mittit: quia duo ſunt
præcepta charitatis, dei uidelicet amor, & proxi-
mi: & minus quàm inter duos, charitas haberi nõ
poteſt. Nemo enim propriè ad ſemetipſum habe-
re charitatem dicitur, ſed dilectione ſe in alterum
tendit, ut charitas eſſe poſſit. Ecce enim binos ad
prædicandum diſcipulos dominus mittit, quate-
nus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem
erga alterum non habet, prædicationis officium
ſuſcipere nullatenus debet. Bene autem dicitur
quia miſit eos ante faciem ſuam in omnem ciuita-
tem & locum quò erat ipſe uenturus. Prædicato-
res enim ſuos dominus ſequitur, quia prædicatio
præuenit, & tunc ad mentis noſtræ habitaculum
dominus uenit, quando uerba exhortationis præ
currunt, atq; per hoc ueritas in mente ſuſcipitur.
Hinc nanq; eiſdem prædicatoribus Eſaias dicit:
Eſa. 40 Parate uiam domini, rectas facite ſemitas dei no-
Pſal. 67 ſtri. Hinc filijs Pſalmiſta ait: Iter facite ei qui aſcen
Dominus aſcendit ſu / per occa / ſum dit ſuper occaſum. Super occaſum nanque domi-
nus aſcendit, quia unde in paſſione occubuit, in- D
de maiorem ſuam gloriam reſurgendo manifeſta
uit. Super occaſum uidelicet aſcendit, quia mor-
tem quam pertulit, reſurgendo calcauit. Ei ergo
qui aſcendit ſuper occaſum, iter facimus: cùm nos
eius gloriam ueſtris mentibus prædicamus, ut eas
& ipſe pòſt ueniens per amoris ſui præſentiam il-
luſtret. Miſſis autem prædicatoribus quid dicat
audiamus: Meſſis quidem multa operarij autem
pauci. Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat
operarios in meſſem ſuam.] Ad meſſem multam,
operarij pauci ſunt, qd' ſine graui mœrore loqui
non poſſumus: quia etſi ſunt qui bona audiũt, de
ſunt tamen qui dicant. Ecce mundus ſacerdoti-
bus plenus eſt, ſed tamen in meſſe dei rarus ualde
inuenitur operator: quia officium quidem ſacer-
dotale ſuſcipimus, ſed opus officij nõ implemus.

Sed penſate fratres chariſſimi, penſate quod dici-
tur: Rogate dominum meſſis, ut mittat opera-
rios in meſſem ſuam.] Vos pro nobis petite, ut di
gna uobis operari ualeamus, ne ab exhortatione
lingua torpeat, ne poſtquam prędicationis locum
ſuſcipimus, apud iuſtum iudicem noſtra nos taci-
turnitas addicat. Sæpe enim pro ſua nequitia, præ
dicantium lingua reſtringitur. Sæpe uerò ex ſub-
iectorum culpa agitur, ut in eis qui præſunt, præ-
dicationis ſermo ſubtrahatur. Ex ſua quippe ne-
quitia prædicantium lingua reſtringit̃, ſicut Pſal- Pſal.
miſta ait: Peccatori autem dixit deus, quare tu e-
narras iuſtitias meas? Et rurſum ex uitio ſubiecto
rum, uox prædicantium ſubtrahitur, ſicut ad Eze- Eze.
B chielem dominus dicit: Linguam tuam adhære-
ſcere faciã palato tuo, & eris mutus, nec quaſi uir
obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Acſi aper
tè dicat: Idcirco tibi prædicationis ſermo tollitur,
quia dum me in ſuis actibus plebs exaſperat, non
eſt digna cui exhortatio ueritatis fiat. Ex cuius er-
go uitio prædicatori ſermo ſubtrahatur, non faci-
lè cognoſcitur. Quia uerò paſtoris taciturnitas ali
quando ſibi, ſemper autem ſubiectis noceat, cer-
tiſſimè ſcitur. Sed utinam ſi ad prædicationis uir-
tutem non ſufficimus, loci noſtri officium in inno
centia uitæ teneamus. Nam ſubditur: Ecce ego Mat.
mitto uos ſicut agnos inter lupos.] Multi autem
cum regiminis iura ſuſcipiunt, ad lacerandos ſub-
ditos inardeſcunt. Terrorem poteſtatis exhibent,
C & quibus prodeſſe debuerant, nocẽt. Et quia cha-
ritatis uiſcera non habent, domini uideri appetũt,
patres ſe eſſe minimè recognoſcunt, humilitatis
locum in elationem dominationis immutant. Et
ſi quando extrinſecus blandiuntur, intrinſecus fe
uiunt. De quibus alias ueritas dicit. Veniunt ad Mat.
uos in ueſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt
lupi rapaces. Contra quæ omnia conſiderandum
nobis eſt, quia ſicut agni inter lupos mittimur, ut
ſenſum ſeruantes innocẽtiæ, morſum malitiæ nõ
habeamus. Qui enim locum prædicationis ſuſci- Prę
pit, mala inferre non debet, ſed tolerare, ut ex ipſa
manſuetudine iram fæuientium mitiget, & pecca
torum uulnera in alijs ipſe afflictionibus uulnera-
tus ſanet. Quem & ſi quando zelus rectitudinis
exigit, ut erga ſubiectos fæuiat, furor ipſe de amo
re ſit, non de crudelitate: quatenus & iura diſcipli
nę foris exhibeat, & intus paterna pietate diligat
quos foris quaſi inſequendo caſtigat. Quod tunc
bene rector exhibet, cùm ſeipſum diligere per a-
morem priuatum neſcit, cùm nulla quæ mundi
ſunt appetit, cùm terrenæ cupiditatis oneribus ne
quaquam mentis colla ſupponit. Vnde & ſubdi-
tur: Nolite portare ſacculum, neque peram neq;
calciamenta & neminem per uiam ſalutaueritis.]
Prædicatori etenim tanta debet in deo eſſe fidu-
cia, ut præſentis uitæ ſumptus quanuis non pro-
uideat, tamen ſibi hoc non deeſſe certiſſimè ſciat,
ne dum mens eius occupatur ad temporalia, mi-
nus alijs prouideat æterna. Cui etiam per uiam ne
minem ſalutare conceditur, ut ſub quanta feſtina
tione in iter prędicationis pergere debeat, oſtẽda
tur.

Universidad de Deusto

tur. Quæ si quis uerba etiam per allegoriam uelit intelligi, in sacculo pecunia clausa est: pecunia uerò clausa est, sapientia occulta. Qui igitur sapientiæ uerbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet. Eccli 41 Vnde scriptum est: Sapientia abscondita & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisq; ? Quid uerò per peram, nisi onera seculi: & quid hoc loco per calciamenta, nisi mortuorum operum exempla signantur? Qui ergo officium prædicationis suscipit, dignum non est ut onus secularium negociorum portet: ne dum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cœlestia non assurgat. Nec debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus credat munire. Sunt etenim multi qui prauitatem suam, ex alienis prauitatibus tuentur. Quia enim alios talia fecisse cõsiderant, se hæc facere licenter putant. Hi quid aliud faciunt, nisi pedes suos ex mortuorum animalium munire pellibus conantur? Omnis uerò qui salutat in uia, ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ eiusdem salutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat: quia ex occasione, & non ex intentione, salutem audientibus exoptat. Sequitur: In quancunque domum intraueritis, primùm dicite: pax huic domui. & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra. sin autẽ, ad uos reuertetur.] Pax quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescit in domo, si in ea filius pacis fuerit, aut ad eundem prædicatorem reuertitur: quia aut erit quisq; prædestinatus ad uitam, & cœleste uerbum sequitur quod audit: aut si nullus audire uoluerit, ipse prædicator sine fructu non erit: quia ad eum pax reuertitur: quoniã ei à domino pro labore sui operis merces recompensatur. Ecce autem qui peram & sacculum portare prohibuit, sumptus & alimenta ex eadem prædicatione concedit. Nam subditur: In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.] Si pax nostra recipitur, dignum est ut in eadem domo maneamus, edentes & bibentes quæ apud illos sunt, ut ab eis terrena stipendia cõsequamur, quibus præmia patriæ cœlestis offerimus. Vnde etiam Paulus hæc ipsa pro minimo suscipiẽs dicit: 1.Cor.9 Si nos uobis spiritalia seminauimus, magnum est si uestra carnalia metamus? Et notandum quod subditur: Dignus est operarius mercede sua.] Quia iam de mercede operis, sunt ipsa alimenta sustentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de ueritatis uisione perficitur. Quia in re considerandum est quòd uni nostro operi duæ mercedes debentur: una in uia, altera in patria, una quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque quæ in præsenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisq; prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis nanque ideo prædicat, ut hic uel laudis uel muneris mercedẽ recipiat, æterna proculdubio mercede se priuat. Quisquis uerò uel ea quæ dicit ideo placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipse sed dominus ametur: uel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis uoce per indigentiam lassetur: huic proculdubio ad recipiendam mercedem nil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in uia. Sed quid nos, quod tamen sine dolore dicere non possumus, quid nos ô pastores agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquã sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus cuius damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium uiuimus, sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerũt, nec tamen contra peccata eadẽ uel orationis studio, uel prædicationis, ut dignum est, insudamus. Vix pro culpa sua quempiam aperta uoce reprehendimus. Et adhuc, quod est grauius, aliquando si persona in hoc mundo potens sit, eius forsitan errata laudamus, ne si aduersemur per iracũdiam, munus subtrahat quod impendebat. Sed debemus sine cessatione meminisse quod de quibusdam in Osee scriptum est: Peccata populi mei comedent. Cur autem peccata populi comedere dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fouent ne temporalia stipendia amittant? Sed & nos qui ex oblationibus fidelium uiuimus, quas illi pro peccatis suis obtulerunt, si comedimus & tacemus, & eorum proculdubio peccata manducamus. Pensemus ergo, cuius sit apud deum criminis peccatorum precium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere. Audiamus quid beati Iob uoce dicitur: Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent, si fructus eius comedi absque pecunia. Terra etenim contra possessorem suum clamat, quando contra pastorem suum iustè Ecclesia murmurat. Cuius etiam sulci deflent, si corda audientium quæ à præcedentibus sunt patribus prædicationis uoce & uigore inuectionis exarata, uident aliquid quod lugeant de uita pastoris. Cuius uidelicet terræ fructus possessor bonus sine pecunia non manducat, quia discretus pastor prærogat talentum uerbi, ne ad damnationem suam de Ecclesia stipendium sumat alimenti. Tunc enim de terra nostra cum pecunia fructus comedimus, quando sumentes ecclesiastica subsidia, in prædicatione laboramus. Præcones nanq; uenturi iudicis sumus. Quis ergo uenturum iudicem nũciet, si præco tacet? Proinde considerandũ nobis est, ut inquantũ ualet quisq; uel inquantũ sufficit, & terrorẽ uẽturi iudicij, & dulcedinẽ regni susceptæ Ecclesiæ insinuare contendat. Et quia una eadẽq; exhortatiõis uoce nõ sufficit simul cũctos admonere,

Salutare in itinere quis dicatur.

Merces duplex debetur uni nostro operi

Pastorũ grauis error

Osee 4

Iob 31

Universidad de Deusto
Biblioteca

admonere debet, singulos inquantū ualet instrue re, priuatis locutionibus ædificare, exhortatione simplici fructum in filiorum suorū cordibus quærere. Debemus nanq; pensare continuò quod sanctis Apostolis dicit̄, & per Apostolos nobis: Vos
Matt.5 estis sal terræ. Si ergo sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur qui pastores estis, pensate quia dei animalia pascitis. De quibus profectò animalibus deo per Psalmistam dicitur: A-
Psal.67 nimalia tua habitabunt in ea. Et sæpe uidemus quòd petra salis brutis animalibus ponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis. Curare nanque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemq; qualiter admoneat: ut quisquis sacerdoti iungitur, quasi ex salis tactu, æternæ uitæ sapore condiatur. Sal etenim terræ non sumus, si corda audientium non condimus. Quod profectò condimentū ille ueraciter proximo impendit, qui prædicationis uerbum non subtrahit. Sed tunc uerè alijs recta prædicamus, si dicta rebus ostēdimus, si nosipsi diuino amore compungimur, & humanæ uitæ, quæ sine culpa transiri nequaquā potest, quotidianas lachrymis maculas lauamus. Tunc autem de nobis uerè cōpungimur, studiose si patrum præcedentiū facta pensamus, ut ex conspecta illorum gloria, in nostris nobis oculis nostra uita sordescat. Tunc uerè cōpungimur, cùm præcepta domini studiose perscrutamur, & per hæc proficere ipsi contendimus, per quæ iam profecisse nouimus quos ueneramur. Hinc est enim q̄d
Exod.38 de Moyse scriptum est: Posuit & labrum æneum in quo lauarentur Aaron & filij eius, cùm ingrederentur in sancta sanctorum, quod fecit de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Labrum quippe æneum Moyses ponit in quo sacerdotes lauari debeant, & sancta sanctorum ingredi, quia lex dei prius nos lauari per compunctionem præcipit, ut nostra immūditia ad penetrandum secretorū dei munditiam non sit indigna. Quod bene labrum de speculis mulierū perhibet factū, quæ ad tabernaculi ostium indesinenter excubabāt. Specula quippe mulierū sunt præcepta dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum uitia corrigunt, & quasi renitentes uultus uelut exreddita imagine componūt, quia dum præceptis dominicis solerter intendunt, in eis proculdubio uel quid in se cœlesti uiro placeat, uel quid displiceat, agnoscunt. Quæ quàm diu in hac uita sunt, æternū tabernaculum ingredi nequaquā possunt. Sed tamen ad ostium tabernaculi mulieres excubant, quia sanctæ animæ etiam cùm infirmitate adhuc carnis grauantur, amore tamen continuò ingressum æterni introitus obseruant. Moyses ergo labrum sacerdotibus de speculis mulierum fecit, quia lex dei lauacrum cōpunctionis, peccatorum nostrorū maculis exhibet, dum ea per quæ sanctæ animæ supernō sponso placuerūt, intuēda nobis cœlestia præcepta præbet. Quibus si diligenter intendimus, interne nostræ imaginis maculas uidemus. Videntes autem maculas, in pœnitētiæ dolore compungimur. Compuncti uerò quasi in labro de speculis mulierum lauamur. Est autem ualde necessarium, ut cùm de nobis cōpunctione afficimur, etiam commissorum nobis uitam zelemus. Sed ergo nos amaritudo compunctionis afficiat, ut tamen à proximorum custodia nō auertat. Quid enim prodest si amātes nosmetipsos, relinquamus proximos? Vel quid rursum prodest si amantes uel zelantes proximos, relinquamus nosmetipsos? In ornamēto quippe tabernaculi, bis tinctus coccus offerri præcipitur, ut ante dei oculos charitas nostra, dei & proximi amore coloretur. Ille aūt uere se diligit, qui purè diligit authorē. Tunc ergo coccus bis tingitur, quando erga se & proximum ex amore ueritatis animus inflāmatur. Sed inter hæc sciendum nobis est, ut sic exerceatur zelus rectitudinis contra praua acta proximorum, quatenus in feruore districtionis nullo modo relinquatur uirtus mansuetudinis. Ira etenim sacerdotis nequaquam debet esse præceps & perturbata, sed magis ex consilij grauitate metuēda. Et portare ergo debemus quos corrigimus, & corrigere quos portamus: ne si ex utroq; unū defuerit, uel in feruore uel in mansuetudine, actio sacerdotalis nō sit. Hinc nanq; est q̄ in templi ministerio, in basibus templi sculptorio opere leones & boues & cherubin expressa sunt. Cherubin quippe est plenitudo sciētiæ. Sed quid est q̄ in basib. nec leones sine bobus, nec boues sine leonibus fiunt? Quid enim aliud designant bases in templo, nisi sacerdotes in Ecclesia? Qui dum solicitudinē regiminis tolerant, quasi more basium superimpositum onus portāt. In basibus ergo cherubin exprimuntur, quia decet nimirum ut sacerdotū pectora plenitudine scientiæ sint referta. Per leones autem terror seueritatis, per boues uerò patientia mansuetudinis figuratur. Itaque in basibus nec leones sine bobus, nec boues sine leonibus exprimunt̄, quia semper in sacerdotali pectore cum terrore seueritatis custodiri debet uirtus mansuetudinis: ut & ira man suetudo condiat, & eandem mansuetudinem, ne fortasse dissoluta sit, zelus districtionis accēdat. Sed ista cur loquimur, cum adhuc plerosque grauari factis atrocioribus uideamus? Vobis enim sacerdotibus lugens loquor, quia nonnullos uestrum cùm præmijs facere ordinationes agnouimus, spiritalem gratiā uendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati dāno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam uestram non redit quòd uox dominica præcipiens dicit: Gratis accepistis, gratis date? Cur non ante mentis oculos reuocatis, q̄ templū redemptor noster ingressus, cathedras uendentium colūbas euertit, & nummulariorū effudit æs? Qui nāq; sunt in templo dei hodie qui columbas uendūt, nisi qui in Ecclesia precium de impositione manus accipiunt? per quā uidelicet impositionem spiritussanctus cęlitus datur. Columba ergo uenditur

Præcepta dei comparantur speculis mulierum

uenditur, quia manus impositio, per quam spiritus sanctus accipitur, ad precium præbetur. Sed redemptor noster cathedras uendentium columbas euertit, quia talium negociatorum sacerdotium destruit. Hinc est enim quòd sacri canones simoniacam hæresim damnant, & eos priuari sacerdotio præcipiunt, qui de largiendis ordinibus precium quærunt. Cathedra ergo uendẽtium columbas euertitur, quando hi qui spiritalem gratiam uenundant, uel ante humanos uel ante dei oculos sacerdotio priuantur. Et quidem multa sunt alia præpositorum mala quæ humanos modo oculos latent. Et plerunque se pastores sanctos hominibus exhibẽt, atq; in occultis suis uideri turpes ante interni arbitri oculos nõ erubescunt. Veniet, uB niet profectò ille dies, nec longè est, in quo pastorum pastor appareat, & uniuscuiusque facta in publicũ deducat. Et qui modo subditorũ culpas per præpositos ulciscit, tũc præpositorũ mala per semetipsum sæuiens damnat. Vnde & ingressus in templũ, per semetipsum quasi flagellũ de funiculis fecit, & de domo dei prauos negociatores eiiciens cathedras uendentiũ colũbas euertit, quia subditorũ quidẽ culpas per pastores percutit, sed pastorũ uitia per semetipsum ferit. Ecce modo hominib. negari potest, quod latenter agit: Ille certè iudex uenturus est, cui tacẽdo quisq; se nõ potest cælare, quẽ negando nõ potest fallere. Est & aliud fratres charissimi, quod me de uita pastorum uehementer affligit: sed ne cui hoc iniuriosum uideC atur fortasse quod asserо, me quoque pariter accuso, quamuis barbarici temporis necessitate compulsus, ualde in his iaceo inuitus. Ad exteriora enim negocia delapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut uideo, episcopi uocamur, qui honoris nomen, non uirtutis tenemus. Relinquunt nanq; deum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus. In prauis actibus iacent, & correptionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter uidemus. Sed quomodo nos uitam corrigere ualemus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim secularibus intenti, tanto insensibiliorD res intus efficimur, quãto ad ea quæ foris sunt studiosiores uidemur. Vsu quippe curæ terrenæ, à cœlesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo usu durus efficitur per actionem seculi, ad ea emolliri non ualet quæ pertinent ad charitatem dei. Vnde benè sancta Ecclesia de membris suis
Can.1 infirmantibus dicit: Posuerunt me custodem in uineis, uineam meam non custodiui. Vineæ quippe nostræ actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in uineis positi, nostram uineam minimè custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur: ministerium actionis nostrę negligimus. Nullum puto, fratres charissimi ab alijs maius præiudicium, quàm à sacerdotibus tolerat deus: quando eos quos ad aliorũ correctionem posuit, dare se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerunq; quod est grauius, sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerunq; si quos humiliter, si quos cõtinenter uiuere conspiciunt, irrident. Considerate ergo quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt. Hi enim custodiã gregis suscipiunt, qui insidiari gregi dominico non metuunt, contra quos dei greges custodiri debuerant. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia uacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eoipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus: susceptæ benedictionis ministerium uertimus ad ambitionis argumentum. Dei causam relinquimus, ad terrena negocia uacamus. Locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletũ est in nobis profecto quod scriptũ est: Et erit sicut populus, sic Osee 4
sacerdos. sacerdos enim non distat à populo, quando nullo merito uitæ suæ uulgi transcendit actionem. Imploremus Hieremiæ lachrymas, consideret mortem nostram, & deplorans dicat: Quomo Thre. 4
do obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Aurum quippe obscuratum est, quia sacerdotum uita quondam per gloriam uirtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus, per terrena & abiecta opera ad ignominiam despectionis uenit. Lapides uerò sanctuarij intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis corpore: nisi cum sancta sanctorũ ingrediens, in secreto sui cõditoris apparebat. Nos ergo fratres charissimi, nos sumus lapides sanctuarij, qui apparere semper debemus in secreto dei, quos nunquam necesse est foris conspici, id est nunquam in extraneis actionibus uideri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum: quia hi qui per uitã reprobam & orationẽ intus semper esse debuerant, per uitã foris uacant. Ecce iam penè nulla est seculi actio, quã non sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu cõstituti, exteriora sunt quę exhibent, quasi sanctuarij lapides foris iacent. Quia enim Græca uoce platea à latitudine uocatur: sanctuarij lapides in plateis sunt, cùm religiosi quiq; lata mundi itinera sectãtur. Nec solum in plateis, sed & in capite platearũ dispersi sunt, quia & per desideriũ, huius mundi opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt. In capite ergo platearum dispersi sunt: quia & iacent per ministerium operis, & honorari uolunt de imagine sanctitatis. Quanto autem mundus gladio feriatur, aspicitis: quibus quotidie percussionibus intereat populus, uidetis. Cuius hoc nisi nostro præcipuè peccato agit? Ecce depopulatæ urbes, euersa castra, Ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt. Sed nos pereunti populo authores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad uitam. Ex nostro etenim peccato

Simonia damnatur per canones

Pastores lupi pos fieri periculosum est gregibus

Mundus multas ex sacerdotũ culpis calamitates patitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccato populi turba proſtrata eſt, quia noſtra faciente negligentia, ad uitam erudita nō eſt. Quid autem animas hominum, niſi cibum domini dixerimus, quæ ad hoc ſunt conditæ, ut in eius corpore traijciant̄, id eſt ut in æternæ Eccleſiæ augmentum tendant? Sed huius cibi condimentum nos eſſe debuimus. Sicut enim paulò ſuperius præfati
Matt.5 ſumus, miſſis prædicatoribus dicitur: Vos eſtis ſal terræ. Si igitur cibus dei eſt populus, condimentum cibi ſacerdotes eſſe debuerūt. Sed quia dum nos ab orationis & eruditionis ſanctæ uſu ceſſamus, ſal infatuatū eſt, condiri non ualet cibus dei, atq; idcirco ab authore non ſumitur, quia exigente fatuitate noſtra, minimè conditur. Penſemus ergo qui unquam per linguam noſtram conuerſi, qui de peruerſo ſuo opere noſtra increpatiōe correpti, pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex noſtra eruditione deſeruit, quis auaritiā, quis ſuperbiam declinauit? Penſemus quod lucrum deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negociū
Lucæ 19 miſsi ſumus. Etenim dicit: Negociamini dum uenio. Ecce iam uenit, ecce de noſtro negocio lucrū requirit. Quale ei animarum lucrum de noſtra negociatione monſtrabimus? Quot eius cōſpectui animarū manipulos de prædicationis noſtræ ſegete illaturi ſumus? Ponamus ante oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem quo iudex uenit, & rationem cum ſeruis ſuis quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maieſtate terribili, inter angelorum atq; archangelorum choros uidebit̄. In illo tanto examine, electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unuſquiſque quid ſit operatus oſtendet̄. Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit apparebit. Ibi Paulus conuerſum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Ioannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectum ſui iudicis conuerſam ducet. Ibi omnes dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus deo poſt ſe ſubditū gregem trahunt. Cùm igitur tot paſtores cum gregibus ſuis ante æterni paſtoris oculos uenerint, nos miſeri quid dicturi ſumus, qui ad dominum noſtrū poſt negocium uacui redimus, qui paſtorū nomen habuimus, & oues quas ex nutrimēto noſtro debea D mus oſtendere, non habemus? Hic paſtores uocati ſumus, & ibi gregem non ducimus. Sed nunquid ſi nos negligimus, omnipotens deus deſeret oues ſuas? Nullo modo. Nā ipſe eas, ſicut per pro
Ezech.34 phetam pollicitus eſt, per ſemetipſum paſcet. Omnesq; quos præordinauit ad uitam, flagellorum ſtimulis, compunctionis ſpiritu erudit. Et per nos quidem fideles ad ſanctum baptiſma ueniunt, noſtris precibus benedicuntur, & per impoſitionem noſtrarum manuum à deo ſpiritum ſanctum percipiunt, atq; ipſi ad regnum cœlorum pertingunt, & ecce nos per negligentiā noſtram deorſum tendimus. Ingrediuntur electi, ſacerdotum manibus expiati, cœleſtem patriā: & ſacerdotes ipſi per uitam reprobam ad inferni ſupplicia feſtinant. Cui ergo rei, cui ſimiles dixerim ſacerdotes malos, niſi A aquæ baptiſmatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleſte mittit, & ipſa poſtea in cloacas deſcendit? Timeamus hæc fratres, cōueniat actioni noſtræ ipſum miniſteriū noſtrū. De peccatorum noſtrorum relaxatiōe quotidie cogitemus, ne noſtra uita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens deus quotidie alios ſoluit. Conſideremus ſine ceſſatione quid ſumus, penſemus negocium noſtrū, penſemus pondus quod ſuſcepimus. Faciamus quotidie nobiſcum ratiōes quas cum noſtro iudice habebimus. Et ſic debemus agere curā noſtri, ut non negligamus curam proximi, ut quiſquis ad nos iungitur, ex linguæ noſtræ ſale condiatur. Cùm laſciuien- Petro
B tem quempiam & lubricum uidemus, admonendus eſt ut coniugio frenare ſtudeat iniquitatē ſuam, quatenus per hoc quod licet, diſcat ſuperare quod non licet. Cùm coniugatum uidemus, admonēdus eſt ut ſic exerceat curam ſeculi, ne poſt ponat amorem dei, ſic placeat uoluntati cōiugis, ut non diſpliceat conditori. Cùm clericum uidemus, admonēdus eſt quatenus ſic uiuat, ut exemplum uitæ ſecularibus prębeat: ne ſi quid in illo ſtè reprehenditur, ex eius uitio ipſa religionis noſtræ æſtimatio grauetur. Cùm monachum uidemus, admonendus eſt ut reuerentiam habitus ſui in actu, in locutione, in cogitatiōe ſua ſemper circunſpiciat: ut ea quæ mūdi ſunt, perfectè deſerat,
C & quod oſtendit humanis oculis habitu, hoc ante dei oculos moribus prætendat. Iſte itaque iam ſanctus eſt, admoneatur ut creſcat. Ille uerò qui adhuc iniquus eſt, admoneat̄ ut ſe corrigat. Quatenus quiſquis ſe ad ſacerdotem iunxerit, ſale ſermonis illius conditus recedat. Hæc fratres uobiſcum ſollicite cogitate, hæc & proximis ueſtris impendite, omnipotēti deo fructum uos reddere de negocio quod accepiſtis parate. Sed iſta quæ dicimus, melius apud eum orando quàm loquendo obtinebimus.

Oremus.

DEus qui nos paſtores in populo uocare uoluiſti, præſta quæſumus ut hoc quod humano ore dicimur, in tuis oculis eſſe ualeamus. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore: Dicebat Ieſus turbis Iudęorum & principibus ſacerdotū: Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico uobis, quare non creditis mihi? Qui ex deo eſt, uerba dei audit. Propterea uos nō auditis, quia ex deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu: & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dęmoniū non

nõ habeo, sed honorifico patrẽ meũ, & uos inhonoraſtis me: Ego autẽ non quæro gloriam meã. Eſt qui quærat & iudicet. Amen amen dico uobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit inæternũ. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt & prophetæ: & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit inæternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham? qui mortuus eſt, & prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis? Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me: quem uos dicitis, quia deus ueſter eſt, & non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum. Et ſi dixero quia neſcio eum, ero ſimilis uobis, mendax: ſed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater ueſter exultauit ut uideret diem meum, uidit, & gauiſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidiſti? Dixit eis Ieſus. Amen amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Tulerũt ergo lapides Iudæi, ut iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad populum in baſilica ſancti Petri Apoſtoli: Dominica in paſsione.

Homilia XVIII

PEnſate fratres chariſſimi manſuetudinẽ dei. Relaxare peccata uenerat, & dicebat: Quis ex uobis arguet me de peccato?] Non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex uirtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare. Sed terribile eſt ualde, quod ſubdit: Qui ex deo eſt, uerba dei audit, propterea uos non auditis, quia ex deo non eſtis.] Si emꝫ ipſe uerba dei audit qui ex deo eſt, & audire uerba eius non poteſt quiſquis ex illo nõ eſt, interroget ſe unuſquiſque ſi uerba dei in aure cordis percipit, & intelliget unde ſit. Cœleſtẽ patriã deſiderare ueritas iubet, carnis deſideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penſet ergo apud ſe unuſquiſq; ueſtrũ ſi hæc uox dei in cordis eius aure cõualuit, & quia iam ex deo ſit, agnoſcit. Nã ſunt nõnulli qui præcepta dei nec aure corporis percipere dignantur. Et ſunt nõnulli qui hæc quidem corporis aure percipiunt, ſed nullo ea mentis deſiderio complectuntur. Et ſunt nonnulli qui libenter uerba dei ſuſcipiũt, ita ut etiam in fletibus compungãtur, ſed poſt lachrymarum tempus, ad iniquitatem redeunt. Hi profectò uer-

A ba dei non audiunt, qui hæc exercere in opere cõtemnunt. Vitam ergo ueſtram fratres chariſſimi ante mentis oculos reuocate, & alta conſideratione pertimeſcite hoc quod ex ore ueritatis ſonat: Propterea uos non auditis, quia ex deo non eſtis.] Sed hoc quod de reprobis ueritas loquitur, ipſi hoc de ſemetipſis reprobi iniquis ſuis operib. oſtendunt. Nam ſequitur: Reſponderunt igitur Iudæi, & dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?] Accepta autem tanta contumelia, quid dominus reſpondeat, audiamus: Ego dæmonium nõ habeo, ſed honorifico patrem meum, & uos inhonoraſtis me.] Quia enim Samaritanus interpre-
B tatur cuſtos, & ipſe ueraciter cuſtos eſt, De quo Pſalmiſta ait: Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem Pſal.126 inuanum uigilant qui cuſtodiunt eam. Et cui per Eſaiam dicit: Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid Eſa.21 de nocte? reſpondere noluit dominus: Samaritanus nõ ſum, ſed, Ego dæmoniũ non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt, unum negauit, aliud tacẽdo conſenſit. Cuſtos nanq; humani generis uenerat, & ſi Samaritanũ ſe non eſſe diceret, eſſe ſe cuſtodem negaret. Sed tacuit quod recognouit, & patienter repulit quod dictũ fallaciter audiuit, dicens: Ego dęmoniũ non habeo.] In quibus uerbis quid aliud niſi ſuperbia noſtra confunditur? quæ ſi exagitata uel leuiter fuerit, atrociores iniurias reddit cũ acceperit, facit mala quæ poteſt, minatur & quæ facere non poteſt. Ecce iniuriã ſuſcipiens dñs non iraſcitur, non contumelioſa uerba reſpondet. Qui ſi eiſdem iſta dicentibus reſponde re uoluiſſet, dæmoniũ uos habetis, uerum profectò diceret: quia niſi impleti eſſent dęmonio, tam peruerſa de deo loqui nõ poſſent. Sed accepta iniuria, etiã quod uerum erat, dicere ueritas noluit, ne non dixiſſe ueritatem, ſed prouocatus, cõtumeliam reddidiſſe uideretur. Ex qua re quid nobis innuitur, niſi ut eo tẽpore quo à proximis ex falſitate contumelias accipimus, eorũ etiam uera mala taceamus, ne miniſterium iuſtæ correptionis, in arma uertamus furoris? Sed quia quiſquis dei zelo utitur, ſæpe à prauis hominibus dehoneſtatur, in ſemetipſo nobis dñs patientiæ præbuit exem-
D plum, qui ait: Sed honorifico patrem meum, & uos inhonoraſtis me.] Sed quid nobis ad iſta faciendum ſit, adhuc exẽplo nos admonet, cùm ſubiungit: Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet.] Scimus certe quod ſcriptum eſt, quia pater omne iudicium dedit filio, & Ioan.5 tamen ecce idem filius iniurias accipiẽs, gloriam ſuam non quærit. Illatas contumelias patris iudicio reſeruat, ut nobis profecto inſinuet, quantum nos eſſe patientes debemus, dum ſe adhuc ulciſci non uult & ipſe qui iudicat. Cùm uerò malorum peruerſitas creſcit, non ſolum prędicatio non debet minui, ſed etiam augeri. Quod ſuo dominus exemplo nos admonet, qui poſtquam habere dæmonium dictus eſt, prædicationis ſuæ beneficia largius impendit, dicens: Amen amen dico uobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem

Universidad de Deusto
Biblioteca

non uidebit in æternum.] Sed ſicut bonis neceſſe A
eſt ut meliores etiam per contumelias exiſtant,
ita ſemper reprobi de beneficio peiores fiũt. Nã
accepta prædicatione, iterum dicunt: Nunc co-
gnouimus quia dæmoniũ habes.] Quia enim æ-
ternæ morti inhæſerãt, & eandem mortem cui in-
hæſerant, non uidebant, dum ſolam mortem car-
nis aſpicerent, in ueritatis ſermone caligabant, di
centes: Abrahã mortuus eſt, & prophetæ mor-
tui ſunt, & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſerua
uerit, mortem non guſtabit in æternum?] Vnde
& ipſi ueritati eundẽ Abrahã & prophetas quaſi
uenerantes præferunt. Sed aperta nobis ratione
oſtenditur, quia qui deum neſciunt, dei quoque
famulos falſo uenerantur. Et notandum quòd ui- B
dit eos dominus aperta ſibi impugnatione reſiſte
re, & tamen eis ſe iterata non deſinit uoce præ-
dicare, dicens: Abraham pater ueſter exultauit ut
uideret diem meum: uidit, & gauiſus eſt.] Tunc
Gen.8 quippe diem domini Abraham uidit, cùm in figu
ra ſummæ trinitatis, tres angelos hoſpitio rece-
pit: quibus profectò ſuſceptis, ſic tribus, quaſi uni
locutus eſt, quia & ſi in perſonis numerus trinita-
tis eſt, in natura unitas diuinitatis eſt. Sed carnales
mentes audientiũ, oculos à carne non ſubleuant,
dum in eo ſolam carnis ætatem penſant, dicentes:
Quinquaginta annos nondum habes, & Abra
ham uidiſti?] Quos benignè redemptor noſter à
carnis ſuæ intuitu ſubmouet, & ad diuinitatis con
templationem trahit: dicens: Amen amen dico C
uobis, antequam fieret Abraham, ego ſum.] An-
te enim, præteriti temporis eſt, ſum, præſentis. Et
quia præteritum & futurum tempus diuinitas nõ
habet, ſed ſemper eſſe habet, non ait: Ante Abra-
ham ego fui, ſed ante Abraham ego ſum. Vnde &
ad Moyſen dicitur: Ego ſum qui ſum, & dices fi-
Exod.3 lijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad uos. Ante ergo &
poſt, Abraham habuit, qui & accedere potuit per
exhibitionem præſentiæ, & recedere per curſum
uitæ. Veritas uerò ſemper eſſe habet, quia ei quic
quam nec priori tempore incipit, nec ſubſequen
ti terminatur. Sed ſuſtinere iſta æternitatis uerba
mentes infidelium non ualentes, ad lapides cur-
runt, & quem intelligere non poterant, obruere
quærebant. Quid autem contra furorem lapidan- D
tium dñs fecerit, oſtenditur cùm protinus ſubin-
fertur: Ieſus autẽ abſcondit ſe, & exiuit de tem-
plo.] Mirum ualde eſt fratres chariſſimi, cur per-
ſecutores ſuos dominus ſe abſcondendo declina
uerit, qui ſi diuinitatis ſuæ potentiã exercere uo-
luiſſet, tacito nutu mentis in ſuis eos ictibus liga-
ret, aut in pœnã ſubitæ mortis obrueret. Sed quia
pati uenerat, exercere iudiciũ nolebat. Certè ſub
ipſo paſſionis tempore, & quantũ poterat oſten-
dit, & tamen hoc ad quod uenerat pertulit. Nam
cùm perſecutoribus ſuis ſe quærentibus diceret:
Ego ſum, ſola hac uoce eorum ſuperbiam percu-
lit, & omnes in terram ſtrauit. Qui ergo & hoc in
loco potuit manus lapidantiũ non ſe abſconden-
do euadere, cur abſcondit ſe, niſi quòd homo in-
ter homines factus redemptor noſter alia nobis
uerbo loquitur, alia exemplo? Quid autem nobis
hoc exemplo loquitur, niſi ut etiam cùm reſiſtere
poſſumus, iram ſuperbientium humiliter decline
mus? Vnde & per Paulum dicitur, Date locum
iræ. Quãta humilitate iram proximi ferre debeat,
perpendat homo, ſi furores iraſcentium abſcon- Rom.
dendo ſe, declinauit deus. Nemo ergo ſe cõtra ac-
ceptas contumelias erigat, nemo conuitijs conui
tium reddat. Imitatione etenim dei, glorioſius eſt
iniuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſu-
perare. Sed cõtra hoc ſuperbia dicit in corde: Tur
pe eſt, ut accepta iniuria taceas. Quiſquis conſpi-
cit quia contumeliam accipis, & taces: non putat
quia patientiã exhibes, ſed crimina agnoſcis. Sed
unde uox iſta in corde noſtro contra patientiam
naſcitur, niſi quia in imis cogitationem fiximus,
& dum in terra gloriam quærimus, placere ei qui
nos de cœlo cõſpicit, nõ curamus? Accepta ergo
contumelia, meditemur in opere uocẽ dei. Ego
non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudi
cet.] Hoc aũt quod de dño ſcriptũ eſt: Abſcondit
ſe, intelligi & aliter poteſt. Multa quippe ludæis
prædicauerat, ſed prædicationis eius uerba deri-
debant. Deteriores quoq; ex prædicatione facti
ſunt, qui uſq; ad faciendos lapides peruenerũt. Et
quid abſcondẽdo ſe dominus ſignificat, niſi quòd
eis ipſa ueritas abſconditur, qui eius uerba ſequi Ver
contemnunt? Eam quippe quam non inuenit hu dic
milem, ueritas fugit mentem. Et quàm multi ſunt fau
hodie qui Iudæorum duritiam deteſtantur, quia
prædicationem domini audire noluerunt, & ta-
men quales illos arguunt fuiſſe ad fidem, tales ipſi
ſunt ad operationem. Præcepta domini audiunt,
miracula cognoſcunt, ſed conuerti à ſuis prauita-
tibus renuũt. Ecce uocat, & redire nolumus. Ecce
ſuſtinet, & eius patientiam diſſimulamus. Dum
ergo tempus habemus fratres, prauitatem ſuam
unuſquiſq; deſerat, dei patientiam pertimeſcat, ne
quem nunc tranquillum deſpicit, iratum poſtmo
dum nequaquam euadere poſſit.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus di- Ver
ſcipulis ſuis parabolam hãc: ſio
Simile eſt regnũ cœlorũ ho-
mini patrifamilias, qui exijt
primo manè conducere ope
rarios in uineã ſuam. Conuentione autẽ fa-
cta cum operarijs ex denario diurno, miſit
eos in uineam ſuam. Et egreſſus circa ho-
ram tertiam: uidit alios ſtantes in foro ocio
ſos, & illis dixit: Ite & uos in uineam meã,
& quod iuſtum fuerit dabo uobis. Illi autẽ
abierunt. Iterum autem exijt circa ſextã &
nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa un-
decimam uerò horam exijt, & inuenit alios
ſtantes, & dixit illis. Quid hic ſtatis tota die
ocioſi

ociosi? Dicunt ei: Quia nemo nos cõduxit. Dixit illis: Ite & uos in uineã meam. Cùm sero autem factum esset: dixit dominus uineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis usque ad primos. Cùm uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes: Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æstus? At ille respondẽs uni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum est, & uade. Volo autẽ & huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi facere quod uolo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica beati Laurentij martyris, in septuagesima.

Homilia XIX

IN explanatione sua, multa ad loquendum sancti Euangelij lectio postulat, quã uolo, si possum, sub breuitate perstringere, ne uos & extensa processio, & prolixa expositio uideatur onerare. Regnum cœlorum homini patrifamiliâs simile dicitur, qui ad excolendam uineam suam operarios cõducit. Quis uerò patrisfamiliâs similitudinem rectius tenet quàm conditor noster, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos dominus in domo? Qui habet uineam, uniuersalem scilicet Ecclesiã, quæ ab Abel iusto usq; ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic itaque paterfamiliâs ad excolendam uineam suam mane, hora tertia, sexta, nona, & undecima operarios conducit, quia à mundi huius initio usq; in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare no desistit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usq; ad Noe. Hora uerò tertia, à Noe usq; Abraham. Sexta quoq; ab Abraham usque ad Moysen. Nona autem à Moyse usque ad aduentum domini. Vndecima uerò ab aduentu domini usq; ad finem mundi. In qua prædicatores sancti Apostoli missi sunt, qui mercedem plenam & tardè uenientes acceperunt. Ad erudiendam ergo dominus plebem suam, quasi ad excolendam uineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere, quia & prius per patres, & postmodum per legis doctores & prophetas, ad extremum uerò per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in uineæ cultura laborauit. Quamuis in quolibet modulo uel mensura, quisquis cum fide recta, bonæ actionis extitit, huius uineæ operarius fuit. Operator ergo manè, hora tertia, sexta, & nona, antiquus ille & Hebraicus populus designat, qui in electis suis ab ipso mundi exordio dum recta fide deum studuit colere, quasi non destitit in uineæ cultura laborare. Ad undecimam uerò gentiles uocantur, quibus & dicitur: Quid hic statis tota die ociosi? Qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro uita sua laborare neglexerant, quasi tota die ociosi stabant. sed pensate fratres quid inquisiti respondeant. Dicunt enim, quia nemo nos conduxit. Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus prophetа uenerat. Et quid est dicere, ad laborem nos nemo cõduxit: nisi, quia uitæ nobis uias nullus prædicauit? Quid ergo nos à bono opere cessãtes, in excusatione nostra dicturi sumus, qui penè à matris utero ad fidem uenimus, qui uerba uitæ ab ipsis cunabulis audiuim⁹, qui ab uberibus sanctæ Ecclesiæ potum supernæ prædicationis suximus cum lacte carnis? Possumus uerò & easdem diuersitates horarũ, etiam ad unum quemq; hominem per ætatum momenta distinguere. Mane quippe intellectus nostri, pueritia est. Hora autẽ tertia, adolescentia intelligi potest, quia quasi iam sol in altum proficit, dum calor ætatis crescit. Sexta uerò iuuentus est, quia uelut in centro sol figitur, dum in ea plenitudo roboris solidatur. Nona autem senectus intelligitur, in qua sol uelut ab alto axe descendit, quia ea ætas à calore iuuentutis deficit. Vndecima uerò hora ea est ætas quæ decrepita uel ueterata dicitur. Vnde & Græci ualde seniores, non γέροντες, sed πρεσβυτέρους appellant, ut plus quàm senes esse insinuent, quos prouectiores uocant. Quia ergo ad uitam bonam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in iuuentute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur, quasi diuersis horis operarij ad uineam uocantur. Mores ergo uestros fratres charissimi aspicite, & si iam dei operarij estis, uidete. Pensет unusquisq; quid agat, & consideret si in domini uinea laboret. Qui enim in hac uita ea quæ sua sunt quærit, adhuc ad dominicã uineam non uenit. Illi nanq; domino laborant, qui non sua sed lucra dominica cogitant, qui zelo charitatis, studio pietatis inseruiunt, animabus lucrãdis inuigilant, perducere & alios secum ad uitam festinant. Nam qui sibi uiuit, qui carnis suæ uoluptatibus pascitur, recte ociosus redarguitur, quia fructum diuini operis non sectatur. Qui uerò & usque ad ætatem ultimam deo uiuere neglexerit, quasi usque ad undecimam ociosus stetit. Vnde recte usque ad undecimam torpentibus dicitur:

Quid hic statis tota die ociosi?] Ac si apertè dicatur: Et si deo uiuere in pueritia & iuuentute noluistis, saltem in ultima ætate resipiscite, &

Ecclesia ab Abel iusto incepit

Vineã domini qui dicatur recte colere

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad uitę uias cùm iam laboraturi multum non eſtis uel ſerò uenite. Et tales ergo paterfamilias uocat, & plerunque ante remunerantur, quia prius ad regnum de corpore exeũt, quàm hi qui iam à pueritia uocati eſſe uidebãtur. An non ad undecimam horam uenit latro, qui etſi non habuit per ætatem habuit tamen ſerò per pœnam: qui deum in cruce confeſſus eſt, & penè cum uoce ſententiæ, ſpiritum exhalauit uitæ? A nouiſſimo autem reddere denarium paterfamilias cœpit, quia ad paradiſi requiem prius latronem quàm Petrum perduxit. Quanti patres ante legem, quanti ſub lege fuerunt, & tamen hi qui in domini aduentu uocati ſunt, ad cœlorum regnum ſine aliqua tarditate peruenerunt. Eundem ergo denarium accipiunt qui laborauerunt ad undecimam, quem expectauerunt toto deſiderio qui laborauerũt ad primã; quia æqualem uitæ æternæ retributionem ſortiti ſunt cum his qui à mundi initio uocati fuerant, hi qui in mundi termino ad dominum uenerũt. Vnde & hi qui in labore præceſſerant, murmurantes dicunt: Hi nouiſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus?] Pondus enim diei & æſtus portauerũt hi quos à mundi initio, quia diu hic contigit uiuere, neceſſe fuit etiam longiora carnis tentamenta tolerare. Vnicuique enim pondus diei & æſtus ferre, eſt per longioris uitæ tempora, carnis ſuæ calore fatigari. Sed quæri poteſt quomodo murmuraſſe dicti ſunt, qui ſaltem ſerò ad regnum uocantur? Cœlorum etenim regnum nullus murmurãs accipit: nullus qui accipit, murmurare poteſt. Sed quia antiqui patres uſq; ad aduentũ domini quantumlibet iuſtè uixerint, ducti ad regnum non ſunt niſi ille deſcenderet qui paradiſi clauſtra hominibus interpoſitione ſuæ mortis aperiret, eorũ hoc ipſum murmuraſſe eſt, quòd & rectè pro percipiendo regno uixerunt, & tamen diu ad percipiendum regnum dilati ſunt. Quos enim poſt peractam iuſtitiam inferni loca quamuis tranquilla ſuſceperunt, eis profectò & laboraſſe fuit in uinea, & murmuraſſe. Quaſi ergo poſt murmurationem denarium accipiunt, qui poſt longa inferni tempora, ad gaudia regni peruenerunt. Nos autẽ qui ad undecimam uenimus, poſt laborem non murmuramus, & denarium accipimus: quia poſt mediatoris aduentum, in hoc mundo uenientes, ad regnum ducimur, mox ut de corpore eximus, & illud ſine mora percipimus, quod antiqui patres cum magna percipere dilatione meruerunt. Vnde & idem paterfamilias dicit: Volo & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.] Et quia ipſa regni perceptio eius eſt bonitas uoluntatis: recte ſubiungit: An non licet mihi quod uolo facere?] Stulta enim quæſtio eſt hominis contra benignitatem dei. Conquerendum quippe eſſet nõ ſi nõ daret quod non deberet, ſed ſi non daret quod deberet. Vnde apte ſubditur: An oculus tuus nequam eſt: quia ego bonus ſum?] Nemo autem ſe de opere, nemo de tempore extollat, cùm hac expleta ſententia, ſubſequenter ueritas clamet:

Regnũ cœlorũ an poſſit dari murmurantib.

Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.]

Ecce enim & ſi iam ſcimus quæ uel quanta bona egimus, adhuc ſupernus iudex qua ſubtilitate hæc examinet, ignoramus. Et quidem gaudendum cuique ſummopere eſt in regno dei eſſe uel ultimum. Sed poſt hæc terribile eſt ualde quod ſequitur: Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.] Quia & ad fidem plures ueniunt, & ad cœleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtiuitatem quàm multi cõuenimus, Eccleſiæ parietes implemus, ſed tamen quis ſciat quàm pauci ſunt qui in illo electorum dei grege numerantur? Ecce enim uox omnium Chriſtum clamat, ſed uita omnium non clamat. Plerique deũ uocibus ſequuntur, moribus fugiunt. Hinc etenim Paulus dicit: Qui confitentur ſe noſſe deum, factis autem negant. Hinc Iacobus ait: Fides ſine operibus mortua eſt. Hinc per Pſalmiſtam dominus dicit: Annunciaui & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Vocante enim domino, ſuper numerum multiplicantur fideles: quia non nunquam etiam hi ad fidem ueniũt, qui ad electorum numerũ non pertingunt. Hic enim fidelibus per cõfeſſionem admixti ſunt, ſed propter uitam reprobam illic numerari in ſorte fidelium non merentur. Hoc ouile ſanctæ Eccleſiæ hœdos cum agnis recipit, ſed atteſtante Euangelio, cùm iudex uenerit, bonos à malis ſeparat, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Neq; etenim poſſunt qui hic carnis ſuæ uoluptatibus ſeruiunt, illic in ouiũ grege numerari. Illic eos à ſorte humilium iudex ſeparat, qui ſe hic in ſuperbiæ cornibus exaltant. Regnum cœlorum percipere nequeunt, qui hic & in cœleſti fide poſiti, toto deſiderio terrena quærũt. Et multos tales intra Eccleſiam fratres chariſſimi cernitis, ſed eos nec imitari nec deſpicere debetis. Quid enim ſit hodie aſpicimus, ſed quid cras futurus ſit unuſquiſq; neſcimus. Plerunq; & qui poſt nos uenire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit, & uix eum cras ſequimur, quem hodie præire uidebamur. Ecce cum Stephanus pro fide moreretur, Saulus lapidantium ueſtimenta ſeruabat. Omnium ergo lapidantiũ manibus ipſe lapidauit, qui ad lapidandum omnes expeditos reddidit: & tamen eundem ipſum in ſancta Eccleſia laboribus anteceſſit, quem perſequendo martyrem fecit. Duo ergo ſunt quæ ſollicitè penſare debemus. Quia enim multi uocati, ſed pauci electi ſunt, primum eſt ut de ſe quiſque minimè præſumat: quia etſi iam ad fidem uocatus eſt, utrum perenni regno dignus ſit, neſcit. Secundum uerò eſt, ut unuſquiſq; proximũ quem fortaſſe iacere in uitijs conſpicit, deſperare non audeat, quia diuinę miſericordię diuitias ignorat. Rem fratres quæ nuper contigit refero, ut ſi uos peccatores ex corde eſſe conſpicitis, omnipotentis dei miſericordiam amplius ametis. Præſenti anno in monaſterio meo, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis & Pauli Eccleſiam ſitum eſt, frater quidam ad conuerſionem uenit, deuotè ſuſceptus eſt, ſed ipſe de uotius eſt conuerſatus. Hunc ad monaſteriũ frater

ſuus

suus corpore,non corde secutus est. Nam ualde conuersationis uitam & habitum detestans in monasterio,ut hospes habitabat,& monachorum uitam moribus fugiens,recedere à monasterij habitatione non poterat,quia uel quid ageret,uel unde uiueret,non habebat. Erat eius prauitas cunctis onerosa,sed hūc omnes æquanimiter pro fratris eius amore tolerabant.Nam superbus & lubricus,si qua post hoc seculum sequeretur uita, nesciebat.Irridebat uerò si quis illi hanc prædicare uoluisset.Itaque cum habitu seculari uiuebat in monasterio,uerbis leuis,nutibus instabilis, mente tumidus,ueste incōpositus,actione dissipatus.Mense autem Iulio nuper elapso huius quam nostis pestilentiæ clade percussus est,qui ad extremum ueniens urgeri cœpit ut animam redderet.Et ultima iam corporis parte præmortua,uitalis uirtus in solo pectore & lingua remanserat.Fratres aderant, eiusq; exitum,in quantum deo largiente poterāt, oratione tuebātur.At ille subitò ad deuorandum se draconem uenire conspiciens magnis uocibus cœpit clamare,dicens:Ecce draconi ad deuorandum datus sum,qui propter uestram præsentiam deuorare me non potest. Quid mihi moram facitis? date locum:ut ei deuorare me liceat. Cunq; hunc fratres ut signum sibi crucis imprimeret admonerent,respondebat uirtute qua poterat, dicens: Volo me signare,sed non possum,quia à dracone premor.Spumæ oris eius faciem meam linunt,guttur meum eius ore suffocatur. Ecce ab eo brachia mea comprimuntur,qui iam & caput meum in suo ore absorbuit.Cunq; hoc ille pallens & tremens & moriens diceret,cœperunt fratres uehemētius orationibus insistere,& oppressum draconis præsentia suis precibus adiuuare. Tunc repentè liberatus,magnis cœpit uocibus clamare, dicens:Deo gratias.Ecce discessit,ecce exijt,ante orationes uestras fugit draco, qui me acceperat. Mox autē seruiturū se deo, & esse monachū deuouit,atque à tempore illo nunc usq; febribus premitur,doloribus fatigatur.Morti quidem subtractus est,sed adhuc plenius uitæ restitutus non est. Quia enim longis & diuturnis iniquitatibus pressus est,longo languore fatigat̄,& durum cor ignis purgationis durior cōcremat: quia diuina dispensatione agitur,ut prolixiora uitia ægritudo prolixior exurat.Quis illum unquam seruari ad conuersionem crederet? Quis tantam dei misericordiam considerare sufficiat? Ecce iuuenis prauus draconem uidit in morte,cui seruiuit in uita : nec uidit ut uitam funditus perderet, sed ut cui seruierat sciret,sciēdo resisteret,ipsumq; resistēdo superaret:& eū à quo prius nō uidēs tenebat̄, uidit ne postea teneret. Quæ ergo lingua narrare uiscera diuinæ misericordiæ sufficiat? Quis spiritus tātæ pietatis diuitias nō obstupescat? Has diuinę pietatis diuitias cōsiderauit Psalmista,cū diceret: Adiutor meus tibi psallā, quia tu deus susceptor meus es,deus meus misericordia mea. Ecce perpendēs in quibus laboribus humana sit uita cōstituta,deum appellauit adiutorem: & quia à tribulatione præsenti in requiem æternam nos suscipit,appellat etiam susceptorem.Sed considerans quòd mala nostra aspicit & portat,culpas nostras tolerat & tamen nos per pœnitentiam ad præmia reseruat, noluit deum misericordem dicere sed hunc ipsam misericordiā uocauit, dicens:Deus meus misericordia mea. Reuocemus ergo ante oculos mala quæ fecimus.Pensemus ex quanta dei benignitate toleramur, cōsideremus quæ sunt pietatis eius uiscera, ut nonsolum culpas indulgeat, sed cœleste regnum pœnitentibus etiam post culpas promittat.Atque ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes : Deus meus misericordia mea, qui uiuis & regnas trinus in unitate, & unus in trinitate,per infinita secula seculorum. Amen.

Psal.58

Psal.58

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

ANno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam,tetrarcha autē Galilææ Herode, Philippo autē fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis,& Lysania Abilenes tetrarcha sub principibus sacerdotum Anna & Caipha:factū est uerbum domini super Ioannem, Zachariæ filium,in deserto.Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ: in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: parate uiam domini,rectas facite semitas eius. Omnis uallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur.Et erunt praua in directa,& aspera in uias planas.Et uidebit omnis caro salutare dei.Dicebat ergo ad turbas quæ exiebant ut baptizarētur ab ipso: Genimima uiperarum,quis ostendit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ:& ne cœperitis dicere patrem habemus Abraham.Dico enim uobis:quia potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahę.Iam enim securis ad radicem arboris posita est.Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur,& in ignem mittetur.Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Respondēs autem dicebat illis : Qui habet duas tunicas,det non habenti:& qui habet escas,similiter faciat.

Lucæ 3

Esa.40

Universidad de Deusto
Biblioteca

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica sancti Ioannis baptistæ, Sabbato quatuor temporum ante natalem Christi.

Homilia xx

REdemptoris nostri præcursor quo tempore prædicationis officium acceperit, memorato Romanæ reipublicæ principe & Iudeę regibus designatur, cùm dicitur: Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilæę Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ atq; Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha factum est uerbum domini super Ioānem Zachariæ filium in deserto.] Quia enim illum prædicare ueniebat, qui & ex Iudæa quosdam, & multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium & principes Iudæorum prædicationis eius tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, & Iudæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoq; descriptio terreni principatus ostendit, quoniam & in Romana republica unus præfuisse describitur, & in Iudææ regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce etenim [Lucæ 11 nostri redemptoris dicitur: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Liquet ergo quòd ad finem regni Iudæa peruenerat, quæ tot regibus diuisa subiacebat. Aptè quoque non solum quibus regibus sed etiam quibus sacerdotibus actum sit, demonstratur: & quia illum Ioannes baptista prædicaret, qui simul rex & sacerdos existeret, Lucas Euangelista prædicationis eius tempora per regnum & sacerdotium designauit: Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.] Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes non solum baptismum pœnitentiæ prædicauit, uerumetiam quibusdam dedit, sed tamen baptismum suum in remissionē peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorū in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaq; quòd dicitur, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorū, quoniam baptismū quod peccata solueret, quia dare non poterat, prædicabat: ut sicut incarnatum uerbum patris præcurrebat uerbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ quo peccata soluuntur, prę-curreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt: ut quia eius sermo præcurrebat præsentiam redēptoris, ipsum quoq; eius baptisma præcedendo fieret umbra ueritatis. Sequitur: Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ, Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite semitas e- Ioan.1 ius.] Idem uerò Ioannes baptista requisitus quis esset, respondit dicens: Ego uox clamantis in deserto. Qui, sicut ante per nos dictum est, ideo uox à propheta uocatus est, quia uerbū præibat. Quid autem clamaret aperitur, cùm subditur: Parate uiam domini, rectas facite semitas eius.] Omnis

Christus fuit rex & sacerdos.

A qui fidem rectam & bona opera prædicat, quid aliud quàm uenienti domino ad corda audientium uiam parat? ut hæc uis gratiæ penetret, lumen ueritatis illustret, ut rectas deo semitas faciat dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format. Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabit.] Quid hoc loco uallium nomine nisi humiles? quid montium & collium, nisi superbi homines designantur? In aduentu ergo redemptoris, ualles implętę, montes uerò & colles humiliati sunt, quia iuxta eius uocem: Omnis qui se exaltat humiliabitur, Luc. & omnis qui se humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit, mons autem & collis humilia B tus decrescit: quia nimirum in fide mediatoris dei & hominum hominis Christi Iesu, & gētilitas plenitudinē gratiæ accepit, & Iudæa per errorē perfidiæ hoc unde tumebat perdidit. Omnis enim uallis implebitur, quia corda humilium sacræ doctrinæ eloquio uirtutum gratia replebūtur, iuxta hoc quod scriptum est: Qui emittit fontes in conualli Psal. bus. Et unde rursum dicitur: Et conualles abundabant frumento. A montibus nanq; aqua dilabitur, quia superbas mentes ueritatis doctrina deserit. Sed fontes in conuallibus surgunt, quia mentes humilium uerbum prædicationis accipiunt. Iam uidemus, iam conualles frumento abundare cōspicimus, quia illorum ora pabulo ueritatis impleta sunt, qui mites ac simplices huic mundo de- C spicabiles esse uidebantur. Ipsum quoque Ioannē baptistam quia mira sanctitate prędituin populus uiderat, illum hunc esse singulariter celsum ac solidum montem credebat, de quo scriptum est: In Mic. nouissimo dierum erit mons domus domini praparatus in uertice montium. Nam hunc esse Christum putabat, sicut per Euangelium dicitur: Æstimante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, quem & requirebant dicētes: Nunquid Chri- Luc. stus es tu? Sed nisi idem Ioannes apud se uallis esset, replet⁹ gratiæ spiritu nō fuisset. Qui ut hoc quē erat ostenderet, dixit: Venit fortior me post me, Mar. cuius non sum dignus soluere corrigiā calciamenti eius. Et rursum: Qui habet sponsam, sponsus est: D amicus autē sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi: hoc autem gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Ecce cum pro mira operatione uirtutum talis esset ut Christus esse crederetur, non solum Christum non esse se respondit, sed etiam corrigiam calciamenti eius soluere, id est incarnationis eius mysterium perscrutari non se dignum esse perhibuit. Eius esse sponsam Ecclesiam credebant, qui hunc Christum esse existimabant. Sed ait: Qui habet sponsam, sponsus est. Ac Luc. si diceret: Ego sponsus non sum, sed amicus sponsi sum. Nec propter uocē suā sed in uoce sponsi se gaudere perhibebat, quia nō ideo lætabat in corde, quoniā à populis humiliter audiebat loquens: sed quia ipse ueritatis uocē audiebat intus, ut loqueretur foris. Quod bene gaudiū impletū dicit, quia

quia quisquis de sua uoce gaudet, plenum gaudium nō habet. A quo & subditur: Illum oportet crescere, me autem minui. Qua in re quærendum est in quo creuit Christus, in quo imminutꝰ est Ioannes, nisi ꝙ populus Ioānis abstinentiam uidēs, remotum hunc ab hominibus esse cōspiciens, eū esse Christum putabat: Christum uerò cum publicanis comedentem, inter peccatores ambulātem intuens, eum non Christum, sed esse prophetā credebat. Sed dum per accessum tēporis & Christus qui propheta esse putabat, Christus est agnitus, & Ioannes qui Christus esse credebat, propheta esse innotuit, impletum est quod de Christo suus præcursor prædixit: Illum oportet crescere, me autem minui. In æstimatione quippe populi & Christus creuit, quia agnitus est quod erat: & Ioannes decreuit, quia cessauit dici quod nō erat. Igit quoniam & idem Ioannes ideo in sanctitate perstitit, quia in cordis humilitate perdurauit: & multi idcirco ceciderunt, quia apud semetipsos elata cogitatione tumuerunt, dicatur recte: Omnis ualis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.] Quia donum humiles accipiunt, quod à se corda superbientium repellunt. Sequitur: Et erunt praua in directa, & aspera in uias planas.] Praua directa fiunt, cùm malorum corda per iniustitiam detorta, ad iustitiæ regulam diriguntur. Et aspera in uias planas immutātur, cùm immites atque iracundæ mētes, per infusionem supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quādo enim uerbum ueritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit. Sed cum mens iracunda per acceptā mansuetudinis gratiam, correptionis uel exhortationis uerbum recipit, ibi planam uiam prædicator inuenit, ubi prius pre asperitate itineris pergere, id est prædicationis gressum ponere nō ualebat. Sequitur: Et uidebit omnis caro salutare dei.] Quia omnis caro accipitur omnis homo, salutare dei uidelicet Christum in hac uita omnis homo uidere non potuit. Vbi ergo in hac sententia prophetæ prophetiæ oculum, nisi ad extremi iudicij diem tetendit? ubi cùm apertis cœlis, ministrantibus angelis, consedentibus Apostolis, in sede maiestatis suæ Christus apparuerit, omnes hunc & electi & reprobi pariter uidebūt: ut & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti in ultione supplicij in perpetuum gemāt. Nam quia ad hoc ista sententia tendit, quod in extremo examine ab omni carne uidebitur, rectè subiungitur:

Dicebat autem ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab eo: Genimina uiperarum, quis ostendit uobis fugere à uēntura ira?] Ventura enim ira est animaduersio ultionis extremæ. Quam tunc fugere peccator non ualet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Et notandum quod mala soboles malorum parentum actionem imitantes, genimina uiperarum uocantur: quia per hoc quod bonis inuident, eosq; persequuntur, quod quibusdam mala retribuunt, quod læsiones proximis exquirunt, quoniam in his omnibus priorum suorum carnalium uias sequuntur, quasi uenenati filij de uenenatis parentibus nati sunt. Sed quia iam peccauimus, quia usu malæ consuetudinis inuoluti sumus, dicat quid nobis faciendum sit, ut fugere à uēntura ira ualeamus. Sequitur: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.] In quibus uerbis notandū est, ꝙ amicus sponsi nō solū fructus pœnitētiæ, sed dignos pœnitētiæ admonet esse faciendos. Aliud nanq; est fructū facere, pœnitētię aliud dignū pœnitētiæ fructū facere. Vt em̄ secūdum dignos pœnitētiæ fructus loquamur, sciēdum est quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure cōceditur ut licitis utatur: sicq; pietatis opera faciat, ut tamē si uoluerit, ea quæ mundi sunt, nō relinquat. At si quis in fornicatiōis culpam, uel fortasse, quod est grauius, in adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neq; em̄ par fructus boni operis esse debet, eius qui minus, & eius qui amplius deliquit: aut eius qui nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicit: Facite dignos fructus pœnitentię, uniuscuiusque conscientia conuenitur, ut tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quāto grauiora sibi intulit damna per culpam. Sed Iudęi de generis nobilitate gloriantes, idcirco se agnoscere peccatores nolebant, quia de Abrahæ stirpe descenderant. Quibus rectè dicitur: Et ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham, dico enim uobis, quia potēs est deus de lapidib. istis suscitare filios Abrahæ.] Quid em̄ lapides, nisi corda gentilium fuerunt, ad intellectum dei omnipotentis insensibilia? sicut etiam quibusdam ex Iudęis dicit: Auferam cor lapideū de carne uestra. Nec immeritò lapidum nomine gētes significatę sunt, quia lapides coluerunt. Vnde scriptū est: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui cōfidunt in eis. De quibus nimirum lapidib. filij Abrahæ suscitati sunt, quia dum dura corda gentiliū in Abrahæ semine, id est in Christo crediderūt, eius filij facti sunt, cuius semini sunt uniti. Vnde & eisdē gētibus per egregium prædicatorē dicit: Si autē uos Christi, ergo Abrahæ semē estis. Si igit nos per fidem Christi, Abrahæ iam semen existimus, Iudæi ꝓpter perfidiā Abrahæ filij esse desierūt. Quia uerò in illo tremēdi examinis die, parentes boni malis filijs prodesse nō possint, testat̄ ꝓpheta qui dicit: Noe, Daniel & Iob si fuerint in medio eorū, ui uo ego, dicit dns deus, quia filiū & filiā nō liberabunt, sed ipsi in iustitia sua liberabūt animas suas. Et rursum quia boni filij nihil malis parentib. prosint, sed ad reatū potiꝰ malorū parentū ꝓficiat bonitas filiorū, ipsa per se ueritas nō credentib. Iudæis dicit: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciūt? Ideo ipsi iudices uestri erunt. Sequit̄: Iam em̄ securis ad radicē arboris posita est. Omnis enim arbor nō faciens fructum bonū, excidetur, & in ignem mittetur.] Arbor huius mūdi est uniuersum genus humanū. Securis uerò est redēptor noster, ꝙ uelut ex manubrio & ferro

Christꝰ creuit & Ioannes minutꝰ est

Salutare dei uidebit omnis caro, qualiter intelligitur

Ioan. 3

Esa. 40

Ezech. 11

Psal. 113

Gal. 3

Ezech. 14

Lucæ 11

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenetur ex humanitate, sed incidit ex diuinitate. A Quæ uidelicet securis iam ad radicem arboris posita est, quia etsi per patientiam expectat, uidetur tamen quid factura est. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, quia unusquisq; peruersus paratā citius gehēnæ concremationem inuenit, qui hic fructū boni operis facere cōtemnit. Et notandū q̄ securim nō iuxta ramos positā, sed ad radicem dicit. Cū enim malorū filij tollunt, quid aliud quàm rami infructuosę arboris abscinduntur? Cū uerò tota simul progenies cū parente tollitur, infructuosa arbor à radice abscissa est, ne iam remaneat unde prauæ iterū soboles succrescant. In quib. Ioānis baptistæ uerbis constat q̄ audientiū corda turbata sunt, cū protinus subinfertur: Et interrogabāt eum turbę: dicētes. Quid ergo faciemus?] Perculsę enim terrore fuerāt, quæ cōsilium quærebant. Sequitur:

Respōdens aūt dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habēti, & qui habet escas, similiter faciat.] Per hoc q̄ tunica plus est necessaria usui nostro q̄ pallium, ad fructū dignum pœnitentiæ pertinet, ut nō solū exteriora quæq; & minus necessaria, sed ipsa ualde nobis necessaria diuidere cū proximis debeamus, scilicet uel escam qua carnaliter uiuimus, uel tunicā qua uestimur. Quia enim in lege scriptum est: Diliges proximum tuū Mat.22 Leuit.19 sicut teipsum, minus proximum amare cōuincit, qui nō cum eo in necessitate illius etiā ea quæ sibi sunt necessaria partit. Idcirco ergo de diuidendis C cum proximo duabus tunicis datur præceptum, quia hoc de una dici nō potuit, quoniam si una diuidatur, nemo uestitur. In dimidia quippe tunica & nudus remanet qui accipit, & nudus qui dedit. Inter hoc autem sciendum est quātum misericordiæ opera ualeant, cum ad fructus dignos pœnitentiæ ipsa præ cæteris præcipiuntur. Hinc etiam Luc.11 per semetipsam ueritas dicit: Date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt uobis. Hinc rursus ait: Luc.6 Date, & dabitur uobis. Hinc scriptum est: Ignem Eccli.3 ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Hinc iterum dicitur: Cōclude eleemosynā in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Hinc bonus pater innocentem filium admonet, dicēs: Tob.4 Si multum tibi fuerit, abundāter tribue, si exiguū fuerit, etiam exiguum libēter studе impartiri. Vt autem quāta esset uirtus in cōtinentia & susceptione indigētium, redemptor noster ostēderet dicit: Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, Mat.10 mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustū in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. In quib. uerbis notādum est, quia nō ait mercedem de propheta, uel mercedē de iusto, sed mercedē ꝓphetę, atq; mercedē iusti accipiet. Aliud est em̄ merces de propheta, aliud merces ꝓphetæ: atq; aliud merces de iusto, aliud merces iusti. Quid ē em̄ dicere, mercedē prophetæ accipiet, nisi quia is qui prophetam sua largitate sustentat, quamuis ipse prophetiā nō habeat, apud omnipotētem tn̄ dominū prophetiæ præmia habebit? Iste em̄ fortasse iust⁹ est, & quanto in hoc mūdo nihil possidet, tāto loquendi pro iustitia fiduciam maiorē habet. Hunc dum ille sustētat, qui in hoc mūdo aliquid possidet, & fortasse adhuc pro iustitia loqui liberè non præsumit, iustitiæ illius libertatē sibi participem facit, ut cū eo pariter iustitiæ præmia recipiat, quē sustentando adiuuit, quatenus eandē iustitiam liberè loqui potuisset. Ille em̄ prophetiæ spiritu plenus est, sed tn̄ corporeo eget alimēto. Et si corpus nō reficit, certū est quòd uox ipsa subtrahat. Qui ergo alimentū prophetæ propter hoc q̄ prophetа est tribuit, prophetiæ illius uires ad loquēdum dedit. Cū propheta ergo mercedē prophetæ recipiet, qui etsi spiritu prophetiæ plenus nō fuit, hoc tamē ante dei oculos exhibuit, q̄d adiuuit. Hinc B est q̄ de quibusdam peregrinantib. fratrib. Caio per Ioannē dicit: Pro nomine em̄ Christi profecti Ioan. sunt, nihil accipiētes à gentilib. Nos ergo debem⁹ susc̄ipere huiusmodi, ut cooperatores simus ueritatis. Qui em̄ spiritalia dona habentib. tēporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritalib. cooperator existit. Nam cū pauci sint, qui spiritalia dona percipiunt, & multi qui rebus temporalib. abundant, per hoc se diuites uir tutib. pauperū inserūt, quo eisdem sanctis pauperib. de suis diuitijs solatiant. Vnde cùm per Esaiæ uocē, derelictæ dominus gentilitati, id est sanctæ Ecclesiæ, spiritaliū uirtutum merita, tanq̄ deserto arbusta promitteret, ulmum quoq; pariter promisit, dicens: Ponā Esa. desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum, dabo in solitudine cedrum, & spinam, myrtum, & lignum oliuæ, ponam in deserto abietem, ulmum & buxum simul, ut uideāt & sciant & recogitent & intelligant pariter. Desertum quippe dominus in stagna aquarum posuit, & terram inuiam in riuos aquarum, quia gētilitati quæ prius per aridit atem mentis nullos bonorū operum fructus ferebat, fluenta sanctæ prædicationis dedit: & ipsa ad quam prius pro asperitate suę siccitatis, uia prædicatoribus non patebat, doctrinæ postmodum riuos emanauit. Cui adhuc ex magno munere promittitur, Dabo in solitudine cedrum & spinam. Cedrum, quia magni odoris est, atq; imputribilis naturæ, iure accipimus in promissione. De spina uerò cum peccanti homini dictum sit: Terra tua spinas & tribulos germinabit D Gen. tibi, quid mirum si sanctæ Ecclesiæ illud promittitur, quod peccanti homini pro pœna multiplicatur? Sed cedri signantur nomine, hi qui uirtutes & signa exhibent in sua operatione, qui dicere cum Paulo ualēt: Christi bonus odor sumus deo. Quorum corda ita in æterno amore solidata sunt, ut eadem iam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinā uerò signati sunt doctrinæ spiritalis uiri, qui dum de peccatis ac uirtutib. differunt, & modo æterna supplicia minātur, modo cœlestis regni gaudia promittūt, corda audientiū pungunt, ficq; mētem dolore compunctionis perforant, ut ab eorū oculis, quasi quidā sanguis animæ, lachrymę decurrant. Myrtus uerò tēperatiuę uirtutis ē, ita ut dissoluta mēbra tēperādo cōstringat. qui itaq; per myrtū, nisi hi signati sunt, qui afflictio-

flictionibus proximorum compati sciunt, eorũq; tribulationem per compassionem tẽperant? Iuxta hoc quod scriptum est: Gratias autem deo, qui 2.Cor.1 consolat nos in omni tribulatione nostra, ut possimꝰ & ipsi cõsolari eos qui in omni pressura sunt. Qui dum afflictis proximis uerbũ uel opem consolationis ferunt, eos procul dubio ad statũ rectitudinis restringunt, ne immoderata tribulatione in Oliua misericordes denotat desperationem soluant. Quos autem per oliuam, nisi misericordes accipimus? Quia & Græce eleos misericordia uocat, & quasi oliuæ liquor, ante omnipotentis dei oculos, misericordiæ fructus lucet. Cui adhuc in promissione subiungit: Ponam Esa.41 in deserto abietẽ, ulmum & buxũ simul. Qui per Abies quos repræsentat abietem, quæ ualde crescendo ad aeris alta sustollitur, nisi hi designati sunt, qui intra sanctã Ecclesiam adhuc in terrenis corporib. positi, iam cœlestia contemplant? Et quãuis nascendo de terra exierunt, contemplãdo tamẽ iam iuxta æthera uertice mentis extollũt. Et quid per ulmum, nisi secularium mentes expressæ sunt? Quæ dum terre- Vlmꝰ quos designat nis adhuc curis inseruiunt, nullũ uirtutum spiritalium fructũ ferunt. Sed etsi fructũ propriũ ulmus non habet, portare tamẽ uitem cum fructu solet: quia & seculares uiri intra sanctã Ecclesiã quãuis spiritalium uirtutũ dona non habeãt, dum tamen sanctos uiros donis spiritalib. plenos sua largitate sustentãt, quid aliud quàm uitẽ cũ botris portãt? Buxus autem quos alios designat, quæ in altũ nõ Buxus quos designat proficit, & quãuis fructum non habeat, uiriditatẽ tamen habet, nisi eos qui intra sanctã Ecclesiã adhuc ex ætatis infirmitate bona opera ferre nõ ualent, sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuæ uiriditatis tenẽt? Post quæ omnia aptè subiungitur. Vt uideãt & sciant & recogitẽt & intelligãt pariter. Ad hoc enim cedrus in Ecclesia ponit, ut quisquis à proximo odorem uirtutum spiritalium trahit, ipse quoq; in terrenæ uitæ dilectione non torpeat, sed ad bonorũ cœlestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur, ut qui prædicationis eius uerbo compunctus fuerit, ipse quoq; exemplo illius discat corda sequentium prædicationis uerbo compungere. Ad hoc myrtus ponit, ut qui in ardore tribulationis ab ore uel opere proximi compatientis, temperamentum consolationis acceperit, ipse etiam discat quemadmodum afflictis proximis suæ consolationis temperamentum proferat. Ad hoc oliua ponitur, ut qui alienæ misericordiæ opera cognoscit, discat quemadmodum debeat indigenti proximo & ipse misereri. Ad hoc abies ponit, ut quisquis uim contẽplationis eius agnouerit, ipse quoque ad contemplãda æterna præmia succendat. Ad hoc ulmus ponitur, ut quisquis intuetur eum qui habere uirtutum fructum spiritalium non ualet, sed tamen eos qui spiritalib. donis pleni sunt sustentat, ipse quoq; sanctorum uitæ, quãta ualet largitate inseruiat, & cœlestium bonorum botros quos gignendo non ualet, sustinendo ferat. Ad hoc buxus ponitur, ut qui habere multos adhuc in infirmitate positos ueræ fidei uiriditatem consi- A derat, etiam esse ipse infidelis erubescat. Bene ergo descriptis prius arboribus, dicitur: Vt uideant & sciãt, & recogitẽt, & intelligãt. Vbi & aptè subiungitur, pariter: quia cùm intra sanctam Ecclesiam diuersi hominum mores, diuersi sunt ordines, necesse est ut omnes simul discãt, dum in ea spiritales uiri diuersæ qualitatis, ætatis, & ordinis ad imitandum simul uidentur. Sed ecce nos dum monstrare ulmum quærimus, per multa arbusta longius euagati sumus. Ad hoc itaq; propter quod prophetæ testimonium protulimus, reuertamur. Qui recipit prophetã in nomine prophetæ, mer- Mat.10 cedem prophetæ accipiet, quia etsi fructum ulmus non habet, uitem tamen cum fructibus portans, hæc ipsa sua efficit, quæ bene sustentat aliena. Quia uerò ad magna nos opera loãnes admonet, dicens: Facite fructus dignos pœnitẽtię.]

Et rursus: Qui habet duas tunicas, det nõ habenti, & qui habet escas, similiter faciat.] Iam patenter datur intelligi quid est quod ueritas dicit: A diebus Ioannis Baptistæ usq; nunc regnum cœ- Mat.11 lorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Que Regnũ cœlorũ uim patitur supernæ uerba sententiæ nobis sunt magnopere perscrutanda. Nam quærendum est, quomodo uim perpeti regnum cœlorum possit. Quis enim cœlo uiolentiam irrogat? Et rursum quærendum est, si pati uim regnum cœlorum potest, & uiolenti rapiunt illud, cur eandem uim à diebus Ioannis Baptistæ, & non etiam antè pertulerit? Sed cùm lex dicat: Si quis hæc uel illa fecerit, morte moriatur, cũctis legentib. liquet, quia peccatores quosque pœna suæ seueritatis perculit, non autem pœnitentia ad uitam reduxit. Cùm uerò Ioannes Baptista, redemptoris gratiam præcurrens, pœnitentiam prædicat, ut peccator qui ex culpa mortuus est, per conuersionem uiuat, profectò à diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum uim patitur. Quid est autem regnum cœlorũ, nisi locus iustorum? Solis enim iustis cœlestis patriæ præmia debentur, ut humiles, casti, mites atq; misericordes ad gaudia superna perueniãt. Cùm uerò quis uel superbia tumidꝰ, uel carnis facinore pollutus, uel iracundia accensus, uel crudelitate impius, post culpas ad pœnitentiã redit, & uitam æternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo loãnis regnũ cœlorũ uim patitur, & uiolẽti rapiũt illud: quia qui pœnitentiã peccatorib. indixit, quid aliud quàm regno cœlorũ fieri uiolentiã docuit? Recogitemus ergo fra- Violẽti rapiunt cœlũ tres chariſſimi, mala quę fecimus, & nosmetipsos assiduis lamẽtis atteramꝰ. Hęreditatẽ iustorũ quã nõ tenuimꝰ per uitã, rapiamꝰ per pœnitẽtiã. Vult à nobis omnipotẽs deus talẽ uiolentiã perpeti. nã regnũ cœlorũ rapi uult nostris fletibus q̃d nostris meritis nõ debeẽ. Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorũ qualitas, nulla quantitas frangat. Præstat magnã ueniæ fiduciã latro ille uenerabilis, qui non inde uenerabilis, unde latro: nã latro ex crudelitate, uenerabilis ex cõfessione. Cogitate rogo, cogitate quàm sint incomprehensibilia in omnipotenti deo misericordiæ uiscera. Latro iſte

tro iſte cruentis manibus, abſtractus à facie itineris, ſuſpenſus in patibulo crucis, ibi confeſſus, ibi ſanatus eſt, ibi audire meruit: Hodie mecum eris in paradiſo. Quid eſt hoc? Quis tantam bonitatē
Luc.23 dei dicere, quis æſtimare ſufficiat? De ipſa pœna criminis peruenit ad præmia uirtutis. Idcirco autem omnipotens deus electos ſuos in quibuſdam
Deus quando ſuos electos labi permittit lapſibus cadere permiſit, ut alijs in culpa iacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant, ſpem ueniæ redderet, & eis per lamenta pœnitentiæ, iam cœleſtē patriam aperiret. Exerceamus ergo noſmetipſos in lamentis, extinguamus fletibus & dignis pœnitentiæ fructibus culpas quas fecimus, ad ueniam tēpora nobis indulta non pereant: quia quimultos à ſuis iniquitatib. iam ſanatos aſpicimus, quid aliud quàm ſupernæ miſericordiæ pignus tenemus? Adiuuat ipſe quem amamus Ieſus Chriſtus deus dominus noſter, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Finis primæ partis homiliarum B. Greg.

Initium ſecundæ.

Lectio ſancti euangelij ſecundum Marcum.

Mar.16

IN illo tēpore: Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata: ut ueniētes ungerent Ieſum. Et ualde mane una ſabbatorū ueniunt ad monumentum, orto iam ſole. Et dicebant adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, uiderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumentum, uiderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Qui dixit illis, Nolite expaueſcere. Ieſum quęritis Nazarenum crucifixum. Surrexit non eſt hic. Ecce locus ubi poſuerunt eum. Sed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet uos in Galilæam. Ibi eum uidebitis, ſicut dixit uobis.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad populum in baſilica beatæ Mariæ die ſancto paſchæ.

Homilia XXI

MVltis uobis lectionibus fratres chariſſimi per dictatum loqui conſueui, ſed quia laſceſcente ſtomacho, ea quę dictaueram, legere ipſe non poſſum, & quoſdam ueſtrum minus libenter audientes intueor, unde nunc à memetipſo exigere contra morem uolo, ut inter ſacra miſſarum ſolennia, lectionē ſancti Euangelij non dictando, ſed colloquēdo ediſſeram. Sicq; excipiatur utlo quimur: quia collocutionis uox corda torpentia pluſquam ſermo lectionis excitat, & quaſi quadā manu ſollicitudinis ut euigilent, pulſat. Et quidē ad hoc opus me ſufficere poſſe non uideo, ſed tamen uires quas imperitia denegat, charitas miniſtrat. Scio nanq; qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Bonum ergo opus nobis in uoluntate ſit. Nam ex diuino adiutorio erit in perfectione. Dat loquēdi auſum ipſa etiam reſurrectionis dominicæ tanta ſolennitas: quia & indignum ualde eſt ut eo die laudes debitas taceat lingua carnis, quo uidelicet die caro reſurrexit authoris. Audiſtis fratres chariſſimi q; ſanctæ mulieres quę dominum fuerant ſecutæ, cum aromatibus ad monumentum uenerunt, & ei quem uiuētem dilexerāt etiā mortuo, ſtudio humanitatis obſequunt. Sed res geſta, aliquid in ſancta Eccleſia ſignat gerendum. Sic quippe neceſſe eſt ut audiamus quæ facta ſunt, quatenus cogitemus etiā quæ nobis ſint ex eorum imitatione faciēda. Et nos ergo in eum qui eſt mortuus credētes, ſi odore uirtutum referti, cum opinione bonorum operum dominū quærimus, ad monumētum profectò illius cū aromatibus uenimus. Illæ autē mulieres angelos uident, quæ cum aromatibus uenerunt: quia uidelicet illæ mētes ſupernos ciues aſpiciunt, quæ cum uirtutum odoribus ad dominum per ſancta deſideria proficiſcunt. Notandū uerò nobis eſt quidnā ſit q; in dextris ſedere angelus cernit. Quid nāq; per ſiniſtrā, niſi uita præſens, quid uerò per dextram, niſi perpetua uita deſignat? Vnde in Canticis canticorum ſcriptū eſt: Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabit me. Quia ergo redemptor noſter iam præſentis uitæ corruptionē tranſierat, rectè angelus qui nunciare perennē eius uitam uenerat, in dextera ſedebat. Qui ſtola candida coopert⁹ apparuit: quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nunciauit. Candor etenim ueſtis, ſplendorem noſtræ denunciat ſolēnitatis. Noſtræ dicamus, an ſuę? Sed ut fateamur uerius, & ſuæ dicamus & noſtræ. Illa quippe redemptoris noſtri reſurrectio, & noſtra feſtiuitas fuit, quia nos ad immortalitatē reduxit, & angelorū feſtiuitas extitit: quia nos reuocando ad cœleſtia, eorū numerum impleuit. In ſua ergo ac noſtra feſtiuitate angel⁹ in albis ueſtibus apparuit: quia dum nos per reſurrectionē dominicā ad ſuperna reducimur, cœleſtis patriæ dāna reparant. Sed quid aduenientes fœminas affatur, audiamus: Nolite expaueſcere.] Acſi aperte dicat: Paueāt illi qui non amant aduētum ſuperorum ciuium. Pertimeſcant qui carnalibus deſideriis preſſi, ad eorū ſe ſocietatē pertingere poſſe deſperant. Vos autem cur pertimeſcitis, quæ ueſtros cōciues uidetis? Vnde & Matthæus angelū apparuiſſe deſcribēs, ait: Erat aſpectus eius ſicut fulgur, & ueſtimēta eius ſicut nix. In fulgure etenim terror timoris eſt, in niue autem blandimentum candoris. Quia uerò omniporens Deus & terribilis peccatoribus, & blādus eſt iuſtis: rectè teſtis re-

stis resurrectionis eius angelus, & in fulgure uultus, & in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie & terreret reprobos, & mulceret pios. Vnde rectè quoq; populum per deserta gradientem, columna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube autem uisionis lene blandimentum, dies uerò uita iustis, & nox accipitur uita peccatoris. Vnde & conuersis peccatoribus Paulus dicit: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. In die ergo per nubem columna monstrata est, & in nocte per ignem: quia omnipotens deus & blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis. Istos in iudicio ueniens per lenitatis mansuetudinem demulcet, illos uerò per iustitiæ districtionē terret. Sed iam quid angelus subiungat, audiamus:

Exod. 13 Columna ignis & nubis quare populū Israeliticum præibat

Iesum quæritis Nazarenum.] Iesus Latino eloquio salutaris, id est, saluator interpretatur. Atuerò multi tunc Iesus dici poterant, non tamen substantialiter, sed nuncupatiuè. Ideo & locus subiungitur, ut de quo Iesu dictum sit manifestetur: Nazarenū. Et causam protinus subdidit: Crucifixū. Atq; addidit: Surrexit: non est hic.] Nō est hic dicitur, per præsentiam carnis, qui tamen nusquā deerat per præsentiam maiestatis. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedit uos in Galilæā.] Quærendum nobis est cur nominatis discipulis, Petrus designatē ex nomine. Sed si hūc angelus nominatim non exprimeret, qui magistrum negauerat, uenire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Qua in re considerandū nobis est, cur omnipotens deus eum quē cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ uocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, ut is qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, ut ex sua infirmitate cognosceret, quàm misericorditer aliena infirma toleraret. Bene autem de redemptore nostro dicitur: Præcedet uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis.] Galilæa nanq; transmigratio facta interpretatur. Iam quippe redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad uitam, à pœna ad gloriam, à corruptione ad incorruptionem transmigrauerat. Et prius post resurrectionem in Galilæa bene à discipulis uidetur: quia resurrectionis eius gloriam pòst læti uidebimus, si modo à uitijs ad uirtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulchro nunciatur, in transmigratione ostenditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoscit, in transmigratione mentis uidetur. Hæc fratres charissimi pro tanta diei solennitate, de lectionis Euangelicæ expositione transcurrimus, sed libet ut de hac eadem solennitate aliquid subtilius loquamur. Duæ etenim uitæ erant, quarum unam nouimus, alteram nesciebamus. Vna quippe mortalis est, altera immortalis. Vna corruptionis, altera incorruptionis. Vna mortis, altera resurrectionis. Sed uenit mediator dei & hominum homo Christus Iesus, suscepit unam, & ostendit alteram. Vnam pertulit moriendo, & ostendit alterā resurgendo. Si ergo nobis mortalem uitam scientibus, resurrectionem promitteret carnis, & tamē hanc uisibiliter non exhiberet, quis eius promissionibus crederet? Factus itaq; homo apparuit in carne, mori dignatus est ex uoluntate: sed resurrexit ex potestate, & ostendit exemplo quod nobis promisit in præmio. Sed fortasse aliquis dicat: Iure ille surrexit, qui cùm deus esset, teneri à morte non potuit. Ad instruendam ergo ignorantiā nostram, ad roborandam infirmitatē nostrā, suæ tantum resurrectionis exemplum nobis sufficere noluit. Solus in illo tēpore mortuus est, & tamen solus minimè resurrexit. Nam scriptum est: Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Ablata ergo sunt omnia argumenta perfidiæ. Ne quis eīm dicat, sperare de se nō debet homo quod in carne sua exhibuit deus homo: ecce cū deo homines resurrexisse cognoscim⁹, & quos puros homines fuisse non dubitamus. Si ergo membra nostri redemptoris sumus, præsumamus in nobis, quod gestum cōstat in capite. Si multū nos abijcimus, sperare in nobis debemus nos membra ultima, quod de mēbris eius superiorib. audiuimus. Ecce uerò ad memoriam redit quod crucifixo dei filio Iudæi insultantes dicebant: Si rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei. Qui si de cruce tunc descenderet, nimirum insultātibus cedens, ui: tutē nobis patientiæ nō demonstraret. Sed expectauit paululum, tolerauit opprobria, irrisiones sustinuit, seruauit patiētiam, distulit admirationem. Et qui de cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plus igit̄ fuit de sepulchro surgere, quàm de cruce descendere. Plus fuit mortē resurgendo destruere, quàm uitā descendēdo seruare. Sed cùm Iudæi hunc ad insultationes suas de cruce descendere minimè cernerent, cùm morientem uiderent, eum se uicisse crediderunt, nomen illius se quasi extinxisse gauisi sunt. Sed ecce clarificatum de morte nomen eius per mundum creuit, ex quo hæc infidelis turba extinxisse se credidit. Et quem gaudebat occisum, dolet mortuum: quia hunc ad suam gloriam cognoscit peruenisse per pœnam. Quod bene in libro Iudicum Sampson illius facta significant: qui cùm Gazā ciuitatē Philistinorū fuisset ingressus, Philistæi ingressum eius protinus cognoscentes, ciuitatem repentè obsidionibus circumdederunt, custodes deputauerunt, & Sampson fortissimum se iam comprehendisse gauisi sunt. Sed quid Sāpson fecit agnouim⁹. Media nocte portas ciuitatis abstulit, & mōtis uerticem ascēdit. Quem fratres charissimi hoc in facto, quem nisi redemptorem nostrum Sampson ille significat? Quid Gaza ciuitas, nisi infernum designat? Quid per Philistæos, nisi Iudæorū perfidia demonstratur? Qui cùm mortuum dominum uiderent, eiusq; corpus in sepulchro iam positum, custodes ilico deputauerūt, & eum qui autor uitæ claruerat, in inferni claustris retētū, quasi Sampsonem

Mat. 27

Iud. 16

Petrus quare permissus est dominum negare

Surgere de sepulchro plꝰ fuit, quā de cruce descendere

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sampſonem in Gaza ſe deprehẽdiſſe lætati ſunt, A Sampſon uerò media nocte non ſolum exijt, ſed etiam portas tulit: quia uidelicet redemptor noſter ante lucem reſurgens, non ſolum liber de inferno exijt, ſed & ipſa etiã inferni clauſtra deſtruxit. Portas tulit, & montis uerticem ſubijt: quia reſurgendo clauſtra inferni abſtulit, & aſcendendo cœlorum regna penetrauit. Hanc ergo reſurrectionis eius gloriam fratres chariſsimi quæ & prius demonſtrabatur ex ſigno, & poſt patuit ex facto, tota mente diligamus, pro eius amore moriamur. Ecce enim in reſurrectione authoris noſtri, miniſtros eius angelos conciues noſtros agnouimus. Ad horum ergo ciuium illam frequentem ſolennitatem feſtinemus. His, cùm necdum uiſione B poſſumus, deſiderio & mente iungamur. Tranſmigremus ad uirtutes de uitijs, ut in Galilæa redemptorem noſtrum uidere mereamur. Adiuuet omnipotens deus ad uitam deſiderium noſtrum, qui pro nobis in mortem dedit unicum filium ſuum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum eo uiuit & regnat in unitate ſpiritus ſancti deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Ioan.20 IN illo tempore. Vna ſabbati Maria Magdalene ue- C nit mane, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentũ, & uidit lapidem ſublatum à monumento. Cucurrit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quem diligebat Ieſus: & dixit eis, Tulerunt dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum. Exijt ergo Petrus & ille alius diſcipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citiꝰ Petro, & uenit primus ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet, uidit linteamina poſita, D non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum. Et uidit linteamina poſita: & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille diſcipulus q̃ uenerat primus ad monumentũ, & uidit: & credidit. Non dum enim ſciebant ſcripturas, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad populum, in baſilica beati Ioãnis, quæ appellatur Conſtantiniana, ſabbato paſchæ.

Homilia uigeſimaſecunda.

FRactus lõga moleſtia ſtomachus, diu me charitati ueſtrę de lectiõis Euãgelicæ expoſitiõe loqui prohibuit. Vox nãq; ipſa à clamoris uirtute ſuccubuit: & quia à multis audiri nõ ualeo, loqui, fateor, inter multos erubeſco. Sed hanc in me uerecũdiã & ipſe reprehendo. Quid em̃? Nũquid ſi multis, pdeſſe nequeo, nec paucis curabo? Et ſi ex meſſe portare manipulos multos nõ poſſum, nunquid nã debeo ad areã uacuus redire? Quãuis em̃ quantos debeo ferre non ualeo, certe uel paucos, certe uel duos, certe uel unum feram. Habet nãq; ipſa infirmitatis intẽtio mercedis ſuę certitudinẽ: quia ſupernꝰ arbiter noſter etſi pondus cõſiderat in retributione, tamen uires penſat in põdere. Lectio ſancti Euãgelij quam modo fratres audiſtis, ualde in ſuperficie hiſtorica eſt aperta, ſed eius nobis ſũt myſteria ſub breuitate requirenda. Maria Magdalene cum adhuc tenebræ eſſent, uenit ad monumẽtum.] Iuxta hiſtoriam notatur hora: iuxta intellectũ uero myſticum requirentis ſignatur intelligentia. Maria etenim authorẽ omnium, quem in carne uiderat mortuum, quęrebat in monumento: & quia hunc minime inuenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, cũ uenit ad monumentum. Cucurrit citius, diſcipulis nunciauit. Sed illi præ cęteris cucurrerunt, qui præ cæteris amauerũt: uidelicet Petrus & Ioannes. Currebant autem duo ſimul: ſed Ioannes præcucurrit citius Petro. Venit prior ad monumentũ, & ingredi nõ preſumpſit, Venit ergo poſterior Petrus, & intrauit. Quid fratres, quid curſus ſignificat? Nunquid nam hæc tam ſubtilis Euangeliſtæ deſcriptio, à myſterijs uacare credẽda eſt? Minime. Nec̃ em̃ ſe Ioãnes & præiſſe & nõ intraſſe diceret, ſi in ipſa ſui trepidatione myſteriũ defuiſſe credidiſſet. Quid ergo per Ioannem niſi ſynagoga, quid per Petrum niſi Eccleſia deſignatur? Nec mirum eſſe uideatur quòd per iuniorem ſynagoga, per ſeniorem uerò Eccleſia ſignari perhibetur: quia etſi ad dei cultum prior eſt ſynagoga, quàm Eccleſia gentium, ad uſum tamen ſeculi, prior eſt multitudo gentium, quàm ſynagoga: Paulo atteſtante, qui ait: Quia nõ prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale. Per ſeniorem ergo Petrum ſignificatur Eccleſia gentium, per iuniorem uerò Ioannem ſynagoga Iudæorum. Currunt ambo ſimul, quia ab ortus ſui tempore, uſq; ad occaſum, pari & communi uia, etſi non pari & communi ſenſu, gentilitas cum ſynagoga cucurrit. Venit ſynagoga prior ad monumentum, ſed minimè intrauit: quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac paſſione dominica audiuit, ſed credere in mortuum noluit. Vidit enim Ioãnes poſita linteamina, non tamen introiuit: quia uidelicet ſynagoga & ſcripturæ ſacræ ſacramenta cognouit, & tamen ad fidem paſſionis dominicæ credendo intrare diſtulit. Quem diu lõgè lateq; prophetauit, preſentem uidit, & recipere renuit. Hominem eſſe deſpexit, deum carne mortalem factum credere noluit. Quid ergo eſt, niſi quia & citius cucurrit, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit,& tamen ante monumentum uacua stetit? Ve
nit aũt Simon Petrus sequens eum, & introiuit in
monumentũ:quia secuta posterior Ecclesia gen-
tium, mediatorẽ dei & hominum hominẽ Iesum
Christum, & cognouit carne mortuum, & uiuen
tem credidit deum. Vidit linteamina posita, & su
darium quod fuerat super caput eius non cum lin
teaminibus positum, sed separatim inuolutum in
unum locum.Quid esse fratres credimus,quòd su
darium capitis domini cum linteaminibus non in
uenitur in monumẽto, nisi quia Paulo attestante,
1.Cor.1 caput Christi deus, & diuinitatis incõprehensibi
lia sacramenta ab infirmitatis nostræ cognitione
disiuncta sunt,eiusq; potentia creaturæ transcen-
dit naturã:Et notandum q̃ non solum separatim,
sed & inuolutũ inueniri dicitur in unum locum:
Linteum quippe quod inuoluitur, eius nec initiũ
nec finis aspicitur.Rectè ergo sudarium capitis in
uolutum inuentum est: quia celsitudo diuinitatis
nec cœpit esse,nec desinit:nec per initium nasciẽ,
nec termino coangustaẽ. Bene aũt additur: In u-
num locum: quia in scissurà mentiũ deus non est.
Deus quippe in unitate est, & illi eius habere gra
tiam merentur, qui se ab inuicem per sectarũ scan
dala non diuidunt. Sed quia solet per sudarium la
borantium sudor detergi, potest etiam sudarij no
mine exprimi labor dei: qui in se quidem semper
quietus atq; incommutabilis permanet, sed tamẽ
laborare se denunciat, cùm duras hominum pra-
Hier.6 uitates portat. Vnde & per prophetam dicit: La-
borauí sustinens. Deus autẽ dũ apparuit in carne,
laborauit ex nostra infirmitate.Quem laborẽ pas-
sionis eius dum increduli uiderũt, eũ uenerari no
luerunt.Quẽ enim uidebant carne mortalẽ, dedi
gnati sunt credere immortalẽ esse diuinitate. Vn-
Thren.3 de etiã Hieremias ait: Reddes eis uicem domine,
iuxta opera manuum suarum:dabis eis scutũ cor-
dis laborem tuum. Ne enim prædicationis spicu-
la eorum corda penetrarẽt,dum passionis eius la-
borem dedignati sunt:quasi eundem laborem illi
us pro scuto tenuerũt, ut eo ad se transire eius uer
ba non permitterent,quo eum laborare usque ad
mortem uiderũt. Quid aũt nos nisi nostri capitis,
id est, dei membra sumus? Per linteamina itaque
corporis,laborum ligamenta signantur, quæ nũc D
electos omnes,id est, eius membra constringunt.
Sudarium ergo quod super caput eius fuerat,seor
Passio Chri sum inuenitur: quia ipsa redẽptoris nostri passio
sti longe di longe à nostra passiõe disiuncta est,quoniam ipse
stat à nostra sine culpa pertulit,quod nos cũ culpa toleramus.
Ipse sponte morti succũbere uoluit, ad quam nos
uenimus inuiti. Sequitur: Tunc ergo introi-
uit & ille discipulus qui uenerat priõr ad monu-
mentum.] Postquam intrauit Petrus, ingressus
est & Ioannes. Posterior intrauit, qui prior uene-
rat. Notandum fratres est quòd in fine mundi ad
redemptoris fidem etiam Iudea colligetur,Paulo
Rom.11 attestante, qui ait:Donec plenitudo gentiũ intra-
ret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et uidit,&
credidit.] Quid fratres, quid æstimandus est cre-
didisse? Nũquid quia dominus resurrexerat, quẽ

A quærebant? Non utiq; quia adhuc tenebræ erant
ad monumentum,& subiuncta quoq; uerba con-
tradicunt,cùm dicitur: Nondum enim sciebãt
scripturas,quia oporteret eum à mortuis resurge
re.] Quid ergo uidit,& quid credidit? Vidit lin-
teamina posita, & credidit quod mulier dixerat,
de monumẽto dominum fuisse sublatum. Qua in
re diuinæ dispensationis magnitudo pẽsanda est,
quòd discipulorum corda & accenduntur ut quæ
rant,& differuntur ne inueniãt:quatenus infirmi-
tas animi ipso suo mœrore cruciata, & purgatior
ad inueniẽdum fiat,& tanto ualidius teneat cùm
inuenerit,quãto tardius inuenit quod quærebat.
Hæc sub breuitate fratres charissimi de Euange-
lica lectione transcurrimus,nunc restat ut de ipsa
B tantæ solennitatis nobilitate aliquid loquamur.
Hanc enim rectè nobilitatem solennitatis dicam:
quia solennitates cæteras antecedit. Sicut enim in
sacro eloquio,sancta sanctõrum, uel Cãtica canti
corum,pro sui magnitudine dicuntur, ita hæc fe-
stiuitas rectè dici potest solẽnitas solẽnitatum.Ex
hac quippe solennitate exemplum nobis resurre-
ctionis datum est,spes cœlestis patriæ aperta, &
facta superni regni iam iam præsumptibilis glo-
ria.Per hanc electi,qui quamuis in tranquillitatis
sinu,tamen apud inferni claustra tenebantur, ad
paradisi amœna reducti sunt. Quod ante passio-
nem dixit, in resurrectiõe sua dominus impleuit. Ioan.12
Si exaltatus fuero,inquit,à terra: omnia trahã ad
C me.Omnia etenim traxit,qui de electis suis apud
inferos nullum reliquit.Omnia abstulit,utiq; ele-
cta. Neq; etẽ infideles quosq; & pro suis crimi-
nibus æternis supplicijs deditos,ad ueniam domi
nus resurgendo reparauit, sed illos ex inferni clau
stris rapuit,quos suos in fide & actibus recogno-
uit. Vnde rectè etiã per Osee dicit: Ero mors tua Oseæ 13
ó mors,ero morsus tuus inferne. Id nãq; quod oc Christus su
cidimus,agimus ut penitus non sit. Ex eo etenim it mors mor
quod mordemus,partem abstrahimus, partemq; tis, & mor-
relinquimus.Quia ergo in electis suis fundit9 oc- sus inferni
cidit mortem,mors mortis extitit. Quia uerò ex
inferno partem abstulit,& partem reliquit, nõ oc
cidit funditus,sed momordit infernum. Ait ergo:
Ero mors tua ó mors. Ac si apertè dicat: Quia in
electis meis te funditus perimo,ero mors tua.Ero
morsus tuus inferne,quia sublatis eis, te ex parte
transfigo.Quæ est ergo ista solennitas, quæ inferi
ni claustra destruxit,& ianuas nobis regni cœle-
stis aperuit? Inquiramus subtilius nomẽ eius.Re-
quiratur egregius prædicator. Videamus quid de
eius æstimatione denunciet. Ait enim:Etenim pa 1.Cor.5
scha nostrum immolatus est Christus. Si ergo
pascha Christus,pensandum nobis est quid de pa
scha lex loquitur: ut indagemus subtilius an de
Christo dicta uideantur.Moyses quippe ait: Su-
ment de sanguine agni,ac ponent super utrumq;
postem,& in superliminaribus domorum in qui-
bus comedent illum,& edent carnes nocte illa
assas igni,& azymos panes cùm lactucis agresti-
bus.Non comedetis ex eo crudum quid, nec co-
ctum aqua,sed assum tantum igni. Caput cum pe

Universidad de Deusto
Biblioteca

dibus eius & inteſtinis uorabitis, nec remanebit ex eo quicquam uſq; manè. Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis. Vbi & additur: Sic autem comedetis illum. Renes ueſtros accingetis, calciamenta habebitis in pedibus ueſtris, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes. Quæ uidelicet cuncta magnam nobis ædificationem pariunt, ſi fuerint myſtica interpretatione diſcuſſa. Quid nanq; ſit ſanguis agni, non iam audiẽdo, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper utrũq; poſtem ponitur: quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. In utroq; etenim poſte ſanguis agni eſt poſitus, quando ſacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionẽ ſumitur, ad imitationem quoq; intenta mente cogitatur. Nam qui ſic redemptoris ſui ſanguinem accipit, ut imitari paſſionem illius necdum uelit, in uno poſte ſanguinem poſuit, qui etiam in ſuperliminaribus domorum ponendus eſt. Quid enim ſpiritaliter domus, niſi mẽtes noſtras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? Cuius domus ſuperliminare eſt ipſa intentio, quæ prę-
mínet actioni. Qui ergo intentionem cogitationis ſuæ ad imitationem dominicæ paſſionis dirigit in ſuperliminari domus, agni ſanguinem ponit. Vel certè domus noſtræ, ipſa ſunt corpora, in quibus quouſq; uiuimus habitamus. Et in ſuperliminari domus agni ſanguinẽ ponimus: quia crucem paſſionis illius in fronte portamus. De quo adhuc agno ſubditur: Et edent carnes nocte illa aſſas igni. In nocte quippe agnum comedimus, quia in ſacramento modo dominicum corpus accipimus, quando adhuc adinuicem noſtras conſcientias non uidemus. Quæ tamen carnes igni aſſandæ ſunt: quia nimirum diſſoluit ignis carnes quas aqua coxerit, quas uerò ignis ſine aqua excoquit, roborat. Carnes itaq; agni noſtri ignis excoxit: quia eũ ipſa uis paſſionis illius ad reſurrectionẽ ualentiorem reddidit, atq; ad incorruptionem roborauit. Qui enim ex morte conualuit, uidelicet carnes illius ab igne duruerunt. Vnde etiam per Pſalmiſtam dicit: Exaruit uelut teſta uirtus mea. Quid nanq; eſt teſta ante ignem, niſi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, ut ſolidetur. Virtus ergo humanitatis eius uelut teſta exaruit: quia ab igne paſſionis, ad uirtutem incorruptionis creuit, ſed ſola redemptoris noſtri percepta ſacramenta ad ueram ſolennitatem mentis non ſufficiunt, niſi eis quoque & bona opera iungantur. Quid enim prodeſt corpus & ſanguinẽ illius ore percipere, & ei peruerſis moribus contraire? Vnde bene adhuc ad comedendum ſubditur: Et azymos panes cum lactucis agreſtibus. Panes quippe ſine fermẽto comedit, qui recta opera ſine corruptione uanæ gloriæ exercet, qui mandata miſericordiæ ſine admixtione peccati exhibet, ne peruerſè diripiat, quod quaſi rectè diſpẽſat. Hoc quoque peccati fermentum bonæ ſuæ actioni miſcuerãt, quibus prophetæ uoce per increpationem dominus dicebat: Venite ad Bethel, & impiè agite. Atq; poſt pauca: Et ſacrificate de fermentato laudem. De fermentato nanq; laudem immolat, qui deo ſacrificium de rapina parat. Lactucæ uerò agreſtes ualde amaræ ſunt. Carnes ergo agni cum lactucis agreſtibus ſunt edendæ, ut cùm corpus redemptoris accipimus, nos pro peccatis noſtris in fletibus affligamus, quatenus ipſa amaritudo pœnitentiæ abſtergat à mentis ſtomacho peruerſæ humorem uitæ. Vbi & ſubditur: Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctũ aqua. Ecce iam nos ipſa uerba hiſtoriæ ab intellectu hiſtorico repellunt. Nunquid fratres chariſſimi, Iſraeliticus ille populus in Ægypto conſtitutus, comedere agnum crudum conſueuerat, ut ei lex dicat: Non comedetis ex eo crudum quid? Vbi & addit: Nec coctum aqua. Sed quid aqua, niſi humanam ſcientiam deſignat? iuxta hoc quod per Salomonem ſub hęreticorum uoce dicitur: Aquæ furtiuæ, dulciores ſunt. Quid crudæ agni carnes, niſi inconſideratam ac ſine reuerentia cogitationis relictam illius humanitatem ſignificãt? Omne enim quod ſubtiliter cogitamus, quaſi mente coquimus. Sed agni caro nec cruda edenda eſt, nec aqua cocta: quia redemptor noſter nec purus homo æſtimandus eſt, neq; per humanã ſapientiam, qualiter incarnari deus potuit, cogitandus. Omnis enim qui redemptorem noſtrum purum hominem credit, quid iſte aliud quã agni carnes crudas comedit, quas uidelicet coquere per diuinitatis eius intelligentiam noluit? Omnis uerò qui incarnationis eius myſteria iuxta humanam ſapientiam diſcutere conatur, carnes agni aqua uult coquere, id eſt, diſpenſationis eius myſterium per diſſolutã uult ſcientiam penetrare. Qui ergo paſchalis gaudij ſolennitatem celebrare deſiderat, agnum nec aqua coquat, nec crudum comedat: ut neq; per humanam ſapientiam, profunditatem illius incarnationis penetrare apperat, neq; in eum tanquã in hominem purum credat: ſed aſſas igni carnes comedat, ut diſpenſari omnia per ſancti ſpiritus potentiam ſciat. De quo adhuc rectè ſubiungit: Caput cũ pedibus & inteſtinis uorabitis. Sicut iam prædiximus fratres, Paulo atteſtãte didicimus, quod caput Chriſti deus eſt: quia redemptor noſter eſt α & ω: Deus uidelicet ante ſecula, & homo in fine ſeculorum. Caput ergo agni uorare, eſt diuinitatem illius fide percipere. Pedes uerò agni uorare, eſt ueſtigia humanitatis eius amando & imitãdo perquirere. Quid uerò ſunt inteſtina, niſi uerborum illius occulta & myſtica mandata? Quæ tunc uoramus, cùm uerba uitæ cum auiditate ſumimus. In quo deuorationis uerbo quid aliud quàm pigritiæ noſtræ torpor reprehenditur? qui eius uerba ac myſteria, & per noſmetipſos non requirimus, & dicta ab alijs audimus inuiti. Non remanebit ex eo quicquam uſq; manè, quia eius dicta magna ſunt ſollicitudine diſcutienda, quatenus prius quàm dies reſurrectionis appareat, in hac præſentis uitæ nocte omnia illius mandata intelligendo & operando penetrentur. Sed quia ualde difficile eſt ut omne ſacrum eloquium poſſit intelligi, & omne eius myſterium penetrari, re-
ctè ſub-

Agnum paſchalem comedimus in nocte

Pſal. 21

Amos 4

Prou. 9

1. Cor. 1

ctè subiungitur: Si quid aũt remanserit, igne com A
buretis. Quod ex agno remanet, igne comburi-
mus, quãdo hoc quod de mysterio incarnationis
eius intelligere & penetrare nõ possumus, pote-
stati sancti spiritus humiliter reseruamus: ut nõ su
perbè quis audeat uel cõtemnere uel denunciare
quod nõ intelligit, sed hoc igni tradit, cùm sancto
spiritui reseruat. Quia qualiter edendũ sit pascha
cognouimus, nũc à qualibus edi debeat, agnosca
mus. Sequitur: Sic aũt comedetis illum. Renes ue
stros accingetis. Quid in renibus, nisi delectatio
carnis accipit? Vnde & Psalmista postulat, dicẽs:
Psal. 52. Vre renes meos. Si em̃ uoluptatẽ libidinis in reni
bus esse nesciret, eos uri minimè petisset. Vnde
quia potestas diaboli in humano genere maximè B
per luxuriã prævaluit, de illo uocè dominica dici
Iob 40 tur: Potestas eius in lũbis eius. Qui ergo pasca co
medit, habere renes accinctos debet, ut qui solen
nitatẽ resurrectionis atq; incorruptionis agit, cor
ruptioni iam per uitia nulla subiaceat, uoluptates
edomet, carnẽ à luxuria restringat. Neq; enim co-
gnouit quæ sit solẽnitas incorruptiõis, qui adhuc
per incõtinentiã corruptioni subiacet. Hæc qui-
busdam dura sunt, sed angusta porta est quę ducit
ad uitam. Et habemus iam multa exempla conti-
nentiũ. Vnde bene adhuc subditur: Calciamen
ta habebitis in pedibus.] Qui sunt etenim pedes
nostri, nisi opera? quid uerò calciamenta, nisi pel-
les mortuorũ animalium? Calciamenta aũt pedes
muniunt. Quę uero sunt mortua animalia, ex quo C
rum pellibus nostri muniũtur pedes, nisi antiqui
patres, qui nos ad æternã patriam præcesserunt?
Quorum dum exempla conspicimus, nostri ope-
ris pedes munimus. Calciamẽta ergo in pedibus
habere, est mortuorũ uitam conspicere, & nostra
uestigia à peccati uulnere custodire. Tenentes ba
culos in manibus. Quid lex per baculũ, nisi pasto
ralem custodiam designat? Et notandum q̃ prius
præcipimur renes accingere, postmodũ baculos
tenere, quia illi debent curam pastoralem suscipe
re, qui iam in suo corpore sciunt fluxus luxuriæ
domare, ut cùm alijs fortia prædicant, ipsi desidе-
rijs mollibus eneruiter non succumbant. Bene au
Celeritas seu festina tio cõmen datur tem subdit: Et comedetis festinantes: Notate cha
rissimi fratres, notate q̃ dicitur festinantes. Man- D
data dei, mysteria redẽptoris, cœlestis patriæ gau
dia, cum festinatione cognoscite, & præcepta uitę
cum festinatione implere curate. Quia enim ad-
huc hodie licet bene agere, scimus: utrum cras li-
ceat, ignoramus. Festinãtes ergo pascha comedi-
te, id est ad solennitatem patriæ cœlestis anhela-
te. Nemo in huius uitæ itinere torpeat, ne in pa-
tria locum perdat. Nemo moras ad appetenda
studia innectat, sed cœpta perficiat, ne minimè li
ceat implere quod inchoat. Si ad amorem dei pi-
gri non sumus, adiuuat ipse quem amamus Iesus
Christus dominus noster, qui uiuit & re-
gnat cum patre in unitate spiritus
sancti deus, per omnia se-
cula seculorum.
Amen.
Greg.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tẽpore: Duo ex discí- Luc. 24
pulis Iesu ibant ipsa die in ca
stellũ quod erat in spatio sta-
diorum sexaginta ab Hieru-
salem, nomine Emaus, & ipsi
loquebantur ad inuicẽ de omnibus his quę
acciderant. Et factum est dum fabularẽtur,
& secũ quærerẽt, ipse Iesus appropinquãs,
ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebã-
tur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui
sunt hi sermones quos confertis adinuicem
ambulantes, & estis tristes? Et respondens
unus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu so-
lus peregrinus es in Hierusalem, & non co-
gnouisti ea quæ facta sunt in illa his dieb9?
Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Ie
su Nazareno: qui fuit propheta, potens in
opere & sermone, coram deo & omni po-
pulo. Et quomodo tradiderũt eum summi
sacerdotes & principes nostri in damnatio
nem mortis, & crucifixerunt eum. Nos au-
tem sperabamus, quia ipse esset redemptu-
rus Israel. Et nũc super hæc omnia tertia di-
es est hodie, quod hęc facta sunt. Sed & mu
lieres quædam ex nostris terruerunt nos,
quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,
& non inuento corpore eius, uenerunt di-
centes se etiam uisionem angelorum uidis-
se, qui dicunt eum uiuere. Et abierunt qui-
dam ex nostris ad monumentũ, & ita inue-
nerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum uerò
nõ inuenerunt. Et ipse dixit ad illos: O stul
ti & tardi corde ad credendum in omnib.
quæ locuti sunt prophetæ. Nónne hæc o-
portuit pati Christum, & ita intrare in glo-
riam suam? Et incipiẽs à Moyse & omnib.
prophetis, interpretabatur illis in omnib.
scripturis quæ de ipso erant. Et appropin-
quauerunt castello quò ibant. Et ipse finxit
se longius ire. Et coegerunt illum, dicentes:
Mane nobiscum domine, quoniã aduespe-
rascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit
cum illis. Et factum est dum recumberet cũ
eis, accepit panem & benedixit ac fregit, &
porrigebat illis, & statim aperti sunt oculi
eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanu
it ab oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem:
Nónne cor nostrum ardens erat in nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Ieſu,dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Hieruſalem, & inuenerunt cõgregatos undecim, & eos qui cum ipſis erant,dicentes quod ſurrexit dominus uerè,& apparuit Simoni.Et ipſi narrabant quæ geſta erant in uia,& quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad populum in baſilica beati Petri Apoſtoli, in craſtino Paſchæ.

Homilia uigeſimatertia.

IN quotidiana nobis ſolẽnitate laborantib.pauca loquenda ſunt,& fortaſſe hęc utilius proderunt,quia ſæpe & alimenta quæ minus ſufficiunt, auidius ſumunt.Lectionis ergo Euangelicæ ſummatim ſenſum ſtatui non per ſingula uerba diſcutere,ne dilectionem ueſtram ualeat ſermo prolixior expoſitiõis onerare.Ecce audiſtis fratres chariſſimi,quia duobus diſcipulis ambulantib.in uia non quidem credentib. ſed tamẽ de ſe loquentib. dominus apparuit, ſed eis ſpeciem quam recognoſcerent,non oſtendit. Hoc ergo egit foris dominus in oculis corporis, quod apud ipſos agebatur intus in oculis cordis.Ipſi nanq; apud ſemetipſos intus,& amabant & dubitabãt. Eis autẽ dominus foris & præſens aderat,& quis eſſet,nõ oſtendebat.De ſe ergo loquentib.præſentiam exhibuit,ſed de ſe dubitantibus cognitionis ſuæ ſpeciem abſcondit. Verba quidem cõtulit,duritiam intellectus increpauit.Sacræ ſcripturę myſteria quę de ſeipſo erant,aperuit,& tamen quia adhuc in eorũ cordib.peregrinus erat à fide, ſe ire lõgius finxit.

Fingere quid ſignificat

Fingere nanq; componere dicimus:unde & compoſitores luti,figulos uocamus. Nihil ergo ſimplex ueritas per duplicitatẽ fecit, ſed talem ſe eis exhibuit in corpore,qualis apud illos erat in mẽte.Probandi autem erãt, ſi hi qui eum etſi necdũ ut deum diligerent, ſaltem ut peregrinum amare potuiſſent.Sed quia eſſe extranei à charitate non poterant hi cum quibus ueritas gradiebatur,eum ad hoſpitium quaſi peregrinum uocant. Cur autem dicimus uocant, cùm illic ſcriptum ſit: Et coegerunt eum?] Ex quo nimirum exemplo colligitur,quia peregrini ad hoſpitium non ſolum inuitandi ſunt, ſed etiam trahendi. Menſam igitur ponunt,panes ciboſq; offerunt,& deum quem in ſcripturæ ſacræ expoſitione non cognouerant,in panis fractione cognoſcunt. Audiendo ergo præcepta dei,illuminati non ſunt,faciendo illuminati ſunt,quia ſcriptum eſt: Non auditores legis iuſti ſunt apud deum,ſed factores legis iuſtificabuntur. Quiſquis ergo uult audita intelligere,feſtinet ea quæ iam audire potuit,opere implere.Ecce dominus non eſt cognitus dum loqueretur, & dignatus eſt cognoſci dum paſcitur. Hoſpitalitatem ergo fratres chariſſimi diligite,charitatis opera amate.Hinc eñ per Paulum dicitur: Charitas fraternitatis maneat in uobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci.Per hanc eñ placuerunt quidam, angelis hoſpitio receptis.Hinc Petrus ait: Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Hinc ipſa ueritas dicit:Hoſpes fui,& ſuſcepiſtis me.Opinatares eſt ualde,& ſenſorum noſtrorum nobis relatione tradita,Quidã paterfamilias cum tota domo ſua magno hoſpitalitatis ſtudio ſeruiebat.Cunq; quotidie ad menſam ſuam peregrinos ſuſciperet,quodam die peregrinus quidam inter alios aduenit, ad mẽſam ductus eſt. Dumq; paterfamilias exhumilitatis conſuetudine aquam uellet in eius manibus fundere,cõuerſus urceum accepit,ſed repentè eum in cuius manib. aquam fundere uoluerat, nõ inuenit.Cunq; hoc factum ſecum ipſe miraretur,eadem nocte ei dominus per uiſionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis,heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti. Ecce iniudicium ueniens, dicet: Quod uni ex minimis meis feciſtis,mihi feciſtis.Ecce ante iudicium cùm per membra ſua ſuſcipitur, ſuſceptores ſuos etiã per ſemetipſum requirit,& tamen nos ad hoſpitalitatis gratiam pigri ſumus.Penſate fratres quãta hoſpitalitatis uirtus ſit. Ad mẽſas ueſtras Chriſtum ſuſcipite,ut uos ab eo ſuſcipi ad conuiuia æterna ualeatis.Præbete modo peregrino Chriſto hoſpitium,ut uos in iudicio non quaſi peregrinos neſciat,ſed ut proprios recipiat ad regnum,ipſo adiuuante qui uiuit & regnat deus in ſecula.

Rom.2

Heb.13

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tẽpore. Manifeſtauit ſe iterum Ieſus diſcipulis ſuis ad mare Tyberiadis.Manifeſtauit autem ſic:Erant autem ſimul Simon Petrus,& Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael qui erat in Chana Galilęæ,& filij Zebedęi, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari.Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & aſcenderunt in nauim,& illa nocte nihil prendiderunt.Mane autem iam facto, ſtetit Ieſus in littore,nõ tamen cognouerunt diſcipuli quia Ieſus eſt.Dicit ergo eis Ieſus:Pueri,nũquid pulmẽtarium habetis? Reſponderũt ei:Non.Et dixit eis:Mittite in dexteram nauigij rete,& inuenietis. Miſerunt ergo,& iam non ualebant illud trahere præ multitudine piſcium. Dicit ergo diſcipulus ille quem diligebat Ieſus Petro: Dominus eſt. Simon ergo Petrus cùm audiſſet quia dominus eſt,tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus,& miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli nauis

li nauigio uenerunt. Non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas positas, & piscem superpositum & panẽ. Dixit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascẽdit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus cẽtum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, nõ est scissum rete. Dixit eis Iesus: Venite, prãdete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: tu quis es? scientes quia dominus est. Et uenit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestato est Iesus discipulis suis, cùm surrexisset à mortuis.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum, in basilica beati Laurentij: Feria quarta Paschæ.

Homilia uigesimaquarta.

LEctio sancti Euangelij quę modo in auribus uestris lecta est, fratres mei, quęstione animũ pulsat, sed pulsatione sua uim discretionis indicat. Quæri etenim potest, cur Petrus qui piscator ante conuersionem fuit, post cõuersionem ad piscationem redijt. Et cùm ueritas dicat: Nemo mittẽs manum suam ad aratrum, & aspiciẽs retrò, aptus est regno dei, cur repetijt quod dereliquit? Sed si uirtus discretionis inspicitur, cito uidetur: quia nimirum negocium quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere, culpa non fuit. Nam piscatorẽ Petrũ, Matthęum uerò telonearium scimus. Et post cõuersionem suam ad piscationem Petrus redijt, Matthæus uerò ad telonei negocium nõ resedit: quia aliud est uictum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraq; negocia quæ sine peccatis exhiberi aut uix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatũ implicant, ad hæc necesse est ut post conuersionẽ animus non recurrat. Quæri etiam potest, cur discipulis in mari laborantib. post resurrectionẽ suã dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam corã discipulis in fluctib. maris ambulauit. Cuius rei ratio festinè cognoscitur, si ipsa quæ tũc inerat causa pensetur. Quid em̃ mare nisi præsens seculum signat, quod se casuum tumultib. & undis uitæ corruptibilis illidit? Quid per soliditatẽ littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternę figuratur? Quia ergo discipuli adhuc fluctib. mortalis uitæ inerant, in mari laborabant. Quia aũt redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat. Ac si ipsum resurrectionis suæ mysterium rebus discipulis loqueretur, dicens: Iam uobis in mari non appareo: quia uobiscum in perturbationis fluctibus non sum. Hinc est quod alio in loco post resurrectionem suam eisdem discipulis dicit: Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos, cũ adhuc essem uobiscum. Neq; enim cum ipsis non erat, quibus prẹsens corporaliter apparebat: sed tamẽ iam se esse cum ipsis denegat, à quorum mortali corpore, carnis immortalitate distabat. Quod illic cum ipsis positus, fatetur nõ se esse cum ipsis, hoc quoque hic situ corporis indicat, cùm adhuc eis naui gantibus, esse se iam in littore demonstrat. Facta est autẽ discipulis piscationis magna difficultas: ut magistro ueniente fieret admirationis magna sublimitas. Qui protinus dixit. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.] Bis in sancto Euangelio legitur quia Dominus iussit ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionem uidelicet, & post resurrectionem. Sed prius quàm redemptor noster pateretur & resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum iubet, sed utrum in dexteram an in sinistram mitti debuisset, nõ iubet. Post resurrectionem uerò discipulis apparens, mitti rete in dexteram iubet. In illa piscatione tanti capti sunt, ut retia rumperentur. In ista autem & multi capti sunt, & retia rupta non sunt. Quis uero nesciat bonos dextera, & malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio in qua specialiter in quam partem mitti rete debeat non iubetur, præsentem Ecclesiam designat, quæ bonos simul ac malos colligit, nec eligit quos trahat, quia & quos eligere possit, ignorat. Hæc autem piscatio post domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est: quia ad uidendam claritatis eius gloriam, sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione præ multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionẽ fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoq; Ecclesiam hæresibus scindãt. In ista uerò piscatione & multi pisces & magni capiuntur, & rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua authoris sui pace requiescẽs nullis iam dissensionibus dilaniatur. Captis autẽ tam magnis piscibus, ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram. Iam credo quòd uestra charitas aduertat, quid est quòd Petrus rete ad terrã trahit. Ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa. Ipsi specialiter dicitur: Simon Ioannis amas me, pasce oues meas. Quod ergo postmodum aperitur in uoce, hoc nunc signatur in opere. Quia ergo prædicator Ecclesiæ nos à mundi huius fluctibus separat, nimirum necesse est ut rete plenum piscibus Petrus ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit: quia sanctæ prædicationis uoce stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Hoc egit uerbis, hoc epistolis, hoc agit quotidie miraculorum signis. Quotiens per eum ad amorem quietis æternæ cõuertimur: quotiens à terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud quàm missi intra rete fidei, ut pisces, ad littus trahimur? Sed cùm rete magnis piscibus ple

Luc.9 Mat.13 Luc.24 Ioan.21

Universidad de Deusto
Biblioteca

num dicitur, addit & quantis, scilicet cētum quin quaginta tribus. A magno mysterio numerus nō uacat, sed intētos uos tāti mysterij profunditas expectat. Neq; enim quātitatis summam solerter Euangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse iudicasset. Scitis nanq; quòd in ueteri te stamento omnis operatio per decalogi mandata præcipitur, in nouo autem eiusdem operationis uirtus per septiformem gratiā sancti spiritus multiplicatis fidelibus datur. Quam propheta denuncians dicit. Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritu timoris domini. Sed ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidē trinitatis agnoscit, ut & patrem & filium & eundē spiritum sanctum unius uirtutis credat, unius substantiæ esse fateatur. Quia ergo septem quæ superius diximus, per nouum testamētum latius data sunt, decem uerò per uetus præcepta, omnis nostra uirtus & operatio per decem & septē potest plenè comprehendi. Ducamus ergo per trigonū decem & septem, & ueniunt ad quinquaginta unum. Qui profecto numerus à magno mysterio nō uacat, quia in testamēto ueteri legimus, quòd annus quinquagesimus iubileus uocari iussus est. In quo uidelicet cunctus populus ab omni operatione quiesceret. Sed uera requies in unitate est. Diuidi quippe unum non potest. Vbi enim scissura diuisionis est, uera requies non est. Ducamus ergo per trigonum quinquaginta & unum, & fiunt centum quinquaginta tres. Quia ergo omnis nostra operatio in fide trinitatis exhibita, ad requiem tendit, decem & septem ter ducimus, ut ad quinquaginta & unū uenire debeamus. Et quia uera nostra requies tunc est, cùm ipsam iam claritatem trinitatis agnoscimus, quam in unitate diuinitatis esse certum tenemus, quinquaginta & unum ter ducimus, & electorum summam in superna patria quasi centum quinquaginta trium piscium numerū tenemus. Post resurrectionem ergo domini missum rete dignum fuit ut tot pisces caperet, quot solummodo electos ciues supernæ patriæ designarent. Inter hæc uerò, ut hesterna sancti Euangelij lectio, & hodierna nos admonet, ut uigilanter debeamus inspicere, cur dominus & redemptor noster post resurrectionē suam piscem assum legitur comedisse. Non enim uacat à mysterio, quod iteratur in facto. In hac etenim lectione panem & assum piscem, in illa uero quæ hesterno die lecta est, cum asso pisce etiam fauum mellis comedit. Quid autē signare piscem assum credimus, nisi ipsum mediatorē dei & hominum passum? Ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani, capi uoluit laqueo mortis nostræ, & quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ. Sed qui pisci assus fieri dignat⁹ est in passione, fauus mellis nobis extitit in resurrectione. Nam qui in pisce asso figurari uoluit tribulationem passionis suæ, in fauo mellis utramq; naturā exprimi uoluit personæ suæ. Fauus quippe mel in cera est. Mel uero in cera est diuinitas in humanitate. Quod ab hac quoq; lectione nō discrepat, nā piscem comedit & panem. Qui eñ assari ut piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex diuinitate, qui ait: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Assum ergo piscem comedit & panem, ut ipso suo cibo nobis ostēderet, quia & passionem ex nostra humanitate pertulit, & refectionem nostram ex sua diuinitate procurauit. Quod si uigilā ter inspicimus, nobis quoq; qualiter ad imitandū congruat uidemus. Sic eñ sua facta redemptor indicat, ut imitationis uiam nobis sequētibus sternat. Ecce in cibo suo dominus noster piscī asso cō iungere fauum uoluit, quia uidelicet illos in suo corpore ad æternam quietē suscipit, qui cùm hic tribulationes pro domino sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedūt. Cum asso pisce fauus sumitur, quia qui hic afflictionem pro ueritate suscipiunt, illic dulcedine uera satiantur. Notādum quoq; quod ultimum conuiuium dominus cum septem discipulis habuisse describitur. Petrus nanq; & Thomas, Nathanael, filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo, in eo fuisse memorātur. Cur cum septem discipulis ultimum conuiuium celebrat, nisi quod eos tantum modo quiseptiformi gratia sancti spiritus pleni sunt, futuros secum in æterna refectione denunciat? Septē quoque dieb. omne hoc tempus euoluit, & sæpe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo conuiuio de præsentia ueritatis epulant, qui nūc perfectiōis studio terrena transcēdunt, quos mundi huius amor non ligat, quibus etsi utcunq; per tētamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit. De hoc extremo cōuiuio alias per Ioannem dicitur: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Idcirco eñ non ad prandium, sed ad cœnam uocatos narrat, quia nimirū in fine diei conuiuium cœna est. Qui ergo finito præsentis uitæ tempore, ad refectionem supernæ contēplationis ueniunt, non ad agni prandium, sed ad cœnā uocantur. Quæ uidelicet cœna hoc ultimo conuiuio exprimit, cui septē discipuli adesse memorant, quia illos ut diximus, tunc interna refectio reparat, qui pleni nunc septiformi gratia in amore spiritus anhelant. Hæc ergo uobiscū fratres agite, huius spiritus repleri præsentia deliderate. Quid uos sequi in futurum possit, ex præsenti perpēdite. Pensate si hoc spiritu pleni estis, & nostis si ad illud conuiuium peruenire ualeatis. Quisquis nanq; ille est quem nunc spiritus iste non reparat, profecto ab illa æterni conuiuij refectione ieiunat. Memētote quid de eodē spiritu Paulus dicat: Si quis spiritum Christi non habet, hic nō est eius. Quasi quidam titulus diuinæ possessionis est iste spiritus amoris. Nūquid nam spiritum Christi habet is cuius mentem odia dissipant, elatio inflat, ira usq; ad diuisionem mentis exasperat, auaritia cruciat, luxuria eneruat? Pensate quis sit spiritus Christi. Profectò ille qui facit amicos & inimicos diligi, terrena despici, p cœlestibus

Esa. 11

Ioan. 21

Luc. 24

Ioan. 6

stibus æsturari, carnem propter uitia conteri, men A
tem a cõcupiscentijs frenari. Si ergo uultis uos co
gnoscere possessiones dei, personam perpendite
possessoris uestri. Ecce enim quod diximus, uoce
uetidica Paulus clamat: Si quis spiritum Christi
non habet, hic non est eius. Ac si aperte dicat: Qui
nunc deo inhabitante non regitur, de diuinæ cla-
ritatis specie postmodum non lætatur. Sed nos ta
men qui ad hæc quæ dicta sunt infirmamur, nec-
dum culmen perfectionis attingimus, in uia dei
Psal.138 quotidie sancti desiderij gressus ponamus. Con-
solatur nos ueritas, quæ per Psalmistam dicit: Im-
perfectum meũ uiderunt oculi tui, & in libro tuo
omnes scribentur. Non omnino erit nobis noxia
nostra imperfectio, si in dei itinere constituti, & B
ad transacta non respicimus, & ad ea quæ restant
transire festinamus. Nam qui imperfectorum de-
sideria dignanter inflammat, hæc quandoque ad
perfectionem roborat. Per dominum nostrum Ie
sum Christum, qui cum deo uiuit & regnat in uni
tate spiritus sancti deus, per omnia secula seculo-
rum, Amen.

Lectio sancti Euangelij secundum Ioannem.

Ioan.20 IN illo tempore. Ma
ria stabat ad monu-
mentũ foris plorãs.
Dum ergo fleret, in-
clinauit se, & prospe C
xit in monumentũ.
Et uidit duos ange-
los in albis sedentes,
unum ad caput, & unum ad pedes, ubi po-
situm fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mu-
lier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt
dominum meum, & nescio ubi posuerunt
eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retror
sum: & uidit Iesum stantem: & nesciebat
quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid
ploras? Quem quæris? Illa existimans quia
hortulanus esset, dicit ei: Domine, si sustuli
sti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego D
eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuer-
sa illa, dixit ei: Rabboni: quod dicitur magi
ster. Dicit ei Iesus: Noli me tangere: non-
dum enim ascendi ad patrem meum. Vade
autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo
ad patrem meum & patrem uestrum, deum
meum & deum uestrum. Venit ergo Ma-
ria Magdalene annuncians discipulis, quia
uidi dominum: & hæc dixit mihi:

Homilia lectionis eiusdem habita ad po
pulũ in Basilica sancti Ioannis, quæ appella
tur Constantiniana: Feria quinta Paschæ,

Homilia uigesimaquinta

MAria Magdalene quę fuerat in ciuitate pec
catrix, amando ueritatem, lauit lachrymis
maculas crimínis. Et uox ueritatis impletur, qua
dicit: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit Luc.7
multum. Quæ enim prius frigida peccãdo reman
serat, postmodum amando fortiter ardebat. Nam
postquam uenit ad monumentũ, ibiq; corpus do-
minicum non inuenit, sublatum credidit, atq; di-
scipulis nunciauit. Qui uenientes uiderunt, atq;
ita esse ut mulier dixerat, crediderũt. Et de eis pro
tinus scriptum est: Abierunt ergo discipuli ad se- Ioan.ó
metipsos. Ac deinde subiungitur: Maria autem
stabat ad monumentum foris, plorans.] Qua in Magdalenã
re pensandum est, huius mulieris mentem quan- maxima uis
ta uis amoris accenderat, quæ à monumento do- amoris ac
mini etiam discipulis recedentibus non recede- cendit
bat. Exquirebat quẽ non inuenerat, flebat inqui-
rendo, & amoris sui igne succensa, eius quem ab-
latum credidit, ardebat desiderio. Vnde contigit
ut eum sola tunc uideret, quæ remanserat, ut quæ-
reret: quia nimirum uirtus boni operis, perseue-
rantia est. Et uoce ueritatis dicitur: Qui autẽ per- Mat.10
seuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Et præce & 24
pto legis cauda hostię in sacrificio iubetur offerri. Leui.3
In cauda quippe finis est corporis, & ille bene im- Exo.20
molat, qui sacrificium boni operis usq; ad finem
debitæ perducit actionis. Hinc Ioseph inter reli- Gene.37
quos fratres talarem tunicam habuisse describit.
Tunica quippe usque ad talum, est opus bonum
usque consummationem. Maria ergo cùm fleret,
inclinauit se, & prospexit in monumentum. Cer-
tè iam monumentum uacuum uiderat, iam subla-
tum dominum nunciauerat. Quid est quòd se ite-
rum inclinat, iterum uidere desiderat? Sed aman-
ti semel aspexisse non sufficit, quia uis amoris in-
tentionẽ multiplicat inquisitionis. Quæsiuit ergo
prius, & minimè inuenit: perseuerauit ut quæ-
reret, unde & contigit ut inueniret. Actumq; est
ut desideria dilata crescerent, & crescentia cape-
rent quod inuenissent. Hinc est enim quod de eo-
dem sponsa Ecclesia in Canticis canticorum di- Cant.3
cit: In lectulo meo per noctes quæsiui quem dili-
git anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Sur-
gam, & circuibo ciuitatem, per uicos & plateas
quæram quem diligit anima mea. Quæ delectum
quoq; inuentionis ingeminat, dicens: Quæsiui il-
lum, & non inueni. Sed quia diu inuentio se non
elongat, si inquisitio non desistat, adiungit: Inue-
nerunt me uigiles qui custodiunt ciuitatem. Num
quẽ diligit anima mea uidistis? Paululũ cùm per-
transissem eos, inueni quẽ diligit anima mea. Dile
ctum nanq; in lectulo quærimus, quando in præ-
sentis uitæ aliquantula requie redemptoris nostri
desiderio suspiramꝰ. Per noctẽ quærimus: quia etsi
iam in illo mens uigilat, tamen adhuc oculus cali-
gat. Sed qui dilectũ suũ nõ inuenit, restat ut surgat
& ciuitatẽ circumeat, id est, sanctã electorũ Eccle
siam mẽte & inquisitione percurrat, per uicos eũ
& plateas quærat, id est, p angusta & lata gradien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes aſpiciat: ut ſi qua inuenire in eis ualeat, eius ue A
ſtigia exquirat, quia ſunt nonnulli etiam uitæ ſe-
cularis, qui imitandum aliquid habeant de actio-
ne uirtutis. Quærentes autem nos uigiles inueni-
unt qui cuſtodiunt ciuitatem, quia ſancti patres
Patres ſanctiEcclesiæ ſtatũ cuſtodiunt qui Eccleſiæ ſtatum cuſtodiunt, bonis noſtris ſtu-
diis occurrunt, ut ſuo uel uerbo uel ſcripto nos do
ceant. Quos cùm paululum pertranſimus, inueni-
mus quem diligimus, quia redemptor noſter etſi
humilitate homo inter homines, diuinitate tamẽ
ſuper homines, fuit. Cùm ergo tranſeuntur uigi-
les, dilectus inuenitur: quia cùm prophetas & A-
poſtolos infra ipſum eſſe conſpicimus, illum qui
natura deus eſt, eſſe ſupra homines cõſideramus.
Prius ergo non inueniendus quæritur, ut poſt in- B
uentus ſtrictius teneatur. Sancta enim deſideria,
ut prædiximus dilatione creſcunt. Si autem dila-
tione deficiunt, deſideria non fuerunt. Hoc amo-
re arſit, quiſquis ad ueritatem pertingere potuit.
Pſal.41 Hinc nanque Dauid ait: Sitiuit anima mea ad deũ
Pſal.104 fontem uiuũ quando ueniã & apparebo ante fa-
Eſa.26 ciem dei? Hinc nos admonet dicens: Quærite fa-
ciem eius ſemper. Hinc propheta ait: Anima mea
deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præ-
cordijs meis demane uigilabo ad te. Hinc iterum
Eccleſia in Canticis Canticorum dicit: Vulnera-
Cant.4 ta charitate ego ſum. Iuſtum quippe eſt, ut ex uiſi-
one medici pertingat ad ſalutem, quæ per æſtum
eius deſiderij uulnus amoris portat in pectore.
Cant.5 Hinc rurſus ait. Anima mea liquefacta eſt, ut dile C
ctus locutus eſt. Mens nanq; hominis, conditoris
ſui ſpeciem non quærentis, malè dura eſt: quia in
ſemetipſa remanet frigida. At ſi ardere iam ex de
ſiderio cœperit ad ſequẽdum quem diligit: lique-
facta per ignem amoris currit. Fit deſiderio anxia,
uileſcunt in ſeculo cuncta quę placebant, nihil eſt
quòd extra conditorem libeat: & quæ prius dele-
ctabant animum, fiunt poſtmodũ uehementer o-
neroſa. Nihil eius mœſtitiam conſolatur, quouſq;
adhuc qui deſideratur non aſpicitur. Mœret mẽs,
lux ipſa faſtidio eſt: Taliq; igne in mente decoqui
tur rubigo culpæ, & ſuccenſus animus quaſi auri
more, quia per uſum ſpeciem perdidit, per incen-
dium clareſcit. Iſta itaque quæ ſic amat, quæ ſe ad
monumentum quod perſpexerat, iterum inclinat D
uideamus quo fructu uis amoris in ea ingeminat
opus inquiſitionis. Sequitur: Vidit duos an-
gelos in albis ſedentes, unum ad caput, & unũ ad
pedes, ubi poſitum fuerat corpus Ieſu.] Quid
eſt quòd in loco dominici corporis duo angeli ui
dentur, unus ad caput, atq; alius ad pedes ſedens,
niſi quia Latina lingua angelus nuncius dicitur:
& ille paſſione ſua nunciandus erat, qui & deus
eſt ante ſecula, & homo in fine ſeculorum? Quaſi
ad caput ſedet angelus, cùm per Apoſtolum Io-
annem prædicatur: quia in principio erat uerbũ,
& uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum.
Ioan.1 Et quaſi ad pedes ſedet angelus, cùm dicit: Verbũ
caro factũ eſt: & habitauit in nobis. Poſſumus eti-
am per duos angelos duo teſtamenta cognoſce-
re: unum prius, & aliud ſequens. Qui uidelicet an
geli per locum dominici corporis ſibimet ſunt cõ
iuncti: quia nimirum utraque teſtamenta dum pa
ri ſenſu incarnatum & mortuum, ac reſurrexiſſe
dominum denunciant, quaſi teſtamentum prius
ad caput, & teſtamentum poſterius ad pedes ſe-
det. Vnde & duo cherubin quæ propiciatorium Exo.
tegunt, ſeſe inuicem aſpiciunt uerſis uultibus in
propiciatorium. Cherubin quippe plenitudo ſci-
entiæ dicitur: Et quid per duo cherubin, niſi utra-
que teſtamenta ſignantur? Quid uerò per propi-
ciatorium, niſi incarnatus dominus figuratur? De Exo.
quo Ioannes ait: Ipſe eſt enim propiciatio pro pec
catis noſtris. Et dum teſtamentum uetus hoc faci-
endum denunciat, quod teſtamentum nouum
de domino factũ clamat, quaſi utraq; cherubin ſe
inuicem aſpiciunt, dum uultus in propiciatorium
uertunt: quia dũ inter ſe poſitum incarnatum do-
minum uident, à ſuo aſpectu non diſcrepant, quæ
diſpenſationis eius myſterium concorditer nar-
rant. Requirunt Mariam angeli dicentes: Mulier
quid ploras?] Et dicit eis: Quia tulerunt domi
nũ meũ, & neſcio ubi poſuerunt eum.] Ipſa nanq;
ſacra eloquia quæ in nobis lachrymas amoris ex-
citant, eaſdem lachrymas conſolantur, dum nobis
redemptoris noſtri ſpeciem promittunt. Sed no-
tandum iuxta hiſtoriam eſt quòd mulier non ait:
Tulerunt corpus domini mei, ſed tulerunt domi-
num meum. Vſus nanq; ſacri eloquij eſt: ut aliquã
do ex parte totum, aliquando uerò ex toto partẽ
ſignificet. Ex parte etenim totum ſignat: ſicut de
lacob filijs ſcriptum eſt: quia deſcendit Iacob in Ge.
Ægyptum in animabus ſeptuaginta. Neq; enim
in Ægyptum animæ ſine corporibus deſcende-
runt, ſed per ſolam animam totus homo ſignifica-
tur, quia ex parte totum exprimitur. Et ſolum do-
minicum corpus in monumento iacuerat, & Ma-
ria non corpus domini ſed ſublatum dominũ quæ
rebat, uidelicet ex toto ſignificans partem. Hæc
cùm dixiſſet, cõuerſa retrorſum uidit Ieſum ſtan-
tem: & neſciebat quia Ieſus eſſet.] Notandũ quòd
Maria quæ adhuc de domini reſurrectione dubi-
tabat, retrorſum cõuerſa eſt ut uideret Ieſum: quia
uidelicet per eandem dubitationem ſuam quaſi
tergum in domini faciem miſerat, quem reſurre-
xiſſe minimè credebat. Sed quia amabat & dubi-
tabat, uidebat, & non agnoſcebat, eumq; illi & a-
mor oſtenderat, & dubietas abſcondebat. Cuius
adhuc ignorantia exprimitur, cùm infertur: Et ne
ſciebat quia Ieſus eſſet. Qui dixit ei: Mulier quid
ploras? Quẽ quæris?] Interrogatur doloris cauſa
ut augeatur deſiderium, quatenus cùm nomina-
ret quẽ quæreret, in amore eius ardentius æſtua-
ret. Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dixit ei:
Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſu-
iſti eum: & ego eum tollam. Forſitan nec errando
hæc mulier errauit, quæ Ieſum hortulanum credi-
dit. An nõ ei ſpiritaliter hortulanus erat, qui in e-
ius pectore per amoris ſui ſemina, uirtutum uiren
tia plãtabat. Sed quid eſt q; uiſo eo quẽ hortulanũ
credidit, cui necdũ dixerat quẽ quærebat, ait: Do-
mine: ſi tu ſuſtuliſti eum? Quaſi enim iam dixiſſet,

ex cuius

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex cuius desiderio plangeret, eum dixit quē non dixerat. Sed uis amoris hoc agere solet in animo, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium ignorare credat. Rectè & hæc mulier quem quærit, nō dicit: & tamen dicit, Si tu sustulisti eū: quia alteri non putat incognitū, quem sic ipsa cōtinuo plangit desiderio. Dicit ei Iesus: Maria.] Postquam eam cōmuni uocabulo appellauit ex sexu, & agnitus non est, uocat eam ex nomine. Ac si ei apertè dicat: Recognosce eum à quo recognosceris. Per
Exod.33 fecto quoq; uiro dicitur: Noui te ex nomine: quia homo commune omnium nostrum uocabulum est, Moyses uerò proprium, cui rectè dicitur: quia ex nomine scit. Ac si apertè dominus dicat, Non te generaliter ut cæteros, sed specialiter scio. Maria ergo quia uocatur ex nomine recognoscit au-
Rabboni interpretatur magister thorem: atque eum protinus rabboni, id est, magistrum uocat: quia & ipse erat qui quærebatur exterius, & ipse qui eam interius ut quæreret, docebat. Iam uerò ab Euangelista non subdit, quid mulier fecit, sed ex eo innuit quod audiuit. Cui dicitur: Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum.] In his nanq; uerbis ostenditur quòd Maria amplecti uoluit eius uestigia, quē recognouit. Sed ei magister dicit: Noli me tangere.] Non quia post resurrectionem dominus tactum renuit fœminarum, cùm de duabus ad se-
Matt.28 pulchrum eius uenientibus scriptum sit: Accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Sed cur tangi non debeat ratio quoq; addit cùm subinfertur. Non dum enim ascendi ad patrem meū.] In corde et enim nostro tunc Iesus ad patrem ascendit, cùm
ad Phil.2 æqualis credit patri. Nam quisquis eum æqualē patri nō credidit, adhuc in eius pectore ad patrē dominus non ascendit. Ille ergo Iesum ueraciter tangit, qui patri filium coæternum credit. In corde etenim Pauli iam ad patrem Iesus ascenderat, cùm idem Paulus dicebat: Qui cùm in forma dei
Ioan.1 esset, non rapinā arbitratus est esse se æqualē deo. Vnde Ioānes quoq; redemptorē nostrū manu fidei tetigit, qui ait: In principio erat uerbū, & uerbū erat apud deū, & deus erat uerbū. Hoc erat in principio apud deū, omnia per ipsum facta sunt. Tangit ergo dñm, qui eum patri æternitate substantiæ æqualem credit. Sed fortassè aliquis tacita quæstione pulsatur, quomodo filius patri esse æqualis possit. Qua in re humana natura quod admirādo cōprehendere nō ualet, restat ut hoc sibi esse credibile ex admiratiōe alia sciat. Habet nanque quod ad hæc sibi sub breuitate respondeat.
Redemptor creauit matrem in qua crearetur Constat enim quia ipse creauit matrem, in cuius
1.Cor.1 uirgineo utero ex humanitate crearetur. Quid ergo mirum si æqualis est patri, qui prior est matre? Paulo quoq; attestante didicimus Christum dei uirtutem, & dei sapientiam. Qui ergo filium minorem putat, patri specialiter derogat, cuius sapientiam esse ei inæqualem fatetur. Quis etenim homo potens æquanimiter ferret, si quis ei diceret: Magnus quidem es, sed tamen sapientia tua te mi-
Ioan.10,14 nor est? Ipse quoque dominus dicit: Ego & pater unum sumus. Et rursus ait: Pater maior me est. De A quo etiam scriptum est, quia subditus erat parentibus suis. Quid ergo mirum si ex humanitate sua minorē se patre asserit in cœlo, ex qua subiectus erat etiam parentibus in terra? Ex qua humanitate nunc Mariæ dicitur: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: deum meum, & deum uestrum.] Cùm meum dicat & uestrum, cur non communiter dicit nostrum? Sed distinctè loquens indicat, quia eundem patrem & deum dissimiliter habeat ipse quàm nos. Ascendo ad patrem meū, uidelicet per naturam: & patrem uestrum, per gratiam. Ad deum meum, quia descendi: ad deum uestrum, quia ascendetis. Quia enim & ego homo, deus mihi est. Quia uos ab errore liberati, deus est uobis. Di-
B stinctè ergo mihi pater & deus est, quia quem ante secula deum genuit, hominem in fine seculorū me mecū creauit. Venit Maria Magdalena annuncians discipulis, quia uidi dominum, & hæc dixit mihi.] Ecce humani generis culpa ibi abscindit, unde processit. Quia enim in paradiso mulier uiro propinauit mortē, à sepulchro mulier uiris annunciat uitam. Et dicta sui uiuificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis uerba narrauerat. Ac si humano generi non uerbis dominus, sed rebus dicat: De qua manu uobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum uitæ. Hæc de expositione lectionis Euangelicæ succinctè transcurrimus, nunc opitulante eodem de quo loqui-
C mur domino, & resurrectionis eius gloriā, & pietatis eius uiscera cōsideremus. Citius enim à morte uoluit resurgere, ne nostra diu anima in infidelitatis morte remaneret. Vnde bene quoque per
Psal.109 Psalmistam dicitur: De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput. In humano quippe genere, ab ipso mundi initio torrens mortis effluxerat, sed de hoc torrēte dominus in uia bibit, quia mor-
Dominus de torrente in uia bibit tem in trāsitu gustauit. Atq; ideo exaltauit caput: quia hoc quod moriendo in sepulchro posuit, resurgendo super angelos eleuauit. Et inde antiquū hostem inæternū perculit, unde sæuire contra se manus persequentiū temporaliter permisit.
Iob 40 Quod apertè dominus beato Iob indicat dicens: Nunquid capies Leuiathan hamo? Per Leuia-
D than quippe, quod additamentum eorum dicitur: uetus ille deuorator humani generis designatur. Qui dum se diuinitatem homini addere spopondit, immortalitatem sustulit. Qui præuaricationis quoq; culpam quam primo homini propinauit, dum se sequentibus pessima persuasione multiplicat, pœnas eis sine cessatione coaceruat. In hamo autem esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius unigenitum filium incarnatum misit, in quo & caro passibilis uideri posset, & diuinitas impassibilis uideri nō posset. Cūq; in eo serpens iste per manus persequentiū escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit. Prius uerò eum in miraculis deum cognouerat, sed de cognitione sua ad dubitationē cecidit, quādo hunc passibilē uidit. Quasi hamus ergo

fauces

Universidad de Deusto
Biblioteca

fauces glutientis tenuit, dum in illo esca carnis patuit, quam deuorator appeteret, & diuinitas passionis tempore latuit quæ necaret. In hamo ergo eius incarnationis captus est: quia dum in illo appetijt escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quæ ad se deuoratorem duceret, Ibi diuinitas quæ perforaret. Ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret, Ibi occulta uirtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est: quia inde interijt, unde momordit. Et quos tenebat mortales, iure perdidit, quia eũ in quo ius non habuit, morte appetere immortalem præsumpsit. Hinc est etiam quòd hæc ipsa de qua loquimur Maria uiuit: quia ille pro humano genere qui morti nihil debebat, occubuit. Hinc est quòd nos quotidie ad uitam post culpas reuertimur: quia ad pœnam nostram cónditor sine culpa descendit. Ecce iam antiquus hostis ea quæ de humano genere cœperat spolia amisit, supplantationis suæ uictoriam perdidit. Quotidie peccatores ad ueniam ueniendo, à sua potestate recedũt, quotidie de eius faucibus redemptoris manu rapiuntur. Vnde bene quoq; ad beatũ Iob uoce dominica iterum dicitur: Aut armilla perforabis maxillam eius? Armilla ubi ponitur, ambiendo constringit. Quid ergo per armillam, nisi circumplectens nos diuina misericordia designatur? Quæ leuiathan istius maxillã perforat, dum nobis post perpetrata quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium ostendit. Armilla dominus maxillam leuiathan perforat: quia ipse ineffabili misericordiæ suæ potentia, sic malitiæ antiqui hostis obuiat, ut aliquando eos etiam quos iam cepit amittat. Et quasi ab ore illius cadunt, qui post perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius semel raptus, maxillam eius euaderet, si perforata non esset? An non in ore Petrum tenuit cùm negauit? An non in ore Dauid tenuit, cùm in tantam se luxuriæ uoraginem mersit? Sed dum ad uitam uterq; per pœnitentiã redijt, leuiathan iste eos aliquo modo quasi per maxillæ suæ foramen amisit. Per foramen ergo maxillæ ab eius ore subtracti sunt, qui post perpetrationem tantæ nequitiæ, pœnitendo redierunt. Quis autem hominum leuiathan istius os euadat, ut illicita nulla committat? Sed hinc cognoscamus, quantum redemptori humani generis debitores sumus, qui non solum nos in ore leuiathan ire prohibuit, sed ab ore eius redire concessit. Qui spem peccatori non abstulit: quia maxillã eius, ut euadendi uiam tribueret, perforauit, ut saltem post morsum fugiat, qui incautus prius cauere noluit ne morderetur. Vbiq; ergo nobis occurrit superna medicina: quia & dedit homini præcepta ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia ne desperet. Vnde cauendum summopere est, ne quis delectatione peccati leuiathan istius ore rapiatur, & tamen si raptus fuerit, non desperet: quia si peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in maxilla eius inuenit, per quod euadat. Adest testis diuinæ misericordiæ, hæc ipsa de qua loquimur Maria, de qua Pharisæus dum pietatis fontem uellet obstruere, dicebat: Hic si esset propheta, sciret utique quæ Luc. 7
& qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Sed lauit lachrymis maculas cordis & corporis, & redemptoris sui uestigia terfit, quæ sua itinera praua dereliquit. Sedebat ad pedes Iesu, uerbumq; de ore illius audiebat. Viuenti adhæserat, mortuum quærebat. Viuẽtem reperit, quem mortuum quæsiuit. Tantumq; apud eum locum gratiæ inuenit, ut hunc ipsis quoque Apostolis, eius uidelicet nuncijs, ipsa nunciaret. Quid itaq; fratres, quid in hac re debemus aspicere, nisi immensam misericordiam conditoris nostri? qui nobis uelut in signo ad exemplum pœnitentiæ posuit eos quos per pœnitẽtiam uiuere post lapsum fecit. Perpendo enim Petrum, considero latronẽ, aspicio Zacchæũ, intueor Mariam, & nihil in his aliud uideo, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla. Fortasse enim in fide lapsus Mar.
est aliquis, aspiciat Petrum, qui amare fleuit, quod timide negauerat. Alius contra proximũ suum Hom.
in malitia crudelitatis exarsit, aspiciat latronem, qui & in ipso mortis articulo ad uitæ præmia pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æstibus anhelans, aliena diripuit, aspiciat Zacchæum, qui si quid alicui abstulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam perdidit, aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis, igne diuini amoris excoxit. Ecce omnipotens deus ubique oculis nostris quos imitari debeamus obijcit, ubique exempla suæ misericordiæ opponit. Mala ergo iam displiceant, uel experta. Libenter obliuiscitur omnipotens deus quòd nocẽtes fuimus, paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare. Inquinati post aquas salutis, renascamur ex lachrymis. Itaq; iuxta Ezec.
primi pastoris uocem, sicut modo geniti infantes, lac concupiscite. Redite ergo paruuli filij ad sinũ mastris uestræ æternæ sapientiæ, fugite larga ubera pietatis dei, transacta plangite, immientia uitate. Redemptor noster momentaneos fletus nostros æterno consolabitur gaudio, qui uiuit & regnat cum deo patre in unitate spirituſsancti deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Matt. 26 1. Reg. 2

Reuertimur quotidie ad uitam post culpas

Redemptori multa debemus

Lectio sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore. Cùm esset serò Ioan.
die illa una sabbatorum: & fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: uenit Iesus & stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax uobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli uiso domino. Dixit ergo eis iterum, Pax uobis. Sicut misit me pater & ego mitto uos. Hæc cum dixisset, insufflauit

sufflauit,& dixit eis: Accipite spiritum sanctum.Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis:& quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Didymus,nō erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus dominum. Ille autem dixit eis; Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum:& mittam digitum meum in locum clauorum:& mittam manum meam in latus eius,non credam.Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio,& dixit eis:Pax uobis. Deinde dixit Thomæ:Infer digitum tuum huc,& uide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus,sed fidelis.Respondit Thomas & dixit ei:Dominus meus,& deus meus. Dixit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma credidisti: beati qui non uiderunt, & crediderūt.Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum: quæ non sunt scripta in libro hoc.Hęc autem scripta sunt ut credatis quia Iesus est filius dei:& ut credentes uitam habeatis in nomine eius.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica beati Ioannis quæ dicitur Constantiniana,in octauis paschæ.

Homilia XXVI

PRIMA lectionis huius Euangelicæ quæstio animum pulsat: quomodo post resurrectionem corpus dominicum uerum fuit, quod clausis ianuis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est quòd diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum,cui humana ratio præbet experimentum.Sed hæc ipsa nostri redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquā possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt,ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora.Illud enim corpus domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod uidelicet ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt utero uirginis. Quid ergo mirum si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam uicturus intrauit: qui moriturus ueniens, non aperto utero uirginis exiuit? Sed quia ad illud corpus quod uideri poterat, fides intuentium dubitabat: ostendit eis protinus manus & latus: palpandam carnem præbuit, quā clausis ianuis introduxit. Qua in re duo mira, & iuxta humanam rationem sibi ualde contraria ostendit: dum post resurrectionem suam corpus suum incorruptibile, & tamen palpabile demonstrauit. Nam & corrumpi necesse est quod palpat, & palpari non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæstimabili, redemptor noster & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit: ut monstrando incorruptibile, inuitaret ad præmium, & præbendo palpabile, formaret ad fidem. Et incorruptibilē se ergo & palpabilē demonstrauit:ut profectò esse post resurrectionē ostenderet corpus suū & eiusdem naturæ, & alterius gloriæ.

Dixit eis:Pax uobis.Sicut misit me pater,& ego mitto uos:] id est, sicut misit me pater deus deū, & ego mitto uos homo homines.Pater filiū misit: qui hūc pro redēptione generis humani incarnari constituit.Quē uidelicet in mundū uenire ad passionem uoluit, sed tamen amauit filium quem ad passionem misit. Electos uerò Apostolos dominus non ad mundi gaudia: sed, sicut ipse missus est,ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur à patre,& tamen ad passionem mittitur: ita & discipuli à domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum.Itaque rectè dicitur: Sicut misit me pater, & ego mitto uos:id est,ea uos charitate diligo, cùm inter scandala persecutorum mitto: qua me charitate pater diligit, quem uenire ad tolerandas passiones fecit. Quamuis mitti etiam iuxta naturam diuinitatis possit intelligi. Eo enim ipso à patre filius mitti dicitur, quo à patre generatur. Nam sanctum quoque spiritum,qui cùm sit coæqualis patri & filio,non tamen incarnatus est,eisdem se filius mittere perhibet dicens: Cùm uenerit paracletus quem ego mittam uobis à patre. Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi:sanctus procul dubio spiritus nullo modo diceretur mitti,qui nequaquam incarnatus est. Sed eius missio ipsa processio est,qua de patre procedit & filio. Sicut itaq; spiritus mitti dicitur: quia procedit, ita & filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur. Ioan.15

Hæc autē cùm dixisset insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum.] Quærendum nobis est, quid est quòd spiritum sanctum dominus noster & semel dedit in terra consistens, & semel cœlo præsidens? Neq; enim alio in loco datus spiritus sanctus apertè monstratur, nisi nūc cùm per insufflationem percipitur, & postmodū cùm de cœlo ueniēs,in linguis uarijs demonstratur.Cur ergo prius in terra discipulis datur, postmodū de cœlo mittitur,nisi quòd duo sunt præcepta charitatis: dilectio uidelicet dei,& proximi? In terra datur spiritus,ut diligatur proximus. E cœlo datur spiritus, ut diligatur deus. Sicut ergo una est charitas & duo præcepta:ita unus spiritus & duo data. Prius à cōsistente domino in terra,postmodum è cœlo:quia in proximi amore discitur, qualiter peruenire debeat ad amorem dei. Vnde & idem Ioannes dicit: Qui non diligit fratrem suum quem uidet, deum quem non uidet, quomodo potest diligere? Et antè quidem discipulorum mentibus idem spiritus sanctus inerat ad fidem, sed tamen manifesta datione non nisi post resurrectionem datus est. Spiritū sanctum quare dedit dominus semel in terra consistens, & semel in cœlo præsidens

1.Ioan.4

Vnde

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan.7 Vnde & ſcriptum eſt: Nondum erat ſpiritus da-
tus: quia Ieſus nondum fuerat glorificatus. Vnde
Deut.32 etiam per Moyſen dicitur: Suxerũt mel de petra,
& oleum de firma petra. Neq; enim quicquã tale
iuxta hiſtoriam legitur: ſi tota teſtamenti ueteris
ſeries recenſeatur. Nuſquã de petra mel, nuſquã
oleum ille populus ſuxit. Sed quia iuxta Pauli uo
1.Cor.10 cem, Petra erat Chriſtus: mel de petra ſuxerunt,
qui eiuſdem redemptoris noſtri facta & miracu-
la uiderunt. Oleum uerò de firma petra ſuxerunt:
quia effuſione ſancti ſpiritus poſt reſurrectionem
eius ungi meruerũt. Quaſi ergo infirma petra mel
dedit: quando adhuc mortalis dominus miraculo
rum ſuorum dulcedinem diſcipulis oſtendit. Sed
firma petra oleum fudit: quia poſt reſurrectionem
ſuam factus iam impaſſibilis, per afflationem ſpi-
ritus donum ſanctæ unctionis emanauit. De hoc
oleo per prophetam dicitur: Computreſcet iugũ
Eſa.10 à facie olei. Sub iugo quippe tenebamur dæmo-
niacæ dominationis, ſed uncti ſumus oleo ſpíri-
tus ſancti. Et quia nos gratia libertatis unxit, do-
minationis dæmoniacæ iugum putruit: Paulo at-
2.Cor.3 teſtante, qui ait: Vbi ſpíritus domini, ibi libertas.
Sciendum uerò eſt quòd hi qui prius ſpíritũ ſan-
ctum habuerunt, ut & ipſi innocenter uiuerent:
& in prædicatione quibuſdam prodeſſent: idcir-
co hunc poſt reſurrectionem domini patẽter ac-
ceperunt, ut prodeſſe nõ paucis, ſed pluribus poſ-
ſent. Vnde & in hac ipſa datione ſpiritus dici-
tur: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur
eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.] Libet
intueri, illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis uo
cati, ad quantũ culmen gloriæ ſint perducti. Ecce
non ſolum de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam a-
lienæ obligationis poteſtatem relaxationis acci-
piunt: principatumq; ſuperni iudicij ſortiuntur:
ut uice dei, quibuſdam peccata retineant, quibuſ-
dam relaxent. Sic ſic eos à deo decebat erigi: qui
tantum pro deo conſenſerant humiliari. Ecce qui
diſtrictum dei iudicium metuunt, animarum iu-
dices fiunt: & alios damnant uel liberant, qui ſe-
metipſos damnari metuebant. Horum profecto
nunc in Eccleſia epiſcopi locum tenent. Ligandi
atq; ſoluendi authoritatẽ ſuſcipiunt, qui gradum
Epiſcoporũ grandis eſt honor, ſed graue pon regiminis ſortiunt. Grandis honor, ſed graue pon
dus huius honoris dus iſtius eſt honoris. Durum quippe eſt ut qui
neſcit tenere moderamina uitæ ſuæ, iudex uitæ
fiat alienæ. Et plerunq; contingit ut hic iudicij lo
cum teneat, cui ad locum uita minimè concor-
dat. Ac proinde ſæpe agitur ut uel damnet immé-
ritos, uel alios ipſe ligatus ſoluat. Sæpe in ſoluen-
dis ac ligandis ſubditis ſuæ uoluntatis motus, nõ
autem cauſarum merita ſequitur. Vnde fit ut ipſa
hac ligandi & ſoluendi poteſtate ſe priuet: qui
hanc pro ſuis uoluntatibus & non pro ſubiecto-
rum moribus exercet. Sæpe fit ut erga quemlibet
proximum odio uel gratia moueatur paſtor. Iu-
dicare autem de ſubditis dignè nequeunt, qui in
ſubditorum cauſis ſua uel odia uel gratiã ſequun-
tur. Vnde rectè per prophetam dicitur: Mortifi-
cabant animas quæ non moriuntur, & uiuifica-
bant animas quæ nõ uiuunt. Non morientẽ quip
pe mortificat, qui iuſtum damnat. Et non uiẽtu-
rum uiuificare nititur, qui reum à ſupplicio abſol-
uere conatur. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc
ligandi atq; ſoluendi poteſtas exercenda. Viden-
dum eſt quæ culpa, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta
poſt culpam: ut quos omnipotens deus per com-
punctionis gratiam uiſitat, illos paſtoris ſentẽtia
abſoluat. Tunc enim uera eſt abſolutio præſiden-
tis, cùm æterni arbitrium ſequitur iudicis. Quod
bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignifi-
cat, quæ uidelicet demonſtrat, quia prius mortu-
um dominus uocauit & uiuificauit dicens: Laza-
re ueni foras: & poſtmodum is qui uiuens egreſ-
ſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum
eſt: Cùmque egreſſus eſſet qui fuerat ligatus inſti-
tis, tunc dixit diſcipulis: Soluite eum, & ſinite abi
re. Ecce illum diſcipuli iam uiuentẽ ſoluunt, quẽ
magiſter reſuſcitauerat mortuum. Si enim diſci-
puli Lazarum mortuum ſoluerent, fœtorem ma-
gis oſtenderent quàm uirtutem. Ex qua conſide-
ratione intuendum eſt, quòd illos nos debemus
per paſtoralem autoritatẽ ſoluere, quos autorem
noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam
uiuificare. Quæ nimirum uiuificatio ante opera-
tionem rectitudinis, in ipſa iam cognoſcitur con-
feſſione peccati. Vnde & huic ipſi mortuo Laza
ro nequaquam dicitur, Reuiuiſce, ſed ueni foras.
Omnis quippe peccator dum culpam ſuam intra
conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis pe
netralib. occultat. Sed mortuus uenit foras, cùm
peccator nequitias ſuas ſponte cõfitetur. Lazaro
ergo dicitur, ueni foras, ac ſi aperte cuilibet mor-
tuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra
conſcientiam abſcondis? Foras iam per confeſſio
nem egredere, qui apud te interius per negationẽ
lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam
confiteatur peccator. Venientẽ uerò foras ſoluãt
diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeãt
amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri
quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breuiter di-
xerim, ut ſub magno moderamine paſtores Eccle
ſiæ uel ſoluere ſtudeant uel ligare. Sed utrũ iuſtè
an iniuſtè obliget paſtor, paſtoris tamẽ ſententia
gregi timenda eſt, ne is qui ſubeſt, & cùm iniuſtè
forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententi-
am ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo uel abſol-
uere indiſcrete timeat uel ligare. Is autem qui ſub
manu paſtoris eſt, ligari timeat uel iniuſtè: nec pa
ſtoris ſui iudicium temere reprehendat, ne & ſi in
iuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſu
perbia, culpa quæ non erat, fiat. Sed qui hæc breui
ter per exceſſum diximus, ad expoſitionis ordi-
nem redeamus. Thomas autem unus ex duo
decim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis
quando uenit Ieſus.] Iſte unus diſcipulus defuit,
reuerſus quod geſtum eſt, audiuit, audita credere
renuit. Venit iterũ dñs, & non credenti diſcipulo
latus palpandum prębuit, manus oſtendit, & oſtẽ
ſa ſuorũ cicatrice uulnerũ, infidelitatis illius vul-
nus ſanauit. Quid fratres chariſſimi, quid inter

hæc

hæc animaduertitis? Nunquid casu gestum creditis, ut electus ille discipulus tūc deesset: pòst autē ueniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed diuina dispensatione gestum est. Egit nanq; miro modo superna clemētia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo uulnera palparet carnis, in nobis uulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur. Sic quippe discipulū dominus post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit: sicut ante natiuitatem suam habere Mariam sponsum uoluit, qui tamē ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus est discipulus dubitans & palpans, testis ueræ resurrectionis: sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ uirginitatis. Palpauit autem, & exclamauit: Dominus meus, & deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me, credidisti.] Cùm Paulus Apostolus dicat: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumētum non apparentium: profecto liquet, quia fides illarū rerum argumentum est quæ apparere nō possunt. Quæ etenim apparent, iam fidem non habēt, sed agnitionē. Dum ergo uidit Thomas, dum palpauit, cur ei dicitur: quia uidisti me, credidisti? Sed aliud uidit, aliud credidit. A mortali quippe homine diuinitas uideri non potuit. Hominem ergo uidit, & deum confessus est dicēs: Dominus meus, & deus meus. Videndo ergo credidit: qui considerando uerum hominem, hunc deum quem uidere non poterat, exclamauit. Lætificat ualde quod sequitur: Beati qui non uiderunt, & crediderunt.] In qua nimirū sententia nos specialiter signati sumus: qui eum quem carne non uidimus, mente retinemus. Nos signati sumus: sed si fidem nostrā operibus sequimur. Ille etenim uerè credit, qui exercet operādo quod credit. Quo contra, de his qui fidem nominetenus retinēt, Paulus dicit: Cōfitentur se nosse deum: factis autem negant. Hinc Iacobus ait: Fides sine operibus mortua est. Hinc ad beatum Iob de antiquo hoste generis humani dominus dicit: Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam q̄ influat Iordanis in os eius. Quis etenim per fluuiū designat, nisi humani generis fluxus? Quod uidelicet genus ab ortu ad finem defluit: & quasi aquæ more, usq; ad competentē terminum ex carnis liquore percurrit. Quid per Iordanem, nisi baptizatorum forma signatur? Quia enim in Iordanis flumine ipse autor redemptionis nostræ baptizari dignatus est, recte Iordanis nomine, eorum multitudo exprimitur: qui intra sacramētum baptismatis cōtinentur. Antiquus ergo hostis generis humani fluuium absorbuit: quia à mundi origine usq; ad redemptoris aduentum, uix paucis electis euadentibus, in uentrē suæ malitiæ genus humanum traxit. De quo recte dicitur: Absorbebit fluuiū, & non mirabitur: quia pro magno non habet, cū infideles rapit. Sed graue est ualde quod

Thomæ incredulitas uulnera infidelitatis sanauit

Hebr. 11

Ad Tit. 1
Iacobi 2

Iob 40

A subditur: Et habet fiduciam q̄ influat Iordanis in os eius: quia postq; infideles quosq; à mundi origine rapuit, adhuc se posse decipere etiā fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuasionis eos quotidie deuorat: in quibus à cōfessione fidei reprobauita discordat. Hoc ergo fratres charissimi tota intētione pertimescite. Hoc apud uos sollicita mente cogitate. Ecce paschalia solēnia agimus: sed ita uiuendum est nobis, ut peruenire ad æterna festa mereamur. Transeunt cuncta quæ temporaliter festiua celebrantur. Curate qui his solennitatibus interestis: ne ab æterna solennitate separemini. Quid prodest interesse festis hominum: si deesse contingat festis angelorum? Vmbra uenturæ solennitatis est solennitas præsens. Idcirco hanc annuè agimus, ut ad illā quæ non est annua sed cōtinua perducamur. Cùm hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricat. Frequentatione ergo gaudij temporalis, ad æterna gaudia mens incalescat & ferueat: ut ex ueritate lætitia perfruatur in patria, quod de umbra gaudij meditatur in uia. Vitam ergo uestram fratres moresq; cōponite. Is qui mitis resurrexit ex morte: quàm districtus in iudicio ueniat, præuidete. Certe in die tremendi examinis sui, cum angelis, cum archangelis, cum thronis, cum dominationibus, cū principatibus & potestatibus apparebit: cœlis ac terris ardētibus, cunctis uidelicet elemētis in sui obsequij terrore cōmotis. Hunc ergo tanti pauoris iudicem ante oculos ponite. Hunc ueniturum timete: ut hūc cùm uenerit, non timidi, sed securi uideatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror eius nos ad usum bonæ operationis exerceat: metus illius uitam nostram à prauitate cōpescat. Mihi fratres credite, quia tanto tunc erimus securi de eius præsentia: quanto nunc esse satagimus suspecti de culpa. Certe si aliquis uestrū cum suo aduersario causam dicturus in meo iudicio, die crastino esset exhibendus: totam fortasse noctem insomnē duceret: quid sibi dici posset, quid obiectionibus responderet, secum sollicita & æstuante mente uersaret: ne me inueniret asperum, uehementer metueret: ne apud me appareret noxius, formidaret. Et quis aut quid ego? nimirum non longè pòst futurus post hominē uermis: atq; post uermē puluis. Si ergo tanta cura pertimescitur iudicium puluis: qua intentione cogitāduum est, qua formidine prouidendum, tantæ iudicium maiestatis? Sed quia sunt nonnulli qui de resurrectione carnis incerti sunt: & hanc tunc rectius docemus, si etiam cordium uestrorum quæstionibus occultis occurrimus: pauca nobis de ipsa resurrectionis fide loquenda sunt. Multi etenim de resurrectione dubitantes, sicut & nos aliquando fuimus, dum carnem in putredinem, ossaq; in puluerem redigi per sepulchra conspiciunt: reparari ex puluere carnē & ossa diffidunt. Sicq; apud se quasi ratiocinantes dicunt: Quādo ex puluere homo reducitur? quando agitur ut cinis animetur? Quibus breuiter respondemus: quia longè minus est deo reparare quod fuit: quàm creasse quod non

Christus mitis resurgendo, districtus erit iudicando

fuit. Aut quid mirum si hominem ex puluere resi- A
cit: qui simul omnia ex nihilo creauit? Mirabilius
nanq; est cœlum & terram ex nullis existentibus
condidisse, quàm ipsum hominem ex terra repa-
rare. Sed cinis attenditur, & in carnem redire pos-
se desperatur: & diuinæ operationis uirtus cōpre-
Miracula ex hendi quasi ex ratione quæritur. Qui scilicet hæc
assiduitate idcirco in suis cogitationibus dicunt: quia eis quo
uilescunt tidiana dei miracula ex assiduitate uiluerūt. Nam
ecce in uno grano paruissimi seminis latet tota
quæ nascitura est arboris moles. Constituamus
nanq; ante oculos cuiuslibet arboris miram mag-
nitudinem. Cogitemus unde oriendo cœpit: quæ
ad tantam molem crescendo peruenit. Inuenimus
proculdubio eius originem, paruissimum semen.
Consideremus nunc ubi in illo paruo grano semi B
nis latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis,
odorisq; magnitudo, ubertas fructuum, uiriditas
foliorum. Contrectatum nanq; seminis granum
non est ualidum. Vnde ergo processit ligni duri-
tia? Non est asperum, unde asperitas corticis erup-
pit? Non est saporū, unde sapor in fructibus? Ol-
factū nil redolet, unde odor in fructibus fragrat?
Nil in se uiride ostendit, unde foliorum uiriditas
exiuit? Cuncta ergo in semine simul latent: quæ
tamen non simul ex semine prodeunt. Ex semine
quippe producitur radix. Ex radice procedit uir-
gultū. Ex uirgulto oritur fructus: ex fructu etiam
producitur semen. Addamus ergo quia & semen
latet in semine. Quid igitur mirum, si ossa, neruos,
carnem, capillosq; reducat ex puluere: qui lignū, C
fructus, folia, in magna mole arboris ex paruo
quotidie semine restaurat? Cùm ergo dubitans a-
nimus de resurrectionis potentia ratione quærit,
earum rerum ei quæstiones inferendæ sunt, quæ
& incessanter fiunt, & tamen ratione comprehen
di nequaquam possunt: ut dum non ualet ex uisio
ne rei penetrare quod conspicit, de promissione
diuinæ potentiæ credat quod audit. Illa ergo uobi
scum fratres charissimi promissa cogitate, quę per
manent: quæ uero cum tempore transeunt, uelut
iam dimissa despicite. Ad huius resurrectionis glo
riam quam in se ueritas ostendit, tota intentione
festinate. Terrena desideria quæ ab authore sepa-
rant, fugite: quia tanto altius ad conspectum dei
omnipotētis pertingitis, quanto mediatorem dei D
& hominum singularius amatis. Qui uiuit & re-
gnat cum patre in unitate spiritus sancti deus: per
omnia secula seculorum, Amen.

Lectio sancti euangelij secundum Ioannem.

Ioan.15 IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem: sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet: quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio uobis. Iam non dicam uos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autē dixi amicos: quia omnia quęcunq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos: & posui uos ut eatis, & fructū afferatis: & fructus uester maneat: ut quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, det uobis.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in Basilica sancti Pancratij: die eius natiuitatis.

Homilia XXVII

CVm cuncta sacra eloquia dominicis plena sint præceptis: quid est q̄ de dilectione, quasi de singulari mandato dominus dicit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem: nisi quia omne mandatum de sola dilectione est: & omnia unum præceptum sunt? quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex una radice prodeunt: sic multę uirtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid uiriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo dominica & multa sunt & unum: multa per diuersitatem operis, unum in radice dilectionis. Qualiter autem ista dilectio tenenda sit: ipse insinuat qui in plerisq; scripturę suę sententijs & amicos iubet diligi in se: & inimicos propter se. Ille enim ueraciter charitatē habet, qui & amicum diligit in deo: & inimicum diligit propter deum. Nam sunt nonnulli qui diligunt proximos: sed per affectum cognationis & carnis. Quibus tamē in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quod sponte impenditur naturæ: aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirū & proximum diligunt: & tamē illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur: quia amorem suum non spiritaliter, sed carnaliter impendunt. Proinde cùm dominus diceret: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem: protinus addidit, Sicut dilexi uos. Ac si apertè dicat: Ad hoc amate, ad quod amati uos. Qua in re fratres charissimi, solerter intuendum est, q̄ antiquus hostis dum mentē nostrā ad rerum temporalium dilectionē trahit, infirmiorē contra nos proximū excitat, qui ea ipsa quæ diligimus, auferre molíatur. Nec curat antiquus hostis hæc faciens ut terrena tollat: sed ut charitatē in nobis feriat. Nam in odium repentè exardescimus: & dum foris inuicti esse cupimus, intus grauiter ferimur: dum parua foris defendimus, intus amittimus maxima: quia dum rem diligimus temporalem, ueram amittimus dilectionē. Omnis quippe qui nostra tollit, inimicus est. Sed si odio habere cœperimus inimicū, intus est quod perdimus. Cū ergo aliquid exterius à proximo patimur, contra occultū raptorē interius uigilemus: qui nunq̄ melius uincitur, nisi cùm raptor exterior amat. Vna quippe & summa est probatio charitatis: si & ipse diligitur, qui aduersatur. Hinc est q̄ ipsa ueritas & crucis patibulū sustinet: & tamen ipsis suis persecutoribus

Universidad de Deusto

cutoribus affectum dilectionis impendit dicens:
Lucæ 23 Pater ignosce illis, quia nesciũt quid faciũt. Quid ergo mirum si inimicos diligant discipuli dum uiuunt: quãdo & tũc inimicos diligit magister cùm occiditur? Cuius dilectionis summam exprimit: cùm subiungit: Maiorem hac dilectionem nemo habet: quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.] Mori etiã pro inimicis dominus uenerat, et tamẽ positurũ se animam pro amicis dicebat: ut profecto nobis ostenderet, quia dũ diligendo, lucrum facere de inimicis possumus, etiã ipsi
Amici possunt dici qui persequuntur amici sunt qui persequuntur. Sed ecce nos usq; ad mortem nemo persequitur. Vnde ergo probare possumus an diligamus inimicos? Sed est quod in pace sanctæ Ecclesiæ fieri debeat, unde claresca si persecutionis tempore mori pro dilectione ua- B leamus. Certe idem Ioannes dicit: Qui habuerit
1.Ioan.3 substantiam mundi huius, & uiderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit uiscera sua ab eo: quomodo charitas dei manet in eo? Hinc etiam
Lucæ 3 Ioannes baptista ait: Qui habet duas tunicas, det non habẽti. Qui ergo tranquillitatis tempore non dat pro deo tunicam suam: quando in persecutionis tempore daturus est animã suam? Virtus ergo charitatis ut inuicta sit in perturbatione, nutriat per misericordiam in tranquillitate: quatenus omnipotenti deo primum discat sua impendere, post modum semetipsum. Sequitur: Vos amici mei estis.] O quanta est misericordia cõditoris nostri. Serui digni non sumus, & amici uocamur. Quanta est dignitas hominum, esse amicos dei? Sed au- C distis gloriam dignitatis: audite & laborem certaminis. Si feceritis quæ ego præcipio uobis.] Amici mei estis, si ea quæ præcipio uobis facitis. Ac si apertè dicat: Gaudetis de culmine: pensate quibus laboribus peruenitur ad culmen. Certe dum filij Zebedæi interueniente matre quærerent, ut unus à dextris dei, et alius à sinistris sedere debuis-
Mat.20 sent, audierũt: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Iam locum celsitudinis quærebãt. Ad uiam illos ueritas reuocat, per quam ad celsitudinem uenirent. Ac si dicatur: Iam uos locus delectat celsitudinis, sed prius uia exerceat laboris. Per calicẽ enim pertingitur ad maiestatẽ. Si mens uestra appetit quod demulcet, prius bibite quod dolet. Sic sic per amarum poculum confessionis, D peruenitur ad gaudium salutis. Iam non dicam uos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius: uos autem dixi amicos, quia omnia quæcũq; audiui à patre meo, nota feci uobis.] Quæ sunt omnia quæ audiuit à patre suo, quę nota fieri uoluit seruis suis, ut eos efficeret amicos suos, nisi gaudia internæ charitatis, nisi illa festa supernæ patriæ, quæ nostris quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit? Dum enim audita supercœlestia amamus, amata iam nouimus: quia amor ipse notitia est. Omnia ergo eis nota fecerat: qui à terrenis desideriis immutati, amoris summi facibus ardebant. Istos uero amicos dei aspexerat pro
Psal.138 pheta, cùm dicebat: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus. Amicus enim quasi animi custos uocatur. Quia ergo Psalmista prospexit electos dei à mundi huius amore separatos, custodire in mandatis cœlestibus uoluntatẽ dei: miratus est amicos dei dicens: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus. Et tanquam si ab eo protinus causas honoris tanti nobis insinuari quæreremus, ilico adiunxit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ecce electi dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, uirtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum uoce & moribus prædicant: eam etiam moriendo diligunt, atq; ad illam per tormenta pertingunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. Nimis ergo cõfortatus est principatus eorũ. In ista ipsa passione qua ceciderũt in morte carnis, uidete quantum fuerit culmẽ mentis. Vnde hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum? Sed ne putes q; sic magni forsitan pauci sunt, subiunxit: Dinume- Psal.138
rabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Totum mundum fratres aspicite. Martyribus plenus est. Iam penè tot qui uideamus nõ sumus, quot ueritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenã multiplicati sunt, quia quanti sint, à nobis cõprehendi non possunt. Sed quisquis ad hanc peruenit dignitatem, ut amicus uocetur dei, sese in se conspiciat: dona autem quæ percipit, super se: nihil suis meritis tribuat, ne ad inimicitias erumpat. Vnde & subditur: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos: & posui uos ut eatis & fructum afferatis.] Posui ad gratiam: plantaui ut eatis uolendo: fructũ afferatis operando. Eatis enim uolendo dixi: quia uelle aliquid facere, iam mente ire est. Qualem uero fructum afferre debeant, subdit: Et fructus uester maneat.] Omne quod secundum præsens seculum laboramus: uix usque ad mortem sufficit. Mors nanq; interueniens, fructum nostri laboris abscindit. Quod uero pro æterna uita agitur, etiam post mortem seruatur: & tunc apparere incipit, cùm laborũ carnalium fructus cœperit non uideri. Ibi ergo illa retributio inchoat, ubi ista terminatur. Quisquis ergo iam eterna cognouit: apud eius animum temporales fructus uilescant. Tales ergo fructus operemur, qui maneant: tales fructus operemur, qui cùm mors cuncta interimat, ipsi exordium à morte sumant. Nam quòd à morte incipiat fructus dei, testatur propheta, qui dicit: Cùm dederit dilectis suis somnum: hęc est hęreditas domini. Omnis qui dormit in morte, perdidit hæreditatem: sed cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas domini: quia electi dei postq; peruenerint ad mortem, tũc inueniunt hæreditatẽ. Sequitur: Vt quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, det uobis.] Ecce hìc dicit: Quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, det uobis. Rursum alibi per eundẽ Euangelistam dicit: Si quid petieritis patrem in no- Ioan.16
mine meo, dabit uobis. Vsque modo non petistis quicquã in nomine meo. Si omne quod petimus in nomine filij, dat nobis pater: quid ergo est q; Paulus ter dominum rogauit, & exaudiri non me- 2.Cor.12
ruit, sed dictũ est illi: Sufficit tibi gratia mea: nam

Morte non eripitur quod pro æterna uita agitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

uirtus in infirmitate perficitur? Nunquid ille tam egregius prædicator in filij nomine non petijt? Quare autem non accepit quod petijt? Quomodo ergo uerum est quia quicquid petierimus patrem in nomine filij, dat nobis pater, si auferri à se angelum satanæ petijt Apostolus in nomine filij, & tamē quod petijt non accepit? Sed quia nomē filij Iesus est, Iesus autem saluator uel etiam salutaris dicitur, ille ergo in nomine saluatoris petit, qui illud petit quod ad ueram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit petitur, non in nomine Iesu petitur pater. Vnde & eisdem Apostolis adhuc
Ioan.26 infirmantibus dominus dicit: Vsq; modo non petistis quicquam in nomine meo. Ac si apertè diceretur: Non petistis in nomine saluatoris, qui nesci
2.Cor.12 tis quærere æternam salutē. Hinc est quòd & Paulus non exauditur, quia si liberaretur à tētatione, ei non prodesset ad salutem. Ecce uidimus fratres charissimi quàm multi ad solennitatem martyris cōueniſtis, genua flectitis, pectus tunditis, uoces orationis ac confessionis emittitis, faciem lachrymis rigatis. Sed pensate quæso petitiones uestras, uidete si in nomine Iesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Iesu, Iesum non quæritis, si in æternitatis templo importunè pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit uillam, alius postulat uestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cùm hæc desunt, ab omnipotenti deo petēda sunt. Sed meminisse cōtinuo debemus quod ex mandato eiusdem nostri redemptoris accepi-
Mat.6 mus: Quærite primum regnū dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Et hęc itaq; à Iesu petere, non est errare, si tamen non nimiè petantur. Sed adhuc, quod est grauius, alius postulat mortem inimici, eumq; quem gladio non potest persequi, persequitur oratione. Et uiuit adhuc qui maledicitur, & tamen is qui maledicit, iam de morte
Mat.5 illius reus tenetur. Iubet autem deus ut diligatur inimicus, & tamen rogatur deus ut occidat inimicum. Quisquis itaq; sic orat, in ipsis suis precibus contra conditorem pugnat. Vnde & sub Iudę specie
Psal.108 dicitur: Fiat oratio eius in peccatū. Oratio autem in peccatum est, illa petere quæ prohibet ipse
Mar.11 qui petitur. Hinc ueritas dicit: Cùm statis ad orandum, remittite si quid habetis in cordibus uestris. Quam uirtutem remissionis apertius ostēdimus, si unum testimonium testamenti ueteris proferamus. Certe cùm Iudæa conditoris sui iustitiā culpis exigentibus offendisset, prophetam suum ab
Hiere.8 oratione dominus prohibet dicens, Non assumas laudem & orationē pro eis. Si Moyses & Samuel steterint corā me, non est anima mea ad populum istum. Quid est quòd intermissis, relictisq; tot patribus, soli Moyses & Samuel ad mediū deducuntur, quorū mira obtinendi uirtus ostenditur, dum nec ipsi posse intercedere dicuntur? Ac si apertè dominus dicat: Nec illos audio quos propter magnum petitionis suæ meritum minime cōtemno. Quid ergo est quòd Moyses & Samuel cęteris patribus in postulatione præferuntur, nisi quòd hi duo tantummodo in cuncta testamenti ueteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Vnus à Exod populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis dominum deprecatur. Alter ex principatu ejicitur, & tamen petitus ut exoraret, fatetur dicens: Absit à me hoc peccatum in domino, ut quo minus cessem orare pro uobis. Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istū. Ac si apertè dicat: Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ uirtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo ueræ orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quisq; quod rectè petit, adipiscitur, cùm eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur. Sed plerunq; reluctantem animum uincimus, si etiam pro inimicis oramus. Effundit os pro aduersarijs precem, sed utinam cor teneat amorem. Nam sæpe & orationem pro inimicis nostris impendimus, sed hanc exceptione potius fundimus quàm ex charitate. Nā & uitam inimicorum petimus, & tamen ne exaudiamur, timemus. Sed quia internus iudex mentē potius quàm uerba considerat. pro inimico nil postulat, qui pro eo ex charitate non orat. Sed ecce in nos grauiter inimicus deliquit, damna intulit, iuuantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Aduocatus etenim noster precem nobis in causa nostra composuit, & ipse eiusdem causę iudex est, qui aduocatus. Preci autem quam composuit, cōditionē inseruit, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quia ergo ipse iudex uenit, qui aduocatus extitit, ipse precem exaudit, qui fecit. Aut ergo non sentientes dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & nosmetipsos hoc dicendo amplius ligamus. Aut fortasse cōditionem hanc in oratione intermittimus, & aduocatus noster precem quam cōposuit, non recognoscit, atq; apud se protinus dicit: Scio quid monui, non est ipsa oratio quam feci. Quid ergo nobis agendum est fratres, nisi ut ueræ charitatis affectū impendamus fratribus, nulla in corde malitia maneat: ut consideret omnipotens deus erga proximum charitatem nostram, & nostris impendat iniquitatibus pietatē suam. Mementote quod monemur: Dimittite, & dimittetur uobis. Ecce debetur nobis, & debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur à nobis. Sed ad hæc mēs renitit, & uult implere quod audit, & tamen reluctatur. Ad martyris tumbam consistimus, qui ad cœleste regnum ex qua morte peruenerit, scimus. Nos si pro Christo corpus non ponimus, saltem animū uincamus. Placatur deus isto sacrificio, & probat in iudicio pietatis suę, uictoriam pacis nostrę. Certamen enim nostri cordis aspicit, & qui pòst uincentes remunerat, nunc decertantes iuuat Iesus Christus dominus noster, qui uiuit & regnat in unitate spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Lectio

Universidad de Deusto

Lectio sancti euangelij secundum Ioannem.

Ioan.4

IN illo tempore. Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audisset quia Iesus ueniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, ut descenderet & sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei & nunciauerunt dicentes: quia filius eius uiueret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quia illa hora erat in qua dixerat ei Iesus: filius tuus uiuit. Et credidit ipse & domus eius tota.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in Basilica sanctorum Nerei & Achillei, die natalis eorum.

Homilia XXVIII

LEctio sancti Euãgelij quam modo fratres audistis, expositione non indiget. Sed ne hanc taciti præterisse uideamur, exhortando potius q̃ exponendo in ea aliquid loquamur. Hoc autẽ nobis solummodo de expositione uideo esse requirendum, cur is qui ad salutem filio petendam uenerat, audiuit: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis.] Qui enim salutem filio quærebat, proculdubio credebat. Neq; enim ab eo quæreret salutem, quem non crederet saluatorẽ. Quare ergo dicitur, Nisi signa & prodigia uideritis, nõ creditis: qui antè credidit quàm signa uideret? Sed memẽtote quid petijt, & apertè cognoscetis quia in fide dubitauit. Poposcit nanq; ut descenderet, D & sanaret filium eius. Corporalem ergo præsentiam domini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaq; in illũ credidit, quem non putauit posse salutem dare, nisi præsens esset & corpore. Si enim perfectè credidisset, proculdubio sciret, quia non esset locus, ubi non esset deus. Ex magna ergo parte diffisus est, quia uirtutem non dedit maiestati, sed præsentiæ corporali. Salutem itaque filio petijt, & tamen in fide dubitauit, quia eum ad quem uenerat, & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio esse absentem putauit. Sed dominus qui rogatur ut uadat, quia non desit ubi inuitatur, indicat. Solo iussu salutem reddidit, qui uoluntate omnia creauit. Qua in re hoc est nobis solerter intuendum, quòd sicut Euange-

Deus est ubiq;

A lista alio testãte didicimus, centurio ad dominum uenit, dicens: Domine puer meus iacet paralyticus in domo mea, & male torquet̃. Cui à Iesu protinus respondetur: Ego ueniam & curabo eum. Quid est quòd regulus rogat ut ad eius filium ueniat, & tamen ire corporaliter recusat, ad seruũ uero centurionis non inuitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalẽ præsentiã non dignatur adesse: centurionis seruo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quòd superbia nostra retũditur, qui in hominibus non naturam qua ad imaginem dei facti sunt, sed honores & diuitias ueneramur? Cumq; pensamus quæ circa eos sunt, negligimus pensare ipsos, eo profecto quòd interiora minime prouidemus, dum ea B consideramus quæ in corporibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Redemptor uero noster ut ostenderet quia quę alta sunt hominum, despicienda sunt, & quę despecta sunt hominum, despicienda non sunt: ad filium reguli ire noluit, ad seruum centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo superbia nostra, quæ nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, quæ circũstant hominibus pensat, naturam non aspicit, honorẽ dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire noluit filius dei ad filium reguli, & tamen uenire paratus est ad salutem serui. Certè si nos cuiuspiã seruus rogaret, ut ad eũ ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras, C honor tuus despicitur, locus uilescit. Ecce de cœlo uenit, qui seruo in terra occurrere non despicit, & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus. Quid uero apud deũ uilius, quid despectius esse potest, quàm seruare honorem apud homines, & interni testis oculos non timere? Vnde & in sacro Euangelio ad pharisæos dominus ait: Vos estis qui iustificatis uos corã hominibus, Lucæ 17 deus autem nouit corda uestra, quia quod hominibus altum est, abominabile est apud deum. Notate fratres, notate quod dicitur: Si enim quod hominibus altum est, abominabile est apud deum, cordis nostri cogitatio tanto apud deũ in imo est, quanto hominibus in alto. Et humilitas cordis nostri tanto apud deũ in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus, nulla nos nostra inflet operatio, non rerum abundantia, non gloria extollat. Si quibuslibet ex bonis affluentibus intus intumescimus, deo despecti sumus. Quo contra Psalmista de humilibus dicit: Custodiens paruulos dominus. Qui quia paruulos humiles appellat, postq; sententiam protulit, cõsilium subiungit: Nam quasi quæreremus quid ipse ad hæc faceret, adiunxit: Humiliatus sum, & liberauit me. Hæc ergo cogitate fratres. Hæc tota intẽtione pensate. Nolite in proximis uestris mundi huius bona uenerari. Hoc propter deum honorate in hominibus, quibus tamen commissi non estis, quòd facti sunt ad imaginem dei. Quod tunc proximis uerè seruatis, si apud uosmetipsos prius in corde non intumescitis. Nam qui se adhuc pro- Mat.8

Psal.114

Homines quare honorare debemus

Universidad de Deusto
Biblioteca

rebus tranſitorijs extollit, neſcit in proximo uene A
rari quod maneat. Nolite ergo intra uoſmetipſos
penſare quod habetis, ſed quid eſtis. Ecce mũdus
qui diligitur, fugit. Sancti iſti ad quorum tumbam
cõſiſtimus, florentem mundum mentis deſpectu
calcauerunt. Erat tunc uita longa, ſalus continua,
opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tran
quillitas in diuturna pace, & tamen cùm in ſeipſo
floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat.
Ecce iam mundus in ſeipſo aruit, & adhuc in cor-
dibus noſtris floret. Vbiq; mors, ubiq; luctus, u-
biq; deſolatio, undiq; percutimur, undiq; amaritu
dinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis
cõcupiſcentiæ, ipſas eius amaritudines amamus,
fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia
labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labi- B
mur, quẽ cadentẽ tenemus. Aliquando nos mun-
dus delectatione retraxit à deo, nunc tantis plagis
plenus eſt, ut ipſe nos iam mũdus mittat ad deum.
Penſate ergo quia nulla ſunt, quæ tẽporaliter cur-
runt. Finis temporalium oſtendit, quàm nihil ſit
quod trãſire potuit. Caſus rerum indicat, quia res
tranſiens & tunc propè nihil fuit, cùm ſtare uide-
retur. Hæc ergo fratres chariſſimi ſollicita conſi-
deratione penſate, in æternitatis amore cor figite,
ut dum terrena culmina adipiſci contemnitis, per
ueniatis ad gloriã quam per fidem tenetis, per do
minum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Lectio ſancti euangelij ſecundum
Marcum.

Mar. ult. IN illo tẽpore. Recumben
tibus undecim diſcipulis
apparuit eis Ieſus, & ex-
probrauit incredulitatem
eorum, & duritiam cor-
dis, quia his qui uiderant
eum reſurrexiſſe, non crediderant. Et dixit
eis: Euntes in uniuerſum mundum, prædi-
cate Euangelium omni creaturæ. Qui credi
derit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui
uero non crediderit, condemnabitur. Sig-
na autem eos qui crediderint, hæc ſequen- D
tur. In nomine meo dæmonia eijcient, lin-
guis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Et
ſi mortiferum quid biberint, non eis noce-
bit. Super ęgros manus imponent, & bene
habebunt. Et dominus quidem Ieſus poſt-
quam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœ-
lum, & ſedet à dextris dei. Illi autem profe-
cti prædicauerunt ubiq; domino coope-
rante, & ſermonem confirmante ſequenti-
bus ſignis.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad po
pulum in baſilica ſancti Petri, in aſcenſione
domini.

Homilia XXIX

QVòd reſurrectionem dominicam diſcipuli
tarde crediderunt, non tam illorum infirmi-
tas, quàm noſtra, ut ita dicam futura firmitas fuit.
Ipſa nanq; reſurrectio illis dubitantibus per mul-
ta argumenta monſtrata eſt. Quæ dum nos legen
tes agnoſcimus, quid aliud quàm de illorum dubi
tatiõe ſolidamur? Minus enim nobis Maria Mag Mag
dalene præſtitit quæ citius credidit, quàm Tho- Cre
mas qui diu dubitauit. Ille etenim dubitando, uul
nerum cicatrices tetigit, & de noſtro pectore du- ma
bitationis uulnus amputauit. Ad inſinuandam
quoq; ueritatem dominicæ reſurrectionis notan- dis
dum nobis eſt quid Lucas referat, dicens: Conue- Ad
ſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcede-
rent. Et poſt pauca: Videntibus illis eleuatus eſt,
& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorũ. Notate ue-
ba, ſignate myſteria. Conueſcens eleuatus eſt. Co
medit & aſcendit, ut uidelicet per effectum come
ſtionis, ueritas pateſceret carnis. Marcus uero pri
uſquam cœlum dominus aſcendat, eum de cordis
atq; infidelitatis duritia increpaſſe diſcipulos me-
morat. Qua in re quid conſiderandũ eſt, niſi quòd
idcirco dominus tunc diſcipulos increpauit, cùm
eos corporaliter reliquit, ut uerba quæ recedens
diceret, in corde audientium arctius impreſſa re-
manerent? Increpata igitur eorum duritia, quid
admonendo dicat, audiamus. Euntes in mun-
dum uniuerſum, prędicate Euangeliũ omni crea-
turæ.] Nunquid fratres mei, ſanctũ Euangelium
C uel inſenſatis rebus, uel brutis animalibus fuerat
prædicandum, ut de eo diſcipulis dicatur: Prædi-
cate omni creaturæ? Sed omnis creaturę nomine,
ſignatur homo. Sunt nanq; lapides, ſed nec uiuũt,
nec ſentiunt. Sunt herbę & arbuſta, uiuunt quidẽ,
ſed non ſentiunt. Viuunt dico, non per animam,
ſed per uiriditatem, quia & Paulus dicit: Inſipiẽs, tu
tu quod ſeminas, non uiuificatur, niſi prius moria
tur. Viuit ergo quod moritur, ut uiuificetur. Lapi-
des itaq; ſunt, ſed non uiuunt. Arbuſta etiam ſunt,
& uiuunt, ſed non ſentiunt. Bruta autem animalia
ſunt, uiuunt, ſentiunt, ſed non diſcernunt. Angeli
etenim ſunt, uiuunt, ſentiunt, & diſcernunt. Om-
nis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet
nanq; cõmune eſſe cum lapidibus, uiuere cum ar-
boribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum
angelis. Si ergo commune habet aliquid cum om
ni creatura homo, iuxta aliquid omnis creatura
eſt homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Euan-
gelium, cùm ſoli homini prædicatur: quia ille ui-
delicet docetur, propter quem in terra cuncta
creata ſunt, & à quo omnia per quandam ſimilitu
dinem aliena non ſunt. Poteſt etiam omnis creatu
ræ nomine, omnis natio gentium deſignari. Ante
etenim dictum fuerat: In uiam gentium ne abieri- Ma
tis. Nunc autem dicitur, Prædicate omni creatu-
ræ: ut ſcilicet prius à Iudæa Apoſtolorum repul-
ſa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret,
cùm hanc illa ad damnationis ſuæ teſtimonium,
ſuperba repuliſſet. Sed cùm diſcipulos ad prædi-
candũ ueritas mittit, quid aliud in mũdo facit, niſi

grana

grana seminis spargit? Et pauca grana mittit in semine, ut multarũ messium fruges recipiat ex nostra fide. Neq; etenim in uniuerso mundo tanta fidelium messis exurgeret, si de manu domini super rationalem terram illa electa grana prædicantium non uenissent. Sequitur: Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur.] Fortasse unusquisq; apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod uerbis dicit, moribus nõ cõtradicit. Hinc est enim quòd de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse deum, factis autem negant. Hinc Ioannes ait: Qui dicit se nosse deum: & mandata eius nõ custodit, mendax est. Quod cùm ita sit, fidei nostræ ueritatem in uitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tũc enim ueraciter fideles sumus: si quod uerbis promittimus, operibus complemus. In die quippe baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus, atq; omnibus pompis abrenũciare promisimus. Itaq; unusquisq; uestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat: & si seruat post baptismum quod ante baptismum spopondit, certus iam quia fidelis est, gaudeat. Sed ecce si quod promisit, minimè seruauit: si ad exercenda praua opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsus est: uideamus si iam scit plangere quod errauit. Apud misericordem nanque iudicem nec ille fallax habetur, qui ad ueritatem reuertitur, etiam postquàm mentitur: quia omnipotens deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod erraumus abscondit. Sequitur:

Signa autem eos qui crediturí sunt, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollẽt: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.] Nũquid nam fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbusta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse uideamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quòd Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Habemus de his signis atq; uirtutibus quæ adhuc subtilius considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes eius cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt: quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt? Et fideles quique qui iam uitæ ueteris secularia uerba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes et potentiam quantum præualent narrãt: quid aliud faciunt, nisi nouis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minime pertrahuntur: mortiferum quidem est quod bibunt, sed nõ eis nocebit. Qui quotiens proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota uirtute concurrũt, & exemplo suæ operationis illorum uitam roborant, qui in propria actione titubant: quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponũt ut bene habeant? Quæ nimirum miracula tanto maiora sunt, quanto spiritalia: tanto maiora sunt, quanto per hęc nõ corpora, sed animæ suscitantur. Hæc itaque signa fratres chariſſimi authore deo si uultis uos facitis. Ex illis enim exterioribus signis obtineri uita ab hæc operantibus non ualet. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt. Hæc uerò spiritalia quæ aguntur in mente, uirtutem uitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere et mali possunt: istis autem perfrui nisi boni non possunt. Vnde de quibusdam ueritas dicit: Multi mihi dicent in die illa: Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus: & in nomine tuo dæmonia eiecimus: & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non noui uos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Nolite ergo fratres chariſſimi amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia: sed hæc quæ modo diximus, charitatis atq; pietatis miracula amate: quæ tanto securiora sunt, quanto & occulta: & de quibus apud dominum eo maior fit retributio, quo apud homines minor est gloria. Sequitur: Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris dei.] In ueteri testamento cognouimus, quòd Helias sit raptus in cœlum. Sed aliud est cœlum aereum, aliud æthereũ. Cœlum quippe aereum terræ est proximum. Vnde & aues cœli dicimus: quia eas uolitare in aere uidemus. In cœlum itaq; aereum Helias subleuatus est: ut in secretam quandam terræ regionẽ repentè duceretur: ubi in magna iam carnis & spiritus quiete uiueret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Ille etenim mortem distulit, non euasit. Redemptor autem noster quia non distulit, superauit: eamq; resurgendo cõsumpsit & resurrectionis suæ gloriam ascendendo declarauit. Notandum quoq; est quòd Helias in curru legitur ascendisse: ut uidelicet apertè demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per angelos quippe facta illa & ostensa sunt adiumenta: quia nec in cœlum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noster non curru, non angelis subleuatus legitur: quia is qui fecerat omnia nimirum super omnia sua uirtute ferebatur. Illò etenim reuertebatur, ubi erat: & inde redibat, ubi remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cœlum, per diuinitatem suam & terram pariter continebat & cœlum. Sicut autem Ioseph à fratribus uenditus, uenditionem redemptoris nostri figurauit: sic Enoch translatus, atque ad cœlum aereum Helias sub-

Addit. 1. Ioan. 2

Miracula sanctitatem ostendunt, sed non faciunt.

Mat. 7

Psal. 6

Miracula fuerãt in exordio Ecclesiæ necessaria.

1. Cor. 14

4. Reg. 2

Gen. 37

Gen. 5

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſubleuatus,aſcenſionem dominicam uterq; deſig nauit. Aſcenſionis ergo ſuæ dominus prænũcios et teſtes habuit,unum ante legem,alium ſub lege, ut quãdoq; ueniret ipſe qui ueraciter cœlos penetrare potuiſſet. Vnde & ipſe ordo in eorum quoque utrorumq; ſubleuatione per quædam incrementa diſtinguitur.Nam Enoch translatus,Helias uerò ad cœlum ſubuectus eſſe memoratur:ut ueniret poſtmodum qui nec trãslatus, ſubuectus, cœlum æthereum ſua uirtute penetraret. Qui nobis in ſe credentibus quia carnis ſuæ quoq; munditiam largiretur, & ſub eo per incrementa temporum,uirtus caſtitatis excreſceret, in ipſa quoq; eorum translatione, qui aſcẽſionem dominicam ut uidelicet famuli deſignauerunt, & in ſeipſo qui ad cœlum aſcendit, dominus oſtendit. Nam Enoch quidem uxorem & filios habuit. Helias uerò neq; uxorem,neq; filios legitur habuiſſe.Penſate ergo quomodo per incrementa temporum creuerit munditia ſanctitatis:quod & per translatos famulos,& per aſcendentis domini perſonam patenter oſtenditur. Translatus nanq; eſt Enoch & per coitum genitus,& per coitum generans. Raptus eſt Helias per coitũ genitus,ſed non iam per coitum generans, neq; per coitum generans,neq; per coitum generatus.Conſiderandũ uerò nobis eſt,quid eſt quod Marcus ait: Sedet à dextris dei: & Stephanus dicit: Video cœlos apertos,& filium hominis ſtantem à dextris dei.Quid eſt quod hunc Marcus ſedentem:Stephanus uerò ſtantẽ ſe uidere teſtatur? Sed ſcitis fratres quia ſedere iudicãtis eſt: ſtare uerò pugnantis uel adiuuãtis.Quia ergo redemptor noſter aſſumptus in cœlum, & nunc omnia iudicat,& ad extremum iudex omnium ueniet: hunc poſt aſſumptionem Marcus ſedere deſcribit:quia poſt aſcenſionis ſuæ gloriam,iudex in fine uidebitur.Stephanus uerò hunc in labore certaminis poſitus,ſtantem uidit,quem adiutorem habuit: quia ut iſte in terra perſecutorum infidelitatem uinceret,pro illo de cœlo illius gratia pugnauit. Sequitur. Illi autem profecti prædicauerunt ubiq; domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.] Quid in his conſiderandũ eſt: quid memoriæ commendandum: niſi quòd præceptum obedientia,obedientiam uerò ſigna ſecuta ſunt? Sed quia authore deo breuiter lectionem Euangelicam exponẽdo tranſcurrimus : reſtat ut aliquid de ipſa tantæ conſideratione ſolennitatis dicamus.Hoc autem nobis primũ quærendũ eſt: quidnam ſit quòd nato domino apparuerunt angeli:& tamen nõ leguntur in albis ueſtibus apparuiſſe:aſcendẽte autem domino,miſſi angeli in albis leguntur ueſtibus apparuiſſe. Sic etenim ſcriptum eſt: Videntibus illis eleuatus eſt:et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.Cunq; intuerentur in cœlum euntem illum,ecce duo uiri ſteterũt iuxta illos in ueſtibus albis.In albis autem ueſtibus gaudium & ſolennitas mentis oſtenditur. Quid eſt ergo quòd nato domino,non in albis ueſtibus: aſcẽdẽte autem domino,in albis ueſtibus angeli apparent:niſi quòd tunc magna ſolẽnitas angelis facta eſt:cùm cœlũ deus homo penetrauit? quia naſcente domino, uidebatur diuinitas humiliata: aſcendente uerò domino, eſt humanitas exaltata.Albæ etenim ueſtes, exaltationi magis congruũt quàm humiliationi.In aſcenſione ergo eius angeli in albis ueſtibus uideri debuerunt:quia qui in natiuitate ſua apparuit deus humilis,in aſcenſione ſua oſtenſus eſt homo ſublimis. Sed hoc nobis magnopere fratres chariſſimi in hac ſolẽnitate penſandũ eſt:quia deletum eſt hodierna die chirographum dãnationis noſtræ:mutata eſt ſententia corruptionis noſtræ.Illa enim natura cui dictũ eſt, Terra es, Gen. & in terram ibis,hodie in cœlum iuit.Pro hac ipſa nanq; carnis noſtræ ſubleuatione per figurã beatus Iob dominum auem uocat. Quia enim aſcenſionis eius myſterium Iudæam non intelligere eõ ſpexit:de infidelitate eius per figuram beatus Iob ſententiã protulit,dicẽs:Semitam ignorauit auis. Iob. Auis enim rectè appellatus eſt dominus:quia corpus carneum ad æthera librauit.Cuius auis ſemitam ignorauit quiſquis eum ad cœlum aſcendiſſe non credidit.De hac ſolennitate per Pſalmiſtã dicitur : Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. Pſal. De hac rurſus ait:Aſcendit deus in iubilatione:& Pſal. dominus in uoce tubæ.De hac iterum dicit:Aſcẽdens in altum,captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus.Aſcendens quippe in altum,captiuam duxit captiuitatẽ:quia corruptionem noſtrã uirtute ſuæ incorruptionis abſorbuit. Dedit uerò dona hominibus : quia miſſo deſuper ſpiritu, alij ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, alij gratiam uirtutũ,alij gratiam curationũ,alij genera linguarum, alij interpretationẽ tribuit ſermonũ. Dedit ergo dona hominibus dum per huius gratiam eorũ uirtus in mundũ excreuit.De hac aſcenſionis eius gloria etiam Abacuch ait:Eleuatus eſt Hab. Sol, & luna ſtetit in ordine ſuo. Quis enim Solis nomine niſi dominus,& quę lunę nomine niſi Eccleſia deſignatur? Quouſq; enim dominus aſcẽdit ad cœlos,ſancta eius Eccleſia aduerſa mundi omnimodo formidauit. At poſtquàm eius aſcẽſione roborata eſt:apertè prędicauit,quid occultè credidit. Eleuatus eſt ergo Sol, & luna ſtetit in ordine ſuo:quia cùm dominus cœlum petijt, ſancta eius Eccleſia in authoritate prædicationis excreuit. Hinc eiuſdem Eccleſiæ uoce per Salomonẽ dicitur:Ecce iſte uenit ſaliens in mõtibus,& tranſiliẽs colles. Conſiderauit nãq; tantorum operũ culmina,et ait:Ecce iſte uenit ſaliens in mõtibus. Veniẽdo quippe ad redemptionem noſtram,quoſdam, ut ita dicam ſaltus dedit. Vultis fratres chariſſimi ipſos eius ſaltus agnoſcere? De cœlo uenit in uterum , de utero uenit in præſepe : de præſepe uenit in crucem:de cruce uenit in ſepulchrum: de ſepulchro redijt in cœlum. Ecce ut nos poſt ſe currere faceret, quoſdam pro nobis ſaltus manifeſtata per carnem ueritas dedit : quia exultauit ut gigas ad currendam uiam ſuam : ut nos ei diceremus ex corde : Trahe nos poſt te : curremus in odore unguentorum tuorum. Vnde fratres chariſſimi

Aſcenſionis ſuæ dominus prænũcios habuit.

Mar.16 Act.7

Redemptor quare deſcribitur ſedẽs à Marco: quem tamẽ ſtãtem Stephanus teſtatus eſt.

Act.1

mi oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum corpore ascēdisse credimus. Desideria terrena fugiamus: nihil nos iā delectet in infimis, qui patrē habemus in cœlis. Et hoc nobis est magnopere perpendendum: quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit: & quicquid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc à nobis cum districtione exiget. Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora paruipendat: nemo curam sui dū ualet agere, negligat: quia redemptor noster tanto tunc in iudicium districtior veniet: quanto nobis ante iudicium magnā patientiam prærogauit. Hæc itaq; uobiscum fratres agite: hæc in mente sedula cogitatione uersate. Quamuis adhuc rerum perturbationibus animus fluctuet: iam tamen spei uestræ anchoram in æternam patriam figite, intentionem mentis in uera luce solidate. Ecce ad cœlum ascendisse dominum audiuimus. Hoc ergo seruemus in meditatiōe, quod credimus. Et si adhuc hic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamē eum passibus amoris. Non autem deserit desiderium nostrum ipse qui dedit Iesus Christus dominus noster: qui uiuit & regnat cum deo patre in unitate spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Lectio sancti euangelij secundum Ioannem.

Ioan. 14

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & māsionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonē quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris. Hæc locutus sum uobis apud uos mānens. Paracletus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia: & suggeret uobis omnia quæcunq; dixero uobis. Pacem relinquo uobis: pacem meam do uobis. Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor uestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi uobis: uado & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utiq; quia uado ad patrem: quia pater maior me est. Et nunc dixi uobis priusquam fiat: ut cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica sancti Petri, die sancto pēthecostes.

Homilia xxx

LIbet fratres charissimi Euangelicæ uerba lectionis sub breuitate trāscurrere, ut pòst diutius liceat in contemplatione tantæ solennitatis immorari. Hodie nanq; spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos uenit, mētesq; carnalium in sui amorem permutauit. Et foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia: quia dum deum in ignis uisione susceperunt, per amorem suauiter arserunt. Ipse nanq; spiritus sanctus amor est. Vnde & Ioannes dicit: Deus charitas est. Qui ergo mente integra deum desiderat, profectò iam habet quem amat. Necq; enim quisquam posset deum diligere, si eum quem diligit, non haberet. Sed ecce si unusquisq; uestrûm requiratur, an diligat deum: tota fiducia & secura mente respondet, diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis quid ueritas dicit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.] Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in Epistola sua idem Ioannes dicit: Qui dicit, diligo deū, & mandata eius non custodit, mendax est. Verè enim diligimus, si ad mandata eius à nostris nos uoluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò deū nō amat: quia ei in sua uoluntate contradicit. Et pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, et mansionē apud eum faciemus.] Pensate fratres charissimi, quanta sit ista dignitas, habere in cordis hospitio aduētum dei. Certè si domum nostram quisquam dines aut præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset quod oculos amici intrātis offenderet. Tergat ergo sordes praui operis, qui deo præparat domum mentis. Sed uidete quid ueritas dicat: Veniemus, & mansionem apud eum faciemus.] In quorundam etenim corda uenit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidem dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant, obliuiscuntur, sicq; ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Qui ergo deum uerè diligit, qui eius mandata custodit, in eius corde dominus & uenit, & mansionem facit: quia sic eum diuinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore, tentationis tempore non recedat. Ille ergo uerè amat, cuius uidelicet mentem delectatio praua ex cōsensu non superat. Nam tanto quisque à superno amore dissungitur, quanto inferius delectatur. Vnde & adhuc subditur: Qui non diligit me, sermones meos non seruat.] Ad uosmetipsos ergo fratres charissimi introrsus redite, si deum uerè amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quicquid sibi animus sine operis attestatione respōderit. De dilectione conditoris, lingua, mens, & uita requirantur. Nunquam est dei amor ociosus.

Domū mentis præparet, qui dominum dignè recipere uolet

Opera-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Operatur etenim magna, si est: si uerò operari re-
nuit, amor non est. Et sermonem meum quem
audistis, non est meus, sed eius qui misit me pa-
tris.] Scitis fratres charissimi quia ipse qui loqui-
tur unigenitus filius, uerbum patris est: & ideo ser
mo quē loquitur filius, non est filij, sed patris, quia
ipse filius uerbum est patris. Hæc locutus sum
uobis apud uos manens.] Quando non maneret
apud eos, qui ascensurus cœlum promittit dicēs:
Mat.28 Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad
consummationē seculi? Sed uerbum incarnatum
& manet & recedit. Recedit corpore, manet diui
nitate. Apud eos ergo tunc se mansisse perhibet:
quia qui inuisibili semper potestate præsens erat,
corporali iam uisione recedebat. Paracletus aūt
spiritussanctus quē mittet pater in nomine meo,
ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia
quæcunq; dixero uobis.] Nostis plurimi fratres
mei, ꝙ Græca locutione paracletus, Latina aduo-
catus dicitur, uel consolator. Qui idcirco aduoca-
tus dicit̄: quia pro errore delinquentiū apud iusti
tiam patris interuenit. Qui unius substantiæ cum
patre & filio, exorare pro delinquētibus perhibe-
tur, quia eos quos repleuerit, exorātes facit. Vnde
& Paulus dicit: Ipse enim spiritus postulat pro no
Rom.8 bis, gemitibus inenarrabilibus. Sed diceret quis:
Minor est qui postulat ꝙ qui postulat̄, quomodo
ergo spiritus postulare dicitur, qui minor non est?
Sed ipse spiritus postulat: quia ad postulandū eos
quos repleuerit, inflāmat. Consolator aūt idē spiri
tus uocatur: quia de peccati perpetratione mœrē-
tibus, dum spē ueniæ pręparat, ab afflictione tristi
tiæ mentem leuat. De quo rectè promittit̄: Ipse
uos docebit omnia,] quia nisi idem spiritus cordi
assit audientis, ociosus est sermo doctoris. Nemo
ergo docēti homini tribuat, quod ex ore docentis
intelligit: quia nisi int⁹ sit qui doceat, doctoris lin
gua exterius in uacuū laborat. Ecce unam loquen
tis uocem, omnes pariter auditis, nec tamen pari-
ter sensum auditæ uocis percipitis. Cùm ergo uox
dispar non sit, cur in cordibus uestris dispar est
uocis intelligentia, nisi quia per hoc quod uox lo-
quentis communiter admonet, est magister inte-
rior, qui de uocis intelligentia quosdam speciali-
ter docet? De hac unctione spiritus rursus per Io-
1.Ioan.2 annem dicitur: Sicut unctio eius docet uos de om
nibus. Per uocem ergo non instruit̄, quando mēs
per spiritū nō ungitur. Sed cur ista de doctrina ho
minū loquimur, quando & ipse cōditor nō ad eru
ditionē hominis loquit̄, si eidē homini per unctio
nem spiritus non loquatur? Certè Cain priusquā
Gen.4 fratricidium opere perpetraret, audiuit: Peccasti,
quiesce. Sed quia culpis suis exigentibus, uoce est
admonitus, nō unctione spiritus, audire uerba dei
potuit, sed seruare contempsit. Requirendū uerò
nobis est, cur de eodē spiritu dicatur: Suggeret uo
bis omnia, cū suggerere soleat esse minoris? Sed
quia suggerere aliquādo dicimus subministrare,
inuisibilis spiritus suggerere dicit̄, nō quòd nobis
scientiā ab imo inferat, sed ab occulto. Pacē re-
linquo uobis, pacē meā do uobis.] Hic relinquo,

illic do. Sequentibus relinquo, peruenientibus do.
Ecce fratres charissimi, uerba sacræ lectionis sub
breuitate discussimus: nunc in contemplationem
tantæ festiuitatis animū transferamus. Sed quia
cum lectione Euangelica uobis est etiam actuum
Apostolorum lectio recitata, ex ea ergo aliquid
in usum nostræ contemplationis trahamus. Audi Act.
stis etenim quia spiritussanctus super discipulos
in igneis linguis apparuit, omniumq; linguarum
scientiam dedit. Quid scilicet hoc miraculo desig
nans, nisi quod sancta Ecclesia eodem spiritu re-
pleta, omnium gentium erat uoce locutura? Qui Gen.
uerò contra deum turrim ędificare conati sunt, cō
munionē unius linguæ perdiderunt. In his aūt qui
deum humiliter metuebāt, linguæ oēs unitæ sunt.
Hic ergo humilitas uirtutē meruit, illic superbia
cōfusionem. Sed quærendū est nobis fratres dile-
ctissimi, cur spiritussanctus patri & filio coæter- Spes
nus, in igne apparuit, cur in igne simul & linguis, cha
cur aliquando in columba, aliquando uerò in ig- fide
ne mōstratur, cur super unigenitū filium apparuit figu
in columbæ specie, & super discipulos in igne: in par
ut neq; super dominū ueniret in igne, neq; super uz.
discipulos mōstraretur in columba. Per quatuor
itaq; hæc quæ proposuimus, soluendo redeamus.
Patri nanq; & filio coæternus spiritus in igne mō
strat̄: quia incorporeus, ineffabilis, atq; inuisibilis
ignis est deus, attestante Paulo: Deus noster ignis Hebr.
cōsumens est. Deus quippe ignis dicitur, quia per
hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc ig
ne ueritas dicit: Ignem ueni mittere in terram: & Luc.
quid uolo nisi ut ardeat? Terra enim uocata sunt
corda terrena, quæ dum semper infimas in se cogi
tationes congerunt, à malignis spiritibus concul-
cantur. Sed ignem dominus in terram mittit, cùm
afflatu sancti spiritus corda carnalium incēdit. Et
terra ardet, cùm cor carnale in suis prauis uolupta
tibus frigidum, relinquit concupiscentias præsen
tis seculi, & incēditur ad amorē dei. Bene ergo in
igne apparuit spiritus: quia ab omni corde quod
replet, torporē frigoris excutit, & hoc in desideri
um suæ æternitatis accendit. In igneis aūt linguis
monstratus est: quia idem spiritus coæternus est fi
lio, & habet cognationem maximam lingua cum
uerbo. Verbū quippe patris est filius. Et quia una
est spiritus & uerbi substantia, idem spiritus mon-
strari debuit in lingua. Vel certè quia per linguā
procedit uerbum, in lingua apparuit spiritus: quia
quisquis sancto spiritu tangitur, dei uerbū, id est,
unigenitum dei filium cōfitetur: & negare dei uer
bum non ualet, quia iam sancti spiritus linguā ha-
bet. Vel certè in linguis igneis apparuit spiritus:
quia oēs quos repleuerit, ardētes pariter & loquē
tes facit. Linguas igneas doctores habēt: quia dū
deum amandū prædicant, corda audientiū inflam
mant. Nam & ociosus est sermo doctoris, si prębe
re non ualet incendiū amoris. Hoc doctrinæ incē
dium ab ipso ueritatis ore cōceperāt, qui dicebāt:
Nonne cor nostrū ardēs erat in nobis, cùm loque
retur in uia, & aperiret nobis scripturas? Ex audi-
to quippe sermone inardescit animus, torporis

frigus

frigus recedit, sit mẽs in superno desiderio anxia, A à concupiscentijs terrenis aliena. Amor uerus qui hanc repleuerit, fletibus cruciat, sed dum̃ tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur. Audire ei libet præcepta cœlestia, & quot mãdatis instruitur, quali tor facibus inflammatur, & quæ torpebat prius per desideria, ardet postmodum per uer
Deut.33 ba. Vnde bene per Moysen dicitur: In dextera eius ignea lex. In sinistra quippe reprobi, qui & ad sinistram ponendi sunt. Dextera autem dei appellãtur electi. In dextera ergo dei, ignea lex est: quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. Sermo ad aurem ducitur, & mens eorum sibimet irata, ex internæ dulcedinis flamma con-
Spiritussan ctus quos repler, simplices facit, & ardentes. Mat.10 crematur. In columba uerò spiritussanctus & in B igne monstratus est: quia omnes quos repleuerit, simplices & ardentes facit. Simplices puritate, ardẽtes æmulatione. Neq; enim placere deo aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate potest. Hinc ipsa ueritas dicit: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Qua in re notandum est quod discipulos suos nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba uoluit dominus admonere: quatenus & colũbæ simplicitatem astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiam columbæ simplicitas tẽperaret. Hinc
1.Cor.14 Paulus ait: Nolite pueri effici sensibus. Ecce prudentiam serpentis audiuimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur. Sed malitia paruuli esto-
Iob 1 te. Hinc de beato Iob dicitur: Erat uir simplex & C rectus. Quæ est autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ simplicitas sine rectitudine? Quia ergo & rectitudinem docet iste spiritus, & simplicitatem, & in igne monstrari debuit, & in columba: quatenus omne cor quod eius gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ accensum fiat. Ad extremum uerò quærendum est, cur in ipso redemptore nostro, mediatore dei & hominum, per columbam apparuit, in discipulis uerò per ignem? Certè unigenitus dei filius, iudex est generis humani. Sed quis eius iustitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare uoluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit. Noluit pec- D catores ferire, sed colligere. Prius uoluit mansuetè corripere, ut haberet quos postmodum in iudicio saluaret. In columba ergo super eũ apparere debuit spiritus, qui non ueniebat ut peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contrà super discipulos in igne debuit spiritussanctus demonstrari, ut hi qui erãt simpliciter homines, atq; ideo peccatores, eos cõtra semetipsos spiritalis feruor accenderet: & peccata quibus deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent. Nec ipsi quippe esse poterant sine peccato, qui adhærebant cœ
1.Ioan.1 lesti magisterio, Ioanne attestante, qui ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & ueritas in nobis nõ est. In igne ergo uenit in hominibus, in columba uerò apparuit in domino: quia peccata nostra quæ pie dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus cautè conspicere, & ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbã spiritus in redẽptore monstratus est, per ignẽ uerò in hominibus: quia quãto nobis nostri iudicis facta est seueritas tẽperata, tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensa. Quatuor itaq; propositionum expleta ratione, ad dona eiusdem spiritus cõtemplanda transeamus. De isto quippe spiritu scri Iob 26
ptũ est: Spiritus eius ornauit cœlos. Ornamẽta enim cœlorũ, sunt uirtutes prædicantiũ. Quæ uide licet ornamẽta Paulus enumerat, dicẽs: Alij datur 1.Cor.12
per spiritũ sermo sapientiæ, alij sermo sciẽtiæ secũ Spirituſſãcti dona uaria ſunt.
dum eundem spiritũ, alteri fides in eodẽ spiritu, alij gratia sanitatũ in uno spiritu, alij operatio uirtutũ, alij prophetia, alij discretio spirituũ, alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonũ. Hæc aũt omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Quot ergo sunt bona prædicantiũ, tot sunt ornamẽta cœlorũ. Hinc rursus scriptũ Psal.32
est: Verbo domini cœli firmati sunt, &c. Verbum eẽ domini, filius est patris. Sed eosdẽ cœlos, uidelicet sanctos Apostolos, ut tota simul sancta trinitas ostendat operata, repẽtè de sancti spiritus diuinitate adiungit: Et spiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Cœlorum ergo uirtus de spiritu sumpta est: quia mũdi huius potestatibus cõtraire non præsumerent, nisi eos sancti spiritus fortitudo solidasset. Quales nanq; doctores sanctæ Ecclesiæ, ante aduentũ huius spiritus fuerint, scimus: & post aduentũ illius, cuius fortitudinis facti sint, cõspicimus. Certè iste ipse pastor Ecclesię, ad cui⁹ sacratissimũ corpus sedemus, quãtæ debilitatis, quãtæq; formidinis ante aduẽtum spiritus fuerit, ancilla ostiaria Mat.26
requisita dicat. Vna eẽ mulieris uoce percussus, Luc.24
dum mori timuit, uitã negauit. Et pensandũ quia eum cõprehensum Petrus negauit in terra, quẽ suspensum latro cõfessus est in cruce. Sed uir iste tantæ formidinis, qualis post aduentum spiritus existat, audiamus. Fit conuentus magistratus atq; seniorum, cæsis denunciatur Apostolis, ne in nomine Iesu loqui debeant. Petrus magna authoritate Act.5
respondet: Obedire oportet deo, magis quàm hominibus. Et rursus: Si iustum est in conspectu dei uos potius audire q̃ deũ, iudicate. Non enim possumus quæ uidimus et audiuimus, non loqui. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ecce gaudet Petrus in uerberibus, qui antè in uerbis timebat. Et qui prius ancillę uocem requisitus timuit, post aduentum sancti spiritus, uires principum cæsus premit. Libet oculos fidei in uirtutem opificis huius attollere, atq; sparsim patres testamẽti noui ac ueteris considerare. Ecce apertis eisdem oculis fidei, Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus iste spiritus qualis sit artifex, considerare uolo, sed in ipsa mea cõsideratione deficio. Implet nanque citharœdum puerum, & Psalmistam 1.Reg.16
facit

facit. Implet pastorem armentariũ sycomoros uel
Amos 7 licantem, et prophetam facit. Implet abstinentem
Dan. 13 puerum, & iudicem senum facit. Implet piscato-
Mat. 4 rem, & prędicatorem facit. Implet persecutorem,
Act. 9 & doctorem gentium facit. Implet publicanum,
Luc. 5 & Euangelistam facit. O qualis est artifex iste spiritus, nulla ad discendũ mora agit in omne quod uoluerit. Mox enim ut tetigerit, mentem docet: solumq; tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subitò ut illustrat, immutat: abnegat hoc repentè quod erat, exhibet repentè quod non erat. Pensemus, sanctos prædicatores nostros quales hodierna die reperit, quales fecit, Certè qui in uno conclaui pro Iudæorum metu residebant, nati uitatis suæ singuli linguam nouerãt, & tamen nec ea ipsa lingua quam nouerant, aperte Christum loqui præsumebant. Venit spiritus, et in ore eos per diuersitatem linguarum docuit, in mente autẽ ex authoritate roborauit. Cœperũt & in aliena Christum eloqui, qui de illo prius & in sua lingua loqui metuebant. Inflammatum etenim cor despexit tormenta corporis, quæ antè metuebat. Vicit uim carnalis formidinis præ amore conditoris. Et qui prius suis aduersarijs succumbebant formidine, eis iam præerant authoritate. Qui ergo in tãtæ eos celsitudinis culmẽ erexit, quid aliud dixerim, nisi quod mẽtes terrenorum hominum cœlos fecit? Pẽsate fratres charissimi, post incarnationem unigeniti filij dei qualis sit hodierna solennitas de aduẽtu spiritus sancti. Sicut enim illa, ita quoq; & hæc est honorabilis. In illa quippe deus in se permanens suscepit hominem, in ista uerò homines uenientem desuper susceperũt deum. In illa deus naturaliter factus est homo, in ista homines facti sunt per adoptionem dij. Si ergo remanere carnales in morte nolumus, hunc fratres charissimi uiuificantem spiritum amemus. Sed quia caro spiritum nescit, dicat fortasse carnali cogitatione apud se aliquis: Quomodo diligere ualeo, quem ignoro? Hoc & nos cõcedimus: quia mens uisibilibus intenta, uidere nescit inuisibilem. Nulla enim nisi uisibilia cogitat, eaq; & cùm non agit, eorum imagines introrsus trahit, dumq; in imaginibus corporis iacet, surgere ad incorporea non ualet. Vnde fit, ut tanto deterius creatorem nesciat, quanto in cogitatione sua familiarius corpoream creaturam portat. Sed cùm deum uidere non possumus, habemus aliquid quod agamus unde iter fiat, quo ad eum nostræ intelligentiæ oculis ueniat. Certè quem in se uidere nullo modo ualemus, hunc in seruis suis uidere iam possumus. Quos dum mira conspicimus agere, certum nobis fit, in eorũ mentibus deum habitare. In re autem incorporea à rebus corporalibus usum trahamus. Nemo etenim nostrum orientem clarè solem in spheram illius intendendo ualet conspicere: quia tensi in eius radijs oculi reuerberantur. Sed sole illustratos montes aspicimus, & quia iam Sol ortus est, uidemus. Quia ergo solem iustitiæ in seipso uidere nõ possumus: illustratos mõtes claritate illius uideamus, sanctos uidelicet Apostolos, qui uirtutibus emicant, miraculis coruscant, quos nati solis claritas perfudit, & cùm in seipso sit inuisibilis, per eos nobis quasi per illustratos montes se uisibilem præbuit. Virtus enim diuinitatis in se, quasi sol in cœlo est. Virtus diuinitatis in hominibus, sol in terra. Solem ergo iustitiæ intueamur in terra, quẽ uidere non possumus in cœlo, ut dum inoffenso pede per hunc in terra gradimur, ad intuẽdum illum quandoq; oculos et in cœlum leuemus. Sed inoffenso pede iter nostrum in terra agitur, si deus ac proximus integra mẽte diligatur. Nec enim deus uerè sine proximo, nec proximus uerè diligitur sine deo. Hinc est quod, sicut in alio sermone iam diximus, idem spiritus secundò legitur discipulis datus, prius à domino in terra degente, postmodum à domino cœlo præsidente. In terra quippe datur, ut diligat proximus, è cœlo uerò ut diligat deus. Sed cur prius in terra, postmodum è cœlo, nisi quod patenter datur intelligi: quia iuxta Ioannis uocem, qui fratrem suum non diligit quem uidet, deum quem non uidet, quomodo potest diligere? Diligamus ergo proximũ fratres, amemus eum qui iuxta nos est, ut peruenire ualeamus ad amorem illius qui super nos est. Meditetur mens in proximo quod exhibeat deo, ut perfectè mereamur in deo gaudere cum proximo. Tunc ad illam supernæ frequentiæ lætitiam peruenimus, de qua nũc sancti spiritus pignus accepimus. Ad istũ finem toto amore tendamur, in quo sine fine lætabimur. Ibi supernorum ciuium societas sancta. Ibi solennitas certa. Ibi requies secura. Ibi pax uera, quæ nobis iam non relinquitur, sed datur per dominum Iesum Christum.

Solem rectè inspicere nemo ualet.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tẽpore. Dicebat Iesus turbis similitudinem hãc. Arborem fici habebat quidam plãtatam in uinea sua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres sunt ex quo uenio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam. Vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dixit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usq; dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et si quidem fecerit fructũ: sinautem, in futurum succides eam: Erat autẽ docens in synagoga eorũ sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cùm uideret Iesus, uocauit eã ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & cõfestim erecta est, & glorificabat deum. Respondens autem archisynagogus

nagogus, indignãs quia sabbato curasset le sus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo uenite & curamini, & non in die sabbati. Respondens autem ad illũ Iesus dixit: Hypocritę, unusquisque uestrum sabbato nõ soluit bouẽ suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahę quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, nónne oportuit solui à uinculo isto die sabbati? Et cùm hæc diceret, erubescebãt omnes aduersarij eius. Et omnis populus gaudebat in uniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica sancti Laurẽtij martyris, Sabbato quatuor temporum.

Homilia xxxi

DOminus ac redemptor noster per Euangelium suum aliquando uerbis, aliquando rebus loquitur: aliquando aliud uerbis, atq; aliud rebus: aliquando autem hoc uerbis, quod rebus. Duas etenim res ex Euangelio fratres audistis, ficulneam infructuosam, & mulierem curuam, & utriq; rei est pietas impensa. Illud autem dixit per similitudinem, istud egit per exhibitionem. Sed hoc significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata: & hoc ficulnea reseruata, quod mulier erecta. Dominus uineę tertiò uenit ad ficulneam, & fructum minimè inuenit: & mulier quæ erecta est, decem & octo annis fuerat curua. Hoc aũt decem & octo annorum numero signatur, quòd tertiò dominus uineæ ad ficulneam infructuosam uenisse perhibetur. Quia ergo præmittendo summatim totum perstrinximus, iam per lectionis ordinem singula differamus. Arborem fici habebat quidam plantatam in uinea sua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit.] Quid arbor fici, nisi humanam naturam designat? Quid mulier inclinata, nisi eandem naturam significando denunciat? Quæ & bene plantata est sicut ficus, & bene creata sicut mulier, sed in culpam propria sponte lapsa, neque fructum seruat operationis, neq; statum rectitudinis. Ad peccatum quippe ex uoluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Quæ ad dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit, quod plantata uel creata fuerat, seruare contempsit. Tertiò dominus uineæ ad ficulneam uenit: quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, uisitando requisiuit. Dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres sunt ex quo uenio fructum quærens in ficulnea hac, & non inuenio.] Venit ante legem: quia per naturalem intellectum quid unusquisq; exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege: quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam: quia

Dominus uenit ante legẽ, in lege, et post legem.

pietatis suæ præsentiam exhibendo monstrauit. Sed tamen in tribus annis fructum se non inuenisse conqueritur: quia quorundam prauorũ mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis eius miracula conuertunt. Quid uerò per cultorem uineæ, nisi præpositorum ordo exprimitur? Qui dum præsunt Ecclesiæ, nimirum dominicæ uineæ curam gerũt. Huius enim uineæ primus cultor Petrus Apostolus extitit. Hunc nos indigni sequimur, inquantum pro eruditione uestra, docẽdo, deprecando, increpando laboramus. Sed cum magno iam timore audiendum est, quod cultori uineæ de infructuosa arbore dicitur: Succide eam, ut quid etiam terram occupat?] Vnusquisque iuxta modum suum, in quantum locum uitæ præsentis tenet, si fructum bonæ operationis non exhibet, ue lut infructuosa arbor terram occupat: quia in eo loco in quo ipse est, & alijs operandi occasionem negat. Sed in hoc seculo potẽs quilibet si fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præstat cæteris: quia quicunq; sub ipso sunt, exemplo prauitatis illius, quasi umbra peruersitatis eius premuntur. Stat desuper arbor infructuosa, & subter terra sterilis iacet. Infructuosę arboris desuper umbra dẽsatur, & solis radius ad terram descendere nequaquam permittitur: quia dũ sub iecti quilibet, patroni peruersi peruersa exempla conspiciunt, ipsi quoq; infructuosi remanẽtes, ueritatis lumine priuãtur. Et pressi umbra, calorem solis non accipiunt: quia inde remanent à deo frigidi, unde in hoc seculo malè proteguntur. Sed de hoc peruerso quolibet & potẽte, penè iam requisitio deo non est. Postquàm enim se perdidit, quærendum solũmodo est, cur & alios premat. Vnde bene eiusdẽ uineæ dominus dicit: Vt quid etiam terram occupat? Terram quippe occupat, qui mẽtes alienas grauat. Terrã occupat, qui locũ quem tenet, in bonis operibus non exercet. Sed tamen nostrũ est pro talibus deprecari. Nã cultor uineæ quid dicat, audiamus. Domine, dimitte illam & hoc anno, usq; dum fodiam circa illam.] Quid est circa ficulneã fodere, nisi infructuosas mentes increpare? Omnis quippe fossa in imo est. Et nimirũ increpatio dũ mentẽ sibi demonstrat, humiliat. Quoties ergo aliquẽ de peccato suo corripimus, quasi ex culturæ debito circa infructuosam arborẽ fodimus. Post fossionẽ uerò quid dicat, audiamus. Et mittã cophinũ stercoris.] Quid est cophinus stercoris, nisi memoria peccatorũ? Peccata etenim carnis, stercora uocantur. Vnde & per prophetã dicitur: Computruerunt iumẽta in stercore suo. Iumenta quippe in stercore suo cõputrescere, est carnales quosq; in fœtore luxuriæ uitam finire. Nos itaq; quoties carnalẽ mentem de suis peccatis increpamus, quoties ad eius memoriam uitia anteacta reducimus, quasi infructuosæ arbori cophinũ stercoris uersamus: ut malorũ quæ egit, memoriã recolat, & ad cõpunctionis gratiam quasi de fœtore pinguescat. Mittit ergo cophinũ stercoris ad radicem arboris, quãdo prauitatis suę

Prælatorũ peruersa exempla subditos corrũpunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conſcientia tangitur memoria cogitationis. Cūq; se per pœnitentiam ad lamenta mēs excitat, & ad bonæ operationis gratiam reformat, quaſi per tactum ſtercoris redit ad fœcūditatem operis radix cordis. Plangit quod feciſſe ſe meminit. Diſplicet ſibi qualem fuiſſe ſe recolit. Intentionē contra ſe dirigit, atq; ad meliora animum accendit. Ex fœto re ergo ad fructū reuiuiſcit arbor: quia de conſideratiõe peccati ad bona ſe opera reſuſcitat animus. Et ſunt pleriq; qui increpationes audiūt, & tamē ad pœnitentiam redire contemnunt, & infructuoſi deo, in hoc ſeculo uirides ſtant. Sed audiamus quid ficulneæ cultor adiungat. Si quidem fecerit fructū: ſinautem, in futurum ſuccides eam,] quia profectò qui hic non uult ad fœcunditatem pingueſcere per increpationem, illic cadet unde iam reſurgere per pœnitentiã non ualet: & in futurum ſuccidetur, quanuis hic ſine fructu uiridis ſtare uideatur. Erat autē docens in ſynagoga eorū ſabbatis. Et ecce mulier quæ habebat ſpiritū infirmitatis annis decem & octo.] Pauloante iam diximus: quia hoc erat trinus aduẽtus domini ad infructuoſam ficulneã, quod decem & octo annorum numerus ad curuam mulierem ſignat. Sexto enim die homo factus eſt, atq; eodem ſexto die opera domini cuncta perfecta ſunt. Senarius autē numerus in trigonum ductus, decē & octo facit. Quia ergo homo qui ſexta die factus eſt, perfecta opera habere noluit, ſed ante legē, ſub lege, atq; in exordio inchoantis gratię infirmus extitit, decem & octo annis curua mulier fuit. Et erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.] Omnis peccator terrena cogitans, cœleſtia non requirēs, ſurſum reſpicere non ualet: quia dum deſideria inferiora ſequitur, à mētis ſuæ rectitudine curuatur: & hoc ſemper uidet, quod ſine ceſſatione cogitat. Ad corda ueſtra fratres chariſſimi redite, quid horis omnibus in cogitatiõibus ueſtris uoluatis, ſemper aſpicite. Alius de honoribus, alius de pecuniis, alius de prædiorum ambitu cogitat. Hæc cuncta in imo ſunt, & quando mens talibus implicat, ab ſtatus ſui rectitudine flectitur. Et quia ad cœleſte deſiderium nõ aſſurgit, quaſi mulier inclinata ſurſum reſpicere nequaquam poteſt. Sequitur:

Homo ſexto die factus eſt.

Terrena effĩciũt animas curuas.

Hanc cùm uidiſſet Ieſus, uocauit ad ſe, & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua, & impoſuit illi manum, & confeſtim erecta eſt.] Vocauit & erexit: quia illuminauit ipſam mulierem, & adiuuit. Vocat, ſed non erigit, quãdo per eius gratiam illuminamur, ſed exigentibus noſtris meritis adiuuari non poſſumus. Plerunq; enim uidemus quæ agenda ſunt, ſed opere non implemus. Nitimur et infirmamur. Mentis iudicium rectitudinem conſpicit, ſed ad hãc operis fortitudo ſuccumbit: quia nimirum iam de pœna peccati eſt, ut ex dono qui dem poſſit bonum conſpici, ſed tamē ab eo quod aſpicitur, contingat per meritum repelli. Viſitata etenim culpa obligat mentem, ut nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem. Conatur, & labitur: quia ubi ſponte diu perſtitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit. Bene de hac noſtra incuruatione ex typo humani generis per Pſalmiſtã dicitur: Incuruatus ſum, & humiliatus ſum uſq; quaq;. Contemplatus nanq; q; ad ſupernam lucem intuendã homo conditus fuerat, ſed peccatis exigentibus foras miſſus, mentis ſuæ tenebras ſecū portat, ſuperna non appetit, infimis intendit, cœleſtia nequaq; deſiderat, terrena ſemper in animo uerſat: hoc quod de ſuo genere doluit, in ſeipſo exclamauit, dicẽs: Incuruatus ſum, & humiliatus ſum uſq; quaque. Contemplationē nanq; cœleſtium perdẽs, ſi ſola carnis neceſſaria homo cogitaret, incuruatus & humiliatus eſſet, ſed tamen uſq; quaq; nõ eſſet. Quem ergo à ſupernis cogitationibus non ſolum neceſſitas deiecit, ſed etiam uoluptas illicita ſternit, non ſolum incuruatus, ſed uſq; quaq; incuruatus eſt. Hinc alius propheta de immundis ſpiritibus dicit: Qui dixerunt animæ tuæ, incuruare ut tranſeamus. Recta quippe ſtat anima, cùm ſuperna deſiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni ſpiritus cùm hanc in ſua rectitudine ſtare conſpiciunt, per eam tranſire non poſſunt. Tranſire nanq; eorum, eſt immunda illi deſideria ſpargere. Dicunt ergo, incuruare ut tranſeamus: quaſi ipſa ſe ad ima appetenda non deiecit, contra hanc illorum peruerſitas nullatenus conualeſcit: Et trã ſire per eam nequeunt, quam cõtra ſe rigidam in ſuperna intentione pertimeſcũt. Nos ergo fratres chariſſimi, nos uiam malignis in nobis ſpiritibus damus, cùm terrena concupiſcimus, cùm ad tẽporalia appetenda curuamur. Pudeat ergo terrena concupiſcere, & dorſa mentiũ aſcendentibus aduerſarijs præbere. Terrã ſemper intuetur qui curuus eſt, & quo præmio ſit redemptus, non meminit, qui ima quærit. Hinc etiam per Moyſen dicit ut qui gibbo premitur, nequaquam ad ſacerdotiũ prouehatur. Et quotquot Chriſti ſanguine redempti ſumus, membra eiuſdem ſummi ſacerdotis efficimur. Vnde & nobis per Petrum dicitur: Vos autem genus electum, regale ſacerdotiũ. Sed qui gibbũ tolerat, ima ſemper intuetur. A ſacerdotio ergo repellitur: quia quiſquis ſolis terrenis intentus eſt, ipſe ſibi teſtis eſt, quod membrũ ſummi ſacerdotis non eſt. Hinc rurſus piſces qui pennulas non habent, ab eſu fidelis populi prohibentur. Piſces qui pennulas ſquamarum habent, dare etiam ſaltus ſuper aquas ſolent. Quid ergo pennatis piſcibus niſi electæ animæ figurantur? Quæ profectò ſolæ in cœleſtis Eccleſiæ corpus tranſeunt. Quæ modo uirtutum pennulis fultæ, ſaltus dare per cœleſte deſiderium ſciunt, ut ſuperna per contemplationem appetant, quamuis in ſeipſis iterũ ex mortali carne relabantur. Si ergo iam bona cœleſtis patriæ agnouimus, diſplicebat nobis fratres chariſſimi quòd curui ſumus. Ponatur ante oculos mulier curua, & arbor infructuoſa. Reminiſcamur malorum quę fecimus, mittamus ad radicem cordis cophinum ſtercoris, ut tunc in retributionis fructu pingueſcat quod nobis hic per pœnitẽtiam fœtebat. Et ſi uirtutum ſumma operari non poſſumus, ipſe deus noſtro gaudet lamento. Exipſa enim ei iuſtitiæ inchoatione placebimus, qui in

iuſta

Universidad de Deusto Biblioteca

iusta quæ fecimus punimus. Nec mora erit in fleti bus: quia tergẽt citius trãseuntes lachrymas mansura gaudia. Per dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Mat.16 Luc.9

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim uoluerit animam suam saluã facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis uẽturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opera sua. Amen dico uobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica sanctorum Processi & Martiniani.

Homilia XXXII

Præcepta noua dedit redemptor nouus hõ.

QVia dominus ac redẽptor noster nouus homo uenit in mundum, noua præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ ueteri in uitijs enutritæ, contrarietatem opposuit nouitatis suæ. Quid enim uetus, quid carnalis homo nouerat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, cõcupiscere si nõ posset? Sed cœlestis medicus singulis quibusq; uitijs obuiantia adhibet medicamẽta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatẽ. Certè cùm se sequentibus noua mandata proponeret, dixit: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. Ac si apertè dicat: Qui per uitam ueterem aliena concupiscitis, per nouæ conuersationis studium & uestra largimini. Quid uerò in hac lectiõe dicat, audiamus. Qui uult post me uenire, abneget semetipsum.] Ibi dicitur ut abnegemus nostra, hic dicitur ut abnegemus nos. Et fortasse laboriosum nõ est homini relinquere sua, sed ualde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet, ualde autem multum est, abnegare quod est. Ad se autem nobis uenientibus dominus præcepit, ut renunciemus nostris: quia quicunq; ad fidei agonem uenimus, luctamen contra malignos spíritus sumimus. Nil autem maligni spiritus in hoc mũdo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si uestitus quisq; cũ nudo luctatur, citius ad terram deijcitur, qui habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, uestimenta abijciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, ne unde ad uotum tegitur, ad casum inde teneatur. Nec tamen sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus & nos. Quid est quod dicimus, relinquamus & nos? Si enim nosmetipsos relinquimus, quo ibimus extra nos? uel quis est qui uadit, si se deseruit? Sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos quales peccando nos fecimus, & maneamus nosmetipsi quales per gratiam facti sumus. Ecce etenim qui superbus fuit, si conuersus ad Christũ humilis factus est, semetipsum relinquit. Si luxuriosus quisq; ad continentiam uitam mutauit, abnegauit utiq; quod fuit. Si auarus quisque ambire iam desijt, & largiri didicit propria, qui prius aliena rapiebat, proculdubio semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed nõ est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est: Verte impios, & non erunt. Conuersi nanq; impij non erunt, non quia non erunt omnino in essentia, sed scilicet nõ erunt in impietatis culpa. Tũc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cùm uitamus quod per uetustatem fuimus, & ad hoc nitimur quod per nouitatem uocamur. Pẽsemus quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & uiuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se uiuere denegat, dicat unde est quod sancta uerba per doctrinam ueritatis clamat. Protinus subdit: Viuit uerò in me Christus. Ac si apertè dicat; Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non uiuo: sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritaliter uiuo. Dicat ergo ueritas, dicat: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum.] Quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat: nec ualet apprehẽdere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sic olerum plantæ transponuntur, ut proficiant, atq;, ut ita dixerim, eradicantur ut crescant. Sic rerum semina in terræ admixtione deficiunt, ut in reparatione sui generis uberius assurgant. Vnde enim uidentur perdidisse quod erãt, inde accipiunt hoc apparere quod nõ erant. Sed qui iam se à uitijs abnegat, exquirendæ ei uirtutes sunt in quibus crescat. Nam cùm dictum est: Qui uult post me uenire, abneget semetipsum, protinus additur: Et tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.] Duobus etenim modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi

Christum se qui uolens abneget semetipsum.

Prou.12

Gal.2

Universidad de Deusto
Biblioteca

proximi afflígitur animus. Penſemus qualiter utroq; modo Paulus crucem ſuam tulerat, qui di
1.Cor.9 cebat: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte alijs prædicãs, ipſe reprobus efficiar. Ecce in afflictiõe corporis audiuimus crucem carnis, audiamus nunc in compaſſione proximi crucem mẽtis. Ait enim: Quis infirmatur,
2.Cor.11 & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, et ego non uror? Perfectus quippe prędicator ut exemplum daret abſtinentiæ, crucem portabat in corpore. Et quia in ſe trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde. Sed quia ipſis uirtutibus quædam uitia iuxta ſunt, dicendum nobis eſt quod uitium abſtinentiam carnis, & quod obſideat compaſſionem mentis. E uicino nanq; abſtinentiam carnis nonnunquam uana gloria obſidet: quia dum tenuitas in corpore, dũ pallor in uultu reſpicitur, uirtus pateſacta laudatur: & tanto ſe celerius foras fundit, quanto ad humanos oculos per oſtenſum pallorem exit.

Et plerunq; fit, ut hoc quod cauſa dei agi creditur, pro ſolis humanis fauoribus agatur. Quod
Mat.27 bene Simon ille ſignificat, qui inuentus in itinere, crucem dominicam in angaria portat. Aliena quippe onera in angaria portantur, quando per uanitatis ſtudium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem deſignantur, niſi abſtinentes & arrogantes? qui per abſtinẽtiam quidem carnem afficiunt, ſed fructum abſtinentiæ interius non requirunt. Crucem ergo domini in angaria Simõ portat: quia cùm ad opus bonum ex bona uolũtate non ducitur, rem iuſti ſine fructu peccator operatur. Vnde idem Simon crucem portat, ſed non moritur: quia abſtinentes & arrogãtes, per abſtinentiam quidem corpus afficiunt, ſed per deſiderium uanæ gloriæ mundo uiuunt. Compaſſionem uerò animi plerunq; latenter obſidet pietas falſa, ut hanc nonnunquam uſq; ad cõdeſcendendum uitijs pertrahat, cùm ad culpas quiſq; non debeat compaſſionem exercere, ſed zelum. Compaſſio quippe homini, et rectitudo uitijs debetur, ut in uno eodemq; homine & diligamus bonũ quod factus eſt, & perſequamur mala quæ fecit: ne dum culpas incautè remittimus, non iam per charitatem cõpati, ſed per negligentiã cõceſſiſſe uideamur. Sequitur: Qui enim uoluerit animã ſuam ſaluã facere, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuã propter me, ſaluam eam faciet.] Sic dicitur fideli: Qui uoluerit animam ſuam ſaluã facere, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluã eam faciet. Ac ſi agricolę dicatur: Frumentũ ſi ſeruas, perdis: ſi ſeminas, renouas. Quis enim neſciat q̃ frumẽtum cùm in ſemine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed unde putreſcit in puluere, inde uireſcit in renouatiõe. Quia uerò ſancta Eccleſia aliud tempus habet perſecutionis, atq; aliud pacis, redemptor noſter ipſa eius tempora diſtinguit in præceptis. Nam perſecutionis tempore ponenda eſt anima: pacis autem tẽpore ea quæ amplius dominari poſſunt, frangenda ſunt

A deſideria terrena. Vnde & nũc dicitur: Quid enim prodeſt homini, ſi lucretur totum mũdum, ſe autem perdat, & detrimentũ ſui faciat?] Cùm perſecutio ab aduerſarijs deeſt, ualde uigilantius cuſtodiendum eſt. Nam pacis tempore quia licet uiuere, libet etiã ambire. Quę profectò auaritia bene cõpeſcitur, ſi ipſe ſtatus ambientis ſollicitè cõſideretur. Nam cur inſtet ad colligendũ, quãdo ſtare nõ poteſt ipſe qui colligit? Curſum ergo ſuum quiſq; conſideret, & agnoſcet ſibi poſſe ſufficere parua quæ haber. Sed fortaſſe metuit ne in huius uitæ itinere ſumptus deſit. Lõga noſtra deſideria increpat uia breuis. Incaſſum multa portant, cùm iuxtà eſt quò pergitur. Plerũq; aũt & auaritiã uincimus, ſed adhuc obſtat quod uias rectitudinis
B minori tenemus cuſtodia perfectionis. Nam ſæpe labentia cũcta deſpicimus, ſed tamẽ adhuc humanæ uerecundiæ uſu præpedimur, ut rectitudinem quã ſeruamus in mente, nõdum exprimere ualeamus in uoce. Et tanto dei faciẽ ad iuſtitiæ defenſionẽ negligimus, quanto humanas facies cõtra iuſtitiã ueremur. Sed huic quoq; uulneri cõgruũ ſubiungitur medicamentum, cùm dominus dicit: Luc.9 Qui me erubuerit et meos ſermones, hũc filius hominis erubeſcet cùm uenerit in maieſtate ſua, & patris, & ſanctorũ angelorum. Sed ecce nunc apud ſe homines dicunt, nos iam dominum & ſermones eius non erubeſcimus: quia aperta eum uoce profitemur. Quibus ego reſpõdeo, q̃ in hac plebe Chriſtiana ſunt nonnulli qui Chriſtũ ideo cõfi-
C tentur: quia cunctos Chriſtianos eſſe conſpiciũt. Nam ſi nomen Chriſti in tanta hodie gloria nõ eſſet, tot profeſſores Chriſti ſancta Eccleſia non haberet. Nõ ergo ad probationem fidei uox ſufficit profeſsionis, quam defendit à uerecundia profeſſio generalitatis. Eſt tamẽ ubi ſe quiſq; interroget, ut in confeſsione Chriſti ſe ueraciter probet, ſi nõ iam nomen eius erubeſcit, ſi plena uirtute mentis humanũ pudorem ſubdidit. Certè enim perſecutionis tempore erubeſcere poterant fideles ſubſtãtijs nudari, de dignitatibus deijci, uerberibus affligi. Pacis autem tempore quia hæc à noſtris perſecutionibus deſunt, eſt aliud ubi oſtendamur nobis, Veremur ſæpe à proximis deſpici, dedignamur iniurias uerbi tolerare. Si contingat iurgium
D fortaſſe cum proximo, erubeſcimus priores ſatisfacere. Cor quippe carnale dum huius uitæ gloriã quærit, humilitatem reſpuit. Et plerunq; ipſe homo qui iraſcitur, diſcordanti ſibi recõciliari appetit, ſed ire ad ſatisfaciendum prior erubeſcit. Penſemus facta ueritatis, ut uideamus quo iaceãt noſtræ prauitatis actiones. Si enim membra ſummi capitis ſumus, imitari eum cui connectimur, debemus. Quid nanq; ad noſtræ eruditionis exẽplum Paulus egregius prædicator dicit? Pro Chriſto le 2.Cor.5
gatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, recõciliamini deo. Ecce inter nos & deum diſcordiam peccando fecimus, & tamẽ ad nos deus ſuos legatos prior mittit, ut noſipſi qui peccauimus, ad pacem dei rogati ueniamus. Erubeſcat ergo humana ſuperbia, cõ-

fundatur quisq; si non satisfaciat prior proximo, quando post culpā nostram ut ei reconciliari debeamus, et ipse qui offensus est, legatis interueniē tibus obsecrat deus. Sequitur: Dico autem uobis. Verè sunt aliqui hic stantes, qui non gustabūt mortem, donec uideant regnum dei.] Regnū dei fratres charissimi non semper in sacro eloquio uēturum regnum dicitur, sed nonnunquam præsens Mat.13 Ecclesia uocatur. Vnde scriptum est: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. In illo quippe regno scandala nō Ecclesia præsens uocatur regnum dei. erunt, ubi profectò reprobi non admittūtur. Quo uidelicet exemplo colligitur, quòd hoc loco regnum dei præsens Ecclesia uocatur. Et quia nōnulli ex discipulis usq; adeò in corpore uicturi erant, ut Ecclesiam dei constructam conspicerent, & cō B tra mūdi huius gloriam erectam, cōsolatoria promissione nunc dicitur: Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei.] Sed cùm tanta dominus subeundę mortis præcepta æderet, quid necessārium fuit ut ad hanc subitò promissionē ueniret? Quod si subtiliter attendamus, quanta dispensatione pietatis agatur, agnoscimus. Discipulis enim rudibus etiā de præsenti uita aliquid promittendū fuit, ut possent robustius in futura solidari. Sic Israelitico populo ex Aegypti terra liberando, repromissionis terra promittitur, & cùm uocandus esset ad dona cœlestia, terrenis promissionibus suadetur. Cur hoc? ut dum esset aliquid quod de uicino percipe ret, illud iam fidelius crederet, quod de lōginquo C audire potuisset. Carnalis etenim populus si parua non acciperet, magna non crederet. Omnipotens ergo deus largiendo terrena, suadet ad cœlestia, ut percipiens quod uideret, sperare disceret quod minimè uidebat. Et tanto solidior de inuisibilibus fieret, quāto eum ad spei certitudinem uisibilia promissa fulcirent. Vnde rectè quoque per Psal.104 Psalmistam dicitur: Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Sic ergo hoc loco rudibus discipulis ueritas loquens uidendum regnum cœlorum promittit in terra, ut hoc ab eis fidelius in cœlo præsumatur. Ex ipso ita que regno quod iam uidemus in mundo esse sublimatum, speremus regnum quod in cœlo credi- D Christiani multi sunt nomine, sed non fide. mus percipiendum. Nam sunt nonnulli qui Christianitatis nomine censentur, sed Christianitatis non habent fidem. Sola esse uisibilia æstimant, in uisibilia non appetunt: quia nec esse suspicantur. Ad sanctorum martyrum corpora cōsistimus fratres mei. Nūquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissimè constitisset esse uitam pro qua mori debuissent? Ecce qui ita crediderūt, miraculis coruscant. Ad extincta nanq; eorum corpora, uiuentes ægri ueniunt, & sanantur. Periuri ueniunt, & à dæmonio uexantur. Dæmoniaci ueniunt, & liberantur. Quomodo ergo uiuunt illic, ubi uiuunt, si in tot miraculis uiuunt hic, ubi mor- Exemplum. tui sunt? Rem fratres dico breuē uerbo, sed non paruam merito, quam religiosis quibusdam senio

A ribus narrantibus agnoui. Gothorū tempore matrona quædam fuit ualde religiosa, quæ ad horum martyrum Ecclesiam crebrò ueniebat. Quadā die dum ex more ad orandum uenisset, egrediens duos stantes sub peregrino habitu monachos inuenit, peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemosynæ præcepit. Sed priusquàm eius erogator eis ad largiendum eleemosynam propinquasset, astiterunt illi uicinius, & dixerunt: Tu nos modo uisitas, nos te in die iudicij requiremus, & quicquid possumus, præstabimus tibi. Quo dicto, ab oculis eius ablati sunt. Territa illa ad orandum rediit, seseq; in lachrymis prolixi effudit. Et facta est post hoc tanto instantior in prece, quanto certior de promissione. Si autem iuxta Pauli uocem, Est fi- Heb.11 des sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: nequaquàm iam dicimus ut uēturam uitam credatis: quia ecce ipsi qui in illa uiuunt, humanis obtutibus uisibiliter præsentantur. Quod eīm uideri potest, melius dicitur sciri quàm credi. Venturam ergo uitam nos dominus magis uoluit scire q; credere, qui eos quos inuisibiliter recipit, apud se uiuere nobis etiam uisibiliter ostēdit. Hos ergo fratres charissimi in causa uestri examinis quam cum districto iudice habebitis, patronos facite. Hos in die tanti terroris illius defensores adhibete. Certè si apud quendam magnum iudicē causa quælibet uestra esset die crastino uentilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur, patronum uestra fraternitas quæreret, mag C nis precibus ageret, ut apud tantum iudicem sibi defensor ueniret. Ecce districtus iudex Iesus uenturus est, tanti illius angelorum archangelorumq; concilij terror adhibetur. In illo conuentu causa nostra discutitur, & tamē nos patronos modo nō requirimus, quos tunc defensores habeamus. Assunt defensores nostri sancti martyres, rogari uolunt, atq;, ut ita dixerim, quærunt, ut quærantur. Hos ergo adiutores uestris orationibus quærite. Hos protectores uestri reatus inuenite: quia ne punire peccatores debeat, rogari uult & ipse qui iudicat. Vnde etiam longo tempore comminatur iram, & tamē misericorditer expectat. Sic autem nos & misericordia eius refoueat, ut nullo modo negligentes reddat. Sic peccata nostra perturbēt, D ut mens in desperationem non prorua: quia & si præsumentes metuimus, et metuentes speramus, æternum regnum citius adepturi sumus, per eum qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tēpore. Rogabat Iesum Luc.7 quidam Pharisæus, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit q; Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans re

tro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit riga-
re pedes eius, & capillis capitis ſui terge-
bat: & oſculabatur pedes eius, & unguento
ungebat. Videns autem Phariſæus qui uo
cauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet
propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſt mu
lier quę tangit eum: quia peccatrix eſt. Et re
ſpondens Ieſus dixit ad illum: Simõ, habeo
tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic.
Et reſpondens Ieſus dixit: Duo debitores
erant cuidam fœneratori, unus debebat de
narios quingẽtos, alius quinquaginta. Nõ
habentibus illis unde redderent, donauit
utriſq;. Quis ergo eum plus diligit? Reſpõ
dens Simon, dixit: Aeſtimo quia is cui plus
donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti. Et
conuerſus ad mulierem, dixit Simoni. Vi-
des hanc mulierem? Intraui in domum tu-
am, aquam pedibus meis non dediſti: hæc
autem lachrymis rigauit pedes meos, & ca-
pillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti,
hæc autem ex quo intrauit, nõ ceſſauit oſcu
lari pedes meos. Oleo caput meum non un
xiſti, hæc aũt unguento unxit pedes meos.
Propter quod dico tibi, Remittũtur ei pec
cata multa, quoniam dilexit multum. Cui
autem minus dimittitur, minus diligit. Di-
xit autem Ieſus ad illam: Remittuntur tibi
peccata tua. Et cœperunt qui ſimul diſcum
bebant, dicere intra ſe. Quis eſt hic, qui e-
tiam peccata dimittit? Dixit autem ad mu-
lierem: Fides tua te ſaluam fecit, Vade in
pace.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad po
pulum in baſilica ſancti Clementis, feria ſe-
xta quatuor temporum Septembris.

Homilia XXXIII

COgitãti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitẽ
tia, flere magis libet, quàm aliquid dicere.
Cuius enim uel ſaxeum pectus illę huius peccatri
cis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emol
liant? Conſiderauit nanq; quid fecit, & noluit mo
derari quid faceret. Super conuiuantes ingreſſa
eſt, non iuſſa uenit, inter epulas lachrymas obtu-
lit. Diſcite quo dolore ardet, quę flere & inter epu
las nõ erubeſcit. Hanc uerò quã Lucas peccatricẽ
mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam eſſe
Mariam credimus, de qua Marcus ſeptem dæmo
nia eiecta fuiſſe teſtatur. Et quid per ſeptem dæ-
monia, niſi uniuerſa uitia deſignãtur? Quia enim
ſeptem diebus omne tempus comprehenditur, re
ctè ſeptenario numero uniuerſitas figuratur. Se-
ptem ergo dæmonia Maria habuit, quæ uniuerſis

Magdalena habuit ſeptẽ dæmonia.

uitijs plena fuit. Sed ecce quia turpitudinis ſuæ
maculas aſpexit, lauanda ad fontem miſericor-
diæ cucurrit, conuiuantes non erubuit. Nam
quia ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, ni-
hil eſſe credidit quod uerecundaretur foris. Quid
ergo miramur fratres, Mariam uenientem, an do
minum ſuſcipientem? Suſcipientem dicam an tra
hentem? Sed melius trahentem dicam & ſuſcipi-
entem: quia nimirum ipſe eam per miſericordiam
traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit fo-
ris. Sed iam textum ſancti Euangelij percurren-
tes, ipſum quoque ordinem quo uenerit ſananda,
uideamus. Attulit alabaſtrum unguenti, & ſtãs
retrò ſecus pedes Ieſu, lachrymis cœpit rigare pe-
des eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſcula-
batur pedes eius & unguento ungebat.] Liquet
fratres quòd illicitis actibus prius mulier intenta,
unguentum ſibi pro odore ſuæ carnis adhibuit.
Quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam deo
laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupie-
rat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens fle-
bat. Capillos ad compoſitionem uultus exhibue-
rat, ſed iam capillis lachrymas tergebat. Ore ſu-
perba dixerat, ſed pedes domini oſculans, hoc in
redemptoris ſui ueſtigia figebat. Quot ergo in ſe
habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocau-
ſta. Conuertit ad uirtutum numerum, numerum
criminum, ut totum ſeruiret deo in pœnitentia,
quicquid ex ſe deum contemperat in culpa. Sed
hoc Phariſæus intuens deſpicit, & non ſolum ue-
nientem peccatricem mulierem, ſed etiam ſuſci-
pientem dominum reprehendit, dicens intra ſe.
Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique quæ & qua-
lis eſſet mulier quæ tangit eum: quia peccatrix
eſt.] Ecce Phariſæus ueraciter apud ſe ſuperbus,
& fallaciter iuſtus, ægram reprehendit de ægritu-
dine, medicum de ſubuentione, qui ipſe quoque
de elationis uulnere ægrotabat, & ignorabat. In-
ter duos autem ægros medicus aderat, ſed unus
æger in febre integrum ſenſum tenebat, alter ue-
rò in febre carnis & ſenſum perdiderat mentis. Il-
la quippe flebat quod fecerat, Phariſæus autem
de falſa iuſtitia elatus, uim ſuæ inualitudinis exag
gerabat. In ægritudine ergo & ſenſum perdide-
rat, qui hoc ipſum quoq;, quòd à ſalute longè eſ-
ſet, ignorabat. Sed inter hæc nos gemitus cogit,
quoſdam noſtri ordinis uiros intueri, qui ſacerdo
tali officio præditi, ſi quid fortaſſe iuſtè exterius
uel tenuiter egerint, protinus ſubiectos deſpici-
unt, & peccatores quoſq; in plebe poſitos dedig-
nantur, eiſq; compati culpam ſuam confitenti-
bus nolunt, ac uelut Phariſæi more, à peccatrice
muliere tangi deſpiciunt. Quæ profectò mulier ſi
ad Phariſæi pedes uenisſet, nimirum calcibus re-
pulſa diſcederet. Inquinari enim ſe alieno peccato
crederet. Sed quia hunc uera ſua iuſtitia nõ reple-
bat, de alieno uulnere ægrotabat. Vnde ſemper
neceſſe eſt ut cùm peccatores quoſq; cõſpicimus,
noſmetipſos pri⁹ in illorũ calamitate defleamus:
quia fortaſſe in ſimilibus aut lapſi ſumus, aut lab
poſſumus, ſi lapſi nõ ſumus. Et ſi cẽſura magiſterij

debet

Universidad de Deusto
Biblioteca

debet semper uirtute disciplinæ uitia persequi, oportet tamen ut sollicitè discernamus: quia districtionem debemus uitijs, compassionem naturæ. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus. Cùm uero iam per pœnitentiam percutit ipse quod fecit, iam noster proximus peccator nō est: quia cùm dei iustitiam contra se dirigit, & hoc in se punit quod iustitia diuina reprehendit. Sed iam iste superbus & arrogans qua sententia conuincatur, audiamus. De duobus quippe ei debitoribus paradigma opponitur, quorū unus minus, & alius amplius debet, utrorunq; debito dimisso, quis amplius largitorem debiti diligat, interrogatur. Quibus uerbis protinus ille respondit. Ille plus diligit, cui plus dimittitur.] Qua in re notandum est quia dum sua sententia Pharisæus convincitur, quasi phreneticus funem portat unde ligetur. Enumerātur ei à domino bona peccatricis mulieris, & enumerantur mala falsi iusti, cùm dicitur:

Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, et capillis suis tersit. Oſculum mihi non dedisti, hęc autem ex quo intrauit non cessauit oscularí pedes meos. Oleo caput meū non unxisti, hęc autē unguento unxit pedes meos.] Post enumerationem uero subinfertur sententia: Propter quod dico tibi: Remittunt̄ ei peccata multa, quoniam dilexit multum.] Quid fratres mei esse dilectionem credimus, nisi ignem? & quid culpam, ni si rubiginem? Vnde nunc dicitur: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Ac si apertè diceretur: Incendit plenè peccati rubiginem, quia ardet ualide per amoris ignem. Tanto nanq; amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Ecce ea quæ ad medicum uenerat ægra, sanata est, sed de salute eius adhuc alij ægrotant. Nam simul discumbentes cōquesti sunt intra se, dicētes: Quis est hic qui etiam peccata dimittit?] Sed cœlestis medicus ægros non despicit, quos etiam de medicamento fieri deteriores uidet. Eam autem quam sanauerat, per pietatis suæ sententiam confirmat, dicens: Fides tua te saluam fecit, uade in pace.] Fides etenim eius saluā eam fecit, quia hoc quod petijt, posse se accipere non dubitauit. Sed ipsam quoq; spei certitudinem iam ab illo acceperat, à quo per spem etiam salutem quærebat. In pace autem ire præcipitur, ut à ueritatis itinere in uiā scandali ulterius non diriuetur. Vnde & per Zachariam dicitur: Ad dirigēdos pedes nostros in uiam pacis. Tunc enim gressus nostros in uiam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab authoris nostri gratia non discordamus. Hæc itaq; fratres charissimi historica expositione transcurrimus, nunc uero si placet, ea quæ dicta sunt, mystico intellectu disseramus. Quē nanq; Pharisæus de falsa iustitia præsumens, nisi Iudaicum populum, quem peccatrix mulier sed ad uestigia domini ueniens & plorans, nisi cōuersam gentilitatē designat? Quæ cum alabastro uenit, unguentum fudit, retrò secus pedes domini stetit, lachrymis pedes rigauit, capillis tersit, eosdemq; quos infundebat & tergebat, pedes oscularí non desiit. Nos ergo nos illa mulier expressit, si toto corde ad dominū post peccata redeamus, si eius pœnitentię luctus imitemur. Quid nanq; unguento, nisi bonæ odor opinionis exprimitur? unde & Paulus dicit: Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Si ergo recta opera agimus, quibus opinionibus boni odoris Ecclesiā respergamus, quid in domini corpore nisi unguētū fundimus? Sed secus pedes Iesu mulier stetit. Contra pedes enim domini stetimus, cùm in peccatis positi, eius itineribus renitebamur. Sed si ad ueram pœnitentiam post peccata cōuertimur, iam retrò secus pedes stamus: quia eius uestigia sequimur, quem impugnabamus. Lachrymis mulier pedes eius rigat. Quod nos quoq; ueraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris domini per compassionis affectum inclinamur, si sanctis eius in tribulatione cōpatimur, si eorum tristitiam, nostram putamus. Capillis mulier pedes quos rigauerat, tersit. Capilli quippe superfluūt corpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorū speciem tenet? Quę dum ad usum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentitur. Capillis ergo pedes domini tergimus, quando sanctis eius quibus ex charitate cōpatimur, etiam ex his quæ nobis superfluunt, miseremur: quatenus sic mens per compassionē doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat nāq; lachrymis redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcunq; proximorū dolori cōpatitur, sed tamen eis ex his quæ sibi superfluunt, non miseretur. Plorat & non tergit, qui uerba quidem doloris tribuit, sed non ministrando quæ desunt, uim doloris minime abscindit. Osculatur mulier pedes quos tergit. Quod nos quoq; plenè agimus, si studiosè diligimus quos ex largitate cōtinemus, ne grauis nobis sit necessitas proximi, ne ipsa nobis eius indigentia quæ sustentat̄, fiat onerosa, & cùm manus necessaria tribuit, animus à dilectiōe torpescat. Potest quoq; per pedes ipsum mysterium incarnationis eius intelligi, per quod diuinitas terram tetigit, quia carnē sumpsit. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Oſculamur ergo redemptoris pedes, cùm mysteriū incarnationis eius ex toto corde diligimus. Vnguento pedes ungimus, cùm ipsam humanitatis eius potentiā sacri eloquij bona opinione prædicamus. Sed hoc Pharisęus uidet & inuidet: quia cùm Iudaicus populus gentilitatem deum prædicare conspicit, sua apud se malitia tabescit. Sed redemptor noster facta eiusdem mulieris, quasi bona gentilitatis enumerat, ut in quo malo Iudaicus populus iaceat, agnoscat. Nam sic Pharisæus retunditur, ut per eum, sicut diximus, perfidus ille populus ostendatur. Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos.] Aqua quippe extra nos est, lachrymarū humor intra nos: quia uidelicet infidelis ille populus, nec ea quæ extra se erant unq; pro domino tribuit, conuersa autē gentilitas

Dilectio est ignis & culpa rubigo

Luc. 1

Ioan. 1

Pedes redemptoris quando dicimur oscularí

Universidad de Deusto
Biblioteca

tilitas pro eo non solum rerum substantiam dedit, sed etiam sanguinem fudit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.] Osculum quippe, dilectionis est signum. Et infidelis ille populus deo osculum non dedit: quia ex charitate eum amare noluit, cui ex timore seruiuit. Vocata autem gentilitas, redemptoris sui uestigia osculari non cessat: quia in eius amore cõtinuò suspirat. Vnde & spõsæ uoce de eodem redemptore suo in Cãticis canticorum dicitur: Osculetur me osculo oris sui. Osculum recte conditoris sui desiderat, quæ se ei obsequi per amorem parat. Oleo caput meum non unxisti.] Si pedes domini, mysterium incarnationis eius accipimus, congruè per caput illius ipsa diuinitas designatur. Vnde & per Paulum dicit: Caput Christi, deus. In deo quippe, & non in se, quasi in homine credere ludaicus populus fatebatur. Sed Pharisæo dicitur: Oleo caput meum non unxisti: quia ipsam quoq; diuinitatis eius potentiam, in qua se ludaicus populus credere spopondit, digna laude prædicare neglexit. Hæc autem unguento unxit pedes meos,] quia dum incarnationis eius mysterium gentilitas credidit, summa laude etiam eius ima prædicauit. Sed iam redemptor noster enumerata bona concludit, cùm per sententiã subdit: Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ.] Ac si apertè dicat: Et si durum est ualde quod coquitur, abundat tamen amoris ignis quo etiã dura consumantur. Libet inter hęc consideratione tantæ pietatis intueri. Peccatricis mulieris opera, sed pœnitentis, qua æstimatione ueritas apud se seruat, quæ eius aduersario sub tanta distributione enumerat. Ad Pharisęi prandium dominus discumbebat, sed apud pœnitentem mulierem mentis epulis delectabatur. Apud Pharisæum ueritas pascebatur foris, apud peccatricem mulierem, sed tamen cõuersam, pascebatur intus. Vnde & ei sancta Ecclesia, quam sub specie hinnuli ceruorum quærit, in Canticis canticorum dicit: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubas in meridie. Ceruorũ quippe hinnulus, dominus appellatur, iuxta assumptam carnẽ, antiquorũ filius patrum. Feruẽtior uero in meridie æstus ardescit, & umbrosum locum hinnulus quærit, quẽ æstus igne non afficit. In illis ergo cordibus dominus requiescit, quæ amor præsentis seculi non incendit, quæ carnis desideria non exurunt, quæ incẽsa suis anxietatibus in huius mundi cõcupiscentijs non arescunt. Vnde & Marię dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Vmbrosa ergo loca in meridie ad pascẽdum hinnulus quærit: quia talibus mentibus dominus pascitur, quæ per respectũ gratiæ temperatæ, corporalibus desideriis non uruntur. Plus ergo pœnitens mulier pascebat intus, quàm Pharisęus dominum pascebat foris: quia ab æstu carnalium quasi hinnulus redemptor noster ad illius mentem fugerat, quam post uitiorũ ignem, pœnitentiæ umbra temperabat. Pensemus quantę pietatis fuerit, peccatricem mulierem non solum ad se admittere, sed ei etiam ad tangendũ pedes præbere. Consideremus gratiã misericordis dei, & damnemus multitudinem reatus nostri. Ecce peccatores uidet, & sustinet, resistentes tolerat, & tamen quotidie per Euangelium clementer uocat. Confessionem nostram ex puro corde desiderat, & cuncta quæ delinquimus relaxat. Tẽperauit nobis districtionem legis, misericordia redemptoris. In illa quippe scriptũ est: Si quis hæc uel illa fecerit, mortẽ moriatur. Si quis hæc uel illa fecerit, lapidibus obruatur. Apparuit conditor noster in carne, confessioni peccatorũ non pœnã, sed uitã promittit: mulierem sua uulnera confitentem suscipit, & sanam dimittit. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam legis: quia quos iustè illa damnat, ipse misericorditer liberat. Vnde bene quoq; in lege scriptum est: quia manus Moysi erant graues: sumentes ergo lapidem, posuerunt subter, in quo sedit. Aaron autẽ & Hur sustentabãt manus eius. Moyses quippe sedit in lapide, cũ lex requieuit in Ecclesia. Sed hæc eadem lex manus graues habuit: quia peccantes quosq; non misericorditer pertulit, sed seuera districtione percussit. Aaron uero mons fortitudinis, Hur autẽ ignis interpretatur. Quem itaq; mons iste fortitudinis signat, nisi redemptorẽ nostrum, de quo per prophetã dicitur: Erit in nouissimis diebus præparatus mõs domus domini in uertice montiũ? Aut quis per ignẽ, nisi spiritus sanctus figurat: de quo idem redemptor dicit: Ignẽ ueni mittere in terram? Aaron ergo & Hur graues manus Moysi sustinẽt, atq; sustentando leuiores reddũt: quia mediator dei & hominũ cũ igne sancti spiritus ueniens, mandata legis grauia, quæ dum carnaliter tenerentẽ, portari non poterãt, tolerabilia nobis per spiritalẽ intelligẽtiam ostẽdit. Quasi enim manus Moysi leues reddidit: quia pondus mandatorũ legis ad uirtutẽ cõfessionis retorsit. Hanc nobis sequentibus misericordię promissionẽ innuit, cùm per prophetã dicit: Nolo mortẽ peccatoris, sed ut cõuertat & uiuat. Hinc iterũ sub ludeæ specie unicuiq; peccatrici animæ dicit: Si dereliquerit uir uxorẽ suã, & illa recedens duxerit uirũ alterũ, nunquid reuertet ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autẽ fornicata es cũ amatoribus multis: uerumtamen reuertere ad me, dicit dominus. Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostẽdit q; post turpitudinẽ recipi non possit. Sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam uincit, cùm dicit fornicantẽ mulierẽ recipi nequaq; posse, & tamen ipse fornicantem animam ut recipiat expectat. Pensate fratres pondus tantę pietatis. Dicit quod fieri non potest, & demõstrat quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce uocat, & quos inquinatos denunciat, hos etiam amplecti quærit, à quibus desertum esse queritur. Nemo ergo tantæ misericordiæ tempus perdat, nemo oblata remedia diuinę pietatis abijciat. Ecce superna benignitas auersos nos reuocat, & nobis reuertentibus, suæ clementiæ sinum aperit.

Cant.1 Ceruorum hinnulus appellatur dominus

Cant.1

1.Cor.11

Lucæ 1

Vnde-

Vnusquisq; ergo pensęt quo debito cõstringitur, quando illum deus expectat, ne contemptus exasperetur. Qui ergo permanere noluit, redeat: qui stare cõtempsit, saltem post lapsum surgat. Quanto nos amore conditor noster expectat, insinuat, Hiere.8 cùm per prophetam dicit: Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur. Non est qui recogitet in corde suo & dicat, quid feci? Certe nunc̃ cogitare mala debuimus. Sed quia cogitare recta noluimus, ecce adhuc sustinet, ut recogitemus. Videte tantæ pietatis sinum, cõsiderate apertum uobis misericordię gremium. Quos male cogitantes perdit, bene recogitantes quærit. Ad uos ergo fratres charissimi, ad uos oculos mentis reducite, & pœnitentem peccatricem mulierem in exemplum uobis imitationis anteferte. Quæcunq; uos in adolescentia, quæcunq; in iuuentute deliquisse meministis, deflete, morum operumq; maculas lachrymis tergite. Amemus iam redemptoris nostri uestigia, quæ peccando contempsimus. Ecce, ut diximus, ad recipiendos nos supernæ pietatis sinus aperitur, nec maculosa in nobis uita contemnitur. Per hoc quòd inquinationem nostram perhorrescimus, internæ iam munditię cõcordamus. Reuertentes nos dominus clementer amplectit̃, quia peccatorũ uita ei esse indigna iam nõ potest, quæ fletibus lauat̃ in Christo Iesu domino nostro, qui uiuit & regnat cum patre deus in unitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Lectio sancti euangelij secundum Lucam.

Luce 15 IN illo tempore. Erãt appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, ut audirẽt illum. Et murmurabant scribæ & pharisæi, dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolã istam, dicens: Quis ex uobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nónne dimittit nonagintanouẽ in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Et ueniẽs domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico uobis quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia. Aut quę mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmã unam, nónne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligẽter donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni A drachmam quam perdideram. Ita dico uobis, gaudium erit in cœlo coram angelis dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica beatorum Ioannis & Pauli, dominica tertia post Trinitatem.

Homilia xxxiiii

AEstiuum tempus quod corpori meo ualde contrarium est, loqui me de expositione Euangelij longa mora interueniẽte prohibuit. Sed nunquid quia lingua tacuit, ardere charitas cessauit? Hoc etenim dico quod apud se uestrũ unusquisq; recognoscit. Plerunq; charitas quibusdam B occupationibus præpedita, & intus flagrat in corde, & tamen non monstratur in opere: quia & sol cùm nube tegitur, non uidetur in terra, & tamen ardet in cœlo. Sic sic esse occupata charitas solet, & intus uim sui ardoris exerit, & foris flammas operis non ostendit. Sed quia nunc ad loquendum tempus redijt, uestra me studia accẽdunt, ut mihi tanto amplius loqui libeat, quãto hoc uestræ mentes desiderabilius expectant. Audistis nanq; in lectione Euangelica fratres mei, quia peccatores & publicani accesserunt ad redemptorem nostrum, & non solum ad colloquendum, sed etiam ad conuescendum recepti sunt. Quod uidentes pharisæi, dedignati sunt. Ex qua re colligite, quia uera iusti- Iustitia uera compassionem habet, falsa iustitia dedignatio C nem, quamuis & iusti soleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud est quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non dedignantes: desperant, sed non desperantes: persecutionem cõmouent, sed amãtes, quia etsi foris increpationes per disciplinã exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem seruant. Præponunt sibi in animo ipsos plerunq; quos corrigunt, meliores existimant eos quoque quos iudicant. Quod uidelicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiũt semetipsos. At contrà hi qui de falsa iustitia superbire solent, cæteros quosq; despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt, & quo se peccatores esse non credunt, eo deterius peccaD tores fiunt. De quorum profecto numero pharisæi extiterant, qui dijudicantes dominum, quòd peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem misericordię reprehẽdebant. Sed quia ægri erant, ita ut ægros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, cœlestis eos medicus blandis fomentis curat, benignũ paradigma obijcit, & in eorum cordẽ uulneris tumorem premit. Ait nanq;: Quis ex uobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nónne dimittit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat? Ecce mira dispensatione pietatis, similitudinem ueritas dedit, quam & in se ipse homo recognosceret, & tamen hæc specialiter ad ipsum authorẽ hominum pertineret. Quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centũ oues habuit, cũ angelorum

Charitas in prælatis nõ cesset etiam lingua tacente

sionem habet

Universidad de Deusto
Biblioteca

lorum ſubſtantiam & hominum creauit. Sed una ouis tunc periit, quando peccando homo paſcua uitæ dereliquit. Dimiſit autem nonagintanouem oues in deſerto, quia illos ſummos angelorũ choros reliquit in cœlo. Cur autem cœlum deſertum uocatur, niſi q̃ deſertum dicitur derelictum? Tũc aũt cœlum homo deſeruit, cùm peccauit. In deſerto autem nonagintanouẽ oues remanſerãt, quando in terra dominus unam quærebat, quia rationalis creaturæ numerus, angelorũ uidelicet & hominum, qui ad uidendũ deum conditus fuerat, pereunte homine, erat imminutus: & ut perfecte ſumma ouium redintegraretur in cœlo, homo perdi-
Mat.18 tus quærebatur in terra. Nam quod hic Euangeliſta dicit, in deſerto: alius dicit, in montibus, ut ſignificet in excelſis, quia nimirum oues quæ non perierant, in ſublimibus ſtabant. Et cùm inuenerit ouem, imponit in humeros ſuos gaudẽs.] Ouem in humeris ſuis impoſuit, quia humanã naturam ſuſcipiens, peccata noſtra ipſe portauit. Et ueniens domum, conuocat amicos & uicinos, dicẽs eis: Congratulamini mihi, quia inueni ouẽ meam
Oue inuenta redit domũ paſtor quæ perierat.] Inuenta oue domũ redit, quia paſtor noſter reparato homine ad regnũ cœleſte rediit. Ibi amicos & uicinos inuenit, illos uidelicet angelorũ choros qui amici eius ſunt, quia uoluntatem eius continue in ſua ſtabilitate cuſtodiunt. Vicini quoq; eius ſunt, quia claritate uiſiõis illius ſua aſſiduitate perfruuntur. Et notandum q̃ non dicit, congratulamini inuentæ oui, ſed mihi, quia uidelicet eius gaudium eſt uita noſtra. Et cùm nos ad cœlum reducimur, ſolennitatẽ lætitiæ eius implemus. Dico uobis quòd ita gaudiũ erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiã agente, quàm ſuper nonagintanouẽ iuſtis, qui non indigent pœnitentia.] Conſiderandum nobis eſt fratres mei, cur dominus plus de cõuerſis peccatoribus, q̃q; de ſtantibus iuſtis in cœlo gaudiũ eſſe fateatur. Vnde hoc, niſi quòd ipſi per quotidianũ uiſionis experimentum nouimus, quia plerunq; hi qui nullis ſe oppreſſos peccatorũ molibus ſciunt, ſtant quidem in uia iuſtitiæ, nulla illicita perpetrant, ſed tamen ad cœleſtem patriã anxiè non anhelant, tantoq; ſibi in rebus licitis uſum præbent, quanto ſe perpetraſſe nulla illicita meminerũt. Et plerunq; pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia ualde ſibi ſecuri ſunt, quòd nulla cõmiſerint mala grauiora. At contra nonnunq; hi qui ſe aliqua illicita egiſſe meminerunt, ex ipſo ſuo dolore cõpuncti, inardeſcunt in amorẽ dei, ſeſeq; in magnis uirtutibus exercent, cuncta difficilia ſancti certaminis apperunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs lætantur, flagrãt deſiderio, ad cœleſtem patriam anhelant, & quia ſe erraſſe à deo cõſiderant, damna præcedentia lucris ſequẽtibus recõpenſant. Maius ergo de peccatore cõuerſo, q̃q; de ſtante iuſto gaudiũ fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus, hoſtem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas uberes fruges profert, quàm eam quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit. Sed inter hæc ſciẽdum eſt, quia ſunt plerique iuſti in quorum uita tantum eſt gaudium, ut eis quælibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus poſſit. Nam multi & nullorum ſibi malorum ſunt conſcij, & tamen in tanti ardoris afflictione ſe exercent, ac ſi à peccatis omnibus coanguſtentur. Cuncta etiam licita reſpuunt, ad deſpectum mundi ſublimiter accinguntur, licere ſibi nolunt omne quod libet. Bona ſibi amputant etiam conceſſa, contemnunt uiſibilia, inuiſibilibus accenduntur, lamentis gaudent. In cunctis ſemetipſos humiliãt, & ſicut non nulli peccata operum, ſic ipſi cogitationum peccata deplorant. Quid itaq; iſtos dixerim, niſi & iuſtos & pœnitentes, qui ſe et in pœnitentia de peccato cogitationis humiliant, & recti ſemper in opere perſeuerant. Hinc ergo colligendũ eſt, quantum deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iuſtus: ſi facit in cœlo gaudium, quando hoc quod male geſſit, per pœnitentiam damnat iniuſtus. Sequitur: Aut quæ mulier habens drachmas decem, & ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat drachmãquam perdiderat? Qui ſignatur per paſtorẽ, ipſe & per mulierem. Ipſe etenim deus, ipſe & dei ſapientia. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo qui cõditus ad imaginem dei fuerat, peccando à ſimilitudine conditoris ſui receſſit. Sed accendit mulier lucernam: quia dei ſapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in teſta eſt, lumen uero in teſta, eſt diuinitas in carne. De qua uidelicet teſta ſui corporis dicit ipſa ſapiẽtia: Exaruit uelut teſta uirtus mea. Quia enim teſta in igne ſolidatur, eius uirtus ſicut teſta exaruit, quia aſſumptam carnem ad reſurrectionis gloriam ex paſſionis tribulatione roborauit. Accẽſa autem lucerna euertit domum, quia mox ut eius diuinitas per carnem claruit, omnis ſe noſtra conſcientia concuſſit. Domus nanq; euertitur, cùm conſideratione reatus ſui humana conſcientia perturbatur. Qui euerſionis ſermo non diſcrepat ab eo quod in alijs codicibus legitur, emundat: quia nimirum praua mens ſi non prius per timorem euertitur, ab aſſuetis uitijs non emundatur. Euerſa ergo domo inuenitur drachma, quia dum perturbatur conſcientia hominis, reparatur in homine ſimilitudo conditoris. Et cùm inuenerit, conuocat amicas & uicinas ſuas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram.] Quæ amicæ uel uicinæ, niſi illæ poteſtates cœleſtes ſunt, iam ſuperius dictæ? Quæ tanto ſupernæ ſapiẽtiæ iuxtà ſunt, quanto ei per gratiã continuæ uiſionis appropinquãt. Sed inter hæc nequaquam relinquere negligenter debemus, cur iſta mulier per quam dei ſapiẽtia figuratur, decem drachmas habuiſſe perhibet, ex quibus unam perdidit, quam cùm quæreret, inuenit. Angelorum quippe & hominum naturam, ad cogno-

cognoscendum se dominus condidit, quam dum consistere ad æternitatē uoluit, eam proculdubio ad suam similitudinē creauit. Decem uero drachmas habuit mulier, quia nouē sunt ordines angelorum. Sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus, qui à cōditore suo, nec post culpam periit, quia hunc eterna sapientia per carnem miraculis coruscans ex lumine testæ repa
Angelorū ordines sunt nouem rauit. Nouem uero angelorum ordines diximus, quia uidelicet esse testante sacro eloquio scimus angelos, archangelos, uirtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos cherubin, atq; seraphin. Esse nanq; angelos & archangelos, penè omnes sacri eloquij paginæ testantur. Cherubin uero atq; seraphin sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoq; ordinū nomina
Ephe.1 Paulus apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem. Qui rursus ad Colossen
Coloss.1 ses scribens, ait: Siue throni, siue potestates, siue principatus, siue dominationes. Dominationes uero & principatus ac potestates iā ad Ephesios loquens descripserat, sed ea quoq; Colossensibus dicturus, præmisit thronos de quibus necdum quicquā fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor quæ ad Ephesios dixit, id est, principatibus, potestatibus, uirtutibus, atq; dominationibus cōiungūtur throni, quinq; sunt ordines qui specialiter exprimunt. Quibus dum angeli & archāgeli, cherubin atq; seraphin adiūcta sunt, proculdubio nouem esse angelorū ordines inuenium
C tur. Vnde & ipsi angelo, qui primus est conditus,
Ezech.28 per prophetam dicitur: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi dei fuisti. Vbi notādum est quòd non ad similitudinem dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur: ut quò in eo subtilior est natura, eo in illo imago dei similius insinuetur expressa.
Ibidem Quo in loco mox subditur: Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, onyx, & beryllus, sapphirus, carbunculus, & smaragdus. Ecce nouem dixit nomina lapidum, quia profecto nouē sunt ordines angelorū. Quibus nimirū ordinibus ille primus angelus ideo ornatus & opertus extitit, quia dū cunctis agminibus angelorū prælatus est, ex eorū cō
D paratione clarior fuit. Sed cur istos persistentium angelorum choros enumerando perstrinximus, si non eorum quoq; ministeria subtiliter exprimamus? Græca etenim lingua angeli nuncij, archangeli uero summi nuncij uocantur. Sciendum uero q̄ angelorū uocabulū, nomē est officij, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper uocari angeli nequaq̄ possunt: quia tunc solū sunt angeli, cùm per eos aliqua nunciantur, unde & per Psalmistā
Psal.103 dicitur: Qui facit angelos suos spiritus. Ac si patēter dicat: Qui eos quos semper habet spiritus, etiā cùm uoluerit angelos facit. Hi autem qui minima nunciant, angeli: qui uero summa annunciant, archangeli uocantur. Hinc est enim q̄ ad Mariā uir
A ginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur. Ad hoc quippe ministeriū summū angelum uenire dignum fuerat, qui summum omnium nunciabat. Qui idcirco etiam priuatis nominibus censentur, ut signetur per uocabula etiam in operatione quid ualeant. Neq; enim in illa sancta ciuitate quam de uisione omnipotētis dei plena sciētia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum personæ sine nominibus sciri non possint: sed cùm ad nos aliquid ministraturi ueniunt, apud nos etiam nomina à ministerijs trahunt. Michael nanq;, quis ut deus? Gabriel autē fortitudo dei, Raphael uero dicit medicina dei. Et quotiens miræ uirtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibet, ut ex ipso actu & nomine detur intelli-
B gi quia nullus potest facere, quod facere prævalet deus. Vnde & ille antiquus hostis qui deo esse per superbiam similis concupiuit, dicēs: In cœlū con- Esa.14
scendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascēdam super altitudinē nubium, similis ero altissimo: dum in fine mundi in sua uirtute relinquetur extremo supplicio perimendus, cum Michaele archangelo prælaturus esse perhibetur, sicut per Ioannem dicitur: Factum est prelium cum Apoc.12
Michaele archāgelo: ut qui se ad dei similitudinē superbus extulerat, per Michaelem peremptus discat quia ad dei similitudinē per superbiā nullus exurgat. Ad Mariam quoq; Gabriel mittitur, qui dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare
C ueniebat, qui ad debellādas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Tollite portas principes uestras, & Psal.23
eleuamini portę æternales, & introibit rex glorię. Quis est iste rex gloriæ? dominus fortis & potēs, dominus potens in prælio. Et rursum, Dominus uirtutum ipse est rex gloriæ. Per dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui uirtutum dominus, & potens in prælio contra potestates aereas ad bella ueniebat. Raphael quoq; interpretatur, ut diximus, medicina dei: quia uidelicet dum To- Tob.3
biæ oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis eius tenebras terssit. Qui ergo ad curandum mittitur, dignum uidelicet fuit ut dei medicina uocaretur. Sed quia angelorum nomina in-
D terpretando perstrinximus, nunc superest ut ipsa officiorum uocabula breuiter exequamur. Vir- Angelorum officia
tutes etenim uocantur illi nimirum spiritus, per quos signa & miracula frequentius fiunt. Potestates etiam uocantur hi qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni uirtutes aduersæ subiectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum uolunt. Principatus etiam uocantur, qui ipsis quoq; bonis angelorum spiritibus præsunt, qui subiectis alijs dum quæq; sunt agenda disponunt, eis ad explenda diuina ministeria principātur. Dominationes autem uocantur, qui etiam potestates principatuum dissimili- Principari, & dominari, differunt
tudine alta transcendunt. Nam principari est inter reliquos priorem existere: dominari uero est

etiam

Lucæ 1 Gabriel archangelus quare fuit ad Mariam missus

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam ſubiectos quoſq; poſſidere. Ea ergo angelo
rum agmina quæ mira potentia præeminent, pro
eo quòd eis cætera ad obediendum ſubiecta ſunt,
dominationes uocantur. Throni quoq; illa agmi-
na ſunt uocata, quibus ad exercenda iudicia ſem-
per deus omnipotens præſidet. Quia enim thro-
Throni di- nos latino eloquio ſedes dicimus: throni dei dicti
cũtur ſedes ſunt hi qui tanta diuinitatis gratia replentur, ut in
eis dominus ſedeat, & per eos ſua iudicia decer-
nat. Vnde & per Pſalmiſtam dicitur: Sedes ſuper
Pſal.9 thronũ, qui iudicas æquitatem. Cherubin quoq;
plenitudo ſcientię dicitur. Et ſublimiora illa agmi
na idcirco Cherubin uocata ſũt, quia tanto perfe
ctiori ſcientia plena ſunt, quanto claritatem dei ui
cinius contemplantur, ut ſecundum creaturæ mo
dum, eo plenè omnia ſciant, quo uiſioni condito-
ris ſui per meritum dignitatis appropinquant. Se-
raphin etiam uocantur illa ſpirituũ ſanctorũ agmi
na, quæ ex ſingulari propinquitate conditoris ſui
incomparabili ardent amore. Seraphin nanq; ar-
dentes uel incendentes uocant. Quæ quia ita deo
coniuncta ſunt, ut inter hęc & deum nulli alij ſpi-
ritus interſint, tanto magis ardent, quãto hunc ui-
cinius uidẽt. Quorum profecto flamma amor eſt,
quia quo ſubtilius claritatem diuinitatis eius aſpi
ciunt, eo ualidius in eius amore flammeſcunt. Sed
quid prodeſt nobis de angelicis ſpiritibus iſta per
ſtringere, ſi non ſtudeamus hæc etiam ad noſtros
profectus congrua cõſideratione deriuare? Quia
enim ſuperna illa ciuitas ex angelis & hominibus
conſtat, ad quam tantum credimus humanum ge-
nus aſcendere, quantos illic contigit electos ange
los remanſiſſe, ſicut ſcriptum eſt: Statuit terminos
gentium ſecundum numerum angelorũ dei: debe
mus & nos aliquid ex illis diſtinctionibus ſuper-
norum ciuium ad uſum noſtræ conuerſationis tra
here, nosq; ipſos ad incrementa uirtutũ bonis ſtu-
dijs inflammare. Quia enim illuc tanta aſcenſura
creditur multitudo hominum, quanta multitudo
remanſit angelorum: ſupereſt ut ipſi quoq; homi-
nes qui ad cœleſtem patriam redeunt, ex eius ag-
minibus aliquid illuc reuertentes imitentur. Di-
ſtinctę nanq; conuerſationes hominum, ſingulo-
rum agminum ordinibus congruunt, ut in eorum
ſortem per cõuerſationis ſimilitudinem deputen
tur. Nam ſunt pleriq; qui parua capiunt, ſed tamẽ
hæc eadẽ parua piè annunciare fratribus non deſi
ſtunt. Iſti itaq; in angelorum numerum currũt. Et
ſunt nõnulli qui diuinæ largitatis munere refecti,
ſecretorum cœleſtium ſumma & capere prævalẽt
& nunciare. Quò ergo iſti, niſi inter archangelorũ
numerũ deputantur? Et ſunt alij qui mira faciunt,
ſigna ualenter operantur. Quò ergo iſti, niſi ad ſu-
pernarum uirtutum ſortem & numerum congru-
unt? Et ſunt nonnulli qui etiam de obſeſſis corpo
ribus malignos ſpiritus fugant, eosq; uirtute ora-
tionis & ui acceptæ poteſtatis eijciunt. Quò itaq;
iſti meritum ſuum, niſi inter poteſtatũ cœleſtium
numerũ ſortiuntur? Et ſunt nonnulli qui acceptis
uirtutibus etiam electorum hominũ merita tran-
ſcendunt, cũq; & bonis meliores ſunt, electis quo

A que fratribus principantur. Quò ergo iſti ſortem
ſuam niſi inter principatuum numeros accipiunt?
Et ſunt nõnulli qui ſic in ſemetipſis cunctis uitijs,
omnibusq; deſiderijs dominant, ut ipſo iure mun
ditiæ, dij inter homines uocent. Vnde & ad Moy
ſen dicitur: Ecce conſtitui te deũ Pharaonis. Quo Exo
ergo iſti, niſi inter numeros dominationum cur-
runt? Et ſunt nonnulli qui dum ſibimetipſis uigi-
lanti cura dominantur, dumq; ſe ſollicita intentio
ne diſcutiunt, diuino timori ſemper inhærentes,
hoc in munere uirtutis accipiũt, ut iudicare recte
& alios poſſint. Quorum profecto mẽtibus dum
diuina cõtemplatio præſto eſt, in his uelut in thro
no ſuo dominus præſidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de ſua ſede diſpenſat.
B Quid ergo iſti niſi throni ſui cõditoris ſunt? Vel
quò niſi ad ſupernarũ ſediũ numeros aſſcribũtur?
Per quos dum ſancta Eccleſia regitur, plerũq; de
quibuſdam ſuis infirmis actibus etiam electi iudi
cantur. Et ſunt nonnulli qui tanta dei ac proximi
dilectione pleni ſunt, ut Cherubin iure nominen
tur. Quia enim, ut præfati ſumus, Cherubin pleni-
tudo ſcientiæ dicitur, & Paulo dicente dicimus Rom.
quia plenitudo legis eſt charitas, omnes qui dei Cha
& proximi charitate cæteris amplius pleni ſunt, ecce
meritorum ſuorum ſortem inter Cherubin nume
ros perceperunt. Et ſunt nonnulli qui ſupernæ cõ
templationis facibus accenſi, in ſolo cõditoris ſui
deſiderio anhelant, nihil iam in hoc mundo cupi-
unt, ſolo æternitatis amore paſcunt, terrena quæ-
C que abijciunt, cuncta temporalia mente tranſcen
dunt, amant & ardent, atq; in ipſo ſuo ardore re-
quieſcunt, amando ardent, loquendo & alios ac-
cendunt, & quos uerbo tangunt, ardere protinus
in dei amore faciũt. Quid ergo iſtos niſi Seraphin
dixerim, quorum cor in igne conuerſum lucet &
urit, quia & mentiũ oculos ad ſuperna illuminãt,
& eos compungendo in fletibus uitiorum rubigi
nem purgant? Qui ergo ita ad amorem ſui condi-
toris inflammati ſunt, quo niſi inter Seraphin nu-
merum ſortem ſuæ uocationis acceperunt? Sed
hæc fratres chariſſimi me loquente, introrſus uos
ad uoſmetipſos reducite, ſecretorũ ueſtrorũ meri-
ta cogitationesq; diſcutite. Videte ſi quid iam bo-
ni uobiſcum intus agitis, uidete ſi in numero ho-
D rum agminum quę breuiter tangendo perſtrinxi-
mus, ſortem ueſtræ uocationis inuenitis. Væ autẽ
animę quæ in ſe de his bonis quę enumerauimus,
minime aliquid recognoſcit. Eiq; adhuc uæ dete-
rius imminet, ſi & priuatam ſe donis intelligit, &
nequaquam gemit. Quiſquis ergo talis eſt fratres
mei, gemendus eſt ualde, quia non gemit. Penſe-
mus ergo accepta electorũ munera, et uirtute qua
poſſumus, ad amorẽ tantæ ſortis anhelemus. Qui
in ſe donorum gratiam minime recognoſcit, ge-
mat. Qui uero in ſe minora cognoſcit, alijs maiora
non inuideat, quia & ſupernæ illæ diſtinctiones
beatorum ſpirituum ita ſunt conditæ, ut aliæ alijs
ſint prælatæ. Fertur uero Dionyſius Areopagita,
antiquus uidelicet & uenerabilis pater, dicere, q
ex minorum angelorum agminibus foras ad ex-
plendum

plendum ministerium uel uisibiliter uel inuisibili ter mittuntur, scilicet quia ad humana solatia aut angeli, aut archangeli ueniunt. Nam superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt: quoniam ea quæ præeminẽt, usum exterioris ministerij nequaquam habent. Cui rei illud uidetur esse con-
Esa.6 trarium quod Esaias dicit: Et uolauit ad me unus de Seraphin, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meũ. Sed in hac prophetæ sententia uult intelligi, quia ij spiritus qui mittuntur, eorũ uocabulum percipiunt, quorum officium gerunt. Qui enim ut peccata locutionis incendat, de altari angelus carbonem portat, Seraphin uocatur, quod incendium dicitur: Huic autem sensui & illud creditur non inconue-
Dan.7 nienter opitulari, quod per Danielem dicitur: Milia milium ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebant ei. Aliud nanque est ministrare, aliud assistere: quia ij administrant deo, qui ad nos nunciando exeunt: assistunt uerò, qui sic contemplatione intima perfruuntur, ut ad explenda foras opera minimè mittantur. Sed quia in quibusdam scripturæ locis quædam per Cherubin, quædam uerò per Seraphin agi didicimus: utrum per se hæc faciant, an per subiecta agmina agant, quæ sicut dicitur, in eo quòd à maioribus ueniũt, maiorum uocabula sortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis testimonijs nõ approbamus. Hoc tamen certissimè scimus, quia ad explẽdum de supernis ministerium alij spiritus alios mittũt:
Zach.2 Zacharia scilicet propheta testante, qui ait: Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur: & ecce alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre, & loquere ad puerum istum dicẽs: absq; muro habitabitur Hierusalem. Dum enim angelus ad angelum dicit, curre & loquere, dubium nõ est quia alius alium mittit. Minora uerò sunt quæ mittunt, maiora quæ mittunt. Sed hoc quoq; de ipsis agminibus quæ mittuntur certum tenemus, quia & cùm ad nos ueniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen nũquam desint interius per contemplationem. Et mittuntur igitur, & assistunt: quia etsi circunscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse, qui deus est, circunscriptus non est. Angeli itaque & missi, & ante ipsum sunt: quia quòlibet missi ueniant, intra ipsum currunt. Sciendum quoque est, quia plerunque ipsi beatorum spirituum ordines uicinorum sibi ordinum uocabula sortiuntur. Thronos etenim scilicet sedes dei specialem beatorum spirituum ordinem diximus, & tamen per
Psal.79 Psalmistam dicitur: Qui sedes super Cherubin, appare: quia uidelicet dum in ipsis distinctionibus agminum Cherubin thronis iunguntur: sedere etiam super Cherubin dominus ex uicini agminis æqualitate perhibetur. Sic quippe in illa summa ciuitate specialia quędam singulorum sunt, ut tamen sint communia omnium: & quod in se ex parte quisq; habet, hoc in alio ordine totum possidet. Sed idcirco uno eodemq; uocabulo communiter non censentur, ut ille ordo uocari priuato

Angelus angelum mittit interdũ

Dominus quare dicitur sedere super Cherubin

uniuscuiusq; rei nomine debeat, qui hanc in munere plenius accepit. Seraphin nanq; incendium diximus, & tamen amore cõditoris simul omnes ardent. Cherubin uerò plenitudinem scientiæ dicimus, & tamẽ quis ibi aliquid nesciat, ubi ipsum omnes simul fontem scientiæ deum uident? Throni quoq; illa agmina quibus cõditor præsidet, uocantur, sed beatus esse quis potest, nisi creator suus eius menti præsideat? Quæ ergo ex parte ab omnibus habẽtur, eis in priuato nomine data sunt, qui hæc in munere plenius acceperunt. Nam et si qua illic sic alij habent, ut haberi ab alijs nequaq; possint, sicut speciali noie dominationes & principatus uocãtur, cuncta ibi singulorum sunt: quia per charitatem spiritus, ab alio in alijs habentur. Sed ecce dum cœlestiũ ciuium secreta rimamur, ab expositionis nostræ ordine longe digressi sumus. Suspiremus ergo ad eos de quib. loquimur, sed redeamus ad nos. Meminisse etẽ debemus, quia caro sumus. Taceam? interim de secretis cœli, sed ante cõditoris oculos, manu pœnitentiæ tergamus maculas pulueris nostri. Ecce ipsa diuina misericordia pollicetur, dicens: Gaudium erit in
Luc.15 cœlo super uno peccatore pœnitentiã agente, & tamen per prophetam dñs dicit: Quia quacunq;
Ezech.33 die iustus peccauerit, omnes iustitiæ eius in oblitione erunt coram me. Pensemus si possumus dispensationem supernæ pietatis, quæ stantibus, si ceciderint, minatur pœnam, lapsis uerò ut surgere appetant, promittit misericordiam. Illos terret ne præsumant in bonis, istos refouet, ne desperẽt in malis. Iustus es, iram pertimesce, ne corruas: peccator es, præsume de misericordia ut surgas. Ecce autem iam lapsi sumus, stare nequaquam ualuimus, in prauis nostris desiderijs iacemus. Sed qui nos condidit rectos, adhuc expectat & prouocat ut surgamus. Sinum suæ pietatis aperit, nosq́ue ad se recipere per pœnitentiam quærit. Sed pœnitentiam agere dignam non possumus, nisi modum quoque eiusdem pœnitentiæ cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitẽtiam agere aut dissimulat, aut ignorat. Quid em̃ prodest si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelat? Aut quid prodest si iræ culpas iam luget, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat? Sed minus est ualde quod dicimus, ut qui peccata deplorat, ploranda minimè committat, & qui plangit uitia, perpetrare uitia timeat. Nam cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit cõmisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimet ipsi abscindere debeat etiam concessa: & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Minima sunt quæ loquor, si hæc ex sacri eloquij testimonijs non affirmo. Lex certè ueteris testamenti alienam uxorem cõcupisci prohibet. A rege uerò fortia iuberi militibus, uel desiderari aquam, non

Fõs sciẽtiæ est deus

Pœnitẽtiæ diffinitio

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœnaliter uetat. Et cuncti nouimus quòd Dauid A concupiſcentiæ mucrone transfixus alienam coniugem & concupiuit, & abſtulit. Cuius culpam digna uerbera ſunt ſecuta, & malum quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cùm longe pòſt contra hoſtium cuneos ſederet, aquã bibere de Bethlehemitica ciſterna ex deſiderio uoluit. Cuius electi milites inter cateruas aduerſantium medias erumpentes, aquã quam rex deſiderauerat, illæſi detulerunt. Sed uir flagellis eruditus, ſemetipſum protinus cum periculo militũ aquam deſideraſſe reprehendit, eamq; domino fundens libauit, ſicut illic ſcriptũ eſt: Libauit eam
1. Para.11 domino. In ſacrificiũ quippe domini effuſa aqua
2. Reg.23 conuerſa eſt, quia culpam concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam reprehenſionis ſuæ. Qui ergo quondam concupiſcere alienam coniugem nequaquam timuit, pòſt etiam quia aquam concupiſſet, expauit. Quia enim ſe illicita perpetraſſe meminerat, contra ſemetipſum iam rigidus, etiam à licitis abſtinebat. Sic ſic agamus pœnitentiam, ut ea quę commiſimus, perfectè defleamus. Penſemus ſupernas diuitias cõditoris noſtri. Pecare nos uidit, & pertulit. Qui nos ante culpam peccare prohibuit, etiam poſt culpam expectare ad ueniam non deſiſtit. Ecce ipſe nos quem deſpeximus uocat. Auerſi ab illo ſumus, & tamen
Eſa.31 non auertitur. Vnde bene per Eſaiam dicitur: Et erunt oculi tui uidentes præceptorem tuum, & aures tuæ audient uocem poſt tergum monentis. Quaſi in faciem ſuam homo monitus eſt, quando ad iuſtitiam cõditus, præcepta rectitudinis accepit. Sed cùm hæc eadem præcepta contempſit, quaſi conditori ſuo dorſum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc poſt tergum ſequitur & monet: quia iam & à nobis contemptus eſt, & tamen nos adhuc uocare non ceſſat. Quaſi dorſum ei in faciem dedimus, cuius uerba deſpicimus, cuius præcepta calcamus. Sed ſtans poſt tergum nos aduerſos reuocat, quia & uidet quòd deſpicitur, & tamen per præcepta clamat, per patientiam expectat. Penſate ergo fratres chariſſimi, ſi cuilibet ueſtrum loquenti famulus ſuus ſuperbiret, terga in faciem mitteret, nunquid non contemptus dominus eius ſuperbiam feriret, uulnera diſtrictæ D animaduerſionis infligeret? Ecce nos peccando authori noſtro terga in faciem dedimus, & tamen ſuſtinemur. Superbè auerſos benignè reuocat, & qui ferire nos auerſantes potuit, ut reuertamur munera promittit. Tanta ergo conditoris noſtri miſericordia duritiã noſtri reatus emolliat, ut homo qui malum quod fecit, experiri percuſſus poterat, ſaltem expectatus erubeſcat. Rem fratres breuiter refero, quã uiro uenerabili Maximiano tunc patre monaſterij mei atque presbytero, nũc autem Syracuſano epiſcopo narrante cognoui. Hanc autẽ ſi ſolerter auditis, charitati ueſtræ breuiter ſuffragari credo. Noſtris modo temporibus Victorinus quidã extitit, qui alio quoq; nomine Æmilianus appellatus eſt, non inopis ſubſtantiæ iuxta mediocritatem uitæ. Sed quia plerunq; re-

Dorſũ deo peccando uertimus, et tamen nos ſuſtinet

gnat in rerũ opulentia carnis culpa, in quodã facinore lapſus eſt, quod debuiſſet ualde pertimeſcere, ac de ſuæ mortis immanitate cogitare. Reatus ergo ſui conſideratione cõpunctus erexit ſe contra ſe, mundi huius omnia dereliquit, monaſteriũ petijt. In quo nimirũ monaſterio tantæ humilitatis, tantæq; ſibi diſtrictionis extitit, ut cũcti fratres qui illic ad amorem diuinitatis excreuerant, ſuam cogerentur uitam deſpicere, dum illius pœnitentiam uiderent. Studuit nanq; toto mentis adnixu cruciare carnẽ, uoluntates proprias frangere, furtiuas orationes quærere, quotidianis ſe lachrymis lauare, deſpectum ſui appetere, oblatam à fratribus uenerationem timere. Hinc itaq; nocturnas
B fratrum uigilias præuenire conſueuerat. Et quia mons in quo monaſterium ſitum eſt, ex uno latere in ſecretiore parte prominebat, illuc conſuetudinem fecerat ante uigilias egredi, ut ſe quotidie in fletu pœnitentiæ quanto ſecretius, tanto liberius mactaret. Contemplabatur nanq; diſtrictionem uenturi iudicis ſui, & iam eidem iudici concordans, puniebat in lachrymis reatum facinoris ſui. Quadam uerò nocte abbas monaſterij uigilias hunc latenter egredientem intuitus, lento foras pede ſecutus eſt. Quem cùm in ſecreto montis latere cerneret in oratione proſtratum, expectare uoluit quando ſurgeret, ut ipſam quoq; longanimitatẽ orationis eius exploraret, cùm ſubito cœlitus lux emiſſa ſuper eum fuſa eſt, qui in oratione
C proſtratus iacebat. Tantaq; ſe illo in loco claritas ſparſit, ut tota pars regionis illius ex eadem luce candeſceret. Quam abbas ut uidit, intremuit, & fugit. Cunq; poſt longum horæ ſpatium, idem frater ad monaſterium redijſſet, abbas eius ut diſceret an ſuper ſe effuſionem tanti luminis agnouiſſet, requirere eum ſtuduit, dicẽs: Vbi fuiſti frater? At ille latere poſſe ſe credẽs, in monaſterio ſe fuiſſe reſpondit. Quod negans abbas cõpulit eum dicere quid uidiſſet. At ille uidens ſe eſſe deprehenſum, hoc quoq; quod abbatem latebat, aperuit adiungens. Quãdo ſuper me uidiſti lucem de cœlo deſcendere, uox etiam pariter uenit dicens: Dimiſſum eſt tibi peccatũ tuum. Et quidem omnipotens deus peccatum eius potuit tacendo laxare. Sed loquendo per uocem, radiando per lumen, exemplo ſuæ miſericordiæ noſtra ad pœnitentiam uoluit corda cõuertere. Miramur fratres chariſſimi quòd perſecutorem ſuum Saulum dominus de cœlo proſtrauit, de cœlo allocutus eſt. Ecce noſtris quoq; temporibus peccator & pœnitens uocem de cœleſtibus audiuit. Illi dictum eſt: Quid me perſequeris? iſte uerò audire meruit: Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum. Longè eſt inferior meritis peccator iſte pœnitens quàm Paulus. Sed quia adhuc in hac re de Saulo loquimur, crudelitatem necis anhelante, liceat audenter dicere: quia Saulus propter ſuperbiam uocem increpationis, iſte uerò propter humilitatem uocem conſolationis audiuit. Hunc quia humilitas ſtrauerat, diuina pietas erigebat. Illum quia ſuperbia erexerat, diuina ſeueritas humiliabat. Habete

ergo

ergo fiduciam fratres mei de misericordia condi-
toris nostri, cogitate quæ facitis, recogitate quæ
feciſtis. Largitatem ſupernæ pietatis aſpicite, &
ad miſericordem iudicem dum adhuc expectat,
cum lachrymis uenite. Conſiderãtes nanq; quòd
iuſtus ſit, peccata ueſtra nolite negligere. Conſide
rantes uerò quòd pius ſit, nolite deſperare. Præ-
bet apud deum homini fiduciam deus homo. Eſt
nobis ſpes magna pœnitentibus, quia aduocatus
noſter factus eſt iudex noſter. Qui uiuit & regnat
cum patre & ſpiritu ſancto deus in ſecula ſeculo-
rum. Amen.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lucæ 21

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cùm audi-
eritis prælia & ſeditiones nolite terreri. Oportet e-
nim hæc primum fieri: ſed nondũ ſtatim finis. Tunc
dicebat illis: Surget gens contra gentem: &
regnum aduerſus regnũ, & terremotus ma
gni erunt per loca: & peſtilentiæ & fames,
terroresq; de cœlo, & ſigna magna erunt.
Sed ante hæc omnia inijcient uobis manus
ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynago-
gas & cuſtodias: trahentes ad reges & præ
ſides, propter nomen meum. Continget au
tem uobis in teſtimonium. Ponite ergo in
cordibus ueſtris non præmeditari quem-
admodum reſpondeatis. Ego enim dabo
uobis os & ſapientiam: cui non poterunt
reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij
ueſtri. Trademini autem à parentibus, &
fratribus, & cognatis, & amicis: & morte
afficient ex uobis. Et eritis odio omnibus
hominibus propter nomen meum. Et ca-
pillus de capite ueſtro non peribit. In pati-
entia ueſtra poſsidebitis animas ueſtras.

Homilia lectiõis eiuſdẽ habita ad populũ in baſilica ſancti Mammæ, die natalis eius.

Homilia trigeſimaquinta.

QVia longius ab urbe digreſſi ſumus ne ad re
uertendum nos tardior hora præpediat, ne-
ceſſe eſt ut expoſitionem ſancti Euangelij breui-
or ſermo tranſcurrat. Dominus ac redemptor no-
ſter perituri mundi præcurrentia mala denunciat,
ut eo minus perturbent uenientia, quo fuerint
præſcita. Minus enim iacula feriunt quæ præui-
dentur: & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipi-
mus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum mu-
nimur. Ecce enim dicit: Cùm audieritis prælia &
ſeditiones, nolite terreri. Oportet enim primùm

Iacula præ-
uiſa minus
feriunt

hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis.] Penſanda ſunt
uerba redemptoris noſtri, per quæ nos aliud inte
rius, aliud exterius paſſuros eſſe denunciat. Bella
quippe ad hoſtes pertinẽt, ſeditiones ad ciues. Vt
ergo nos indicet interius exteriusq; turbari, aliud
nos fatetur ab hoſtibus, aliud à fratribus perpeti.
Sed his malis præuenientibus quia non ſtatim fi-
nis ſequat, adiungit. Surget gens cõtra gentem &
regnũ aduerſus regnum: & terræmotus magni e-
runt per loca, & peſtilẽtiæ & fames, terroresq; de
cœlo, & ſigna magna erunt.] Vel ſicut in quibuſ-
dam codicibus inuenitur, terroresq; de cœlo, &
tempeſtates: atque poſt ſubditur: & ſigna magna
erũt. Vltima tribulatio multis tribulationibus pre
uenitur: & per crebra mala quæ præueniunt, indi-
cantur mala perpetua quæ ſubſequentur: Et ideo
poſt bella & ſeditiones nõ ſtatim finis: quia mul-
ta debent mala præcurrere, ut malum ualeant ſine
fine nunciare. Sed cùm tot ſigna perturbationis
dicta ſint, oportet ut eorum conſiderationem bre
uiter per ſingula perſtringamus, quia neceſſe eſt
ut alia è cœlo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab
hominibus patiamur. Ait enim: Surget gens
contra gentem.] ecce perturbatio hominum.

Bella & ſedi
tiones diffe
runt

Erunt terræmotus magni per loca] ecce reſpe
ctus iræ deſuper. Erunt peſtilentiæ] ecce inæ-
qualitates corporum. Erit fames] ecce ſterilitas
terræ. Terroresq; de cœlo & tempeſtates] ecce
inæqualitas aeris. Quia ergo omnia conſumman
da ſunt, ante conſummationem omnia pertur-
bantur, & qui in cunctis deliquimus, in cunctis fe
rimur ut impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro
eo orbis terrarum contra inſenſatos. Omnia nan-
que quę ad uſum uitę accepimus ad uſum conuer
timus culpæ. Sed cuncta quæ ad uſum prauitatis
infleximus, ad uſum nobis uertunt ultionis. Tran
quillitatem quippe humanæ pacis, ad uſum uerti-
mus uanæ ſecuritatis. Peregrinationem terrę, pro
habitatione diligimus patriæ. Salutem corporum
redigimus in uſum uitiorum. Vbertatis abundan
tiam, non ad neceſſitatem carnis, ſed ad peruerſi-
tatem intorſimus uoluptatis. Ipſa ſerena blandi-
menta aeris, ad amorem nobis ſeruire coegimus
terrenæ delectatiõis. Iure ergo reſtat ut ſimul nos
omnia feriant, quæ ſimul omnia uitijs noſtris ma-
lè ſubacta ſeruiebant: ut quot prius in mundo in-
columes habuimus gaudia, tot de ipſo poſtmodũ
cogamur ſentire tormẽta. Notandum uerò quòd
dicitur: Terrores de cœlo & tempeſtates,] Cùm
tempeſtates hyemales uenire ex ordine ſoleant
temporum, cur hoc loco tẽpeſtates uenire in per-
ditionis ſignum prædicuntur, niſi quòd eas tem-
peſtates dominus uenire denunciat, quæ nequa
quam ordinem temporum ſeruant? Quę enim or
dinatè ueniunt, in ſigna non ſunt, ſed tempeſtates
in ſigna ſunt, quæ ipſa quoque temporum ſtatuta
confundunt. Quod nos quoq; nuper experti ſu-
mus, qui æſtiuum tempus omne cõuerſum in plu
uijs hyemalibus uidimus. Quia autem cuncta hæc
non de iniuſtitia feriẽtis ſunt, ſed de merito mũdi
patientis, facta prauorum hominũ præmittuntur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm dicitur: Sed ante hæc omnia incipient uobis manus suas injicere, & persequentur, & tradent uos in synagogas, ducentes ad reges & præsides propter nomen meum.] Ac si apertè dicat: Prius corda hominum, & pòst elementa turbantur, ut cùm rerum ordo confunditur, ex qua iam retributione ueniat, demonstretur. Nam quamuis finis mundi ex ipso suo ordine pendeat, peruersiores tamen quosq; inueniens, quia dignè ruinis illius opprimantur, innotescit, cùm subditur:

Ducentes ad reges & prę̃sides propter nomen meum. Contingent autem hæc uobis in testimonium.] In testimonium uidelicet quorum, nisi eorum qui aut persequendo mortes inferunt, aut uidendo non mutantur? Mors quippe iustorum bonis in adiutorium est, malis in testimonium, ut inde peruersi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt ut uiuant. Sed auditis tot terroribus, turbari poterant infirmorum corda, atq; ideo consolatio adiungit̃, cùm protinus subinfertur: Ponite ergo in cordibus uestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & cõtradicere omnes aduersarij uestri.] Ac si apertè membris suis infirmantibus dicat: Nolite terreri, nolite pertimescere: uos ad certamen accedit̃is, sed ego prælior: uos uerba ædit̃is, sed ego sum qui loquor. Sequitur: Trademini autem à parentibus & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte ex uobis afficiẽt.] Minorem dolorem mala ingerũt, quæ ab extraneis inferuntur. Plus uerò in nobis ea tormenta sæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus prę̃sumebamus: quia cum damno corporis, mala nos cruciãt amissæ charitatis. Hinc est enim quod de luda traditore suo per Psalmistam dominus dicit: Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem utiq; : & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me utiq; ab eo. Tu uerò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo dei ambulauimus cum consensu. Et rursum: Homo pacis meæ in quo sperabã, & qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplãtationem. Ac si de traditore suo apertis uocibus dicat: Transgressionẽ eius tanto grauius pertuli, quãto hanc ab eo qui meus esse uidebatur, sensi. Omnes ergo electi quia summi capitis mẽbra sunt, caput quoq; suum in passione sequuntur, ut ipsos quoq; aduersarios in sua morte sentiant, de quorum uita præsumebant, & tanto eis crescat merces operis, quanto eis uirtutis lucrum proficit ex alienæ damno charitatis. Sed quia dura sunt quæ prædicunt̃ de afflictione mortis, protinus consolatio subdit̃ de gaudio resurrectionis, cùm dicitur: Capillus de capite uestro non peribit] Scimus fratres quia caro incisa dolet, capillus incisus non dolet. Ait ergo martyribus suis: Capillus de capite uestro non peribit.] uidelicet apertè dicẽs: Cur timetis ne pereat quod incisum dolet, quando & illud in uobis perire non potest, quod incisum nõ dolet?

Mors iustorum bonis est in adiutorium

Tormenta à notis illata plus nocent q̃ ab ignotis

Psal. 54

Psal. 40

Sequitur: In patiẽtia uestra possidebitis animas uestras] Idcirco possessio animę in uirtute patientiæ ponitur: quia radix omniũ custosq; uirtutũ patiẽtia est. Per patientiã uerò possidemus animas nostras: quia dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Patientia uerò est aliena mala æquanimiter perpeti, quia contra eum quoq; qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet sed ostendit. Scriptũ quippe est, Charitas patiens est, benigna uero est. Patiens nanq; est, ut aliena mala toleret, benigna uerò est, ut ipsos etiã quos portat, amet. Hinc nanq; per semetipsam ueritas dicit: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Virtus itaq; est coram hominibus, aduersarios tolerare, sed uirtus coram deo, diligere: quia hoc solum deus sacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Sciendum uerò quòd plerunq; ideo patientes esse uidemur: quia retribuere mala nõ possumus. Sed qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam ualet, proculdubio, ut prædiximus, patiens non est: quia patientia non in ostensione inquiritur, sed in corde. Per impatientiæ autem uitium, ipsa uirtutum nutrix doctrina dissipatur. Scriptũ nanq; est: Doctrina uiri per patientiã noscit̃. Tanto ergo quisq; minus ostenditur doctus, quanto conuincitur minus patiens. Neque enim potest ueraciter bona docendo impendere, si uiuendo nesciat æquanimiter aliena mala tolerare. Quanto enim culmine uirtus patientiæ polleat, rursus Salomon indicat, dicens: Melior est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Minor est ergo uictoria, urbes expugnare: quia extra sunt quæ uincuntur. Maius autem est quod per patientiam uincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimet ipsi subijcit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit. Sciendum uerò est quòd plerunque euenire patientibus solet, ut eo quidem tempore quo aduersa patiuntur, uel contumelias audiunt, nullo dolore pulsentur, & sic patientiam exhibeant, ut custodire etiam cordis innocentiam curẽt. Sed cùm post paululum hæc ipsa quæ pertulerint, ad memoriam reuocant, igne uehementissimi doloris instigantur. Argumenta ultionis inquirunt, & mansuetudinem quam tolerantes habuerunt, in retractatione sua semetipsos dijudicantes perdunt. Callidus nanq; aduersarius bellum contra duos mouet, unum uidelicet inflammans, ut contumelias prior inferat, alterum uerò prouocans, ut cõtumelias læsus reddat. Sed quia eius iam uictor extitit, quem ad proferendas contumelias commouit: contra illum acrius dolet, quem ad reddendas iniurias commouere non potuit. Vnde fit ut tota se uirtute contra eum erigat, quẽ contumelias fortiter pertulisse cõsiderat. Quẽ quia cõmouere in ipsa iniuriarũ iaculatione non

non potuit,ab aperto certamine interim recedēs, in secreta cogitatione deceptionis tempus inquirit.Et qui in publico bello perdidit,ad exhibēdas occulte insidias exardescit.Quietis nanq; iam tēpore ad uictoris animum redit, & uel damna rerum, uel iniuriarū iacula ad memoriam reducit. Cunctaq; quæ sibi illata sunt, uehementer exaggerans,fuisse intolerabilia ostendit: & quiescentis animum tanto furore conturbat,ut plerunque uir patiens illa se æquanimiter tolerasse, etiā post uictoriam captiuus erubescat: seq; non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si occasio præbeatur,quærat. Quibus ergo isti sunt similes,nisi his qui per fortitudinem in campo uictores sunt:sed per negligentiam postmodum intra urbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes,nisi his quos irruens grauis languor à uita non subtrahit:sed leuiter ueniens recidiua febris occidit.Ille ergo ueraciter patientiam seruat, qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat:& hæc eadem retractans, pertulisse se talia exultat: ne bonum patientiæ quietis tempore pereat, quod in perturbationibus custoditur. Sed quia natalem martyris hodierna die colimus, fratres mei, nequaquam nos à uirtute eius patientiæ existimare extraneos debemus. *Si enim* adiuuante nos domino uirtutem patientiæ seruare contendimus,& in pace Ecclesiæ uiuimus, & tamen martyrij palmam tenemus. Duo quippe sunt martyrij genera:unum in mente,aliud in mente simul & actione.Itaque esse martyres possumus, etiam si nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à persequente,martyrium in aperto opere est. Ferre uerò contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.Nam quia duo sunt martyrij genera:unum in occulto opere, aliud in publico,testatur ueritas, quæ Zebedæi filios requirit,dicens:Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Cui cùm protinus responderent: Possumus,ilico dominus respondit: dicens: Calicem quidem meum bibetis,Quid enim per calicem,nisi dolorem passionis accipimus? De quo aliâs dicit:Pater:si fieri potest,transeat à me calix iste. [illegible] Zebedæi filij, id est, Iacobus & Ioannes uterque per martyrium occubuit: & tamen quòd uterq; calicem biberet,audiuit.Ioannes nāque nequaquam per martyrium uitam finiuit,sed tamen martyr extitit: quia passionem quam non suscepit in corpore,seruauit in mente. Et nos ergo hoc exemplo sine ferro esse possumus martyres,si patientiam ueraciter in animo custodimus. Non abs re arbitror fratres charissimi, si unum uobis exemplum seruandæ patientiæ ad ædificationem loquar:Fuit quidam diebus nostris Stephanus nomine,pater monasterij iuxta Reatinæ urbis mœnia constituti:uir ualde sanctus,uirtute patientiæ singularis.Et supersunt multi qui illum nouerunt,eiusq; uel uitam,uel obitum narrant. Erat autem huius lingua rustica,sed docta uita. Hic pro amore cœlestis patriæ cūcta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat. Tumultus deuitabat hominum,crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat. Virtus tamen patientiæ in eo uehementer excreuerat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset.Reddebat contumelijs gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum,hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud quàm adiutores æstimabat.Hunc cùm dies mortis egredi de corpore urgeret: conuenerunt multi, ut tam sanctæ animæ de hoc mundo recedenti,suas animas commendarent. Cunq; circa lectum illius hi qui cōuenerunt, omnes assisterent: alij corporeis oculis ingredientes angelos uiderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt.Alij omnino nihil uiderunt, sed omnes qui aderant, ita uehementissimus timor perculit,ut nullus egrediente illa sancta anima, illic stare potuisset.Et hi ergo qui uiderant, & hi qui omnino nihil uiderāt,uno omnes timore perculsi & territi fugerunt.Nullusq; illic assistere illo moriente potuit.Pensate ergo fratres,omniporens deus qualiter terreat quādo districtus iudex uenturus est,si sic assistentes terruit, quando gratus & remunerans uenit:aut qualiter timeri potest, cùm uideri potuerit,si sic mentes præsentium strauit & quando uideri non potuit.Ecce fratres charissimi seruata illa in Ecclesiastica pace patientia, ad quantum hunc retributionis culmen euexit.Quid huic suus conditor intus dedit, de quo nobis tantam gloriam in die eius exitus & foris innotuit? Quibus hunc credamus nisi sanctis martyribus sociatum,quem attestantibus corporeis quoque oculis à beatis spiritibus constat esse susceptum? Nullo iste gladio percussus occubuit,& tamen coronam patientiæ quam in mente tenuit,in egressione percepit. Probamus quotidie uerū esse quod ante nos dictum est: quia sancta Ecclesia electorum floribus plena,habet in pace lilia,in bello rosas. *Sciēdū* præterea est quòd trib.modis uirtus patientiæ exerceri solet. Alia nāq; sunt quæ à deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus. A proximo nāq; persecutiones, dāna, & contumelias: ab antiquo uerò aduersario tentamēta:à deo aūt flagella toleram⁹. Sed in his omnibus tribus modis uigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduersarij, seducatur ad delectationem uel consensum delicti: ne contra flagella opificis ad excessum proruat murmurationis. Perfectè enim aduersarius uincitur,quando mens nostra & inter tentamenta eius ad delectationem atq; consensum non trahitur:& inter contumelias proximi custoditur ab odio:& inter flagella dei compescitur à murmuratione. Nec hæc agentes,retribui nobis bona præsentia requiramus:nam pro labore patientiæ bona speranda sunt sequentis uitę,ut tunc præmium nostri laboris incipiat,quādo omnis iam labor funditus cessat. Vnde & per Psalmistam dicitur:Non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Quasi enim

Matt.20 Mar. 10 Matt.26 Mar. 14

Martyrij genera duo sunt

Patientiæ seruandæ exēplum singulare

Patientiæ uirtus trib. modis exerceri solet

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim perijſſe patientia pauperum cernitur, cùm A
nihil pro illa in hac uita humilibus recompenſatur. Sed patientia pauperum in finem nõ peribit: quia tunc eius gloria percipitur, cùm ſimul omnia laborioſa terminantur. Seruate ergo fratres in mente patientiam, eamq; cùm res exigit, exercete in operatione. Nullum ueſtrum ad odium proximi, contumelioſa uerba commoueãt, nulla perí turarũ rerũ damna perturbent. Si enim fixa mente manſura damna pertimeſcitis, damna rerũ tranſeuntium grauia nõ putatis. Si æternæ retributionis gloriam cõcupiſcitis, de temporali iniuria nõ doletis. Tolerate ergo aduerſarios ueſtros: ſed ut fratres diligite, quos toleratis. Æterna præmia ꝓ damnis temporalibus quærite. Nec quiſquam ueB
ſtrũ ſuis ſe uiribus hanc implere poſſe cõfidat: ſed obtinete precib. ut ipſe hãc qui imperat, præſtet. Et ſcimus quia petentes libenter exaudit, quando hoc petitur largiri quod iubet. Cùm continuo pulſatur in prece, concitè opitulatur in tentatione, Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat deus in ſecula ſeculorum. Amen.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Luc.14 ILLO tempore dixit dominus Ieſus diſcipulis ſuC
is, parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis ut uenirẽt: quia iam parata ſunt omnia. Et cœperũt omnes ſimul excuſare. Primus dixit ei: Villã emi, & neceſſe habeo exire & uidere illam. Rogo te, habe me excuſatũ. Et alter dixit: Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa. Rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit Vxorem duxi, & ideo non poſſum uenire. Et reuerſus ſeruus nunciauit hæc domino D
ſuo. Tunc iratus paterfamilias, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. Et ait ſeruus: Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait dominus ſeruo: Exi in uias & ſepes, & cõpelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis quòd nemo uirorum illorum qui uocati ſunt, guſtabit cœnã meam.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad populum, in baſilica beatorum apoſtolorum Philippi & Iacobi: Dominica ſecunda poſt Trinitatem.

Homilia trigeſimaſexta.

HOc diſtare fratres chariſsimi inter delicias corporis & cordis ſolet, quòd corporales delicíæ cùm non habentur, graue in ſe deſiderĩ accendunt, cùm uerò auidè eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem uertunt. At contrà ſpiritales deliciæ cùm non habentur, in faſtidio ſunt, cùm uerò habentur, in deſiderio: tantoq; à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet. In iſtis appetitus uilis eſt, & experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat. In iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpiritales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quanto magis earum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur quod auidius ametur. Et idcirco non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur. Quis enim amare ualeat quod ignorat? Proinde Pſalmiſta nos admonet, dicens: Guſtate, & uidete quoPſ.
niam ſuauis eſt dominus. Ac ſi apertè dicat: Suauitatem eius non cognoſcitis, ſi hanc minimè guſtatis. Sed cibum uitæ ex palato cordis tangite, ut probantes eius dulcedinem amare ualeatis. Has autem homo delicias tunc amiſit, cùm in paradiſo peccauit, extra exijt, os à cibo æternæ dulcedinis clauſit. Vnde nos quoque nati in huius peregrinationis erumna, huc faſtidioſi iam uenimus: neſcimus quid deſiderare debeamus. Tantoq; ſe amplius faſtidij noſtri morbus exaggerat, quanto ſe magis ab eſu illius dulcedinis animus elongat. Et eò iam internas delicias non appetit, quo eas comedere diu longeq; deſueuit. Faſtidio ergo noſtro tabeſcimus, & longa inediæ peſte fatigamur. Et quia guſtare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miſeri famem noſtram. Sed ſuperna nos pietas, nec deſerentes ſe deſerit. Contemptas enim illas delicias ad memoriæ noſtræ oculos reuocat, easq; nobis proponit: in promiſſione torporem excutit, atq; ut faſtidium noſtrum repellere debeamus, inuitat. Ait nanque: Homo quidam fecit cœnam magnam, & [illegible] tumꝛ multos.] Quis iſte homo eſt, niſi ille de [illegible] phetam dicitur: Et homo eſt, & quis cognouit eum? Qui fecit cœnam magnam, quia ſatietatem nobis dulcedinis internæ præparauit. Qui uocauit multos, ſed pauci ueniunt: quia nonnunquam ipſi qui ei per fidem ſubiecti ſunt, æterno eius conuiuio malè uiuendo contradicunt. Sequitur: Miſit autem ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, ut uenirent.] Quid hora cœnæ, niſi finis eſt mundi? In quo nimirum nos ſumus, ſicut iam dudum Paulus teſtatur, dicens: Nos ſumus in quos fines ſeculorum deuenerũt. Si ergo iam hora cœnæ eſt cùm uocamur, tanto minus nos debemus excuſare à cõuiuio dei, quanto propinquaſſe iam cernimus finem ſeculi. Quo enim penſamus quia nihil eſt quod reſtat, eo debemus pertimeſcere, ne tempus gratiæ quod præſto eſt, pereat. Idcir-
co au

Universidad de Deusto

co autem hoc conuiuium dei non prandium, sed cœna uocatur: quia post prandium cœna restat, post cœnam uerò conuiuiũ nullum restat. Et quia æternum dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit ut hoc non prandium, sed cœna uocaretur. Sed quis per hunc seruum qui à patrefamilias ad inuitandum mittitur, nisi prædicatorum ordo designatur? De quo uidelicet ordine quamuis adhuc indigni existimus, quamuis peccatorum nostrorũ ponderib. grauamur, & nos tamen in istis diebus sumus, & cùm de ædificatione uestra aliquid uobis loquor, hoc est quod ago. seruus em̃ sum summi patrisfamilias. Cũ uos admoneo ad cõtemptum seculi, inuitare uos uenio ad cœnã dei. Nemo me propter me hoc in loco despiciat. Et si ad inuitandum nequaq; dignus appareo, sed tamẽ magnæ sunt deliciæ quas promitto. Sæpe fratres mei solet euenire quod dico, ut persona potens famulũ habeat despectum, cunq; per eum suis fortè uel extraneis aliquod responsum mãdat, nõ despicit̃ persona loquẽtis serui, quia seruatur in corde reuerẽtia mittẽtis domini. Nec pẽsant qui audiunt per quẽ, sed quid uel à quo audiant. Ita ergo fratres, ita uos agite, & si nos forsitan digne despicitis, in mente tamen uestra uocantis domini reuerẽtiam seruate. Conuiuæ fieri summi patrisfamílias libẽter obedite. Corda uestra discutite, atq; ex eis mortale fastidiũ pellite. Ad repellendum nanq; fastidiũ uestrũ iam parata sunt omnia. Sed si adhuc carnales estis, fortasse epulas carnales inquiritis. Ecce ipsæ carnales epulæ in spirítale uobis alimentum conuersæ sunt. Ad abstergendum nanq; mentis uestræ fastidium, in cœna dei ille uobis singularis agn9 est occisus. Sed quid agimus, qui hoc quod subiungitur, adhuc fieri à multis uidemus? Et cœperunt simul omnes excusare. Offert deus quod rogari debuerat, non rogatus dare uult, quod uix sperari poterat, quia dignaretur largiri postulatus, & tamen contemnit. Contemptorib. uerò paratas delícias refectionis æternæ denunciat, & tamen simul omnes excusant. Ponamus ante oculos mẽtis minima, ut possimus di[illegible] pensare maiora. Si quispiam potens ad inuit[illegible]m quemlibet pauperem mitteret, quid frat[illegible] rogo, quid pauper ille faceret, nisi de eadem sua inuitatione gauderet, responsum humile redderet, uestem mutaret, ire quantocyus festinaret, ne prior se ad potentis conuiuium alter occurreret? Homo ergo diues inuitat, & pauper occurrere festinat. Ad dei inuitamur conuiuium, & excusam9. Sed ecce inter hæc æstimare possum quid sibi corda uestra respondeant. Occultis em̃ fortasse sibimet cogitationibus dicunt: Excusare nolumus. Ad illud enim supernæ refectionis cõuiuium, & uocari & peruenire gratulamur. Loquentes uobis talia mentes uestræ uerum dicunt, si non plus terrena quàm cœlestia díligunt, si non amplius rebus corporalibus quã spiritalibus occupantur. Vnde hic quoq; ipsa excusantium causa subiũgitur, cùm protinus subinfert̃. Primus dixit: uillã emi, & necesse habeo exire & uidere illam, rogo te, habe me excusatum.] Quid per uillam, nisi terrena substantia designatur? Exijt ergo uidere uillam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam. Alter dicit: Iuga boum emi quinque & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.] Quid in quinque iugis boum, nisi quinque corporis sensus accipimus? Qui rectè quoq; iuga uocati sunt: quia in utroque sexu geminantur. Qui uidelicet corporales sensus quia interna comprehendere nesciunt, sed sola exteriora cognoscunt: & deserentes intima, ea quæ extra sunt tangunt: rectè per eos curiositas designatur. Quæ dum alienam quærit uitam discutere, semper sua intima nesciens, studet exteriora cogitare. Graue nanque curiositatis est uitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam uitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, ut aliena sciens se nesciat, & curiosi animus quanto peritùs fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. Propter hoc nanque & de eisdem quinq; iugis boum dicitur: Eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.]

Ipsa enim excusantis uerba à uitij sui significatione non discrepant, dum dicit, eo probare illa: quia uidelicet aliquando pertinere probatio ad curiositatem solet. Sed notandum est quòd & is qui propter uillam, & is qui propter probanda iuga boum à cœna sui inuitatoris excusat, humilitatis uerba permiscet, dicẽs: Rogo te, habe me excusatũ.] Dum em̃ dicit, rogo te: & tamen uenire contemnit, humilitas sonat in uoce, superbia in actione. Et ecce hęc dijudicat prauus quisque cùm audit: nec tamen ea quæ dijudicat, agere desistit. Nam dum cuilibet peruerse agenti dicimus, conuertere, deum sequere, mũdum relinque: ubi hũc nisi ad dominicã cœnã uocamus? Sed cùm respõdet, ora pro me, quia peccator sum: hoc facere nõ possum: quid aliud agit, nisi & rogat & excusat? Dicens nanque peccator sum, humilitatem insinuat: subiungens autem, conuerti non possum: superbiam demonstrat. Rogando ergo excusat, qui humilitatem perducit in uoce, & superbiam exercet in actione. Alius autem dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire.] Quid per uxorem nisi uoluptas carnis accipitur? Nam quamuis bonum sit coniugium, atq; ad propagandam sobolem prouidentia diuina constitutum, nonnulli tamen non per hoc fœcũditatem prolis, sed desideria expetunt uoluptatis, & idcirco per rẽ iustam significari potest non incongruè res iniusta. Ad cœnam ergo nos æterni cõuiuij summus paterfamilias inuitat, sed dum alius auaritiæ, alius curiositati, alius uoluptati carnis est deditus, nimirũ reprobi simul omnes excusant. Dum hũc terrena cura occupat, illũ alieni actus sagax cogitatio deuastat, alterius etiã mentẽ uoluptas carnalis inquinat, fastidiosus quisq; ad æternæ uitæ epulas non festinat. Sequitur: Reuersus seruus nũciauit hęc dño suo. Tũc iratus paterfamílias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes, debiles, cæcos & claudos, introduc huc.] Ecce q; terrenę substãtię plus iustò incũbit, uenire ad dominicam

Cõiugium bonum est

minicam cœnam recuſat : qui labori curioſita-
tis inſudat, præparata uitæ alimenta faſtidit: qui
carnalibus deſiderijs inſeruit, ſpiritalis cõuiuij e-
pulas reſpuit. Quia ergo uenire ſuperbi renuunt,
pauperes eliguntur. Cur hoc? quia iuxta Pauli uo
cem, infirma mundi elegit deus, ut confundat for
1.Cor.1 tia. Sed notandum nobis eſt quomodo deſcriban
tur qui ad cœnam uocantur, & ueniunt. Paupe-
res & debiles dicuntur, qui iudicio ſuo apud ſe-
metipſos infirmi ſunt. Nam pauperes & quaſi for
tes ſunt, qui & poſiti in paupertate ſuperbiũt. Cæ
ci uerò ſunt, qui nullum ingenij lumen habent.
Claudi quoq; ſunt, qui rectos greſſus in operatio
ne non habent. Sed dum morũ uitia in membro-
rum debilitate ſignantur, profecto liquet quia ſi- B
cut illi peccatores fuerunt, qui uocati uenire no-
luerunt; ita hi quoq; peccatores ſunt, qui inuitantẽ
& ueniũt. Sed peccatores ſuperbi reſpuũt, ut pec-
catores humiles eligantur. Hos itaq; elegit deus,
Deus elegit quos mundus deſpicit quos deſpicit mũdus, quia plerũq; ipſa deſpectio
hominẽ reuocat ad ſemetipſum. Is enim qui pa-
trem reliquit, & partem ſubſtantiæ quam perce-
perat prodige expendit, poſtquam eſurire cœpit,
Luc.15 in ſe reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo
patris mei abundant panibus? Longe quippe à
ſe diſceſſerat, quando peccabat. Et ſi non eſuriſ-
ſet, in ſemetipſum minime redijſſet, quia poſtquã
terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid
de ſpiritalibus amiſit. Pauperes ergo & debiles, cę
ci & claudi uocãtur, & ueniunt, quia infirmi qui- C
que, atque in hoc mundo deſpecti, plerunq; tan-
to celerius uocem dei audiunt, quanto & in hoc
mundo non habent ubi delectentur. Quod bene
1.Reg.30 Amalechitarũ puer ille Ægyptius deſignat, qui
Amalechitis prædantibus atque currẽtibus ęger
remanſit in uia, & fame ſitiq; aruit. Quẽ cùm Da-
uid inuenit, ei cibũ potũq; præbuit, qui illico con-
ualeſcens dux Dauid factus eſt. Cõuiuantes Ama
lechitas reperit, & eos qui ſe debilẽ reliquerant,
cũ magna fortitudine ꝓſtrauit. Amalechita quip-
pe populus lambẽs uocatur. Et quid per lamben-
tem populum niſi mẽtes ſeculariũ deſignantur?
Quę terrena cuncta ambiendo quaſi lambunt, dũ
ſolis temporalibus delectãtur. Quaſi enim popu-
lus lambens prædam facit, dum terrena diligẽtes, D
lucra de alienis damnis exaggerãt. Sed puer Ægy
ptius ęger in uia relinquit, quia peccator quiſque
dum infirmari ab huius mũdi ſtatu cœperit, mox
ſecularibus mentibus in deſpectum uenit. Quem
tamẽ Dauid inuenit, eiq; cibum & potũ præbet:
quia manu fortis dñs abiecta mũdi non deſpicit,
& plerũq; eos qui ſequi mundũ minimè ualentes,
quaſi in uia remanent, ad amoris ſui gratiam con-
uertit: eisq; uerbi ſui cibum potumq; porrigit, &
quaſi duces ſibi in uia eligit, dum ſuos etiã prędica
tores facit. Dum enim Chriſtum peccatorum cor
dibus inferũt, quaſi Dauid ſuper hoſtes ducunt.
Qui cõuiuãtes Amalechitas uelut Dauid gladio
feriunt, quia ſuperbos quoſq; qui ſe in mundo de
ſpexerãt, dñi uirtute proſternũt. Puer ergo Ægy-
pti° qui in uia remãſerat, Amalechitas interfecit:

quia plerunq; ipſi mentes ſecularium prędicando A
ſuperant, qui prius cum ſecularibus in hoc mun-
do currere non ualebant. Sed deductis ad cœnam
pauperibus, quid puer ſubiũgat audiamus. Do
mine factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt.]
Multi tales ad cœnam dominicam ex Iudæa col-
lecti ſunt, ſed multitudo quæ ex Iſraelitico popu-
lo credidit, locum ſuperni conuiuij non implenit.
Intrauit iam frequentia Iudæorum, ſed adhuc lo-
cus uacat in regno, ubi ſuſcipi debeat numeroſi-
tas gentium. Vnde & eidem ſeruo dicitur. Exi
in uias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur
domus mea.] Cùm de uicis & plateis ad cœnam
quoſdã dominus inuitat, illũ uidelicet populũ de-
ſignat, qui tenere legem ſub urbana cõuerſatione B
nouerat. Cùm uerò cõuiuas ſuos colligi ex uijs &
ſepibus præcipit, nimirum agreſtem populũ col-
ligere, id eſt gentilem quęrit, de cuius ſignificatio
ne per Pſalmiſtã dicitur: Tunc exultabunt omnia Pſal.
ligna ſiluarũ ante faciem dñi, quoniã uenit. Ligna 95.
enim ſiluæ, gẽtes uocatæ ſunt, quia in infidelitate
ſua tortæ & infructuoſæ ſemper fuerũt. Qui ergo
ex illo agreſti uſu conuerſi ſunt, ad cœnam domi-
nicã quaſi ex ſepibus uenerunt. Notandum uerò
eſt quòd in hac inuitatione tertia non dicitur, in-
uita, ſed compelle intrare. Alij enim uocantur, &
uenire contẽnunt. Alij uocantur & ueniunt. Alij
aũt nequaq; dicitur quia uocantur, ſed cõpelluntur
ut intrent. Vocantur & uenire contẽnunt, qui do
num quidem intellectus accipiunt, ſed eundẽ in- C
tellectum operibus non ſequuntur. Vocantur &
ueniunt, qui acceptam intellectus gratiã operan-
do perficiunt. Quidam uerò ſic uocantur, ut etiã
cõpellantur. Nam ſunt nõnulli, qui bona faciẽda
intelligunt, ſed hęc facere deſiſtunt. Videt quæ a-
gere debeant, ſed hæc ex deſiderio nõ ſequuntur.
His plerũq;, ut ſuperius diximus, cõtingit, ut eos
in carnalibus deſiderijs ſuis mundi huius aduerſi-
tas feriat, apprehendere temporalem gloriam co
nentur, & nequeant: & dum per alta pelagi qua-
ſi ad grandiores curas huius ſeculi nauigare pro-
ponunt, ſemper aduerſis flatibus ad deiectionis
ſuæ littora repellantur. Cunq; ſe frangi in deſideriis
ſuis, aduerſante mundo cõſpiciunt, qui de ſe au-
tori ſuo debeant cõmonẽtur: ita ut ad eum erube- D
ſcentes redeant, qui eum ſuperbientes pro mun-
di amore deſerebant. Sæpe nanq; nonnulli ad tẽ-
poralem gloriam proficere uolentes, aut longa ę-
gritudine tabeſcunt, aut afflicti iniurijs concidũt,
aut percuſsi grauibus damnis affliguntur, & in
mundi dolore uident, quia nihil cõfidere de eius
uoluptate debuerunt, ſeq; ipſos in ſuis deſiderijs
reprehendentes, ad deũ corda cõuertunt. De his
quippe dominus per prophetam dicit: Ecce ego Oſe
ſepiam uiam tuam ſpinis, & ſepiã eam maceria, & 2.
ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores
ſuos, & non apprehendet eos, quæret, & non in-
ueniet eos, & dicet, Vadam & reuertar ad uirum
meum priorem, quia bene mihi erat tũc magis q;
nũc. Vir uniuſcuiuſq; fidelis animæ deus eſt, quia
hæc uidelicet ei eſt cõiuncta per fidẽ. Sed illa quæ

coniun-

coniuncta deo fuerat anima, amatores suos sequi A
tur, quando mens quæ iam per fidē credidit, ad-
huc se immūdis spiritib. in operatione substernit,
mundi gloriā quærit, carnali delectatione pascit̄,
exquisitis uoluptatib. nutritur. Sed plerunq; om-
nipotens deus talem animam misericorditer re-
spicit, & eius uoluptatib. amaritudines permiscet.
Oseæ 2 Vnde dicit: Ecce ego sepiam uias tuas spinis. Vię
etenim nostræ spinis septæ sunt, quando in hoc q̄
malè cupimus, dolorum punctiones inuenimus.
Et sepiam eas maceria, & semitas suas non inue-
niet. Viæ nostræ maceria sepiuntur, cum deside-
rijs nostris duræ in hoc mundo obiectiones resi-
stunt. Et semitas nostras inuenire non possumus,
quia hoc quod malè quærimus, adipisci prohibe- B
mur. Et sequetur amatores suos, & non apprehen
det eos, quæret, & non inueniet eos: quia malig-
nos spiritus quibus se in suis desideriis anima sub-
didit, ad desideriorum suorum effectum minimè
comprehēdit. Sed ex hac salubri aduersitate quā-
ta utilitas nascatur, adiungit cùm subdit̄. Et dicet:
Vadam & reuertar ad uirum meum priorē, quia
bene mihi erat tunc magis q̄ nunc. Postq̄ ergo
uias suas spinis septas inuenit, postq̄ amatores su
os apprehendere non ualet, ad amorē uiri prioris
redit: quia plerunq; postq̄ in hoc mundo nō pos-
sumus obtinere quæ uolumus, postquam in terre
nis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc ad
mentem deum reducimus, tunc placere incipit
quod displicebat, & is cuius nobis amara fuerant C
præcepta, repentè dulcescit in memoria, & pecca
trix anima quæ adultera conata est esse, nec tamē
aperto opere potuit, decernit esse fidelis cōiunx.
Qui ergo huius mundi aduersitatib. fracti, ad dei
amorem redeunt, atq; à præsentis uitæ desiderijs
corriguntur, quid isti fratres mei nisi compellun-
tur ut intrent? Sed ualde est tremenda sententia
quæ protinus subinfertur. Intenta hanc cordis au
re percipite fratres & domini mei: Inquātum pec
catores, fratres mei, inquantum iusti, domini mei.
Intenta hanc aure percipite, ut tanto eam minus
sentiatis in examine, quāto nunc auditis formido
losius in prædicatione. Ait enim: Dico autem
uobis, quòd nemo uirorū illorū qui uocati sunt,
gustabit cœnam meam.] Ecce uocat per se, uocat D
per angelos, uocat per patres, uocat per prophe-
tas, uocat per Apostolos, uocat per pastores, uo-
cat etiam per nos, uocat plerūq; per miracula, uo-
cat plerunq; per flagella, uocat aliquando per hu
ius mundi prospera, uocat aliquando per aduer-
sa. Nemo contemnat, ne dum uocatus excusat, cū
uoluerit intrare non ualeat. Audite quid sapien-
Prou. 1 tia per Salomonem dicat: Tunc inuocabunt me,
& non exaudiam, manè consurgent, & non inue-
nient me. Hinc est quod fatuæ uirgines tardè ue-
Mat. 25 nientes clamant dicentes: Domine domine aperi
nobis. Sed iam tunc aditum quærentibus dicitur:
Amen amen dico uobis, nescio uos. Quid inter
hæc fratres charissimi nisi relinquere omnia debe
mus, curas mundi postponere, solis desiderijs æ-
ternis inhiare? Sed hæc paucis data sunt. Admo-
nere uos uolo, ut relinquatis omnia, sed non præ-
sumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non pote
stis, sic tenete quæ huius mundi sunt, ut tamē per
ea non teneamini in mundo, ut terrena res possi-
deatur, non possideat, ut sub mentis uestræ sit do
minio quod habetis, ne mens uestra dum terrena
rum rerum amore uincitur, à rebus suis ipsa ma-
gis possideatur. Sit ergo res temporalis in usu, æ-
terna in desiderio: sit res temporalis in itinere, de-
sideretur æterna in peruentione. Quasi ex latere
respiciatur quicquid in hoc mundo agitur. Ante
nos autem tendant mentis oculi, dum tota inten-
tione illa conspiciunt, ad quæ peruenimus. Extir-
pent̄ funditus uitia, non solum ab actu operis, sed
etiam à cogitatione cordis euulsa. Non nos uolu-
ptas carnis, non sollicitudo curiositatis, nō æstus
ambitionis à dominica cœna præpediat, sed ipsa
quoque quæ honesta in mūdo agimus, quasi ex
quodam mentis latere tangamus, ut terrena quæ-
libet sic no ̄tro corpori seruiant, quatenus cordi
minimè obsint. Non ergo fratres audemus uo-
bis dicere, ut omnia relinquatis, sed tamen si uul-
tis, omnia etiam retinendo relinquitis, si sic tem-
poralia geritis, ut tamen tota mente ad æterna tē-
datis. Hinc etenim Paulus Apostolus dicit: Tem
pus breue est: reliquum est ut qui habent uxores,
tanquā non habentes sint, & qui flent, tanq̄ non
flentes: & qui gaudēt, tanq̄ non gaudentes: & qui
emunt, tanq̄ non possidentes, & qui utuntur hoc
mundo, tanq̄ non utant̄. pręterit enim figura hu-
ius mundi. Vxorem nanq; habet sed quasi nō ha-
bens, qui sic scit debita carnis exoluere, ut tamen
per ea mundo tota mente non cogatur inhærere.
Nam cùm idem rursum egregius prædicator di-
cat: Qui habet uxorē, cogitat quę sunt huius mun
di, quō placeat uxori: ille uxorem habet quasi nō
habens, qui sic studet placere coniugi, ut tamen
non displiceat conditori. Flet quoq;, sed tanq̄ nō
fleat, qui sic temporalib. damnis affligit̄, ut tamen
de æternis lucris semper animū consolet̄. Gaudet
uerò, sed tanq̄ non gaudeat, qui sic de temporali-
bus bonis hilarescit, ut tamen semper tormēta per
petua cōsideret, & in hoc q̄ mentem gaudio sub-
leuat, hanc cōtinuò pondere prouidi timoris pre
mat. Emit aūt sed quasi non possidens, qui & ad
usum terrena præparat, & tamen cauta cogitatio
ne præuidet quòd hæc citius relinquat. Mundo
quoq; utitur, sed quasi non utatur, qui & necessa-
ria cuncta exterius ad uitæ suæ ministerium redi-
git, & tamen hæc eadem nō sinit suæ menti domi
nari, ut subiecta foris seruiāt, & nunq̄ intentionē
animi ad alta tendentis frangāt. Quicunq; ergo ta
les sunt, eis profectò terrena omnia nō ad deside-
riū, sed ad usum assunt: quia rebus quidē necessā-
rijs utunt̄, sed nihil habere cum peccato cupiunt.
De ipsis quoq; rebus habitis quotidie mercedes
acquirunt, & plus gaudent bono opere, q̄ bona
possessiōe. Ac ne aliquib. ista difficilia esse uidean
tur, rem de persona refero, quā multi uestrū mecū
nouerunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

nouerunt. Quam uidelicet rem ipſe ante triennũ in Centumcellenſi urbe à perſonis fidelibus didici. Nuper nanq; in eadem ciuitate Theophanius comes fuit, uir miſericordiæ actib. deditus, bonis operibus intentus, hoſpitalitati præcipuè ſtudens. Exercendi comitatus actib. occupatus, agebat terrena & temporalia, ſed ut pòſt ex fine eius claruit, magis ex debito quàm ex intẽtione. Nam cùm appropinquante mortis eius tẽpore, grauiſſima aeris tempeſtas obſiſteret, ne ad ſepeliendũ duci potuiſſet, eumq; coniunx ſua cum fletu uehementiſſimo requireret, dicens: Quid faciam? quo modo te ad ſepeliendum eijcio, quæ oſtium domus huius egredi præ nimia tempeſtate nõ poſſum? Tunc ille reſpondit: Noli mulier flere, quia mox ut ego defunctus fuero, aeris ſerenitas redibit. Cuius protinus & uocem mors, & mortem ſerenitas eſt ſecuta. Cuius manus ac pedes podagrę humore tumeſcentes, & uerſi in uulneríb. fuerãt, & profluente ſanie putebant. Sed cum corpus illius ex more ad lauãdum fuiſſet detectum, ita manus, pedesq; illius ſani reperti ſunt, ac ſi unquam uulneris nihil habuiſſent. Ductus itaq; ac ſepultus eſt: eiusq; coniugi uiſum eſt ut quarto die in ſepulchro illius marmor quod ſuperpoſitum fuerat mutari debuiſſet. Quod uidelicet marmor corpori eius ſuperpoſitum dum fuiſſet ablatum, tãta ex eius corpore fragrantia odoris emanauit, ac ſi ex putreſcenti carne illius pro uermibus aromata fer buiſſent. Hæc igitur dixi, ut è uicino exemplo oſtendere poſſem, nonnullos & ſecularem habitũ gerere, & ſecularem animum non habere. Quos enim tales in mundo neceſſitas ligat, ut ex omni parte exui à mundo non poſſint, ſic debẽt ea quæ mundi ſunt tenere, ut tamen eis neſciant ex mentis fractione ſuccumbere. Hoc ergo cogitate, & cum relinquere cuncta quæ mundi ſunt, non poteſtis, exteriora bene exterius agite, ſed ardenter interius ad æterna feſtinate. Nihil ſit quod deſiderium ueſtræ mẽtis retardet, nullius uos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id eſt in cœleſtibus, delectetur. Si malum metuitur, mala animo æterna proponantur, ut dum illic eſſe conſpicit & amplius quod diligat, & amplius quod pertimeſcat, hic omnino nõ hæreat. Ad hæc agẽda habem⁹ mediatorem dei & hominum, adiutorem noſtrum, per quẽ citius cũcta obtinebimus, ſi ad illum uero amore flagramus. Qui uiuit & regnat cũ patre, &c.

Theophanij comitis cõmẽdatio

Mentis noſtræ deſiderium nihil retardare debet

Lectio ſancti euangelij ſecundum Lucam.

Luc. 14

IN illo tempore. Dixit Ieſus turbis: Si quis uenit ad me, & non odit patrem ſuum, & mãtrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animã ſuam: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui non baiulat crucem ſuã, & uenit poſt me: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quis enim ex uobis uolẽs turrim ædificare, nónne prius ſedens cõputat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum, ne poſtquam poſuerit fundamentum, & nõ potuerit perficere, omnes qui uiderint, incipiant illudere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit cõſummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduerſus alium regem, nónne ſedẽs prius cogitat ſi poſſit cum decem milibus occurrere ei qui cum uiginti milibus uenit ad ſe? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex uobis qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus.

Homilia lectionis eiuſdem, habita ad populũ in baſilica beati Sebaſtiani martyris.

Homillia XXXVII

SI conſideremus fratres chariſſimi, quę & quãta ſunt quæ nobis promittuntur in cœlis, uile ſcunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena nanq; ſubſtantia ſupernæ fœlicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium. Temporalis uita æternæ uitæ comparata, mors eſt potius dicenda quàm uita. Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid eſt aliud quàm quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, uel quis intellectus capere ſufficit, illa ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia, angelorum choris intereſſe, cũ beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere, præſentem dei uultum cernere, incircumſcriptum lumen uidere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Sed ad hæc audita inardeſcit animus, iamq; illic cupit aſſiſtere, ubi ſperat ſine fine gaudere: ſed ad magna præmia perueniri non poteſt, niſi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator dicit: Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Delectat ergo mẽtem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamẽ laborum. Vnde ad ſe uenientib. ueritas dicit: Si quis uenit ad me, & nõ odit patrem ſuum & matrẽ, & uxorẽ, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.] Sed percontari libet quomodo parẽtes & carnaliter propinquos pręcipimur odiſſe, qui iubemur & inimicos diligere? Et certè ueritas de uxore dicit: Quod de⁹ cõiunxit, homo nõ ſeparet. et Paul⁹ ait: Viri diligite uxores ueſtras, ſicut & Chriſt⁹ eccleſiã. Ecce diſcipul⁹ uxorẽ diligẽdam prædicat, cũ magiſter dicat: Qui uxorem

uxorē non odit, non potest meus esse discipulus? A
Nūquid aliud iudex nūciat, aliud præco clamat?
An simul & odisse possumus, & diligere? Sed si
uim præcepti perpendimus, utrunq; agere per di
scretionem ualemus: ut eos qui nobis carnis cog-
natione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduersarios in uia dei pa-
timur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi ēm
per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum
praua nobis ingerit, nō auditur. Vt autem domi-
nus demonstraret hoc erga proximos odium, nō
de affectione procedere, sed de charitate, addidit
protinus dicens: Adhuc autem & animā suā.]
Odisse itaq; præcipimur proximos, odisse & ani-
mam nostram. Constat ergo, quia amando debet B
odisse proximum, qui sic eum odit, sicut semetip-
sum. Tunc etēm bene nostrā animam odimus, cū
eius carnalibus desideriis nō acquiescimus, cùm
eius appetitum frangimus, eius uoluptatib. relu-
ctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur,
quasi per odium amatur. Sic sic nimirum exhibe-
re proximis nostris odij discretionem debemus,
ut in eis & diligamus quod sunt, & habeamus o-
dio quòd in dei nobis itinere obsistūt. Certè dum
Paulus Hierosolymam pergeret, propheta Aga-
bus zonam illius apprehendit, suisq; pedib. alliga
Actō.21 uit, dicens: Virum cuius hæc zona est, sic alliga-
bunt Iudæi in Hierusalem. Sed is qui animam suā
perfectè oderat, quid dicebat? Ego non solum al-
ligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro C
nomine domini Iesu Christi, nec facio animā me-
am pretiosiorem quàm me. Ecce quomodo ani-
Paulus ani- mam suam amādo oderat, immo odiens amabat,
mam suam quam cupiebat pro Iesu morti tradere, ut hanc ad
amando o- uitam de peccati morte suscitaret. Ab hac ergo di
derat scretione odij nostri trahamus formam ad odium
proximi. Ametur quilibet in hoc mundo etiam
aduersarius, sed in uia dei contrarius non ametur
etiam propinquus. Quisquis ēm iam æterna con-
cupiscit, in ea quam aggredit causa dei, extra pa-
trem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, ex
tra cognatos, extra semetipsum fieri debet, ut eo
uerius cognoscat deum, quo in eius causa nemi-
nem recognoscit. Multum nāq; est quod carnales
affectus intentionem mentis diuerberant, eiusq; D
aciem obscurant, quos tamen nequaq; noxios pa
timur, si eos premendo teneamus. Amandi ergo
sunt proximi, impendenda est charitas omnibus
& propinquis & extraneis, nec tamen pro eadem
charitate à dei amore flectendum. Scimus au-
tem quia cum de terra Philistijm arca domini ad
Arca domi- terrā Israelitarum rediret, plaustro superimposita
ni ferebatur est, & uaccæ plaustro subiūctæ sunt, quæ fœtæ fu-
per uaccas isse memorantur, quarum filios clauserunt domi.
1.Reg.6 Et scriptū est: Ibant autē in directū uaccæ per uiā
quę ducit Bethsamis, uno itinere gradiebant, per
gētes & mugiētes, & non declinabāt neq; ad dex
terā neq; ad sinistrā. Quid ergo uaccæ nisi fideles
quosq; in Ecclesia designāt? qui dū sacri eloquij
præcepta cōsiderāt, quasi superimpositam sibi do
mini arcā portāt. De quib. hoc etiā est notandum
q; fuisse fœtæ memorant: quia sunt pleriq; qui in
uia dei intrinsecus positi, foris carnalib. affectib.
ligantur, sed nō declinant à recto itinere, qui arcā
dei portant in mente. Ecce ēm uaccæ Bethsamis
pergunt. Bethsamis quippe dicitur domus Solis.
Et propheta ait: Vobis autem qui timetis domi- Mala.4
num, orietur Sol iustitiæ. Si ergo ad æterni Solis
habitationem tendimus, dignum profectò est, ut
de dei itinere pro carnalibus affectib. nō declinemus. Tota ēm uirtute pēsandum est, q; uaccæ dei
plaustro suppositæ pergunt, & gemūt. Dant ab in
timis mugitus, & tamē ab itinere non deflectunt
gressus. Sic nimirum prædicatores dei, sic fideles
quiq; esse intra sanctā Ecclesiā debēt, ut cōpatian
tur proximis per charitatē, & tamē de uia dei nō ex
orbitēt per compassionē. Hoc ipsum uerò animæ
odium qualiter exhiberi debeat, ueritas subdēdo
manifestat, dicens: Qui nō baiulat crucē suam, & Luc.14
uenit post me, nō potest meus esse discipulus. crux
quippe à cruciatu dicit: Et duobus modis crucem
domini baiulamus, cū aut per abstinentiā carnem
afficimus, aut per compassionē proximi, necessi-
tatem illius nostrā putamus. Qui ēm dolorem ex
hibet in aliena necessitate, crucem portat in men
te. Sciendū uerò est q; sunt nōnulli qui carnis ab-
stinentiam nō pro deo, sed pro inani gloria exhi-
bent. Et sunt pleriq; qui cōpassionē proximo nō
spiritaliter, sed carnaliter impendunt, ut ei non ad
uirtutem, sed quasi miserendo ad culpas faueant.
Hi itaq; crucem quidem uidentur ferre, sed domi
num nō sequuntur. Vnde rectè hæc eadem ueri-
tas dicit: Qui nō baiulat crucem suam, & uenit
post me, non potest meus esse discipulus.] Baiu-
lare etenim crucem & post dominum ire, est uel
carnis abstinentiam, uel compassionē proximo
pro studio æternæ intentionis exhibere. Nā quis-
quis hęc pro temporali intentione exhibet, crucē
quidem baiulat, sed ire post dominū recusat. Quia
uerò sublimia præcepta data sunt, protinus com-
paratio ædificandæ sublimitatis adiungitur, cùm
dicitur: Quis enim ex uobis uolens turrim æ-
dificare, non prius sedens computat sumptus qui
necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne po-
stea quàm posuerit fundamentum, & non potue-
rit perficere, omnes qui uiderint, incipiant ei illu
dere dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, &
non potuit consummare?] Omne quod agimus,
præuenire per studium cōsiderationis debemus.
Ecce enim iuxta ueritatis uocem, qui turrim ædi-
ficat, prius ædificij sumptus parat. Si ergo humi-
litatis turrim construere cupimus, prius nos præ-
parare contra aduersa huius seculi debemus. Hoc
ēm inter terrenū & cœleste ædificiū distat, q; ter-
renum ædificiū expensas colligēdo construit, cœ
leste uerò ædificiū expēsas dispergendo. Ad illud
sumptus facimus, si nō habita colligam⁹. Ad istud
sumptus facimus, si & habita relinquamus. Istos
sumptus dives ille habere non potuit, qui multas
possessiones possidens, magistrum requisiuit, di-
cens: Magister bone quid faciendo uitam æternā Mat.19
possidebo? Qui cū præcepta relinquēdi omnia au
disset

disset,tristis abscesit,& inde est angustatus in mẽ te,unde foris fuit latior in possessione. Quia em̃ in hac uita amabat sumptus celsitudinis, tendendo ad æternam patriam, habere noluit sumptus humilitatis. Considerandum uerò est quod dicitur: Omnes qui uiderint, incipiẽt illudere ei.] quia iuxta Pauli uocẽ, spectaculum facti sumus mundo,angelis,& hominibus. Et in omne quod agimus,considerare occultos nostros aduersarios debemus,qui semper nostris operibus insistũt, semper ex nostro defectu gratulantur. Quos propheta intuens ait: Deus meus in te confido, non erubescam, neq; irrideant me inimici mei. In bonis enim operibus intenti, nisi contra malignos spiritus sollicitè uigilem⁹,ipsos irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus. Sed quia de construendo ædificio cõparatio data est,nunc ex minori ad maius similitudo subditur: ut ex rebus minimis maiora pensentur. Nam sequitur,

1.Cor.4

Psal.24

Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nónne sedens prius cogitat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum uiginti milibus uenit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente,legationẽ mittens, rogat ea quæ pacis sunt.] Rex cõtra regem ex æquo uenit ad prælium, & tamen si se perpẽdit non posse sufficere, legationem mittit,& ea quæ pacis sunt, postulat. Quibus ergo nos lachrymis ueniam sperare debemus, qui in illo tremendo examine cum rege nostro ex æquo ad iudicium non uenimus? Quos nimirum conditionis infirmitas,& causa inferiores exhibet. Sed fortasse iam mali operis culpas abscidimus,iam praua quæque exterius declinamus. Nunquid ad reddendam rationem cogitationis nostræ sufficimus? Nam cum uiginti milibus uenire dicitur is, contra quem minimè sufficit iste qui cum decem milibus uenit. Decem milia quippe ad uiginti milia, simplũ ad duplũ sunt. Nos autem si multum proficimus, uix exteriora nostra opera in rectitudine seruamus. Nã etsi iam luxuria carnis abscissa est, tamen adhuc à corde funditus abscissa non est. Ille autem qui iudicaturus uenit, exteriora simul & interiora iudicat, facta pariter & cogitationes pensat.Cum duplo ergo exercitu contra simplum uenit, qui nos uix in solo opere præparatos,simul de opere & cogitatione discutit.Quid ergo agendum est fratres,nisi ut dum nos cum simplo exercitu contra duplũ illius sufficere non posse cõspicimus, dum adhuc longe est, legationem mittamus, & rogemus ea quæ pacis sunt? Longè enim esse dicit, qui adhuc præsens per iudicium non uidetur. Mittamus ad hunc legationem, lachrymas nostras, mittamus misericordię opera,mactemus in ara eius hostias placationis, cognoscamus nos cum eo in iudicio non posse contendere. Pensemus uirtutem eius fortitudinis, rogemus ea quæ pacis sunt. Hæc est nostra legatio,quæ regem uenientẽ placat. Pensate fratres quàm benignũ sit, quòd is qui suo aduentu ualet opprimere, tardat uenire. Mittamus ad hunc,ut diximus, legationem nostram, flẽdo, tribuendo,sacras hostias offerendo. Singulariter nanq; ad absolutionem nostrã oblata cum lachrymis & benignitate mẽtis sacri altaris hostia suffragatur:quia is qui in se resurgens à mortuis iam non moritur,adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quotiens ei hostiã suæ passionis offerimus,totiens nobis ad absolutionẽ nostram,passionem illius reparamus. Multos ut arbitror uestrum fratres charissimi contigit nosse hoc quod uolo ad memoriam uestram narrando reuocare. Non longè à nostris fertur temporibus factum quòd quidam ab hostibus captus longè transductus est. Cunq; diu teneretur in uinculis,eum uxor sua cùm ex eadem captiuitate non reciperet,extinctum putauit. Pro quo iam uelut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cuius totiens uincula soluebantur in captiuitate,quotiens ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ eius absolutione. Non longo post tempore reuersus,admirans ualde suæ indicauit uxori,quòd diebus certis hebdomadib.singulis,eius uincula soluebantur. Quos uidelicet dies eius uxor atq; horas discutiens,tunc eum recognouit absolutum,cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo fratres charissimi,hinc certa consideratione colligite,oblata à nobis hostia sacra quantum in nobis soluere ualeat ligaturam cordis,si oblata ab altero potuit in altero soluere uincula corporis. Multi uestrũ fratres charissimi Cassium Narnienſis urbis episcopum nouerunt:cui mos erat quotidianas deo hostias offerre,ita ut penè nullus dies uitæ eius abscederet, quo non omnipotenti deo hostiam placationis immolaret.Cui cum sacrificio ualde etiam cõcordabat uita.Nam cuncta quæ habebat, in eleemosynis tribuens, cùm ad horam offerendi sacrificij uenisset,uelut totus in lachrymis defluens, semet ipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cuius & uitam & exitum à quodam uenerabilis uitæ diacono qui fuerat ab eo nutritus, referente cognoui. Aiebat enim quod quadam nocte eius presbytero per uisum dominus astitit,dicens: Vade & dic episcopo: Age quod agis, operare quod operaris, nõ cessèt pes tuus, nõ cessèt manus tua. natali Apostolorum uenies ad me, & retribuã tibi mercedem tuam. Surrexit presbyter,sed quia è uicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem episcopo nũciare pertimuit. Alia nocte dominus rediit,eius q; inobedientiam uehementer increpauit,atq; eadem iussionis suæ uerba retexuit. Tunc presbyter surrexit ut pergeret, sed rursus infirmitas cordis impedimento facta est indicandæ reuelationis. Et ad admonitionẽ quoq; iteratæ iussionis obduruit pergere, & quæ uiderat, manifestare neglexit. Sed quia magnam mansuetudinem contemptæ gratiæ, maior sequi solet ira uindictæ, uisione tertia dominus apparens, iam uerbis addidit uerbera: & tam districta cæde mactatus est, ut in eo duritiam cordis emollirent uulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex uerbere, perrexit ad episcopum,eumq;

Iudex exteriora & interiora iudicabit

Punitione magna dignus est, qui sperpias data gratiã contemplis

pum,eūq; iam ex more iuxta beati Iuuenalis martyris sepulchrum ad offerendum sacrificium consistentem reperit,secretum à circumstantibus petijt,secq; eius pedibus strauit. Cumq; eum ubertim flentē episcopus uix ad se leuare potuisset, lachrymarum causas cognoscere studuit.Ille uero relaturus ordinem uisionis, prius uestimento ex humeris deuoluto, detexit plagas corporis, ut ita dicā, testes ueritatis & culpæ, monstrauit quanta animaduersione districtionis membra illius accepta uerbera liuore inflicto sulcauerant. Quæ mox ut episcopus uidit,exhorruit,& quis sibi talia facere præsumpsisset, cum magnæ obstupefactionis uocibus inquisiuit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excreuit cum terrore admiratio,sed nullas iam presbyter inquisitioni eius moras adijciens, secretum reuelationis aperuit, eiq; iussionis dominicæ ea quæ audierat uerba narrauit,dicēs:Age quod agis, operare quod operaris, non cesset manus tua,nō cesset pes tuus:natali Apostolorū uenies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Quibus auditis, episcopus se in orationem cum magna cordis contritione prostrauit,& qui oblaturus sacrificiū ad horā tertiam uenerat, hoc pro extēsæ orationis magnitudine, ad horam nonam usq; protelauit.Atq; ex illo iam die magis magisq; aucta sunt ei lucra pietatis. Factusq; est tam fortis in opere, quàm certus ex munere:quippe qui eum cui ipse debitor fuerat, ex ea promissione iam cœperat habere debitorē. Huic autem consuetudo fuerat, annis singulis natalitio Apostolorum die Romam uenire.Iamq; ex hac reuelatione suspectus,uenire iuxta morē noluit.Eodem ergo tempore sollicitus fuit, secundo quoq; anno uel tertio in mortis suæ expectatione suspensus, quarto,quintoq; & sexto similiter. Qui desperare iam de ueritate reuelationis poterat, si uerbis fidē uerbera non fecissent. Cū ecce anno septimo usq; ad expectati natalis sacras uigilias incolumis peruenit,sed leuis hunc in uigilijs calor attigit, atque ipso die natalitio filijs suis se expectantibus,missārū solennia implere se posse recusauit.Illi uero qui de eius erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes uenerunt,sese unanimiter astringentes,ut die eodem nequaq; acquiescerēt missarum solennia celebrari,nisi pro eis apud dominū idem antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus,in episcopij oratorio missas fecit, & manu sua corpus dominicū pacemq; omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificij peracto,ad lectulum redijt,ibiq; iacens, dum sacerdotes suos ac ministros circūstetisse cerneret, quasi uale ultimum dicens, de seruando eos uinculo charitatis admonebat,et quanta debuissent concordia inter se uniri,prædicabat. Cùm subitò inter ipsa sanctæ exhortationis uerba, uoce terribili clamauit, dicens:Hora est. Moxq; assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more moriētium, sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso, spiritum emisit,sicq; sancta illa anima ad gaudia æterna perueniēs,à carnis corruptione soluta est.Quem fra-

Greg.

tres charissimi, quē uir iste in morte sua imitatus est,nisi eum quem in uita sua fuerat cōtemplatus? Dicens enim,hora est,de corpore exijt, quia & Iesus peractis omnibus cùm dixisset cōsummatum est,inclinato capite tradidit spiritū.Quod ergo dominus ex potestate, hoc egit famulus ex uocatione.Ecce quotidianæ hostiæ illa cum eleemosynis & lachrymis missa legatio,quantam cum rege ueniente gratiæ pacem fecit. Relinquat ergo omnia qui potest. Qui autem relinquere omnia non potest, cùm adhuc longè est rex, legationem mittat, lachrymarum, eleemosynarum,hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit quia portari non possit iratus.Quòd adhuc moram facit uenire,legationem pacis sustinet.Venisset iam iamq; si uellet,& cunctos suos aduersarios trucidasset.Sed & quàm terribilis ueniet,indicat,& tamen ad ueniendum tardat : quia non uult inuenire quos puniat,sed reatum nobis contemptus nostri denunciat, dicens: Sic ergo omnis ex uobis qui non renunciat omnibus quę possidet,non potest meus esse discipulus.] Et tamen sperandæ salutis remedium confert,quia qui per iram non potest ferri, per postulatæ pacis uult legationem placari.Lauate ergo fratres charissimi lachrymis maculas peccatorum,eleemosynis tergite, sacris hostijs expiate. Nolite possidere per desideriū, quæ adhuc per usum minime reliquistis. Spem in solo redemptore figite,ad æternā patriam mente transite.Si enim nil in hoc mundo iam amando possidetis,etiam possidendo cūcta reliquistis.Ipse nobis gaudia desiderata concedat,qui nobis æternæ pacis remedia cōtulit Iesus Christus dominus noster. Qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus,per omnia secula seculorū,Amen.

Deus uult placari precibus

Eleemosynę tergunt maculas peccatorum

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

In illo tempore. Loquebatur Iesus principibus sacerdotum & Pharisæis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi,qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias,& nolebant uenire.Iterum misit alios seruos,dicens : Dicite inuitatis,Ecce prandium meum paraui,tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in uillam suam, alius uerò ad negociationem suam. Reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitates illorum succendit. Tunc ait rex seruis suis : Nuptiæ quidē paratæ sunt,sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo

Matt.22

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad exitus uiarum, & quoſcũcꝫ inueneritis, uocate ad nuptias. Et egreſsi ſerui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, bonos & malos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem rex ut uideret diſcumbẽtes, & uidit ibi hominem non ueſtitum ueſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis pedibus eius & manibus, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt uocati, pauci uero electi.

Homilia lectionis eiuſdem habita ad populum in baſilica beati Clementis, dominica uigeſima poſt Trinitatem.

Homilia XXXVIII

TExtum lectionis Euangelicæ fratres chariſſimi uolo, ſi poſſum, ſub breuitate trãſcurrere, ut in fine eius ualeam ad loquendum largius uacare. Sed quærendum prius eſt, an hæc apud Matthæum ipſa ſit lectio, quę apud Lucam ſub appellatione cœnæ deſcribitur? Et quidẽ ſunt nonnulla quæ ſibi diſſona eſſe uidentur, quia hic prandiũ, illic cœna memoratur: hic qui ad nuptias non dignis ueſtibus intrauit, repulſus eſt: illic nullus qui intraſſe dicitur, repulſus eſſe perhibetur. Qua ex re recte colligitur, quòd & hic per nuptias præſens Eccleſia, & illic per cœnam æternum & ultimum conuiuium deſignatur: quia et hanc nonnulli exituri intrant, & ad illud quiſquis ſemel intrauerit, ulterius non exibit. At ſi quis forte cõtendat hanc eandem eſſe lectionem, ego melius puto, ſalua fide, alieno intellectui cedere, quàm contentionibus deſeruire: quoniam & intelligi congruè forſitan poteſt, quia de proiecto eo qui cum nuptiali ueſte non uenerat, quod Lucas tacuit, Matthæus dixit. Quòd uero per illum cœna, per hunc autem prandium dicitur, nequaquam uel hoc noſtræ intelligentiæ obſiſtit: quia cùm ad horam nonam apud antiquos quotidie prandiũ fieret, ipſum quoque prandium cœna uocabatur. Sæpe autem iam me dixiſſe memini, ꝙ plerunꝫ in ſancto Euangelio regnum cœlorum præſens Eccleſia nominat. Congregatio quippe iuſtorũ, regnum cœlorum dicitur: Quia enim per prophetã dominus dicit: Eſa.66 Cœlum mihi ſedes eſt, & Salomon ait: Anima iuſti ſedes ſapiẽtiæ. Paulus etiam dicit Chriſtum dei Sap.7 uirtutem, & dei ſapientiam, liquidò colligere debemus, quia ſi deus ſapiẽtia, anima autem iuſti ſedes ſapientiæ, dum cœlum dicitur ſedes dei, cœlũ ergo eſt anima iuſti. Hinc per Pſalmiſtã de ſanctis prædicatoribus dicit: Cœli enarrant gloriam dei. Regnum ergo cœlorũ eſt Eccleſia iuſtorum, quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quòd ad ſuperna ſuſpirãt, iam in eis dominus quaſi in cœleſtibus regnat. Dicatur ergo: Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.] Iam intelligit charitas ueſtra, quis eſt iſte rex, regis filij pater, ille nimirum cui Pſalmiſta ait: Deus, iudicium tuũ regi da, & iuſtitiam tuã filio regis. Pſal.71 Qui fecit nuptias filio ſuo.] Tũc enim deus pater deo filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in utero uirginis, humanæ naturæ cõiunxit, quando deum ante ſecula, fieri uoluit hominem in fine ſeculorum. Sed quia ex duabus perſonis fieri ſolet iſta nuptialis cõiunctio, abſit hoc ab intellectibus noſtris, ut perſonam dei & hominis, redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, ex duabus perſonis credamus unitam. Ex duabus quippe atqꝫ in duabus hunc naturis exiſtere dicimus, ſed ex duabus perſonis cõpoſitum credi, ut nefas, uitamus. Apertius ergo atque ſecurius dici poteſt, quia in hoc pater regi filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis myſterium ſanctam Eccleſiam ſociauit, Vterus autẽ genitricis uirginis, huius ſponſi thalamus fuit. Vnde & Pſalmiſta dicit: In ſole poſuit Pſal.18 tabernaculum ſuum: & ipſe tanquã ſponſus procedens de thalamo ſuo. Tanquã ſponſus quippe de thalamo ſuo proceſſit, qui ad coniungendam ſibi Eccleſiam incarnatus deus de incorrupto utero uirginis exiuit. Miſit ergo ſeruos ſuos, ut ad iſtas nuptias amicos inuitarent. Miſit ſemel, miſit iterum, quia incarnationis dominicæ prædicatores ad inuitandũ miſit, et prius prophetas, et poſtmodum Apoſtolos fecit. Bis itaqꝫ ſeruos ad inuitandum miſit, quia incarnationẽ unigeniti & per prophetas dixit futuram, & per Apoſtolos nunciauit factam. Sed quia hi qui prius inuitati ſunt, ad nuptiarum conuiuium uenire noluerunt, in ſecunda inuitatione iam dicitur: Ecce prandiũ meũ paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata. Quid in tauris uel altilibus fratres chariſſimi, niſi noui ac ueteris teſtamenti patres accipimus? Tauri uel altilia quid repręſentẽt Quia enim uulgo loquor, etiam ipſa me neceſſe eſt uerba Euangelicæ lectionis explanare. Altilia enim ſaginata dicimus. Ab eo enim quod eſt alere, altilia quaſi alitilia uocamus. Cùm uero in lege ſcriptum ſit: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicũ tuum: accepta tunc iuſtis licentia fuerat, ut dei inimicos, ſuoſcꝫ aduerſarios quãta poſſent uirtute comprimerent, eoſcꝫ iure gladij ferirent. Quod in nouo proculdubio teſtamẽto compeſcitur, cùm per ſemetipſam ueritas prædicat dicens: Diligite inimicos ueſtros, benefacite his qui oderunt uos. Qui ergo per tauros, niſi patres teſtamenti ueteris ſignificãtur? Nam dum ex promiſſione legis acceperant, quatenus aduerſarios ſuos odij retributione percuterent, ut ita dicam, quid aliud quàm tauri erant, qui inimicos ſuos uirtutis corporeæ cornu feriebant? Quid uero per altilia, niſi patres teſtamenti noui figurant? qui dum gratiam pinguedinis internæ percipiunt, æternis deſiderijs innitentes, ad ſublimia contemplationis ſuæ pennis ſubleuantur. In imo quippe cogitationem ponere, quid eſt aliud quàm quædam ariditas mẽtis? Qui autem intellectu cœleſtiũ, iam per ſancta deſideria de ſupernis, delectationis intimæ cibo

Anima iuſti poteſt dici cœlum Pſal.18

Leuit.19 Mat.5

cibo pascuntur, quasi largiori alimento pinguescunt. Hac enim pinguedine saginari propheta
Psal.62 concupierat, cùm dicebat: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Quia ergo prædicatores dominicæ incarnationis missi, persecutionem ab infidelibus, & prius prophetæ, & postmodum sancti Apostoli pertulerũt, inuitatis & uenire nolentibus dicitur: Tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.] Ac si apertius dicatur: Patrum præcedentiũ mortes aspicite, & remedia uitæ uestræ cogitate. Notandum uero quòd in priori inuitatione nil de tauris & altilibus dicitur, in secunda autem iam tauri & altilia mactata esse memorantur: quia omnipotens deus, cùm uerba eius audire nolumus, adiungit exempla, ut omne quod
B impossibile credimus, tanto nobis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse iam & alios audimus. Sequitur: Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero in negociationem suam.] In uillam quippe ire, est labori terreno immoderatè incumbere. In negociationẽ uero ire est actionum secularium lucris inhiare. Quia enim alius intentus labori terreno, alius uero mundi huius actionibus deditus, mysteriũ incarnationis dominicæ pensare, & secundum illud uiuere dissimulat, quasi ad uillam uel negocium pergens, uenire ad regis nuptias recusat. Et plerunq; quod est grauius, nõnulli uocantis gratiam non solum respuunt, sed etiam persequuntur. Vnde & subditur: Reliqui uero tenuerunt seruos
C eius, & contumelijs affectos occiderunt. Sed rex ista cognoscens, missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.] Homicidas perdit: quia persequentes interimit.
Ciuitas malorum succenditur Ciuitatem eorum igni succẽdit: quia illorum non solum animæ, sed & caro quoq; in qua habitauerant, æternę gehẽnæ flamma cruciatur. Missis uero exercitibus extinxisse homicidas dicitur: quia in hominibus omne iudicium per angelos exhibetur. Quid nanq; sunt illa angelorũ agmina, nisi exercitus regis nostri? Vnde & idẽ rex dominus sabbaoth dicitur: Sabbaoth quippe exercitus interpretatur. Ad perdendos ergo aduersarios suos exercitum mittit, quia nimirum uindictam dominus per angelos exercet. Cuius uindictæ poten-
D tiam tunc nostri patres audiebant, nos autem iam cernimus. Vbi sunt enim superbi illi martyrũ persecutores? Vbi illi qui contra conditorẽ suum ceruicem cordis erexerant, & de huius mundi gloria mortifera tumebant? Ecce iam mors martyrũ floret in fide uiuentium, & hi qui contra illos de crudelitate sua gloriati sunt, nequaq; ad memoriã nostram ueniunt, uel in numero mortuorum. Rebus ergo cognoscimus, quod in parabolis audiuimus. Sed is qui inuitantem se contemni conspicit, regis filij sui nuptias uacuas non habebit. Ad alios mittit, quia etsi apud aliquos laborat uerbum dei, quandoq; tamen sermo dei inuenturus est ubi requiescat. Vnde & subditur: Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidẽ paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, &
A quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias.] Si in scriptura sacra uias actiones accipimus, exitus uiarum intelligimus defectus actionum: quia illi plerunq; facile ad deũ ueniunt, quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur. Sequitur: Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerũt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.] Ecce iam ipsa qualitate conuiuantium apertè ostenditur: quia per has regis nuptias præsens Ecclesia designatur, in qua cum bonis & mali conueniunt. Permixta quippe est diuersitate filiorum: quia sic omnes ad fidem generat, ut tamen omnes per immutationẽ uitæ ad libertatem spiritalis gratiæ culpis exigentibus non perducat. Quousq; nanq; hic uiuimus, necesse est ut uitã præsentis seculi permixti peragamus. Tũc autem discernimur, cùm peruenimus. Boni enim soli nusq; sunt, nisi in cœlo, & mali soli nusq; sunt, nisi in inferno. Hæc autem uita quæ inter cœlum & infernũ sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarunq; partiũ ciues cõmuniter recipit, quos tamen sancta Ecclesia & nũc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernit. Si ergo boni estis, quandiu in hac uita subsistitis, æquanimiter tolerare malos debetis. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiã suã testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quẽ Cain malitia non exercet. Sic in tritura areæ grana sub paleis premuntur: sic flores inter spinas oriuntur, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Duos quippe filios habuit primus homo, unus horum electus est, alter reprobus fuit. Tres filios Noe arca continuit, sed duo ex his electi sunt, & unus reprobus fuit. Duos Abraham filios habuit, sed unus electus est, alter reprobus fuit. Duos Isaac filios habuit, sed unus electus est, alter reprobatus. Duodecim filios habuit Iacob, sed ex his unus per innocentiã uenditus est, alij uero per malitiam uenditores fratris fuerunt. Duodecim Apostoli sunt electi, sed unus in his admixtus est reprobus qui probaret, undecim qui probarentur. Septem sunt diacones ab Apostolis ordinati, sed sex in fide recta permanentibus, unus extitit author erroris. In hac ergo Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Anteacta itaque tempora fratres charissimi ad mentem reducite, & uos ad malorũ tolerantiam roborate. Si enim electorũ filij sumus, restat necesse est, ut per eorũ exempla gradiamur. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusauit. Hinc nanq; est quod de semetipso beatus Iob asserit dicens: Frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc per Salomonem sponsi uoce sanctæ Ecclesię dicitur: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Hinc ad Ezechielem dominus dicit: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Hinc Petrus beati Loth uitam glorificat dicẽs: Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniusta conuersatione eruit, aspectu enim & auditu iustus erat, habitans inter eos qui de die in diem animã iustam iniquis operibus cruciabant.

Viæ, in sacris scripturis, accipiuntur pro actionibus

Iob 13

Cant. 2

Ezech. 2

2. Pet. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hinc Paulus discipulorum uitam & laudat & ro-
Phil.2 borat, dicens: In medio nationis prauæ & peruer-
sæ, inter quos luceris sicut luminaria in mũdo, uer
bum uitæ cõtinentes. Hinc Ioannes Pergami Ec-
Apoc.2 clesię attestatur dicens: Scio ubi habitas, ubi sedes
est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti
fidem meam. Ecce fratres charissimi penè omnia
percurrendo cognoscimus, quia bonus non fuit,
quem malorũ prauitas non probauit. Vt enim ita
loquar, ferrum animæ nostræ nequaq; perducitur
ad subtilitatẽ acuminis, si hoc non eraserit alienæ
Boni pauci sunt, & multi mali lima prauitatis. Terrere autẽ uos non debet q; in
Ecclesia & multi mali, & pauci sunt boni, quia ar-
ca in undis diluuij, quę huius Ecclesię typũ gessit,
& ampla in inferioribus, & angusta in superiori-
bus fuit. Quæ in summitate etiã sua ad unius men
suram cubiti excreuit. Inferius quippe, quadrupe
dia atq; reptilia, superius uero aues & homines ha
buisse credenda est. Ibi lata extitit, ubi bestias ha-
buit, ibi angusta, ubi homines seruauit: quia nimi-
rum sancta Ecclesia in carnalibus ampla est, in spi
ritalibus angusta. Vbi enim bestiales hominũ mo
res tolerat, illic latius sinum laxat. Vbi autem eos
habet qui spiritali ratione suffulti sunt, illic quidẽ
ad summum ducitur, sed tamẽ quia pauci sunt, an-
Mat.7 gustatur. Lata quippe uia est, quæ ducit ad perdi-
tionem, & multi sunt qui uadunt per eam: & an-
gusta est quæ ducit ad uitam, & pauci sunt qui in-
ueniunt eam. Eo autẽ usq; arca angustatur in sum-
mis, quousq; ad mensuram unius cubiti perduca-
tur: quia in sancta Ecclesia quanto sanctiores qui-
que sunt, tãto pauciores. Quæ in summo ad illum
perducitur, qui solus homo in hominibus, & sine
alterius comparatione natus est sanctus. Qui iux-
Psal.101 ta Psalmistæ uocem, factus est sicut passer unicus
in ædificio. Tanto ergo magis mali tolerãdi sunt,
quanto & amplius abundant: quia & in areæ tritu
ra pauca sunt grana quæ seruantur horreis, & gran-
des acerui palearum, qui ignibus comburuntur.
Nuptiarum domus dicitur sancta Ecclesia Sed quia iam largiẽte domino, nuptiarũ domum,
id est sanctam Ecclesiam intrastis, solerter fratres
aspicite, ne aliquid de mẽtis uestræ habitu rex in-
grediens reprehendat. Cum magno enim cordis
timore pensandum est quod protinus subditur:

Intrauit autẽ rex ut uideret discumbẽtes, & ui-
dit ibi hominẽ non uestitũ ueste nuptiali.] Quid
fratres charissimi exprimi per nuptialem uestẽ pu
tamus? Si enim uestem nuptialem, baptisma uel fi
dem dicimus, quis sine baptismate & fide has nu-
ptias intrauit? Eo enim ipso foris est, quo necdum
credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptia-
lem uestem, nisi charitatẽ? Intrat enim ad nuptias,
sed cum nuptiali ueste nõ intrat, qui in sancta Ec-
clesia assistens, fidem habet, sed charitatẽ non ha-
bet. Recte enim charitas, nuptialis uestis uocatur,
quia hanc in se conditor noster habuit, dum ad as-
sociandæ sibi Ecclesiæ nuptias uenit. Sola quippe
dilectione dei actum est, ut eius unigenitus men-
Ioan.3 tes sibi electorũ hominũ uniret. Vnde & Ioannes
dicit: Sic enim dilexit deus mundũ, ut filiũ suum
unigenitũ daret pro nobis. Qui ergo per charita-

A tem uenit ad homines, eandem charitatẽ innotuit
uestem esse nuptialem. Omnis ergo uestrũ qui in Vestis nup-
tialis dicitur charitas
Ecclesia positus deo credidit, iam ad nuptias intra
uit, sed cum nuptiali ueste non uenit, si charitatis
gratiã non custodit. Et certe fratres si quis ad car-
nales nuptias esset inuitatus, uestẽ mutaret, con-
gaudere se sponso & spõsæ ex ipso sui habitus de-
core ostenderet, inter gaudentes & festa celebran
tes, despectis uestibus apparere erubesceret. Nos
ad dei nuptias uenimus, & cordis uestem mutare
dissimulamus. Cõgaudent angeli, cùm ad cœlum
assumunt electi. Qua ergo mente hæc spiritalia fe
sta conspicimus, qui nuptialẽ uestẽ, id est charita-
B tem, quæ sola nos speciosos exhibeat, non habe-
mus? Sciẽdũ uero est, quia sicut in duobus lignis,
superiore uidelicet & inferiore uestis texitur, ita
in duobus præceptis charitas habetur, in dilectio
ne scilicet dei, & proximi. Scriptũ quippe est: Di- Mat.22
liges dominũ deũ tuũ ex toto corde tuo & ex to- Deut.6
ta anima tua & ex tota uirtute tua, & proximum
tuũ sicut teipsum. Qua in re notandum est, quia in
dilectione proximi mensura amoris ponitur, cùm
dicit: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Dei au-
tem dilectio nulla mensura constringit, cùm dici-
tur: Diliges dominũ deũ tuũ ex toto corde tuo, &
ex tota anima tua, & ex tota uirtute tua. Nõ enim
iubetur quisq; quantũ diligat, sed ex quanto, cùm
dicitur ex toto: quia ille ueraciter deũ diligit, qui
sibi de se nihil relinquit. Duo ergo hæc necesse est
ut charitatis præcepta custodiat, quisquis habere
C in nuptijs uestem nuptialẽ curat. Hinc est enim q;
apud Ezechielẽ prophetã, portæ ipsius ciuitatis
in monte constitutæ, uestibulum duobus cubitis Ezech.40
mensuratur: quia nimirũ accessus nobis cœlestis
ciuitatis non panditur, si in hac Ecclesia, quæ pro
eo quod adhuc foris est, uestibulum dicitur, dei &
proximi dilectio non tenetur. Hinc est q; cortinis Exod.25
tabernaculi intexi coccus bis tinctus iubet. Vos
estis fratres, uos estis cortinæ tabernaculi, qui per
fidem in cordibus uestris secreta cœlestia uelatis.
Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus de-
bet inesse. Coccus quippe ignis speciem habet.
Quid uero est charitas nisi ignis? Sed ista charitas
esse bis tincta debet, ut tingatur & per amorẽ dei,
D & per amorẽ proximi. Qui enim sic amat deum,
ut per cõtẽplationẽ illius negligat proximũ, coc-
cus quidem est, sed bis tinctus nõ est. Rursum qui
sic amat proximũ, ut tamen contemplationẽ dei
per eius amorem relinquat: coccus est, sed bis tin-
ctus nõ est. Vt ergo charitas uestra bis tinctus coc
cus esse ualeat, & ad amorẽ se dei, & ad amorẽ pro
ximi accendat, quatinus nec ex cõpassione proxi
mi, contemplationẽ relinquat dei, nec plusquam
debet inhærens contemplationi dei, compassio-
nem abijciat proximi. Omnis itaq; homo inter ho
mines uiuens, sic ad eum anhelet quẽ desiderat, ut
tamẽ hunc nõ deserat cũ quo currebat: & sic huic
adiutorium ferat, ut ab illo nullatenus torpeat ad
quẽ festinabat. Sciendũ quoq; est q; ipsa dilectio
proximi in duobus præceptis subdiuidit, cũ qui-
dam sapiẽs dicat: Omne quod tibi odis fieri, uide Tob.4

ne ipse

ne ipse alteri facias. Et per semetipsam ueritas præ
Mat.7 dicat dicens: Quæ uultis ut faciāt uobis homines,
& uos eadem facite illis. Si enim & quod impendi
nobis recte uolumus, hoc alijs impartimur, & q̄d
nobis fieri nolumus, hoc alijs facere ipsi deuita-
mus, charitatis sura illæsa seruamus. Sed nemo cū
quempiam diligit, habere se protinus charitatem
putet, nisi prius ipsam uim suæ dilectionis exami-
net. Nam si quis quemlibet amat, sed propter deū
non amat, charitatem non habet, sed habere se pu
Charitas ue ra quæ est tat. Charitas autē uera est, cùm & in deo diligitur
amicus, & propter deū diliḡit inimicus. Ille enim
propter deū diligit eos quos diligit, qui iam et eos
diligere à quibus non diligitur, scit. Probari enim
charitas per solam odij aduersitatē solet. Vnde &
Lucæ 6 per semetipsum dominus dicit: Diligite inimicos
uestros, benefacite his qui oderunt uos. Ille ergo
securus amat, qui propter deum illū amat à quo se
intelligit nō amari. Magna sunt hęc, alta sunt hęc,
& multis ad exhibendū difficilia, sed tamē ista est
uestis nuptialis. Quisquis autē hanc recumbens
in nuptijs non habet, iam sollicitus metuat, ingre-
diente rege quando mittatur foras. Ecce enim di-
citur: Intrauit rex ad nuptias, ut uideret discum
bentes, & uidit ibi hominē non uestitū ueste nup-
tiali.] Nos sumus fratres charissimi qui in nuptijs
uerbi discumbimus, qui iam fidem in Ecclesia ha-
bemus, qui scripturę sacræ epulis pascimur, qui cō
iunctā deo Ecclesiā esse gaudemus. Cōsiderate ro
go, si cū nuptiali ueste ad has nuptias ueniſtis, co-
gitationes uestras sollicita inquisitione discutite.
De rebus singulis corda uestra trutinate, si iam cō
tra nullū odiū habetis, si contra felicitatē alienam
nulla uos inuidię face succenditis, si per occultam
malitiā nemini nocere festinatis. Ecce rex ad nu-
ptias ingreditur, & cordis nostri habitū contem-
platur, atq; ei quem charitate uestitū non inuenit,
protinus iratus dicit: Amice, quomodo huc in-
trasti non habēs uestem nuptialem?] Mirandum
ualde est fratres charissimi q̄ hūc & amicū uocat,
& reprobat. Ac si ei apertius dicat: Amice, & non
amice. Amice per fidem, sed non amice per opera
tionem. At ille obmutuit] quia quod dici sine
gemitu non potest, in illa districtione ultimæ in-
crepationis omne argumentum cessat excusatio-
nis: quippe quia ille foris increpat, qui testis con-
scientiæ intus animū accusat. Sed inter hæc scien-
dum est, quia quisquis hāc uestem uirtutis habet,
sed tamen adhuc perfecte non habet, ad pij regis
ingressum desperare de uenia non debet: quia ip-
se quoq; spem nobis per Psalmistā tribuens dicit:
Psal.138 Imperfectū meū uiderunt oculi tui, & in libro tuo
omnes scribentur. Sed quia pauca hęc in consola-
tione labentis & infirmantis diximus, nunc ad eū
qui hanc omnimodo non habet, uerba uertamus.
Sequitur: Tunc rex dixit ministris: Ligatis ma-
nibus eius & pedibus, mittite eum in tenebras ex
teriores, ibi erit fletus & stridor dentium.] Ligan
tur tunc pedes & manus per districtionē senten-
tiæ, qui modo à prauis operibus ligari noluerunt
per melioratione uitæ. Vel certe tunc ligat pœna,

A quos modo à bonis operibus ligauit culpa. Pedes
enim qui uisitare ægrū negligunt, manus quæ ni-
hil indigentibus tribuūt, à bono opere iam ex uo-
luntate ligatæ sunt. Qui ergo nunc sponte ligātur
in uitio, tunc in supplicio ligantur inuitè. Bene au
tem dicitur q̄ in exteriores tenebras proijciatur.
Interiores quippe tenebras dicimus cæcitatē cor-
dis, exteriores uero tenebras æternā noctē damna
tionis. Tunc ergo damnatus quisq; non in interio
res, sed in exteriores tenebras mittit̄: quia illic in-
uitus proijcitur in noctē damnationis, qui hìc spō
te cecidit in cæcitatem cordis. Vbi fletus quoq; &
stridor dentiū esse perhibet̄, ut illic dentes stride-
ant, qui hìc de edacitate gaudebant: Illic oculi de-
B fleant, qui hìc per illicitas concupiscentias uersa-
bantur in mūdo: quatinus singula quæq; membra
supplicio subiaceant, quæ hìc singulis quibusq; ui
tijs subiecta seruiebāt. Sed repulso uno, in quo ui-
delicet omne malorū corpus exprimit̄, generalis
protinus sentētia subinfertur, qua dicitur: Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.] Tremēdum
est ualde fratres charissimi quod audiuimus. Ecce
nos omnes iam uocati per fidem ad cœlestis regis
nuptias uenimus, incarnationis eius mysteriū &
credimus & confitemur, diuini uerbi epulas sumi
mus, sed futuro die iudicij rex intraturus est. Quia
uocati sumus, nouimus: si sumus electi, nescimus.
Tanto ergo necesse est ut unusquisq; nostrū in hu
militate se deprimat, quanto si sit electus ignorat.
C Nonnulli enim bona nec incipiunt, nōnulli uero
in bonis quæ inceperūt, minime persistunt. Alter
penè totā uitā ducere in prauitate cōspicit̄, sed iux
ta finē uitæ à prauitate sua per districtæ pœnitētiæ
lamēta reuocatur. Alter electā uidetur uitā duce-
re, & tamen hunc cōtingit ad erroris nequitiā iux
ta finē uitæ declinare. Alius bonū bene inchoat,
melius cōsummat. Alius in malis actibus à primæ
ua ætate se exercet, & in eisdem operibus semper
seipso deterior cōsummat̄. Tanto ergo sibi unus-
quisq; sollicitè metuat, quanto ignorat quod re-
stat: quia quod sępe dicendū est, & sine obliuione
retinēdū, multi sunt uocati, pauci uero electi. Sed Exempla
quia nonnunq; mentes audientiū plus exempla fi plus mo-
deliū, q̄ docentiū uerba cōuertunt, uolo uobis ali uent quàm
D quid de proximo dicere, quod corda uestra tanto uerba
formidolosius audiant, quanto eis hoc de propin-
quo sonat. Neq; enim res longè antè gestas dici-
mus, sed eas de quibus testes existunt, eisq; inter-
fuisse se referunt memoramus. Tres pater meus
sorores habuit, quæ cunctę tres sacrę uirgines fue
runt. Quarū una Tarsilla, alia Gordiana, alia Æmi
liana dicebatur. Vno omnes ardore cōuersæ, uno
eodemq; tempore sacratæ, sub districtione regula
ri degentes, in domo propria socialem uitam du-
cebant. Cumq; essent diutius in eadē cōuersatio-
ne, cœperunt quotidianis incremētis in amorem
conditoris sui Tarsilla & Æmiliana succrescere,
et cùm solo hìc essent corpore, quotidie animo ad
æterna transire. At contrà Gordianæ animus cœ-
pit à calore amoris intimi per quotidiana decre-
menta tepescere, & paulisper ad huius seculi amo

Multi sunt uocati, pauci uero electi, uerbum tremēdum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem redire. Crebrò autem Tarsilla dicere Æmilia ne sorori suæ cum magno gemitu solebat: Video Gordianam sororem nostram de nostra sorte non esse, perpendo enim quia foras defluit, & cor ad quod proposuit non custodit. Quã curabant blanda quotidie redargutione corripere, atq; à leuitate morũ ad grauitatẽ sui habitus reformare. Quæ quidem resumebat uultum subitò grauitatis inter uerba correptionis, sed cùm eiusdem correptionis hora transisset, trãsibat protinus & superducta grauitas honestatis, moxq; ad leuia uerba redibat. Puellarũ gaudebat societate laicarũ, eiq; persona ualde onerosa erat, quæcunq; huic mundo dedita non erat. Quadam uero nocte huic Tarsillæ, quæ inter sorores suas uirtute continuæ orationis, affli
ctionis studiosæ, abstinentiæ singularis, grauitate B
uitæ uenerabilis, in honore & culmine sanctitatis excreuerat, sicut ipsa narrauit, per uisionẽ atauus meus Fœlix huius Romanæ Ecclesiæ antistes apparuit, eiq; mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ subsequenti mox febre correpta, ad diem peruenit extremũ. Et sicut nobilibus fœminis, uirisq; morientibus multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora eius exitus multi uiri ac fœminæ eius lectulũ circumstetere
runt, inter quas mater mea quoq; affuit. Cùm subitò sursum illa respiciens, Iesum uenientẽ uidit, & cum magna animaduersione cœpit circunstantibus clamare, dicens: Recedite recedite, Iesus uenit. Cumq; in eum intenderet quem uidebat, san- C
cta illa anima à carne soluta est, tantaq; subitò fragrantia miri odoris aspersa est: ut ipsa quoq; suauitas cunctis ostenderet, illic authorẽ suauitatis ue-

Mortuorũ corpora aliquando lauantur

nisse. Cumq; corpus eius ex more mortuorum ad lauandum esset nudatum, longæ orationis usu, in cubitis eius & genibus, camelorum more inuenta est obdurata cutis excreuisse, & quid uiuẽs eius spiritus semper egerit, caro mortua testabat. Hæc autẽ gesta sunt ante dominici natalis diem. Quo trãsacto, mox Æmilianæ sorori suæ per uisionem nocturnæ uisionis apparuit dicens: Veni, ut quia natalem dominicum sine te feci, sanctam Theophaniã iam tecum faciam. Cui illa protinus de sororis suæ Gordianæ salute sollicita respondit: Et si sola uenio, sororem nostram Gordianã cui dimit- D
to? Cui sicut asserebat, tristis uultu iterum dixit: Veni, Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam uisionem mox molestia corporis secuta est, atq; ita ut dictum fuerat, ante dominicæ apparitionis diem, eadem molestia ingrauescente defuncta est. Gordiana autem mox ut solam remãsisse se reperit, eius prauitas excreuit, & quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectu prauæ actionis exercuit. Nam oblita dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorũ suorum postmodum maritũ duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conuersæ sunt, sed non in uno eodemq; studio permanserunt, quia iuxta dominicam uocem, multi sunt uocati, pauci uero electi. Hæc ergo dixi, ne quis in bono iam opere positus, sibi uires boni operis tribuat, ne quis de propria actione confidat, quia & si iam nouit hodie qualis sit, adhuc cras quid futurus sit, nescit. Nemo ergo de suis iam operibus securus gaudeat, quando adhuc in huius uitæ incertitudine qui finis sequatur, ignorat. Sed quia rem retuli, quę uos ex diuina districtione perterruit, aliud adhuc è uicino refero, quod ex diuina misericordia perterrita uestra corda consoletur, quod tamen in sermone alio iam dixisse me memini, sed uos nequaquã affuistis. Ante biennium frater quidam in monasterium meum, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis & Pauli Ecclesiam situm est, gratia conuersationis uenit, qui diu regulariter protractus, quandoq; susceptus est. Quem frater suus ad monasterium non conuersationis studio, sed carnali amore secutus est. Is autem qui ad conuersationem uenerat, ualde fratribus placebat. Et contrà, frater illius longè à uita eius ac moribus discrepabat. Viuebat tamen in monasterio necessitate potius quàm uoluntate. Et cùm in cunctis actibus peruersus existeret, pro fratre suo ab omnibus æquanimiter tolerabatur. Erat enim leuis e- Homines mundi cõtemnũt
loquio, prauus actione, cultus uestibus, moribus incultus, ferre uero non poterat si quisquam illi de sancti habitus conuersatione loqueretur. Facta autem fuerat uita illius cunctis fratribus uisu grauis, sed tamen, ut dictum est, pro fratris sui gratia erat cunctis tolerabilis. Aspernabatur ualde, si quis sibi aliquid de prauitatis suæ correctione loqueretur. Bona non solum facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conuersationis habitum uenire, iurando, irascendo, deridendo, testabatur. In hac autem pestilentia quæ nuper huius urbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cumq; extremum spiritũ ageret, cõuenerunt fratres, ut egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum, in solo tantummodo pectore uitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tanto pro eo cœperũt enixius orare, quanto eum iam uidebant sub celeritate discedere. Tum repentè cœpit eisdem fratribus assistentibus adnisu quo poterat clamare, & orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, recedite: ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter uestram præsentiam deuorare me non potest. Caput meũ iam in suo ore absorbuit, date locũ ut me amplius non cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter uos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? Signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondebat ille ut poterat dicens: Volo me signare, sed non possum, quia à dracone premor. Cumq; hoc fratres audirent, prostrati in terra cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius uehementius orare. Et ecce subitò cœpit melioratus æger quibus ualebat uocibus exultare, dicẽs: Gratias deo, ecce draco qui me ad deuorandum

randum acceperat, fugit. Orationibus uestris expulsus est, & stare non potuit. Pro peccatis meis modo intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem uitā funditus relinquere. Homo ergo qui, sicut iam dictum est, ab extrema corporis fuerat parte præmortuus, reseruatus ad uitā, toto ad deum corde conuersus est. Longis & continuis in conuersatione eadem flagellis eruditus, atque ante paucos dies excrescente corporis molestia defunctus est. Qui iam moriens draconem non uidit, quia illum per cordis immutationē uicit. Ecce fratres mei, Gordiana, quam superius dixi, à sanctimonialis habitus excellētia corruit ad pœnam & frater hic de quo ista narraui, ab ipso mortis ar-
Finē suum nemo cognoscit. ticulo rediit ad æternam uitam. Nemo ergo scit quid de se in occultis dei iudicijs agatur, quia multi sunt uocati, pauci uerò electi. Quia ergo nulli de se certum est electum se esse, restat ut omnes trepident, omnes de sua actione formident, oēs in sola diuina misericordia gaudeant, nullus de suis uiribus præsumat. Est qui perficiat fiduciam nostram, ille scilicet qui in se dignatus est assumere naturam nostram Iesus Christus, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

Lucæ 19 IN illo tempore: Cùm appropinquaret Iesus Hierusalem, uidens ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo. Et circundabunt te, & coangustabunt te undiq; & ad terrā prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. Et nō relinquēt in te lapidē super lapidem, eo quòd nō cognoueris tēpus uisitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit eijcere uendentes in illo & ementes, di-
Esa.56 cens illis: Scriptum est quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.

Homilia lectionis eiusdem habita ad populum in basilica beati Ioannis, quæ dicitur Constantiniana.

Homilia XXXIX

LEctionem breuem sancti Euangelij breui, si possum, uolo sermone percurrere, ut illis in ea prolixior detur intentio, qui sciunt ex paucis multa cogitare. Quòd à flente domino, illa Hierosolymorum subuersio describitur, quæ à Vespasiano & Tito Romanis principibus facta est, nullus qui historiam euersionis eiusdem legit, ignorat. Romani enim principes denunciantur, cùm dicitur: Quia uenient dies in te, & circundabūt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt.] Hoc quoq; quod additur, non relinquent in te lapidem super lapidē] etiam iam ipsa eiusdem ciuitatis transmigratio testatur, quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat dominus crucifixus, prior illa Hierusalem, ut dicitur funditus est euersa. Cui ex qua culpa euersionis suæ pœna fuerit illata, subiungitur: Eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ.] Creator quippe hominum per incarnationis suæ mysterium hanc uisitare dignatus est, sed ipsa timoris & amoris illius recordata non est. Vnde etiam per prophetam in increpatione cordis humani, aues cœli ad testimonium deducuntur, dum dicitur: Miluus in cœ Hiere. 8
lo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium domini. Sed quærendum prius est quid sit quod dicitur: Vidēs ciuitatem, fleuit super illam dicens, quia si cognouisses, & tu.] Fleuit etenim prius redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse uenturam. Cui à flente domino rectè dicitur: Quia si cognouisses, & tu] subaudi fleres, quæ modo quia nescis quod imminet exultas. Vnde & subditur: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.] Cùm enim carnis se uoluptatibus daret, & uentura mala non prospiceret, in die sua, quæ ad pacem esse ei poterant habebat. Cur uerò bona præsentia ad pacem habuerit manifestatur cùm dicitur: Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.] Si enim cordis eius oculis mala quæ imminebant, abscondita non essent, læta in præsentibus prosperis non fuisset. Cuius mox etiam pœna quæ de Romanis, sicut prædixi, principibus imminebat, adiuncta est. Qua de-
Mat.21 scripta, quid dominus fecerit, subditur: quia ingressus templū, cœpit eijcere uendentes de illo & ementes, dicēs illis: Scriptū est, quia domus mea
Esa.56 domus orationis est, uos aūt fecistis illam speluncā
Mat.12 latronum.] Qui enim narrauit mala uentura, & protinus templum ingressus est, ut de illo uendentes & emētes eijceret, profectò innotuit, quia ruina populi maximè ex culpa sacerdotum fuit. Euer-
Populus sæpe ruit ex culpa sacerdotum sionem quippe describens, sed uendentes & ementes in templo feriens, in ipso effectu sui operis ostendit unde radix prodijt perditionis. Sicut autem Euangelista alio teste didicimus, in templo columbæ uendebantur. Et quid per columbas, nisi sancti spiritus donum accipitur? Sed uendentes & ementes è templo eliminat, quia uel eos qui pro munere impositionem manuum tribuunt, uel eos qui donum spiritus emere nituntur, damnat. De quo templo mox subditur: Do-
Domus dei domus orationis est mus mea, domus orationis est, uos autem fecistis illam speluncam latronum.] Qui enim ad accipienda munera in tēplo residebāt, profectò quia quibusdā nō dātibus læsionem exquirerēt, dubiū

Vespasian9 & Titus Hierusalē euertunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

non erat. Domus ergo orationis, ſpelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in templo aſſiſtere nouerant, ut aut non donantes munera ſtuderent corporaliter perſequi, aut dantes ſpiritaliter necare. Quia uerò redemptor noſter prædicationis uerba nec indignis nec ingratis ſubtrahit, poſtq; diſciplinę uigorem eiĵciẽdo peruerſos tenuit, donum mox gratiæ oſtendit. Nam ſubditur: Et erat docens quotidie in templo.] Hęc iuxta hiſtoriam breuiter tractãdo trãſcurrimus. Sed quia euerſam iam Hieruſalem nouimus, atque euerſione ſua in melius commutatam, quia expulſos latrones à tẽplo, atq; ipſum iam templum dirutũ ſcimus: debemus ex rebus exterioribus introrſus aliquam ſimilitudinem trahere, atq; ex euerſis ædificijs pari morum ruinam timere. Videns enim ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: quia ſi cognouiſſes & tu. Hoc ſemel egit, cũ perituram ciuitatẽ eſſe nunciauit. Hoc quotidie redẽptor noſter per electos ſuos agere nullatenus ceſſat, cùm quoſdam ex bona uita ad mores reprobos peruenisſe conſiderat. Plangit enim eos qui neſciũt cur plangantur, qui iuxta Salomonis uerba Lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Qui ſi damnationem ſuam quæ eis imminet, agnouiſſent, ſemet ipſos cum lachrymis electorum plangerent. Bene autem perituræ animæ ſententia quæ ſubditur conuenit: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.] Suam hic diem habet anima peruerſa, quæ trãſitorio gaudet in tempore. Cui ea quæ aſſunt, ad pacem ſunt: quia dum rebus tẽporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis uoluptate reſoluitur, dum nulla uenturæ pœnę formidine terretur, pacem habet in die ſua, quę graue dãnationis ſuæ ſcãdalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda eſt ubi iuſti lætabuntur: & cuncta quæ modo ei ad pacem ſunt, tunc in amaritudinem rixæ uertentur: quia rixari ſecum incipiet, cur damnationem quam patitur non expauit, cur à proſpiciendis malis ſequentibus oculos mentis clauſit. Vnde ei dicitur: Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.] Peruerſa quippe anima rebus preſentibus dedita, in terrenis uoluptatibus reſoluta, abſcondit ſibi mala ſequentia: quia præuidere futura refugit, quæ præſentem lætitiam perturbant: dumq; in præſentis uitæ oblectationibus ſe deſerit, quid aliud quàm clauſis oculis ad ignẽ uadit? Vnde bene ſcriptum eſt: In die bonorum ne immemor ſis malorum. Et inde per Paulum dicitur: Qui gaudent, tanquam non gaudentes ſint: quia etſi qua eſt præſentis temporis, ita eſt agenda lætitia, ut nunquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria: quatenus dum mens pauida extremæ ultionis timore transfigitur quantũ nunc præſens lætitia, tantum pòſt ira ſubſequens temperetur. Hinc nanq; ſcriptum eſt: Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Qui uerò mentis eſt duræ, corruet in malum. Sequentis enim ira iudicij tanto tunc diſtrictior portabitur, quanto nunc & inter culpas minimè timet. Sequitur: Quia uenient

Prou. 2

Anima peruerſa ſuã diem hic habet

Anima peruerſa futura præuidere refugit

Eccli 11

1. Cor. 7

Prou. 28

dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo.] Qui inquam ſunt humanæ animæ maiores inimici, quàm maligni ſpiritus, qui hanc à corpore exeuntem obſident, quam in carnis amore poſitam, deceptorijs delectationibus fouent? Quam uallo circundant, quia ante mẽtis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad ſocietatẽ ſuæ damnationis trahentes coarctant, ut in ipſa iam extremitate uitæ deprehenſa, & à quibus hoſtibus circuncluſa ſit, uideat, & tamẽ euadendi aditum inuenire nõ poſſit: quia operari iam bona nõ licet, quæ cùm licuit agere, contempſit: de quibus adhuc aptè quod ſequitur, intelligi ualet: Circundabunt te, & coanguſtabunt te undiq;.] Maligni quippe ſpiritus undiq; animã coanguſtant, quando ei non ſolum operis, uerũetiam locutionis, atq; inſuper cogitationis iniquitates replicãt, ut quæ prius ſe per multa dilatauit in ſcelere, ad extremum de omnibus anguſtetur in retributione. Sequitur: Et ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt.] Tunc anima per cognitionem reatus ſui ad terram conſternitur, cùm caro cui uitam ſuam credidit, redire ad puluerẽ urgetur. Tunc in mortem filij illius cadunt, cùm cogitationes illicitæ quæ modo ex illa prodeunt, in extrema uitæ ultione diſſipantur, ſicut ſcriptum eſt: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quæ ſcilicet duræ cogitationes intelligi, etiam per lapidum ſignificationem ualent. Nam ſequitur: Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.] Peruerſa etenim mens, cùm peruerſæ cogitationi adhuc peruerſiorem adijcit, quid aliud quàm lapidẽ ſuper lapidem ponit? Sed in deſtructa ciuitate ſuper lapidem lapis non relinquitur: quia cùm ad ultionem ſuam anima ducitur, omnis ab illa cogitationum ſuarum conſtructio diſſipatur. Quæ cur hoc patiatur, adiungitur: Eo quòd non cognoueris tempus uiſitationis tuæ.] Prauã quanq; animã omnipotens deus multis modis uiſitare conſueuit. Nam aſſiduè hanc uiſitat præcepto, aliquando aũt flagello, aliquando uero miraculo: ut ea uera quæ neſciebat, audiat, & tamen ad huc ſuperbiens atq; contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficijs deuicta, malũ quod fecit, erubeſcat. Sed quia uiſitationis ſuæ tempus minimè cognoſcit, illis in extremo uitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio damnationis perpetuæ ſocietate colligatur, ſicut ſcriptum eſt: Cùm uadis cum aduerſario tuo ad principem in uia, da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Aduerſarius noſter quippe in uia, eſt ſermo dei, contrarius noſtris carnalibus deſideriſs in præſenti uita. A quo ipſe liberatur, qui præceptis eius humiliter ſubditur. Alioqui aduerſarius iudici, & iudex tradet exactori: quia ex ſermone dñi contempto reus peccator tenebit in examine iudicis. Quẽ iudex exactori tradet: quia hunc maligno ſpiritui ad ultionem tradi permittet, ut cõpulſam animam ipſe ad pœnã de corpore exigat, quæ ei ad culpã ſponte conſenſit.

Anima quæ doque ad terram conſternitur

Pſal. 145

Animã peruam uiſitat deus multis modis

Luc. 12

Exactor

Exactor mittit in carcerem: quia per malignũ spi- A ritum in inferno recluditur, quousque dies iudicij ueniat, ex quo iam in inferni ignibus simul & ipse crucietur. Expleta ergo perditiõe ciuitatis, quã nos ad pereuntis animæ similitudinẽ traximus, protinus subditur: Et ingressus templũ, cœpit eijcere uendentes & ementes de illo.] Sicut templũ dei in ciuitate est, ita & in plebe fideli uita religiosorum. Et sæpe nonnulli religionis habitum sumũt, & dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in commercium terrenæ negociationis trahunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc quod quibusdam iure competit, ad præmium largiuntur. Iustitiam enim uendere, est hãc pro præmij acceptatione seruare. Emẽtes B uerò in templo sunt, qui dum hoc persoluere proximo quod iustum est, nolunt: dumq; rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio emunt peccatũ. Quibus bene dicitur: Domus mea, domus orationis est, uos autem fecistis illam speluncam latronum.] quia dum nonnunq; peruersi homines locum religionis tenent, ibi malitiæ suæ gladijs occidunt, ubi uiuificare proximos orationis suæ intercessione debuerũt. Templum quoq; & domus dei est ipsa mens atq; cõscientia fideliũ. Quæ si quando in læsionem proximi peruersas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones residet, & simpliciter gradientes interfici unt, quãdo in eos qui in nullo rei sunt, lęsionis gladios defigunt. Mens enim fideliũ iam non domus C orationis, sed spelunca latronũ est, quando relicta innocentia & simplicitate sanctitatis, illud conat agere, unde ualeat proximis nocere. Sed quia contra peruersa hęc omnia uerbis redemptoris nostri per sacras paginas indesinenter instruimur, nunc usq; hoc agitur, quod factum fuisse perhibetur, cùm dicitur: Et erat docẽs quotidie in templo.] Cùm enim mentem fideliũ ad cauẽda mala subtiliter erudit, quotidie ueritas in templo docet. Sed sciendum nobis est, quia ueritatis uerbis ueraciter erudimur: si extrema mala nostra formidolose & indesinenter aspicimus: iuxta hoc q̃d per quendam sapientem dicitur: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & inæternum non peccabis. Pensare quippe quotidie debemus, quod D ex eiusdem uoce nostri redemptoris audiuimus:

Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis.] Dum enim districtus iudex sustinet, & adhuc manum non exerit in percussionem, dum à retributione ultionis ultimæ esse quædam tẽporis securitas uidetur, debemus pensare malum quod sequit, pensantes gemere, gementes ea quæ cõmisimus peccata indesinenter aspicere, aspiciẽtes flere, & flentes abstergere. Nulla nos prosperitas transitoriæ laudis lætitiæq; dissoluat, nec mentis nostræ oculos ea quæ sunt transitoria obstruant, nec cæcos ad ignem ducant. Si enim districtè pensetur cuius sit ponderis improperium, ex ore ueritatis agnoscitur, cùm negligenti & futura non prospicienti dicitur: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.] Nam cogitandum ualde est quantum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis, quãta tunc omnium malorum memoria, quæ obliuio transactæ felicitatis, quæ formido & consideratio iudicis. Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationẽ debet, quãdo cunctis simul transeuntibus, non ualet transire quod imminet? quando & hoc funditus finitur, quod diligitur: & illud incipitur, ubi dolor nunquam finitur? Tunc maligni spiritus egrediente anima, sua opera requirunt. Tunc mala quæ suaserunt, replicant, ut sociam ad tormenta trahant. Sed cur hoc de peruersa solũmodo anima dicimus, cùm ad electos quoque egredientes ueniant: & suum in illis, si præualeant, aliquid requirant? Vnus autẽ in hominibus extitit, qui ante passionem suam libera uoce dixit: Iam non multa loquar uobiscum: uenit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Quia enim hunc mortalem hominem uidit, suum in illo mundi princeps aliquid inuenire posse credidit. Sed sine ullo peccato à mundi corruptione exijt, qui sine peccato in mũdum uenit. Hoc de se contra mundi principem nec Petrus dicere præsumpsit, qui audire meruit: Quæcunque ligaueris super terram, ligata erunt & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Hoc nec Paulus dicere præsumpsit, Qui priusquam mortis debitum solueret ad cœli tertij secreta peruenit. Hoc nec Ioannes dicere ausus est, qui pro amore præcipuo, in redemptoris sui pectore in cœna recubuit. Nã cùm propheta dicat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: sine culpa in mundo esse non potuit, qui in mundum cum culpa uenit. Hinc nanq; idem propheta ait: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs. Hinc Salomon ait: Non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet. Hinc Ioannes dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Hinc Iacobus ait: In multis enim offendimus omnes. Constat enim, quia oẽs qui de carnis delectatione cõcepti sunt, in eorum proculdubio uel actione, uel locutione, uel cogitatione aliquid suum princeps huius mundi habuit. Sed idcirco illos uel pòst rapere, uel prius tenere non potuit: quia eos ille à debitis suis eripuit, qui pro nobis sine debito mortis debitum soluit: ut nos ideo sub iure hostis nostri debita nostra nõ teneant, quia p nobis mediator dei & hominum homo Christus Iesus gratuito reddidit quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos à debita animæ morte liberauit. Ait ergo Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Vnde curandum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitãdum, quàm rabidus, & terribilis sua in nobis opera requirens in die nostri exitus princeps huius mũdi ueniat, si etiã ad deũ carne morientẽ uenit & in illo aliquid quęsiuit, in q̃ suũ inuenire nihil potuit. Quid itaq;

nos

Hora resolutionis erit terribilis

Iustitiã uendere quid est

Templum dei est conscientia.

Ecclĩ 7

Mat. 21

Ioan. 14

Mat. 16

2. Cor. 12

Ioan. 21

Psal. 50

Psal. 142

Eccls 7

1. Ioan. 1

Iacobi 3

Ioan. 14

Diabolus erit terribilis in die exitus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innume A ra mala cõmisimus? Quid requirenti aduersario, & multa sua in nobis inuenienti dicemus, nisi solum quod nobis est certũ refugiũ, & solida spes, quia unũ cum illo facti sumus, in quo princeps huius mundi & suum aliquid requisiuit, & inuenire minimè potuit? quoniam solus est inter mortuos liber. Et à peccati iam seruitio ueraci libertate soluimur: quia ei qui uerè liber est, unimur. Constat eñ, nec negare possumus, sed ueraciter fatemur, quia princeps huius mundi habet in nobis multa: sed tamen in mortis nostræ tempore, iam nos rapere nõ ualet, quia eius membra effecti sumus, in quo non habet quicquam. Sed quid prodest q̃ eidem redemptori nostro per fidem iungimur, si ab B eo moribus disiungamur? Ipse etenim dicit: Non Matt.7 omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum. Recta ergo opera rectæ fidei iungenda sunt. Mala quę fecimus, per quotidiana lamenta diluamus, transactas nostras nequitias surgentia ab amore dei & proximi recta opera superent, nulla quæ possumus fratribus impendere bona recusemus. Neq; enim aliter redẽptoris nostri membra efficimur, nisi inhærendo deo, & cõpatiendo proximis. Sed quia ad amorẽ dei & proximi plerunq; corda audientium plus exempla q̃ uerba excitant, charitati uestræ indicare studeo, quod is qui pręsto est filius meus, Epiphanius diaconus, Isauria prouincia exortus, in uicina factũ terra Lycaoniæ solet narrare miraculum. Ait eñ, Martyrij monachi mirabilis deuotio C quòd in ea quidam Martyrius nomine, uitæ ualde uenerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio uisitationis gratia ad aliud monasterium tendebat, cui spiritalis pater præerat. Pergens itaq; leprosum quendam quem densis uulneribus elephantinus morbus per membra fœdauerat, inuenit in uia, uolentem ad suum hospitiũ redire, sed præ lassitudine non ualentem. In ipso uerò itinere se habere perhibebat hospitiũ, quo idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autẽ dei eiusdem leprosi lassitudini misertus, pallium quo uestiebatur, in terrã protinus proiecit & expãdit, ac desuper leprosum posuit, eumq; suo pallio undiq; constrictum super humerum leuauit, secumq; reuertens detulit. Cumq; iam monasterij foribus D propinquaret, spiritalis pater eiusdem monasterij magnis uocibus clamare cœpit: Currite ianuas monasterij citius aperite, quia frater Martyrius uenit dominum portans. Statim uerò ut Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo eius exiliens, & in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet redemptor humani generis, deus & homo Christus Iesus, ad cœlum Martyrio aspiciente rediit, eiq; ascendens dixit: Martyri tu me non erubuisti Deus super cœlos hunc non erubescet, qui deũ super terrã nõ erubuit super terram, ego te non erubescam super cœlos. Qui sanctus uir mox, ut est monasterium ingressus, ei pater monasterij dixit: Frater Martyri, ubi est quẽm portabas? Cui ille respondẽs dixit: Ego si scissem quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat: quia cùm eum portasset, põdus eius minimè sensisset. Nec mirum: Quo modo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? Qua in re pensandũ est nobis quantum fraterna compassio ualeat, quantũ nos omnipotenti deo misericordiæ uiscera coniungant. Inde eñ ei qui est super omnia propinquamus, unde nos per compassionem proximi etiã sub nosmetipsos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit, nisi qui tenditur. In rebus uerò spiritalibus certum est quia quanto plus per compassionem attrahimur, tanto altis uerius appropinquamus. Ecce autem redemptori generis humani ad ædificationem nostram minimè suffecit, quod in extremo iudicio dicturum se esse perhibuit: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis Matt.25 minimis, mihi fecistis: nisi & ante iudicium hoc in se ostenderet quod dixisset: ut uidelicet demonstraret, quia quisquis nũc bona opera indigẽtib. exhibet, ei hæc specialiter impendit, cuius hæc amore exhibuerit. Et tanto plus quisq; maiorẽ mercedem recipit, quanto nec eum despicit, qui amplius despiciendus uidetur. Quid enim in humana carne sublimius carne Christi quę est super angelos exaltata? Et quid in humana carne abiecti? Leprũ in carne nil dignius carne leprosi, quæ tumescentibus uulneribus scinditur, & exhalantibus fœtoribus implet? Sed ecce in specie leprosi apparuit: & is qui est reuerendus super omnia, uideri despectus infra omnia dignatus non est. Cur hoc nisi ut sensu nos tardiores admoneret, quatinus quisquis ei qui in cœlo est, festinat assistere, humiliari in terra & compati etiã abiectis & despicabilibus fratribus non recuset? Loqui charitati uestræ sub breuitate decreueram: sed quia nõ est in homine uia eius, decurrens sermo retineri non potest, quem disponit ipse de quo loquimur: qui uiuit & regnat cum patre in unitate spirituſancti deus, per omnia, &c.

Lectio sancti Euangelij, secundum Lucam.

IN illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribꝰ plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes ueniebant, & lingebant ulcera eius. Factum est autẽ ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autẽ oculos suos cũ esset in tormentis, uidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. Et ipse Luc.16

clamans

clamans dixit: Pater Abrahã, miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremũ digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur, tu uerò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatum eſt: ut hi qui uolunt hinc tranſire ad uos, non poſsint, neq; inde huc tranſmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, ut teſtetur illis, ne et ipſi ueniant in locũ hunc tormentorũ. Et ait illi Abraham: Habẽt Moyſen et prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen & prophetas non audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

Homília lectionis eiuſdem habita ad populum in baſilica beati Laurentij martyris: Dominica prima poſt Trinitatem.

Homília XL

IN uerbis ſacri eloquij fratres chariſſimi priùs ſeruanda eſt ueritas hiſtoriæ, & poſtmodum requirenda ſpiritalis intelligentia allegoriæ, Tunc nanq; allegoriæ fructus ſuauiter carpit̃, cùm prius per hiſtoriã in ueritatis radice ſolidat̃. Sed quia nõ nunquã allegoria fidem ædificat, & hiſtoria moralitatẽ: nos qui authore deo iam fidelibus loquimur, nõ abs re credimus, ſi ipſum loquẽdi ordinẽ poſtponamus: quatenus qui fidẽ iam rectam tenetis, prius de allegoria aliquid breuiter audire debeatis. Et quod uobis de moralitate hiſtorię ualde eſt neceſſariũ, hoc in expoſitionis noſtræ ordine ſeruet̃ extremũ: quia ea plerunq; ſolent melius recoli, quæ contingit poſtmodum audiri. Senſus ergo allegoricos ſub breuitate tranſcurrimus, ut ad moralitatis latitudinem citius uenire ualeamus:

Fides ædificatur per allegoriam.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, et epulabatur quotidie ſplendidè.] Quem fratres chariſſimi, quem diues iſte qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, niſi Iudaicum populum ſignat, qui cultum uitæ exterius habuit, qui acceptæ legis diligijs ad nitorem uſus eſt, nõ ad utilitatem? Quem uerò Lazarus ulceribus plenus, niſi gentilem populum figuraliter exprimit? qui dum conuerſus ad deum, peccata confiteri ſua non erubuit, huic uulnus in cute fuit. In cutis quippe uulnere uirus à uiſceribus trahitur, & foras erumpit. Quid eſt ergo peccatorum confeſsio, niſi quædam uulnerum ruptio? quia peccati uirus ſalubriter aperitur in confeſsione, quod peſtiferè latebat in mente. Vulnera etenim cutis in ſuperficiem trahunt humorem putredinis. Et cõfitendo peccata, quid aliud agimus, niſi malum quod in nobis latebat aperimus? Sed Lazarus uulneratus cupiebat ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat: quia gentilium quenq; ad cognitionem legis admittere ſuperbus ille populus deſpiciebat. Qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, ſed ad elationem, quaſi de acceptis opibus tumuit. Et quia ei uerba defluebant de ſciẽtia, quaſi micæ cadebant de menſa. At contrà iacentis pauperis uulnera lingebant canes. Nonnũ quam ſolent in ſacro eloquio, per canes, prædicatores intelligi. Canũ etenim lingua uulnus dum lingit, curat: quia & doctores ſancti dum in confeſſione peccati noſtri nos inſtruũt, quaſi uulnus mentis per linguam tangunt. Et quia nos loquendo à peccatis eripiunt, quaſi tangendo uulnera ad ſalutem reducunt. Quia enim canum nomine prędicatorum lingua ſignatur, à domino per Pſalmiſtam dicitur: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. Ex Iudæis quippe infidelibus ſancti prædicatores electi ſunt, qui in aſſertione ueritatis cõtra fures, latrones q; uenientes magnos pro domino, ut ita dicam, latratus dederunt. Quo contrà de quorundam reprobatione dicitur: Canes muti, non ualentes latrare. Quia ergo prædicatores ſancti peccata damnãt: confeſsionem uerò peccatorum approbant, dicentes: Confitemini alter utrum peccata ueſtra, & orate pro inuicem, ut ſaluemini: ulcera Lazari canes lingunt. Sancti etenim doctores dum gentilium confeſsiones accipiunt, mentium uulnera ſaluti reſtituunt. Vnde & Lazarus bene interpretatur adiutus: quia ipſi hunc ad ereptionem iuuant, qui eius uulnera per linguæ correptionem curant. Poteſt etiam per linctionem canum, lata adulantium lingua ſignari. Adulantibus etenim, uulnera noſtra lingere eſt: quòd plerunq; ſolent etiam ipſa mala quæ nos in nobis reprehendimus, improbo fauore laudare. Contigit uerò, ut uterq; moreret̃. Diues qui induebatur purpura & byſſo, ſepultus eſt in inferno. In ſinum uerò Abrahæ Lazarus ab angelis ductus eſt. Quid Abrahæ ſinus, niſi ſecretam requiẽ ſignificat patrum? De qua ueritas dicit: Multi, inquit, uenient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abrahã, & Iſaac, & Iacob, in regno cœlorum: filij autem regni eijciẽtur in tenebras exteriores. Qui enim purpura & byſſo indutus dicit̃, rectè regni filius uocatur. Qui de longinquo ad uidendum Lazarum oculos leuat: quia dũ per damnationis ſuæ ſupplicia infideles in imo ſunt, fideles quoſq; ante diem extremi iudicij ſuper ſe in requie attendunt, quorum poſt gaudia cõtemplari nullatenus poſſunt. Longè uerò eſt quod conſpiciunt, quia illuc per meritũ nõ attingũt. In lingua autẽ amplius ardere oſtenditur, cùm dicit: Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.] Infidelis populus uerba legis in ore tenuit, quæ opere ſeruare cõtemſit. Ibi ergo amplius

Prædicatores dicũtur canes.

Pſal. 67

Eſa. 56

Iacobi 5

Lazarus adiutus interpretatur.

Adulatores ſignantur per canes lingentes.

Mat. 8

Diues magnus Iudaicũ populũ repræſentat.

Cõfeſsio aperit uulnus peccati

Universidad de Deusto
Biblioteca

amplius ardebit, ubi se ostendit scire quod facere
Eccls 6 noluit. Quapropter bene de doctis & negligentibus per Salomonem dicitur: Omnis labor hominis in ore eius, sed anima illius non implebitur: quia quisquis hoc solùmodo laborat ut sciat quid loqui debeat, ab ipsa refectione suæ scientiæ mente uacua ieiunat. Ab extremo digiti se tangi desiderat, quia æternis supplicijs datus optat operatione iustorum, uel ultima, participari. Cui respondetur, quòd in hac uita bona receperit, quia omne suum gaudium felicitatem transitoriam putauit. Habere hic etenim possunt & iusti bona, nec tamen hæc in recompensatione recipere: quia dũ meliora, id est, æterna appetunt, eorũ iudicio quælibet bona affuerint, cùm sanctis desiderijs æstuant, bona minimè uidentur. Vnde Dauid prophe B
ta, qui regni diuitijs, multisq; obsequijs fulciebatur, quamuis & hæc ad necessitatem bona esse cõspiceret, uni tamen singulariter bono inhianter ę-
Psal.72 stuabat, dicens: Mihi autem adhęrere deo bonum est. Inter hæc uerò notandum est, quod ei dicitur:

Memento fili.] Ecce enim Abraham filium uocat, quem tamen à tormento non liberat: quoniam huius infidelis populi præcedentes patres fideles, quia multos à sua fide deuiasse considerant, eos nulla compassione à tormentis eripiũt, quos tamen per carnem filios recognoscunt. In tormentis autem diues positus, quinque fratres habere se perhibet: quia superbus idem Iudaicus populus, qui ex magna iam parte damnatus est, sequaces suos quos super terram reliquit, quinque libris C
Moysi carnaliter intellectis, uel quinque sensibus corporis deditos nouit. Quinario ergo numero fratres quos reliquerat, exprimit: quia quos ad spiritalem intelligentiam non assurgere in inferno positus gemit, petit ut ad eos Lazarus mittatur. Cui quia Moysen & prophetas habeant, dicitur. Sed ait: Quia non credent, nisi quis ex mortuis resurrexerit.] Cui protinus respondet: Si Moysen & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mor
Ioan.10 tuis resurrexerit, credent ei.] Certè de Moyse ueritas dicit: Si crederetis Moysi, crederetis utiq; & mihi. De me enim ille scripsit. Implet ergo quod per Abrahæ responsionem dicitur. Ex mortuis enim dominus resurrexit, sed Iudaicus ille populus, quia Moysi credere noluit, ei etiam qui resurD
rexit ex mortuis, credere contempsit. Cunq; Moysi uerba spiritaliter intelligere contempsit, ad eum de quo Moyses locutus fuerat, non peruenit. Hæc nos fratres charissimi pro indicandis allegoriæ mysterijs succinctè transcurrisse sufficiat, nũc ad intuendam latius rei gestæ moralitatem animus recurrat: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam diuitis, ulceribus plenus,] Nonnulli putant præcepta ueteris testamenti districtiora esse, quàm noui: sed hi nimirum improuida consideratione falluntur. In illo enim non tenacia, sed rapina mulctatur. Ibi res iniustè sublata, restitutiõe quadrupli punitur. Hic autem diues iste non abstuliſſe aliena reprehenditur, sed propria non dedisse. Nec dicitur, quia uiquenquam oppressit, sed in acceptis rebus se extulit. Hinc ergo summopere colligendum est, qua pœna mulctandus sit qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur qui propria non largitur. Nemo ergo securum se æstimet, dicens: Ecce aliena non rapio, sed concessis licitè rebus fruor: quia diues iste non idcirco punitus est, quoniam aliena abstulit, sed quia acceptis rebus semetipsum malè dereliquit. Hoc quoq; fuit quod hunc in inferno tradidit, quia in sua fœlicitate timidus non fuit: quia accepta dona ad usum arrogantiæ inflexit, quia uiscera pietatis ignorauit, quia peccata sua redimere etiam cùm sibi abundaret precium, noluit. Et sunt nonnulli qui cultum subtilium precioſarumq; uestium non putant esse peccatum: Qud si uidelicet culpa non esset, nequaquam sermo dei tam uigilanter exprimeret, quòd diues qui torquebatur apud inferos, byssо & purpura indutus fuisset. Nemo quippe uestimẽta precioſa, nisi ad inanem gloriam quærit, uidelicet ut honorabilior cæteris esse uideatur. Nam quia pro sola inani gloria uestimentum precioſius quæritur, res ipsa testatur, quòd nemo uult ibi precioſis uestibus indui, ubi ab alijs non possit uideri. Quã culpam possumus melius etiam ex diuerso colligere: quia si abiectio uilis indumenti uirtus non esset, Euangelista uigilanter de Ioanne non diceret: Erat indutus pilis camelorum. Sed notandum Mar.1 Matt.3
nobis est magnopere, in ore ueritatis de superbo diuite & humili paupere quantus sit ordo narrationis. Ecce enim dicitur: Homo quidam erat diues: & protinus subinfertur, & erat quidam mẽdicus nomine Lazarus. Certè in populo plus solẽt nomina diuitum quàm pauperum sciri. Quid est ergo quòd dominus de paupere & diuite uerbum faciens, nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit: nisi quòd deus humiles nouit atq; approbat, & superbos ignorat? Vnde & quibusdam de miraculorum uirtute superbientibus in fine dicturus est: Nescio uos unde sitis: discedite à Matt.7
me omnes operarij iniquitatis. At contrà Moysi Exod.33
dicitur: Noui te ex nomine. Ait ergo de diuite: Homo quidam. Ait de paupere: Egenus nomine Lazarus. Ac si apertè dicat: Pauperem humilem scio, superbum diuitem nescio. Illum cognitũ per approbationem habeo, hunc per iudicium reprobationis ignoro. Pensandum nobis est etiam, conditor noster quanta omnia consideratione dispensat. Vna etenim res non pro una re agitur. Nã ecce plenus ulceribus mendicus Lazarus ante ianuam diuitis iacet. Qua de re una dominus duo iudicia expleuit. Habuisset enim fortasse aliquam excusationem diues: si Lazarus pauper & ulcerosus ante eius ianuam non iacuisset, si remotus fuisset, si eius inopia nõ esset oculis importuna. Rursum si longè esset diues ab oculis ulcerosi pauperis, minorem toleraſſet in animo tentationem pauper. Sed dum egenum & ulceratum ante ianuam diuitis & delicijs affluentis posuit, in una eademq;

Vestes pretiosas fieri an sit peccatum.

re

re & ex uiſione pauperis non miſerenti diuiti cumulum damnationis intulit, & rurſum ex uiſione diuitis tentatũ quotidie pauperẽ probauit. Quantas nanque hunc egenũ & uulneribus obſeſſum tentationes creditis in ſua cogitatione toleraſſe, cùm ipſe egeret pane, & non haberet ſanitatem, atque ante ſe diuitem cerneret ſalutem & delicias habere cum uoluptate: ſe dolore & frigore affici, illum gaudere conſpiceret, byſſo & purpura ueſtiri: ſe deprimi uulneribus, illum affluere acceptis rebus: ſe egere, illum nolle largiri? Quantus putamus fratres mei tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certè ad pœnam ſuffi ceret paupertas, etiam ſi ſanus fuiſſet, & rurſum ſuffeciſſet ægritudo, etiam ſi ſubſidium adeſſet? B Sed ut probaretur amplius pauper, ſimul hunc et paupertas & ægritudo tabefecit. Atq; inſuper uidebat procedentem diuitem obſequentibus cuneis circumfulciri, & ſe in infirmitate & inopia à nullo uiſitari. Nam quia nemo ei ad uiſitandum aderat, teſtantur canes, qui licenter eius uulnera lingebant. Ex una ergo re omnipotens deus duo iudicia exhibuit, dum Lazarum pauperem ante ianuam diuitis iacere permiſit, ut & diues impius damnationis ſibi augeret ultionem, & tentatus pauper creſceret ad remunerationem. Conſpicie bat ille quotidie cui non miſereretur, uidebat iſte de quo probaretur. Duo inferius corda, ſed unus deſuper inſpector, qui & hunc tentando exercebat ad gloriam, & illum tolerando expectabat ad C pœnam. Nam ſequitur: Factũ eſt aũt ut morere tur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno.] Qui nimirũ diues eum cui in hac uita miſereri noluit, in ſuo iam ſupplicio poſitus patronum quærit. Nam ecce ſubiungitur: Qui eleuans oculos cùm eſſet in tormentis, uidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.] O quanta eſt ſubtilitas iudiciorum dei. O quàm diſtrictè agitur bonorum actuum malorumq; retributio. Certè ſuperius dictum fuit: quia in hac uita Lazarus cadentes mi- D cas de menſa diuitis quærebat, & nemo illi dabat: nunc de ſupplicio diuitis dicit, quia de extremo digito Lazari diſtillari aquam in ore ſuo concupiſcit. Hinc ergo, hinc fratres colligite, quanta ſit diſtrictio ſeueritatis dei. Diues enim iſte qui uulnerato pauperi menſæ ſuæ uel minima dare noluit: in inferno poſitus, uſq; ad minima quærenda peruenit. Nam & guttam aquę petiuit, qui micas panis negauit. Sed notãdum ualde eſt quid ſit quòd diues in igne poſitus linguam ſuam refrigerari petit. Mos quippe eſt ſacri eloquij, ut aliquando aliud dicat, ſed ex eodem dicto aliud innuat. Superius autem hunc ſuperbum diuitem dominus non loquacitati uacantem dixerat, ſed ſuperfluè conuiuantem. Neque hunc de loquacitate notauit, ſed cum elatione & tenacia de edacitate peccaſſe.

Iudicia duo deus ex una re exhibuit

A Sed quia abundare in conuiuijs loquacitas ſolet, is qui malè hic conuiuatus dicitur apud infernum grauius in lingua ardere perhibetur. Prima nanq; malè conuiuantibus famulatur culpa loquacitatis, poſt loquacitatem uerò ludendi etiam leuitas ſequitur. Nam quia edacitatem luſus ſequatur: teſtatur ſacra ſcriptura, quæ ait: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Sed priuſquam ad luſum moueatur corpus, ad iocos ac uerba inania mouet lingua. Quid ergo eſt quod innuitur, quia in tormentis poſitus diues linguã ſuam refrigerari poſtulat, niſi quòd is qui conuiuando magis de loquacitate peccauerat, per retributionis iuſtitiam in lingua atrocius ardebat?

Conuiuia ſunt plena loquacitatis

Exod. 32

B Sed cum graui ualde eſt pauore penſandum hoc quod ei per Abrahæ reſponſionem dicitur: Fili recordare, quia recepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur, tu uerò cruciaris.] Iſta fratres mei ſententia pauore potius indiget, quàm expoſitione. Nam ſi qui eſtis qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepiſtis: ipſum, ut ita dicam, donum exterius pertimeſcere debetis, ne uobis pro quorundam ueſtrorum actuum recompenſatione ſit datum: ne iudex qui hic bona exteriora reſtituit à retributione boni intimi repellat, ne honor hic uel diuitiæ, non adiumentum uirtutis, ſed remuneratio ſint laboris. Ecce enim dum dicitur, Recepiſti bona in uita tua: indicatur & diues iſte boni aliquid ha C buiſſe, ex quo in hac uita bona receperit. Rurſum que dũ de Lazaro dicitur, quia recepit mala, profectò monſtratur & Lazarus habuiſſe malum aliquod quod purgaretur. Sed mala Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit felicitas tranſeuntis uitæ. Illum paupertas afflixit & terſit, iſtum abundantia remunerauit & repulit. Quicunq; ergo bona in hoc ſeculo habetis, cùm uos bona egiſſe recolitis, ualde de ipſis pertimeſcite ne conceſſa uobis proſperitas eorundem remuneratio ſit bonorum. Et cùm quoslibet pauperes nonnulla reprehenſibilia perpetrare conſpicitis: nolite deſpicere, nolite deſperare, quia fortaſſe quos ſuperfluitas tenuiſſimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De uobis omni modo pertimeſcite: quia nonnulla etiam malè acta, proſpera uita ſecuta eſt. De illis uerò ſollicitè penſate, quia eorum uitam etiam magiſtra paupertas cruciat, quouſq; ad uitæ rectitudinem perducat. Sequit: Et in his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatum eſt, ut hi qui uolũt hinc ad uos tranſire, non poſſint, neq; inde huc tranſmeare.] Qua in re ualde quærendum eſt, quomodo dicatur, hi qui uolunt hinc ad uos tranſire nõ poſſunt. Quia enim hi qui in inferno ſunt, ad beatorum ſortem tranſire cupiant, dubium non eſt. Qui uerò iam in beatitudinis ſorte ſuſcepti ſunt, quo pacto dicit quia trãſire ad eos qui in inferno cruciãt uolũt? Sed ſicut trãſire reprobi ad electos cupiũt, id eſt, à ſuppliciorũ ſuorũ afflictiõe migrare: ita ad afflictos atq; in tormentis poſitos tranſire, iuſtorũ, eſt mente ire per miſericordiam, eoſq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

uelle liberari. Sed qui uolũt de beatorum ſede ad afflictos atq; in tormẽtis poſitos tranſire non poſſunt: quia iuſtorum animæ quamuis in ſuæ naturę bonitate miſericordiam habeant, iam tunc authoris ſui iuſtitiæ coniunctæ, tanta rectitudine conſtringuntur, ut nulla ad reprobos cõpaſſione moueantur. Ipſi quippe iudici concordant, cui inhærent, & eis quos eripere non poſſunt, nec ex miſericordia condeſcendunt: quia tantum illos tunc à ſe uidebunt extraneos, quantum ab eo quem diligunt authore ſuo conſpiciunt eſſe repulſos. Nec iniuſti ergo ad beatorum ſortem tranſeunt: quia damnatione perpetua cõſtringunt. Nec iuſti tranſire ad reprobos poſſunt: quia erecti iam per iuſtiam iudicij, eis nullo modo ex aliqua compaſſio ne miſerentur. Sed poſtquam ardenti diuiti de ſe ſpes tollitur, eius animus ad propinquos quos reliquerat, recurrit: quia reproborum mentem pœna ſua quãdoq; inutiliter erudit ad charitatem, ut iam tunc etiã ſuos ſpiritaliter diligãt, qui hic dum peccata diligerent nec ſe amabant. Vnde nunc ſubditur: Rogo te ergo pater, ut mittas eum in domum patris mei. habeo enim quinq; fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi ueniant in hunc locum tormentorum.] Qua in re notandum eſt, ardenti diuiti quanta ad ſupplicium cumulantur. Ad pœnam nanq; ſuam ei & cognitio ſeruatur & memoria. Cognoſcit enim Lazarum quem deſpexit. Fratrum quoque ſuorum meminit, quos reliquit. Perfecta quippe ei ultio de paupere non eſſet, ſi hunc in retributione non recognoſceret. Et perfecta pœna in igne non eſſet, ſi non hoc quod ipſe patitur, etiam ſuis timeret. Vt ergo peccatores in ſupplicio amplius puniant, & eorum uident gloriam quos contempſerũt, & de illorum etiam pœna torquentur quos inutiliter amauerunt. Credendum uerò eſt, quòd ante retributionem extremi iudicij, iniuſti in requie quoſdã iuſtos conſpiciũt, ut eos uidẽtes in gaudio, nõ ſolũ de ſuo ſupplicio, ſed etiã de illorũ bono crucientur. Iuſti uerò in tormentis ſemper intuentur iniuſtos, ut hinc eorum gaudium creſcat, quia malum conſpiciunt quod miſericorditer euaſerunt: tantoq; maiores redemptori ſuo gratias referunt, quanto uident in alijs quod ipſi perpeti, ſi eſſent relicti, potuerunt. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud iuſtorum animũ fuſcat aſpecta pœna reproborũ: quia ubi iam compaſſio miſeriæ non erit, minui proculdubio beatorum lætitia non ualebit. Quid autem mirum, ſi dum iuſti iniuſtorum tormenta conſpiciunt, hoc eis ueniat in obſequium gaudiorum, quando & in pictura niger color ſubſternitur, ut albus uel rubeus clarior uideatur? Nam ſicut dictum eſt, tanto bonis ſua gaudia excreſcunt, quanto eorum oculis damnatorum mala ſubteriacent, quæ euaſerunt. Et quanuis eis ſua gaudia ad perfruendum plene ſufficiant: mala tamen reproborum abſq; dubio ſemper aſpiciunt: quia qui creatoris ſui claritatem uidẽt, nihil in creatura agitur, quod uidere non poſſint. Petenti autem diuiti, ut Lazarus mittatur, ab Abraham protinus reſpondetur: Habent Moyſen & prophetas, audiant illos.] Sed qui dei uerba deſpexerat, hæc audire non poſſe ſuos ſequaces exiſtimabat. Vnde & reſpondit diues: Non pater mi: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Cui mox uera ci ſententia dicitur: Si Moyſen & prophetas non audiunt: neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.] Quia nimirum qui uerba legis deſpiciunt, redemptoris præcepta qui ex mortuis reſurrexit: quanto ſubtiliora ſunt, tanto hæc difficilius implebunt. Minus eſt enim quicquid per legem dicitur, quàm hoc quod per dominum iubetur. Illa enim dare decimas præcipit, redemptor uerò noſter ab his qui perfectionem ſequuntur, omnia dimitti iubet. Illa peccata carnis reſecat, redemptor uerò noſter illicitas cogitationes etiam damnat. Si ergo Moyſen & prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credẽt: quia hi qui uiliora legis præcepta implere negligunt, ſaluatoris noſtri mandatis altioribus obedire quando conualeſcunt? Et nimirũ conſtat quia cuius implere dicta renuunt, ei proculdubio credere recuſant. Hæc nos de ipſa rei geſtæ conſideratione dixiſſe ſufficiat. Sed uos fratres & requiem Lazari, & pœnam diuitis cognoſcentes, ſolerter agite, culparum ueſtrarum interceſſores quærite, atq; aduocatos uobis in die iudicij pauperes procurate. Multos etenim nũc Lazaros habetis, ante ianuas ueſtras iacent, atq; his indigent, quæ uobis iam ſatiatis quotidie micæ de menſa cadũt. Verba ſacrę lectionis debent nos inſtruere ad implenda mandata pietatis. Quotidie Lazarum ſi quærimus, inuenimus: quotidie Lazarum & ſi non quærimus cernimus. Ecce importunè ſe pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis interceſſores uenient. Certè nos omnino rogare debuimus, ſed tamen rogamur. Videte ſi negare debemus quod petimur, quãdo patroni ſunt qui petunt. Nolite ergo miſericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia diſſimulare. Ante ſuppliciũ cogitate de ſupplicio. Cùm quoslibet in hoc mundo abiectos aſpicitis, etiam ſi qua reprehenſibilia eorum eſſe uideantur, nolite deſpicere: quia fortaſſe quos morum infirmitas uulnerat, medicina paupertatis curat. Quorum ſi qua ſunt talia quæ debeant iure reprehendi: hæc ſi uultis, ad uſum ueſtræ mercedis inflectite, ut ex ipſis eorum uitijs cumulentur uobis incrementa pietatis, qua tenus panem pariter detis & uerbum, panem refectionis cum uerbo correptionis: & duo à uobis alimenta percipiat, qui unum quærebat, dum & exterius cibo, & interius ſatiatur eloquio. Pauper ergo cùm reprehenſibilis cernitur, moneri debet & deſpici non debet. Si uerò reprehenſionis nihil habet, uenerari ſummopere ſicut interceſſor debet. Sed ecce multos cernimus, quis cuius ſit meriti neſcimus. Omnes ergo uenerandi ſunt, tantoq; neceſſe eſt, ut omnibus te humiliare debeas, quanto quis ſit ipſe ignoras. Rem fratres refero, quam bene is qui præſto eſt frater & compresbyter meus Specioſus nouit. Eodem tempore quo monaſte

Iuſti iniuſtorũ tormenta conſpicere poſſunt

Præcepta redemptoris ſunt ſubtiliora præceptis legis

Miſericordiæ tempora non perdenda

monaſterium petij, anus quædam Redempta no
mine, in ſanctimoniali habitu conſtituta, in urbe
hac iuxta beatæ Mariæ uirginis Eccleſiam mane
bat. Hęc illius Herũdinis diſcipula fuerat, quę ma
gnis uirtutibus pollens, ſuper Prænestinos mon-
tes uitam eremiticã duxiſſe ferebatur. Huic duæ,
in eodẽ habitu, diſcipulæ adhærebãt: una nomine
Romula, & altera quæ nunc adhuc ſupereſt, quã
quidẽ facie ſcio, ſed nomine neſcio. Tres itaq; hæ
in uno habitaculo commanentes, morum quidẽ
diuitijs plenam, ſed tamen rebus pauperem ui-
tam ducebant. Hæc autem quam præfatus ſum
Romula, aliam quam prædixi condiſcipulam ſu-
Mulieris re- am magnis uitæ meritis anteibat. Erat quippe mi
ligioſę opti- B ræ patientiæ, ſummæ obedientiæ, cuſtos oris ſui
ma indicia ad ſilentium, ſtudioſa ualde ad continuæ oratio-
nis uſum. Sed quia plerunque hi quos iam perfe-
ctos homines æſtimant, adhuc in oculis ſummi o-
pificis aliquid imperfectionis habent, ſicut ſæpe
imperiti homines necdum perfectè ſculpta ſigil-
la conſpicimus, & iam quaſi perfecta laudamus,
quæ adhuc artifex conſiderat & limat, laudari iam
audit, & tamen ea tundere meliorando non deſi-
nit, hæc quam prædiximus Romula, ea quam grę
co uocabulo medici paralyſim uocant, moleſtia
corporali percuſſa eſt, multisq; annis in lectulo
decubãs, penè omnium iacebat membrorum of-
ficio deſtituta: nec tamen hæc eadem eius men-
tem ad impatientiam flagella perduxerant. Nam
ipſa ei detrimenta membrorum facta fuerant in- C
crementa uirtutũ: quia tanto ſollicitius ad uſum
orationis ſuccreuerat, quanto & aliud quodlibet
agere nequaquã ualebat. Nocte ergo quadã ean-
dem Redemptã quam præfatus ſum, quæ utraſq;
diſcipulas ſuas filiarũ loco nutriebat, uocauit di-
cẽs, Mater ueni, mater ueni. Quę mox cũ alia eius
condiſcipula ſurrexit, ſicut utriſq; referentibus &
multis res eadem claruit, & ego quoque eodem
tempore agnoui. Cunq; noctis medio lectulo ia-
centis aſſiſterent, ſubito cœlitus lux emiſſa, om-
ne illius cellulæ ſpatium impleuit, & ſplendor tan
tæ claritatis emicuit: ut corda aſſiſtentium inæſti-
mabili pauore perſtringeret, atque ut poſt ipſę re
ferebant, omne in eis corpus obrigeſceret, & in ſu
bito ſtupore remanerent. Cœpit nanque quaſi cu D
iuſdam magnæ multitudinis ingredientis ſonitus
audiri, oſtium cellulæ concuti, ac ſi ingredienti-
um turba premeretur. Atque, ut dicebant, intran-
tium multitudinem ſentiebant, ſed nimietate ti-
moris & luminis, uidere nil poterant: quia earum
oculos & pauor depreſſerat, & ipſa tanti luminis
claritas reuerberabat. Quam lucem protinus miri
odoris eſt fragrantia ſubſecuta: ita ut earum ani-
mum, quia lux emiſſa terruerat, odoris ſuauitas re
foueret. Sed cùm uim claritatis illius ferre non
poſſent, cœpit eadem Romula aſſiſtentem ſibi
& trementem Redemptam, ſuorum morum ma-
giſtram, blanda uoce conſolari, dicens: Noli time-
re mater, non morior modo. Cunq; hoc illa cre-
bro diceret, paulatim lux quę fuerat immiſſa, ſub-

A tracta eſt, ſed is qui ſubſecutus eſt odor remanſit.
Sicq; dies ſecũdus & tertius tranſiit, ut aſperſa fra
grantia odoris remaneret. Nocte ergo quarta ean
dem magiſtram ſuam iterum uocauit. Qua uenie-
nte uiaticum petijt, & accepit. Nec dum uerò ea
dem Redẽpta & alia eius diſcipula à lectulo iacẽ-
tis abſceſſerant, & ecce ſubito in platea ante eiuſ-
dem cellulę oſtium duo chori pſallentiũ aſtiterũt,
& ſicut ipſæ ſe dicebant ſexus ex uocibus diſcre-
uiſſe, pſalmodiæ cantus dicebant uiri, & fœminæ
reſpondebant. Cunq; ante fores cellulæ exhiberẽ
tur cœleſtes exequiæ, ſancta illa anima carne ſolu
ta eſt. Qua ad cœlum ducta, quanto chori pſalliẽti
um altius aſcendebant, tanto cœpit pſalmodia le-
nius audiri, quouſq; & eiuſdẽ pſalmodiæ ſonitus,
& odoris ſuauitas elongata finiretur. Hæc ergo
quãdiu uixit in corpore, quis illam haberet in ho-
nore? Indigna cunctis, omnibus deſpecta uideba
tur. Quis enim ad illam accedere, quis ad illam ue Margarita
nire dignaretur? Sed latebat in ſterquilinio mar- quandoq;
garita dei. Sterquiliniũ fratres hanc ipſam corru- latet in ſter
ptibilitatẽ corporis appello, ſterquiliniũ abiectio quilinio
nem paupertatis nomino. Aſſumpta eſt ergo mar
garita quæ iacebat in ſterquilinio, & poſita in cœ-
leſtis regis ornamẽto, iam inter ſupernos ciues e-
micat, iam inter ignotos illos lapides ęterni diade
matis coruſcat. O uos qui in hoc mundo diuites
aut eſſe creditis, aut eſtis, cõferte, ſi poteſtis, falſas
diuitias ueſtras ueris diuitijs Romulę. Vos in hu-
ius mundi uia omnia amiſſuri poſſidetis, illa nihil
quæſiuit in itinere, & omnia inuenit in peruentio
ne. Vos lætam uitam ducitis, triſtem mortẽ time-
tis: illa triſtem uitam pertulit, ad lętam mortẽ per-
uenit. Vos ad tempus quęritis obſequium homi-
num, illa deſpecta ab hominibus, inuenit ſocios
choros angelorum. Diſcite ergo fratres tempora
lia cuncta deſpicere. Diſcite honorem tranſeun- Honores
tem contemnere, æternam gloriã amare. Honora tranſeuntes
te quos pauperes uidetis, & quos foris conſpici- contemnen
tis deſpectos ſeculi, intus arbitramini amicos dei. di ſunt.
Cũ his participamini quod habetis, ut hoc quan-
doq; dignentur uobiſcum participari quod ha-
bent. Penſate quod ore magiſtri gentium dicitur:
In hoc tempore ueſtra abundantia illorum inopi- 2.Cor.8
am ſuppleat, ut & illorum abundantia, ueſtræ in
opiæ ſit ſupplementum. Penſate quod ipſa per ſe
ueritas dicit: Quandiu feciſtis uni de his fratribus Matt.25
meis minimis, mihi feciſtis. Ad tribuendum er-
go pigri cur eſtis, quando hoc quod iacenti in ter
ra porrigitis, ſedenti in cœlo datis? Sed hæc om-
nipotẽs deus quæ per me in ueſtris auribus loqui
tur, per ſe in ueſtris mentibus loquatur. Qui uiuit
& regnat cum patre in unitate ſpiritus ſancti de-
us, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Beati Gregorij papæ Homiliæ qua-
draginta, de diuerſis Euan-
gelij lectionibus fi-
niunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLOGVS BEATI GREGORII PAPAE IN SEPTEM Psalmos pœnitentiales.

ISte rex & propheta conuenienter Dauid, id est, manu fortis uocatus est: quia ursum interfecit, leonem suffocauit, Goliath fortissimum lapidis unius ictu prostrauit, & gentes innumeras imperij sui ditioni subegit: nō incongruè eodem nomine sanctam animam accipimus, quæ illum qui quasi leo rugiens circuit quærens quem deuoret, in seipsa interfecit, & si quando eam sicut fortis armatus aperto certamine aggreditur, lapidis quem reprobauerunt ædificantes, illum ictu prosternit, corporis nihilominus passiones subigit, atq; ad uirtutū officia conuertit. Psalterium quoq; eandem animam spiritalibus exercitijs assuetam non inconuenienter nominamus. Sicut enim musicum illud instrumentū triangulum decem chordarum inferius quidem percutitur, superius uerò sonare uidetur: ita anima sanctæ trinitatis fide formata, decē legis præceptis instructa, inferius percutitur, & superius auditur: quia cùm carnem aliquis perfectè afflixerit, tūc suauissimū deo in dulcedine melos reddit. Per psalmum ergo, meditationes, & laudes, & gaudia de deo in animo concepta accipimus, sicut cantum illius musici instrumenti Psalmū uocamus. Psalmus ergo iste, id est, hæc meditatio, Dauid, id est, fideli animæ uirtutibus exercitatæ attribuitur, animę scilicet tendenti in finē, id est, in Christum, qui est initiū & finis. Christus finis dicitur: uel quia est consummatio legis & prophetarum, sicut ipse pendens in cruce tes-
Ioan.19 tatus est, cùm aceto & felle potatus dixit: Cōsummatum est. Vel quia bonorum omnium perfectio est, quia nullum bonū perficitur, nisi quod in summo bono solidatur. Sicut enim nobis non sufficit alios bonos quærere, nisi ad eius studeamus agnitionem peruenire: ita eo inuento nullus iam melior quæritur: quia omnis creatura eo, sub cuius pedibus à patre omnia sunt subiecta, inferior inuenitur. Pro octaua uerò Psalmus iste factus asseritur, quia pro consideratione futuræ resurrectionis domino decantatur. Omne præsentis uitæ tempus septem diebus euoluitur, & ideo æterna dies quæ expleta horum dierum uicissitudine futura est, octaua uocatur. Et quia pro cōsideratione extremi iudicij Psalmus iste concinitur, rectè pro octaua intitulatur. Vel quia sequit finem carnalis & spiritalis generationis: ideo octaua dicitur resurrectionis. Caro enim ex quatuor constat elementis, anima tribus uegetatur naturis. Est enim rationalis ad discernendum, concupiscibilis ad uirtutes appetendum, irascibilis ad uitia auersandum. De hac enim ita per eundem prophetam dicitur: Ira-
Psal.4 scimini, & nolite peccare. Quòd enim se cōtra seipsum erexerit, & zelo rectitudinis inflammatus, contra uitiorum se importunitates uiriliter commouerit, in conspectu interni iudicis nequaquam delinquit. Vel secundum quosdam octaua dicit: quia sequitur sex ætates in hoc seculo uiuentiū, & septimam dormientiū iustorū. Hunc aūt Psalmū in hymnis habendum titulus astruit: quia qui tactus dolore cordis intrinsecus peccata sua confitens, cor in pœnitentia cōterit, suauē ad aures misericordis dei uocē exultationis reddit. Maius est Luce 15
enim angelis dei super uno peccatore pœnitente gaudium, cȝ de nonagintanouem perseuerātia iustorum. Et qui pro indulgentiæ desiderio iniquitates suas annunciat, in tabernaculis iustorū dulciter hymnizat. Loquit ergo in hoc psalmo fidelis anima octauam illam, id est, diem iudicij tremendam considerans, terroremq; districtionis diuinæ & reproborū damnationem perpetuā prudentiæ intuitu cōtemplās. Et quia de suis meritis diffidēs in se qualiter in illo tremendo examine iram ultionis diuinæ effugere possit, non inuenit: audacter quidem sed confidenter ad fontem misericordiæ faciem eius præoccupans accedit, malens in hac uita per pœnitentiam & flagella conteri, quàm in futuro horrendis suppliciorum cruciatibus affligi. Quid ergo dicat audiamus, & illius exemplo cum fiducia ad thronum gloriæ dei adeamus.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Vides quàm bonū principiū, cȝ affectuosum, quàm gratiæ plenum. In eo enim q dominū eum uocauit, quòd sui iure misereri deberet ostendit. Dominorū enim est, seruos alere, non negligere: delinquentes corrigere, non necare: fugientes requirere, non abdicare: Dñe, ne in furore tuo.] Solet fieri, ut qui dominorū iram incurrunt, si eis reconciliari appetunt, patronos quærāt, interuentores adhibeant, aduocatos adsciscant. Sed hæc anima illius terribilis iudicij terrore perculsa, amoris dei desiderio accensa, moras non patitur, dilationem auersatur, & si ad horam deum conuenire distulerit, damnationē se euadere non posse arbitratur. Desiderium enim non sustinet, & in patientia modum non habet. Vires ergo colligit, de misericordia cōditoris confidit, & quasi eum præsentem uideat, loqui prę sumit, ac si dicat: Scio quidē quia ab oculis tuis meis excludor meritis, sed tamen minor sum cunctis miserationib. tuis. Tu igitur domine cuius me seruum esse non abnego, cuius imperijs obtēperare desidero, cuius suaue iugum ferre nequaquam recuso: Ne arguas me in furore tuo.] Hic me potius argue: dum tēpus est misericordiæ, corripe: dum dies salutis est, exerce. Quisquis in hac uita flagellis atterit, in mansuetudine corripitur, quia correptionibus emendatur. In illo autem tremendo examine iniquus omnis in furore arguitur: quia pœnam interminabilem uenia nulla comitatur. Absit, ut in deo furorem esse credamus. Non enim esset incommutabilis, si eum commouere posset alicuius necessitas passionis. Sed quia aliter de deo nisi secūdum huma-

Psalterium quid

Psalmus quid

Dominī officium

Furor nō in deo

humanum morem loqui non possumus, infinitæ damnationis sententiã, furorem uocamus. Nõ ut in illa iustitiæ seueritate, aliqua omnino perturbatione deus moueatur, sed quia in eos qui duplici sunt contritione conterendi, irremediabiliter uindicat: Ne arguas me in furore tuo:] non humano, non transitorio. Furor humanus, sicut citò prę terit, ita suæ uigorem potestatis, non nisi in corporibus extẽdit: diuinę uerò ultionis animaduersio, non solum pœnas in corpore & anima multiplicat, uerumetiã in damnatis immobiliter perseuerat: Neq; in ira tua corripias me.] Sicut maior est furor q̃ ira, ita arguere maius est q̃ corripere. Eos corripimus, quos amantes emendamus. Et quia post mortem carnis alij æternis deputant̃ supplicijs, alij ad uitã per ignem transeunt purgationis, fidelis anima non solum furorem timet, sed etiam iram abhorret. Teste beato Augustino, hi omnes qui non posuerunt sibi fundamentũ Christum, in furore arguunt̃: quia æterno igne cruciantur. Qui autem eidem fundamento superposuerunt lignũ, fœnum, stipulam, in ira corripiunt̃: quia igne purgati, ad beatitudinis requiem reducentur. Dicat ergo fidelis anima quid fecit considerans, & quid sit receptura contemplans: Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.] Ac si aperte dicat: Hoc solum tota cordis intentione efflagito, hoc indesinenter uotis omnibus concupisco, ne me in illo tremendo examine, uel cum reprobis ferias, uel cum purgandis flammis ultricibus affligas. Et ut hoc fiat:

Miserere mei domine, quoniã infirmus sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

In eo quòd nomen uenerandum repetit, piæ precis affectum se habere ostendit. Quasi dicat: Tu domine, quem suaue uidetur mihi sæpius in uocare, miserere mei dum tempus est misericordiæ. Hic me misericorditer corripe. Hic per flagella contere. Hic igne tribulationis exure. Et ne quid in me post huius uitæ terminum uindicandum inuenias, oro ut per ignem tui amoris omnẽ in me uitiorũ rubiginẽ cõsumas. Et hoc opus est ut facias: Quoniã infirmus sum.] Ex peccato primi parẽtis pœnã cõtraxi magnæ infirmitatis: non enim quod uolo, ago: sed quod odi malũ, illud facio. Infirmus sum: quia ad malũ pronus sum. Sed tu domine animarum debilium uelox medice: Sana me:] scilicet, interius ab omni uitiorum labe emunda. Quoniam conturbata sunt omnia ossa mea] idest uirtutes animæ obscuratæ sunt, & extenuatæ uirtutes simul conturbatæ sunt. Charitas enim confunditur, humilitas impingitur, fortitudo deijcitur, castitas impugnatur. Per ossa uirtutes accipimus, per quas nimirum animam sustentamus. Sicut enim in ossibus est fortitudo corporum, ita in uirtutibus robur inuenitur animarum. Et planè debilis omnis comprehenditur anima, nisi quæ fuerit uirtutũ fortitudine fulta. Postquã enim in ordine culpam incurrit primus humani generis parens, ab illa in qua positus fuerat mentis celsitudine decidit, claritatẽ uisiõis diuinę perdidit, suauissimas uerborũ dei epulas quibus interius reficiebat̃ amisit. Oculos carnis ad obscœna & turpia uidenda aperuit, qui prius aciem mentis qua lucis summæ fulgor intuebat̃, obscurauit.

Et anima mea turbata est ualde, sed tu domine usquequo?

Et quia me infirmum sentio, quia ossa mea conturbata agnosco: Anima mea] scilicet eo q̃ mea est, quòd per me corrupta est, q̃ per me debilis & ęgra facta est, turbata est ad gemitum, cõmota est ad compunctionem & lamenta, ualde magna scilicet & multimoda turbatione. Turbat̃ em̃, quia peccauit, quia bonum dominum offendit, quia uitam perdidit, mortem incurrit: Sed tu domine usquequo] turbaris contra me, quia peccaui, quia te ad iracundiã delinquendo prouocaui? Vel tu domine, dęmones quidem inuasores non domini naturaliter, malunt meã perditionem q̃ salutem. Sed tu dñe qui non uis mortem peccatoris: singulariter domine, non abusiuè sed propriè: usq; quo, id est, quandiu differs sanare? Ecce in conspectu boni medici, & curare ualentis assisto, uulnera detego, preces emitto, dolores augeo, lachrymas effundo. Cur ergo dissimulas, cũ nõ sit tibi minor potentia q̃ uolũtas? Licet hoc celes in corde tuo: tamen scio, quia uniuersorum memineris. Omnis curatio quanto difficilius acquiritur, tanto acquisita cautius custoditur. Iob 10

Conuertere domine, & eripe animã meã, saluũ me fac propter misericordiam tuam.

Ne magis turberis, supplico: ne ultra misereri differas, peto, imò conuertere domine. Sicut anima mea conuersa est ad te per turbationem pœnitudinis, ita tu conuertere ad eam per serenitatem miserationis. Et conuersus Eripe animã meã.] Impediunt eam uepres carnalium delectationũ, detinent illam secularium illecebrę cupiditatum. Sed tu qui potens es omnia facere superabundanter q̃ petimus aut intelligimus, eã eripe: igne tui amoris, terrenarũ dumeta uoluptatum quibus irretitur, adure: extra omnem peccati appetitum illam tuæ manu fortitudinis trahe: Saluum me fac propter misericordiam tuam.] Parum est ut animam meã à mundi uoluptatibus liberes, nisi me ab hostium tentationibus uirtutis tuæ protectione conserues. Boni medici officiũ est, non solum salutem restituere, sed etiam restitutam custodiæ sedulitate seruare. Sic ergo & tu cùm animã meã à carnalibus desiderijs eripueris, da mihi in bono perseuerantiã, ne mihi demissos laqueos iterũ tentationũ incurrã. Et hoc Propter misericordiã tuam.] Non de meis meritis cõfidens, ut me saluũ facias supplico, sed de sola misericordia tua præsumens impetrare, quod non de meis meritis spero.

Quoniã non est in morte qui memor sit tui, in inferno aũt quis confitebitur tibi?

Peccata cõsummata generãt mortem. Nisi em̃ conuersus fueris, nisi animã meam eripueris, nisi me

Rom. 7

Ossa sunt uirtutes

Medici boni officium

me ſaluum feceris,in peccatorum me caligine, id A
eſt,in morte dimittis:quod ſi in morte,tui procul-
dubio memoriam perdo. Et inde hoc ſcio, quod
in morte penitus tui memor eſſe nequibo:Quo-
niam non eſt in morte qui memor ſit tui.] Quo-
modo nanq; mihi conceditur,quod omnibus de-
negatur? In inferno autem,&c.] Sicut de morte
ad infernū peccator peruenit, ita de peccatorum
Prou.18 multitudine in deſperationis foueam cadit. Vn-
de & ſcriptum eſt: Peccator cùm uenerit in pro-
fundum malorum,contemnit.Fidelis anima non
exaudiri metuēs miſerias,quas perlatura eſt ſi nō
exauditur,enumerat:ut ſe maximo timore concu
tiat,& deum citius ad miſericordiā flectat. Ait er-
go:In inferno autem quis cōfitebitur tibi?] Quaſi B
dicat: Dico ſi nō eripueris me, in morte futuram:
& nō ſolū in morte futuram me præuideo,ſed etia-
am in inferno,id eſt,in deſperatione me ſepelien-
dam cognoſco.Quòd ſi in inferno fuero, tibi me
confiteri non poſſe perpendo.Nullus enim in in-
ferno confitebitur tibi. Et hoc eſt quod ait ſub ſpe
cie interrogantis,in inferno autem quis confitebi
Eccli 15 tur tibi?] ſcilicet nullus:Nō enim eſt ſpecioſa laus
in ore peccatoris.Aliter,Quoniam nō eſt in mor-
te qui memor ſit tui.] Precor ut animam meā libe
res à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus
eam.Si enim hoc nō feceris,interficiēt me :quia à
te, qui es uita mea,ſeparabūt me.Cùm enim tu ſis
illud idem animæ,quod anima corpori:ſi tibi inſe
parabiliter non inhæſero, neceſſario mortem in- C
curro. Et ſi in morte fuero, tui memor non ero:
Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Si-
cut nullius rei meminit caro mortua,ita nec te ſen
tire prævalet à te deo anima diuiſa.Nulla ſocietas
lucí ad tenebras. Vbi autem tui ingreditur memo
ria,ibi eſt lux ueritatis immenſa.Quod tamen in-
telligi & aliter poteſt, Quaſi dicat: Immedicabile
corpus eſt recidendum enſe,& membri in corpo-
re mortui abſciſſio potius eſt neceſſaria quàm me
dicina.Sed ego non ſum,ut membrum mortuum
cui medicina non proficiat,ſedulitas nihil confe-
rat.Nam ſum memor tui,ſcilicet miſericordiæ.Te
enim medicū ſcio,miſericordem nō ambigo,lon
ganimē agnoſco, q̄d non facerē ſi in morte eſſem.
Et hoc apparet à toto quoniam non eſt in morte. D

Laboraui in gemitu meo,lauabo per ſin
gulas noctes lectum meum,lachrymis me-
is ſtratum meum rigabo.

Dixerat ſuperius,ſaluum me fac, & tempus eſt
ut facias,nam ego laboraui in gemitu meo. Adeſt
miſer,aſſit & miſericordia. Miſeriam meam ego
cognoſco, uulnus non diſſimulo, peccatum non
celo.Niſi enim miſerum me agnoſcerē,in gemen-
do non laborarem.Sed ego laboraui,id eſt, ſtudio
ſc̀ egi ut eſſem in gemitu,ſcilicet ut quouſq; uiue-
rem,gemendum mihi putarem. Et, Laboraui in
gemitu.] ideſt,modo mihi proprio.Nemini enim
ſicut mihi ingemiſcendum æſtimo,quia præ om-
nibus me peccaſſe perpendo.Et quia non ſufficit
bene incipere,niſi ſtudeat quis in bono opere per
ſeuerare:adiūgit, Laui per ſingulas noctes,id eſt,
ſingulas tenebroſas cogitationes:Lectū meum.]
Per lectum conſcientiam accipimus:quia ſicut in Lectus con
lecto iacentes quieſcimus,ita in ea uel legi dei uel ſcientiam p
legi peccati conſentimus. Et ſicut in laboribus preſſi, in lecto quieſcentes reficimur: ita dum
mundi huius aduerſitatibus premimur, in bona
conſcientia interius delectamur: Paulo atteſtan-
te,qui ait:Gloria noſtra hæc eſt,teſtimonium con 2.Cor.1
ſcientiæ noſtræ.Lectum ergo per ſingulas noctes
lauat,qui conſcientiam à cogitationibus tenebro
ſis lachrymis compunctionis emundat. Et non ſo
lum conſcientiam purificabo, ſed etiam Lachry-
mis meis ſtratum meum rigabo.] Quia uilis le-
ctus eſt ſtratum,per ipſum,carnem accipimus. Et
quoniam ſicut ſtratum facilè concutitur, ita caro
ab infirmo animo uariè uerſat, ſicut per eundem
prophetam dicitur: Vniuerſum ſtratum eius uer- Pſal.40
ſaſti in infirmitate eius. Rigat ergo lachrymis ſtra
tum ſuum,quia continuo luctu dolore carnis ma-
culas diluit,& cordis duritiam imbre compuncti
onis emollit:ut ſicut ortus recepta ſuaui pluuia e-
uidenter germinat, ita caro lachrymarum fluen-
tis rigata,bonorum operum & iuſtitiæ germen e-
mittat. Cur autem laborauerit, cauſam ſubdit: ac
ſi dicat,ideo laboraui, ideo ingemui, quia

Turbatus eſt à furore oculus meus, inue
teraui inter omnes inimicos meos.

Humana natura ad imaginem primitus & ſimi
litudinem dei condita:per præuaricationis culpā
à contemplationis diuinæ claritate expulſa, ſicut
immortalitatis æternæ beatitudinem perdidit,ita
interiorem oculum animæ ſcilicet rationabilem
obſcurauit.Et quia poſtea bonum à malo diſcer-
nere uoluit:uolens poſtmodum, quid ſibi ſequen
dum,quidue fugiendum eſſet, ſcire nequiuit. Et
quia illum qui lux eſt,& in quo non ſunt ullæ te-
nebræ,non tenuit:ſicut in nocte,ſic poſtea in me-
ridie palpauit.Dicat ergo fidelis anima: Turba-
tus eſt à furore oculus meus.] Quia diſcernendi
rectè uoluntatem non habui,per furorem, id eſt,
damnationis ſententiam ipſam eligendi poten-
tiam amiſi. Vel etiam illius à furore oculus turba
tur,quia tremendi diem iudicij,damnari metuēs,
intuetur.Cùm enim quod quiſq; geſſerit,quia ibi
ſit recepturus,conſiderat:mentem quæ hoc præ-
uidet,malorum ſuorum conſciam,ipſe iudicij ter
ror perturbat.Et quia ad illud iudiciū uenire non
trepidat,niſi quem conſcientia de peccatis accu-
ſat,ideo adiungit:Inueteraui inter omnes inimi-
cos meos.] Ac ſi diceret:Ideo ad illud terribile ex
amen deduci metuo:quia per conſuetudinem &
perſeuerantiam prauorum operum,non nouum
ſed ueterem me peccatorem agnoſco.Cùm enim
ſim inter inimicos meos, ſpiritus uidelicet mali-
gnos:quia eorum à me ſuggeſtiones non repuli,
illis conſentiens,in tenebrarum operibus inuete-
raui:id eſt,in ueteris hominis inobedientiā redij.
Factus ſum comparabilis ueteri ueſti. Sicut enim
uetus ueſtis,nec ornatum adijcit,nec frigus repel
lit:ita

lit,ita nec frigus tentationis expellere ualeo, nec proximorum animas per doctrinæ uerbum adorno. Vel inueterauí habitans inter inimícos meos, inimícos scílicet catholicæ fidei,& Christianæ religionis.

Díscedite à me omnes qui operamini iniquitatem,quoniam exaudiuit dominus uocem fletus mei.

Quæ societas luci ad tenebras? Quæ cõuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Sicut enim qui diabolum sequitur, sanctorum collegium affectu & opere aspernatur:ita qui deo perfecte adhæserit,impiorum consortium nequaquam admittit.Quia ergo inueterauí conuersans inter ínimícos meos, ne amplius aliquid uetustatis in me appareat,ne inimicorum conuersatio notam mihi prœuaricationis infigat: uos qui operamini iniquitatem, qui culpas uestras confiteri negligitis,qui in malis operibus impœnitentes perseueratis, hìc à me affectu díscedite, hìc uos à me operum dissimilitudine elongate:ut quía à deo recedítis hìc animo,& in futuro etiam corpore à me díscedatis.Díscedite ut amplius non cõmuniceꝫ operibus uestris ínicuis: Quoniam exaudiuit dominus uocem fletus mei.] Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Vocem flebilem dominus exaudiuit,quía ab omni inquinamento carnis & spiritus me mundauit. Quomodo autẽ exauditus sit,ostendit. Cant.5

Exaudiuit dominus deprecationẽ meam, dominus orationem meam suscepit.

Peccata dimittendo, dominus orationẽ meam suscepit,perseuerantiam dando,quasi dicat: Non solum pro peccatis meis flenti delictorũ mihi indulgentiam contulit,sed etiam ne eadem ulterius cõmitterem,gratiæ suæ ubertatem concessit. Dixerat superius: Díscedite à me omnes qui operamini iniquitatem.] Sed quía charitas non quærit quæ sua sunt, & hinc uera esse ostenditur, cùm ille díligitur qui aduersatur, ideo subiungit:

Erubescant & conturbentur uehementer omnes ínimici mei, conuertantur & erubescant ualde uelociter.

Charitas in quo est ueraciter Lucæ 6

Ille ueraciter charitatem habet, qui & amícum díligit in deo,& ínimícum díligit propter deum. Hinc nanq; per semetipsam ueritas dicit: Díligite ínimícos uestros,benefacite his qui oderunt uos. Ne ergo surda aure præcepta transeat dominica, pro ínimícis orat anima exaudita: Erubescant & cõturbentur.] Ergo quia propter peccata quæ perpetraueram erubui, erubescens uero ut ea diluerem in gemitu meo laboraui,exaudita ueniam impetraui.Et utinã meo exemplo erubescat, quicunq; quòd ad imaginem & similitudinem dei sit factus intelligit, & qualiter illam peccando fœdauit,agnoscit.Si se circumspiciens cõsideret,& decorem quem perdidit,& obscœnitatem qua se uelut quodam teterrimo colore perfudit, de operũ suorum qualitate, nisi sit lapis, erubescit. Nobilis anima si quas aliquando peccati notas admíserit, uerecundiã tamẽ à se funditus non repellit. Nam & illud uerum est apertæ desperationis indicium, si uerecundía non sequitur peccatum. Vnde sub Iudææ specie contemnenti animæ dicitur: Frons mulieris meretricis facta est tibí,noluisti erubescere.Qui enim neglecto dei timore peccata peccatis accumulat,profecto ut meretrix frontẽ obdurat. Sed quía minus est de anteacta uita erubescere,nisi quis etiam studeat ea quę admísit,pœniten do corrigere,subiungit: Et conturbentur uehementer.] Quisquis peccati sui modum considerans,sibi iratus, cõtra seipsum grauiter quod egit puniendo inuehitur, per compunctionis lachrymas uehementer conturbatur. Quia uero per dolorem pœnitentiæ peruenitur ad conuersionẽ uitæ,protinus additur: Conuertantur.] Ille nimirum ad deum cõuertitur, qui tam cogitatus suos, quàm etiam operationes ad deum semper dirigere conatur.Et quoníam tempus breue est, & finis peccatorum mors est, ne quis putaret in homínis esse potestate,quando uías suas uelit corrígere,repetit: Erubescant] se peccasse. Erubescant conuersionem distulisse.Et hoc faciant, Valde uelociter.] Dies enim domini sicut fur in nocte ita ueniet. Vnde & Salomon:Ne tardes,inquit,conuerti ad dominum,neq; differas de die in diem. Eccls 5 2.Pet.3

Prologus secundi psalmi pœnitentialis.

Sicut suprà iam diximus, per Dauid fidelis anima accipitur,cui & nominis interpretatio, & operum magnificentía conuenienter aptantur.Fidelis ergo anima ea quæ in hoc psalmo dicuntur, intelligat, & ab isto nunquam intellectu recedat. Intellectus uero Dauid in hoc Psalmo est, ut nemo se ante fidẽ de meritis suis,quæ nulla sunt, effe rat.Nemo fide per gratiam accepta, de peccati impunitate præsumat. Nemo bonum quod facit,sibi,sed gratiæ dei attribuat.Nemo per desidiæ torporem in bona operatione pigrescat. Videamus nunc quid dicat:

Expositio secundi psalmi pœnitentialis.

Beati,quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Quasi dicat: Cũ omnes uelint esse beati,diuersi de beatitudine diuersa sentiunt,& desideriorũ suorũ errorẽ sectãtes,ad beatitudinis portũ per deuía uenire proponũt.Sed quicquid illi ęstiment,istud est ratum, istud est catholicũ,q; illi solũ sunt beati, quorũ remissæ sunt iniquitates originales per baptismũ: Et quorũ tecta sunt peccata] actualia post baptismũ cõmissa. Si tegit infirmus uulnera, quomodo illi à medico adhibeꝫ medicina? Nónne si celare uulnus cœperit,latius extensum introrsum putrescit? Sic & peccatũ,nisi per confessionẽ detegatur,lætaliter in intimis dilataꝫ. Et sicut uulnus non ostensum etiam sanã carnẽ putredine infícit:ita peccatũ nisi confitendo reueleꝫ, etiã si qua ibi sunt,bona corrumpit. Non enim accepta sunt deo bona, quæ malorũ admixtione maculantur. Sed aliud est quod à peccatore homine per obsti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nationem tegitur, aliud quod miserente deo per remissionem operitur. Tegit medicus uulnus sanandum medicamine, tegit deus peccatū, ea quæ multitudinē peccatorum operit, charitate. Si quis ergo peccata sua tecta esse desiderat, deo ea per uocē confessionis ostendat. Sunt tamen quædam peccata, quæ quamdiu in hac uita uiuitur, etiam à perfectis uiris aut uix, aut nullatenus declinētur. Habent enim sancti uiri aliquid quod in hac uita operire debeant: quia omnino est impossibile ut in locutione, aut etiam in cogitatione nunquā delinquant. Student igitur uiri dei, oculorū linguęq; culpas tegere meritis uitæ, studeant pondere bono rum operum premere immoderata uerborum. Verum quomodo in electis est possibile, eorum transgressiones contegi, cùm ab illo cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, non possunt abscondi? Sed quia hoc quod tegitur, inferius ponitur, & aliud aliquid superducitur, ut quod est subterpositum, tegatur: tegere peccata dicimus, quæ quasi subterponentes abdicamus. Quibus nimirū, quasi tegmen superducimus, dum bonorum operum nos indumento uestimus. Peccata itaq; tegimus, si bona facta malis actibus superponamus.

A

B

Beatus uir, cui non imputauit dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Si nosmetipsos iudicaremus, non utiq; iudicaremur. Si nobis peccata nostra imputauerimus, non ea nobis imputat deus. Si ea satisfaciendo puniremus, nullum qui nos in futuro puniat, inueniremus. Imputare sibi Adam peccatum suum noluit, quando culpam suam in creatorem refudit, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Vnde quia se confiteri culpabilem renuit, mortiferę damnationis sententiam ad posteros misit. Iudicare autem seipsum nemo poterit, nisi qui uirilem animum ad uitia persequendum assumit, sicut per eundem prophetam dicitur: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Qui enim mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est opera sua dissipantis. Ideo dixit: Beatus uir. Quasi dicat: Ad hoc opus nemo assurgere præualet, nisi qui sanctæ fortitudinis uires habet. Quid enim fortius quàm omnes animi sui motus ratione frenare, proprias uoluntates abijcere, contemptis uisibilibus ea quæ non uidentur amare? Vnde & Salomon ait: Melior est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

Gen.3

Psal.17

Fortitudo in quo cō sistit

D

Prou.17

Nec est in spiritu eius dolus.] Illi quidem peccatū non imputabitur, in cuius spiritu dolus mendacij non inuenitur. Qui se iustum esse non simulat, qui ea etiam quæ occultè deliquit, non celat. In spiritu publicani ad templum ascendentis, dolus non fuit: quia dum illum quem occulta non transeunt, placare uoluit iudicem, confiteri se non erubuit peccatorem. Ait nanq;: Deus propicius esto mihi peccatori. Magis ergo iustificatus descendit, quàm qui se de meritorum enumeratione iactabat. Deniq; & iustus in principio sermonis accusator est sui. In Pharisæi uero spiritu dolus fuit, qui magis uideri, quàm esse iustus optauit. Dum ergo ea quæ clamare debuerat, tacuit: miser quod sibi tacendum esset, clamauit. Et per superbiam, si qua in eo fuerant, minuit merita, qui humiliari contemnens, adauxit peccata. Et nos ergo exemplo huius publicani præoccupemus faciem huius iudicis in confessione, & effundamus coram illo corda nostra, leuantes puras manus sine ira & deceptione in habitu ordinato cum uerecundia & sobrietate: ut qui omni tentationi patentes, manum effugere non possumus iudicis, per confessionem mundati, clementiam experiamur misericordis.

Prou.18

Quoniam tacui, inueterauerūt ossa mea, dum clamarem tota die.

Ille in cuius spiritu dolus non est, beatus est: e contrario ille in cuius spiritu dolus est, infelix est. Et hoc mihi experto credendum est: Nam inueterauerunt ossa mea, quoniam tacui dum clamarem.] Per ossa nimirum uirtutes accipimus, quia per eas animam sicut corpus per ossa sustētamus. Quæ profecto inueterantur, quando à statu suæ fortitudinis infirmantur. Sicut enim morborum infestationes corporis ossa debilitāt, ita uitiorum importunæ turbationes animæ uirtutes infirmāt. Ait ergo: Inueterauerunt ossa mea.] Ac si dicat: Virtutes & iustitia, uel ratio & intelligentia, ita in me debilitatæ sunt, ut nec per me quidem uitijs resistere, nec animam ægram & ad ima ruentem, uirtutum ualeam fortitudine sustentare. Et quia per humilitatem confessionis ad nouum hominem peruenire nolui, per arrogantiæ iactantiam in ueteris infirmitate permāsi. Quare autem inueterauerunt, causam aperit, cum ait: Quoniam tacui dum clamarem tota die.] Cùm clamare & tacere inter se repugnent, quomodo potest fieri ut aliquis taceat & clamet? Sed ille tacet nimirum & clamat, qui peccata quidem sua silentio contegit, merita uero per uocem magnificationis extollit. Aut certe ille tacet & clamat, qui peccata quidem præterita per confessionem non annunciat, & per cor impœnitens alia committere accepta peccandi libertate non cessat. Nam quòd peccatum clamor sit, testatur scriptura quæ dicit: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum ascendit ad me. Et iterū: Descendam uidere utrum clamorem qui uenit ad me, opere cōpleuerint. Peccatum quippe cum uoce, culpa est in actione: peccatum cum clamore, est culpa cum libertate.

Gen.18

Dum clamarem tota die.] Tota die clamat, qui pro omni bono opere quod agit, laudari affectat. uel etiam tota die clamat, qui publicè peccare non trepidat.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Sicut per noctem opera tenebrarū, ita per diem bonarum intelligimus lucem actionum. Qui ergo pec-

go peccare non desinit, & cæteris se præferens, per bona opera superbit, die ac nocte diuinæ potentiæ iram incurrit. Vel, Die ac nocte,] id est, in prosperitate & aduersitate. Grauata est super me manus tua.] Quia enim & in aduersis succubui, & in prosperis me nimis erexi, iram tuæ potentiæ super me prouocaui: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.] Quoniam manus tua quæ superbos humiliat, humiles exaltat, grauata est super me. Me enim superbum depressit: quia non solum peccatum mihi dominari permisit, sed etiam de qua nimis gloriabar, iustitiam mihi difficilẽ fecit. Ideo, Conuersus sum in ærumna mea.] Qui enim de me præsumens, quasi diuitem me prius & nullius egentem credidi: postea ad me rediens, quàm sum miser & infelix agnoui. Et hoc feci, Dum cõfigitur spina.] Per spinam omne peccatum ideo accipitur: quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Tunc autem pœnitẽtis anima ad lamentum ducitur, cùm perpetrata nequitia in memoria fixè retinetur. In alia translatione non configi, sed cõfringi spina dicitur: quia nimirum mens ad luctum uertitur, ut peccati compunctio pœnitendo frangatur. Quomodo autẽ sit conuersus, ostendit dum subdit:

Peccatum omne spina dicitur

A B

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.

Quamuis omnia sint nuda, & aperta oculis tuis, tamen quia ore confessio fit ad salutẽ, feci tibi cognitum delictum, dicens illud esse meum. Mihi enim quia deliqui imputo, me solum in operum meorũ prauitate culpabilem clamo. Plus est delictum cognitum facere, quàm delictum manifesta re. Ille enim delictum cognitum facit, qui non solum quod fecit annunciat, sed etiam omnem peccati causam & originem narrat. Qui non superficietenus peccatum loquitur, sed & quãdo, & ubi, & quomodo: & si uel ignorantia, uel casu, uel studio deliquerit, cõfitetur: Et iniustitias meas non abscondi.] Nullum in corde meo dolositatis scrupulum retinui, iniustũ esse quicquid à me habeo intimaui. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectũ desursum est. Delictũ meum cognitũ tibi feci, & iniustitiã meam nõ abscõdi.] Non solum quòd deliqui, quæ mihi facienda fuerant bona prętereũdo, aperui: sed quicquid cõmisi, quę prętereũda fuerant mala faciendo, narraui.

C

Iacobi 1

D

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiã meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

Quòd delictum meum cognitum tibi feci, quòd iniustitias meas non abscondi: non fuit ex necessitate, uel alicuius leuitatis occasione, sed ex pœnitendi & cõfitendi præmeditatione. Nam, Dixi] id est, in corde meo statui: Confitebor aduersum me iniustitiam meam domino.] Aduersum se cõfitetur, qui omnino confitetur quod aperit. Qui in peccati confessione sibi non parcit, quicquid peccauit, non deo imputat, non deo annotat, non fortunæ attribuit, non diabolo, non constellationi asscribit. In eo autem euasurum se credit, si sibi iratus se sine moderatione accusat: Et tu remisisti impietatem peccati mei.] Attende quanta sit indulgẽtiæ uitalis uelocitas, quanta misericordiæ dei cõmendatio, ut confitentis desiderium comitetur uenia, antequam ad cruciatũ perueniat pœnitentia, antè remissio ad cor perueniat, quàm cõfessio in uocem erumpat: Tu remisisti impietatem peccati mei.] Tu qui solus parcis, qui solus peccata dimittis. Quis enim potest dimittere peccata nisi solus deus? Remisisti impietatem peccati mei.] Proiecisti post tergũ tuum omnia peccata mea. Non solum peccatũ remisisti, sed etiam ipsam impietatem, prauæ scilicet operationis intentionem, ut iam nulla in corde meo malitiæ radix remaneat, ex qua pestiferæ actionis de cætero germen succrescat.

Confiteri aduersum se, quid est

Esa. 38

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tẽpore opportuno.

Scriptum est, quia nemo sine peccato, neq; infans cuius est unius diei uita super terram. Et iterum Iob testatur, quia cœli non sunt mundi in conspectu eius, & in angelis suis reperit prauitatem. Quanto ergo electus quisq; maiori sanctitate præeminet, tanto magis de his sine quibus hæc uita non ducitur, uenialibus peccatis dolet. Quis autẽ sanctior Paulo, qui cùm delectaretẽ lege dei secundum interiorem hominem, & aliam legẽ in membris suis, legi mentis suæ uideret repugnantẽ, miserum se exclamans cõmemorat, & de se diffidẽs, de corpore mortis illius per dei gratiam liberari expectat. Idẽ nihil sibi conscius fuerat, sed nequaquam in hoc se iustificatũ credebat. Sancti etenim uiri licet magnis iam uirtutibus polleant, habent tamen adhuc de culpæ obscuritate quod fleant. Et licet magna iam uitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas uelut quasdam noctis reliquias nolentes trahũt. Quod diuinæ profecto pietatis dispensatione agitur, ut qui ascẽsiones in corde suo disposuit, ad humilitatis celsitudinem sua melius infirmitate subleuetur: quatenus unde paua reprehensibilia humiliter patitur, inde uerius in iustitiæ uirtute roboretur: & eo se in uirtutis culmine erectus minimũ sentiat, quo suis uiribus etiam parua quæ eum impediunt, non expugnat. Orat ergo pro remissione peccati omnis sanctus, quia sine peccati macula solus inuenitur homo lesus Christus. Denicq; de ipso solo legimus, quòd non haberet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populo. Verum ne aliquid intellígas transitorium appeti in oratione sanctorũ, adiungitur, Ad te.] Electi etenim dei orantes ut ad deum perueniant, infirmitatis suæ incessanter excessus deplorãt: quia & inde refectionis intimæ dulcedinem sentiunt, unde uim suauissimi amoris per lachrymas emittunt: In tempore opportuno.] Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nũc dies salutis, dicit Apostolus: Tempus opportunum

Rom. 7

2. Cor. 6

Universidad de Deusto
Biblioteca

num, tempus gratiæ: dies remissionis, plenitudo temporis. In quo propter nimiam charitatẽ suam qua dilexit nos deus, misit filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erãt, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Sed quid est quòd dicit, in tempore opportuno? Nunquid & ante aduentũ Christi non extiterunt sancti qui orarent pro hac sua & populi ignorantia? Fuerunt planè. Sed quia ipsum in carne uenturum expectabant, eumq; solum saluatorem suum esse sciebant, per eius nimirum fidem saluati sunt. Iamq; illud tempus opportunum in corde susceperant, quia ad ipsum toto cordis desiderio nihil hæsitantes suspirabant.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Aqua profunda uerba ex ore uiri. Et de hæreticorum adinuentionibus scriptum est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt. Per aquarum ergo diluuium, multiplicitatem intelligimus doctrinarum. A quibus nimirum Paulus nos prohibet, dicẽs: Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci. Quisquis enim hæreticas & prophanas nouitates susceperit, longè à ueritate abducitur. Et eo ad littus misericordiæ dei non approximat, quo inanium garrulitatum fluctibus raptus, in procellosam se disputationum caliginem omnes recipiẽs ineptias iactat. Illis ergo tempus opportunum non est, qui de sua stulta sapientia inflati, unde deum placare debuerant, inde eum magis per uanarum assertionum blasphemiam irritant. Et excusando excusationes in peccatis, ut ad deum ueniant, non inueniũt remedium, quem per compendium confessionis possent habere placatum.

Prou.9

Hebr.13

Tu es refugiũ meum à tribulatione quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Quasi dicat: Illi in diluuio aquarũ, id est, in multiplicitate doctrinarum, & excusationũ ad te non approximabunt, sed ego qui delictum meum cognitum tibi feci, qui iniustitias meas non abscondi, qui à fidei unitate non exorbito, qui de me diffidens, de multitudine miserationum tuarum præsumo, ad te per humilitatem confessionis approximo, nam tu es refugium meum. Maledictus homo qui spem suã ponit in homine, & benedictus homo qui confidit in domino. Impugnant me carnis illecebræ, circumueniunt ignominiosæ passiones, perturbant inordinati desideriorũ tumultus. Sed eo tutius omnia despicio, quo de me uilia sentiens, in solo uirtutis tuæ munimine confido:

Exultatio mea erue me.] In diuinæ contemplationis claritate electorum mentes quanto grauiores rerum temporalium tumultus tolerant, tanto in meditatione secuturæ in perpetuum felicitatis suauius exultant. Et cùm cœperint eis mundanæ peruersitatis inæqualitates amarescere, tunc primùm possunt internæ quietis suauitatem sentire. Et quia nihil de seculo, nisi tristitiæ fructus colligunt, deum solummodo suum esse gaudium ducunt. Cæterum quoniam secundum Apostolum, Omnes qui uolunt piè uiuere in Christo, persecutionem patiuntur: ideo subiungitur: Erue me à circumdantibus me.] Sancta etenim anima diuini amoris spiculis uulnerata, cũ anhelare in deum cœperit, cùm ad supernam se patriam per desiderium extendit, ad tentationẽ ei uertitur quicquid in hoc seculo amicum antea blandumq; putabatur: quia qui peccantem amare consueuerant, recte uiuentem crudeliter impugnant. Voluptates nihilominus pristinæ ad memoriam redeunt, & resistentem sibi graui aperti certaminis perturbatione affligunt. Orat ergo, ut in his omnibus liberationis præsidium à deo habeat, metuens ne ipso fatigationis suæ tædio deuicta succumbat.

2.Tim.3

Intellectum tibi dabo, & instruam te in uia hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Pendent inferiora ex superioribus. Dixerat enim propheta superius: remisisti impietatem peccati mei: nunc uero ipsius propiciationis diuinæ uerba interserit, in quibus significat, non solum de præteritis adeptum ueniam, sed etiam de futuris peccatis diuinitus sibi prouisam esse cautelam, dicens: Intellectum tibi dabo, & instruam te.] Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Qui naturæ rationalis dignitatem contra authoris nostri præcepta superbiendo perdidimus, per infusam cordibus nostris spiritussancti gratiã quam in nobis peccatum obscurauerat, intelligentiæ lucem confessionis humiliatione reuocamus. Cùm enim ad secretarium cordis accedimus, & quàm districtus iudex futurus sit, qui nunc est patiens & longanimis consideramus, cùm ad intuenda sanctorum præmia & iniquorum damnationem oculos mentis attollimus, cùm de futuris incerti, ne labamur metuimus, & ea quæ male egimus, flendo punimus: tũc nimirum salutari à deo intellectu accepto, de cordis nostri habitaculo ignorantiæ tenebras effugamus. Sed quia minus est recte intelligere, nisi studeat quis recte intellecta morum honestate complere, adiungitur: Et instruam te.] Non te permittam perfunctoriè uoluntatis meæ arcana cognoscere, sed & hoc tibi conferam, ut etiam bonum quod intellexeris, peragas: & qualiter id agendum sit, cauta consideratione discernas. Sunt nanq; nonnulli qui recte quidem offerunt, sed recte diuidere non sciũt: quia bonum quodlibet recta intentione incipiũt, sed habere in eodem bono opere discretionis uirtutem postponunt. Hi nimirum quod bene inchoant, malo plerunq; fine consummant: quia inde reatum incurrunt criminis, unde fructum habere potuerũt uirtutis. Quia uero nihil est bonũ quod incipimus, nisi perseueranti illud fine compleamus, recte subdit: In uia hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.] Quandiu hic uiuimus, in uia sumus qua ad patriã tendimus. Maligni autem

Hiere.17

Phil.4

tem spiritus iter nostrū quasi quidam latrunculi A custodiunt, & operi nostro insidiantes, deceptionis suæ ubiq; laqueos tendunt. Facile ergo inter laqueos ambulantes labimur, nisi sapientię dei ductu gubernemur. In hac uero uia ille non graditur, qui temporalium rerum uel copiam cupiens, uel inopiam metuens, à rectæ operationis studio reuocatur. Sed quoniam is qui spiritu dei operatur, non desidia corrumpitur, non timore repellitur, non labore lassatur, non incongruè subiungitur: · Qua gradieris.] Quia nimirum semper de uirtute in uirtutem graditur, qui à sanctæ operationis studio nulla antiqui hostis calliditate superatur. Super eum ergo qui in hac uita gradit, deus oculos suos firmat: quia quicunq; à boni propositi intentione non deficit, respectus ab eo diuinæ B misericordiæ nunquā recedit, quatinus eum semper in omnibus adiutorem habeat, ad quē indeficientis amoris desiderio incessanter anhelat. Vnde & alibi per eundem prophetam scriptum est:

Psal.33 Oculi domini super iustos.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Sancti uiri cùm mala sua superant, cùm ad superna intuenda bonorū operum perfectionibus uolant, nihil esse quod faciunt deputāt, nisi etiam

1.Cor.13 alios ab errore compescant. Scriptū enim est: Charitas nō quærit quæ sua sunt. Sollicitę ergo discretionis inspectione in secretis cordium ipsam matrem uirtutum charitatem exquirunt, quam profecto se non habere comperiunt, nisi omnibus C etiam inimicis eadem uelint tribui quæ sibi optant impendi. Vnde sancta anima quæ per confessionis uocem peccata sibi dimissa non dubitat, & ipsius promissionis diuinæ oraculo roborata, in eo quod supersit uię, hostium insidias incurrere non formidat, ad proximos alloquendos conuertitur, & ne ipsi ab hac immēsitate pietatis dei inuenian tur exortes, hortatur dicens: Nolite fieri sicut equus & mulus.] Ac si dicat: Quoniam quidem ad naturæ uestræ statū pietas diuina uos reuocat, & similitudinis suæ imaginem quam inobedientia destruxerat, benignitas Saluatoris nostri in uobis reformat: nolite diuitias bonitatis dei contemnere, nolite sicut equus alienum sessorem indiffe- D renter portare. Equus enim sicut dominum suum ad portandum recipit, ita etiam sine discretione alios qui uolunt ascendere sessores admittit. Qui ergo timore dei postposito, qui dominus omniū est, diabolicæ se potestati subiecerit, & animam quæ sedes sapientiæ esse debuerat, fallacis domini ditioni mancipauerit, sine intellectu proculdubio sicut equus existit. Mulus uero sicut onus domini sustinet, ita se cuilibet extraneo onerabilem præbet. Quisquis itaq; domini illius cuius iugum suaue, & cuius onus leue, præcepta reijciens, grauissimas peccatorū sarcinas ferre non recusauerit, irrationabilem se profecto sicut mulum ostendit.

In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Plerunq; qui præcepta dei aure cordis audire renuunt, persecutionum uerberibus admonētur, ut ad uirtutis amorem pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ uitæ præmia non inuitant. De quibus nimirum scriptum est: Sola uexatio intellectum dabit auditui. Sæpe etenim amator presentis seculi ita ab eodem quem diligit mundo despicitur & impugnatur, ut cùm eo nequaquā currere ualeat, sed fractus aduersitate torpescat. Quod diuinæ profecto dispensatione miserationis agitur: quia in hoc mundo despectus, tanto celerius trahitur ad deū, quanto nihil habet in seculo ubi delectetur. Orat igitur fidelis anima ut lubricos peccantium cursus mundana aduersitate uirtus diuina coerceat, quatinus erroris sui desideria sequi non ualeant, & hoc modo ad se reuersi, saltem ex difficultate & impotentia peccandi resipiscant. Possumus quoq; per chamum & frenum uerba diuinæ legis accipere: quæ quia peccātibus aliquando grauiter minantur de pœna, aliquando suauiter blandiuntur de uenia, dum in ora fidelium ueniunt, uagos eorum gressus more freni & chami reflectunt. Maxillas constringunt, quia uocem iactantiæ comprimunt, dum qui ex uitio superbiæ solebant iactare merita, per humilitatis uirtutem discunt confiteri peccata. Quare autem tantopere prauorum hominū etiam inuitam conuersionem exoptet, ostendit cùm subdit:

Esa.28 Vexatio dat intellectum

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in domino misericordia circumdabit.

Qui enim per superbiam erectus contra conditorē peccata augere non desierit, & hic curarum aduersantium flagellis affligitur, & in futuro duplici nihilominus contritione cōteretur. Cui si ad iniquitatis suæ cumulum peccanti contigerit exterius proficere, hoc ipsum sibi est diuinæ animad uersionis flagella tolerare: quia modo in conspectu dei eo ipso interius dejcitur, quo falsa gloria in conspectu hominum exterius eleuatur. Et illi sua in pœnam uertitur culpa: quia hoc ipsum fuit uere intus cadere, quod foras ostenditur profecisse. Hæc quidē prædicta inconfidentes inueniunt:

Sperantem autem in domino, misericordia circumdabit.] Diligentibus enim deum, omnia co- Rom.8 operantur in bonum. Qui in amore cœlestium fixus, seculū perfectè despexerit, nulli omnino uanitati succūbit, nulla hunc aduersitas dejcit, nulla prosperitate corrumpitur, flagellis proficit: quippe qui ea aut quæ perpetrauit peccata obliterat, aut quæ perpetrare poterat, futura deuitat. Et sibi omnia fore existimat prospera, quę à dilectoribus mundi putantur aduersa.

Lætamini in domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.

Quasi diceret: Quandoquidem sperantes in domino misericordiæ diuinæ clypeo muniuntur:

Lætamini in domino & exultate iusti.] Non est impijs gaudere, dicit dominus: quia qui terrenarū rerū amore uincitur, in deo nullatenus delectat. Et quāto quis ad tēporalia acriori cura exarserit,

tanto

Universidad de Deusto
Biblioteca

tanto magis ab æternis damnabili torpore frigescit. Iustis ergo solummodo, ut in domino lætentur dicitur: quia qui deum toto corde non diligũt, in eo lætari quamdiu secularibus delectãtur, non
Iacobi 4 possunt. Scriptum est enim: Quicunq; amicus huius seculi esse uoluerit, inimicus dei constituitur. Neq; enim possumus hic gaudere cum seculo, & illic regnare cum Christo. Sed iusti tantum in domino exultant: quia ita extra mundum sunt facti, ut nec prosperari in mundo cupiant, nec aduersa pati nullo tacti præsentium amore pertimescant. Et notandum, quia non solum lætamini dixit, sed etiã & exultate adiecit, ut intelligas eos non posse tristari in corpore, quibus diuinæ claritas miserationis fulget in mente: Et gloriamini omnes recti corde.] Illi quidem qui habent cor ad terrena B distortum, non gloriantur in domino, quia spem suam posuerunt in mundo. Vos autem qui cor uestrum secundum dei uoluntatem dirigitis, in spe beatitudinis æternæ gloriari debetis, ut qui glo-
2.Cor.10 riatur, in domino glorietur. Illa nanq; sine dubio est uera gloria, quam nullius mœstitiæ obtenebrat pœna.

Prologus tertij psalmi pœnitentialis.

SAbbatum requies interpretatur. Sabbatũ humanum genus in primo parente habuit, qui quamdiu in conditoris sui obedientia perstitit, in suauissimo contemplationis diuinæ lecto requieuit. In paradiso nanq; primus homo delicijs potitus, sicut nullam in anima poterat sentire esuriem: ita etiam omnẽ quæ ex carne nascitur, ignorabat C passionem. At postquam diuini colloquij peccando familiaritatẽ perdidit, mortis legibus succumbens, requiem felicitatis æternæ amisit. Et in procellosos mundanæ instabilitatis corruit fluctus, quia statum rectitudinis seruare contempsit. Fidelis ergo anima requiem in primo homine perditam ad memoriam reuocans, & futurũ nihilominus uitæ æternæ sabbatum spiritus agilitate contemplans, ab omni spiritus & carnis optat corruptione eripi, & ad futuram indeficientis beatitudinis requiẽ, consummato huius uitæ termino, orat sine cunctatione perduci. Ait ergo:

Explanatio tertij psalmi pœnitentialis.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, D neq; in ira tua corripias me.

Quasi dicat: Scio futurũ esse, ut post huius uitæ exitum alij flammis expiẽtur purgatorijs, alij sententiam æternæ subeant damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari. Tu ergo domine cui in spiritu meo seruio, quem omnium saluatorem esse cognosco: ne arguas me in furore damnationis perpetuæ, neq; corripias me in ira expurgantis uindictæ. De furore & ira, quia sufficienter in superioribus exposuimus: iterũ tractare superfluum putamus, ne eadem repetentes, legentibus fastidium generemus. Quare autem nõ debeat in ira corripi, & in furore damnari, subiungit cùm ait:

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Quanto quisq; plus cœperit quod amisit intelligere, tanto plus incipit corruptionis suæ sententiam quam subiuit lugere. Fidelis ergo anima perpendens quod perdidit, considerans quod inuenit, uidens se à paradisi gaudijs uenisse ad miserias uitæ præsentis, à societate angelorum transisse ad curas necessitatum, pensat quòd subiacet periculis, quæ peccando gloriam perdidit æternæ incorruptionis. Nouit etiam quia mortem nulla possit ratione euadere: quæ posset, si non peccasset, semper uixisse. Has ergo sibi sagittas infixas esse conqueritur: quia iam nobis est naturaliter inditum, quod primo homini fuit pro culpæ uindicta illatum. Mortalitas & passibilitas sunt sagittæ, quę nimirum nobis infixæ sunt: quia quamdiu in præsenti seculo uiuimus, ab eis liberari aliqua ratione nequimus. Dicat ergo fidelis anima: Quandoquidẽ pro originali cõmisso mortalis effectus, magnam huius seculi miseriam sustineo, pro me autem pœnitẽtiam ago: tu qui uisitabis iniquitates in uirga, ne impleas amaritudinibus uniuersa. Sed cùm in hoc seculo peccati pœnam lugeam, saltem in futuro districtæ animaduersionis terrorem euadam. Quod ut facere debeas: Confirmasti super me manum tuam.] Sicut studiosus magister frequenter uerbere puerum corripit, ita à me tuæ uindictę C manus nunq; recedit. Per manum domini quam super se asserit confirmatam, miseriarum frequentiam & assiduitatem intellige. Quam ideo memorat, ut tanto facilius in futuro acquiratur uenia, quãto maior hic fuit irrogata uindicta. Possumus etiam per sagittas uerba dei intelligere, quæ corda quidem nostra transfodiunt, cùm nobis altius infixa, amoris dei nos uulnere compungũt. Quo modo autem sit continua hæc pœna quam patitur, ostendit dicens: Sagitte sunt uerba dei

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Caro humana ex quo maledictionis promeruit sententiam, portare non destitit peccati continuam pœnam. Et quia nos eius incessanter infirmitas debilitat, iræ dei faciem nobis indesinenter repræsentat. Portamus nanq; corpus mortale doloribus obnoxium, indigentijs impeditum: quod nimirum tentationes sollicitant, sollicitudines angustant, angustiæ conterunt, contritiones affligunt. Quodq; etiam si aliquando uideatur esse ualidum, ipsa sua ualitudine magis inuenitur infirmum. Quid enim infirmius quàm assiduè fame ta Homini nihil in firmius
bescere, difficultate somni languere, frigore dissolui, æstu torreri? Quę autem sanitas esse poterit, ubi tot malorum multitudo cõcurrit? Dicat ergo fidelis anima: Non est sanitas in carne mea.] Vt uidelicet corpus infirmum esse sentiat, quod tam facile passionũ inæqualitas permutat. Ne autem

tem intelligas propter peccati pœnam non infirmari in mẽte, quia dixerat sibi non esse sanitatem in carne, subiungit: Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.] Sicut iam dictũ est, per ossa uirtutes accipimus, quia sine eis nullum in anima robur habemus. Omnes autem uirtutes in conspectu dei uicaria ope se subleuant, nec uirtutes ueræ sunt, si à se inuicẽ aliqua diuersitate discordant. Vna enim uirtus sine altera, aut omnino nulla est, aut minima. Si enim aut castitatẽ humilitas deserat, uel humilitatem castitas derelinquat, cùm deus detestetur tam superbiã quàm immunditiam, quomodo oculis eius accepta erit castitas elata, uel humilitas immũda? Non enim bona accepta sunt deo, quæ malorum admixtione maculantur: quia modicum fermentum totam massam corrumpit, & qui in uno offendit, multa bona perdit: Et qui sine humilitate uirtutes cõgregat, quasi in uentum puluerem portat. Quia ergo uirtutes animæ aut uitijs impugnantur, aut plerunq; elatione deprimuntur, recte nunc dicitur: Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.] Quotidieq; peccatorum pœnam patior, quam in ipsa peccatorum facie contemplor. Et quia sentio pœnam, recogito culpam. Vel, Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.] Quia uidelicet nullam anima mea potest habere requiẽ, donec aliquam peccati in se habeat recordationẽ.

Virtutes sẽ iunctæ parũ proficiunt

A

B

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

C

Quasi dicat: Non est mirum si non est pax ossibus meis, nam iniquitates meæ grauatæ sunt super me sicut onus graue. Iniquitas in talẽto plumbi sedet. Plerunq; anima amoris dei desiderio accenditur, adeo ut etiam ad summa ambienda sustolli uideatur. Sed quia graui peccatorum pondere premitur, eo citius ad ima labitur, quo admissorum conscientia interius grauatur. Et quidẽ ascendere ad deum ea qua potest uirtute nititur, sed ipso suo conamine lassata, relabi compellitur. Causam uero tantæ grauitatis præmisit, cũ ait: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.] Nisi enim iniquitates principale cordis mei superando transcenderent, nequaquam tanta me prauorum operum depressione grauarẽt. Sancti nanq; uiri, si quando in mente tentationes tolerãt, illicitum cordis appetitum magna uirtutis dominatione refrenant, ne si in aliquo lapsu tentatori consentiant, non iam cogitationũ suarum, sed seruiunt crudelium dominorum existãt. Cùm enim diabolicis anima subesse suasionibus cœperit, quanto se hosti callido crebrius subiicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei iam in nullo resistere ualeat, cui in uno sui oblita assensum præstat. Solerter itaq; uigilandum est, ut cùm pulsare mẽtem culpa inchoat, peractam culpam quis finis sequitur, attendat: ne si malæ suasionis blandimẽta non perspiciat, in nequissimæ tenebras perpetrationis nescius ruat.

D

Diabolo cõ sentire periculosum est

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Fidelis anima quæ in se ipsam, sibi non parcẽs, uehitur, deteriora adhuc de se quàm prius dixerat, confitetur, dicens: Putruerunt, &c.] Super curatum uulnus cicatrix obducitur, dum signum præteritæ plagę in resarcita cute monstratur. Quę nimirum cicatrix necessariò corrumpitur, si caro sanata iterum uulneratur. Vbi quanto magis extenditur inæqualitas corporis, tanto difficilius ostẽditur efficacia curationis. Sed quid per uulnus nisi peccatum exprimitur? Quid uero per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corripit, quasi cicatricẽ uulneri superducit. Quòd si dimissæ nequitiæ mentem iterum ad delectationem pertrahunt, superductæ uulneri cicatrices putrescũt. Cicatrices nanq; putrescere, est sanata iam peccatorum uulnera rursum in tentationem serpere, atq; de eorum iteratione delectationem sentire. Cicatrices computrescere, est ex peccatorũ suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, dolorem iterum culpæ in occulto cordis per putridas cogitationes perpeti, & randẽ per opus miserum quasi effuso fœtore corrumpi. Quare autem hoc sibi contigit, ostendit cùm ait: A facie insipientiæ meæ.] Sicut summa prudentia est aliquẽ post acceptam pœnitentiam sollicitæ sibi circumspectionis studio in posterum prospicere: ita miserabilis insipientiæ est in istius uitæ ambiguo quasi accepta securitate dormire. Per insipientiam ergo negligentiæ, uulnus iam sanatum cõputruit: quia dum per studium uigilantiæ mens ingrata sibi in posterum prouidere noluerit, miserabilius ea quę prius abdicauerat mala committit.

Prudentiã summa in quo cõsistit

Miser factus sum, & curuatus sum usq; in finem, tota die contristatus ingrediebar.

Tanto unaquæq; anima fit preciosior ante oculos dei, quãto fuerit despectior ante oculos suos. Quid autem infelicius quàm infelicitatem suam non cognoscere, & inter ipsa uitæ discrimina nullum infirmitatis dolorem sentire? Sicut enim phrenetici mentis alienationem tolerant, cùm se non solum nihil pati, sed etiam incolumes putent: ita qui mortali carne circumdatus, ærumnas præsentis uitæ non senserit, à uirtute sapientiæ alienus existit. Innumerabiles nanq; humanæ deiectionis miseriæ, sicut corda iustorum graui tristitiæ dolore conuulnerant, ita iniquorũ mentes ipsa sua importunitate delectant. Cùm enim omni uanitati patentes, sola quæ carnis sunt, cogitant, & lachrymarum causas tripudiantes peragunt, mortis suæ negocium ridentes exequuntur. De quibus profecto scriptum est: quia lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Verum qui ad sabbatum quietis æternę peruenire desiderat, circumspecta quas patitur miseriarum multitudine, seipsum humilians dicat: Miser factus sum, & curuatus sum usq; in finem.] Vsq; in finem curuatur, qui iniquæ uoluntatis studiũ usq; ad effectum

Prou. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

praui operis terrenis inhians protrahit,& ad cœle stia ambiẽda nõ solum nõ per gradum operis, sed nec per intẽtionis uolatum assurgit. Sed quia culpam sæpe sequitur pœnitentia, & plerunq; qui cadit, adijcit ut resurgat. Sequitur: Tota die cõtristatus ingrediebar.] Cùm sollicito se timore mẽs humana circumspiciens, modo quæ egit, mala enumerat: modo quæ agere neglexit, bona ad memoriam reuocat: modo reprehensibilia esse in quibus uersatur, conspicit: modo sibi recta opera adhuc deesse perpendit: quia malorum tantorum in se remediũ non inuenit, tristitiæ intolerabilis pondere prægrauata tabescit,& tanto se durius in cogitatione dilaniat, quanto terribilius esse quod imminet, iudicium pensat. Tota autem die contristatus ingreditur, qui miseriam esse deputat, si quando ei prosperitas seculi fallaciter pernicioseq; blã-
Cant.1 ditur, sicut in Canticis canticorũ sponsus ad sponsam loquitur, dicens: Oculi tui columbarum. Columba enim pro cantu gemitum habet. Quia ergo sancti uiri seculi blandimenta timentes & dolentes cum luctu & gemitu tolerant, in quibus amatores mundi securi & gaudentes exultant, sancta Ecclesia columbis assimilatur: quia inde sanctus omnis cum dolore ingemiscit, unde iniquus quisq; cum gaudio hilarescit. Vnde per Salomo-
Eccls 2 nem dicitur: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis? Quare autem contristatus, uiam præsentis uitæ ingrediatur, ostendit dicens:

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus,& non est sanitas in carne mea.

Lumbi animam repræsentare possunt

In lumbis carnalis delectatio continetur, & inde nimirum humana generatio propagatur. Possumus ergo per lumbos animam accipere: quia sicut ex lumbis carnales delectationes prodeunt, ita ex anima omnes cogitationes procedunt. Deinde cùm illiciti operis tentatio subrepit, per uanarum cogitationum phantasmata spiritus malignus illudit. Sæpe nanq; sanctorum etiam uirorum mentes cogitationes illicitæ polluunt, & eas iam ad summa tendentes, terrenarum rerum delectationibus tangunt. Sępe etiã in ipso orationis tempore importunè se illis ingerunt, ut hoc ipsum sacrificium aliquo modo cõmaculare ualeãt, quod in odore suauitatis deo acceptum contrito corde & cõtribulato spiritu mactatur. Quod nobis apertè illud quod de Abraham scriptũ est, innuit, quia circa solis occasum sacrificium offerens, insistentes aues pertulit, quas ne oblatum raperent sacrificium, sollicitè abigere curauit. Nos ergo si quando in ara cordis sacrificium deo offerimus, à malignis hoc spiritibus sollicitè custodiamus, ne tenebrosarum importunitates cogitationum hoc aliquando ualeant diripere, quod deo speramus utiliter offerre. Quod autem sequitur: Non est sanitas in carne mea] idem est quod ait Apostolus: Non inuenio in me, hoc est in carne mea, bonum. Omnia nanq; corporis membra quæ ad usum uitæ accepimus, ad erroris materiam inclinamus. Oculos enim ad uidendum obscœna et turpia inflectimus. Aures libenter ad audiendas detractiones accõmodam⁹. Illecebrosos odoratus naribus haurire concupiscimus. Iniquitatem in excelso loquimur,& inter fratres discordiã seminamus. Salutem etiam corporis redigimus in usum uitiorũ. Omnia tandẽ quibus uti utiliter possemus ad dei seruitium, in praui operis conuertimus instrumentũ. Non est in carne nostra sanitas: quia nulla pars nostri corporis intentata remanet, per quam nos peccati desiderium non titillet. Sequitur:

Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

Qui enim dixerat, non est sanitas in carne mea, ne forte in anima nihil pati putaretur, subiecit:

Afflictus sum,& humiliatus sum nimis:] Vt intelligas in anima grauissimo iniquitatis pondere obrutũ, quem in carne uides tot miserijs & passionibus afflictum. Peccatum enim sicut peccantis mentem retibus delectationum illaqueat: ita etiam implicitam quasi mole superposita grauat, ut ad sublimia leuari iam non ualeat, quoniam iniquitatis eam grauitudo coarctat, sicut per Psalmi
Psal.4 stam dicitur: Filij hominum usquequo graui corde? Plerunq; enim & quę agenda sunt, bona conspicimus, & ad hæc assurgere cordis desiderio nõ ualemus. Et si forte mens aliquando ad bonum anhelare inchoat: grauitas quam sustinet, cogit ut cadat, quia ex pœna peccati est, ut à bono quod per rationis iudicium clarè conspicitur, per uitæ meritum anima infirma pellatur. Vnde fit, ut quia ad supernam lucem intuendam non ualet ascẽdere, peccatis exigentibus delectetur in tenebris iacere. Et quã à supernis deiecit necessitas, eam in infimis illicita teneat uoluptas. Nimis ergo humiliatus est, qui ex peccati pœna non solum cœlestia non appetit, sed etiam carnalibus & terrenis cum amore & delectatione intendit. Sed quia plerũq; tanto citius ad deum anima conuertitur, quanto longius se ab eo separatam intuetur, adiungitur:

Rugiebam à gemitu cordis mei.] Rugitus, gemitus est cordis cùm magno dolore: quia quanto uehementius pœnitentis animum concutit, tanto uelocius ad aures diuinæ misericordiæ cõscendit. Et notãdum quòd dixit, à gemitu cordis mei: quia sicut dolorem carnis generat amissio pecuniæ,& pignorum, ita cordis dolorem confert exterminatio uirtutum.

Domine ante te omne desideriũ meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Tale est desiderium meum, ut dignum sit in cõspectu tuo. Quia enim requiem, pro qua semper est orandum, desidero, esse coram te desiderium meum confido. Sancti uiri, quia mundi gloriã cõtemnentes, supernæ claritatis lumine illustrari solummodo cupiunt, diuinæ maiestatis conspectui semper assistunt. Cùm enim sola cœlestia appetunt, usq; ad contemplandũ deum per mentis desiderium ascẽdunt. Et quia quàm dulcis est dominus interius sentiunt, nunq; ab eo per prauæ uoluntatis

luntatis studium recedunt. Si enim à deo Helias propheta aliquomodo discessisset, nequaq; dixis-
3.Reg.17 set: Viuit dominus, ante cuius conspectũ sto. Quo contrà de reprobis dicitur: Non apparebit in con
Hypocritæ sunt reprobati spectu dei omnis hypocrita. Hypocrita enim nequaquam cœlos penetrat: quia per opus bonum non deum, sed humanas laudes, uel transitorios quæstus, affectat. Et quia ad deum desideriũ non dirigit, se ab eius oculis sub nequitiæ latebris abscondit. Qui autem per amorem spiritus cœlestia appetit, oculis dei intentionẽ suam ostendit. Despiciamus ergo terrena, & amemus cœlestia, ut possimus & nos dicere cum propheta: Domine ante te omne desideriũ meum.] Qui deum amat, ipsum solum desiderat. Qui autem eum desiderat, ad ipsum cordis uoce clamare nõ cessat. Nisi enim de corde desiderantis magnus ad aures misericordis dei clamor procederet, nequaq; Moysi dicere
Exod.14 tur: Quid clamas ad me? Sicut ergo frigescẽte charitate cor à bonis silet, ita clamorem emittit, cùm charitas feruet. Et notandum, quia dicturus desideriũ, præmisit omne: ut intelligas illud deo non posse placere desiderium, quod prauæ uoluntatis cõmaculat additamentum. Et gemitus meus à te non est abscõditus.] Omne desiderium in pœnam conuertitur, si non citò euenerit quod optatur. Desiderium enim non sustinet: quia sicut scriptum est: cupiditati ipsa celeritas tarda est, & cupienti animo nihil satis festinatur. Quisquis ergo de deo in corde desiderium concipit: quia statim quod optat non obtinet, ingemiscit. Igitur hoc animo cùm præmisisset desiderium, statim adiecit gemitum dicens: Et gemitus meus à te non est abscõditus.] Quasi dicat: Quia desiderium quod de te concipio, per iudicium approbas: ideo dolorem quem inde sustineo, non ignoras. Scire enim dei, approbare est: sed nescire, est reprobare. Moy
Exod.33 si nanq; dicit: Noui te ex nomine. Et reprobis in
Matt.15 fine dicturus est: Nescio uos. Non ergo à deo abscõditur gemitus, qui illi spiritui qui discretor est cogitationum, exititt acceptus.

Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Ac si dicat: Non est mirũ si doleo, si gemo: nam Cor meum conturbatum est in me.] Latrones enim timeo, temporalia damna formido, cœli motus & terræ perhorresco, undiq; sollicitudinibus angustor, undiq; angustijs premor, undiq; pressuris deijcior. Aduersitas me deprimit, successus extollit, conuitia cõmouent, adulationes demulcent. Hæc autem omnia ideo patior: Quia dereliquit me uirtus mea.] Humanũ cor ad omnẽ tentationis impulsum facile concutitur, si uirtute constantiæ interius nõ firmatur. Possumus quoq; per hanc uirtutem rationalitatem accipere, quæ ita in nobis per peccatum primi parentis hebetata est, ut dei in nobis obfuscantes imaginem, creaturas sequentes, relinquamus creatorem. Sequitur:

Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.] Solet plerunq; animæ peccanti contingere, ut mox cùm in culpam labitur, & à sui cognitione longius separetur. Peccatum enim ipsum quod peragit, quasi murũ quendam oculis se mentis opponit, adeo ut nec unde ceciderit conspicere ualeat, nec bonum quod sibi querendum sit, cognoscat. Voluntarijs nanq; tenebris obuoluta, quanto malis tenacius adhæserit, tanto difficilius intelligit bona perpetua quæ amisit. Lux quippe ueritatis prauorum culpas subtiliter examinans, si ab opere repellitur, nequaquam in corde uersatur. Districto enim & occulto agitur iudicio, ut à quo inuenta negligitur, ab eo postmodum nec amissa requiratur, & qui illam non seruat in opere, notitiam illius non habeat in corde. Sed tunc homo lumẽ quodammodo intelligentiæ habere incipit, cũ cæcitatis suæ tenebras recognoscit. Quicunq; ergo claritate luminis diuini illustrari desiderat, ignorantiæ suæ primitus agnoscens caliginem, dicat: Lumẽ oculorum meorum, & ipsum non est mecũ.] Nec uacat quod ait: & ipsum.] Ipsum sine quo cor humanum in tenebris est, sine quo uiuere non ualeo, sine quo bonum à malo discernere non queo. Sequitur:

Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt.

Sciendũ nobis est, quòd hi qui spiritu prophetiæ replentur, sicut aliquando uerba de se quasi de alijs proferunt, ita nonnunquam de deo quasi de seipsis loquuntur: ut in hoc quoq; quòd unũ cum deo sint innuant, cùm dei opera quasi sua narrant. Sic etiam fideles quiq;, quia in corpore Christi, quod est Ecclesiã, positi, membra sunt Christi, de eo quasi de seipsis aliquando loquũtur: ut dum uerba capitis sui Christum indutti, quasi sint sua enunciant, alium esse qui per ipsos profatur, ostendant. Spiritus enim sanctus per eos loquitur, sicut ipsa ueritas Apostolis loquens testatur. Ait enim: Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Matt.10
Hinc etiam Paulus ait: An quæritis experimentum eius qui in me 1.Cor.13
loquitur Christus? Ipse est enim qui dixit: Aperi Psal.80
os tuum, & ego adimplebo illud. Ipse etiã ait: Ego Esa.52
ipse qui loquebar, ecce assum. Cùm itaq; non prophetas, sed se locutum esse denunciat: profecto quia ipse in eis loqueretur, affirmat. Non autẽ admirandum est, si de seipso aliquando loquitur qui intus præsidet: quandoquidem ipse est qui os & animam per officium obsequentis adimplet. Sic ergo & in hoc loco, enumeratis aliquibus humanæ infirmitatis miserijs, passionem suam commemorat, ut capiti congruere quod conuenit membris ostendat. Et fiat nobis magnum cõsolationis remedium, si illum etiã passionis nostræ fieri participem cognoscimus, quem laborum quos patimur, futurum remuneratorem speramus: sicut etiam aliàs loquit̃: Si me persecuti sunt, & uos per- Ioan.15
sequentur. Ait ergo: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt.] Quasi dicat: Non solum membra mea illis quibus

prædictum est modis cõturbantur, sed etiam ego ut uirtutem in primo parente perditam eis restituam, conturbationem auferam, lumen nihilominus amissum reddam, solus inter mortuos liber, factus sum obediens patri usque ad mortem. In qua morte Amici mei & proximi mei aduersum me, &c.] Multi ex Iudæis amicos se Christi dicebant, multi eum miracula facientem sequebãtur. Multi eum dominum, multi uocabãt magistrum: sicut legis doctor, qui cùm uellet eũ capere in ser-
Matt.22 mone, dicebat: Magister scimus quia uerax es, & uiam dei in ueritate doces. Proximos quoq; eosdẽ appellat Iudæos, secundum carnis sibi cognationem propinquos. Neq; enim fratres eius credebant in eum. Qui omnes appropinquauerũt Christo: non mẽte, sed corpore: non passibus fidei, sed B processu nequitiæ: non uoluntate sequẽdi, sed intentione nocendi Quod factum est, quando congregati in atrio principis sacerdotum, qui dicebaMatt.26 tur Caiphas, cõsilium fecerunt, ut eum dolo capeMar.14 rent & occiderent. Aduersus eum steterunt, quando constanter accusabãt eùm, & quando clamantes dicebant: Crucifige crucifige eum.

Et qui iuxta me erant, de longè steterunt, & uim faciebant qui quærebant animam meam.

Matt.26 Scriptum est enim: Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Et iterum: Stabant autem noti eius de longè. Et uim faciebant qui querebant animam meam.] Volente Pilato Christum dimit- C
Ioan.19 tere, Iudæi clamabant: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Vim ergo faciebant qui iudicem iniustè iudicare minis & clamoribus urgebant. Animam Christi Iudæi quærebant, non ut in eum crederent, sed ut illum perderent. Vel aliter: Vim faciebant] quia sua ui & potestate Christo mor-
Ioan.10 tem inferre putabant. Sed ipse eis dicebat: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam, & sumo eam. Et iterum: Potestatem habeo ponendi animam meam.

Et qui inquirebãt mala mihi, locuti sunt uanitates, & dolos tota die meditabantur.

Mala Christo principes sacerdotũ inquirebant, D quando falsum testimonium contra eum, sicut Euangelica lectio testatur, quærebant. Et omnibus inquisitis, locuti sunt uanitates. Dicit enim Euangelista, quia non erat conueniens testimoniũ ipso-
Matt.26 rum, sicut illorum qui dicebãt: Hic dixit, Possum destruere templum dei, & in tribus diebus reædificare illud. Et dolos tota die meditabantur.] Non enim casu aut ignorantia peccauerunt, qui sciẽter mendacia cõfinxerunt. Grauiori ergo pœna plectuntur, quia eorum delicta qui ex precipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt, sicut in eadem passione sua ueritas
Ioan.19 ait: Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatũ
Ioan.15 habet. Et alibi: Si non uenissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habẽt de peccato suo. Et iterum:

Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, A peccatum non haberent: nunc autem & uiderunt & oderunt, & me, & patrem meum. Tribus nanq; modis peccatũ admittitur. Aut ignorantia incuritur, aut infirmitate cõmittitur, aut studio perpetratur. Sed sicut grauius est infirmitate quàm ignorantia delinquere, ita peius est studio quàm infirmitate peccare. Ignoranter quidem Paulus peccauerat, qui dicebat: Qui prius fui blasphemus & 1.Tim.1 persecutor, sed misericordiã consecutus sum, quia ignorans feci. Per infirmitatem uero Petrus cecidit, quando mentis suę ædificium fidei fundamento titubante concussit. Et quia subire mortem pertimuit, ad ostiariæ uocem, uitam negauit. Vnde Mar.14 post fletũ amaritudinis à domino respicitur: quia electi quiq; eo citius miserationis diuinæ diuitias inueniunt, quo se si quando per carnis infirmitatẽ deliquerunt, durius & amarius affligunt. Exindustria autem Iudæi peccauerunt, qui eum quem inaudita miracula facientẽ uidebant, execrabilis inuidiæ facibus accensi, ut morti traderent, consilium quærebant. Vnde excusationem de peccato suo non habent: quia etsi malum sit bona non agere, tamen nequius est bonorum doctorum acta odisse.

Ego autem tanq; surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Disce qui maledicta & irrisiones pateris, in omnibus seruare patientiam & obtrectantiũ linguas audire. Dissimula, ne si tu contumelijs conuitia retuleris, à doctrina Christi extorris inueniaris. Mediator nanq; dei & hominum, homo Christus Iesus, qui ad hoc uenerat, ut humilitatis & patientiæ præberet exemplum: non solum, iniurias sustulit, sed nec conuitiantibus respondit: nos in hoc instruens, ut cùm perfidorum iniurijs impetimur, etiam si uera dicere possumus, ad contumelias reddendas non erumpamus, ne ministeriũ correptionis in arma uertamus furoris.

Peccatum triplicitercõmittitur

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Sicut homo non audiens erat, cui nihil ad obiecta respondenti, Pilatus dicebat: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Qui cogitationes iniquorum nouerat, blasphemantium uoces non audiebat. Nulla enim blasphemia eum mouere poterat, qui penitus omnem mutabilitatem ignorat, & qui posset eis uera pro falsis respondere, ut adimpleretur quod de eo per prophetam scriptum est: Tanquam ouis ad occisionẽ ductus est, Esa.53 & sicut agnus coram tondẽte se sine uoce, sic non aperuit os suum. Redargutiones enim in ore suo Christus non habebat, qui unde eos reprehenderet, nihil in cordibus, nihil in actibus eorum laudabile uidebat. In ore redargutiones non habebat, qui unde eos reprehenderet, in promptu habebat, & in ore suo habebat unde posset eos redarguere, ex quo nullus unquam potuit mendacium audire.

Quoniam in te domine speraui, tu ex-

audies

audies me domine deus meus.

Quasi dicat: Ideo omnia patienter sustinui, ideo ad eorum cõtumelias non respondi: Quoniam in te domine speraui.] Tibi enim domine reuelaui causam meam: In te domine speraui:] non in sapientia seculi, non in diuitijs mundi, non in uiribus corporis, non in nobilitate carnis, non in tutamento principum, non in præsidijs amicorũ. Verba sunt hæc Christi secundum humanã naturam. Sic ergo & membrum Christi, siquando persecutionibus affligitur, si flagellis atteritur, si conuitijs prouocatur, illum qui propositus est nobis forma iustitiæ, in omnibus imitetur, non deficiat si causa sua non auditur apud terrenum iudicem, sciens quoniam conscriũ habet in excelsis regem cœlestem. Speret, quia si in hoc seculo immeritò accipit damnationis sententiam, à deo accipiet in cœlo coronam. Sciat, quia retributionis æternæ gaudium nequaquam in cœlo colligitur, nisi prius in terra cum fletu & gemitu, & amaritudine seminetur, sicut scriptum est: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem uenient cum exultatione, portãtes manipulos suos. Sicut enim carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante cõualescit. Et quemadmodum carnem mollia nutriunt, ita animã dura ad alta sustollunt. Illa nanq; delectationibus pascitur, hęc amaritudinibus uegetatur. Deniq; illam lenia refouent, istam uero aspera exercent. Et rursum, sicut carnem dura conuulnerant, ita spiritum mollia necant. Et sicut carnem laboriosa attenuant, ita spiritum delectabilia angustant. Nos ergo quanto grauiora in hoc mundo tentamenta perferimus, tanto spei nostræ anchoram in deo immobilius figimus, ut dicere ueraciter cum capite nostro possimus: Quoniam in te domine speraui, tu exaudies me domine deus meus.]

Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei, & dum cõmouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Gauisi sunt Iudæi occiso Christo, sed non sunt ei supergauisi, quia in causa mortis eius ipso sunt inferiores inuenti. Qui enim, ut à morte redimeret hominẽ, mortis legibus subiacuit, tertia mox die uictoriosissime à mortuis surrexit. Hoc est quod ante omnia secula clementissimæ dispensationis moderamine sapientia dei statuerat, hoc est quod caro sine contagione peccati assumpta euidẽter rogabat, cùm diceret: Pater, clarifica filium tuum. Hoc etiã multo ante tempore per prophetam manifestauerat, dicens: Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Ipse enim dixit, & facta sunt. Sequitur: Et dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.] Pedes dicti sunt Apostoli: quia sicut pedes corpus deferunt, ita Apostoli Christum in omnium gentium notitiam detulerunt, iuxta quod scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorũ. Qui nimirum commoti sunt, quando eum quem pati uiderunt, esse filium dei dubitauerunt: sicut ille qui dicebat:

Nos sperabamus quòd ipse esset redempturus Israel. Pedibus ergo commotis, super Christum inimici eius magna locuti sunt, quia Apostolis conturbatis & fugientibus, Iudęi illum reum esse mortis iudicauerunt. Possunt quoq; hæc uerba fideli animæ conuenire. Habet nanq; fidelis anima inimicos suos in hac uita, habet qui contra eam interius dimicẽt, habet etiam qui eam extrinsecus impugnent. Sed super eam inimici gaudere non ualent: quia consilij spiritu & fortitudinis repleta, & suggestiones diabolicas abdicat, & rabiem persequentium calcat. Cuius affectus si timore aliquo senserint qui persequuntur arcem intentionis proposito permoueri, uel si cognouerint inuisibiles hostes prauis eam suggestiõibus delectari, tanto grauiores tentationes ingerunt, quanto magis de uictoria confidentes, quasi unum ingrediendi aditum inuenerunt. Difficile enim inimico resistitur, si persuasionibus illius anima delectatur. Ideo ut non supergaudeant mihi inimici mei, confido.

Luc.24

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Malo enim occidi quàm uinci. Flagella libenter patior, persecutiones amplector, uisitationes desidero, correptiones concupisco. Sancti uiri in hac uita flagellari desiderant, ut flagellis correcti, & imminentes culpas uideant, & commissas ante oculos ponant. Sæpe enim delinquentes oculos flagella aperiunt, quos inter uitia insolentiæ & securitatis tenebræ concludunt. Sæpe torpentis animus persecutionibus tangitur ut excitetur: quare nus qui statum suæ rectitudinis per securitatẽ perdidit, in afflictione consideret quo peruenit. Sequitur: Et dolor meus in cõspectu meo.] Sicut causam reddidit quare uisibiles inimicos non timeat, quasi imputet beneficio quod ipsi inferunt pro tormento: ita etiam quare uersutias diaboli non timeat, subdendo manifestat: Et dolor meus in cõspectu meo semper.] Scriptum est enim: Cor quod cognouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus. Nam qui omnes uitæ præsentis ærumnas frequenter cogitat, quàm sunt tranquilla quę perdidit, quàm confusa in quibus incidit pensat: quia qui supernæ patriæ desiderijs accẽsus, mundo nequã & concupiscentijs eius moritur, nullis uanitatis mundanæ delectationibus occupatur.

Oculi flagellis aperiuntur

Prou.14

Quoniam iniquitatẽ meam ego annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.

Qui peccatum suum confitendo annunciat, & pro eiusdẽ peccati satisfactione cogitare non cessat: quia nullam in mundo inuenit requiẽ, in conspectu suo semper habet dolorem. Vnde cùm dixisset: Dolor meus in conspectu meo semper] quasi quomodo hoc fieri posset quæreremus, subiecit dicens: Quoniam iniquitatem meam annunciabo.] Hæc sunt nanq; uerę humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quenq; cognoscere, & cognitam uoce cõfessionis nũciare, & nunciatam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciatam pœnitentię ſatisfactione delere. At contrà omne prauorum hominum uitium eſt, & peccatum labendo committere, & commiſſum negando abſcondere, & uulgatum defendendo multiplicare. Sciendum tamen eſt, quia peccata ſua ſæpe & reprobi confitendo aperiunt, ſed quia nouæ uitæ habitũ immutare deſpiciunt, ea ipſa quæ confitentur, flere obſtinati contemnunt. Electi uero culpas ſuas non ſolum uoce confeſſionis denunciant, ſed etiam diſtrictæ animaduerſionis eas fletibus abolere procurant. Ad pœnitentiæ nanq; ſe lamenta incitantes, occulta ſe increpatione dilaniant, et futuri iudicij timore percuſsi, ſi qua in eis adhuc male geſta lateant, diligenter inueſtigant. Sæpe enim quod torpentes latuit, flentibus innoteſcit. Et qui reatum ſuum ſecuri neſciunt, hunc in ſe contra ſe erecti deprehẽdunt. Cogitemus ergo & nos pro peccato noſtro, & amara illud pœnitentiæ inuectione perſequamur, ne dum culpas noſtras penſare negligimus, peccati pondus per negligentiam augeamus. Sequitur:

Inimici autem mei uiuunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.

Occulti diſpenſatione conſilij, conditor noſter & culpas mortalium inſpicit, & ſpatia uitæ diſponit, ut diuturnæ uitæ tempora quibus iuſtus utitur ad bene operandi auxilium, iniquus accipiat ad damnationis augmẽtum. Si enim accepta quis pœnitẽtiæ tempora diuertit ad culpam, diſtrictus cùm uenerit iudex, indulta miſericordiæ ſpatia cõuertit ad pœnam. Et confirmati ſunt ſuper me.] Ad hoc nanq; omnipotens deus aliquando perueꝛſos patitur diutius uiuere, ut & ipſi male uiuentes praua quotidie opera augeant, & contemptores ſeculi ex eorum nihilominus perſecutione clareſcant. Qui faſtu ſuperbiæ tumentes, eo ſe grauius aduerſus electos erigunt, quo in mundo eis cuncta ad uotũ ſuccedunt. Nec intelligunt, quòd in uita ſua plerunq; bona mali recipiant, & ideo eos aut raro aut nunq; aduerſa conturbant. Nam & iniquitatum ſuarum fautores perditos quoſq; eo citius ij tales inueniunt, quo mundi gloriã quæſtu & muneribus quærunt. Vnde & ſubditur:

Et multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.] Nihil eſt iniquius quàm odium pro dilectione repẽdere, mala pro bonis retribuere, pro correptione iniurias reſpondere. Quod plerunq; mali faciunt, cùm iuſtos qui eorum ſaluationẽ appetunt, execrabilis nequitiæ percuſſionibus affligũt. Atque ideo ſubiungit:

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

Qui reddit mala pro malis, bonus non eſt. Qui non reddit bona pro bonis, ingratus eſt. Qui autẽ reddit mala pro bonis, iniquus eſt. Solent nanq; perditi homines bene uiuentibus inuidioſe detrahere, aut notã eis excogitati criminis infigere, aut puræ uitæ innocentiam, ſimulationem uocare. Quare autẽ hoc faciant, oſtendit cùm ait: Quoniam ſequebar bonitatem.] Bonitatem ſequitur qui Chriſtum imitatur. Cuius imitatores tanto in hac uita grauiora tentamenta perferunt, quanto longius corde à mundo diſcedunt. Dicit enim Apoſtolus: Omnes qui piè uolunt uiuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Et alibi ſcriptũ eſt: Multæ tribulationes iuſtorum. Iuſti nanq; qui ea quæ dei ſunt, tota intentione deſiderant, & ſupra mundum facti, mundana omnia quadam uirtute dominationis conculcant, non ſolum in occulto cordis diabolicas infeſtationes tolerant, ſed etiam peruerſorum malitiam decore ſuę conuerſationis inflammant. Verum quia ad ſuperandum nullus inuenitur idoneus, niſi qui fuerit uirtutis diuinæ fortitudine roboratus, qui perſecutorum flagellis atteritur, qui detrahentium dentibus mordetur, præſentiam & auxilium diuinæ maieſtatis expoſtulat, ut eius fultus præſidio, contra omnia quæ patitur aduerſa conualeſcat. Ait ergo: 1.Tim.3 Pſal.33

Ne derelinquas me domine deus meus, ne diſceſſeris à me.

Illos proculdubio dominus relinquit, quibus conſtantiam in tribulatione non tribuit. Neceſſariò enim ſequitur, ut omni tentationi ſit ſubditus, quicunq; à deo fuerit derelictus. Qui ergo tentamenta diaboli metuit, qui pati in hoc ſeculo aduerſa pertimeſcit, ad deum tota uirtute ſe conuertat: clamet ad deum medullis cordis, & dicat: Ne derelinquas me domine deus meus.] Quod uerbum ſi cum affectu & deſiderio ſæpe replicare ſtuduerit, puto quòd quandam in eo dulcedinẽ ſentiet, quam ſermo noſter explicare non ualet. Sequitur: Ne diſceſſeris à me.] Sancta anima quę ſolum deum perfecte deſiderat, precatur, ut nec ad horam deus ab illa diſcedat. Nouit enim, quia inter inimicos graditur: nouit, quia omni tempore diabolus ſibi aduerſatur. Quia ergo omni tempore intelligit ſibi imminere pericula, etiam momento temporis non poteſt eſſe ſecura.

Intende in adiutorium meum, domine deus ſalutis meæ.

Quaſi dicat: Tu qui es adiutor in opportunitatibus, in tribulatione noli me uelut alienum negligere, noli uelut extraneum abdicare, imò intende in adiutorium meum, tuq; me inter letifera tentationum iacula protege, tu ab omni inimicorũ incurſione defende, tu in corde meo intelligentiæ lucem illumina, tu me ab omni malo, auxilio tuæ uirtutis circumda. Quod bene debes facere, quia tu es dominus meus. Te enim ſolum habeo dominum, te ſolum confiteor deum. Congruum ergo uidetur, ut qui es reſtitutor ſalutis in primo parente perditæ, ſis & conſeruator eiuſdem in me per gratiam reſtitutæ.

Prologus quarti pſalmi pœnitentialis.

NOta eſt hiſtoria de qua titulus iſte ſumptus eſt. Dauid enim captus pulchritudine Berſabeæ uxoris Vriæ, non ſolum cum ea carnaliter coijt, ſed etiam occiſo uiro eam ſibi in coniugium copulauit

copulauit. Postea uerò cùm uenisset ad eum Nathan propheta, eumq; suo iudicio, inducta de ouibus similitudine, condemnasset, non solum peccatum celare uel defendere noluit, sed etiam confessus quod fecerat, ad dura se pœnitentiæ lamenta conuertit. In psalmo tamen nulla fit de historia mentio, sed magna cognoscitur animi dolẽtis affectio. Admonemur autem in hoc psalmo prospera metuere, & contra omnem seculi felicitatem acrius uigilare. Sæpe nanque præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. Sicut enim per fletus ad gaudia ducimur, ita per gaudia ad fletum peruenitur. Ille nempe qui dixit: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: ipsemet ait: Væ uobis qui ridetis nũc, quia plorabitis & flebitis. Quis sanctior Dauid? Qui cum Saulis persecutionib⁹ urgeretur, non solum persequentem occidere nõ uoluit, sed ipsi persecutori cùm ipsum occidere posset, pepercit. Tãto enim in dei misericordiam spem suam fixerat, quanto miserabilius infirmitatem suæ tribulationis sentiebat. Verum ubi deuictis hostibus pressuris caruit, homicidium adulterio incautè securus adiecit. Admonemur etiam in hoc Psalmo carnales cupiditates restringere, & de dei misericordia nũquam desperare. Quisquis ergo desperans de uenia, agere pœnitentiam dubitat, Dauid pœnitentiam ad animum reducat. Audiamus & nos Dauid clamantem, & nos cum eo clamemus: gementem, & congemiscamus. Audiamus flentem, & collachrymemur; correctum, & collætemur.

Prospera sunt metuenda

Mat. 5 Lucæ 6

Expositio quarti Psalmi pœnitentialis.

MIserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam.

Ponamus ante mentis oculos aliquem grauiter uulneratum, & uix iam ultimos huius uitalis auræ trahentem anhelitus, qui & nudus in sterquilinio iaceat, & uulnus nondum ligatum ostendat, aduenientis medici desiderio confici, & agnitũ ut sui misereatur precari. Vulnus enim animæ peccatum est: de quo dicitur: Vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circunligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Agnosce interius uulnerate medicum tuum, & ei peccatorũ tuorum uulnera detege. Audiat cordis tui gemitũ, cui omne patet cogitationis arcanum. Moueant illum lachrymæ tuæ, & quadam illum importunitate quę rendi semper ad eum alta de profundo cordis suspiria educito: perueniat ad eum dolor tuus, ut dicatur etiam tibi: Transtulit dominus peccatum tuum. Clama cum Dauid, uide quid ipse dixerit: Miserere mei deus, secundum magnam misericordiam tuam.] Quasi diceret: Ingenti uulnere periclitor, quod nullus medicorũ curare ualeat, nisi medic⁹ ille qui est omnipotẽs succurrat. Omnipotenti enim medico nihil est insanabile, qui sicut medetur sine precio, ita salutem restituit uerbo. Desperarem ergo de uulnere, si non præsumerem de omnipotẽte. Miserere mei deus secundũ magnam misericordiam tuam.] Quærant paruã

Esa. 1

2. Reg. 12

A misericordiam, qui ignoranter contrahunt culpam. Ego autem sicut grauiter cecidi, ita etiam scienter peccaui. Sed tu omnipotens medice & contemptores corrigis, & nescient instruis, & confitentibus ignoscis. Vtinam domine Iesu ad me misericordia motus digneris accedere, qui descẽdens ab Hierusalem in Hiericho, proruens scilicet de summis ad infima, de uitalibus ad infirma, in angelos tenebrarum incidi: qui non solum gratiæ spiritalis mihi uestimentum abstulerunt, sed etiam plagis impositis semiuiuum reliquerũt. Vtinam peccatorum meorum uulnera data mihi recuperandæ salutis fiducia alliges, ne deterius sæuiant si sanari desperent. Vtinam oleum mihi remissionis adhibeas, & uinum compunctionis infundas. Quòd si in iumentum tuum me imposueris, de terra inopem, & pauperem de stercore suscitabis. Tu es enim qui peccata nostra pertulisti, qui pro nobis quæ nõ rapueras exoluisti. Si in stabulum me Ecclesiæ tuæ duxeris, corporis & sanguinis tui me refectione cibabis. Si curam mei egeris, nec præcepta tua prætereo, nec frementiũ rabiem bestiarum incurro. Custodia enim tua indigeo, quandiu carnẽ hanc corruptibilem porto. Audi ergo me Samaritane spoliatum & uulneratum, flentem & gementem, inuocantem, & cum Dauid clamantem, Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam.]

Lucæ 19

Psal. 112

1. Pet. 2

B

C Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Peccata mea magna sunt & multa, & ideo non solum magnam misericordiam expeto, sed etiam multitudinem miserationum tuarum requiro, ne pro alijs quod metuo subeã supplicium, si unum solum non deleret peccatum. Per misericordiam, miserentis affectũ intelligimus: per miserationem uerò ipsam misericordiæ exhibitionẽ signamus, iuxta quod scriptum est: Misericors & miserator dominus. Superfluũ enim esset utrunq; ponere, nisi esset uarietas in significatione. Scire debemus quia nemo est insanabilior eo qui sibi sanꝰ uidet. Illud em̃ est clarũ uenturę salutis indiciũ, si incipit homo cognoscere semetipsum. Semetipsum aũt Dauid cognoscebat, cùm multitudinẽ miserationum quærebat. Dicat peccator cum eo: Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.] Immensas & innumerabiles mundo exhibuisti misericordias, quando genus humanum de seruitute diabolicæ tyrannidis eripuisti, & à peccatis suis in sanguine tuo electos tuos lauasti. Lauet sanguis iste peccatorum meorum maculas, qui totius mundi potuit delere offensas. Non postulo à te aurum, non lapides pretiosos, non laboribus & naufragijs exquisita commercia, non peregrinas merces de remotis terrenarum regionum multo ad nos discrimine delatas, quæ etiam fortium sępe uirorum mentes effœminant, & falsæ pulchritudinis imagine illectas captiuãt. Verũ quod omnibus his est prętãtius & pretiosiꝰ, remissionẽ peccatorũ expeto. Quę tũc uera esse probabit, si addito fructu pœnitẽtię gratię

Misericordia & miseratio differunt

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

turæ muneribus cumulatur. Quid enim mihi prodest maiorum quæ feci impunitas, nisi etiam bene operandi subsequatur facultas?

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Quid iniquius quàm alienam contrectare uxorem? uirum eius nec scientem nec lachrymantem occidere? Et hoc quidem fecerat propheta de gregibus ouium sublatus, de post fœtantes ad regni gubernacula assumptus, corporis fortitudine prędítus, spiritalis gratiæ donis illuminatus. Qui tanto grauius ceciderat, quanto celsius & regni gloria & excellentia uirtutum cæteris præeminebat. Gloriæ nanq; præcedentis præconium, sequentis culpæ adauxit reatum. Tanto enim quisq; grauius corruit, quanto antequam caderet in conspectu dei altius ascendit. Dicat ergo: Amplius laua me ab iniquitate mea.] Profit mihi domine quòd cecidi. Lauentur cum hac macula notæ delictorum, quas hactenus neglexi. Sæpe nanq; dū quædam malè gesta plangimus, ipsa ui amaritudinis ad discutiēdos nos excitati, alia in nobis plangenda inuenimus. Quæ admissa eo facilius obliuioni tradimus, quo ea uel nulla uel leuia putamus. Sed succrescens amaritudo pœnitentiæ, non solum maiora peccata cordi nostro congerit, sed etiam minima quæq; ad memoriā reducit. Quæ omnia tanto obstinatius prosequimur, quanto omne malitiæ germen uigilantius extirpare de corde conamur. Lauatur ergo amplius, cui non solum quod in se punit peccatum dimittitur, sed etiā alia quæ obduxerat obliuio, nihilominus delentur. Aquæ quibus diluitur iniquitas, dona sunt sancti spiritus: quæ quasi torrens de supernis uenientia, sicut electorum corda ut germinent irrigant, ita etiam ab omni inquinamento carnis & spiritus emundant. De hoc quippe torrente scriptum est: Flumi nis impetus lætificat ciuitatem dei. Et à peccato meo mūda me.] Inquinauit me facinorum colluuies, polluit peccati contagium, sed ad fontem confugio misericordiarū. Potens es me & ab iniquitate abluere, & à peccato mundare. Iniquè egi innocentem opprimens, peccatum feci mihi ipsi non parcens. Sciebat enim propheta quia qui cunque molitur lædere alium, prius proprio iaculo percutit semetipsum. Quid crudelius quàm semetipsum occidere? Si os mentientis occidit animam, quanto magis gladius ferientis extinguit uitam? Vnde scriptum est: Miserere animæ tuæ placens deo. Et iterum: Qui sibi nequam est, cui bonus erit?

Peccatum prælati grauius est quā subditi

Pſal.45

Eccli 30

Quoniam iniquitatē meam ego cognosco & peccatum meū contra me est semper.

Quasi diceret: Scio quem inuocem. Iustum inuoco, qui & peccata odio habet, & ista impunita non dimittit. Sicut eius misericordiam expeto, ita etiam iustitiam ipsius attendo. Nam sic postulo misericordiam accipere, ut uelim ab eo iustitiam suam auferre. Nolo ut peccatum meum remaneat impunitū. Sic misericordia est ut peccanti ignoscat, sic iustitia est ut peccatum impunitum non transeat. Sed quia peccatū meum ego ipse paueo, ideo ut tu me non punias tam uehementer exoro. Ideo agnosco, ut tu ignoscas. Ergo miserere mei, laua, munda, quoniam iniquitatem meam ego agnosco: Et peccatum meum contra me est semper.] Non posui super dorsum quod feci, non intueor alios oblitus mei. Non affecto de oculo fratris festucā eijcere, & trabē quæ in oculo meo est, nō cōsiderare. Peccatū meum cōtra me est semper.] Quicunq; misericordiam dei inuenire desiderat, necesse est ut iā grauiter peccata agnoscat, puniat culpas fletibus, faciem domini in confessione præueniat, ponat ante cordis oculos & culpas operis, & ultimę terrorē animaduersionis: penset q; discretus iudex ueniat, qui ideo peccatores sustinet, ut eis conuersis minus inueniat quod condēnet. Ascēdat tribunal mētis suę, cōstituat se ante se, uideat fœditatem suam ut corrigat, ne uolens tandem uideat & erubescat. Sit sibi iudex incorruptus, torqueat eum timor, erumpat confessio, ut cum propheta possit dicere deo: Iniquitatem meam ego cognosco.]

Mat.7 Luc.7

Tibi soli peccaui & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris.

Homo homini non peccat, quia eū aut par aut grauior culpa inquinat. Deus solus iustè peccata ulciscitur, quia ipse solus est in quo non potest inueniri quod puniatur. Quia ergo solus deus parcit, solus iustè iudicat, ipsum solum offendit qui peccat. Quo enim se quisq; peccādo dissimilē deo facit: eo tremendam superni iudicis maiestatē offendit. Clamet ergo ad deum peccator, clamet iniquitatum suarū conscius, clamet medullis cordis, & dicat: Tibi soli peccaui.] Quia tu solus es sine peccato. Et malum coram te feci.] Ab alijs quidem peccatum meum ignorari potuit, te autē latere nequiuit. Penetrabilior enim omni gladio ancipiti, penetras usque ad diuisionem animæ & spiritus, artuū quoq; & medullarū, & discretor es cogitationū cordis. Nulla creatura in conspectu tuo est inuisibilis, quia omnia nuda & aperta sunt oculis tuis. Intantū es sine peccato, ut etiam Iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris.] Scribit apostolus dicens: Est aūt deus uerax, omnis homo autem mendax, sicut scriptum est: Iustificeris in sermonibus tuis. Si deus uerax est, necessariò in uerbis suis iustus est. Nam si in sermonibus suis falsa ueris infereret, iustus omnino non esset. Sed absit à fidelium cordibus, ut esse in deo mendaciū putemus. Fidelis enim est in omnibus uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, sicut ipse etiam ait: Cœlum & terra transibunt, uerba autē mea non transibunt. Deum ergo ueritas iustificat, hominem uero mendaciū cōdemnat. Sequitur: Et uincas cùm iudicaris.] Præuidebat propheta deum in carne uēturū, qui humano cōdēnandus esset iudicio, ut ęternę mortis homo careret tormēto: ideoq; ait: Et uincas

Rom.3

Pſal.144

Mat.24

cùm

cùm iudicaris.] Quasi diceret: Omnes qui iudicati sunt, etiam si multum fuerint in uirtute profecti non omnino iniustè subierunt iudicium, quia antequam iudicarentur, aliquo modo commiserunt peccatum. Tu uerò cùm mortis iniustæ sententiam acceperis, quia solus homo inter homines ab omnibus peccatis es immunis, uincis ergo omnes iudicatos, cùm iudicaris uel tu deus pater in filio, uel tu deus uerbum in homine assumpto. Quod tamen intelligi & aliter potest, quasi dicat: Ideo ut miserearis precor, ut laues, ut mundes, ut iustificeris in sermonibus tuis, id est, ut uerax appareas in promissis. Promisisti enim iustis regnum æternum, & uirtutum amatoribus uitæ æternæ brauium præparasti. Sed nisi me & alios iustifices, non poteris inuenire quos nō dānes. Iustifica ergo me, ut tu iustificeris in sermonib. tuis & uincas cùm iudicaris. Iudicant te, qui negant post lapsum reparationem fieri, & remissionem peccatorū nemini dandam astruunt. Quos, si mihi peccatum remiseris, uelut fabricatores mendacij & peruersorum dogmatum cultores superabis. Vel iustifica me, ut iustificeris in sermonibus tuis. Promisisti enim quod de stirpe mea carnem sis assumpturus: sed si me de tanto non emundes scelere, de cuius semine carnem assumas uideor indignus. Tu enim es qui dixisti: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Laua me ab iniquitate, ne sim fraudatus à promissiōe. Et uincas cùm iudicaris.] Iudicatus dominus uicit, quia unde in passione succubuit, inde maiorem sui gloriam resurgēdo manifestauit. Iudicatus uicit, quia quorū ad tempus iudiciū moriendo subijt, eos iusto iudicio condemnatos æterna morte mulctauit.

Psal.131

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Opus est domine ut miserearis, quia ab ineunte uitæ primordio, in peccati foueam incidi, & cō cupiscentiæ carnalis sordibus inquinata natiuitatis meæ initia contraxi. Non in me illa quam noui ter admisi, sola uiget iniquitas, habeo in me etiam ex ueteri quod ignoscas: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.] Non ideo homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit coniugibus commiscere, hoc enim opus castum non habet culpam in coniuge, quia nuptiale fœdus non exorbitat à fide. Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum & fœminam in principio creauit. Qui quidem sine peccato filios ederent, si in paradiso positi, in conditoris obedientia perstitissent. Sed quia à statu rectitudinis primus homo peccando corruit, peccati pœnam ad filios misit. Carnalis enim delectatio pœna peccati est, quæ ex radice peccati ita contrahitur, ut nullus absque illa in mundo generetur. Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Confiteatur ergo pœnitens de culpa quod metuit, ut consequi uale at de uenia quod cupit.

Matrimonium dicitur castum

1.Cor.15

Ecce enim ueritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuę manifestasti mihi.

Ideo uias meas à principio arguo, peccata mea ego ipse condemno, quia ueritatem dilexisti. Veritatem deus diligit quia sine ultione delictum non deserit. Aut enim hoc homo in se puniens persequitur, aut postmodum deus districto examine ulciscitur. Siue ergo sit magna, siue parua iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur à deo iudicante: sicut per quendam sapientem dicitur: Sciens quia non parceres delinquenti. Delinquenti non parcitur, quia sine uindicta peccatum non relaxatur. Veritatem itaq; Deus diligit, quia iustum iudicium non prætermittit: Incerta et occulta sapientiæ tuę manifestasti mihi.] Qui non est securus de munere ueniæ, non est uehemens in executione uindictæ. Et quidem ante aduentum Christi incertum fuit, si grauiter lapsi possent habere ueniam, & peccatorum remissio complures latuit: sed Dauid qui redemptorem mundi ut peccata tolleret, futurum præuiderat, de peccatorum indulgentia non dubitabat. Non ignorabat opus sapientiæ dei à seculis absconditū, ante omnia tempora dispositum, exhibitum in finem seculorū. Nanq; sapientia filius dei est, de quo scriptū est: Christum dei uirtutem, & dei sapientiam. Ipse est per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Ipse est de quo propheta dicit: Omnia in sapiētia fecisti. Dignum autem fuerat ut per eum fieret remissio, per quem facta fuerat creatio: & ipse esset largitor gratiæ, qui fuerat omnibus author naturæ. Quam remissionem sicut in tempore gratiæ confitentibus tribuit, ita ante aduentum suum eum expectātibus prærogauit. Hæc sunt incerta & occulta diuinæ dispositionis consilia, omnibus gentibus per dei sapientiam ultimis temporibus reuelata. Quæ quia Dauid per spiritum cognouerat, de dei confidenter misericordia præsumebat. An non Niniuitis incerta erant, qui pœnitentiā agētes, super prędicatione Ionæ hæsitādo dicebant: Quis scit si conuertat & ignoscat deus? Ionæ 2

Peccata nisi hic puniantur, in alio seculo seuerissimā sentient peccatores ultionem

1.Cor.1 Ioan.1 Psal.102

Asperges me domine hyssopo & mūdabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Hyssopus est herba humilis, saxo quidem adhęrens, & parū utilitatis in seipsa sui facie ostendēs, quæ tamen pulmonis inflationem deprimit, & uirtutis suæ acrimoniam si conteratur ostēdit. Quid ergo per hyssopū, nisi Christi humilitas designatur? Ipsa est enim quæ omnem in nobis reprimit contumaciā, sicut herba illa pulmoni inflato adhibet medicinam. Quis etenim iam dedignetur in mundo se pro deo abijcere, cùm audiat dei filium opprobria & derisiones subijsse? Quis supplicium pro deo perpeti arbitretur dedecus, cùm ipse rex regum & dominus dominantium morte turpissima propter nos sit condemnatus? præsertim cùm ipse sit nobis positus forma iustitiæ, cuius & audire imperia, & sequi debeamus exempla: sicut ipse in Euangelio ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Iuxta legis quoque testimonium inquinatos mundabat eiusdem

Hyssopus est herba, Christi humilitatem significans

Mat.11

dem herbę fasciculus, uaccę rufę cruore intinctus. Quid autem per uaccam, nisi ad sacrificiū assumpta incarnationis dominicæ infirmitas designatur? Sicut enim per masculinum sexum solet fortitudo intelligi, sic & per fœmininum potest infirmitas designari: & de eo scriptum est: Quia etsi mortuꝰ est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute dei. Ipse est enim summus pontifex noster, qui in ara crucis pro totius mundi sanitate, sui corporis hostiam obtulit. Pontifex uidelicet futurorum bonorum, qui per proprium sanguinem in sancta æterna redemptione inuenta semel intrauit. Hæc autē uacca rufa dicitur, ut in ea sanguinis Christi rubor euidenter demonstretur. De quo in Cāticis canticorū sponsa loquitur dicens: Dilectus meus candidus, & rubicundus. Candidus nimirum ex diuinitatis specie, rubicundus ex passionis cruore. Hoc itaq; hyssopo ille solummodo aspergitur, qui uias dominicæ passionis imitat. Sanctificatur uerò aspersus, sicut per Paulum dicitur: Si enim sanguis taurorū & uitulorum & cinis uitulę aspersus inquinatos sanctificat ad emundationē carnis, quāto magis sanguis Christi qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum deo, emundabit conscientiam nostrā ab operibus mortuis ad seruiendū deo uiuenti? Sequitur: Lauabis me, & super niuem dealbabor.] Quemadmodum corpus aqua lauat à squaloribus sordium, ita gratia sancti spiritus animā purgat à maculis peccatorum. Quod uerò ait: Et super niuem dealbabor.] Ostendit quia nulla pulchritudo quæ inest corpori, ualet decori sanctæ animæ comparari. Quid nanq; in corporibus niue candidius? Et tamen qui uias passionis Christi sequitur, super niuem dealbatur. De sanctis etenim scriptum est: Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Quis uerò ignoret solem niue candidiorem? Præterea candor niuis cito præterit, decor autem sanctorū inæternum manebit.

Vacca humanitatem Christi significat

2.Cor.13

Cant.5

Heb.9

Matt.13

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt ossa humiliata.

Tunc quidem uerum & inęstimabile gaudium habituri sunt sancti, cùm impijs ęterna morte mulctatis, & in horrendam perpetui cruciatus uoraginem per extremæ damnationis sententiam missis audituri sunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. In eo autem quod ait, gaudium & lætitiā, duplicē sanctorū ueneratione intellige, qui uisione claritatis in illa die, quantū cogitare non possumus illustrati, sicut animarum perfruentur beatitudine, ita etiam corporis uestientur incorruptione. De ipsis enim scriptum est: In terra sua duplicia possidebunt. Sancti etenim uiri mundi gloriam mentis despectu calcantes, omnes in se carnales uoluptates mortificāt, ut in deo postmodum perenniter uiuant. Qui quoniam mundi miserias pro deo pati minimè refugiunt, beatitudinis æternæ retributionem acquirunt. Quæ nimirum beatitudo & animabus eorū ante resurrectionē tribuitur, & corporibus nihilominus post iudiciū conferetur, sicut in Apocalypsi Ioānes Apostolus scribit, dicēs: Vidi sub altari dei animas interfectorū propter uerbū dei, & testimoniū quod habebāt, & clamabāt uoce magna dicētes: Vsque quo domine sanctus & uerus nō uindicas sanguinē nostrū, de his qui sunt in terra? Et datę sunt eis singulæ stolæ albæ, & dictū est illis ut requiescerent rempus adhuc modicū, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum ipsorum, qui interficiendi sunt sicut & illi. Quid nanq; est singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorū beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid uerò est donec electorum numerus impleatur requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloriam expectare? In qua nimirum iterum singulas stolas albas accipient, quia immortalia & incorruptibilia corporum suorum uestimenta resument. Quia ergo sancti uiri ad æternæ felicitatis præmia non solum anima sed etiam corpore post iudicium transeunt, rectè de eis dicitur quia in terra sua duplicia possidebunt. Huius incrementa felicitatis propheta intuens, ait: Auditui meo dabis gaudium & lætitiā, & exultabunt ossa humiliata.] Animarum nostrarū ossa uirtutes sunt, quæ nimirum in hac uita humiliantur, quia assiduis tētationum impugnationibus indesinenter turbantur. Tentatio enim est uita hominis super terram. In æterna autem uita non solum inuictæ potestatis accipient fortitudinem, sed etiam nullam uitiorū aduersantium sentient impugnationem.

A

Apoc.6

B

C

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Quia peccata sua semper habet præ oculis, meritò rogat ut deus faciem suam auertat ab ipsis. Superius nempe propheta dixerat: Peccatum meum contra me est semper. Qui ergo peccatum suum semper uidebat, continuum pro eo dolorem in corde gestabat. Et ideo oculos ab eius peccato deus auertit, quia ipse illud sine cessatiōe animaduertit. Non enim deus eorum peccata ulciscitur, qui in occulto cordis de prauorum operum memoria affliguntur. Qui nimirum ad hoc semetipsos iudicant, ut terribile omnipotentis iudicium euadant, iuxta illud Apostoli: Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique iudicaremur. At contrà reprobi quia ea quæ commiserūt, nequaquam conspiciunt, actus suos à cōspectu iudicis non abscondunt. Et quanto magis errores suos ipsi considerare refugiunt, tanto magis eos conspectui diuinæ maiestatis opponunt. Delinquentium autē mala deus uidet, nō ut approbet, sed ut condēnet, non ut foueat, sed ut puniat: nō ut semper patiat, sed ut in iudicio ulciscatur. Denicq; oculi dñi super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Grauis ultio, non solum de terra mala facientes expellere, sed etiā omnē penitus memoriā eorū abolere. Cōsideremus ergo mala quę fecimꝰ & ea ante mentis oculos sine intermissione ponamus, ne cū ante iudicis illius conspectum uenerimus,

D

1.Cor.11

Psal.33

mus,

mus, tunc primùm quicquid gesserimus, nolentes uideamus. Impœnitenti enim deus terribiliter
Psal.49 minatur dicens: Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te, & statuam cõtra faciem tuam. Similis tui essem, si peccatum tuum impunitũ dimitterem. Tu enim illud non solum non uis punire, sed & post tergũ proijcis, ne possis uidere. Ego autem qui illud uideo, quid faciam? nunquid impunitum dimittã? Iudex sum & iustus, iudex sum & ultor iniquitatum. Quomodo ergo iniustè iudicabo? quomodo ueritatem mendacio mutabo? Tacui, nunquid semper tacebo? Tacui, quia misericordiam prærogaui. Iniquitatem tuam dissimulaui, tempus pœnitentiæ indulsi. Sed nũquid semper tacebo? imò arguam te, & statuam contra fa- B
ciem tuam. Arguã quidem te de mendacio, quando cordium consilia manifestabo. A peccatis tuis auertis oculos tuos, & quandam tibi uanę spei securitatem promittis. Et quia ipse te non uides, ꝙ nec ego te uideam suspicaris. Putas quòd te non uideam fornicantem, quem uideo adulterium cogitantem? Ex hoc itaq; te arguam, & statuam contra faciem tuam. Si non uis hic attendere faciem tuam, faciam ut agnoscas miseriam tuam. Et omnes iniquitates, &c.] Per prophetam dominus
Esa.43 dicit: Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Tu autem memor esto, & iudicemur. Audi qua cõditione iniquitatum tuarum se esse immemorem dicat, uidelicet si tu memor fueris. Caue ergo ne unquam quod deliquisti, à me- C
moria tibi excidat, aut aliqua obliuione peccata tua obliteres: ne si carnalium uoluptatum illecebris captus, iniquitatum tuarum memor non fue-
Psal.39 ris, dicatur tibi in tempore necessitatis: Proiecisti sermones meos retrorsum.

Cor mundum crea in me deus, & spiritũ rectum innoua in uisceribus meis.

Matt.5 In Euangelio scriptum est: Beati mũdo corde. Si illum qui ab omni peccato mundus est, in cordis nostri hospitio habere uolumus, oportet primò ut illud ab omni uitiorum sorde purgemus. Emundemus ergo interiora mentis nostræ, & diligenter peccatorum nostrorum secreta scrutemur, ne ex affectu nostro peccati delectatio pullu- D
let, ne turpe desiderium cor in occulto titillet, ne passionum ex eo contentiones prodeant, ne peruersarum cogitationũ dispensationes aliquando erumpant. Templum enim dei nõ potest esse pol-
1.Cor.3 lutum, quia scriptum est: Templum dei sanctum est, quod estis uos. Verum quis gloriabitur mundum se habere cor, aut immunem esse se à peccato? Si propheta pollutũ labijs se esse asserit, cuius os Seraphin carbone quẽ susceperat de altari purgauit: quid dicturi sumus nos, quos luxuria inquinat, inuidia angustat, ambitio præcipitat, superbia exaltat? Non est enim uirtutis humanæ ita ab illicitis motibus mundare animũ, ut perstrepentium uoces non sentiat cogitationum. Sed quia deo nihil est impossibile, clamemus ad deũ tota uirtute:

Cor mundum crea in me deus, & spiritũ rectũ A innoua in uisceribus meis.] Vide ordinẽ, primò cor mundũ, deinde spiritũ rectum propheta à deo requirit. Prius eñ abrenunciandum est tibi omni peccato, & omnis à corde uitiorũ fœditas eliminanda, ut omne quod agit aut dicit, eo purum in conspectu dei ac lucidum appareat, quo ex intentionis origine quasi de puro quodammodo fonte manat. Quomodo enim poterit esse perspicuum, quod in ipsa origine fuerit uitiatum? Scriptũ est enim. Bonus homo de bono thesauro profert bo Matt.12
na, & malus homo de malo thesauro profert mala. Omnibus igit carnalibus desiderijs à corde exclusis, pete à deo ut spiritum rectum renouet, ne forte spiritus ille immũdus inueniens domum de
B qua exiuit uacantẽ, assumptis alijs septem nequioribus se, cum eis ibi habitet, & fiant nouissima tua peiora prioribus. Hæc est autem spiritus recti in- Spiritũ innouare quid est
nouatio, ut omnem mundi gloriam mente despicias, mentem medullitus in conditoris tui amore infigas, illatis contumelijs patientiam custodias, & custodita patientia dolorem à corde repellas, omnibus te per humilitatem inferiorem deputes, de morte inimici nullatenus exultes, aliena non ambias, propria egentibus distribuas, amicum in deo, & inimicũ propter deum diligas, in afflictione proximi teipsum per compassionem affligas. Hæc quidem est illa spiritus innouatio quam persuadet apostolus dicẽs: Renouamini spiritu men- Ephe.4
tis uestræ, & induite nouum hominem qui secun
C dum deum creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis. Et iterũ: Si qua igitur in Christo noua creatura, uetera transierũt, & ecce facta sunt noua. Ad ueterem quippe hominem pertinet, mundi huius gloriam concupiscere, animũ à deo auertere, pa- Homo uetus quid facit
tientiam non seruare, opportunitatem uindictæ exquirere, melioribus quibusq; despectis superbire, aliena diripere, propria retinere, nullum propter deũ diligere, de inimici morte gaudere. Hæc autem omnia ille respuit qui deum induit, quiq; in nouitate uitæ ambulare contendit.

Ne proijcias me à facie tua, & spiritũ sanctum tuum ne auferas à me.

A facie dei proijcitur, cui spes ueniæ post pec-
D catum negatur. Qui enim peccauerit in spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo neque in futuro. Quis est autem qui peccat in spiritum sanctũ, nisi qui non credit remissionem peccatorum? Remissio enim peccatorum, opus spiritussancti est. Nam & de baptismo Christi, in quo Ioan.1
remissio peccatorum danda erat, dixit Ioannes: Ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igne. Vnde etiam super baptizatum dominum in columbæ specie spiritus sanctus descendit, ut ex hoc aperte ostenderet, quia spiritalis gratia per lauacrũ baptismatis credentium corda mũdaret. An non in spiritum sanctum Cain peccauit, quãdo dixit: Cain peccauit in spiritum sanctũ
Maior est iniquitas mea quàm ut ueniã merear? Gen.4
Et quia de uenia desperauit, ideo dixit: Ecce eijcis me à facie tua. De quo & postea subditur, quòd egressus sit à facie domini. Vides quemadmodum

ille

Universidad de Deusto
Biblioteca

ille qui in desperationis foueam labitur, à facie dei A
proijciatur: Et spiritum sanctum tuum ne auferas
à me.] Attende qualiter postulat, ne spem ueniæ
post peccatum amittat. Vbi spiritus sancti præsen
Rom. 8 tia est, ibi desperatio esse non potest. Fides enim
in spiritu datur, sicut Apostolus ait: Deinque ipse
1. Cor. 12 postulat pro nobis gemitibus inenarrabilib. Et ne
mo in spiritu dei loquens, dicit anathema Iesu.
Roma. 8 Nam in eo clamamus abba pater, quia scriptū est:
Ioan. 4 Veri adoratores, adorabunt patrem in spiritu &
ueritate.

Redde mihi lęticiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Lætabatur propheta de aduentu filij dei ante- B
quam peccaret, & certus quòd de suo nasciturus
erat semine, antequam laberetur gaudebat. Sed
postquam uxoris Uriæ amore deceptus modum
in peccando nō habuit, ne sibi deus hoc offensus
Salutaris est media tor dei & hominū subtraheret quod antea placatus promiserat, for-
midauit. Ideoq; ait: Redde mihi lætitiam salutaris
tui.] Salutaris quis est nisi dei hominumq; me-
diator? De quo iste idem propheta in persona dei
Psal. 11 patris dixerat: Propter miseriam inopum & gemi
tum pauperum nunc exurgam dicit dominus. Po
nam in salutari, fiducialiter agam in eo. Exurgere
enim dicitur deus pater, cùm filiū mittit: qui quasi
iacere uisus est, cùm seruos misit. Illi enim nemi-
nem saluare potuerunt: sed filius hominis uenit
quærere, & saluum facere quod perierat. Ideoq; C
perfectam & manentem saluationem in eo se po
siturum astruit, & in eo fiducialiter se dicit agere,
quem cōstat nihil omnino peccati habuisse. Qui
enim grauium sibi conscius est delictorum, non
potest fiducialiter agere: quia poterit eum uel ille
quem corripit reprehendere, uel conscientia pro
pria remordere. Redemptor uerò noster eo libe-
rè loqui potuit, quo nunquam peccati maculam
ex natiuitate uel etiam ex operatione contraxit.
Vnde turbis Iudæorum & principibus sacerdo-
tum inuidentibus & detrahentibus ipse dicebat:
Ioan. 8 Quis ex uobis arguet me de peccato? Fiducialiter
ergo agebat, quē in nullo conscientia accusa-
Mat. 7 bat. Nam & de eo scriptum est, quòd erat docens
tanquam potestatem habens, & non sicut Scribæ D
& Pharisæi. Huius ergo salutaris sibi reddi lætitiam Dauid postulat, in quo omnis ante aduentum ipsius electus sperabat: Et spiritu principali confirma me.] Solet quibusdam contingere, ut dum se purgatos per satisfactionem reputant, ab internæ mentis custodia animū resoluant. Qui quidem ipsa sua elatione depressi, eo deterius corruunt, quo sibi de indulgentia blandientes, uanæ spei securitatem promittūt. Inde est quod prophe
Psal. 85 ta exorat dicens: Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Non dicit lætetur, ut securum sit, sed lætetur ut timeat. Ac si apertè dicat: Ita me correctum facito gaudere de uenia, ut tamē nunquam desinam esse suspectus de culpa. Sic & in hoc loco postquam sibi reddi salutaris dei lætitiam petijt, ne sibi dimissus ad deteriora prorueret, illico adiunxit: Et spiritu principali confirma me.] Sciebat enim quia infirma est omnis anima, nisi sancti spiritus fuerit uirtute firmata. Nam & de Apostolis dictum est: Verbo domini cęli firmati sunt, Psalm. 32
& spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Quid ēm
cœlorum nomine, nisi sancti Apostoli designan- Apostolorū nomine reprehendantur
tur? Qui nimirum uerborū imbribus terram cordis nostri inebriant, uenturi iudicij minis & terroribus intonant, miraculorū signis & operum sanctitate coruscant. Denique ipsi sunt qui enarrāt gloriam dei. Quibus profectò tunc spiritus uirtutem tribuit, cùm in igneis linguis apparens, in cordibus eorum diuini flammas amoris accēdit. Quod quidem apertè cognoscere possumus, si quales ante, quales post aduentum sancti spiritus fuerunt, B
perpendamus. Qui enim ad passionem tendentem magistrum fugientes reliquerant, postmodum per adiunctam sancti spiritus gratiam roborati, constanter & publicè nomen Christi prædicabant. Nam ut reliquos prętermittamus, ipse Apostolorum princeps qui mori metuēs uitam negauerat, cum facto conuentu cæsis Apostolis sacerdotes & scribæ ne in nomine Christi loquerentur prohiberent, aiebat: Obedire oportet deo magis quàm hominibus. Cœlorum igitur uirtus de spiritu sancto est, quia per infusam sancti spiritus gratiam facti sunt in Christi cōfessione fortes Apostoli, qui prius fuerant ex fragilitate carnis infirmi. Nisi enim promissa charismatum dona illi dominici gregis pastores susciperent, eorum corda nullo uirtutis decore claruissent. Hæc nanque uirtus spiritus sicut ab omni pœnarum & mortis timore quos repleuerit efficit liberos, ita ab omni diabolicæ reddit tentationis incursu securos. Merito ergo cui salutaris dei in remissionem peccatorum lætitia redditur, postulat ut in uera innocentia spiritus principalis uirture confirmetur.

Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur.

Illos diuina clementia à peccatis per remissionem efficit liberos, quos præuidet utilitati Ecclesiæ post cōuersionem profuturos. Vnde Ananiæ de Saulo dixit: Vade, quoniam uas electionis mihi est iste, ut portet nomē meum coram gentibus & regibus & filijs Israel. Magno igitur fructu dimissa sunt illi à deo peccata. Qui enim prius blasphemus & persecutor ac iniurioſus extitit, postmodum plus omnibus laborauit. Propheta ergo qui deleri iniquitates suas, & spiritu sancto confirmari à domino postulat, quòd non sine fructu hoc sit futurum, affirmat dicens: Docebo iniquos uias tuas.] Vniuersæ uiæ domini misericordia & ueritas. Misericordia est, qua sine ullis præcedentibus meritis, pœnitentibus ueniam tribuit. Veritas, qua post gratiam uocationis & ueniæ, peccata impœnitentium punit. Ille ergo cui peccata dimittuntur, uias dei iniquos docet, cùm peccantibus si resipuerint, exemplo sui spem tribuit ueniæ: & inconuertibilibus, nisi ad ueniam redeant, infert timorem gehennæ: Et impij ad te

Paulus est delectus Actor 9

conuerten

conuertentur.] O quàm utilis est peccatorum remissio, quæ conuersos non solum à peccatis liberos efficit, sed etiã alios à uia impietatis & iniustitiæ retrahit, flamma charitatis accendit. Hæc est enim charitatis euidens probatio, ut cui per gratiam dei contigerit à peccatorum uinculis eripi, ipse ex zelo iustitiæ studeat ad spem ueniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum deo est sacrificium, quàm zelus animarum. Exerceat ergo se in uia dei, cui deus peccata dimisit, & exemplo suo peccatores quosque ad pœnitentiæ
Matt.20 confugere remedium admoneat. Non sit arbor infructuosa, aut ociosus operarius, sciens quia non solum manè uenientibus ad uineam merces promittitur, sed etiam circa undecimam horam uocatis uitæ æternæ denarius præbetur.

Libera me de sanguinib. deus deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiã tuam.

Nisi primitus me à peccatis liberaueris, non potero alijs esse exemplum conuersionis. Libera ergo me de sanguinibus, desiderijs uidelicet carnali
1.Pet.2 bus, quæ militant aduersus animã. Caro enim &
1.Cor.15 sanguis regnũ dei non possidebunt. Deus deus salutis meæ.] Nota in repetitione nominis, magnum affectum cordis, quasi dicat: Meritò te ut me salues inuoco, quia tu solus es author salutis meæ. Nã domini est salus. A te solo est salus, quia ab omnibus alijs est infirmitas, uanitas uanitatũ,
Eccls 1 & omnia uanitas. Non saluatur rex per multã uir- C
tutem, & gigas non saluabitur in multitudine uir
Psal.32 tutis suæ. Denicq; fallax equus ad salutem. Ex quibus uerbis colligitur quòd nec ex diuitijs temporalibus, nec ex corporali fortitudine salus acquiratur: Et exultabit lingua mea iustitiã tuam.]
Gen.15 Iustitia dei, fides est, sicut scriptum est: Credidit
Fide carens iustq; esse nõ Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam,
potest quia iustus ex fide uiuit. Si ergo iusti uita fides est, consequens est eandem fidem esse iustitiam, sine qua quisq; esse iustus non potest. Hanc itaque dei iustitiam ille cum exultatione enunciat, qui nec mundi huius copiam cupiens, nec inopiam metuens, omnem hæreticam prauitatem impugnat. Vel iustitia dei est, quòd non uult mortem peccatoris. Homini nempe iustum uidetur, ut suam ul-
ciscatur iniuriam. Dei uerò iustitia est confitenti D
relaxare offensam.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Non aliter iustitiam tuam proferre potero, nisi tu labia mea aperias. Tu es enim qui ora superborum obstruis, & linguas infantium disertas facis. Hactenus os meum ego ipse aperui, & ideo exuanilloquio peccatum contraxi. Nũc uerò ut tu aperias desidero, quia nihil nisi quod suggesseris, loqui concupisco. Illius labia deus aperit, qui nõ solum quid loquitur, sed etiam quando & ubi & cui
Esa.50 loquatur attendit. Sapientia nanq; dei dicit: Dominus dedit mihi linguam eruditam, quando scilicet oporteat sermonem dicere. Meritò ergo sapiens est, quia accepit à domino quo tempore sibi

A loquendum sit. Vnde nõ inconuenienter ait scriptura: Homo sapiẽs tacebit usq; ad tempus. Hinc Eccli 20
rursum scriptũ est: Ori tuo fac ostium & uectem, Eccli 28
& in uerbis tuis iugum & stateram. Et fortassè hoc ostium sibi propheta postulabat à domino, cùm
dicebat: Pone domine custodiam ori meo, & osti Psal.140
um circunstantiæ labijs meis. Debemus enim os nostrum claudere, & diligentius obseruare, ne quis in iracundiã excitet uocem nostram, & contumeliam rependamus cõtumeliæ. Iugum etiam in uerbis nostris esse & statera præcipitur, ut omne quod loquimur, & humilitate condiat̃, & mensura ponderetur. Proferamus ergo sermones examinatos libra iustitiæ, ut sit grauitas in sensu, mo-
B dus in uerbis, pondus in sermone. Nec prius loquendo os aperiamus, quàm expediat, sed examinemus uerba nostra, si tacendum hoc, si dicendũ aduersus hunc, si tempus sit sermonis huius, postremo si à uirtute modestiæ non dissentiat. Nihil indecens nihil inhonestum, nihil inuidum sonãs erumpat. Verùm quia ad hæc omnia idonei esse non possumus, nisi hoc à largitore omnis gratiæ percipiamus exclamandum est nobis cum propheta: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuã.] Non est speciosa laus in ore peccatoris. Ideoq; propheta indulgentiam peccatorum primùm à domino expetit, & postmodum laudem se dei annunciaturum esse promittit, nobis patenter innuens, quia illi soli laudis
C dei possunt sentire dulcedinem, qui peccatorum suorum meruerint percipere remissionem. Vnde Psal.32
scriptum est: Rectos decet collaudatio. Quid autem laudabilius in deo, quàm misericordia? Scriptum nanq; est: Confiteantur domino misericor- Psal. 144
diæ eius, denique: Miserationes eius super omnia opera eius. Quanuis enim laudabile sit quòd ho- Gen.1
minem de limo terræ cõdidit: laudabilius tamen est, quòd perditum proprij filij sui morte redemit. Denique illud potestatis est, hoc gratiæ. Et os meum annunciabit laudem tuam.] Sunt enim pleriq; qui non ore laudant deum. Nunquam suo Auarus &
laudat ore deũ auarus. Nunquam suo ore laudat luxuriosus ore suo deũ
luxuriosus. Nonne quasi alienum os tibi uidetur non laudãt
assumere, dum ea conatur quæ in corde non sentit proferre? De quibus profecto scriptũ est: Cor
D eorum longè est à disciplina, propterea non exul- Iob 17
tabunt: quia nimirum eorum laus ad omnipotentis dei aures nequaquam extollitur, quorum cor à semita iustitiæ per prauæ intentionis studium elongatur. Tales erant illi de quibus dominus dicebat: Populus hic labijs me honorat, cor autem Matt. 15
eorum longè est à me. Mar.7

Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utiq;, holocaustis non delectaberis.

Sciebat propheta per spiritum, quia illa legalium institutasacrificiorũ, ad inuisibilis essent oblationis intelligentiam transferenda: quia illud uerum & acceptabile est sacrificiũ, quòd aliquis puro corde laudat deum. Vnde & alio in loco dicit: In me sunt deus uota tua, quæ reddam laudatio-

nes tibi. Et item: Immola deo sacrificiū laudis. Et rursum: Sacrificiū laudis honorificabit me. Cùm ergo dixisset, os meum annūciabit laudem tuam, illico subiunxit: Quoniam si uoluisses, sacrificiū Psal.49 dedissem.] Ac si dicat: Laudis tibi offeram sacrificium, sciens quia carnalium nolis obseruantiam ceremoniarum. Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utiq; holocaustis non delectaberis.] Ideo nolo confidere in carnalis ritu sacrificij, quia scio te hircorum & arietū occisione non delectari. Tu es enim qui dixisti: Non accipiā de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos.

A

Sacrificiū deo, spiritus cōtribulatus, cor contritū & humiliatū deus nō despicies.

B

Nequaquam uerè pœnitentiā agit, qui ex peccatorum suorum recordatione quandam spiritus tribulationem nō sentit. Quod quidem reprobis familiare est, quia etsi aliquando peccata sua confiteantur, ea tamen districtæ animaduersionis fletibus non persequuntur. Electi uerò etiam si minima sint quæ in se punienda inueniunt, zelo rectitudinis contra se erecti, ad pœnitentiæ se lamenta studiose succendunt. Qui dum sanctæ contemplationis pennis ad cœlestia se intuenda erigunt, eo subtilius si quid in seipsis uitiosum latebat inueniunt, quo ad diuinæ lucis claritatem uicinius accedunt. Tantoq; eis displicet quod infirmū ex carne tolerant, quāto eos delectat quod ex incorruptibilis uitæ suauitate degustāt. Vnde fit quòd graui in seipsos, uel pro ociosis uerbis, uel pro uanis cogitationibus inuectione desæuiant, & quæ leuia ante crediderant, mox ut grauia & mortifera perhorrescant. Beneficia sibi diuinitus collata conspiciunt, culpas nihilominus anteactas ad memoriam reducūt. Vitæ huius corruptibilis erumnosas necessitates enumerant, quanta sit cœlestis gloriæ felicitas, in meditatione pertractāt. A qua quia per carnis fragilitatem retrahi se sentiunt, ualidissimi seipsos interius uulnere doloris transfigunt. Dum ergo hæc omnia ante mentis oculos intenta consideratione recolligunt, uehementissimæ tribulationis igne intrinsecus inardescunt. Hæc est illa spiritalis sanctorum tribulatio, quam in cordibus eorum generat pœnitentiæ & desiderij dilati amaritudo. Hāc nimirum Iob sentiebat, Iob 7 cùm dicebat: Loquar in tribulatione spiritus mei. Electorum etenim linguas tribulatio spiritus cō mouet, ut reatum praui operis uox confessionis impugnet. Cor contritum & humiliatū Deus non despicies.] Multi habent cor contritum, qui non habent cor humiliatum. Sunt enim plerique qui etsi peccata sua fletibus puniunt, pauperes tamen opprimere potestatis suæ dominatione non cessant. Hi nimirum nequaquam purum sacrificium deo offerunt, quia detestabilis superbiæ illud admixtione corrumpūt. Vel sicut beatus Hieronymus hunc locum exponit, illi cor conterunt, sed non humiliant, qui peccata quidem quæ commiserunt deflent, sed tamen eadem committere etiam post fletus nō timent. Dum enim errorum

C

D

suorum consideratione reuocati, ad ea quæ dimiserant redeunt, se contra conditorem suum per opera prauitatis extollunt. Ex superbiæ nanq; uitio est timorem dei contemnere, conditoris præcepta prauæ actionis transgressione calcare, cœlestis uitæ gaudia mansura negligere, damnationis perpetuæ infinita supplicia non timere. Illorum ergo sacrificium Deus non accipit, qui lachrymis quidem se compunctionis abluunt, sed eisdem à quibus ante mundati esse uidentur, peccatorum maculis in idipsum reuertentes sordescunt. De talibus scriptum est: Qui baptizatur à Eccli 34 mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius? Ille quippe lauat à mortuo, qui per pœnitentiam mundatur à peccato. Quem si contigerit eadem quæ punierat iterando peccata committere, nihil contulisse uidetur adhibita satisfactionis lauatio, quem maculauit inhonestius iterata facinoris turpitudo. Quia igitur scriptum 1.Pet.5 est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, illos qui superbiendo ad peccata redeunt, diuina iustitia respuit. Illos uerò qui continendo & humiliando post tergum non respiciunt, clementia dei non despicit, quia scriptum est: Propè Psal.33 est dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Benigne fac domine in bona uoluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem.

Sion ecclesiam figur.

Sion speculatio interpretatur, per quam sancta significat Ecclesia. Quæ in eminentioribus uirtutum & scientiæ locata uestigijs, & cœlestem patriam à longè prospicit, & irruentes spiritalium inimicorum cuneos, interiori intuitu deprehendit. Cui deus tunc benigne fecit, quando filiū suum in mundum misit. Veniens autē filius dei, quam de diabolica potestate eripit, sanctam sibi Ecclesiam in unitate spiritus confœderauit. De quo loannes ait: Qui habet sponsam, sponsus est. Quid Ioan.3 autem benignius quàm filium dei seruilem formam induere, mortis legibus subiacere, proprio sanguine nos redimere, æternæ uitæ aditū quem culpa obstruxerat aperire, corpore suo nos pascere, & de tenebrarū potestate erutos, ad cœlestem gloriam, & ad regnum nos lucis transferre? Quid denique benignius quàm quòd deus tradidit filium, ut redimeret seruum? Benignitatem nihilominus dei quotidie sentit Ecclesia, cùm illā deus claritate suæ cognitiōis illuminat, inter seculi turbines fluctuantem spiritus sui uirtute confirmat, suauitatis intimæ delicijs reficit, atq; per eam peccata dimittit. Et notandum quòd ait: In bona uoluntate tua.] Vt intelligas nihil perfectum haberi posse ex meritis, sed tantum conferri gratuito munere diuinæ miserationis. Vt ædificentur muri Hierusalem.] Per Hierusalem, quæ uisiò pacis interpretatur, sancta anima accipitur, quæ futuram sanctorum pacem mentis intuitu conspicit, & omnibus in se mortificatis hostibus, illicitorum motuum impugnationem non sentit. Cuius muri uirtutes sunt. Quos ille nimirum ædificat, qui

Perfectio nihil cōsequimur meritis

qui ex operibus iustitiæ & pietatis, spiritale construere ædificium nō cessat. Vnusquisque autem Hierusalem aut Babylonis ciuis est. Sicut enim per amorem dei sanctus quisq; Hierusalem ciuis efficitur, ita per amorem seculi, omnis iniquus in Babyloniæ structura operatur. Ad cōstruendum autem huius spiritalis Babyloniæ ædificium, peruersi quiq; illius antiquæ Babel imitantur exemplum. Cuius teste sancta scriptura, ciuitatis authores, & pro saxis lateres, & pro cæmento bitumen habuisse leguntur. Per quod intelligit quòd mundi amatores, carnalis uitæ construunt municipiū, quod ad uim uentorum & impetus fluuij, facili impulsu uelociter est subruendum. Notandum uerò est, quia illi de quibus agitur, de Oriente uenisse, & in campo Sennaar habitasse perhibentur. Cùm enim Christus uerè sit Oriens, propheta attestante qui ait: Ecce uir Oriens nomen eius, de Oriente ueniunt, qui à Christi consortio malè uiuendo recedūt. Sennaar autem interpretatur excussio dentium, siue fœtor eorum. In campo ergo Sennaar habitant, qui positi non in cellitudine uirtutum, sed in planitie uitiorum, & detractionum morsibus proximos lacerant, & in ocioſæ uitæ uolutabro iacentes, infamiæ suæ circunquaque fœtorem exhalant. Quorum dentes tunc omnipotens excutit, cùm illorum facta simul & uerba confundit. Vnde per prophetam scriptum est: Dentes peccatorum cōtriuisti. Et iterum: Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorū, molas leonum confringet dominus. Nam de fœtore eorū per alium prophetā scriptū est: Computruerunt iumenta in stercore suo. Computrescere iumenta est carnales homines in fœtore luxuriæ uitam finire. Et Esaias ait: Et erit pro suaui odore fœtor, pro zona funiculus. Quia nimirum hi praui operis fœtorem emittunt, qui abiecto cingulo castitatis, funiculum intexunt lasciuiæ. De quibus dicitur per prophetam: Væ qui trahit peccata sicut restem longam. Meritò ergo qui in Sennaar habitant, de lateribus ciuitatē ædificant: quia qui terrenis dediti sunt, uoluptatibus carnis inseruiunt, de fragili materia mentis mutationem attollunt. Cæterum qui contempta terrenarum opum cupiditate, & carnalis uitæ abdicatis illecebris, per opera sanctitatis uirtutum in seipsis sanctificationem accumulant, hi profecto lateres in lapides mutant. Et neq; in arena mundanæ confidentiæ spiritalem structuram erigunt, sed in petra fidei, quæ Christus est, atria nulli excidio obnoxia, ad similitudinem euangelicæ illius parabolæ constituunt. Tales nimirum rectè cum Esaia possunt dicere: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Lateribus quippe cadentibus, lapidibus quadris ædificat, quicunq; carnis lasciuiam disciplinæ strictioris rigore castigat: qui membrorum legem, mentis lege superat: qui corporis fortitudinem spiritus uirtute cōmutat. Hinc nanq; per prophetā dicitur: Qui confidunt in domino, mutabunt fortitudinē. Qui dum non dixit, accipient, sed, mutabunt: aperte ostendit, quia alia est fortitudo quæ deponitur, & alia quæ nouiter inchoatur. Habēt enim sancti uiri suam in hac carne positi fortitudinē, cùm uel pro fide certantes, tormenta omnia cōstantiæ uirtute despiciūt, uel tentationes diabolicas armis spiritalibus protecti repellunt. De eis nanq; per Salomonem scriptum est: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel. Lectulum quippe Salomonis fortes ambiunt, quia intimam nostri redemptoris requiem, sancti quique indefessa desiderij sedulitate cōtemplantur. Hinc de sancta Ecclesia electorum dicitur: Fortitudo & decor indumentum eius. Qui enim ita se in uirtutibus decorum exhibet, ut tamen tentationum impugnationibus non repugnet, hic nimirum decore ad tempus induitur, sed fortitudine nequaquam uestitur. Quia uerò sancti dei & ex operibus iustitiæ fulgidi, & ex aduersariorum apparent impugnationibus uestiti, rectè de eis sub typo Ecclesiæ dicitur: Fortitudo & decor indumentum eius. Quisquis ergo infirma carnis fortitudine contempta, in uirile spiritus robur animum excitat, quasi lateres in saxa quibus muri Hierusalem ædificentur commutat. Possumus quoq; per Hierusalem, illam sanctam ciuitatem accipere, quæ ex uiuis lapidibus in cœlis construitur, & sicut sponsa ornata uiro suo à deo paratur. De illa nanq; dicit Apostolus: Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Quæ meritò dicitur libera, quia ob omni corruptionis molestia inuenitur aliena. Nec incongruè Hierusalem dicitur, quæ ueram in seipsa pacem sine defectu experitur. Illa est enim ciuitas pacis, in quam nullus hostis ingreditur, & ex qua nullus ciuis egreditur. Ciuitas inquam cuius plateæ auro mundo struuntur, & in qua canticum lætitiæ indesinenter cantatur. Quę quidem, sicut scriptum est, non eget sole neq; luna: quia cùm illam deus præsentia suæ claritatis illuminet, impossibile est ut eam aliqua caliginis obumbratio obscuret. Deus enim lux est, sicut ait in epistola sua Ioannes apostolus, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Quòd si tanta est claritas solis, ut totam ortu suo terrā illuminet, quanta çsti manda est dei claritas, qui & ipsum solē condidit, & ei ad utilitatem nostram hanc quam cernimus luminis uenustatem infudit? Huius igitur Hierusalem muri ædificantur, cùm fideles ad uitam prædestinati, ad perfectionem iustitiæ deducuntur. Figuram autem huius ciuitatis illud Salomonis templum gestauit, in cuius ædificatiōe lapidibus extructa, mallei sonitus auditus non fuit. In sacris enim ædificijs permansuri, adhuc foris per flagella tundimur, ut in templo domini postmodum sine aliqua percussiōe disciplinæ disponamur: quatinus quicquid in bonis superfluū aut distortum est, modo percussio resecet, & tunc sola in cœlesti ædificio concordia ueritatis liget. Nec mirū si templum eadem ciuitas dicatur, quę etiam tabernaculum dicitur, sicut scriptum est: Ecce tabernaculum dei cum hominibus.

Ciuis ē quilibet Hierusalē aut Babylonis

Cant.3

Prou.31

Zacha.6

Sennaar quid repręsentat

Psal.57

Gal.4

Iohel 1

Esa.3

Esa.5

Esa.9

Esa.40

Apoc.22

1.Ioan.1

Apoc.21

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum uitulos.

Ædificata cœlesti Hierusalem, sacrificium duntaxat iustitiæ acceptum erit domino, quia ibi non erit opus offerri sacrificium pro peccato. In hac enim uita quia in multis quotidie delinquimus, oportet ut contriti cordis & contribulati spiritus deo sacrificium offeramus. In resurrectione autẽ, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, nec ullus sanctorum peccare postmodum poterit, nec quisquam ad deum pro peccato orabit. In tantum nanque peccatum delebitur, ut etiam pœna peccati omnino destruatur, sicut scriptum est: Absorpta est mors à uictoria. Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Stimulus enim mortis, peccatum est. Necessario ibi peccatum deesse conuincitur, ubi mortis aculeus non inuenitur. Non igi ur oportet ibi offerri pro peccato sacrificium, ubi nec in cogitatione admittitur delictum. Sacrificium itaque iustitiæ sancti in æterna uita deo offerent, quia in solo conditoris amore intenti, indefessas remuneratori suo in lętitia cordis laudes dicẽt: Vnde scriptum est: Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Et iterũ: Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. Tunc electorum suorum oblationes deus acceptas habebit, quia sanctas eorũ meditationes nullius prauitatis admixtio commaculabit. Holocausta nihilominus eorum accipiet: quia totum quod in eis erit, flamma diuinæ charitatis accendet. Et tunc imponent super altare tuum uitulos.] Altare dei filius est, de quo ipse domin⁹ ait: Altare de terra facietis mihi. Quid est eẽ aliud altare de terra facere, nisi de dei filij incarnatione non dubitare? Ipse est nanque cui in hac uita cordium nostrorum sacrificia imponimus, & in quo cogitationes illicitas ne conualescant mactamus. Vnde scriptum est: Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Ad petram quippe paruulos nostros allidimus, cùm orientes motus illicitos imitationis Christi intentione mortificamus. Scriptum est enim: Petra autem erat Christus. Ipse ergo est petra ad quam cogitationes nostras tenemus, ipse altare cuius clementiæ peccatorũ uictimas imponere præsumimus. Deniq; peccata nostra ipse portauit. Super ipsum ergo uitulos in æterna uita sancti seipsos imponẽt, quia per gratiã dei liberati à lege peccati & mortis, quòd nulli iugo legis postmodum erunt subditi, totum attribuent gratiæ filij dei. Nullus enim hominum in cœlum ascenderet, nisi filius dei pro salute nostra carnem sumpsisset. Vel certè uitulos super altare imponent, cùm deposita primi hominis uetustate, & mortalib. exuti exuuijs, facti uituli, idest, innouati & puri in perpetuum uiuent. Quod si, ut præmissum est, secundum moralem intelligentiam ædificationem Hierusalem accipere uolumus, hunc quoq; uersum eidem intellectui hoc modo conuenienter aptamus. Dictum est Dauid regi à domino: Non tu ædificabis mihi domum, quia uir sanguinum es: postea uerò filius eius re & nomine pacificus, & sapiẽtiæ gratiam à domino ultra mortales obtinuit, & tem plũ mirifici operis, sicut liber historiarum attestatur, deo Israel ædificauit. In quo dat intelligi, quia dum cum hostilibus uitiorũ cuneis, uirtutum oppositione confligimus, domum sapientiæ nequaquã ædificare ualemus: ubi uerò superatis aduersariorum agminibus, & passionum depulsa barbaria, pacem in nobis factam, omnibus mentis imperijs carne iam obtẽperante senserimus, tũc corpus nostrum inuiolabile templum domino construimus, in quo & sacrificium quod ex zelo iustitiæ ueritatem prædicantes offerimus, deus accipit, & oblationes sanctarũ meditationum, & igne feruentis desiderij ardẽtium orationum holocausta assumit. Super altare quoque cordium nostrorum ponimus uitulos cornua producentes & ungulas, si hæreticorum sententias utriusq; testamenti authoritate nouerimus comminuere, & uirtutes à uitijs per studiũ discretionis separare. Per ungulas enim uitulorum, quæ finduntur, discretionem accipimus, per cornua uerò, utriusq; testamenti præcepta notamus. Vel certè cornua producimus, si etiam in his quę carnis sunt deo placere studeamus. Cornu nanq; cùm de carne sit, carnem superexcedẽs durescit. Quisquis ergo carnis infirmitate deposita, etiã per carnis obsequiũ opera uirtutis effecerit, quasi cornua de carne ꝓducit.

1.Par.17

Prologus quarti Psalmi Pœnitentialis.

ORatio pauperis cùm anxiatus fuerit, & coram domino effuderit precem suam. Quis est iste pauper cuius in hoc Psalmo notatur oratio, nisi ille de quo ait Apostolus: Qui cùm esset diues, pauper pro nobis factus est? Ipse enim ut nos diuitiarum suarum efficeret participes, paupertatis nostræ suscepit necessitates. Exinaniuit nanque semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortẽ autem crucis. Sicut autem pauper pro nobis factus est, ita & pro nobis anxiatus est. Deniq; & pro nobis est mortificatus, & ꝓ nobis in ligno suspensus. Mortuus est enim ut ait apostolus, propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostrã. Ex humana aũt natura habuit ut anxiaret, ex qua habuit etiã ut moreret. Orat ergo caput nostrum in Psalmo hoc ut illuc reducamur per gratiã, unde per primi parẽtis cecidimus culpam. Potest etiã hæc oratio cõuenire unicuiq; qui pauperẽ se esse intelligit, & suarum miseriã necessitatũ agnoscit, qui fallaces esse diuitias seculi istius considerat, & quàm horrendum sit in manus dei uiuentis incidere pensat. Qui post tergum reductis oculis cogitat unde ceciderit, & circunspectis omnibus quæ imminent, quas inuenerit calamitates attendit. Hæc itaque omnia ante mentis oculos omnis pauper congerat, & pauperẽ Christũ pro nobis anxiatũ consi-

Phil.2 Christus quare uoluit esse pauper

1.Cor.15

Exod.20

Psal.83

Psal.117

Psal.137

1.Cor.10

1.Pet.2

Oratio cuiq; iusti

considerās, miseriarū suarū multitudinē attendat. Quanta gloria in Adam fuerit creatus recolligat, & in eis omnibus anxiatus, nō in oculis hominū, sed coram domino precē suam effundat, dicens:

Explanatio quarti Psalmi pœnitentialis.

DOmine exaudi orationem meā, & clamor meus ad te ueniat.

In hac oratione quam exposituri sumus, quædam ipsi attribuuntur capiti, quædam nostræ conueniunt infirmitati. Nec mirandum si ea quæ nobis solummodo congruunt, quasi sint sua Christus pronunciat. Vnum quippe corpus est tota sancta uniuersalis Ecclesia, sub Christo Iesu suo uidelicet capite cōstituta. Vnde ait Apostolus: Ipse Col.1 B est caput corporis Ecclesiæ, qui est principiū, primogenitus ex mortuis. Ipsa est enim quæ per prophetam iocūdatur & dicit: Nunc exaltauit caput Psal.36 meum, super inimicos meos. Pater enim filium, qui est caput Ecclesiæ, super inimicos eius exaltauit, cùm destructo mortis imperio, in suæ illū maPsal.109 iestatis æqualitate constituit, cui & dixit: Sede à Christus cū dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabelsua Eccle- lum pedum tuorum. Christus itaq; cum tota sua sia cū una per- Ecclesia, siue quæ adhuc uersatur in terris, siue sona quæ cum eo iam regnat in cœlis, una persona est. Et sicut est una anima quæ diuersa corporis membra uiuificat, ita totam simul Ecclesiam unus spiritussanctus uegetat & illustrat. Sicut nanque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de spiritusancto C conceptus est: sic sancta Ecclesia quæ corpus eius est, eodē spiritusancto repletur ut uiuat, eius uirtute firmatur, ut in unius fidei & charitatis compage subsistat. Vnde dicit Apostolus: Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones submi nistratum & constructum crescit in augmentum dei. Istud est corpus extra quod non uiuificat spiritus. Vnde dicit beatus Augustinus: Si uis uiuere de spiritu Christi, esto in corpore Christi. De hoc spiritu non uiuit hæreticus, nō uiuit schismaticus, non uiuit excommunicatus: non enim sunt de corpore. Ecclesia autem spiritum uiuificātem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter ad1.Cor.6 hæret. Scriptum est enim: Qui adhæret domino, unus spiritus est cum eo. Pro membris itaq; orat D caput in hoc Psalmo, ut corporis sui orationē deus pater exaudiat, & ut eius clamor ad diuinæ maiestatis aures ascendat. Quotidie enim orat Christus pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus Pau Col.3 lus: Quia sedēs ad dextram patris, interpellat pro nobis. Denique & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Potest autem hæc oratio unicuiq; conuenire fideli, qui à deo postulat in bono perseuerantiam, & tam sancti desiderij quàm etiam irreClamor est & bonus & malus missæ operationis emittit clamorem. Clamor autem aliquando in bona, aliquando in mala significatione accipitur. Clamat enim iustus cùm operatur iustitiā ex desiderio. Clamat & impius cùm peccatū adiūgit peccato. Clamabat Moyses cùm populū de Ægyptiaca seruitute liberatū, ad terrā promissionis per desertum deduceret. Clamabat & populus Gomorræus, cùm ex frequentissima peccati perpetratione deum ad iracundiā prouocaret. Denicq; & Moysi tacenti dictum est à domino: Quid clamas ad me? Et de illis ait dns: Cla- Exod.14 mor Sodomorum & Gomorreorum ascendit ad me. Vnde quidam nos admonet dicens: Auferat clamor de medio uestrum. Hic aūt pro irremissa operatione clamor accipit, cùm dicit: Clamor meus ad te ueniat.] Notandum uerò est q̄ cùm præmisisset, exaudi orationē meā, statim adiecit:

Et clamor meus ad te ueniat.] Illi em̄ à dño exaudiri merētur, qui diuini zelo amoris accēsi, omnia quæ possunt bona operanī. Nam qui peruersis actionibus assuetus, operibus iniquitatis inuigilat, nequaquam dignus est exauditione cùm orat. Hinc nanq; per semetipsam ueritas ait: Nō o- Mat.7 mnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnū cœlorū. Si uolumus igitur ut ad aures dei nostra perueniat oratio, studeamus necesse est ut ab omni admixtione prauitatis nostra mūdetur operatio, ut possimus deo cum propheta dicere:

Clamor meus ad te ueniat.]

Non auertas faciē tuam à me, in quacūq; die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

Dominus in suos iratus quid facit

Ad similitudinem dominorum dictum est, qui cùm pro alicuius suorū culpa grauiter offenduntur, solent eum à conspectu suo expellere, & à familiarium assistētium collegio separare, à supplicante faciem auertere, roganti ueniam denegare. Deus uerò licet cùm superbiendo ab eo auertimur, à nobis per iustitiam auertatur, tamen cùm humiliati ad eum conuertimur, ad nos per misericordiam cōuerti nō dedignatur. Ipse est enim qui dicit: Cōuertimini ad me, & ego cōuertar ad uos. Eze.18 Et iterum: Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis quæ operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, uita uiuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, nō recordabor, & in iustitia sua quam operatus est, uiuet. Ecce patet nobis sinus misericordiæ dei. Quare misericordiam dei à nobis excludimus? quare uocationem eius audire dissimulamus? Nō enim solum à conuersis non auertit, sed etiam auersos ut conuertantur hortatur. Hinc est enim quod per prophetam dicit: Si dimiserit uir uxorem suam, & illa recedens duxerit uirum alium, Hier.3 nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis multis, tamen reuertere ad me, dicit dominus. Mulieris derelictæ & fornicantis similitudinem adducit, ut eius cognoscamus pietatem, & sciamus eò nos illum grauius offendere, quo non cessat nos etiam post delictum uocare. Hæc aūt uocationis dei clementia à patre exprimit, cùm homini auerso per alium prophetam dicitur: Et erunt oculi tui uidentes præceptorem tuum, & aures tuæ audient Esa.30 uocem post tergum monentis. Ille enim coràm positus uerba dei percipit, qui antequam peccatum perficiat, uolūtatis eius præcepta cognoscit.

Misericordia dei est benignissima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quasi enim adhuc ante faciem eius stare est, nec A
iecto timore dei iniquitatē operari cœperit, quasi
tergum in faciem eius mittit. Sed & post tergum
subsequens deus abscedentem admonet, quia eti
am nequitia perpetrata ad se eum reuerti persua-
det. Audiamus ergo uocem post tergum monen
tis, & ad inuitantem nos deum, saltem post pec-
tis, & ad inuitantem nos deum, saltem post pec-
tatem erubescamus. In quacunq; die tribulor
inclina, &c.] Ecce iam caput nostrū sedet à dexte
ris dei, & tamen se dicit tribulari. Vbi ergo tribu-
latur, nisi in corpore? Nam quòd in corpore tribu
letur, manifestè ostendit cùm Saulo persecutori B
Act.9 dixit: Saule Saule quid me persequeris? Et Petro
ait: Venio Romam iterum crucifigi. Qui enim in
seipso iam pridem crucifixus fuerat, in Petro ite-
rum se crucifigendum dicebat: Quanuis sit in ele-
ctorum cordibus etiam alia tribulatio quam in
eis generat continua pœnitentiæ amaritudo. Qui
enim mala quæ commisit, ante mētis oculos con
gerens, pro singulis quibuscunq; compungitur,
in arcano cordis magna & amara doloris & me-
Consuetu / do bona ui ri electi tus anxietate contribulatur. Solent nanque ele-
cti uiri ad ea quorum sibi sunt conscij peccata, mē
tis intuitum reducere, & modis eorum cauta sin-
gulatim consideratione perspectis, singula quæ-
que deflere, ut hoc modo cordis sui præparent ha
bitaculum, dum per unumquodque erroris sui de C
plorant excessum. Hinc nanque Hieremias ait:
Thren.1 Diuisiones aquarum deduxit oculus meus. Diui-
sas quippe aquas ex oculis deducere, est dispersi-
tas lachrymas unicuiq; peccato tribuere, & ini-
quitatis gaudia satisfactionis doloribus compen
sare, quatinus dum nunc huius, nunc illius delicti
memoria mens acrius tangitur, simul de omnibus
singulis cōmota purgetur. Quod uerò ait, Inclina
ad me aurē tuā.] Tale est, quasi dicat: Æger sum
non possum me erigere ad te, quia non est homi-
nis dirigere uiam suam. Sed tu more fidelis medi-
ci, inclina ad me aurem tuam. Inclina aurem, quia
ego non erigo ceruicem. Scio enim quia si me e-
rexero, longius discedis: si humiliauero, propius
accedis. Sicut enim humiliato appropinquas, ita D
te ab elato elongas. Ideo ergo tribulor, ut ad me
inclines aurem tuam.

In quacunque die inuocauero te, uelociter exaudi me.

Non iam terrenus terrena desidero, sed à prima captiuitate liberatus, cœlestia concupisco. Ex audi ergo me orantem nō pro diuitijs seculi, non pro gloria temporali, non pro fecunditate pigno rum, non pro morte inimicorum. Velociter autē exaudi, ut in me adimpleas quod dixisti: Adhuc loquente te dicam ecce assum. Multi uocant deum, sed non inuocant, quia labijs tantummodo, non cordis affectu orare procurant. Qui uerò deum toto corde desiderat, confidenter clamat: In quacūq; die inuocauero te uelociter exaudi me.]

In die inuocat, qui in mentis puritate deum ex
orat. Cuius iustitia cùm uias suas domino reuela-
uerit, sicut lumen educitur, & iudicium, sicut ait
propheta, tanquam meridies illustratur. Vnde &
scriptum est: Sentite de domino in bonitate, & in Sapi.1
simplicitate cordis quærite illum. Cordis enim
simplicitas dies est, quam fraus non obnubilat, nō
obtenebrat mendacium, non obscurat inuidia,
non obfuscat dolus, quam lux ueritatis illuminat,
præsentiæ diuinæ claritas illustrat. Scriptum est
enim: Cum simplicibus sermocinatio eius. Deo
autem sermocinari, est per suæ præsentiæ illumi-
nationem humanis mentibus uoluntatis suæ arca
na reuelare. Cum simplicibus igitur deus sermoci Prou.3
nari dicit, quia illorū mētes de arcanis cœlestibus
suæ inspirationis claritate illuminat, quos nulla ca
ligo duplicitatis obūbrat. Quo contra de nō sim-
plicibus dicitur: Virum sanguinū & dolosum ab- Psal.5
ominabitur dns. Et Salomon ait: Spiritus sanctus Sapi.1
disciplinæ effugiet fictū, & auferet se à cogitationi
busq; sunt sine intellectu. Cōstat ergo quia istos
inhabitādo illuminat, illos recedēdo excæcat.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Spectat hoc ad id quod dixit, uelociter exaudi
me. Quasi diceret: Opus est ut uelociter me exau
dias, quia dies mei defecerunt, uidelicet ad defe-
ctum uelut fumus deuenerunt. Per dies suos hic
uult intelligi omne tempus quo mādata dei post
posuit, & funestis peritturarum rerum accensus de
sideriis, sibi non deo militans carnaliter uixit. Ha
bet em̄ in hac uita diē suā anima peruersa, quę trā-
sitorio gaudet in tempore, & lætifera carnalis de-
lectationis perfruitur iocunditate. Hinc est quòd
saluator noster præuaricatrici Hierusalem, destru
ctionis suæ iustum excidium comminans ait: Et
quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Diem
etenim suam ille tunc populus habebat, quia in re
rum labentium opulentia confidens, quiete & suc
cessu gaudebat. Quorum nimirum oculos pro-
speritas clauserat, ut nec uisitationis suæ tempus
cognoscerent, nec imminentium malorum con-
tritionem uiderent. Sicut enim cordis oculos fla-
gella aperiunt: sic mentis aciem aliquotiens suc-
cessus prosperi retundunt, adeo ut seipsam mens
cognoscere non ualeat, quam prosperitatis mun-
danæ oblectatio captiuat. Hinc nanq; Salomon
ait: Auersio populorum interficiet eos, & prospe Prou.1
ritas stultorum perdet eos. Israeliticum ergo po-
pulum prosperitas perdidit, cuius in die sua ocu-
los ne futuri excidij uastitatem cognoscerēt, clau
sit. Hæc est dies de qua Hieremias ait: Diem ho- Hiere.
minis non desideraui. Dicat & fidelis anima: De-
fecerunt sicut fumus dies mei:] Fumus, sicut est
omnibus notum, in altum quidem se in primis eri
git, sed citò deficiens, quasi non fuerit euanescit.
Sic nimirum si humana superbia cum rerum opu
lentia intumescens, se in altum extulerit, à statu
suæ celsitudinis corruens, ad ima ruit. Hinc nanq;
per semetipsam ueritas ait: Omnis qui se exaltat
humilia-

humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Hinc
Psal.36 per prophetam scriptum est: Vidi impium superexaltatū & eleuatū sicut cedros libani. Et trāsiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Qua in re pensandū est, peruersorū potentia qualiter destruitur, quorum nec locus quidem post modicum inuenitur. Sequitur: Et ossa mea sicut cremium aruerunt.] Per ossa, rationem & intelligentiā possumus accipere, quæ quasi sicca remanent, dum factorum & uirtutum pinguedinem non habent. De qua profecto pinguedine
Psal.62 dicit propheta: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Vel per ossa, fortiores qui sunt in Ecclesia accipimus, quia sicut per ossa corpus nostrum uegetatur, ita per illos corpus Christi, quod est Ecclesia, regitur & sustentatur. Habet enim & corpus Christi carnem suam, infirmos scilicet, uirtutum carentes fortitudine, qui perfectorum indigent sustentatione. De hac carne in persona Chri-
Iob 19 sti recte per Iob dicitur: Pelli meæ, cōsumptis carnibus, adhęsit os meum. Quod nimirum in passione Christi impletum est, quādo discipulis fugientibus mulieres steterunt, & usq; ad crucem secutæ sunt. Scimus enim, quia in corpore hominis pellis exterius eminet, caro uero ossibus introrsus adhęret. Pelli ergo consumptis carnibus os Christi adhæret, quia fugientibus & dubitantibus Apostolis, qui ei familiarius astiterant, mulieres quæ quasi remotiores esse uidebātur, nec à cruce suspensi, nec à sepulti monumento discedebant. Quia uero sancti uiri imperfectis delinquentibus cōdolent, & eorum infirmitati compatiuntur, recte nunc dicitur: Ossa mea sicut cremiū aruerunt.] Quod euidenter ostēdemus, si unum exemplum ad mediū deducamus. Videamus unū de ossibus Christi quomodo cum infirmantibus infirmetur, cum dolentibus doleat, cum arescentibus arescat. Ait
2.Cor.11 enim: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Vides quomodo omnium in se infirmitates transtulerat, omnium casus uelut proprios deflebat. Ideoq; ait: Vt lugeā omnes qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Deniq; & omnibus omnia factus est, ut om-
1.Cor.9 nes lucrifaceret. Ossa ergo sicut cremium consumpto adipe arent, cùm perfecti quiq; carnalium infirmitatibus cōdolent, & se quasi spiritali pingue dine æstimant uacuos, dum illos aspiciunt uirtutum auxilijs destitutos. Cuius infelicitatis causam manifeste aperit, cùm subiungit:

Percussus sum ut fœnū, & aruit cor meū, quia oblitus sum comedere panem meum.

Esa.40 Scriptum est in Esaia: Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi flos agri. Et rursum: Vere fœnum est populus. Homo nanq; fœno comparabilis est, quia per natiuitatem uiret in carne, per iuuentutem candescit in flore, per mortē aret in pul
Iob 13 uere. Ipse est enim, Iob attestante, qui quasi flos egreditur & cōteritur. Hæc autem mors & contritio, quæ ad omnes homines ex iustæ damnationis sententia peruenit, ex primi hominis peccato descendit. Vnde & Apostolus ait: Per primum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors, & Rom.5
ita in omnes homines mors pertransiit. Homo ergo qui si in creatoris obedientia perstitisset posset in æternum uiuere, propter inobedientiæ culpam percussus est mortalitate. De qua nimirū percussione in hoc loco dicitur: Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum.] Quia ergo primus homo peccando mortem incidit, propagata generis humani successio à rationis intimæ uiriditate consequēter exaruit. Quare autem cor humanum ab illo aruit uirore in quo conditū fuit, subdendo manifestat. Ait enim: Quia oblitus sum comedere panem meum.] Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quandiu inconcusso mentis uestigio conditoris sui præcepta seruauit. Panis autē eius fuit uisionis diuinæ delectatio, uerbi dei satietas, internæ quietis gaudiū, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, angelorū societas, amor dei, iubilū spiritus, cōtemplationis suauitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia creatoris. Quē panē tūc profecto perdidit, cùm serpentis suggestioni consensit. Tangens enim uetitū, oblitus est præceptū. Vnde factum est ut qui tenebat arcem beatitudinū, in lacū incideret miseriarū. Et qui intimæ reficiebatur suauitate dulcedinis, panem postmodū manducaret doloris. Quicunq; ergo illius portat imaginem, factus est de terra terrenus, panē suū comedere obliuiscitur, quia terrenæ uoluptatis captus illecebris, in uerbo dei nō delectatur. Panis etenim noster, uerbū dei est. Hinc nanq; per semetipsam ueritas ait:
Lucæ 4 Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei. Sequaē ergo obliuionē cōmemoratio, & esuriē refectio comitetur, ut panem illum qui de cœlo descēdit manducantes, & pœnā euadamus mortis perpetuæ, & uitæ participemus æternæ, sicut dominus ait in Euangelio. Si
Ioan.6 quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternū.

A uoce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Aresente corde propter panis et uini inopiam & obliuionem, uox gemitus emittitur, quia ubi à desiderio uitæ æternæ defecerit intentio, consequenter de corde procedit malarū cogitationū uociferatio. In qua nimirum os adhęret carni, si ratio subigitur delectationi. Quæ nimirum uox gemitus dicitur, quia per eam ad tristitiam peruenitur. Aut enim in hac uita generat dolorē pœnitentię, aut in futuro cruciatū parit uindictæ. Possumus quoq; per uocem gemitus uocem serpentis accipere, qua primis hominibus ut de interdicto gustarēt persuasit, eosq; deos futuros fraudis suę dolositate promisit. Illa est em uox gemitus per quā omnes peccauimus, per quam mortales & passibiles facti sumus. Vox per quam à cœlestibus gaudijs cecidimus, & in ualle lachrymarū exulamus. Per hanc uocē os carni adhæsit, quia Adā Euæ cō sensit. Habet in se unusquisq; Adā & Euam. Sicut enim in illa prima hominis transgressione suggessit

sit serpens, delectata est Eua, consensit Adam: sic & quotidie fieri uidemus, dum suggerit diabolus delectat caro, cōsentit spiritus. Nos quippe cùm tentamur, plerunq; in delectationem, aut etiam in consensum labimur. Sicut autem peccatum illud subsecuta est mors, sic & peccato consentiens moritur anima, quia à uita sua, quę deus est, separatur. Mortui enim sumus, quando implemur ossibus mortuorum. Mortuus est sermo malus, qui ex ore
Psal.5 nostro procedit. Scriptum nanq; est: Sepulchrum patens est guttur eorum. Habemus autem portas per quas mortui efferimur, corporis uidelicet sen
Psal.9 sus, de quibus ait ꝓpheta: Qui exaltas me de portis mortis. Hæ sunt enim portæ per quas mors ingreditur, et per quas mortuus effertur. Nam q̄ per illas mors ingrediatur, testatur alius propheta, qui
Hiere.9 ait: Intrauit mors per fenestras nostras. Qui enim uidit mulierem ad cōcupiscendum eam, mortem
Matt.5 per oculorum fenestras admisit. Qui uero seminat inter fratres discordias, & iniquitatem in excelso
Lucæ7 loquitur per oris portam mortuus effertur. Et qui dem mihi hoc significare uidetur iuuenis extra ciuitatis portam delatus, quem suscitauit Iesus. Signat enim hominem delectatione mortuum, et per praui operis iudicia iam extra portas perlatū. Obsecro domine Iesu ut cunctas meæ ciuitatis portas iustitiæ facias, ut ingressus in eas, confitear nomini tuo, tuæq; maiestati, cum iustis per eas intrantibus, ut mors ibi aditus ingressum non habeat, passio non dominetur, sed occupet salus muros eius, & portas illius laudatio.

Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Pellicanus auis est amans solitudinem, in qua uenenatis animalibus uescit̄, & ideo per eam peccator designatur, qui in deserto huius mundi corde habitans, ærumnosis istius uitæ captus illecebris, ueneno delectatur diabolicæ persuasionis. Nycticorax, qui alio nomine bubo dicitur, in dirutarum domuum ædibus moratur. Solet autē nocte cantum cantare, per quod notantur hi qui in tenebroso tripudiant opere, & in mentiū suarum exultant destructione. Sed quia sagena Ecclesiæ missa in mari præsentis seculi, non solum malos pisces colligit, sed etiā bonos trahit, recte nūc dicit̄:

Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Vigilat qui ad aspectum ueri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui seruat operando
Apoc.16 quod credit sicut scriptum est: Beatus qui uigilat & custodit uestimenta sua. Vestimentum tuum, fides tua est: uestimentum tuum, operatio tua est. Custodi ergo ne diripiāt alieni laborem tuum: ne denuderis, & appareat ignominia tua. Esto sicut passer solitarius in tecto. Per passerem quæ cauta & querula auis est & in domibus nidificat, recte homo intelligitur, qui in excelsis habitans, & solitudinem incolens, pro peccatis suis clamare non cessat. Prudentis enim & circūspecti uiri est, in alto nidum ponere, & pro peccatis plorare, et solitudinem inhabitare, quatinus in opere terrena non appetat, & in lamentis ueniam acquirat, & in habitatione inanium strepitus cogitationū effugiat, ut possit dicere cum propheta: Elongaui fugiens, Psal.54 & mansi in solitudine. Vel etiam caput nostrum, pellicanus fuit solitudinis, quando natus est in Iudæa, quæ erat sola ciuitas plena populo, prophe- Thren.1 tis uidelicet & iustis orbata, & spiritussancti uirtute destituta. Nycticorax extitit, quando his qui in tenebris erant, regnum dei euangelizauit. De illo nanq; scriptū est, lux in tenebris lucet, & tenebræ Ioan.1 eam non comprehēderūt: Si enim cognouissent, 1.Cor.2 nunq; dominū gloriæ crucifixissent. Per domicilium Iudæos intelligimus, qui ex parte diruti erāt, & ex parte stare uidebantur, pro eo quòd circumcisionem tenentes, legem & prophetas habebāt, sed in eum quem prophetæ in carne uenturū prædixerant, nequaq̄ credebant. Stabant quidem in eis parietes carnalis obseruātiæ, sed corruerat tectum fidei & disciplinæ. Occiderunt ergo uitam mortui, & lucem tenebræ extinxerunt. Sed quid ultra fecerit audiamus. Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.] Vigilauit, quia à mortuis resurrexit. Qui enim dormiuit in morte, uigilauit in resurrectione. Hinc nanq; ait: Ego dor Psal.3 miui & somnum cepi, & resurrexi. Hinc Iacob in Gen.49 benedictione ait: Catulus leonis Iuda, ad prędam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Quis est iste catulus leonis, nisi ille de quo in Apocalypsi ad Ioannē dicitur: Vicit leo de tribu Iuda? Qui ad præ- Apoc.5 dam ascendit, quia fortem armatum fortior superueniens expugnauit. Arma eius abstulit, quia iure illo quod in hominibus habere uidebatur, eum priuauit. Ille enim dum ambijt illicita, perdidit ac quisita. Spolia quoq; eius distribuit, quia uasa iræ fecit uasa misericordiæ. Hinc ergo leo requiescēs accubuit, quia mortem sponte subiuit. Sed nullus eum suscitauit, quia per diuinitatis suæ potentiam ipse à mortuis resurrexit. Et quia post resurrectionem suam in cœlum ascendit, recte cùm premisisset uigilaui, subiecit: Et factus sum sicut passer solitarius in tecto.] Quia solus inter mortuos liber, cū patre regnat in cœlo. Vnde & ait: Nemo ascen Ioan.3 dit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo. Ferūt philosophi quòd pelicanus filios suos statim ut nati sunt, interficit: postea uero per triduum multo dolore se afficit, eisq; quodammodo naturæ affectum ostendit. Postea uero mater seipsam uulnerat, eosq; sanguine suo resuscitat. Quis uero pater noster & mater, nisi mediator dei & hominum homo Christus Iesus? qui occîdit in nobis omnem iniquitatem, ut meliorem inueniamus resurrectionem, sicut ipse ait: Ego occîdam, & ego uiuere faciam. Et de eo Deut.32 per prophetam scriptum est: Viuificabit nos post Oseę 6 duos dies, in die tertia suscitabit nos. Clamat adhuc in solitudine caput nostrum uel membrum eius, cùm eos uocat qui nondum agnouerunt ueritatem. Clamat in domicilio, dum eos ad pœnitentiam qui ceciderunt inuitat. Clamat in tecto

tecto, cùm admonet ut foras mittamus timorem.
Matt.10 Vnde in Euangelio discipulis ait: Quæ in aure auditis, prædicate super tecta.

Tota die exprobrabāt mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduersum me iurabāt.

Quid iniquius? Venerat filius hominis quære-
Iudæorum malitia re & saluū facere quod perierat. Venerat inquam ut auferret gemitum dolentium, ut reconciliaret nos deo, sed ludæi quos iniquitatis suæ caligo cæcauerat, pro bonis mala retribuentes, illum quasi hostem oderant, eiq; maledictionis conuitia ex-
Lucæ 7 probrantes inferebant cùm dicerent: Dæmonium habes, & cætera insaniæ deliramenta, quæ Euangeliorum liber continet. Qui & si ei aliquando extrinsecus blandirentur, intrinsecus sæuiebāt, sicut
B hi qui eum capere in sermone uolentes dicebant:
Matt.22 Magister scimus quia uerax es, & uiam dei in ueritate doces, & nō est tibi cura de aliquo. Magistrū eum uocabant, qui uenerant non discendi intentione, sed nocēdi cupiditate. Nam quòd ita se res habeat, ueritas manifestat, cùm tentatores eos & hypocritas uocat. Quasi ergo aduersum eum iura uerant, qui ex consilio contra eum mendacia confingebant. Toto etiam uitæ huius tempore, ueritatis inimici Ecclesiæ dei exprobrāt, cùm eam hæretica prauitate aut morum dissimilitudine impugnant. Plerique autem in causa dei subdolè & fallaciter intēdentes, & esse se in corpore Christi simulant, & pacem Ecclesiæ dei occulta machinatione perturbant. De quibus profecto hic dicitur: Qui
C laudabant me, aduersum me iurabāt.] Hi sunt qui
Matt.7 ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Qui in uerbis quidem socialem uidentur habere mansuetudinem, in corde uero hostilem gestant furorem. Talis erat ille Simon magus ab Apostolis baptizatus, sed postea ab Apostolorum principe propter nephandæ uenalitatis ambitionē reprobatus. Vnde & dictum
Act.8 est ei: Non est tibi pars in sermone isto. Dum enim spiritus sancti gratiam precio comparare uoluit, à doctrina Christi miser se alienauit. Ipse nanq; præ-
Matt.10 ceperat dicēs: Gratis accepistis, gratis date. Hæc est inquam hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimenta tentauit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cuius erroris uesania licet extunc damna-
D ta fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulauit. Nostris uero maxime temporibus malitiæ suæ uirus exercuit, & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aduersus Ecclesiam dei non solum innumerabilem populi multitudinē, uerum etiā regiam, si phas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit ut inter reges habeatur, qui destruit potius, q̄ regat imperium, & quotcunq; habere potest peruersitatis suæ socios, eos à consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere, & passionis dominicæ sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippe quam sui sanguinis precio redemptam saluator noster uoluit esse liberam, hanc iste potestatis regiæ iura transcendens facere conatur ancillā. Quanto melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eiq; religiosorum principum exemplo deuotionis obsequium exhibere, nec contra deum fastum extendere dominationis, à quo suæ dominiū accepit potestatis? Ipse est enim qui ait: Per me reges regnāt. Prou.7
Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino, ut patet, ingratus beneficio, & contra deum fastuosus, terminos quos posuerunt patres nostri, contempto diuino timore transgreditur, & cōtra catholicam ueritatem suæ furore tyrannidis efferatur. Intantum autem suæ temeritatem extendit uesaniæ, ut caput omnium Ecclesiarū Romanam Ecclesiam sibi uendicet, & in domina gentiū terrenæ ius potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apostolo specialiter cōmisit dicens: Tibi dabo Ecclesiā meam. Matt.16
Obstruatur ergo os loquentium iniqua, & omnis hæreticorum acies obmutescat, quia nullas uires habet mendacium, quod ipsius uoce ueritatis inuenitur destructum. Sequitur:

Quia cinerem tanquā panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.

Ex hoc maxime Scribæ & Pharisæi redemptorem nostrū criminabant, quia publicanos & peccatores non solum non respuebat, sed etiam cum illis in cibo & potu cōmunicabat. Vnde quidā eorum indignè ferentes dicebant: Quare cum publi Matt.9
canis & peccatoribus manducat & bibit magister uester? Sed ille qui non iustos sed peccatores uocare uenerat, quid dicebat? Nō est opus sanis medicus, sed male habentibus. O immensam dei clementiam. O inæstimabilem gratię charitatē! Illos uolebat curare, qui salutem nolebant habere, qui aduersus salutem suam armati & phreneticorum more medicum incusantes, uolebāt potius ex infirmitate mortē incurrere, q̄ uitā ex salute inuenire. Sed cineres redemptor noster manducabat, quādo in corpus suū eos trahebat. Cineres nāq; erāt, quia dum principē tenebrarū magis q̄ autorem sequerentur luminis, in eorū cordibus quasi extinctus fuerat diuini prorsus ignis amoris. Cineres inquā erant, uidelicet nullo apti usui, & sine charitatis glutino omnino dissoluti. Quis non hasmiretur misericordiæ dei diuitias? Quis iam de remissione peccatorū desperet? Quis non credet se si cōuertat, ueniā cōsequi, cùm audiat etiā incredulos tāta benignitate admitti? Vnde ait Apostolus:
Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Rom.8
deo per mortē filij eius, multo magis reconciliati salui erimus ab ira per ipsum. Quia ergo redēptor noster in mundū ueniens, uasa iræ fecit uasa misericordiæ, & omnibus ad se ueniētibus pietatis suę signū aperuit, recte nūc dicit: Quia cinerē tanq̄ panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.] Quæ autē esuries eius uel sitis fuerit, ipse euidēter ostēdit, cùm ait: Meus cibus est ut fa Ioan.4
ciā uoluntatē patris mei qui misit me. Et iterū: Me Ioan.5
oportet operari opa patris mei q̄ me misit, donec

dies

Universidad de Deusto
Biblioteca

dies est. Venit nox, quando nemo operari potest. A
Quæ sunt hæc patris opera, quæ in die dicit & nõ
nocte operanda, nisi salutifera agri intellectualis
cultura? Ipse est enim homo qui seminauit bonũ
semen in agro suo, ad cuius culturam postea ope-
Mat.9 rarios destinabat, cùm diceret: Messis quidẽ mul-
ta, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum
messis, ut mittat operarios in messem suam. Quis
sit ergo iste ager, ipse ostendit, cùm agrum mun-
dum, & semẽ dixit esse uerbũ dei. Seminauit ergo
ut meteret, messuit ut manducaret. Huius agri fru
ctum quotidie colligit, & quasi eo pascitur, cùm
electorum profectibus delectatur. Vnde sponsus
Cant.5 in Canticis canticorũ dicit: Comedi fauum cum
melle meo. Habet iste homo & uineam sanctam
uidelicet Ecclesiam, ad quam excolendam primo B
mane operarios misit, & postea singulis quibusq;
temporibus mittere non cessauit. Patet ergo quia
sicut agrũ excoluit ut comedat, ita uineam planta
uit ut bibat. Bona uinea, quæ uuarum decorata co
loribus, & dilectionibus ac perseuerantiæ palmi-
tibus propagata, regi omnium suauem in fructi-
bus suis hausturn præbet. Bona inquã uinea, quæ
Cant.8 potest dicere: Vinea fui pacifico, in ea quæ habet
populos. Quæ est illa quæ habet populos, nisi san
cta Ecclesia per totũ orbẽ diffusa? Illa nanq; habet
populos, quia ex omni parte terrarũ recte creden
tes continet. In hac ergo solũmodo electus quisq;
uinea efficitur, quia nullum aliquando fructũ fer-
re poterit, qui ab unitate Ecclesiæ discedit. Eo emꝫ
deo poculũ subtrahit, quo hęreticorũ ineptæ gar- C
rulitati consentit. Quid enim sitit deus nisi fidẽ no
Ioan.4 stram? Vnde & à muliere Samaritana quęsiuit bi-
bere, de cuius eum non legimus aqua bibisse: sed
spiritalem potũ ei mulier obtulit, cùm mũdi eum
saluatorẽ agnouit. In cruce quoq; positus sitiebat
& pœnitentiã peccantiũ, & fidẽ exoptabat perfi-
dorum. Sed uinea domini sabbaoth in patribus à
deo plantata, & doctrinæ aratro & uerbi ligoni-
bus per manus prophetarũ exculta, nouissime in
amaritudinẽ uersa, dũ ei uinũ lætitiæ ferre debuit,
feralis inuidiæ acetũ porrexit. Plerunq; etenim bo
num uinũ corrumpitur, & in acetũ mutatur. Quia
ergo ille populus & in patribus sanctus, & in filijs
nequam extitit: quasi primò uinum, postmodũ ue
ro acetũ fuit. Fuerunt tamen aliqui etiã inter illos D
qui hunc omniũ saluatorẽ crediderunt, fuerunt &
qui de peccatorũ profundo ad misericordiarũ se
patrẽ leuauerunt. Quis enim pluribus aut maiori-
bus criminibus unquã obligatus extitit ꝙ mulier
Mar.16 illa peccatrix de qua septẽ, ut ait Euangelista, dæ-
Lucæ 19 monia eiecit? Nam & Zaccheus publicanis & ra-
ptoribus publicanus ipse & raptor præfuit, & ta-
men ad ipsius hospitiũ dei filius diuertit. Sed & Si
mon indignè tulit de admissione mulieris, & tur-
ba murmurauit de hospitio peccatoris. Poculum
nanq; suũ cum fletu miscuerat, & ideo sibi inimi-
corũ proteruitas exprobrabat. Quod quotidie in
Ecclesia fieri cernimus cùm peccatores pro pecca
tis suis plangẽtes, Christũ indui, & ad ipsius intra-
re unitatẽ uidemus. Vel certe poculũ deo cum fle
tu misere, est alios ab exterioribus introrsus tra-
here, alios ab interioribus exterius iactare. Sci-
mus enim, quia potus ab exterioribus interius tra
hitur, fletus ab interiori exterius diriuatur. Quia
ergo conditor noster occulta nostra examinat, &
non solum opera, uerumetiã intẽtiones radicitus
pensat, occulto eius iudicio fit ut quosdam qui in
oculis hominũ iusti esse uidentur reprobet, quos-
dam criminibus reos per pœnitentiam correctos
saluet. Et cùm iuxta Apostoli sentẽtiã, neq; uolen Rom.9
tis neq; currẽtis sed miserẽtis sit dei, alios qui cor-
ruerant, misericorditer erigit, alios qui stare uide-
bantꝫ, cadere iustè permittit. Ex peccato nanq; pri
mi parentis accepimus, ut nec in ipsa iustitia stabi
les esse possimus, sed aut cõtra deũ nobis bonum
quod facimus imputando erigimur, aut cõtra pro
ximos in superbiam leuamur, unde & subditur:

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans allisisti me.

Quia enim iustæ damnationis sententiam pri-
mus homo peccando pertulit, quam postmodum
nepotũ successio cõsequenter incurrit, ideo Chri
stus Iesus uenit in mundum peccatores saluos fa-
cere, & ab ea qua tenebantur damnatione libera-
re. Ecclesia uero quę corpus eius est, cui claues re-
gni cœlorum tribuit, & ligandi atq; soluendi pote
statem dedit, ideo peccatores quotidie suscipit,
quia illam irę dei sententiam agnoscit. Quia enim
per faciem personam agnoscimus hominis, recte
per faciem iræ, damnationis intelligimus cogni-
tionem. Nam quòd iram indignationis agnoscat,
manifeste ostendit cùm subiũgit: Quia eleuans Homini
allisisti me.] Creatis cæteris animalibus, homo digestus
præ cunctis eleuatus fuit, quia & libertate extitit supercte-
arbitrij præditus, & ratiõis lumine illustratus. Cui ra animã
etiam datum est ut non sicut cætera animantia ter malia.
ram semper aspiceret, sed ut ipso situ corporis cœ
los erectus uideret: ut ex hoc quoq; apertè cogno
sceret, quia & intentionem ad summa dirigere, &
mentem deberet ad deum leuare. Nam & terror
eius & tremor omnibus animantibus incubuit,
quia diuina uoce eis prælatus fuit. Mortem quoq;
nequaquam incurreret, si diuinis præceptis obe-
diens nunquam peccaret. Sed conditoris sui man
data transgrediens, tanto grauius corruit, quanto
anteq; caderet, altius stetit. Cadens igitur allisus
est, quia peccare non metuens, & pro salute infir-
mitates pertulit, & pro uita mortem suscepit.

Dies mei sicut umbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui.

Grauis allisio, per quam lux in tenebras uerti-
tur, & in ariditatem uiror mutatur. Diem nanq; si-
cut umbram primus homo habuit, quando se à fa
cie conditoris abscõdit. Nam inter opaca nemorũ
latere uoluit, ut ex hoc quoq; patenter ostenderet
quas cęcitatis umbras interius pertulisset. Si enim
in umbra non esset, deum esse localem non crede
ret, nec ab eius oculis putaret se abscõdi, à quo sci
ret etiam cordis occulta uideri. Quæsiuit ergo um
brã corporis, qui prius incurrit umbrã mẽtis. Dies
nanq;

nanq; eius inclinata fuerat, & ideo illi lumen sapiētiæ interius non fulgebat. Sol etenim dum inclinat, maiores umbras efficit, & caloris sui magnitudinem paulatim subtrahit. Vnde post meridiem Adam à deo uocatus esse describitur, ut ab exterioribus agnoscamus quid interius gereret. In meridie enim lux est purior, aer lympidior, æstus feruentior. Quasi ergo meridies in Adam pectore inerat, dum lumine diuinæ cōtemplationis illustratus, amoris summi facibus ardebat. Sed hunc miser meridiem perdidit cùm peccauit. Ibi enim amoris refriguit incendium, caligauit claritas, defecit uisio. Veniens autem in mundum lux uera dei filius, hanc nobis claritatē reddidit, cùm cordis nostri tenebras præsentiæ suæ illuminatione fugauit. Vnde scriptum est: Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucē magnam. Magna lux remissio peccatorum, donum gratiæ, intelligētiæ claritas, contemplationis gaudium, collatio uirtutum. Dedit enim nobis, ut ait Apostolus, pignus spiritus: gustauimus bonum dei uerbū, uirtutesq; seculi superuenturi. Hi sunt dies gratiæ quos nobis contulit excellentia bonitatis dei. In quibus si noctem nequitię contemnimus, ad cœlestis regni hæreditatem inoffenso itinere ambulamus. Hinc etenim saluator ait: Si quis ambulauerit in die, nō offendit, quia lucē huius mundi uidet. Sed hi dies in nobis sicut umbra declinant, cùm peccatorum nostrorū nebulas propiciationi diuinæ opponentes, & mentis patimur caliginem, & diuinæ extinguimus charitatis ardorem. Scimus autē quia sole ad occasum uergente, umbræ crescunt donec nox ueniat, & lumen omnino diei deficiat. Sic nimirū cùm in reproborū cordibus sol iustitię occidere cœperit, cæcitatis umbra uehementer excrescit, adeo ut diuino non illuminentur lumine, sed mortifera noctis inuoluantur obscuritate. Sequitur: Et ego sicut fœnū arui.] Nemo est qui nescit quòd quantumlibet tenera aut delectabilis herba sit, si apposita falce succiditur, ex coloris uenustate cōfestim exuitur, & à radicis humore siccatur. Sic profecto quicunq; per opera prauitatis à deo recessit, necessariò à uirtutis intimæ humore arescit. Hinc etenim saluator discipulis ait: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in uite, sic & uos nisi in me manseritis. Nam etsi florere in hac uita peccatores plerūq; uideantur, ariditatē tamen suam in fine recognoscunt, dum simul amittunt & ridentis uitæ dulcedinem, & temporalis glorię dignitatem. In sapientiæ quippe suę uanitate confisi, dum sperant facile sibi cuncta suppetere, arbitrantur utiq; se religionis uirtute non egere. Et dum de inani sapientia se iactant, insipienter uiuere nequaq; formidant. Et quia à ueræ sapientiæ radice præcisi sunt, in stulta sua sapientia aruerunt. Qui si uoluerint in ipsa sapientiæ uitalis radice reuiuisci, summopere studeant ad fontem uitæ mentis processu properare.

Adam uocatus est post meridiem

Fœnum facile aret

Esa.9

1.Cor.5

Ioan.11

Ioan.15

Tu aūt dñe in æternū permanes, & memoriale tuū in generatione & generationē.

A Spectat hoc ad id quod ait: Ego sicut fœnum arui.] Quasi dicat: Qui diligens uanitatem, & sequens mendaciū in æternitate & stabilitate persistere nolui, temporalis & instabilis factus, mortis ariditatem incurri. Sed tu domine in æternū permanes. Hæc ergo est unica spes salutis meæ, ut tibi inhæream, ut sicut per me factus sum aridus, ita per te fiam æternus. Et in te uiuens mortem effugiam, à quo discedens perdidi uitam. Nos quoq; scientes quia primus homo factus est de terra terrenus, secūdus de cœlo cœlestis: sicut terreni imaginem portauimus, ita cœlestis imaginem portemus, & cum eo unum efficiamur, qui resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur. Ipse est enim qui factus est in spiritum uiuificantē, cuius si mēbra fuerimus, quo caput nostrum præcessit, pariter ascendemus. Cuius ascensus spem ipse nobis cōtulit, qui ait: Pater uolo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum. Quòd si ab eius separati fuerimus corpore, uelut abscissa mēbra participatione caremus uitæ, nec cum eo in cœlum ascēdimus. Cum eo ergo unū simus, quia sicut ipse ait: Nemo ascēdit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et notandum quia non dixit, uiuis, sed permanes in æternū. Homo etiam si multo tempore uiuat, non tamē uno die permanet: quia ut semper mutetur, ex conditione mortis habet. De quo quidam sapiens perhibet dicens: Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquā in eodem statu permanet. Deus uero qui solus uerè æternus, uerè immortalis est, in æternū permanet: quia in eo nihil est transitorium, nihil mutabile, nihil quod alienum sit à sempiterna eius diuinitate.

B

C

Ioan.17

Iob 13

Memoriale tuum in generatione & generationem.] Quid magis memoriale in deo quàm misericordia? De illa nanq; scriptum est: Miserationes eius, super omnia opera eius. Misericordia domini ab æterno usq; in æternū super timētes eum. Licet enim hominem mirabiliter cōdiderit, mirabilius tamē perditū per filij sui mortē redemit. Hæc memorialis dei misericordia in generatione & generatione permanet, quæ omnibus per temporū curricula uiuentibus, usq; in finem seculi patet.

Psal. 144

Tu exurgens domine misereberis Sion, quia tēpus miserēdi eius, quia uenit tēpus.

D

Si Sion ad literam accipimus, Iudęorum in hoc loco & gentium uocationem notare ualemus. Et uidebitur hoc modo quasi præcedentis uerbi expositio, ut cùm duas generationes nominat, qualiter in generatione & generatione misericordia dei sit permansura ostendat. Ait ergo: Tu exurgens misereberis Sion.] Per filiū deus pater exurrexit, quia qui antea non cognoscebatur, per eum in hominum notitiam uenit. Vnde & uerbum patris & splendor dicit, quia per eū & uoluntas dei agnoscitur, & ipsa diuinitatis essentia declaratur. Sion uero, id est Iudaici populi misertus est, quando de eorum progenie nasci uoluit, & prius eos ad fidem uocauit: Tempus miserendi] Tempus plenitu-

Sion notat Iudæos & Gentiles

plenitudinis intellige: quia iuxta Apostoli senten
Gal.4 tiam, ubi uenit plenitudo temporis, misit deus fi-
lium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut
eos qui erant sub lege, redimeret. Quòd uero ait:
Quia uenit tempus.] Tempus nimirum gratiæ
uult intelligi, de quo dominus per prophetam di-
Esa.49 cit: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis
2.Cor.6 adiuui te. Quod exponens Apostolus ait: Ecce
nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebuntur.

Per lapides Sion, Apostolos intelligere possu-
mus, qui de Iudaico nati populo, Ecclesiã demũ
ex seipsis ædificauerunt. Qui profecto lapides ser
uis dei placuerunt, cùm quales futuri essent, pro-
phetæ per spiritum uiderunt. Nisi enim prophetis
Apostoli placuissent, nequaq; de eis Esaias dice-
Esa.60 ret: Qui sunt isti qui ut nubes uolant, & quasi co-
Rom.10 lumbæ ad feneſtras suas? Et iterum: Quàm specio
si pedes euangelizantium pacem, euangelizan-
tium bona? Qui sunt pacem euangelizantes, nisi
Apostoli Christũ prædicantes? Ipse est enim pax
Ephe.2 nostra, ut ait Apostolus, qui fecit utraq; unum. Vn
de etiam ipso nato, hominibus pacẽ redditam an-
geli pastoribus nunciauerunt, quam postea Apo-
stoli omnibus gentibus publicè prædicauerunt.
Per pedes uero euangelizantium, affectus intel-
ligimus Apostolorum, qui quidem specioſi erãt,
quando non sua cõmoda, sed auditorũ utilitatem
quærebant. Specioſi inquam erant, qui terreni lu-
cri inquinamenta ex ipso operationis suæ inceſſu
non contrahebant. Tunc nanq; corporeos pedes
habere specioſos dicimur, quando nulla cœnoſæ
1.Reg.2 uiæ labe fœdamur. Quia ergo ex prædicationis
officio terrenas diuitias Apostoli non quærebãt,
recte de eis dicitur, quia pedes eorum specioſi e-
rant. Hinc nanq; Anna de deo prophetauit, dicẽs:
Pedes sanctorũ suorum seruabit. Quia ergo qua-
les futuri essent Apostoli, per spiritum sanctũ pro
phetæ uiderunt, recte nunc dicitur, quia seruis dei
lapides Sion placuerunt. Qui porrò lapides terræ
miserti sunt, quia pœnitentiam agentes à peccatis
absoluerunt. Per terram quippe peccatores accipi
mus. Vnde serpenti à domino dictum est: Terram
Gene.3 comedes omnibus diebus uitæ tuæ. Antiquus e-
nim hostis terrã comedit, quia peccatores quoscq;
in uentrem suæ malitiæ abscondit. Isq; hominum
perditionem desiderans quodammodo reficitur,
dum prauis eorum operationibus delectatur. Ter
ræ ergo Sion Apostoli miserti sunt, quãdo Iudęos
ab errore conuersos à peccatis absoluerunt. Ecce
cõstructus est unus paries domus dei, quæ est Ec-
clesia, paries inquam ex circumcisione, ueniet pa-
ries ex præputio, ut duo parietes in unum iuncti
lapidem angularem, unam construant ciuitatem.
Videamus ergo quid sequatur:

Et timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quasi dicat: Non solũ misereberis Sion, Iudęos
uocando, sed etiam gentiũ, eas ad fidem cõuerten
do. Quæ quidem non resistent Euangelio, sed ag-
nita ueritate Timebunt gentes nomen tuũ do-
mine.] Timebunt inquam non timore seruili, sed
casto & filiali. Timuerunt gentes deum quando
spreta idolorum cultura, & antiquæ contemptis
superstitionis erroribus, baptismo sunt mundatæ
pœnitentiæ, & Christianæ susceperunt instituta
doctrinæ. In quibus uerbis notandum, quia non
ait, Sion timebit nomẽ tuum domine: sed, gentes
timebunt nomen tuum: quia etsi missus sit Chri-
stus ad oues quæ perierunt domus Israel, tamen
illis uerbum dei repellentibus, & indignos se ęter
næ uitæ iudicantibus, conuersi sunt ad gentes A-
postoli, quæ nomen Christi cum gaudio suscepe-
runt. Hinc nanq; Apostolus ait: Dico Christum Ie Rom.15
sum minister fuisse circumcisionis, propter ueri
tatem dei ad cõfirmandas traditiones patrũ. Gen-
tes autẽ super misericordia honorare deum, sicut
scriptũ est: Propterea confitebor tibi in gentibus, Psal.17
& nomini tuo cãtabo. Hinc rursus ait: Quod quæ Rom.11
rebat Israel, non est cõsecutus, electio autem con-
secuta est: Et omnes reges terræ gloriam tuam.]
Infirma mundi elegit deus, ut confunderet fortia.
Ignobiles uocauit, ut nobiles uinceret, piscatores
elegit, ut reges subiugaret. Ecce impletũ est quod
de Christo prædictum est: Omnes reges terræ ti-
mebunt gloriam tuam. Omne enim culmen secu
li ad reuerẽtiam Christi flectitur. Omnis dignitas
humanæ conditionis ad obsequium Christi incli-
natur, sicut ait Apostolus: Christus factus est pro Phil.2
nobis obediens usq; ad mortem, mortem autem
crucis. Propter quod & deus exaltauit illũ, & do-
nauit illi nomen quod est super omne nomen, ut
in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium,
terrestrium, & infernorum. Gloria Christi resurre
ctio est, per quam à diabolo regnum abstulit, &
mortis destruxit imperium. Qui enim in morte ui
sus est infirmus, in resurrectione apparuit glorio-
sus, unde dicit Apostolus: Et si mortuus est ex in- 2.Cor.13
firmitate, sed uiuit ex uirtute.

Quia ædificauit dominus Sion, & uidebitur in gloria sua.

Causa est quare Gentes & Iudæi ad fidem uo-
centur. Ex utroq; enim populo ædificata est Sion
spiritalis, quæ in celsitudine uirtutum posita terre
na deserit, cœlestibus intẽdit, futura præuidet, ho
stiũ incursus non timet. Huius fundamẽta in mon
tibus sanctis sunt, quia sicut ait Apostolus: Iam Ephes
non sumus hospites & aduenæ, sed ciues sancto-
rum & domestici dei: superædificati super funda-
mentum Apostolorum & prophetarum. In hac ci
uitate deus homini cõiungitur, sicut scriptum est: Apoc.21
Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habi-
tabit cum eis. Synagogã enim reprobauit, Eccle-
siam elegit. Ideoq; scriptum est: Diligit dominus Psal.86
portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Illa
nẽpe deus tabernacula deseruit, Sion uero, id est,
Ecclesiam præsentia suæ habitationis illustrauit.
Vnde & illic nequaq; cõspicitur, hìc autem ab his
qui mundo sunt corde, mentis intuitu uidẽ. nam

subditur

subdit: Et uidebit in gloria sua] In gloria sua Christus uidet in ecclesia, qui in infirmitate uisus est in synagoga. In qua infirmitate nequaquã à morte uidebit, qui immortalis & impassibilis factus, cum patre deus in illa iam cœlesti sede gloriat. Vnde
1.Cor.1 dicit Apostolus: Et si nouimus Christum secundum carnẽ, sed iam nõ nouimus. Possumus quoque per id quod superius dictum est: Tu exurgens misereberis Sion.] Remissionem peccatorum quæ in Ecclesia datur intelligere, & multiformis dona gratiæ, quæ quotidianis diuinitus incrementis consequit. Quæ in illis deus multiplicat, quibus Sion placent lapides, id est, qui & Apostolorum doctrinam recipiunt, & eorum pro posse exẽpla imitant. Sed iam ad sequẽtia reuertamur.

Respexit in orationem humiliũ & non spreuit precem eorum.

In humilium deus orationem respexit, quando ad humanam naturam reformandam filiũ in mundum misit. Hoc enim iustorũ requirebat oratio, hoc prophetarum expectabat desiderium, ut ille in mundũ ueniret, qui & à diabolica seruitute hominem redimeret, & uitæ aditum quem culpa obstruxerat, gratuito pietatis suæ munere referaret.
Esa.19 Hinc nanq; Esaias ait: Clamabunt ad dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnatorem qui liberet eos. Ex quibus uerbis liquido colligitur, quia in eorum respexit orationem, quibus in tribulatione clamantibus non solum saluatorem contulit, sed etiam propugnatorem misit. Idem uerò qui fuit saluator, fuit & propugnator. Saluator nanq; dei filius est, de quo scriptum est per prophetã: Deus ipse ueniet, & saluabit nos. Vnde etiam Iesus priusquã in utero conciperet, uocatus est ab angelo. Nam q; propugna
Esa.64 tor sit, ipse ostẽdit cùm per prophetã ait: Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Ex hoc preces nõ spreuit, quia eis quod deprecabantur indulsit. Si enim preces eorum spreuissent, nequaquam ad eos liberãdos filium misisset. Hinc nanq; Moses ad dominum ait: Obsecro
Exod.4 domine mitte quem missurus es. Hinc propheta alius exclamauit dicens: Vtinam dirumperes cœ
Psal.71 los, & descenderes. Hinc etiã Dauid dixit: Deus iudicium tuum regi da. Iudicium suum regi deus pater dedit, quando dei filius carnis humanæ substantiam assumpsit. Hinc nanq; ad filium ipse pa-
Psal.2 ter ait: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos. Patet ergo quia iudicium suũ illi dedit, cui & bonorum regnum, & inconuertibilium tradidit cõminutionẽ. Vas enim figuli postquam semel confringitur, nullo modo postmodum reparatur. Quid ergo per confractionem uasorum figuli, nisi extrema damnatio designat? Ibi enim per iudicij seueritatem quicunque cõfringitur, nequaquam ulterius per pœnitentiæ remedium reparabitur. Quod profecto iudicium per dei & hominum mediatorem fiet, quia scriptum est:

A Pater non iudicat quenquã, sed omne iudicium dedit filio. In humilium nihilominus orationem deus respicit, cùm pro se uel alijs exorantes fideles exaudit.

Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit dominum.

Sicut ex duobus populis primitiua est constructa Ecclesia, ita gemina est generatio in fidei unitate collecta, carnalis scilicet, & spiritalis. Siue ergo Sion & ea quæ sunt supradicta, ad literam intelligamus, siue per intellectum mysticum ad Ecclesiam cuncta referantur, conueniunt superioribus sequentia, & prælibatis exponenda concordant, dictum est enim: Tu exurgens domine misereberis Sion. Et iterum: Quia ædificauit dominus
B Sion. Nunc uero ait: Scribantur hæc in generatione altera.] Quod enim Iudæis fuit promissum, hoc in gentibus uidetur impletum. Si uero iuxta spiritalem intelligentiam per Sion Ecclesiam accipimus, per generationẽ alteram, spiritalem intelligimus, in qua nimirũ diuinæ scriptę sunt promissiones: quia quicquid de remissione peccatorum, quicquid de æternitate felicitatis scriptura sacra asserit, hoc in cordibus suis per amorem spiritus, spiritalis generatio inscribit. Cui & dicitur: Audi Israel præcepta domini, & ea in corde quasi in libro scribe. De hac præceptorũ dei inscriptione per prophetã dominus dicit: Hoc est testamentum quod testabor eis, dabo leges meas in cordi-
C bus eorum, & in sensibus eorum scribam eas. Bonus pater, qui filijs non terrenæ hæreditatis iura, non luto aut lateribus constructas domus: non auri argentiue præscribit aceruos, quæ liuoris plerunq; & inuidiæ seminariũ sunt, & superbiæ ac luxus existunt fomenta, sed charitatis & dilectionis gratiam, iustitiæ & pietatis proponit edicta, & ueritatis legẽ nõ in lapide, uel membrana uel ligno, uel cæra, sed in tabulis cordis perscribit: ut æternę filij promissionis uanis nunq; cogitationibus occupent, sed semper omnipotẽtis patris testamentum quasi præ oculis habentes, quid timere, quid uel sperare debeant cogitẽt, & in exequẽdis mandatis cœlestibus, uotis omnibus elaborẽt. De his quippe ait propheta in Psalmo: Hęc est generatio Psal.33
D quærentiũ dominũ, quærentiũ faciem dei Iacob. Quid nobilius generatiõe diuina, quid sublimius cœlesti? quid castius cõceptione spiritali? Voluit immaculatus dominus ut homo sine macula nasceretur peccati, & absq; uitio carnalis delectationis humanę sobolis propagaret successio. Et ideo talem fecit Adam ut absq; peccato filios æderet, si in conditoris obedientia perstitisset. Posset nãq; fieri ut sicut absq; delectatione fructus suos terra germinat, ita sine peccato filium mulier páreret. Et sicut ipse à deo Adam purè conditus fuerat, ita homo hominem purè procrearet. Quod homini cur esse incredibile uideatur, cùm apibus etiã hoc ipsum conferatur? Sed quia domino suo obedire humana anima renuit, animæ imperio caro obtẽperare cõtempsit. Nam & rebellis ei semper post-

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum extitit,& aduersus eam cuius ancilla fuerat, se in superbiam erexit. Plerunq; autem usq; adeo erigitur, ut ipsa dominæ suæ uersa uice dominetur. Vnde fit ut in filiorum procreatione perdelectationem in peccatum incidat,& bonum opus male operando delinquat. Sed dei hominumq; mediator sicut nobis quam perdideramus uitam contulit,ita etiam hanc in nobis generationem reparauit. Vnde & de uirgine, & sine peccato nasci uoluit,ut ex hoc patenter ostenderet quia hoc etiam nobis inter innumera beneficiorū suorū dona conferret. Ideoq; Esaias ait: Propter hoc dabit dominus ipse uobis signum. Ecce uirgo cōcipiet, & pariet filium. Quam uirginis conceptionem nequaq; signum esse diceret, nisi aliquid nobis in ipsa sua natiuitate quod credere deberemus signaret. Vnde rursum scriptū est: O radix Iesse, qui stas in signum populorum. Signum enim fuit populis illa Christi sine uirili cōmixtione natiuitas, q̄ his qui credunt in nomine eius, daturus erat potestatem filios dei fieri, his uidelicet qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Sicut nanq; beata Maria Christum peperit uirgo, & post partū incorrupta permansit: ita & mater Ecclesia filios deo sine dolore generat, & uirgo semper illibata perseuerat. Qui in hoc quoq; q̄ deū toto corde diligūt, patrē se deum habere euidenter ostēdunt. Filiorū enim est diligere, non timere. Porrò in hac dilectione nequaq; torpescunt ocio, aut operibus insolescūt, sed & in mandatis cœlestibus uoluntatem dei custodiunt,& ex uirtutum operatione nullam ab hominibus laudem quærunt. Vnde & subditur: Et populus qui creabitur,laudabit dominum.] In operibus nempe suis deum laudāt, qui bonū quod faciunt,nequaq; sibi,sed gratiæ dei attribuūt. Vnde & Paulus cùm plus omnibus se laborasse dixisset,subiecit atq; ait: Non autem ego, sed gratia dei mecum. Sed quæ in nobis sunt sanctitatis opera,ita sunt ad proximorū ædificationē exterius trahēda,ut in eis non fauor aut gratia humana requiratur, sed ipse à quo hæc sunt hominibus collata, deus laudetur. Hinc nanq; per semetipsam ueritas Apostolis ait: Sic luceat lux uestra coram hominibus,ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.

Esa.7

1.Cor.15

Matt.5

Quia prospexit de excelso sancto suo,dominus de cœlo in terram aspexit.

Nec noua post creationē nasceretur, nec deum perfecte sanctorū uita laudaret, nisi per eum nos diuina miseratio respexisset, qui nos in Nicodemo denuo nasci docuit, dū aliter in regnū intrare nō posse,nisi ex aqua & spiritu renasceremur mōstrauit. Vnde dum populum creandum dominum benedicturū esse propheta dixisset, causam illico nostræ redemptionis adiecit, uelut qui indubitanter sciret aliter nouum non posse creari populum, nisi dominus & redēptor noster nouus homo ueniret in mundū. Nec posse quenq; amplius de uera salute ambigere,cùm sciret omnipotentē medi

Ioan.3

A cum ad infirmos descendisse. Dicatur ergo: Quia prospexit de excelso sancto suo.] Prospicere dicimur,cùm à longè intuemur. Quia ergo per uerbi dei incarnationē non solū Iudæa quæ iuxtà esse uidebatur,sed etiam Gentilitas liberanda erat per misericordiā, recte nūc dicitur, quia prospexit de excelso sancto suo,iuxta quod scriptū est: Pacem ijs qui longè,& pacem ijs qui propè. Redemptor noster non immeritò excelsus dicitur, quia diuinitatis eius potentiam nemo mortalium intuetur: denique & sanctus extitit, & dei per omnia fuit. Hinc nanq; ipse de se in Euangelio ait: Quē deus sanctificauit, & misit in mundum. Nam q̄ dei per omnia fuerit, ipse testatur cùm ait: Non potest filius à seipso facere quicq; nisi quod uiderit patrē

Ephe.2

Ioan.15

B facientem. Idem autem qui excelsus extitit, ipse etiam cœlum fuit. Sed excelsus propter sublimitatem, cœlum uero propter diuinam inhabitationem. In eo enim,sicut testatur Apostolus, habitat omnis plenitudo *diuinitatis* corporaliter. Et per prophetā quoq; dominus ait: Cœlum mihi sedes est. Quæ autem maior sedes dei quàm Christus? Cœlū igitur dei Christus est, de quo dominus in terram aspexit, ut cùm peccātibus quibusq; spem per eum ueniæ tribuit, de cœlo in terram aspexit, ut cœlum fieret qui terra fuit. Quod apertè ostenditur,cum *illico* subiungitur:

Col.2

Esa.66

Vt audiret gemitus compeditorum, ut solueret filios interemptorum.

C Sancti uiri non incongruè compediti dicuntur, quia ligati uinculis disciplinæ dei, nequaq; ad ea quæ exteriora sunt uagantur, & quasi gressum operis immobiliter figunt,dum à cōditoris desiderio nusquam discedūt. De his nanq; compedibus scriptum est: Inijce pedes tuos in compedes eius, & in torques illius collum tuum. Quia profecto cuius à prauitate gressus cōpescitur,eius fides sanctarum uarietate uirtutū adornatur. Collum nāq; fides est,per quam deo fidelis quisq; coniungitur, & quasi per collū capiti suo Christo Ecclesia,quæ eius est corpus,unitur. Vnde in laudem sponsę in Canticis canticorū dicitur: Collum tuū sicut monilia. Quia enim,sicut Iacobus ait: Fides sine operibus mortua est,quasi collum sponsæ monilibus

Eccli.6

Cant.4

Iacobi.2

D circumdat̄,dum fides sanctæ animæ operibus decoratur. Gemunt continuè compediti, quia dum exilij sui tenebras electi cōsiderant, ad claritatem uisionis dei indesinenter suspirant. Sed eorum gemitus nequaq; deus audiret,nisi mediatorē nobis filium suum dedisset. Vnde dicit Apostolus: Per quem accessum habemus ad patrē,& ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Constat ergo quia nullius audiret gemitū deus, nisi ille uenisset per quem ad patrem habemus accessum. Vt solueret filios interemptorum.] Filij interemptorum sunt imitatores martyrum, eorum scilicet qui uel pro testamento dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine agni lauerunt stolas suas, uel qui membra sua super terram mortificantes, carnem suam cum uitijs & cōcupiscentijs crucifixerunt. Possu-

Ephes.2

mus

mus quoq; per compeditos eos accipere, qui mortalitatis & passibilitatis uinculis se astrictos intelligunt, & miserijs humanæ necessitatis afflicti, indesinenter gemunt.

Vt annuncient in Sion nomen domini, & laudem eius in Hierusalem.

Soluti à peccatorum uinculis, eo magis in Ecclesia nomẽ dei annunciant, quo eis dimissum est de peccatorũ excessibus quod timebant: quid uero aliud est nomen domini annunciare, nisi dei misericordiã in Ecclesia prędicare? Dominorũ enim
Matt.21 est misereri. Hinc nanq; de Christo dicitur: Benedictus qui uenit in nomine domini. Scimus enim quia mediator dei & hominũ homo Christus Iesus iudex est humani generis, iuxta quod scriptũ
Ioan.5 est: Pater non iudicat quenq;, sed omne iudicium dedit filio. Qui si in primo aduentu uenisset in nomine iudicis, nemo profecto foret qui pœnã æternæ
Rom.3 euaderet damnationis. Omnes enim, ut ait Apostolus, peccauerunt & egent gloria dei. Venit ergo in nomine domini, qui uenit ut peccata dimitteret, non ut peccatores damnaret. Venit, inquam, in nomine domini primò, qui in nomine iudicis in aduentu ueniet secundo. In Sion ergo nomen domini annunciant, qui dei misericordiã populis prædicant. Sequitur: Et laudẽ eius in Hierusalem.] Vnam Ecclesiam propter diuersas causas diuersis appellat nominibus, Sion eam nominans, sicut quæ ad alta sustollitur. Hierusalem uero quæ quasi iam mortificatis hostibus, uerã in se pacem intuetur. Notandũ uero quia nomẽ domini prius annunciandũ, postea uero posuit esse laudandũ. Agnitionẽ enim nominis laus sequitur cõfessionis. Quomodo enim credent ei quem non audierũt? Quæ autem maior laus dei, quàm quòd mundus in unitate fidei collectus, non solum opera eius annunciat, sed etiam uita eum & operibus laudat? Vnde & subditur:

In conueniendo populos in unum, & reges ut seruiant domino:

Respondit ei in uia uirtutis suæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

In unum conuenerunt populi in Ecclesia per totum orbem diffusa, quæ Christũ credit esse filium
Ephe.4 dei. De hac unitate dicit Apostolus: Vnus deus, una fides, unum baptisma. Extra hanc nemo laudat deum, nemo annunciat. Hanc designabat ille unus qui post motionẽ aquæ in piscinam descendens sanabatur. Nemo nãq; est qui ueræ possit inuenire salutis remediũ, nisi ad unitatẽ fidei ueniat, & per sanctificationẽ uitę Christũ induens, unum cum eo fiat. Hinc nãq; per semetipsam ueritas ait:
Ioan.17 Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solũ uerum deum, & quem misisti Iesum Christum. Per reges eos intelligas qui animorũ suorum motus secundum dei uoluntatẽ dirigunt, eisq; regum more dominantur, dum in rationis eminentia quasi in regali solio præsidentes, repugnantia quæq; seruituti subijciunt, & pacatis omnibus, æquitatis leges & innocentię iura in seipsis disponunt: siue etiam eos qui populis præfecti, in rerum culmine stare uidentur, dum diuitijs affluunt, honoribus cumulantur, terreni præeminent dominatione imperij, & gloria mundanæ potentiæ extolluntur, non absurdum uidebitur cùm & illi in ipsa cordiũ suorũ directione domino seruiant, & isti religionis Christianæ documenta tenẽtes, orthodoxæ fidei iugo mentis colla supponant. In hoc igitur populorum & regum conuentu quilibet fidelis respondit deo in uia ueritatis positus, uidelicet in Christo, qui uiam se nobis proposuit, dicens: Ego sum uia, ueIoan.14 ritas & uita. Responsio autem hæc non uoce æstimatur, sed opere. Non enim respondent domino qui uocati peruerse uiuũt, qui post illud diuinum semen in terra rationabili susceptũ, spinas peruersitatis, aut tribulos producunt nequitię, sed qui in omni bono se aptantes, & de sua uocatione gratias deo referũt, & fructũ deo centesimũ, uel sexagesimũ, aut etiã tricesimũ in cordis innocentia ferunt. Notandũ uero q̃ dicit in uia uirtutis. Virtus nanq; Christi, est gloria resurrectionis eius. Licet enim opera fecerit quæ nemo alius fecit, & miraculorum signa diuinitatis eius fidem astruant, credendi tamen in eum nulla potentior, aut condecẽtior uia extitit, quàm q̃ mortuus & sepultus tertia die resurrexit. In uia ergo uirtutis dei respõdet Ecclesia, cùm de gloria resurrectionis Christi nihil asserẽs ambiguũ, nihil sentiens obscurũ, studet in membris suis Christo per baptismũ & pœnitentiam cõmori, & per nouitatẽ uitæ Christũ induẽs eidem cõuiuificari. Cùm enim nihil in se lucidũ, nihil uitale cõspiciat, à solo deo se putat posse acquirere & luculentarũ uirtutũ plenitudinẽ, & desideratã uitæ indeficientis æternitatẽ. Quæ etiam non nisi per gratiam dei potest aduertere quot sit obnoxia defectibus, quot infirmitatibus subdita, quot miserijs uallata. Ideoq; dicit: Paucitatẽ dierum meorũ nũcia mihi.] Quasi dicat: Qui ex meis uiribus hoc cõsequi nõ ualeo, ut q̃ pauci sunt dies mei intelligã, fac ut per gratiã tuę inspirationis, & uirtutũ defectũ, & huius uitæ breuitatẽ agnoscã, quatinus uitæ huius uelocẽ cõsiderans transitum, nullũ in corde sentiam de amore illius affectum.

Ne reuoces me in dimidio dierũ meorũ, in generatione & generationem anni tui.

Per dimidium dierum, imperfectionẽ uitæ accipimus, in qua se fidelis quisq; nõ reuocari de mundi huius exorat exilio, ne si in die exitus sui transitoriæ adhuc uitę amore occupatus fuerit, ad illam æternitatis uitam transire minus possit. In hac uita dimidium tantũ dierũ accipimus, quia etsi nos assiduè solis huius materialis splendor illuminet, sequitur tamen nox, quæ assiduè illuminatos obscuret. Roget ergo unusquisq; ut dũ in uitæ huius cursu mentis amore defigitur, anteq; de adipiscendis æternis satagat, à deo non reuocetur. Sancti uiri etsi sunt mortali carne circumdati, nequaq; sunt in dimidio dierum, quia perfecti desiderij amore à terrenis suspensi, illa beatæ uitæ æternitate iam in spe perfruuntur. Hinc nanq; Paulus dicit: Spe Rom.8

salui facti sumus. Hinc rursus ait: Nostra conuersa tio in cœlis est. Sic nanq; inoffenso cursu ad æternitatis statũ perueniunt. Sic ante huius uitæ termi nũ, in æternitatis desiderio mentẽ fixerunt. Quod quidem euidenter ostenditur, cùm protinus subdi tur: In generatione & generationem anni tui.] Nota quòd uiram suam dierum paucorum appellatione significat, æternã uero, annorũ in generatione & generatione permanẽtiũ: ut per hoc quoque prudens lector intelligat & infinitã illius futuræ felicitatis longitudinẽ, & labentẽ temporalis gloriæ breuitatẽ. Quis enim nesciat annos diebus multo longiores? Quia uero etiã in annis finis potest intelligi, in generatione & generatione eos
Eccls 1 permansuros dicit. Sapientia dicit: Generatio uadit, & generatio uenit, terra autem in æternũ stat. Hæc est nanq; instabilis uitæ istius permutatio, ut decedentibus alijs alij succedant, quibus postmodum simili modo deficiẽtibus, alij non æquali cõditione oriantur. Ex quibus tamen omnibus quæ in seculo fuerunt uel futuræ sunt generationibus, uiua illa & diuina generatio perficitur, quæ in æternum claritatis dei consortio perfruetur. In hac itaq; annos, id est, æternitatẽ dei permansurã dicit propheta, tunc uidelicet cùm generatio quæ præcedit & quæ sequitur, una facta fuerit, nouissima utpote morte destructa, quæ anteq; in uictoria absorbeatur, nihil stabile, nihil solidũ, nihil dimittit illæsum. Quæ tamen intelligi & aliter possunt, ut ad superiora hoc modo referantur. Dictum nanq; est superius: Populus qui creabitur, laudabit dominum. Quomodo ergo laudet ostendit cùm ait: Respõdit ei in uia uirtutis suæ, & laudem eius annunciabunt in Hierusalem. Hierusalem uero quæ seruit cum filijs, illa enim uocata nequaq; in laude respondet, sed illa cui dictũ est: Lætare sterilis quę non paris, erumpe & clama quæ non parturis: uocata respondet domino posita in uia uirtutis suæ. Via uirtutis Christi, est imitatio cõstantiæ eius. In hac uia populus creatus, uel Hierusalem intelligibilis respondet domino, quia sicut pro nobis Christus animam posuit, ita constantiã Christi sequẽs pro fratribus animam ponere in filijs suis non recusauit. Quid uero responderit, ostendit cùm ait: Paucitatẽ dierũ meorũ nuncia mihi. Rogat innouatus populus, uel fœcunda filiorũ spiritaliũ mater, ut breue sibi uideatur huius tempus tribulationis, cõparatione æternæ felicitatis: ne dum nimis extendi quas patitur persecutiones autumat, pro dilatione præmiorũ quasi tædio uicta, quam imitari proposuit Christi constantiã, amittat. Tũc nobis deus quid sequi debeamus annunciat, cùm uoluntatis suæ arcana nobis inspirat. Nunquid non paucitatẽ dierũ suorũ illi deus annunciauerat qui
Rom.8 dicebat: Existimo q̃ non sunt cõdignæ passiones huius temporis ad futurã gloriã quæ reuelabit̃ in nobis? Nouerat enim quia temporaliũ pressura passionũ ueloci fine concluditur, gloriæ uero cœlestis felicitas nullo termino angustat̃. Possumus per paucitatẽ dierũ etiã aliud intelligere. Fuerunt nanq; hæretici qui dicerent Ecclesiã non esse generalem, sed in tempore Donati & ante finem seculi consummandam, non attendentes q̃ ei dominus in Apostolis promisit, dicens: Ecce ego uo Matt.28
biscum sum omnibus diebus usq; ad cõsummationem seculi. Contra eos nunc dicitur: Paucitatẽ dierum meorũ nuncia mihi. Constat quia per multiplicitatẽ dierũ perennis uita accipitur; per paucitatem uero cursus istius seculi designatur. Scriptũ quippe est: Lõgitudo dierũ in dextera eius. Quid Prou.3
enim per dexterã, nisi perpetua uita designatur? Quia ergo sanctorũ requies nullo clauditur termino, recte in dextera dei dierũ dicitur esse longitudo. Nam quod hic dicitur: Paucitatẽ dierũ meorũ nuncia mihi, tale est ac si dicat Ecclesia, Sunt qui insipiẽtiæ suæ caligine & perfidiæ detestabilis induti erroribus asserant me in breui finiendam, & usq; in finẽ seculi inhabitatorẽ non habiturã, sed tu de cuius nõ diffido promissionibus, nũcia paucitatẽ dierũ meorũ mihi. Futura dierum paucitas, inquã, data est Ecclesiæ, quia toto istius uitæ tempore debet fides Christiana in mũdo uigere. Ne reuoces me in dimidio dierũ meorũ.] Per dimidiũ dierũ imperfectionẽ accipe temporũ trãseuntiũ, in qua quasi deus reuocari permitteret, si huic sententiæ hęreticorũ faueret. Hoc autẽ ideo postulat, ne ab illis annis qui sunt in generatione & generatione, alicuius eã erroris peruersitas abducat.

Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.

Initium dei filius est, de quo scriptũ est: Ipse est initium omnis creaturæ. Quod etiam ipse euidenter ostendit, cùm se principiũ nominauit. Deniq; & in Apocalypsi ad Ioannem idem ipse ait: Ego Apoc.1
sum α & ω, primus & nouissimus, initiũ & finis. &22
In hoc initio fundata est terra, quia in ipso fundata est Ecclesia. Hinc nanq; Apostolus dicit: Funda- 1.Cor.3
mentũ aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hinc ipse dei & hominũ mediator, ad Apostolorũ principem ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Matt.16
Ecclesiam meam. Ipse est enim petra à qua Petrus nomen accepit, & super quam se ædificaturũ Ecclesiam dixit: Terra autem dicta est Ecclesia, tum Eccli
quia in messe fidelium populorũ spiritali fœcunditate exuberat, tum quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseuerat. Vnde per Salomonẽ dicitur: Terra in æternum stat. Terra quippe in æternũ stare dicitur: quia sancta Ecclesia in hoc seculo à catholica fide nequaq; deficiet, & in futuro cum deo æterna stabilitate permanebit. Nam q̃ in hac uita nullis aduersitatibus frangenda sit, nullis persecutionibus superanda, ipse super quem ædificata est, euidenter ostendit cùm ait: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Matt.16
Portæ inferi hæreses sunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata uerborũ calliditate decipiunt, quasi infernorũ eis aditum pandunt. Sunt etiã portæ inferi quædam potestates huius mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid deniq; iste qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, nunquid non

non omnes portæ inferi? Quis cogitare sufficiat quanti promissionibus eorũ deuorati sunt? Quanti eorũ metu perterriti? Quanti afflictionibus eorum superati? quos omnes perpetuæ mortis profundum absorbuit, & ad cruciatum damnationis æternæ infernus admisit. Sed Ecclesia in illius, de qua dictum est, petræ soliditate fundata, nec minarum uentis concutitur, nec persecutionũ fluminibus mouetur, nec corporalium pœnarũ incõmodis titubat, nec mortis ipsius timore uacillat. Illi uero qui inferni aditũ sequacibus suis utpote portas aperiunt, eã impugnare & persequi modis omnibus non desistunt. In quo quid aliud faciunt, nisi quòd ueritatis uerba euacuare cõtendunt? Non
Matt.16 præualebunt aduersus eam portæ inferi dicit dominus, & tamen ut ei præualeant conantur. Sed fi
Psal.144 delis dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in operibus suis. Initio enim terram fundauit, & opera manuũ eius sunt cœli. Quid per cœlos nisi prædicatores sanctos accipimus? Qui terrã istam, de qua dictũ est, uerborũ imbribus prædicantes inebriant, subiectis fideliũ perpetuæ damnationis exitium cõminantes intonant, ad astruendã uerborum fidẽ miracula facientes coruscãt. Nam quòd prædicantis uerba pluuiæ sint, testatur dominus,
Esa.55 cùm per prophetã dicit: Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc non reuertitur, sed inebriat terrã & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semẽ serenti & panẽ comedenti, sic erit uerbum quod egredietur de ore meo. Quid apertius? Ecce sicut de cœlo descendunt pluuiæ, ita de prædicatoribus uerba emanant doctrinæ. Isti sunt nimirũ qui enarrant gloriã dei. De quibus etiã hic dicitur, quia opera manuũ eius sunt cœli. In præcedentibus dicit propheta: Videbo cœlos tuos opera digitorũ tuorũ, hic uero ait: Opera manuum tuarũ sunt cœli. Quid est q̃ ibi uocantur opera digitorum, hic uero manuũ, nisi q̃ diuersa ibi dona sancti spiritus doctorũ infundenda cordibus intelligunt? Hic uero ipsa uirtutũ opera ex eisdem tamen donis in hominũ prodeuntia notitiã uocantur. Quia enim per manus omne opus agitur, ipsę uirtutũ operatiões per manuũ opera signant. Primùm nanq; humanis mẽtibus gratia spiritalis infunditur, postmodum uero in mente quid spiritus egerit, in operibus demõstratur. Cœli etiã doctores Ecclesiæ dicti sunt, quia dominus in eis præsidet, dum per eos sua iudicia exercet. Quibus nãq; regni cœlorũ claues tribuit, eis ligãdi atq; soluẽdi potestatẽ dedit. Per eos ergo iudicat, quia quodcunq; ab eis ligatum fuerit, ligat. Scimus autem, quia sedere iudicãtis est, & ipse dominus per pro-
Esa.66 phetam dicit: Cœlum mihi sedes est. Si ergo sedes dei cœlum est, & in rectoribus Ecclesiæ dominus iudicat, cùm sedere iudicantis sit, necessariò consequitur quòd Ecclesię rectores cœli dicuntur. Qui profecto cœli opera manuũ sunt dei, quia hoc ipsum quòd cœli sunt, ex gratia uirtutis acceperũt,
Psal.32 sicut scriptũ est: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent.

Nemo iam spem suam ponat in homine. Ipsi enim cœli etsi sint opera manuũ dei, peribũt tamẽ. Quomodo autem peribunt nisi secundũ corpus? Quòd si secundum corpus perituri sunt, ubi resurrectio? quam non solũ negare scelus est, sed etiam de ea dubitare, summũ nephas est. Patet itaq; quia non sic peribunt ut non resurgant, sed ut eas quas in hac uita patiunt̃, necessitates corporis euadant. In ipsa enim corporis eorũ resumptione quodammodo perisse uidebunt̃, cùm pereunte in eis corruptione, destruet̃ quod animale est, ut quod spirituale est uiuat, & iam quasi non sint quod fuerant, dum in aliam mutati naturam, in lumine claritatis dei perenniter exultant. Solus nanq; deus uere im-
B mortalis est, quia solus æternus & incõmutabilis est. Vnde dicit beatus Augustinus: Vera æternitas & uera immortalitas non est nisi in deitate trinitatis, cui quod est esse perfectũ est: quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatẽ. Creaturæ autem etiam illæ quibus deus æternitatẽ dedit uel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt, quia non sunt extra cõmutationẽ. Inter hæc sciendum est, quia hi de quibus agitur, cœli peribunt & non peribũt: quia morietur in eis illa quã ex carnali generatione cõtraxerunt corruptio. Et tamen in eis plenior erit, quam in hac uita per speculum & in ænigmate acceperunt, diuina inhabitatio. Cœli hoc modo esse non desinent, dũ ad re-
C cipiendũ in semetipsis deum, sinũ cordis amplius laxẽt. Vnde cùm eos perituros propheta dixisset, subiecit atq; ait: Tu autẽ permanes.] Ac si patenter dicat: Peribit quidem quicquid in eis ex humana habetur corruptione, sed permanebit in illis quod ex tua acceperunt uirtute. Tu enim permanes. Liquet ergo, quia in eis nõ moritur quicquid de diuinitatis participatione in ipsis habetur. Caro tamen in puluerem redigitur, ut postmodũ per resurrectionẽ in melius reformetur. Vnde & subditur: Omnes sicut uestimentum ueterascent.] Vestimenta sanctorum, sunt corpora eorum. Vnde de quibusdã scriptũ est: Isti sunt qui non inquinauerunt uestimenta sua. Et iterum: Lauerunt sto Apoc.22
las suas, & dealbauerũt eas in sanguine agni. Quæ
D profecto uestimenta tunc ueterascũt, cùm animabus eorum ad cœlum tendentibus, ipsa eorũ corpora in terrę essentiã deducuntur. Quia uero mortalitatẽ corporis immutatio sequitur resurrectionis, consequenter adiunxit dicens:

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Non prætereundum nobis est, quòd cùm dixisset eos sicut opertoriũ mutãdos, subiunxit, & mutabuntur. Signauit enim his uerbis duplicẽ illam sanctorũ in futura uita cõmutationẽ. In qua non solum corpora corruptioni in hoc seculo & morti obnoxia perpetuam percipient incorruptionẽ, sed etiam anima eorum & corda in æternã transi-

bunt ſtabilitatem: ut ſicut mori non poterunt, ita & peccare quidem non poſsint, & appareat in eis multiplicis bonitatis dei beneficium, cùm & mortale induerit immortalitatẽ, & affectus nõ ſentiet tẽtationẽ. Notandũ ꝙ opertoriũ dei ſancti dicuntur. Sicut enim homini nihil eſt uicinius quàm ueſtis, ita deo nihil eſt uicinius ſanctis. Sicut enim ueſtimentis ſuis homo circumdatur, ita ſanctis ſuis deus ueſtitur. Hinc nanq; per prophetã ſcriptum
Eſa.49 eſt: Viuo ego dicit dominus, quia in ſublimatione tua omnibus his uelut ueſtimento ueſtieris. Hinc
Pſal.44 rurſus deo per aliũ prophetam dicitur: Myrrha & gutta & caſſia à ueſtimentis tuis. Quia enim omnium uirtutũ odoramenta à ſanctis prodeunt, recte dicitur: quia è ueſtimentis dei myrrha & gutta & caſsia procedunt. Hinc nanq; Apoſtolus ait:
2.Cor.2 Chriſti bonus odor ſumus deo. Veſtimenta ergo dei mutantur: quia ſancti poſt mortẽ corporis, in felicitatem tranſeunt uitę cœleſtis. Sequitur: Tu autem idem ipſe es.] Hæc eſt uera dei æternitas, & uera eiuſdem immortalitas, ꝙ non ſolũ nullius finis limite ſempiterna eius uirtus & diuinitas cõcluditur, ſed ꝙ poteſtas ac uoluntas ipſius nullatenus imperfectionis cuiuſq; aut inconſtantię uariętate permutatur. Vnde ad Moyſen de ſeipſo ait:
Exod.3 Ego ſum qui ſum. Et iterũ: Hæc dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad uos. Ideo & hìc dicitur: Tu autem idem ipſe es.] Homo nãq; etſi ipſe ſit, non tamen idem eſt: quia hoc ex ſuæ mortalitatis corruptione accepit, ut in eodem ſtatu diu permanere non poſsit. Quod de deo ſentire nimis abſurdũ eſt. Sicut enim eſt æternus, ita incõmutabilis, non diminutionẽ ſentiens, nec augmentis excreſcens: non mutans propoſitum, non improbãs quod ſemel eſt approbatum. Vnde & ſubditur: Et anni tui non deficient.] Si per annos dei, æternitatem accipimus, qualiter anni eius non deficient, apertè uidemus. Quòd ſi per annos ipſam ſanctorum multitudinem intelligere uolumus, anni non deficient: quia cum illo qui nunq; deficiet unũ fient. Reuolutionẽ enim quandam dierum, annum uocamus. Quid aũt ſunt ſancti niſi dies, & quid pec-
Pſal.18 catores niſi nox? Hinc etenim ſcriptum eſt: Dies diei eructat uerbũ, & nox nocti indicat ſciẽtiam. Anni ergo non deficient: quia ſanctorum chori poſtq; illam incomprehenſibilem ſemel in ſemetipſis acceperint lucem, nullam amplius ſentient ignorantiæ uel tentationis obſcuritatem. Tunc enim dies uidetur deficere, cùm aut nubiũ aut noctis tenebris obſcuratus cœperit nõ lucere. Quod ab illa uita alienum erit: quia uera lux quæ obſcurari non poteſt, in ſanctis fulgebit.

Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

Qui ſunt filij in annis, id eſt, in æternitate dei habitaturi, niſi Apoſtolorum imitatores, cum deo in cœleſti regno perenniter manſuri? Omnes enim fideles, Apoſtolorum dicũtur filij: quia ab eis fue-
Gala.4 runt in fide generati. Hinc nanq; ad Galatas Apoſtolus ait: Filioli mei, quos iterum parturio. In eo quòd dicit filios illic & non ſeruos habitaturos, oſtendit quòd ad cœleſte regnum aliquis peruenire non ualeat, niſi prius uetuſtate abiecta per nouitatẽ uitæ filius fiat. Nam & ipſi quos ſeruos uocat, Apoſtolorum filij fuerunt, ueterem uidelicet conuerſationẽ abdicantes, & in nouitate uitæ per Chriſtũ ambulantes. Fuerunt igitur ſerui, fuerunt & filij: ſerui propter laborem operis, filij propter mutationem nouitatis. Hinc eſt quòd ex filijs Iſrael qui ex Ægyptiaca ſeruitute liberati ſunt, & mare rubrum præuio ductore Moyſe tranſierunt, nullus terram promiſſionis, exceptis duobus, intrauit: ſed filij eorum poſtea intrauerunt, & patribus eorum repromiſſa diuinæ largitatis beneficia acceperũt. Significabatur nanq; per hoc quòd ad promiſſam nobis æternæ hæreditatis terrã nemo poteſt aſcendere, niſi qui prius per amorem ſpiritus in nouitate uitæ didicerit ambulare. Duo, Caleph uidelicet & Ioſue, caput deſignãt & corpus, Chriſtum ſcilicet & Eccleſiam, qui ſoli ingrediuntur illam uiuentium terram. Quod uero ait: Semen eorum in ſeculum dirigetur] electorum uoluit opera intelligi, quæ tunc profecto diriguntur in ſeculũ, cùm omnia ſpectãt ad deũ. Semen quippe ſuum nequaq; dirigit, qui ex operibus ſuis aliquid tranſitorium quęrit. Opera autem noſtra idcirco ſemen dicta ſunt: quia ſicut ex ſemine fructũ colligimus, ſic ex operibus noſtris mercedem expectamus. Hinc nanq; Apoſtolus ait: Quæcunq;
Gala.6 ſeminauerit homo, hæc & metet. Qui enim in hac uita ſemen boni ſeminauerit operis, in futuro fructum æternæ cõſequetur remunerationis. Per ſeculum uero, illius beatæ uitæ intelligitur æternitas, quæ quia per uarias temporum mutationes nullatenus diuidit, unius ſeculi appellatione non inconuenienter ſignatur. In illud ergo ſeculum dirigamus ſemẽ noſtrum, & cibum operemur non qui perit, ſed qui permanet in æternã uitam. Dum tempus habemus, operemur bonũ, ut cùm ad indeficientem uitæ illius beatitudinem peruenerimus, perpetuos fructus in cœlo colligamus. Ille enim uere perpetuus eſt fructus, per quem perpetuò uiuimus, & perenni panis et uini ſatietate gaudemus. Perpetuus, inquam, quia & mandendo non minuitur, & uetuſtate non deterioratur.

Prologus ſexti Pſalmi pœnitentialis.

INter innumeras & rutilantiũ operum & eminentium ſtructurarum uarietates, quibus templum Salomonicum adornatum fuit, hoc quoq; fuiſſe deſcribitur, quòd quindecim ad illud gradibus aſcendebatur. Quod quidem non caſu uel ſine cauſa factum credendum eſt. Salomon quippe cœleſtium ſcrutator ſecretorum, & diuinæ receptaculum ſapientiæ, ſic templum illud manufactum edidit, ut exinde templum aliud non manu factum ſignaret, quatenus ex corruptibili terrenę domus ædificio, incorrupta cœleſtis templi quodãmodo imaginaretur pulchritudo. Ad illud nanq; templum quod ex uiuis in cœlo lapidibus cõſtruitur, non plana aut ſpatioſa peruenit uia, uel greſſu aſcendi-

ascenditur corporeo, sed processu fidei & charita
tis ascensu. Hinc nanq; propheta dicit: Beatus uir
Psal.83 cuius est auxiliū abs te, ascensiões in corde suo di
sposuit. Dixit ascēsiones in corde beati uiri disposi
tas, & unde ascendere debeamus ostendit, cùm
ait: In ualle lachrymarum. In ea nanq; exilij nostri
damnationem deplangimus, & innumerabiles
corruptionis humanæ deflemus molestias. Quis
Iob 10 enim immunis à molestijs? Hinc em̄ Iob dicit: Si
impius fuero, uæ mihi est, si autem iustus, non le
uabo caput, saturatus afflictione & miseria. Et ite
Iob 8 rum: Tentatio est uita hominis super terrā. Quia
enim in hac uita omnia uidit esse plena laqueis &
tentationibus, non in ea tentationes esse dixit, sed
ipsam esse tentationem memorauit. Laboriosa
enim est uita temporalis, leuior fabulis, uelocior
cursore, instabilitate fluitans, imbecillitate nutās:
cuius habitatio in luteis domibus, imò ipsa in lu
to subsistens, cui nulla est fortitudo, nulla propo
siti constantia, nulla à turbationib. requies, nulla
à laboribus reclinatio. Quis deniq; est quem non
excruciet dolor, sollicitudo non urgeat, non sub
ruat timor? Risus fletum sequitur, gaudium tristi
tia comitatur, esuriei succedit saturitas. Saturita
tem iterum excludit esuries: in nocte dies opta
tur, in die nox quæritur. In algore calor, in æstu re
frigerium, ante cibum suspiria, post cibum tribu
latio, iræ indignationes exagitant, & innumera
biles miseros homines motus perturbant. Hæc
est uallis quam sancti uiri mentis affectibus inde
sinenter exire disponunt, & ad illud ineffabile bo
num, ad illud inæstimabile gaudium ascendere,
quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in
1.Cor.2 cor hominis ascendit. Qui etsi corpore quidem in
ter homines esse uideantur, animas tamen suas ad
cœlestia eleuant, & illi puro, & summo bono atq;
immortali & perpetuo adhærentes, temporalia
& corruptibilia deserunt, & mundo superiores fa
cti, in sinu diuinæ contemplationis quiescunt. Ibi
in illo cœlesti templo cordis oculis deum conspi
ciunt, immo & in eiusdem templi structura ipsi
quoque lapides fiunt. Per quindecim uerò illius
templi gradus, spiritalis sanctorum signat̄ ascen
sus. Numerus enim iste in septem & octo diuidi
tur, & ideo per eum gemina iustorum uita signa
tur, actiua uidelicet, & cōtemplatiua. Actiua nan
que in mundo uersatur, contemplatiua uerò ad
cœlestia erigitur. Quia uerò septenario numero
temporalis, octonario uerò perpetua uita signa
tur, rectè per eosdem numeros & contemplatiua
uita exprimit̄ & actiua. Hinc nanq; prædicti tem
pli author Salomon dominum exorans ait: Da
Eccls 11 mihi domine partes septē, necnon & octo. Opta
bat enim regiæ dignitatis potentia præditus, ita
sibi subditos populos regere, ut tamen contem
plationis diuinæ non defraudaretur perfectione.
Ipsa nanq; officij administratoria necessitate con
strictus, cogebat̄ temporali actioni insistere, sed
suauius eum contemplationis diuinæ dulcedo re
ficiebat in mente. Potest etiam intelligi quòd ille
quindecim gradus ad illud diuinæ illuminationis
templum ascendit, qui sempiternæ uirtutis dei a
more correptus, temporalibus quæ per septena
rium numerum designātur, gradatim cōtemptis,
per scalas octo beatitudinum ad sublimia proue
hitur, donec deus deorum in Sion mentis oculis
uideatur. Sed uidemus nunc, sicut ait Apostolus, 1.Cor.13
per speculum in ænigmate. Impossibile est em̄ ut
quis lutei huius corporis ergastulo inclusus, aut
mortalis carnis circunseptus uolutabro, ascenden
tem super Cherubin & super pennas uentorū uo
lantem deum cōspiciat, uel quanta sit eius poten
tia diuinitatis agnoscat. Vnde per Ioannem dici
tur: Deum nemo uidit unquam. Et Moysi deum 1.Ioan.4
uidere quærenti, responsum est à domino: Non ui
debit me homo & uiuet. Quòd si tanta claritas est Exod.3
Solis ut oculis in eū corporalibus nō ualeamus
intendere, quanta est illius claritas qui fecit Solē,
ut eum possimus in hac qua sumus corruptione
uidere? Ipsum uerò per speculum in ænigmate in
tueri, quod humili aduentu sponsi accepit Eccle
sia, illius æternæ uisionis signū est, & futuræ per
fectionis imago, in qua non iam per fidem, sed
per speciem ambulabim⁹, & reuelata facie ipsam
diuinæ maiestatis gloriā irreuerberatis oculis cō
spiciemus. Quia ergo hi quindecim Psalmi quan
dam spiritalis ascensus continent formam, rectè
sub eodem titulo omnes prænotati sunt: ut sicut
ad illud materiale templum per gradus ascende
batur lapideos, ita cœleste illud templum hæc no
bis cantica præferant, per quæ in deo exultans a
nima, quasi per quosdam gradus ascendat. Ascen
suri ego non corpore sed spiritu, non passibus sed
affectibus, hunc Psalmū decantemus, & in eo stu
deamus deo meditatione appropinquare, dicen
tes cum propheta:

Explanatio sexti Psalmi pœnitentialis.

DE profundis clamaui ad te domine, do
mine exaudi uocem meam.

Attendat unusquisq; in quo profundo iaceat,
& quàm longe à deo peruerse agens effectus sit.
Clamet ad eum totis uiribus qui intuet̄ abyssos,
& sedet super Cherubin, donec de profundi tene
bris erutus, superno illustretur lumine, & clarita
te perfruatur cognitionis diuinæ. Clamauit Ionas
ad deum de uentre ceti, de altitudine maris, de
profundo inobedientiæ, & ad aures dei oratio il
lius peruenit: qui eum eruit à fluctibus, eripuit à
bestia, absoluit à culpa. Clamet & peccator quem
à deo recedentem cupiditatum tempestas contri
uit, quē malignus hostis absorbuit, quem præsen
tis seculi fluctus inuoluit, agnoscat se esse in pro
fundo, ut ad deum sua perueniat oratio. Quia ue
rò Psalmus iste ad ascendentes pertinet, uidea
mus qualiter ad deū iustus de profundo clamet.
Quomodo enim non profundus est qui ascensio
nes suas in corde suo disposuit, qui intentionem
cordis ad deum dirigit, qui laboris studium ad cœ
los attollit? Sed sciendum quòd sancti uiri eo se
magis infimos & abiectos sentiunt, quò per men
tis desiderium erecti, uicinius ad deum accedunt

Tunc enim primùm miseriam suam incipiũt perfectè cognoscere, cùm dei præsentiam cœperint in corde sentire. Hinc est quòd Abraham qui collocutionis diuinæ gratiã meruit, puluerem se esse
Gen.43 & cinerem memorat, dicens: Loquar ad dominũ,
Gen.22 cùm sim puluis & cinis? Hinc Iacob postquam dominũ uidit, neruo fœmoris emarcescente, uno pede claudicauit: quia profecto debiles se esse & infirmos reputant, qui se ad uidendum deum per studium sanctæ cõtemplationis leuant. Qui dum
Spem in carne ponere non debemus
spem suam in carne ponere desinunt, quasi unius cruris uires amittunt. Eoq; assuescunt cœlesti duntaxat desiderio inniti, quo senserint se à spe rerum temporalium debilitari. Et quasi neruum non habent in fœmore, dum non confidunt in carnali B generatione. Omnia quæ sub cœlo sunt, uanitatem æstimant, & cùm præsentis uitæ miserijs plenos se esse & obsitos circunquaq; conspiciũt, quasi de profundis ad deum clamant. Magna profunditas uita mortalis, in qua nihil est certum, nihil uitale, nihil tutum, nihil tranquillum. Magna inquam profunditas, in qua peccator obruitur, impius immergitur, iustus turbatur. Ideo nanque clamat & dicit: De profundis clamaui ad te domine.] In quo notandum: quia non ait clamo, sed clamaui. Habes in hoc perseuerantiæ documentum, ut si primò non exaudiris, ab oratione non deficias, immo precibus & clamori insistas. Vult deus rogari, uult cogi, uult quadam importunitate uinci. Ideo tibi dicit:
Matt.11 Regnum dei uim patitur, C & uiolenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus: caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, ut regnum cœlorũ accipias: esto uiolentus, ut uim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius uiolentia? Bona uiolentia, qua deus non offenditur sed placatur, proximus non læditur sed iuuatur, peccatum minuitur nõ multiplicatur. Bona inquam uiolentia qua non quæritur lucrum citò perituru, sed regnum acquiritur sine fine mansurum. Discant qui res alienas diuino postposito timore diripiunt, & rapinis pauperum magis peccata cumulare quàm lucra augere non cessant, aliquid rapere quo & ueras sibi uendicent diuitias, & glo- D riam laudis perpetuæ acquirant: ne in hoc quoque stultitiæ arguantur, si cùm possint preciosa & æterna diripere, uilia solum & transitoria uideantur auferre. Inferant & ipsis cœlis uiolentiam, & regnum cœlorum quadam orationis ui rapiant. Sint in precibus importuni, ut ex longo clamoris usu dicere possint: De profundis clamaui ad te domine, dñe exaudi uocem meam.] Nominis uenerandi repetitio, precandi adauget affectũ. Mouetur enim desiderium, si nomen quod diligitur replicatur. Videtur hic qui loquitur, quandã exauditionis causam prętendere, cùm se insinuat clamasse, ut quasi iure debeat exaudiri, qui dudum institit clamori. Hanc & Apostoli causam domi-
Matt.15 no dedisse leguntur, cùm Chananæa rogante dixerunt: Dimitte eã: quia clamat post nos. Ideo nanq; à domino exaudiri meruit, quia prima domini responsione repulsa, clamare nequaq; cessauit. Fide quippe & dilectione accensa, à clamore nõ antea destitit, q; optatam filiæ salutem acquisiuit.

Fiant aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ.

Ascendens iste maius aliquid rogare aggreditur, & in ipsa etiam sua oratione ascẽdit, cum hoc à deo expostulat, ut quasi quodammodo aures inclinans orationi suæ deus intendat: ne forte sit mora in exauditione, si longè sint aures ab oratione. Videtur enim quendam diuinæ miserationis præcipuum precari affectum, cùm rogat eum quodammodo ad audiendum affectari: ut cùm uocem uelit audire supplicantis, opus non differat exercere miserentis, humanæ in hoc sequens locutionis modum: quasi huiusmodi deus affectione indigeat, quem non effugit cogitatio, non latet uoluntas, dum ei nec intentio silet, nec desiderium tacet. Nam dum potens quilibet supplicantem aliquem audire negligit, quasi primo aditu repulsus, exaudiri qui supplicat diffidit. Si uerò qui rogatur, primo libẽter audire cœperit, & alijs postpositis negocijs, uerbis solummodo rogantis intendere: continuò ille qui rogaturus aduenit, quandam concipit impetrandi fiduciã, & ipsa quodammodo spe animatus, suam liberius proloquitur causam. Magnum quippe bonæ uoluntatis suę dominus illi dedit indicium, cùm loquenti se præbuit incunctanter intentũ. Sic & nos cùm dari nobis ueniã à deo quærimus, & cœlestis gratiæ uitalia dona conferri, si nobis deum præsentẽ aliquibus suauitatis & dulcedinis suæ senserimus indicijs, ad ipsius desiderium studiosius animamur, super his quæ cupimus, adipiscendis aliquatenus certiores effecti, cùm ille quem anima nostra desiderat, desiderantibus nobis per misericordiam appropinquat. Ascendens igitur iste qui ad illius incorruptibilis celsitudinem mẽtem leuare proposuit, aures dei deprecationi suæ intentas deposcit, ut quia oratio sua ad deum per rectæ studium intentionis dirigitur, circa eum quem rogat, uelociter exaudiatur. Ascendenti autem & prouecto uiro, à domino per prophetam dicitur: Ad huc loquente te dicam, ecce assum. Inter orationẽ & deprecationẽ hoc interest: quia oratio pro uirtute perseuerantiæ, deprecatio uerò fit pro peccatorum impunitate. Ideo qui ad celsitudinis arcem ascendere contendit, dicit: Fiant aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ.] Deprecatur enim deum ut peccatorum suorum obliuiscatur, ut pater esse uelit, non iudex. Ideoq; subiungit dicens:

Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit?

Nomẽ repetit, ut affectũ excitet. Iniquitatẽ deus obseruaret, si peccatoribus ueniã negaret. Si solũmodo ostẽderet seueritatẽ, non etiã adhiberet pietatem. Quod si faceret, nemo æternæ gloriam felicitatis expectaret, nemo ad patiendum iusti

examinis

examinis pœnam sufficeret. Omnes enim pecca-
Rom.3 uerunt, ut ait Apostolus, & egent gratia dei. Verùm quia pœnitentibus ex corde ignoscit, & peccatore conuerso omnium iniquitatũ eius obliuiscitur, quis iam de misericordia dubitet? Quis iam de uenia desperet? Hæc etenim per prophetã do-
Esa.44 minus pollicet dicens: Ego sum, ego sum qui deleo ut nebulam iniquitates tuas, ut iustificeris. Attende qualiter peccati cõfessio peccata obliteret, quæ iustificat iniquum, tollit à deo memoriã peccatorum. Cõfiteamur ut deleantur nostra peccata, nec post cõfessionẽ ad ea reuertamur, sed iuxta
Phil.3 Apostolum, in anteriora nos extendentes, quæ retro sunt obliuiscamur. Non gestiamus reuerti in Ægyptum, aut sedere super ollas carnium, nec simus concupiscentes malorum, nec idola mentis ueneremur, nec deum tentemus, nec in deserto mũdi huius murmuremus. Cõfiteamur de præteritis peccatis nos accusantes, cõfiteamur de peccatorum indulgentia deũ laudantes. Est nanq; confessio peccati, & confessio laudis. Si enim confessio laudis non esset, saluator noster nequaquam dixisset: Confiteor tibi pater cœli & terræ. Nam quomodo peccatum confiteretur, qui peccatum non fecit? præcedat itaque confessio, ut laudatio sequatur, sicut scriptum est: Rectos decet col-
Psal.32 laudatio. Habemus enim pontificem qui possit compati infirmitatibus nostris, de quo & aperte sequitur:

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te domine.

Heb.9 Quis est propitiatio nisi Christus Iesus: qui se obtulit sacrificium deo, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum? denique lo-
1Ioan.1 annes ait: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Qui est apud deum: quia sedet ad dexteram dei,
Psal.109 sicut dicit propheta: Dixit domin⁹ domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Apostolus quoq; perhibet, quòd ad dexteram patris sedens pro nobis interpellet. Et propter legem tuã sustinui te domine.] Lex dei misericordia est, qua peccantibus ueniam contulit, reuertentibus æternæ uitæ aditum patefecit. Hanc legem pro crucifixoribus suis patrem exorans Christus impleuit, hanc nobis
Luc.9 tenendam uerus magister indixit. Ait enim: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui uos oderunt, & orate pro persequentibus & calumnianti bus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est. In quo profecto ostendit: quia filij dei aliter esse non possumus, nisi misericordiæ legem seruantes inimicos diligamus. Hanc etiam nobis Paulus te-
Gal.6 nendam insinuat, cùm ait: Fratres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Quis autem portat alterius onera, nisi qui charitatem habet? Qui enim ueraciter diligit, læsus A non lædit, cõtumelijs uicem non reddit, detrahentibus sibi non detrahit: qui eum oderunt, nõ odit.
Scriptum nanq; est: Charitas patiens est, benigna 1 Cor.13
est. Patiens quidẽ ut aliena mala toleret, benigna uerò ut ipsos etiam quos portat amet. Qui ergo illata mala æquanimiter tolerat, quasi infirmi fratris onera portat. Hæc est lex misericordiæ, per quam perpetuam euadere damnationem confidimus, per quam etiam saluatorem dominum nostrum Iesum Christum expectamus. Qui si, ut supra dictum est, iniquitates obseruaret, nemo sustinere sufficeret. Sustinemus autem eum propter legem suam, qui peccantibus in nos idcirco dimittimus, ut peccatorum nostrorum ab eo ueniam
B percipiamus. Hinc nanq; per semetipsam ueritas ait: Dimittite, & dimittetur uobis. Luc.9

Sustinuit anima mea in uerbo eius, speravit anima mea in domino.

Vide perfectæ charitatis ordinem. Ascendens iste & in amore diuino proficiens, qui fide & dilectione introrsus accenditur, desiderio ad æterna erigitur. Spe ad summa leuatur, proximorum non postponit salutem: ad eos inter ipsa diuinæ gaudia contemplationis conuertitur, & ut gradibus eisdem ad deum accedant hortatur: eis nimirum exemplum se proponens, ut si infirmitate aliqua impediant̃ à desiderio proficientis, iam & perue-
C nientis promoueant̃ exẽplo. Ideoq; ait: Sustinuit anima mea in uerbo eius.] Nolite diffidere, nolite dubitare, ponite corda uestra in uirtute eius: quia sustinuit anima mea in uerbo eius. Qui manet in uerbo, non fraudatur à regno. Aliter nanq; fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus. Ideoq; ait: Manete in me, & ego in uobis. Ioan.15
Vbi enim manendum nisi in ipso? Deficient domus, palatia corruent, destruentur ciuitates, ab imis sedibus turres euellentur. Postremò cœlum & terra transibunt, uerbum autem domini manet in æternũ. Maneamus ergo in eo qui manet in æternum. Non sequamur uanitatem, deserentes ueritatem: nec contristemur sicut cæteri qui spem non habent, sed sustineamus eum. Et si moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis quod per
D prophetam dicitur: Væ his qui perdiderunt sustinentiam: unde & subditur: Sperauit anima mea Eccls2
in domino.] Quicunque mundanæ aduersitatis fractus molestijs, diabolicæ tentationis infestatione dejectus, à spe cœlestium promissionum deciderit: sustinentię quam prius habuerat mercedem amittit. Qui uerò sustinebit, magnam reportabit remunerationem. Fidelis enim dominus in om- Psal.144
nibus uijs suis. Promisit in hac uita pœnitentibus ueniam. Manifestum est ergo quia sicut confitentibus remissionem tribuit peccatorum, ita à spe non decidentibus dabit regnum cœlorum. Ideo qui in uerbo eius sustinuit, in domino sperare se dicit: Sicut enim maledictus homo qui confidit Hiere.17
in homine: ita & beatus cuius est nomen domini spes eius, & non respexit in uanitates & insanias falsas. Psal.32

Acustodia

Universidad de Deusto
Biblioteca

A custodia matutina usq; ad noctē, spe- A
ret Israel in domino.

Si ad literam hoc accipiamus, dehortari nos potius quàm monere uidetur. Quis enim tam pusillanimis, ut una tantum die speret in domino? Rom.8 Vbi iam erit illa Pauli sententia qua ait: Si autem quod non uidemus, speramus, per patientiam expectamus? Quàm parua unius diei patientia, & quàm breuis expectatio? Sed ut hūc locū melius intelligamus, ad uicesimi primi Psalmi titulū curramus. Intitulat enim pro assumptione matutina. Quæ est assumptio matutina, nisi resurrectio deo manè facta? Ibi nempe & custodia facta fuit, ad B
hoc usq; prorumpente Iudaicæ cæcitate perfidiæ, ut quem uiderant mortuum, crederent non resurrecturū. Et ne eum discipuli nocte raperent, custodibus sepulchrū munierūt. Alia translatio habet, à uigilia maturina, per quod aptius ipsa dñi resurrectio exprimit. Qui enim dormiuit in morte, uigilauit in resurrectione. Ideoq; dicit: Ego dormi- Psal.3
ui, & soporatus sum, & resurrexi. Et iterū: Vigila- Psal.100
ui, & factus sum sicut passer solitari⁹ in tecto. Hæc itaq; resurrectio spei nostræ fundamentū est: quia illuc nos peruēturos speramus, quo caput nostrū præcessisse cognoscimus. Multos enim ante hanc resurrectionem legimus resuscitatos, & tamen dicit Apostolus: quia primitiæ dormientium Christus. Ioannes quoq; primogenitū mortuorū eum nominat. Quotquot em̄ ante eum resurrexerūt, C
iterū mortui sunt: Christus uerò resurgens à mor- Rom.6
tuis, iam non moritur. Christi ergo resurrectio spei nostræ fundamentum est: quia in illa uita resurrecturos nos credimus, in qua nos cum eo uicturos sine fine speramus. Nec debet iam homo de resurrectionis ueritate ambigere, cùm sciat uerum hominem Christum à mortuis resurrexisse. Ad hoc enim mortuus est ut uiueremus, accepit à nobis ut offerret pro nobis. Moriendo itaq; mortem destruxit, resurgendo uitæ aditum nobis patefecit. Hinc est quòd eidem Ecclesia dicit: Notas Psal.15
mihi fecisti uias uitæ. Ante aduentū quippe eius, uitæ uia omnibus ignota fuerat, tendentibus cunctis ad mortem, & ad inferos descendentibus etiā electis, donec ille ueniret qui & impios ad iustifi- D
cationem, & mortuos uocaret ad uitam, ueram fidem astruēs mortis & resurrectionis suæ indicijs, & doctrinæ nouæ nos formans institutis, per quę nimirum & mortem possemus euadere, & in nouitate uitæ per adiunctam spiritus sancti gratiam ambulare. Possumus quoque per custodiam matutinam ipsa fidei nostræ rudimenta accipere, ut à tempore accepti baptismatis, post illustrationem gratię salutaris, intentionem suam unusquisque ad eum dirigat, & spem suam in eo singulariter ponat. Quasi enim matutinam lucem recipit anima, cùm tenebris infidelitatis expulsis, & uitiorum detersa caligine, & emundatis peccatorum maculis per lauacrum regenerationis, paulatim incipit deū agnoscere, & in lumine iocundari cognitionis diuinæ. Est enim lumen cognitio dei, de qua scriptum est: Illuminate uobis lumen cognitionis. Magnum lumen, quod tenebras cordis euacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas iustitiæ, desiderū uirtutis adauget. Magnum lumē, per quod uitamus offēdicula, præcipitia præcauemus, euadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus aduersa, respuimus errorem, sequimur ueritatem. Quis non desideret hoc illumi nari lumine? Quis non hoc fulgore illustrari exoptet? Hinc est quòd ꝓpheta nos admonet dicēs: Accedite ad eū, & illuminamini. Qui accedit per Psal.33
fidem, illuminatur per cognitionem. Statim autem post illuminationem, gratiæ spem sequi oportet. Hoc enim monet qui dicit: A custodia maturina usq; ad noctem speret Israel in domino.]
Quæ est hæc custodia? nunquid auri uel argenti? num monilium uel lapidum precioſorū? num uestium uel pecuniarum? Nōne hæc sunt quæ mergunt hominē in interitum? Sed est his multo precioſius quod illuminatum custodiri oporteat. Dicit enim propheta: Iudicia domini uera, iustificata Psal.18
in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidē precioſum multum. Deniq; de sapientia dictum Prou.3
est: quia est precioſior cunctis opibus, & omnia quę desiderantur, huic non ualent comparari. Hę sunt ergo diuitiæ quas custodire debet qui de nocte ad matutinum peruenit, multo precioſiores terrenis, & temporalibus ueriores, quas nec ignis exurere, nec tinea comedere, nec prædo potest auferre. Hæc etiam mihi uidetur propheta sensisse cùm in præcedentibus quæreret: In quo corrigit Psal.118
adolescentior uiam suam? Ne si hoc sine discussione assereret, uideretur quod adiunctum est, magis ex præcipitatione prolatum, quàm ex iudicio diffinitum. Et ut consilium eo salubrius crederetur, quo propensiori meditatione examinatum uideretur, secutus adiunxit: In custodiendo sermones tuos. Conuersus autem ad deum, ad interrogata respondet, ut diuinæ pietatis remedium crederetur, quod esset inuentum non præsumptione humana, sed inspiratione diuina. Hinc Hieremias ait: Bonum est uiro cùm portauerit Thren.3
iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit. Iugum est uerbum dei, mentis nostræ collo impositum, ut nec alta ceruice aut nutibus procedamus oculorum, nec de accepta qualibet gratia inflemur, nec extollamus in altum cornu nostrum, nec aduersus deum iniquitatē loquamur: sed in omnib. sicut dei ministros nosmetipsos exhibētes, animas nostras humiliemus, & iuxta Apostolū: Imitatores dei sicut filij charissimi exista- Ephes.5
mus. Portandum autem hoc iugum ab adolescentia, ut iuuentutis annos congrua disciplinæ correctione unusquisq; præueniat, ne si post decursę iuuentutis annos iugum tulerit, suorum stimuletur rememoratione peccatorum, & erroris usu & peccandi consuetudine exagitetur, & nouis semper insurgentibus prælijs, eos in seipso sentiat impugnationum tumultus, per quos quotidie aut uictor existat, aut uictus. Nā si ab ipsis adole-

scentiæ

scentiæ primordijs ceruicem uerbi iugo subdide rit, omnibus in seipso ritè compositis in pace sede bit. Sedebit quidem animæ carnem subijciens, & de tribunali rationis quasi de iudiciaria sede omnibus internis motibus uelut quibusdam ciuibus edicta proponens. Sedebit inquam nullum metuens hostem, nullam sentiens impugnationem. Stare nanq; pugnantis est, sedere uerò feriati. Sedebit quoq; solitarius, id est, ab omni carnalium desideriorum tumultu remotus. De hac solitudi-
Psal.54 ne Dauid dicit: Elongaui fugiens, & mansi in soli tudine. Neq; enim rex potentissimus qui tot milibus populorum præerat, in solitudine habitabat. Habitabat autem in solitudine cordis sui, in qua nullos hostium spiritalium impetus, nullos peruersarum cogitationum strepitus, nullos pateretur clamoris iniqui tumultus. Qui uerò solitarius sedet, tacet: intelligens melius esse silere, q̃ loqui incautè. Hinc etenim scriptum est: Homo
Prou.11 sapiens tacebit usque ad tempus. Prius nanq; o-
Ezec.2 portet discere quàm docere. Ideo dictum est: Audi Israel. Neq; enim prius dixit loquere, sed audi: Sed prophetę dictum est à domino: Fili hominis, sta super pedes tuos, & audi quæcunq; loquor ad
Psal.84 te. Qui audit, tacet. Tacet ergo qui in lege dei meditatur die ac nocte, & audit quid loquatur in eo dominus deus, qui loquitur pacem in eos qui conuertuntur ad cor. Restat ergo ut dicamus quid sit quòd usque ad noctem sperandum in domino dicit: Quis dubitat noctem finem esse diei? Sic unicuiq; hominis finis istius uitæ mors sua est. Potest quoque per noctem intelligi illa extremi iudicij dies, quam prophera diem nominat tenebrarũ & caliginis, in qua ad cœleste regnum uocantur electi, ubi iam spes eorum terminabitur, receptis o-
mnibus quæ in hac uita sperauerũt, & ad laudem
Psal. 47 dei cõcinentibus sanctis: Sicut audiuimus, sic uidimus in ciuitate domini uirtutum. Quod enim uidet quis, quid sperat? Speramus ergo in hac uita, ut quod hic in spe concipimus, ibi in re habeamus.

Quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Commendat nobis dei charitatem, ut nos ad sperandum hortetur. Ex hoc enim usq; ad noctẽ speramus: quia eum misericordem credimus, longanimem scimus. Vnde non incongruè per quendam sapientem dictum est: Tribularer, si non scirem misericordias tuas domine. Tribulatiõi quippe cordis nostri remedium miserationis diuinæ occurrit: & contra diffidentiæ malum firmissimæ spei adhibet consolationem, promissionum diuinarum certa nobis proponens exempla, quibus peccantium salutem se malle asserit quàm perditionem. Quorundam quoq; correctionem ad animum reducens, quos etsi a statu rectitudinis error subruit, conditoris tamen gratia in melius reformauit. Ecce grauium delictorum mole obrutus, & de meritorum qualitate diffisus, aspicio Zacchęum, intueor Mariam, considero Petrum, perpendo Latronem in quibus miserationis diuinæ splendor apparuit, atq; per eos spem ueniæ peccantibus dedit. Hæ sunt inæstimabilis miserationis dei diuitiæ, humano quidem generi à seculis absconditæ, nouissimis uerò temporibus per mediatorem dei & hominum declaratæ. Quę pro sui immensitate adeo incomprehensibiles sunt, ut in explanatione eorum manus torpeat, fatiscant ingenia, eloquentiæ conticescant. Superant enim sensum, sermonem transcendunt, intellectum excedunt. Quis enim dignè enarrare sufficiat quantæ misericordiæ fuit, unigenitum dei filium de sinu patris ad publicum nostrum descendere, carnem mortalem assumere, irrisiones pro nobis, uincula, flagella, crucem mortemq; tolerare? Quis cogitare ualeat quãtæ fuerit gratiæ, ouẽ perditã quærere, quæsitã inuenire, inuentã in humeris portare? Quis exponere queat, quantæ fuerit miseratio nis, sacratissima precioſi sanguinis effusione genus humanum redimere, & sacrosanctum uiuificî corporis & sanguinis sui mysterium membris suis tribuere? cuius perceptione corpus suũ, quod est Ecclesia, pascitur & potatur, abluit̃ & sanctificat̃. Ideo & plenitudo temporis tempus gratię nominatur, in quo iuxta Pauli uocem: Apparuit gratia Ad Tit.2
saluatoris nostri dei omnibus hominib. erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria sobriè & iustè & piè uiuamus in hoc seculo. Et iterum: Apparuit benignitas & humanitas sal- Ad Tit.3
uatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit. Hinc per Zachariam prophetam dicit̃: In die illa erit fons patens domus Dauid inhabi- Zach.3
tantibus Hierusalem in ablutione peccatorum & menstruatæ. Quis est iste fons nisi unigenitus dei filius? de quo per prophetam dicitur: Apud te est
fons uitæ. Qui nimirum tunc patens extitit, quan Psal.35
do in mundo uisibilis apparẽs, pro liberatione nostra carnẽ suscepit. Qui etiã domus Dauid dictus est: quia ex semine Dauid secundum carnẽ natus est. Hierusalem uerò uisio pacis interpretatur. Hi ergo Hierusalem inhabitant, qui ad amorem cœlestiũ mentem leuant. Peccator uerò & menstruata est, uel is qui delinquit in opere, uel mens quæ labitur in praua cogitatione. Menstruata nanque mulier ita in seipsa polluitur, ut aliena carne mini me tangatur. Quasi ergo menstruata illa est anima, quæ etsi in praui operis effectum non ducit̃, in immundarum tamen cogitationum delectatione uersatur. Quia igitur iam patet nobis fons misericordiæ redemptor noster, toto hũc pectore hauriamus, ut extinguere sitim carnaliũ desideriorũ ualeamus. Lauemus in eo maculas criminum, notas diluamus carnalium cogitationum. Et qui fontem misericordiæ, si clausus esset, quærere debuimus, saltem apertũ & patentem non negligamus. Sperandum nanq; nobis est: quia ibi pœnitentiæ nostræ locus non deerit, ubi innumerabilium hominum compũctio locum inuenit. Ad hoc enim patet ut lauet, ad hoc fluit ut lætificet, ad hoc redundat ut purget. Nam subditur:

Et ipse

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniqui A tatibus eius.

Reſtat igitur ut Iſrael efficiamur,& omnẽ tranſcendentes creaturam, in eum qui omnia creauit mentis aciem dirigamus. Diſponamus aſcenſiones in corde noſtro,& per eas ad conditorem angelorum puro & ſimplici intellectu aſcendamus. Quid enim tam ſuaue & tam iocundum quàm mentis oculis & cordis deſiderio contemplari deum,atq; eius ſuauiſſimam deguſtare dulcedinem, dulciſſimamq; ſentire ſuauitatem? Adeſt nobis gloria redemptoris noſtri, quæ nos à terrenis ad cœleſtia erigat, oculos cordis noſtri ad uidẽdum ſolem iuſtitiæ aperiat,ac per hoc ex omnibus nos B iniquitatibus noſtris redimat.Qui uiuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Prologus ſexti Pſalmi pœnitentialis.

DE Pſalmi centeſimi quadrageſimiſecundi titulo,iuxta quod pietas diuina contulerit,locuturus,pri⁹ uolo modos aperire prophetiæ,quatenus dum eius diuerſitas oſtenditur,eius & intelligentia facilius acquiratur. Sciendum nanq; eſt: quia prophetia tribus modis fit,uidelicet uerbis, factis, ſomnijs.Quicunq; eñ propheta futura innotuit,aut uerbis aut factis, aut ſomnijs prophetauit. Verbis nanque futura prædixit Eſaias cùm ait: Ecce uirgo concipiet & pariet filium, & uocabit nomen eius Emmanuel. Somnijs uerò Nabuchodonoſor futura præuidit, quæ ſpiritu ſanC cto Daniel repletus enodauit. Factis Abrahã futura nunciauit, quando unicum filium ſuum ad ſacrificia obtulit. Quem nimirum,quem in hoc opere deſignat,niſi eum qui proprio filio ſuo non pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit illum? Ipſa enim antiquorum patrum geſta nobis prophetiæ ſunt,qui dum aliud agunt,& aliud innuunt,occulta nobis quaſi per operis linguã produnt. Quod hoc in loco euidenter oſtenditur, cùm Abſalon facta ad memoriam reducuntur. Abſalon nanq; patrem perſequens, ad hoc uſque liuore feralis prorupit inuidiæ, ut in ſeipſo deſtrueret iura naturæ. Quem enim naturaliter amare debuerat ut patrem, eum inhumanè perſequebatur ut hoſtem. Abſalon aũt pax patris interpretatur, non quòd D ei pax ulla cum patre fuerit, ſed quia quantæ pacis & patientiæ extitit eius peruerſitate pater, oſtendit. Quis autem per Abſalon niſi Iudaicus populus,quis uerò per Dauid niſi redemptor noſter ſignatur? Hinc nanq; per prophetam ueritas ait: Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt. Denique ipſe eſt filius ſenior, qui adoleſcentioris inuentioni inuidens & ſaluti, domum renuit intrare Eccleſiæ. Qui profecto canticum non cantat lætitiæ, nec concinentiũ admiſcetur choris, & annulo carens fidei, nec ſtola immortalitatis induitur, nec uituli ſaginati alimento ſatiatur. Qui etiam hœdum quærit: quia agnum qui tollit peccata mundi, non ſequitur: & ideo inter hœdos in iudicio ſtatuitur, nec ad cœnam nuptiarum eius uocatur. Patrem ergo Abſalon perſecutus eſt: quia Iudaic⁹ populus dum monita ſalutis reſpuit, in propria uenientem dei filium recipere recuſauit. In tantum autem ueſaniæ ſuæ extendere conatus eſt rabiem, ut ſuum occidere præſumeret creatorem.In quo nimirum facto patientia Chriſti declarata eſt, qui nõ ſolum eis malum pro malo non reddidit,uerumetiã ad mortem ductus pro eis orauit dicens: Pater ignoſce illis:quia neſciunt quid faciunt. Vnde & Apoſtolus admonet dicens: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum,ut ſequamur ueſtigia eius. Qui peccatum non fecit,nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur,non cõminabatur.Orat autem caput in hoc Pſalmo pro membris, Chriſtus pro Eccleſia,uirtus pro infirmitate. Orat quippe ut non ſeuere iudicentur, ſed miſericorditer exaudiantur. Perſequitur etiam hoc tempore ſchiſmaticus corpus Chriſti, impugnat hæreticus Eccleſiam,unitatem infidelis perturbat. Sed clamat ad deũ Eccleſia, capiti ſuo Chriſto in unitate ſpiritus cõiuncta. Quæ etſi omni tempore ad deum clamat, præcipue tamen in tribulatione ſe ad orandum excitat,unde & dicit: In die tribulationis meæ clamaui ad te. Sed uideamus quid dicat:

Luc.23

1.Pet.2

Explanatio ſeptimi Pſalmi pœnitentialis.

DOmine exaudi orationem meam,auribus percipe obſecrationem meam in ueritate tua,exaudi me in tua iuſtitia.

Sancta uniuerſalis Eccleſia ſecundum dignioris partem ſui in ſpe cœleſtium præmiorum roborata,ſicut in electis habet quod conſeruari deſideret,ita in infirmis inuenit quod ſibi dimitti exoret:ſciẽs omnes diuino egere auxilio,quos infelicis uitæ cõditio anguſtat, cùm & iuſtus inter pericula ſecurus eſſe non ualeat,& peccantem nõ niſi ſola gratiæ diuinæ miſerationis abſoluat. Vtrobiq; ergo pauida,utrobiq; ſuſpecta,& pro currentibus orat ut perueniant,& pro regreſſis obſecrat ut currant.Inter orationem autem & obſecrationem hoc intereſt,quòd oratio pro perſeuerantia uirtutum,obſecratio uerò fit pro indulgentia peccatorum.Orat ergo caput uel Eccleſia, ut & bene operãtes in iuſtitia roborẽtur.In eo uerò quòd ait:Auribus percipe obſecrationem meam,]delinquentium deſignat debilitatem, qui ad ſimilitudinem ægrotantium quadam omnipotẽtis medici indigent condeſcenſione, cùm ſe non ualeat ad eum peccator leuare. Vel auribus percipe, ideſt,obſecrationibus intende.Hoc nanq; per prophetam pollicetur dicẽs: Conuertimini ad me & ego conuertar ad uos. Vnde & ſubditur:In ueritate tua:]In hoc enim uera apparet promiſſio:quia cõuerſo tribuitur remiſſio peccatorũ,iuxta quod ſcriptum eſt:Iuſtificeris in ſermonibus tuis,& uincas cùm iudicaris. Exaudi me in tua iuſtitia.] Qui gloriatur in ſe,non exauditur. Non exaudiuntur illi qui ignorantes dei iuſtitiam,& ſuam uolentes ſtatuere,iuſtitiæ dei non ſunt ſubiecti. Denique Phariſæus iuſtitiam ſuam in templo ſtatuere uoluit

Eſa.45

Pſal.50

Prophetia triplicitèr fit.

Eſa.7

Rom.8

2.Reg.18

Pſal.17

uoluit,& ideo à domino reprobatus fuit. Glorie- A
mur ergo in iustitia dei, si exaudiri quærimus, ut
nos cum propheta dicere possimus: Exaudi me
in tua iustitia.] Quis autē gloriatur in iustitia dei,
nisi qui nihil boni suis meritis tribuit, & iustum
esse quicquid aduersi tolerat sentit? Gloriabatur
Paulus in infirmitatibus suis, nihil boni non acce
pti se habere testabatur, humilitatis nobis exem-
1.Cor.1 pla, pponens erat, ut qui gloriaꝫ, in dño glorietur.

Et nō intres in iudiciū cum seruo tuo, qa
nō iustificabit in cōspectu tuo oīs uiuēs.

Qui contra cōditoris flagella murmurat, qua-
si cum eo in iudicium intrat. Dei nanque accusat
iudicium, qui se æstimat iniustè percussum. Et qua B
si cum deo in iudicio contendit, qui inter flagella
innocentē se ostendit. Hinc etenim dñs ad beatū
Iob loquitur dicens: Nunquid qui contēdit cum
deo, tam facilè conquiescit? Vtiq; qui arguit deū,
Iob.39 debet & respōdere illi. Tunc beatus Iob quasi deū
arguit, cùm de percussiōe sua an fuerit iusta dubi
tauit. Nullius quippe delicti sibi conscius, iniustè
se percussum credidit: quia merita sibi augeri ex
percussione nesciuit. Sed qui multa de operatio-
ne sua locutus, audita sanctorum uita tacuit, qua-
si cum deo contendens facilè conquieuit. Vel
certè ille cum deo in iudicium ingredit, qui cùm
Hiere.2 orauerit, murmurat si non exauditur. Quibus di-
citur: An uultis mecum iudicio contendere? Qua
Esa.58 si enim iudicio contendebant, qui dicebāt: Quare C
ieiunauimus, & non aspexisti? Humiliauimus ani
mas nostras, & nescisti? Siquidem stultum est ab
oratione deficere, si deus differat cùm rogatur ex
audire. Et iniquum arguere conditorem, si effe-
ctus nō sequitur orationem, præsertim cùm quid
oremus sicut oportet nesciamus. Nonnullis quip
pe impatientibus dominus quod petebant sæpe
concessit iratus, sicut econtra Apostolo nega-
uit propitius. Dedit enim regem petentib. secun-
dum desideria cordis eorū: dedit etiam postulanti
diabolo, ut Iob simplicem & rectum & timentem
deum tētaret. Malignos spiritus exaudiuit, & por
corum gregem dæmonum concessit legionem in
trare. Non igitur pro magno quis habeat si fuerit
exauditus, cùm aliquid petat quod non impetra- D
re plus prosit. Quòd si postulata non obtinet, non
se abijciat, aut de diuina erga se miseratione de-
speret, cùm fortè ea peteret quib. acceptis uel af-
fligatur atrocius, uel inutilius prosperetur. Scri-
Prou.1 ptum quippe est: Auersio paruulorum interficiet
eos, & prosperitas stultorum perdet eos. Quia nō
iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.]
Scio multos in conspectu hominum iustos uide-
ri, & ad spem cœlestium promissorum euectos in
nocenter in mundo uiuere, qui etsi non delinquāt
in opere, labuntur tamen aliquando uana aut per
uersa cogitatione. Cuius enim mentem cogitatio
nes uanæ non laniant? cuius cor tentationes non
uexant? cuius animū desideria carnis non turbāt?
Non ergo in conspectu dei iustificatur qui corde
delinquit, quod intuetur deus.

Greg.

Quia persecutus est inimicus animā me-
am, humiliauit in terra uitam meam.

Quis sit generis humani inimicus, ostendit qui
parabolam zizaniorum exponens ait: Inimicus
autem diabolus est. Et Apostolus Petrus ait: Ini-
micus uester diabolus tanquam leo rugiens circu 1.Petri 5
it, quærens quem deuoret. Ipse enim est qui ani-
mas persequitur, qui mortem inferre perpetuam
molitur. Ipse est inquam, qui incautos decipit, &
in uia huius uitæ gradientibus laqueos tēdit, Ideo
propheta ait: In uia hac qua ambulabam, abscon- Psal.139
derūt laqueum mihi. Rursum de eo scriptum est: Iob 18
Abscondita est in terra pedica eius, & decipula il
lius super semitas. Dum enim humanæ saluti inui
dens perdere innocētem appetit, prius ei aliquid
quod libeat ostendit. Quod dum appetere incau-
tus nititur, occulto peccati mucrone transuerbe
ratur. Quasi ergo in terra pedica abscondit, dum
in terrenis commodis peccatum occultatur. Deci
pula quoq; ab antiquo hoste super semitam poni-
tur, cùm in actione huius mundi quam mens ap-
petit, peccati laqueus paratur. Ita nanquè in terra
decipula ponitur, ut exposita esca ipsa non uidea-
tur. Sic nimirum sic antiquus hostis dum subruere
aliquem cupit, quasi escam in muscipula, lucrum
in culpa ponit. Ad quod dum auiditatis amore ui-
ator inhiat, ex improuiso eū peccati laqueus suffo
cat. Quis huius hostis uersutias non metuat, qui
tanto est pernicios̄ior, quanto occultior? Non em
quę extra nos sunt auferre nititur, sed diripere the
sauros interiores conatur. Nulla sibi temporali-
um bonorum cupiditas, nulla diuitiarū ambitio,
nullum dignitatis desiderium, sola interiora appe
tit, solas uirtutes diripit, solam animam occidit.
Quòd si aliquando exteriora tetigerit, non ea au
fert ut habeat, sed ut ea auferendo animam euer-
tat. Nouimus quomodo multos quotidie fraudi-
bus suis occupet, quomodo uestimentis gratiæ
expoliet, deceptos uirtutum priuet ornatu, diui-
tijs opum defraudet, liuoribus infuscet tentatio-
num, uulneribus peccatorum transfigat. Hæc est
nanq; peruersitatis eius intentio, ut omnes deijci-
at. Denique quos in uijs dei ambulantes uiderit,
& in proposito iustitiæ cognouerit fortiores, eos
grauius persequitur, à statu rectitudinis subruere
conatur. Ideoq; ait: Persecutus est inimicus animā
meam, humiliauit in terra uitam meam.] Grauis
persecutio. Qui cœperam amore cœlestium terre
na relinquere, & contemptis diuitijs secularibus,
in cœlis conuersari, iam impulsione diabolica co
gor summa & æterna despicere, & de mundi hu-
ius prouidentia incerta cogitare. Terrenarum re-
rum curis aggrauor: carnalium uoluptatum ca-
ptus illecebris, ad ima deducor. Deprimit enim Sapien.9
terrena habitatio sensum multa cogitantem. Hu-
miliauit in terra uitam meam.] Qui contemptis
cœlestibus, ad ima solummodo appetenda dedu-
citur, eius uita in terra humiliatur. Vnde fit ut eò
morti fiat proximus, quo à deo factus est per diffi
militudinem longinquus. Hinc nanq; Apostolus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ait: Qui uolunt diuites fieri, incidũt in tentationẽ, A & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum. Vnde & aptè subditur:

Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Quid infelicius? Viuebã olim deo, mortuus seculo, nunc econtrario mortuus deo, mũdo uiuo. Quid est enim peccatum nisi mors? Hinc etenim
Psal.6 scriptum est: Non est in morte qui memor sit tui.
Hiere.9 Et iterũ: Intrauit mors per fenestras nostras. Mors nanq; est quæ animam à deo separat, sensuũ internorũ intercludit officia, diuinã deturpat imaginẽ, lucis adimit claritatẽ. Deniq; qui in Christo mori B tur, in sepulchro cõscientiæ tumulat, ligatur concupiscentiarũ instítis, à conspectu dei proijcitur, duritie operitur, lapide iniquitatis intus claudit.
Psal.75 De talib. scriptũ est: Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorũ. Hos tamen aliquando resuscitat Iesus, & sublato impœnitudinis lapide, à tenebris ad lucẽ reuocat. Et cùm pro eis Ecclesia intercesserit, per ministerium eos sacerdotum absoluit. Venit ipse ad monumentũ, ad lachrymas Ecclesiæ cõmouetur, iubet ut ad iustitiã resurgãt, qui pridem in iniquitate iacuerat. Tantũmodo opus est ut per confessionem foras ueniat, sentiat cordis dolorem, timeat iudicium dei, ab iniquitate recedat. Habet etiam in hoc prophetæ documentum. Nam subditur: Anxiatus est super me spiritus meus, in C me turbatum est cor meum.] Pœnitentis uiri spiritus anxiatur, cùm superna desiderans, carnis corruptione deprimitur. Cùm cĩ terrenæ labis pondere prægrauatus, sustolli ad altiora nititur, ipso suo conamine fatigatus lassatur. Sed eo enixius superiora desiderat, quo uerius sarcinã agnoscit quam portat. Turbatur uerò cor peccatoris in recordatiõe peccati, cùm primùm cœperit seipsum cognoscere, & quàm longè à deo recesserit cogitare. Nec uacat quod addidit, in me. Quasi eĩ extra se fuerat, qui spretis salubrib. & æternis, de noxijs & tẽporalibus cogitabat: qui ægritudinis suæ molestias non sentiebat: qui se uidere cùm cęcus esset putabat. Sed eo in se redijt, quo seipsum qualis fuerat recognouit. Scriptum nanq; est: Redite D
Esa.46 præuaricatores ad cor. Sed de filio prodigo narrauit dominus: quia cùm distractis & profusis paternis bonis, uitæ cœlestis alimẽto egeret, in se reuersus sit. Non enim in se reuerteret, nisi à se prius exisset. Ideoq; & pater eius ait: Hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Si ergo à patre à quo per inobedientiam discesseras, inueniri desideras, & deliciose in domo illius epulari, ad teipsum statim reuertere, & discussis actib. tuis, unde excideris recordare, ut eo magis mouea־ris ad pœnitẽtiã, quo incipies cognoscere quod amiseris, & perdere quod inueneris. Sequitur:

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.

Felices antiqui dies, nihil tenebrarũ, nihil caligi nis præferentes. Quas diuinitatis illustrabat præsentia, securitatis purgabat serenitas, letitię immẽ sitas decorabat. Dies gaudiorum & luminis, dies uirtutũ & pacis, dies delitiarũ & suauitatis. Quos non perturbabat mœror, nõ infestabat angustia, non obumbrabat infirmitas. Hos dies in paradiso habuit anima anteq; à statu rectitudinis per culpam caderet præuaricationis: sed eosdem tunc in feliciter perdidit, cùm præcepta conditoris seruare contẽpsit. Potest quoq; intelligi per antiquos dies, primorũ parentũ transgressio, per quam oculos eorũ apertos testat scriptura. Vel etiam illecebrosa istius mundi prosperitas, fraudulenta quadã amœnitate stultis arridẽs, cui maledicit iustus dicens: Pereat dies in qua natus sum. Sancti etenim uiri mundi huius prospera magis quàm ad- Iob 3
uersa metuentes, in ipsis successibus suis seipsos discutiunt: & quàm cito transeat mundanæ felicitatis fumus attendũt, reuoluentes quod scriptum Eccli.11
est: In die malorum ne immemor sis bonorum. Si quem uerò in mundo prosperari uiderint: & in gloria diuitiarum suarum exultare, nõ culmen dignitatis eius considerant, sed finem illius mente pertractant: ut tanto obnoxius uera bona considerent, quanto apertius bona non esse quæ transeunt uident. Hinc nanque Iob dicit: Ego uidi stul- Iob 5
tũ firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Qui eĩ in multitudine diuitiarũ suarũ confidit, quasi in terra radicẽ firmauit. Sed uir sanctus eius maledicit pulchritudini, cùm illius derogat prosperitati. Meditatus sum in omnib. operibus tuis.] Qui mundi huius diuitias fallaces esse agnouerit, & amore cœlestium contempserit terrena, meditatur in operibus bonis quæ uita hac transeunte permaneant, & æternæ uitæ prẽmia ferant. Neq; enim tempore utiliter uiuitur, nisi ad comparandum meritum quo in æternitate uiuatur. Sequitur: Et in factis manuũ tuarũ meditabar.] Loquitur propheta ad deum. Opera manuũ tuarum Psal.101
sunt cœli. Et alibi: Cœli enarrant gloriam dei. Illi Psal.18
sunt cœli qui enarrant gloriam dei, qui opus manuum dei dicuntur: quia diuinam in se non deformant imaginem, charismatum non excludunt dona, animę speciem nõ demoliunt. Qui nihil boni sibi, sed totum gratiæ dei tribuunt, sciẽtes se nihil habere quod non acceperunt. Hoc enim operatus est in eis, qui uasa misericordiæ fecit eos, qui illos ante mundi constitutionem in seipso elegit, ut in se non glorientur nec altum sapiant, sed timeant, nec dicant in abundantia sua, nõ mouebor in
æternum. In his meditabitur, qui de Babylonere Psal.9
uersus, exempla eorũ sibi ad imitandũ proponẽs, ne deceptus conuersatione eorum qui terrena sapiunt, in eadem quæ dimiserat relabatur, & fiat deterior erroris confusio, si post acceptum aratrum cœperit retrò aspicere, aut ad tollendam tunicam in domum remeare. Eorũ itaq; exemplo se ad bene operãdum excitat, & cum eis absens corpore, mente cõuersatur. Gloriã ergo beatitudinis æternæ quam receperunt aut recepturi sunt, attendit,

ut eo

ut eo magis ad opus bonum animetur, quo cœ- A
perit agnoscere quod egerunt, & sperare quod acceperunt.

Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Non sufficit bene uelle, nisi sequatur & facere. Ideo qui in operibus bonis meditatum se dixerat & in meditatione laudis sanctorum immoratum, secutus adiunxit: Expandi manus meas ad te.]

Thren.3 Hinc nanq; propheta nos admonet dicens: Leuemus corda nostra cum manibus ad deum. Quid est manus ad deum expandere, nisi operationem ad omnipotentem leuare? Denicq; ille manus suas contrahit, qui indigentibus nihil tribuit, qui uo- B
cem pauperis non exaudit. Hinc quidam sapiens admonet dicens: Non sit manus tua ad dandum contracta, & ad accipiendum porrecta. Docuit il-
Luc.11 le manus expandere, qui dixit: Date eleemosynã & ecce omnia munda sunt uobis. Et propheta te-
Psal.75 statur dicens: In die tribulationis meæ deum exquisiui manibus meis. Quid est enim manibus deum exquirere, nisi operibus sanctis saluatorem inuocare? Nec ociose additum est, ad te, quia sunt plerique qui in eo quod agunt, laudari ab hominibus appetunt. Hi manus suas ad deum expandũt, qui per opera sanctitatis non deum sed mũdi glo-
Matt.6 riam quærunt. De talibus dicit dominus: Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Expan- C
damus ergo manus nostras ad deum, ne iustitiam nostram faciamus coram hominibus, nec cum fatuis uirginibus lampades uacuas accipiamus, sed in uasis nostris oleum sumentes, uenienti sponso occurramus, ut dicere cum Apostolo possimus:
1.Cor.1 Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Anima mea sicut terra sine aqua tibi.] Hoc est propter quod magis timoratus quisq; se ad bene operandum excitat, si se non extollat de meritis, si in se superbiã humanæ præsumptionis extinguat, si nihil se esse reputet, si uirtutis incrementum à conditore expectet. Ideoq; ait: Anima mea sicut terra sine aqua tibi.] Quasi enim terra si ne aqua, est anima sine gratia. Sicut eñ terra quæ imbre non perfunditur, non uestitur herbis, non uenustatur floribus, nõ abundat messe: sic anima D
gratia carens non operitur uirtutibus, non cogitat de cœlestibus, nõ insistit utilibus. Vitiato namque in primo parente libero arbitrio, iam nec uelle quidem bonum possumus, nisi illius gratia adiuuemur, apud quẽ gressus hominis diriguntur. Scriptũ quippe est: Præparatur uolũtas à dño. Et
Ioan.15 dominus discipulis ait: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos. Et Apostolus: Deus est, inquit, qui
Phil.2 operat̃ in uobis & uelle & perficere, pro bona uo-
Ephe.1 lũtate. Et iterum: Gratia dei saluati estis, per fidẽ. Si ergo fidẽ sine gratia dei nemo habet, quis se fa-
Ioan.15 cere fructũ æstimet sine adiutorio illius q̃ ait: Posui uos ut eatis & fructus uester maneat? Quicũq; enim plantet aut riget incassum uox correptionis exterius perstrepit, nisi ille incrementum dederit sine quo nihil possumus facere.

Greg.

Velociter exaudi me domine, defecit spiritus meus.

Non incongruè à quodam sapiẽte dictum est: Cupiditati ipsa celeritas tarda est. Parum enim est desideranti iustificationes dei ut exaudiatur, nisi etiam uelociter exaudiatur. Addit etiam causam quare exaudiri debeat, quasi inflantẽ iam spiritũ non habeat, qui spem suam omnino in deo ponit. Dicendo enim defecit spiritus meus, pauperẽ spiritu se esse testatur, & de ipso nõ præsumere, sed sacrificium deo spiritum contribulatum offerre. Agnoscit hoc etiam se ex gratia dei habere q̃ humiliatus est, cõfidens se eius auxilio erigendũ, cuius gratia se sentit elisum. Hinc nanq; propheta domi-
Psal.103 num exorans ait: Auferes spiritum eorũ, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Non enim receptaculum spiritus dei quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitus euacuetur. Nam nec requiescit spiritus dei, nisi super humilem & quietũ, & trementem sermones dei. Denicq; qui tremit, deficit. Hinc propheta ait: Defecit in salutari tuo anima mea. Nisi
Psal.118 eñ quis à semetipso deficiat, ad eum qui supra ipsum est, non appropinquat. Hinc de regina Saba
3.Reg.10 scriptũ est, q̃ audita sapientia Salomonis, & uisis ministris domus eius, nõ habebat ultra spiritum: quia electorum Ecclesia de gentibus cõgregata, cognita Christi gratia, & Euãgelicæ doctrinæ inuentis magistris, abiecto superbiæ spiritu, omniq; elationis fastu depositio, didicit de seipsa diffidere, & in regis sui misericordia magna sperare.

Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.

Solent domini irati ab his quibus offensi sunt seruis oculos auertere, & si quando illi pro gratia supplicauerint, in partem aliam faciem declinare. Et quia recto eos intuitu cõspicere nequeunt, animorum suorum motus in ipso corporis habitu ostendũt. Deus quoq; idem delinquentibus auertitur: quia turpitudinẽ eorũ sereno uultu inspicere dedignatur. Sed qui abiecit delinquentem, cõuertitur ad pœnitentem, uocat etiam auersos, donat peccata conuersis, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuuat dimicantes, confirmat laborantes, exaudit corde clamantes. Ipse nanq; per prophetã dicit: Conuertimini ad me: &
Esa.45 ego conuertar ad uos. Sed quia cõuerti ad eũ sine ipso non possumus, quotidie cum propheta clamemus: Ne auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.] Auertente domino faciem, peccator in lacũ descẽdit: quia nisi illũ deus misericorditer respexerit, post multa perpetrata scelera, in desperationis foueam cadit. Nam & Petrus amare non fleuisset, nisi eum dominus respexisset. Est enim pœnitentia unum de perfectis donis descendentibus à patre luminum. Nisi ergo benigna dei misericordia mentem hominis illuminauerit, impossibile est ei in nouam naturam mutari, cùm scriptum sit: Non potest homo à se facere quicquã, nisi datum fuerit desuper. Et

Apoſtolus, Fiduciã inquit talẽ habemus per Chriſtum ad deũ, non quòd ſufficiẽtes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt. Si ergo nec cogitare aliquid à nobis ſufficimus, quõ ſine reſpectu miſericordię dei pœnitentiã agemus? Sunt eñ tenebræ ubi Chriſtus non reſpicit, ubi lux illa uera non ingreditur, quæ ſic lucet in tenebris, ut tamen non cõprehendatur à tenebris. Ideoq; propheta dominũ exorãs
Pſal.118 dicebat: Faciem tuam illumina ſuper ſeruũ tuum. Quid eſt autem facies dei, niſi quædam claritas cognitionis eius? Hanc cognitionis eius claritatem non uident, qui miſericordiã ipſius ignorant: qui de peccatorum ſuorũ uenia deſperant. Illi denicq; in lacum deſcendunt, ubi lumen non uideant miſericordiæ, intentionẽ cordis non dirigant ad cœlos, carnis ſatisfaciant deſideriſs, deum contem-
Prou.18 nant, ſicut ſcriptum eſt: Peccator cùm in profundum uenerit, cõtemnit. De talibus per Amos pro-
Amos 9 phetam dñs intonat dicens: Si celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mãdabo ſerpenti, & mordebit eos. Quid eſt enim celari in profundo maris, niſi in altitudine deliteſcere deſperationis? Celat uerò ſe qui non confitetur peccata ſua. Non confitetur aũt qui deſperat de miſericordia dei. Vel certe ille ſe ab oculis dei celat, qui à mandatis eius auertit. Oculi eñ domini, ſpiritus dei, qui legẽ, id eſt, mandata dedit. Qui ergo ſe ab oculis dei in profundo deſperationis celauerint, poteſtatẽ accipit diabolus ut eos mordeat, & ut in uentrẽ eos ſuę malitię inducat. Ipſe eſt eñ ſerpens cui
Gen.3 dictũ eſt: Terrã comedes omnib. diebus uitę tuæ.

Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam: quia in te ſperaui.

Quid eſt manè, niſi ſequentis diei initiũ? Quæ autem dies niſi illa de qua propheta dicit: Melior
Pſal.83 Rom.13 eſt dies una in atrijs tuis ſuper milia? Et Apoſtolus: Nox, inquit, præceſſit, dies aũt appropinquabit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſic ut in die honeſte ambulemus. Illa eſt enim dies quam uerus ille ſol illuminat qui neſcit occaſum, quem nõ obtenebrat nubes, non obſcurat nebula, non obumbrat turbo. Quę rectè una dicitur: quia nullius finis termino anguſtat. In hac quippe uita diem nõ habemus, in qua per fidem, non per ſpeciem ambulamus. In qua cæcitatis noſtræ patimur tenebras, & erroris humani deflemus caliginẽ. In qua aſſiduis mœroris & anguſtiæ premimur nebulis, & per deuia trahimur, quaſi captiui lumen ſapientiæ non habentes, & in cogitationibus noſtris euaneſcentes. Cùm autem Chriſtus apparuerit uita noſtra, & reuelata facie deum uidere cœperimus, tunc omnis effugiet caligo tenebrarum, omnis euaneſcet ignorantiæ fumus, omnis diſſipabitur tentationis nebula: quia & corruptibile hoc induet incorruptionẽ, & mortale hoc induet immortalitatem. Illa erit claritatis & lucis dies, quam electis omnib. præparauit, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnũ filij dilectionis ſuæ. Huius diei manè eſt futura reſurrectio, iuxta quod ſcriptũ eſt: Manè aſtabo tibi & uidebo, quoniam non deus uolens
Pſal.5 iniquitatẽ tu es, neq; habitabit iuxta te malignus. Et iterũ: Bonũ eſt cõfiteri domino, & pſallere no-
Pſal.91 mini tuo altiſſime: ad annunciandũ manè miſericordiam tuam. In ea quippe iuſtorum luceſcet felicitas, apparebit gloria, uidebitur exultatio, ubi abſterget deus omnem lachrymam ab oculis ſancto
Apoc.21 Matt.13 rum, ubi nouiſſima deſtruetur mors, ubi iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorũ. In illo autẽ manè auditã faciet dominus miſericordiã ſuã, cũ ſegregatis iuſtis, ab impijs, ouibus ſcilicet ab hœ-
Matt.25 dis, dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum eſt ab origine mundi. Ibi nota fiet miſericordia dei, quam in præſenti uita mens humana
1.Cor.2 capere non poteſt. Præparauit enim dominus diligentibus ſe, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Ideo qui per bonam conuerſationem à gratia dei uenientem, ad deſiderium æternæ uitæ erigitur, dicit: Auditam fac mihi manè miſericordiã tuam] ſcilicet æternã. Miſericordia enim domini ab æterno uſq; in æternum ſuper timentes eum. Quòd ſi illa ſanctorũ felicitas miſericordia eſt, & non meritis ac-
Prou.14 quiritur, ubi erit quod ſcriptũ eſt: Et tu reddes unicuiq; ſecundum opera ſua? Si ſecũdum opera redditur, quomodo miſericordia æſtimabitur? Sed aliud eſt ſecundum opera reddere, & aliud propter ipſa opera reddere. In eo enim quòd ſecundum opera dicitur, ipſa operum qualitas intelligitur, ut cuius apparuerint bona opera, eius ſit & retributio glorioſa. Illi nanque beatæ uitæ in qua cum deo & de deo uiuitur, nullus poteſt æquari labor, nulla opera comparari, præſertim cùm apoſtolus
Rom.8 dicat: Non ſunt cõdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quanquã & ex hoc quoq; miſericordia iure poſſit nominari: quia pro illis operib. datur quæ ſine
Pſal.58 præuentu miſericordiæ dei nemo aſſequit. Vnde in Pſalmis dicitur: Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Niſi enim uaſa iræ feciſſet uaſa miſericordiæ, neminem ab illa perditionis maſſa cõuerſatio ſancta diſcerneret, neminem à pœna perpetuæ mortis iuſtitia propria liberaret. Conſtat ergo quia quibus miſericorditer tribuit ut in hac uita bene operentur, eis miſericordius largitur ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc eſt gratia quã pro gratia dandam ſanctis dei Apoſtolus perhibet, ut quibus in hac uita diuinitus datur gratia ſanctificationis, eis ex hac quoq; in futuro detur gratia æternæ felicitatis. Quod uerò ait: Quia in te ſperaui] quaſi cauſa eſt iuſtę petitionis: quia cùm ſpem ſuam quis in deo poſuerit, ad exorandum deum confidentior erit. Dixerat quoq; ſuperius: Defecit ſpiritus meus, nunc uerò in deo ſperare ſe dicit: In quo maioribus uſus confidentiæ remedijs, ſpei noſtræ ſaluberrimum adhibet documentũ, ut diſcamus parum eſſe quod à nobis deficimꝰ, niſi nos tranſcendentes in deo proficiamus.

Notam

Notam fac mihi uiam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Quis est qui peruenire possit ad audiendã manè uocem misericordiæ, nisi ambulauerit in uia iustitiæ? Hinc propheta dominũ exorans ait: Viam Psal.118 iustificationũ tuarum instrue me. Et illud: Dirige Psal.26 me in semitam rectã propter inimicos meos. Et di Psal.5 rige in conspectu tuo uiam meam. Sciebat enim uiam esse quæ recta uidetur hominibus, cuius no uissima ad mortem ducũt. Ideoq; ait: Notam fac mihi uiam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.] Vide ordinem. Primum est ut à teipso deficias, nec super te causa iactantiæ rapiaris, sed omnibus inferiorem te sentias, & sic in te spiritum superbiæ extinguas. Nõ te generis nobilitas B extollat, non erigat honor, non inflet prudentia. Qui enim cõfidit in homine, maledicto subiacet. Deinde sequitur ut in deo speres, ut derelictus, iu Psal.26 xta prophetam à patre & matre, assumaris à dño, & eius præsidio guberneris inter fluctus mundanæ tentationis. Postremo ut animam ipsam leues ad deum, & omni uanitate expulsa, in cœlestibus cõuerseris, ubi deliciarũ dei reficiaris dulcedine, & uisionis eius perfruaris claritate. Nõ tibi subrepat terrenarũ delectatio cupiditatũ, nõ uanitatũ phantasmata mentem occupent, quæ cùm animũ in diuersa traxerint, tantã inducunt caliginem negligentiæ, & cæcitatis tenebras opponũt, ut cùm appetere cœperit infima, nullatenus erigatur ad C summa. Si amore cœlestiũ accensus fueris, & per istos ascenderis humilitatis gradus, poteris & tu dicere cũ propheta: Ad te domine leuaui animã Psal.24 meã. Beatus qui hoc potest dicere. Beatus planè quem iniquitas non onerat, non reuocat delectatio, non inclinat uoluptas, quẽ non grauat cupiditas, non deprimit opulentia, nõ trahit ambitio, si-Psal.63 cut scriptum est: Beatus uir cuius est auxiliũ abs te, ascensiones in corde suo dispositi.

Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi, doce me facere uoluntatem tuam: quia deus meus es tu.

Qui in uia ambulat, insidias metuit, hostium timet incursus, prædonũ impetũ perhorrescit. Ideo qui uiam nosse salutis desiderat, ut etiam ab inimi D cis eripiatur exorat. Nouit quia inter inimicos graditur, in medio laqueorũ, undiq; pericula imminent, undiq; ponuntur insidiæ, undiq; incauti præcipitantur. Aduersarius enim noster diabolus 1.Pet.5 tanquam leo rugiens circuit, quærens quẽ deuoret. Occupat incautos, inermes sauciat, incautos expoliat. Alios necat, alios captiuat, alios suffocat. Aliquando transfigurat se in angelum lucis: et incautæ mẽti quædã agẽda bona proponit, ut dũ à proposito rẽtatus deciderit, & tentationũ uentis uelut arundo cœperit agitari, facilius ad delicti inducatur consensum. Inserit inutiles cogitationes, uana adhibet desideria, uirtutũ figmẽta depingit. Si quem uerò inuenerit fortiorem, in bono proposito perseuerantem: eũ acrius persequit, & grauioribus admotis tentationum aculeis, extingue-

re conatur. Habet quoq; secũ nequitiæ ministros, duces & satellites suos: cum quibus aduersus humanam fragilitatẽ congredit, ut eo tanto facilius superetur, quanto nõ ab eo sed à multis impugnatur. Contra hunc potentem aduersariũ eiusq; plurimos apparatus nos instruebat Paulus cùm dicebat: Non est uobis colluctatio aduersus carnem Ephe.6 & sanguinẽ, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Quis tot inimicorum cateruas euadere, eorumq; insidias inuestigare potest? Non grauantur carne, nullis occupantur curis, sed sunt ad nocendum parati. Quis hominum aduersus eos dimicãs illæsus abire potest, nisi auxilio diuinæ gratiæ uallatus fuerit, & scuto bonæ uoluntatis eius coronatus? Etiam si bonæ operationis studio floreat, si lumine polleat uirtutum: non poterit inimici rugientis superare nequitiam, nec potestatis iniquæ reprimere uires, nisi illius fuerit fretus præsidio, qui sic manet in nobis, ut etiam pugnet pro nobis. Restat ergo ut in omnibus diuinæ gratiæ auxilium postulemus: & ad illud inexpugnabile occurramus semper refugium, in quo nullius hostis timeamus incursum. Ad illud nempe refugiũ confugerat qui dicebat: Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi.] Et alibi. Domine re Psal.89 fugium factus es nobis. Notandum uerò quia non ait protege me, sed eripe me, quasi dicat: Iam me fraudum suarum laqueis implicant, iam deceptionum astringunt nodis, iam retibus iniquitatum inuoluunt. Quis aũt ad eripiendũ idoneus, nisi ille cui cum propheta cantamus: Anima nostra Psal.123 sicut passer erepta est de laqueo uenantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus? Et ne quis sibi placẽs de ereptione sua glorietur, adiunctum est: Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram. Ambulantes itaq; in uia hac in qua absconderunt laqueos nobis, totis ad deum medullis cordis clamemus: Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi: doce me facere uoluntatem tuam, quia deus meus es tu.] Iustum est ut deo suo omnis homo seruiat: creatura obediat creatori, domini sui mãdata seruus non transgrediatur. Contendat Christiana anima facere uoluntatem dei sui, agnoscat creatorem suum, audiat uocem eius, dirigat uiam eius, obediat præceptis eius. Oret ut doceatur, postulet ut dirigatur, supplicet ut confirmetur. Hoc quippe sine auxilio diuinæ inspirationis assequi nemo potest, sed in omnib. diuina nobis est exorãda clemẽtia: ut infuso cordibus nostris spiritu cuius unctio docet nos de omnibus, discamus quæ sit uolũtas dei Rom.12 bona, beneplacens & perfecta.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum domine uiuificabis me in æquitate tua.

Qui à spiritu suo deficit, à spiritu dei deducit. Dixerat autem superius suum spiritum defecisse. Constat itaq; quia ad malum eum suus spiritus deduxerat. Et fortasse deduxerat eum in regionem

longinquam, in qua substantiã suam dissipasset, in qua fames esset uerbi dei, in qua uni ciuium, uidelicet diabolo, qui princeps est mũdi huius nuncupatus, adhærens, ad porcos mitteretur pascendos. Vbi porcorum cibis uentrem suum cuperet implere: id est, malignorum spirituum suggestionibus carni suæ satisfacere. Iam uerò malo spiritu deficiente, dei bono assumptus, in terram rectam speret introduci: quæ tribulos nõ germinet & spinas, nec deserta sit uel inuia uel inaquosa, sed centenis exuberet fructibus, & delicijs abundet æternis. Rom.8 Qui enim spiritu dei aguntur, hi iuxta Apostoli uocem, filij dei sunt. Si autem filij, & hæredes. Et si hæredes, hæreditatem possidentes. Quæ est autem hæreditas, nisi terra uiuentium? Hinc nanq; propheta ait: Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Hinc rursus Psal.36 ait: Benedicentes ei, hæreditabunt terram. Et ne quis crederet terram illam quæ transitura est, benedicentibus & mansuetis hæreditatem promitti, subiunxit atq; ait: Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam: &, Nouit dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Si ergo hæreditas filiorum est, & illi sunt filij dei, qui aguntur spiritu dei, cùm hæreditas terra uiuentium sit, qui spiritu dei illuminantur, in terram rectam deducentur. Ad quam quicunq; deducitur, in multitudine pacis delectatur. Hanc pacis multitudinẽ dominus per Esa.26 prophetam pollicetur dicens: Dabo illis solatium uerum, pacem super pacem. Super pacem enim quam dilectis suis in hac uita tribuit, in æterna felicitate aliam diuina miseratio dabit: ut iam caro non repugnet spiritui, nec aliqua ullius tentationis subrepat occasio, omnibus iam compositis, ut reformata in melius humana natura, nemo iam cadere, nemo possit peccare. Hæc est pax Christi Ioan.14 quam Apostolis ipse promisit dicens: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. In quo notandum, quia cùm bis eis suam pacem promisit, intelligamus sanctos dei quandam in hac uita pacem habere: sed ueram perfectamq; pacem ibi solummodo inuenturos, ubi eos iam nulla uana mouebit cogitatio, nulla turbabit illusio, cùm eripuerit deus animas eorum de morte, oculos eorum à lachrymis, pedes eorũ à lapsu. Hanc pacem Christus solus habuit, quia solus inter mortuos liber, peccati aculeum in corde non sensit. Nos uerò quandiu corruptibili carne premimur, & corporis innectimur nodis, integræ illius perfectæq; pacis ignari uanè conturbamur, irrepentibus nobis terrenarum illecebris cupiditatum, & cogitationibus uanis, quæ frequenter quasi facto agmine ex improuiso erumpentes, mentem confundunt, atq; alio quàm proposuerimus animum trahunt. Non enim in potestate nostra est cor nostrum. Non ad deum secundum uoluntatem nostrã erigitur, deducitur ad ima, trahitur ad deuia. Si ergo in terram rectã cupimus ingredi, à spiritu dei bono optemus deduci. Propter nomen tuum domine uiuificabis me in æquitate tua.] Non uiuit iustitiæ, nisi qui moritur iniquitati. Sicut aũt quod seminauimus non uiuificatur nisi moriatur prius: sic qui mundo & concupiscentijs eius non moritur, in fructu bonorum operum non multiplicatur. Superest ergo ut mortificemus mẽbra nostra quę sunt super terram, quatenus uiuificet nos author uitæ. Ad hoc enim ipse mortuus est & resurrexit, ut nos peccatis mortui, iustitiæ uiuamus. Hinc propheta dicit: Viuificabit nos post duos dies, & Osea.6 in die tertia suscitabit nos. Illa nempe resurrectio nostra uita fuit, per quam à morte animæ liberati Rom.6 sumus, atq; uitæ restituti perpetuæ. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Vides quia qui Christo commoritur, cum eo conuiuificatur, sicut testatur Apostolus dicens: Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Plus est autem uiuificari in æquitate, quàm uiuificari æquitati. Denique qui in æquitate uiuificatur, in ipsam æquitatem introducitur, ut nihil iniquum sapiat, nihil impiũ agat. Potest etiam per æquitatem ipse Christus intelligi, in quo uiuificatur qui mundo moritur. Denicq; corpore suo & sanguine pascimur & uiuificamur, alimur & saginamur. Nec otiosè additur, propter nomen tuũ. Ad omne enim bonum quod agimus, non nostrã sed domini gloriam quærimus. In eo nanq; opus bonum deo acceptum efficitur, si ex uirtute operis nõ serui, sed domini nomen glorificetur.

Mortificamus nos ut uiuere uelimus

Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum molestias, nulla est maior afflictio, quàm conscientia delictorũ. Cùm enim exterius patitur homo, ad deum confugit, ad uirũ fortitudinis recurrit. Singulare nanque & saluberrimum est cõsolationis remedium, tribulationes exterius patienti, ut si eum contristat orbitas, si angit paupertas, si uenit infirmitas, recedat ab eo qui foris est strepitu, & ingressus in interiora mentis penetralia, ibi deũ inuocet, ubi nemo uidet. Restat quoq; ut ostium cordis contra illatas claudat molestias, ut sæuientium exterius non sentiat impetus, sed in spe cœlestium promissorum exultans postponat damna, molestias negligat, seculi blandimenta contemnat, humiliet se in confessione peccati: magnificet & laudet deum corripientem & consolantẽ. Quòd si malæ conscientiæ tribulationẽ perferẽs, in arcano cordis deũ non inuenit, quoniã forte recessit ab hospitio cordis, p abundantia iniquitatis, quid facturus est homo? ubi cõsolationẽ inueniet? ubi requiẽ perquiret? Grandis tribulatio ubi nullus euadẽdi aditus, ubi nulla libertatis spes, ubi nulla ereptiõis fiducia. Si ad exteriora recurrit, si in trãsitorijs cõsolationem quæsierit, ibi animi afflictio urgebit, sollicitudinum stimulabit calamitas, miseriarum turba uallabit. Quę enim in temporalibus cõsolatio?

quale

quale in diuitijs gaudium? Nunquid nobiscū permanſuræ ſunt? Nonne illæ ſunt ſpinæ, quæ ſemen uerbi ſuffocant? Quæ ſicut acquiſitæ lætificant, ſic etiã amiſſæ contriſtant. Supereſt itaq; ut in tribulatione poſitus peccator ad eum recurrat, in quo ſolo uera eſt conſolatio, & per iſtius uitæ noctes in lectulo cordis deum quærat. Quem ſi primò non inuenit, magis ad quærendũ animetur, ſurgat ad amorẽ cœleſtiũ, ciuitatẽ circũeat exultatione uniuerſæ terræ fundatã, interroget uigiles qui cuſtodiunt Eccleſiã, nudetur pallio ſecularis ornatus, & charitatis ſagitta interius uulneretur. Nec prius à quærendo deſiſtat, q̃ mœrentiũ conſolatorẽ inueniat. Inuentũ aũt ſummopere teneat, donec redemptus ope adiutricis gratiæ, à conſcientiæ eripiatur tribulatione. Si enim naufragus cupiens ui tam in undis ſeruare, ſemel adeptã tabulã non antè dimittit, quàm fractus labore ſæuientiũ procellarũ deficiat, aut uehiculi præſidio adiutus, optatũ littus attingat: quis in huius maris magni & ſpatioſi naufragio dei non amplectatur ſapientiã, cuius gubernetur præſidio, regimine deducatur? De ipſa nanq; ſcriptũ eſt: Lignũ uitæ eſt his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus. Quæ eſt autẽ dei ſapientia niſi Chriſtus? ſecundũ quod Apoſtolus ait, Chriſtũ dei uirtutẽ & dei ſapientiã. Teneamus ergo lignũ ſalutis in pelago procelloſæ tempeſtatis, per quod poſſimus & à periculo horrendæ mortis eripi, & de tribulatione diabolicarũ tentationũ educi. Dat nobis magnã ereptionis noſtræ fiduciã, quod ſubditur: Et in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.] Qui ſint inimici humani generis, & Chriſtianæ animæ impugnatores, ſuperiori ſatis expoſitione declaratum eſt. Quos tunc clementia diuina diſperdit, cùm eis uires nocendi adimit, cùm aduerſus iacula tentationis diabolicæ ſcutum opponit ſuæ protectionis. Quaſi enim confuſi abſcedunt, cùm ſe ad præualendum impotentes agnoſcunt.

Prou. 3

1. Cor. 1

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

Iuſtum eſt ut bonus ſeruus à bono domino adiuuetur, contra hoſtiles muniatur incurſus, à periculo liberetur. Sed quid eſt quòd ſe nominat ſeruum, cùm ſeruus non maneat in domo in æternũ? Hinc ipſa ueritas diſcipulis ait, Iam non dicã uos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius. Et Apoſtolus: Non accepiſtis, inquit, ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, abba pater. Sed ſciendũ, quoniã ſicut ſunt duo timores, ita etiam ſunt duæ ſeruitutes. Eſt enim timor pœnam habens, quem perfecta charitas foras mittit. Eſt & timor domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi, de quo etiam ſcriptũ eſt: Initiũ ſapiẽtiæ timor domini. Et iterum: Timentibus deum nihil deeſt. Ille igitur timor quia à charitate excluditur, ad ſeruum non manentẽ in domo pertinere uidetur. Timor uero ſanctus ſeruo illi cõuenire noſcitur, cui

Ioan. 15

Rom. 8

Eccli. 1

A uoce dominica dicitur: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te cõſtituam, intra in gaudium domini tui. Quòd uero ait: Perdes omnes qui tribulant animã meam.] ad illam beatæ uitæ felicitatẽ referendũ eſt, in qua nullũ habebimus aduerſariũ, nullũ metuemus inimicũ, cùm abſorbebitur mors in uictoria, cùm illa nouiſſima inimica deſtruetur mors, cùm immutati fuerimus, & æquales angelis effecti. Modo eñ nihil quietis aut ſecuritatis inuenire poſſumus, dũ adhuc in nobiſipſis ingemiſcimus grauati, adoptionẽ expectantes redemptionẽ corporis noſtri. Cùm autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, tunc nulla erit diabolicæ fraudis impugnatio, nullum hæreticæ prauitatis dogma, nulla infidelis populi impietas, omnibus ita pacatis & cõpoſitis, ut in tabernaculis iuſtorũ ſola audiatur uox exultationis & ſalutis. Ibi ſancti ſine fine laudabunt deũ, & in lumine claritatis eius exultabunt, ciues effecti illius ciuitatis, quę libera eſt & ęterna in cœlis. Quã non obſcurãt tenebræ, non obumbrat nox, non conſummat uetuſtas, non in ea rutilat lumen Solis, aut lunæ ſplendor, aut ſtellarũ iubar, non ibi lucerna quæritur, non lampas accenditur, non lychnus aptatur. Claritas quippe diuina eam illuminat, Sol clarificat iuſtitiæ, lux uera illuſtrat, lux inquam inacceſſibilis, quæ non clauditur loco, non finitur tempore, non obumbrat tenebris, non uariatur nocte. Hoc immenſo & indeficiente & lucidiſſimo lumine illuſtrata Hieruſalem ſancta, quæ eſt mater noſtra, filios abdicat tenebrarũ, ciues recipit pacificos, filios uidelicet lucis & diei, filios adoptionis, cõſortes ſupernæ hæreditatis. Nullus in eam ingreditur impius, nullus habitat iniquus, nullus intrat immundus. Muri eius ex lapidibus cõſtruuntur uiuis, portæ eius ex optimis adornantur margaritis, plateæ eius ex auro puriſſimo ſternuntur, & canticũ lætitiæ ſine fine in ea cantatur. Ibi eſt lux ſine defectu, gaudium ſine gemitu, deſiderium ſine pœna, amor ſine triſtitia, ſatietas ſine faſtidio, ſoſpitas ſine uitio, uita ſine morte, ſalus ſine languore. Ibi ſancti & humiles corde, ibi ſpiritus & animæ iuſtorũ, ibi cuncti cœleſtis patriæ ciues, & beatorum ſpirituum ordines regem in decore ſuo uidentes, & in gloria uirtutis eius exultantes. Perfecta uiget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una iocunditas.

Luc. 12

B

C

D

BOne Ieſu, uerbũ patris, ſplendor paternæ gloriæ, in quẽ deſiderãt angeli proſpicere, doce me facere uoluntatẽ tuã, ut à ſpiritu tuo bono deductus ad beatã illã peruenià ciuitatẽ, ubi eſt dies æternus, & unus omniũ ſpiritus, ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas, & ęterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix ſuauitas, & ſuauis iocunditas, ubi tu deus cũ patre & ſpiritu ſancto uiuis & regnas per infinita ſeculorũ ſecula, Amen.

Oratio autoris pia & ſatis artificioſa

Deo gratias.

Finis explanationis diui Gregorij in ſeptem pſalmos pœnitentiales.

IN NOMINE DOMINI INCIPIVNT EPISTOLAE EX REgistro sancti Gregorij papæ. Mense septembri, Indictione nona, quæ fuit ordinationis eius prima.

Gregorius uniuersis episcopis per Siciliam constitutis. Vt semel in anno in unum conueniant. Caput primum.

Epist.1 Habetur prima parte decretorũ, dist. 94. in prica. Valde

VALDE necessarium esse perspeximus, ut sicut prædecessorũ nostrorũ fuit iudiciũ, ita uni eidemq; personæ omnia cõmittamus, ut ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum cui præcipimus representet autoritas. Quam obrem Petro subdiacono sedis nostræ, intra prouinciam Siciliam uices nostras deo auxiliante cõmisimus. Nec enim de eius actibus dubitare possumus, cui deo auxiliante totum nostræ Ecclesiæ noscimur patrocinium commisisse. Illud quoq; fieri debere perspeximus, ut semel per annum ad Syracusanam, siue Cathanensium ciuitatem, uniuersaliter honore quo dignũ est, sicut eidem iussimus, fraternitas uestra cõueniat, quatinus quæ ad utilitatem ipsius prouinciæ Ecclesiarumq; pertinent, siue ad necessitatem pauperũ oppressorũq; subleuandam, uel ad monitionem omnium atque correctionem eorum, quorum excessus contigerit demonstrari, congrua cum eodem Petro subdiacono sedis nostræ, debeatis moderatione disponere. A quo concilio procul absint odia facinorum nutrimenta, atq; inuidia interna tabescat, & nimis execrabilis animorum discordia. Sacerdotes suos concordia deo placita, & charitas recognoscat. Hæc igitur omnia cũ ea maturitate ac tranquillitate gerite, ut dignissime possit episcopale concilium appellari.

Gregorius Iustino prætori Siciliæ. Quem redarguit de frumentis non ex integro transmissis. Caput II

Epist.2 QVod lingua loquitur, attestatur conscientia: quia dudum uos & nullius dignitatis occupationibus implicitos, multum dilexi, multumq; ueneratus sum. Ipsa nãq; incessus uestri modestia quibusdam conatibus exigebat, ut diligi & uenerari etiam à nolente debuisset. Et cùm uos uenisse ad administrandam prælaturã Siciliæ audiui, ualde gauisus sum. Et quia quandam inter uos atque ecclesiasticos simulationem subrepere comperi, uehementissime contristatus sum. Nũc uero quia & uos administrationis cura, et me studium huius regiminis occupat, intantũ uos recte diligere specialiter possumus, inquantũ generalitati minime nocemus. Vnde per omnipotentem dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorũ actuũ posituri rationes sumus, ut eius respectũ semper gloria uestra ante oculos habeat, & nunq; quodlibet ex quo inter uos uel parua dissensio proueniat, admittat. Nulla uos lucra ad iniustitiam pertrahant, nullius uel minæ uel amicitiæ, à rectitudinis itinere deflectant. Quòd sit uita breuis aspicite, ad quem quandoq; ituri estis iudicem, qui iudiciariam potestatem geritis, cogitate. Solerter ergo intuendum est, quòd cuncta lucra hic relinquimus, & solas dispẽdiosorum lucrorum causas nobiscum ad iudicium deportamus. Illa ergo sunt nobis cõmoda quærenda, quæ nequaquã mors adimat, sed mansura in perpetuum præsentis uitæ finis ostendat. De frumentis autem quæ scribitis, longè aliter uir magnificus Citonatus asserit: quia solummodo tanta transmissa sunt, quæ pro transactæ indictionis debito ad replendum sitonicum sufficerent. De qua re curã gerite: quia si quid minus huc transmittitur, non unus quilibet homo, sed cunctus simul populus trucidatur. Ad regendum uero Siciliæ patrimonium, talem, ut existimo, uirum, deo autore transmisi, cum quo uobis, si, ut ego expertus sum, recta diligitis, omnino cõueniat. Quod autem me ut uestri memor esse debeam admonetis, uerũ fateor, si ex antiqui hostis insidijs iniustitia nulla subrepat, tantã gloriæ tuæ modestiam didici, ut tuus non esse erubescam.

Gregorius Paulo scholastico. Maurentium magistrum militum & Petrum subdiaconum commendat. Caput III

Epist. QVicquid mihi ex honore sacerdotalis officij extranei arrident, non ualde penso. De uobis autem mihi hac ex re arridẽtibus non minime doleo, qui desiderium meum plenissime scitis, & tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuisset impleri quod uolui. Si uoluntatem meam quam dudum cognitam habetis, perficere optatę quietis perceptione ualuissem. At quia nunc in ciuitate teneor Romana, honoris huius uinculis religatus, habeo aliquid ꝺd etiam uestræ gloriæ exultẽ. Et quia uiro excellentissimo domino Leone exconsule ueniente, uos in Sicilia remanere non suspicor: & cũ ipse quoq; tuo honore religatus, retineri Romæ cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patiar agnosces. Veniente autẽ uiro magnifico domno Maurentio Cartulario, ei quæso in Romanæ urbis necessitate concurrite: quia hostilibus gladijs foris sine cessatione cõfodimur. Sed seditione militum interno periculo grauius urgemur. Petrum uero subdiaconum nostrum, quem pro regendo Ecclesiæ patrimonio, deo authore transmisimus, uestræ gloriæ per omnia commendamus.

Gregorius Ioanni episcopo Constantinopolitano. Ipsius beati Gregorij confirmationem apud imperatorem procuranti, amicè conqueritur, & eius orationibus se committit. Caput IIII

Epist. SI charitatis uirtus in proximi dilectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos iubemur, quid est quod me beatitudo uestra, nõ ita sicut se diligit? Quo eĩm ardore, quo studio, episcopatus pondera fugere uolueritis scio, & tamẽ hęc

eadem

eadem episcopatus pondera ne mihi deberent im
poni non restitistis. Cōstat ergo quia non me sicut
uos diligitis, qui illa me uoluistis onera suscipere,
quæ uobis imponi noluistis. Sed quia uetustā na-
uem uehementer contractam indignus ego infir-
musq; suscepi, undiq; enim fluctus intrant, & quo
tidiana ac ualida tēpestate quassatæ putridæ nau-
fragium tabulæ sonant, per omnipotentem deum
rogo, ut in hoc mihi periculo orationis uestræ ma
num porrigatis, quia & tanto enixius potestis ex-
orare, quanto & à confusione tribulationū, quas
in hac terra patimur, longius statis. Synodicā ue-
ro epistolam de subsequenti festinatione transmit
to: quia latorem præsentium Bacandam fratrem
& coepiscopum nostrum, in ipso meæ ordinatio-
nis initio multis & grauibus pressus occupatio-
nibus relaxaui.

Gregorius Theoctistæ sorori imperatoris.
Scribit de onere curæ pastoralis, & uitam actiuā &
contemplatiuam per Rachel & Liam, Martham &
Mariam significari luculenter declarat. Cap. V

Epist.5 MEns mea uestræ uenerationi quanta deuo-
tione substernitur, explere uerbis nequeo,
nec tamen me prodere laboro, quia & me tacente
in uestro corde legitis, quid de mea deuotione sen
tiatis. Miror autem quod in me collatas dudū con
tinentias uestras ex hac moderna pastoralis offi-
cij continentia distraxistis, in qua sub colore epi-
scopatus, ad seculum sum reductus, in qua tantis
terræ curis inseruio, quantis me in uita laica ne-
quaquam deseruisse reminiscor. Alta enim quie-
tis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascen-
disse exterius uideor. Vnde me à cōditoris mei fa
cie longè expulsum deploro. Conabar nanq; quo
tidie extra mundum, extra carnem fieri. Cuncta
phantasmata corporis ab oculis mentis abigere,
& superna gaudia incorporaliter uidere, et non so
lum uocibus, sed medullis cordis ad dei speciem
anhelans dicebam: Tibi dixit cor meum, quæsiui
Psal.26 uultum tuum: &, Vultū tuum domine requiram.
Nil autem in hoc mundo appetens, nil pertime
scens, uidebar mihi in quodam rerum uertice sta-
re, ita ut in me penè impletū crederem, quod pol-
Esa.58 licēte domino ex propheta didicissem: Sustollam
te super altitudines terræ. Super enim altitudinē
terræ sustollitur, qui & ipsa quæ alta & glorioſa
præsentis uidentur seculi, per mentis despectum
calcat. Sed repente à rerum uertice tentationis hu
ius turbine impulsus, ad timores pauoresq; cor-
rui: quia etsi mihi nil timeo, eis tamen qui mihi cō
missi sunt, multum formido. Vndiq; causarum flu
ctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut
Psal.68 recte dicam: Veni in altitudinem maris, & tempe
stas demersit me. Redire post causas ad cor deside
ro, sed uanis ab eo cogitationū tumultibus exclu-
sus redire non possum. Ex hoc ergo mihi longè fa
ctū est quod intra me est, ita ut obedire nequeam
Esa.46 propheticæ uoci, qua dicitur: Redite præuaricato
res ad cor. Sed stultis pressus cogitationibus, solū-
Psal.39 modo exclamare compellor, Cor meū dereliquit
me. Contemplatiuæ uitæ pulchritudinem uelut
A Rachelem dilexi, sterilē, sed uidentē ac pulchrā,
quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem
tamen subtilius uidet. Sed quo iudicio, nescio, Lia
mihi in nocte coniuncta est, actiua uidelicet uita,
fœcunda, sed lippa, minus uidens, quamuis am-
plius pariēs. Sedere ad pedes domini cum Maria
festinaui, uerba oris eius percipere, & ecce cum
Martha compellor in exterioribus ministrare, &
erga multa satagere. Expulsa à me, ut credidi, le-
gione dæmonū, uolui obliuisci quos noui, ad sal-
uatoris pedes quiescere, & ecce mihi nolenti atq;
compulso dicitur: Reuertere in domum tuam, &
annuncia quanta fecerit tibi dominus. Sed quis
inter tot terrenas curas ualeat dei miracula prędi-
care: cùm iam mihi difficile sit saltē recolere. Pres-
B sus enim in hoc honore tumultu secularium nego
ciorum, ex eis me esse uideo, de quibus scriptum
est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Neq; enim di- Psal.72
xit deiecisti eos postq; alleuati sunt: sed, dum alle-
uarentur: quia praui quiq; dum temporali hono-
re suffulti, foris uidētur surgere, intus cadunt. Al-
leuatio ergo ipsa ruina est, quia dum gloria falsa
subnixi sunt, à gloria uera euacuātur. Hinc iterum
dicit: Deficientes ut fumus deficient. Fumus quip Psal.36
pe ascēdendo deficit, & sese dilatando euanescit.
Sic uidelicet fit cùm peccatoris uitam præsens fe-
licitas comitatur: quia unde ostēditur ut altus sit,
inde agitur ut non sit. Hinc rursum scriptum est:
Deus meus pone illos in rotā. Rota quippe ex po Psal.82
steriori parte attollit̄, & in anterioribus cadit. Po-
C steriora autem nobis sunt bona præsentis mundi,
quæ relinquimus: anteriora uero sunt æterna &
permanentia, ad quæ uocamur: Paulo attestante, Phil.3
qui ait: Quæ retro sunt oblitus, in ea quæ sunt prio
ra me extendens. Peccator ergo cùm in præsen
ti uita profecerit, ut rota ponitur: quia in anteriori
bus corruēs, ex posterioribus eleuatur. Nam cùm
in hac uita gloriam percipit quam relinquit, ab il-
la cadit quæ post hanc uenit. Et quidē multi sunt,
qui sic exteriores prouectus regere sciunt, ut per
eos nequaq; interius corruant. Vnde scriptū est: Iob 36
Deus potentes non abijcit, cùm & ipse sit potens.
Et per Salomonē dicitur: Et intelligens guberna- Prou.1
cula possidebit. Sed mihi hæc difficilia sunt, quia
& ualde onerosa. Et quod mens sponte non reci-
D pit, congruè non disponit. Ecce serenissimus do-
minus imperator fieri simiam leonē iussit. Et qui-
dem prouisione illius uocari leo potest, fieri autē
leo non potest. Vnde necesse est ut omnes culpas
ac negligentias meas non mihi sed suæ pietati de-
putet, qui uirtutis mysterium infirmo commisit.

Gregorius Narsi patricio.
Cui exponit id quod apostolo Petro dicitur: Macta
& manduca. Caput VI

DVm contemplationis dulcedinē altè descri- Epist.6
psistis, ruinæ meæ mihi gemitū renouastis,
qui audiui quid intus perdidi, dum foris ad culmē
regiminis ascendi immeritus. Tanto autē me per-
cussum mœrore agnoscite, ut uix loqui sufficiam,
oculos enim mētis meæ doloris tenebræ obsidēt.
Tristе est quicquid aspicit̄. Quicquid delectabile
creditur

Universidad de Deusto
Biblioteca

creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penſo enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quantum delectus exterioris proiectus culmen aſcendi, & pro culpis meis in occupationis exiliũ à facie dominantis miſſus, quaſi deſtitutæ uiduæ uocibus, cum propheta dico: Qui conſolabatur me, longè receſſit à me. Quod uero cauſæ & nominis ſimilitudinẽ faciẽdo, per ſcripta ueſtra clauſulas declamatiõesq; formatis, certe frater chariſſime, ſimiam leonem uocas. Quod eo modo uos agere conſpicimus, quo ſcabioſos ſæpe catulos, pardos uel tygrides uocamus. Ego enim bone uir quaſi filios perdidi: quia per terrenas curas recta opera amiſi. Nolite ergo me uocare Noemi, id eſt, pulchrum, ſed uocate me Maram: quia amaritudine plenus ſum. Quod autem me dicitis ſcribere non debuiſſe, ut in agro dominico cum bubalis non ararem, quia in oſtenſo beato Petro linteo & bubali & omnes feræ oblatæ ſunt, ſcis ipſe quia
Act.10 ſubiunctum eſt, macta & manduca. Tu ergo qui eaſdem beſtias necdum mactaueras, manducare iam per obediẽtiam cur nolebas? Aut neſcis quia eaſdem quas ſcripſiſti beſtias oris tui gladius occidere recuſauit? Quas ergo per compunctionẽ occidere potueris, de illis neceſſe eſt ut in tui deſiderij fame ſatieris. De cauſa autem fratrum noſtrorũ ut ſcripſiſti, ita futurum, ſi deus adiuuet, exiſtimo, de qua modo ſereniſſimis rerum dominis ſcribere omnino non debui: quia in ipſo initio non eſt à quæſtibus inchoandũ: ſed dilectiſsimo filio meo Honorato diacono ſcripſi, ut opportuno tempore eis congruè ſuggerat, & mihi reſponſum ſub celeritate indicet. Domnum Alexandrũ, domnum Theodorum, filium meum Marinum, domnam Euſiriam, domnam Eudochiam, & domnam Dominicam, mea peto uice ſalutari.

Gregorius, Anaſtaſio epiſcopo Antiocheno. Cui dicit ab imperatore ſe reditum eius poſtulaſſe. Caput VII

Epiſt.7 Vide infra epiſt.25.li.1 EPiſtolã beatitudinis ueſtræ, ut feſſus requiẽ, ſalutem æger, fontem ſitiens, umbrã æſtuans accepi. Neq; enim illa uerba per linguam carnis uidebãtur expreſſa, ſed ſic ſpiritalem amorẽ ſuum quem geſtabat, aperuit, ac ſi mens per ſeipſam loqueretur. Sed durum ualde fuit quod ſecutũ eſt: quia amor ueſter terrena me portare onera præce
D pit, & quem prius ſpiritaliter diligebatis: poſtea, ut exiſtimo, temporaliter amantes, uſq; ad terram me ſuperpoſito onere depreſſiſtis, ita ut mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisq; aciem amittens, non per prophetiæ ſpiritum, ſed
Pſal.118 per experimentum dicam: Incuruatus ſum, & humiliatus ſum uſquequaq;. Tanta quippe occupationum onera deprimunt, ut ad ſuperna animus nullatenus erigatur. Multis enim cauſarum fluctibus quatior, & tumultuoſę uitæ tempeſtatibus af-
Pſal.68 fligor, ita ut recte dicam: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Periclitanti igitur mihi orationis ueſtræ manum tendite, uos qui in uirtutum littore ſtatis. Quòd uero me os domini, q̃ lucernam dicitis, q̃ multis prodeſſe perhibetis,
A hoc quoq; mihi ad iniquitatũ mearũ cumulũ accedit, ut cũ uindicari in me iniquitas debuit, laudes pro uindicta recipiam. Quibus autem hoc in loco terrenarũ rerum tumultibus premor, explere uerbis nequeo, quod tamen colligere ex breuitate epiſtolæ poteſtis, in qua ei minus loquor, quẽ plus omnibus diligo. Præterea indico quia à ſereniſſimis dominis quantis ualui precibus poſtulaui, ut uos honore reſtituto, ad ſancti Petri Apoſtolorũ principis limina uenire, & quouſq; ita deo placuerit, hic mecum uiuere concedant, quatenus dum uos uidere meruero, peregrinationis noſtræ tẽpus
B de æterna patria inuicem loquendo releuemus.

Gregorius, Bacandæ epiſcopo Formienſi. Menturienſem Eccleſiam deſolatã Formienſi conſungit. Caput VIII

ET temporis neceſſitas nos perurget, & immi Epiſt.8
nutio perſonarum exigit, ut deſtitutis Eccleſiis ſalubri ac prouida debeamus diſpoſitiõe ſuccurrere. Et ideo quoniam Eccleſiam Menturienſem funditus tam cleri quàm plebis deſtitutã deſolatione cognouimus, tuamq; pro ea petitionẽ, quatinus Formianæ Eccleſiæ, in qua corpus beati Eraſmi martyris requieſcit, cui fraternitas tua præſidet, adiungi debeat, piam eſſe ac iuſtiſſimã prouidentes, neceſſarium duximus, conſulentes tam deſolationi loci illius, quàm Eccleſię tuæ paupertati, reditus ſupradictæ Eccleſiæ Menturienſis, uel quicquid ei antiquo modernoq; iure uel priuilegio potuit, poteſtúe qualibet ratione competere, ad tuæ Eccleſiæ ius poteſtatemq; hac præcepti noſtri autoritate migrare, ut à præſenti tempo
C re ſicut de propria Eccleſia debeas cogitare, eiq; competentia tua prouiſione diſponere, quatinus deinceps, quod perire hucuſq; potuit, pauperum Eccleſiæ tuæ utilitatibus pleriſq; proficiat.

Gregorius, Petro ſubdiacono. Diſceptationem de poſſeſſione per quadraginta annorum tempus poſſeſſa, fine debito terminari mandat. Cap. IX

GRegorius ſeruus dei presbyter & Abbas Epiſt.9
monaſterij ſancti Theodori in Sicilia prouincia, territorio Panormitano conſtituti, inſinuauit nobis, homines fundi Saloniaci, iuris ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, fines fundi Gerdimiæ, collimitantis eidem præfato fundo Eccleſiæ ſanctæ Romanæ, quos quieto iure per innumeros annos
D poſſederũt, uelle peruadere, & ideo uolumus accedente te ad Panormitanam ciuitatem, quæſtionẽ ipſam tali ratione diſcutere: dominio rei apud poſſeſſorem ſicuti hactenus poſſeſſa eſt, uidelicet permanente, ut ſi monaſterium præfatum ſancti Theodori fines de quibus certatio mota eſt, incõcuſſis quadraginta annis poſſediſſe repereris, nullam deinceps, etiam ſi quid ſanctæ Romanæ Eccleſiæ competere potuit, patiaris ſuſtinere calumniam, ſed quietem eorum inconcuſſam modis omnibus procurare. Sin uero autores ſanctę Eccleſię nõ eos poſſediſſe quadraginta annis incõcuſſo iure mõſtrauerint, ſed aliquã hæc intra tẽpora motã fuiſſe aliquãdo quęſtionẽ eorundẽ ſiniũ, electis arbitris, tranquillè & legaliter ſopiat. Nos enim non ſolum nunc̃ mota ſuſcitari nolumus, uerũetiam Cauſa quæ uolumus

quæ

quæ praua foris admonemur, sopire modis omnibus festinamus. Ita ergo experientia tua cuncta faciat effectibus mãcipari, ne qua posthac huius rei quæstio ad nos reuertatur. Testamentum autem Bachandæ quondam xenodochi in ea qua conditum est, uobis firmitate persistere.

Mense Nouembri. Indictione nona.

Gregorius, Honorato diacono Salonitano.
De contentione ipsius contra episcopum suum.
Caput X

Epist.10 EA quæ contra nos tu & episcopus tuus contraria direxistis scripta agnoscentes, doluimus, eo ꝙ inter uos nihil charitas recognouit. Verumtamen te in officio ordinis tui administrare præcipimus, & si illic potest superante gratia causa uestri scandali definiri, multũ credimus uestræ animæ acquisiuisse. Sin uero discordia inter uos partes suas armauit, ut in timore scãdali uoluntas uestra debeat remanere, tu ad nostram audiẽtiam indifferenter occurre, & episcopus tuus pro se dirigat quam elegerit personam instructam, ut omnibus subtili ratione perpẽsis cõstituere, quæ uisa fuerint partibus, debeamus. Scire uero te uolumus, quòd à te districtè quæsituri sumus, si non ea quæ uel proprię Ecclesiæ, uel de diuersis Ecclesiis similia sunt collecta, sub omni nunc sollicitudine & fide seruẽtur. Quòd si quid ex eis uel negligentia, uel cuiusquam fraude deperierit, tu in hoc rea tu cõstringeris, qui per archidiaconatus ordinem custodiæ eiusdem Ecclesiæ arctius implicaris.

Mense Decembri. Indictione nona.

Gregorius, Clementinæ patriciæ.
Consolatoriam epistolam facit de morte Eutherij episcopi. Caput XI

Epist.11 EPistolã glorię uestræ suscipiẽtes, quæ de transitu Eutherij quondam magnificæ memoriæ loquebat, indicamus non minus animos nostros quàm uestros esse tali mœrore confusos, eo quòd opinionis probatæ uiros huic paulatim subtrahi mundo cõspicimus, quorũ ruina in ipsis iam causarum effectibus comprobatur. Sed huic nos solerti decet conuersionis cautela subducere, ne sua nos secum pariter ruina circumplicet. Et quidem amicorũ nos amissio tanto debet tolerabilius contristare, quanto amissuros nos illos conditio mortalitatis exposcit. Sed tamen amissum carnalis uitæ subsidium, potens est ille consolari, qui ut admeretur permittendo concesit, & ipse ad locum qui destitutus erat consolator accedere. Diaconum uero Anatholium quem ad uos dirigi popo sciistis, hoc nos facere non posse causæ magis modus quàm rigoris austeritas facit. Vicedominum enim eum cõstituimus, cuius arbitrio episcopum cõmisimus disponendum.

1.parte, dist. 14. diaconũ

Gregorius, Ioanni episcopo de urbe ueteri.
Admonet de iniusta uexatione monasterij tollenda. Caput XII

Epist.12 Can.16.q.1 Agapitus AGapitus Abbas monasterij sancti Gregorij, insinuauit nobis plurima se à uestra sanctitate grauamina sustinere, & non solum in his quæ necessitatis tẽpore aliquod monasterio possint inferre subsidium, uerumetiã quòd in eodem monasterio missas prohibeatis celebrari. Sepeliri etiam ibidẽ mortuos interdicatis. Quod si ita est, à tali uos hortamur inhumanitate suspendi, & sepeliri ibidem mortuos, uel celebrari missas, nulla ulterius habita contradictione permittatis, ne denuo querelam de ijs quæ dicta sunt, prædictus uir uenerabilis Agapitus deponere compellatur.

Gregorius, Dominico episcopo Centumcellensi.
Commendat Luminosam uiduam Zemarchi.
Caput XIII

Epist.13 OFficij quidẽ sacerdotalis est, ut uiduis ac maritali regimine desolatis, impartiri solatia debeatis, ut unde in hoc mundo humana cõditione priuantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. Quoniã ergo Luminosa honesta fœmina relicta charissimi Zemarchi tribuni, nostræ se post deum tuitioni commisit, huic uos solatiari in quo sibi necesse fuerit, admonemus, nullusq; sit ei de quolibet molestus articulo. Sed quia comitiuam illam quam uir eius agendam susceperat, nũc Theodoro Palatino concedente, ipsi eĩt mulieri ut peragere debeat attributum, uel quem ipsi placuerit, donec præsentis indictionis celebretur impletio, nullum eandem quouscp expleat inquietare permittas. Ita ergo facite, ut & deum uobis faciatis pro rebus talibus debitorem, & noster huiuscemodi, de impensis à uobis solatijs, propensius animus gratuletur.

Gregorius, Demetrio episcopo Neapolitano.
Præcipit hæreticos, etiam cum periculo, in cõmunionem suscipere. Caput XIIII

Epist.14 STephanus præsentium portitor, cum de quibusdam fidei catholicæ capitulis, eius à uia ueritatis nutaret intẽtio, pro huius rei dubietate à catholicæ se Ecclesiæ cõmunione suspẽderat, donec eum deus ueritatis iudex ad uiam rectitudinis reuocaret, quem recepta satisfactione in fidẽ catholicam cõmunicasse cognoscas. Sed quia eũ quosdam dubietatis suæ socios ibidem in Neapolitana ciuitate habere cõperimus, hoc nobis de his quoque præfatus Stephanus pollicitus esse dinoscitur, ut si eorum ambiguitatem animæ nostræ interpositionis periculo sanaremus, ipsos etiam ad cõmunionem catholicam sine mora posse uel reluctatione cõuerti. Pro qua re præsentibus epistolis admonemus, nostra fide, nostroq;, sicut ipsi uidentur popposcisse, periculo, eos in fidem catholicam cõmunionemq; suscipite, quibus potestis modis ad lucem de tenebris reuocate. Ne postquam ad nos huiusmodi causa perlata est, si silentio præterimus, de animabus eorum negligentiæ posimus subire iacturam.

Gregorius, Balbino episcopo Rosellano.
Populonensem Ecclesiam uisitationis gratia commendat. Caput XV

Epist.15 PEruenit ad nos quòd Populonensis Ecclesia ita sit sacerdotis officio destituta, ut nec pœnitentia decedentibus ibidem, nec baptisma possit præstari infantibus. Huius igitur tam piæ rei, tamq; necessariæ mole permoti, iubemus dilectioni tuæ, ut huius præceptionis authoritate cõmonitus, memoratæ Ecclesiæ uisitator accedas, ut unũ cardinalẽ illic presbyterũ, & duos debeas diacones

Universidad de Deusto
Biblioteca

diacones ordinare. In parochijs uero præfatæ Ecclesiæ tres similiter presbyteros, quos tamen dignos ad tale officium ueneratione uitæ & morum grauitate præuideris, & quibus in nullo obuient constituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela prouideatur Ecclesiæ.

Gregorius Seuero episcopo Aquileiensi. Præcipit Romam ob fidei causam uenire. Cap. XVI

Epist.16 SIcut gradientem per deuia, carpentem denuo rectum tramitem, tota dominus auiditate cõplectitur, ita demum de deserente cognitam ueritatis uiam maiore mœrore, quàm gaudio quo de conuertente lætatus fuerat, contristatur: quia minoris excessus est ueritatẽ non cognoscere, quàm in eadem cognita non manere. Aliudq; est quod ab errante cõmittitur, aliud quod per scientiã perpetratur. Et nos siquidem quantũ incorporatum te iam pridem fuisse in unitatẽ Ecclesiæ gauisi fueramus, abundantius nunc dissociatum à catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi & serenissimi rerum domini iussionẽ, ad beati Petri aposto li limina, cũ tuis sequacibus uenire te uolumus, ut authore deo aggregata synodo, de ea, quæ inter uos uertit̃ dubietate, quod iustũ fuerit iudicetur.

Gregorius uniuersis episcopis Italiæ. Scribit ut filios Longobardorum in hæresi Ariana baptizatos ad fidem catholicam concilient. Cap. XVII

Epist.17 QVoniã nefandissimus Antharith in hac, quę nuper expleta est, paschali solennitate Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, ut solennitatem paschalem ulterius non uideret, uestram fraternitatem decet cunctos per loca uestra Longobardos admonere, ut quia ubiq; grauis mortalitas imminet, eosdẽ filios suos in Ariana hæresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient, quatenus super eos irã domini omnipotentis placent. Quos ergo potestis admonete, quanta uirtute ualetis, eos ad fidem rectam suadendo rapite, æternam eis uitam sine cessatione prædicate, ut cùm ad districti ueneritis conspectum iudicis, possitis ex uestra sollicitudine lucrum in uobis ostentare pastoris.

Gregorius Petro subdiacono. Insinuat ut Marcello uictus & uestitus necessaria ministret. Caput XVIII

Epist.18 INsinuatum nobis est Marcellum Barubicanæ Ecclesiæ, ibidẽ in Panormitana ciuitate, in monasterio sancti Adriani, in pœnitentiam deputatum, non solum uictus necessitatẽ pati, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re ne cesse habemus strenuitati tuæ præsenti iussione prȩcipere, ut ipsi pro uictu & uestimento, stratoq; ad cõtinentiam, puероq; eius annonam quantum prospexeris satis esse, constituas: ut inopia nuditasq; eius tali prouidentia possint habere consultum, & ut ea quæ eidẽ uiro deputaueris, tuis postmodum possint rationibus imputari. Id ergo fac, ut & nostram iussionem impleas, & tu quoq; hoc ipsum bene disponendo hac ipsa possis participari mercede. Præterea hoc tibi indagandũ mandare curauimus, ueteri quæ iam inoleuerat cõsuetudine postposita, ut si quæ ciuitates in prouincia Sicilię pro peccatis per sacerdotum lapsus à pastorali regimine uacare noscuntur, de clero Ecclesiarum ipsarum, uel ex monasterijs, si qui digni ad sacerdotalem locum possunt inueniri, perspicias: & ad nos inquisita primitus morum grauitate transmittas, ut grex uniuscuiusq; loci per pastoris lapsum inueniri non debeat longo tempore destitutus. Si uero uacãtia quidem loca repereris, & nullus tali dignitati ex eadẽ Ecclesia congruus inueniatur, ad nos similiter inquisitione solerti renuncia, ut deus quem dignum talibus ordinationibus indicauerit, ualeat prouidere. Non enim oportet ut unius excessu grex dominicus per prærupta possit sine pastore diffluere. Ita enim & locorũ ordinatio prouenit, & reuertendi lapsis ad gradum priorẽ quo melius pœniteãt, suspicio nõ manebit.

Gregorius Natali episcopo Salonitano. Præcipit ut Honoratum archidiaconẽ suo gradui restituat. Caput XIX

Epist.19 GEsta quę nobis in concilij uestri confecta secretario direxistis, in quibus archidiaconus Honoratus addicitur, plena esse cognouimus semine iurgiorum, cùm uno eodemq; tempore una persona nolens ad sacerdotij ordinẽ prouehitur, quæ tanq; immerita à diaconatus officio remouetur. Et sicut iustum est, ut nemo crescere compellatur inuitus, ita censendũ puto similiter, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio dejciatur iniustè. Verumtamen quia inimica deo discordia tuas partes accusat, locum & administrationẽ suam Honorato archidiacono restituas cõmonemus, atq; concordes diuinis ministerijs competentia exhibere seruitia. Audientiæ & quæstioni nostræ si adhuc inter uos causa nutritur scandali, prædictus archidiaconus occurrat admonitus, atq; dilectio tua pro partibus suis dirigat personã instructam, quibus præsentibus solatiante domino nobis depositio studio personarum, quæ competunt fauori iustitiæ decernere ualeamus. Dist.74 gesta in prin.

Gregorius Natali episcopo Salonitano. Scribit se, gregemq; dominicum ut precibus adiuuet. Caput XX

Epist.20 SCripta reuerẽtię uestrę quæ ꝓcessioni nostrę gratias referebat, offerente Stephano diacono, quem direxistis, accepimus: & nimirum ualde credenda sunt gratia & studio charitatis impensa, dum pontificatus nostri congaudere ordinẽ ratio cõmonebat. Idcirco nos salutis uestræ causa redditi lætiores, cõscientiam nostram indicamus, ipsius honoris onera me ęgro animo suscepisse. Sed quia diuinis iudicijs non poterã resultare, necessãriò mentem meam parti lętiori reuocaui. Pro qua re reuerentiam uestram epistolario sermone deposcimus, ut tam nos quàm Christianus grex curæ nostræ cõmissus, orationis uestræ solatijs perfruamur, quatenus ea ualeamus præsidij firmitate procellas temporum superare.

Mense Februario: Indictione nona.

Gregorius Nonnoso. Maurentium de possessione quam petijt, dicit se exauditurum. Cap. XXI

Omnipo-

Epist.21 OMnipotens deus cordi uestro indicet quanta deuotione ac dilectione uobis coniungor. Et si hanc per epistolas implere nequeo, si quando tamen opportunitatem inueniam, rebus ostendere curabo. Salutationis præterea alloquiũ soluens indico, quia ueniente humili uestro domino Maurentio de possessione quam gloria uestra petijt, per omnia parebimus.

Gregorius Georgio episcopo Italiæ, Gratiarum actiones facit. Caput XXII

Epist.22 BOnitatem uestræ excellentiæ quam semper cognitam habui, experimento superaddito recognoui. Vnde omnipotẽtem deum deprecor, ut sua uos protectione custodiat, uobisq; & apud se gratiam, & apud serenissimos dominos largiatur. Si autem nullæ hominũ qui intersunt uos pra uitates diuidant, esse me uestrum proprium ualde certum tenete, & uobis dilectione coniunctum. Quod in omnipotente domino confido: quia hoc uobis etiam per documentum meæ attestationis ostendo. Salutationis igitur alloquium soluens peto, ut quotiens usus exegerit, uestris me affatibus releuare curetis.

Gregorius Anthemio subdiacono. Ancillas dei, Paulinum presbyterum, & alios commendat. Caput XXIII

Epist.23 INsinuatum nobis est ancillas domini quasdam Nolanæ ciuitatis in Aboritana domo cõmorantes, nimiam uictus uestitusq; penuriam sustinere. Quibus ex præcepto dei nos subuenire conuenit, & inopiam earum, quantum possumus, donante domino subleuare. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione mandamus, ut de hac præsenti nona indictione, quadraginta in auro eis solidos dare debeas, & deinceps succedentibus indictiõibus annuos uiginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Præterea Paulino presbytero monasterij sancti Erasmi, quod in latere montis Soractis sitũ est: sed & duobus monachis in oratorio sancti Archangeli seruientibus quod in Lucano castro iuxta sancti Petri Basilicam esse dinoscitur: binos te in præsenti solidos dare præcipimus, qui & ipsi tuis rationibus imputentur. Ita ergo fac ut impensæ mercedis tu quoq; participium sortiaris.

Gregorius Ioanni episcopo Cõstantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Ioanni Hierosolymitano, & Anastasio Patriarchę Antiocheno aparibus. Scribit epistolam de onere pastorali sibi nuper impositio, in qua etiam plurima testimonia scripturarum exponit. Cap. XXIIII

Epist.24 COnsideranti mihi quòd impar meritis, ac toto animo renitens, pastoralis curæ pondera portare compulsus sum, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud, nisi eas quæ uideri nil sinũt tenebras uidet. Nam quid antistes ad dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaq; fiducia ad deũ pro peccatis alienis intercessor uenio, apud quẽ de propris securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem uirum, qui & sibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinus respondere

A rem: Ad intercedendũ uenire nequeo, quia eius notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur recte homo apud hominẽ de quo minime præsumpsissem, fieri intercessor erubescerem, quantæ hoc audaciæ est, quòd apud deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me esse per uitæ meritũ non agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud grauius formidandum: quia sicut cuncti liquidò cognouimus, cùm is qui displicet, ad intercedendũ mittitur, irati ad deteriora animus prouocatur. Et ualde pertimesco, ne cõmissa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depereat, cuius nuncusq; delicta dominus æquanimiter tolerabat. Cùm uero utcunq; hunc timorem supprimo, & consolatam mentem ad pontificalis operis
B studia accingo, considerata ipsa rei immensitate deterreor. Perpendo quippe quòd omni cura uigilandum est, ut rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in uerbo, singulis cõpassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, cõtra delinquentium uitia, per zelum iustitiæ erectus. Quæ uidelicet cuncta dum subtili studio & inquisitione perscrutor, ipsa me in singulis latitudo considerationis angustat. Nam, sicut prædixi, curandũ summopere est, ut rector cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc susceperit officij, ut in alienis quoq; cordibus pollutionis maculas tergat. Quia necesse est ut esse munda stu- 1.quæst.1
C deat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta necesse
quæq; deterius inquinet, si sordida ipsa stercoris lutum tenet. Scriptum nanq; est: Mundamini qui Esa.52
fertis uasa domini. Domini etenim uasa ferũt, qui proximorum animas ad interna sacrificia perducendas, in cõuersationis suæ exemplo suscipiunt. Apud semetipsum ergo quantum debeat mundari conspiciat, qui ad æternitatis templum uasa uiuentia in sinu propriæ cõuersationis portat. Hinc diuina uoce præcipitur ut in Aaron pectore rationale iudicij uittis ligantibus imprimat̃, quatenus sacerdotale cor nequaq; cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola cõstringat. Nec indiscretum quid uel inutile cogitet, qui ad exemplũ alijs con
D stitutus, ex grauitate semper debet ostẽdere quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationale uigilanter adiungit̃, ut duodecim patriarcharum nomina describãtur. Adscriptos enim patres in pectore ferre, est antiquorũ uitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irrepre hensibiliter graditur, cùm exempla patrum præcedentium indesinẽter intuetur. Cùm sanctorum uestigia sine cessatione cõsiderat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis sui limitem, pedem operis tendat. Rursum cùm me ad considerandа debita pastoris opera confero, perpendo quanta intentione curandum est, ut sit operatione præcipuus: quatenus uitæ uiam subditis uiuendo denũciet, & grex qui pastoris uocem moresq; sequitur, per exempla melius quàm per uerba gradiat̃. Qui enim loci sui necessitate exigit̃ summa

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa nanq; uox libẽtius auditorum cor penetrat, quam dicẽtis uita cõmendat: quia quod loquendo præcipit, oſtendendo adiuuat, ut fiat.

Eſa.40 Hinc enim per prophetam dicitur: Super mõtem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Vt uidelicet qui cœleſti prædicatione utiĩ, ima iam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare uideatur, tantoq; ſubditos facilius ad meliora pertrahat, quanto per uitæ meritũ de ſupernis clamat. Hinc diuina lege armũ ſacerdos in ſacrificiũ & dextrũ accepit & ſeparatũ, ut nõ ſolum ſit eius operatio utilis, ſed etiã ſingularis, nec inter malos tantũmodo quæ recta ſunt faciat, ſed bene quoq; operantes ſubditos, ſicut honore ordinis ſuperat, ita etiã morũ uirtute tranſcẽdat. Cui in eſu quoq; pectuſculũ cum armo tribuitur, ut quod de ſacrificio præcipitur ſumere, hoc de ſemetipſo diſcat conditori ſuo immolare. Et non ſolũ pectore quæ recta ſunt cogitet, ſed ſpectatores ſuos ad ſublimia armo operis inuitet. Nulla præſentis uitæ appetat, nulla pertimeſcat: blandimenta mundi, reſpecto intimo terrore deſpiciat, terrores autẽ conſiderato internæ dulcedinis blandimento cõtemnat. Vnde ſuperne quoq; uocis imperio, in utroq; humero ſacerdos uelamine ſuphumeralis aſtringitur, ut cõtra aduerſa & proſpera, uirtutũ ſemper ornamento muniatur, quatenus iuxta Pauli uo-

2.Cor.6 cem: Per arma iuſtitiæ à dextris ſiniſtrisq; gradiẽs, cùm ad ſola quæ anteriora ſunt nititur, in nullo delectationis infimę latere flectatur. Non hunc proſpera eleuent, non aduerſa perturbent, non blanda uſq; ad uoluptatem demulceant, non aſpera ad deſperationẽ premant: ut dum nullis paſſionibus intentionem humiliat, quanta in utroq; humero ſuperhumeralis pulchritudine tegatur, oſtendat. Quod recte etiam ſuperhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, & torta fieri byſſo præcipitur, ut quanta ſacerdos clareſcere uirtutũ diuerſitate debeat, demonſtretur. In ſacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus ſapiẽtiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus qui aereo colore reſplendet, adiungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, ſed ad amorem cœleſtiũ ſurgat, ne dum in ſuis incautus laudibus capitur, ipſo etiam ueritatis intellectu uacuetur. Auro quoq; ac hyacintho purpura permiſcetur, ut uidelicet ſacerdotale cor, cùm ſumma prædicat, in ſemetipſo etiam ſuggeſtiones uitiorũ reprimat, eisq; uelut regia poteſtate cõtradicat, quatinus nobilitatẽ ſemper intimæ regenerationis aſpiciat, & cœleſtis regni habitũ moribus defendat. De hac enim nobi-

1.Pet.2 litate ſpiritus per Petrum dicitur: Vos autem genus electum, regale ſacerdotiũ. De hac etiam poteſtate qua uitia ſubigimus, Ioannis uoce roboramur, qui ait:

Ioan.1 Quotquot autem receperũt eum, dedit eis poteſtatem filios dei fieri. Auro autẽ ac hyacintho & purpuræ bis tinctus coccus adiungitur, ut ante interni iudicis oculos, omnia uirtutũ opera ex charitate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conſpectu occulti arbitri flãma intimi amoris accendat. Quæ ſcilicet charitas, quia deum ſimul & proximum diligit, quaſi coccus ex duplici tinctura fulgeſcit. Qui igitur ſic ad authoris ſpeciem anhelat, ut proximorum curam negligat, uel ſic proximorum curam exequitur, ut à diuino amore tepeſcat, quia unum horum quodlibet negligit, in ſuperhumeralis ornamento habere coccum bis tinctũ neſcit. Sed cùm mẽs ad præcepta charitatis tendit, reſtat proculdubio, ut per abſtinentiã caro maceretur. Vnde et bis tincto cocco torta byſſus adiungitur: De terra enim byſſus nitẽti ſpecie oritur. Et quid per byſſum, niſi candens decore munditiæ corporalis caſtitas deſignatur? Quæ uidelicet torta pulchritudini ſuper humeralis innectitur; quia tunc caſtimonia ad perfectiſsimæ munditiæ candorem ducitur, cùm per abſtinentiam caro fatigatur. Cumq; inter uirtutes cæteras etiam afflictæ carnis meritũ proficit, quaſi in diuerſa ſuperhumeralis ſpecie byſſus torta candeſcit. Rurſum cùm me ad conſiderandum debitum paſtoris uerbum ac ſilentium confero, pauenti cura perpendo, quòd ualde neceſſe eſt, ut & diſcretus ſit in ſilẽtio, & utilis in uerbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeſcat. Nam ſicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium, hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe nanq; rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui recta liberè pertimeſcunt: & iuxta ueritatis uocem, nequaq; iam gregis cuſtodiæ paſtorũ ſtudio, ſed mercenariorũ uice deſeruiũt: quia ueniente lupo fugiunt, dum ſe ſub ſilentio abſcõdunt. Hinc nãq;

Ezechiel eos dominus per prophetã increpat, dicens: Non aſcendiſtis ex aduerſo, neq; oppoſuiſtis murũ pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die domini. Ex aduerſo quippe aſcendere, eſt pro defenſione gregis uoce libera huius mũdi poteſtatibus cõtraire. Et in die domini in prælio ſtare, eſt prauis decertãtibus ex iuſtitiæ amore reſiſtere. Paſtori etenim recta timuiſſe dicere, quid eſt aliud q; terga tacendo præbuiſſe? Qui nimirũ ſi pro grege ſe obiecit, murum pro domo Iſrael hoſtibus opponit. Hinc

Threna rurſus delinquenti populo dicitur: Prophetæ tui uiderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiã prouocarent. Prophetæ quippe nonnunq; in ſacro eloquio doctores uocantur, qui dum fugitiua eſſe præſentia indicant, quæ ſint uentura manifeſtant. Quos diuinus ſermo falſa uidere redarguit: quia dum corripere culpas metuũt, incaſſum delinquẽtibus promiſſa ſecuritate blandiuntur. Qui iniquitatẽ peccantium nepuaq; aperiunt, quia ab increpationis uoce conticeſcunt. Clauis quippe apertionis, ſermo eſt correptionis: quia increpando culpam detegit, quam ſæpe neſcit ipſe etiam qui perpetrauit. Hinc Paulus ait: Vt potens ſit exhortari in doctrina ſacra, & eos qui contradicunt, redarguere.

Ad Titũ

Hinc per Malachiam dicitur: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirẽt ex ore eius: quia angelus domini exercituum eſt. Hinc per

Mal.2

Eſaiam

Esa.58 Esaiam dominus admonet, dicens: Clama, ne ceſſes, ſicut tuba exalta uocē tuam. Præconis quippe officiū ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotiū aſcendit, ut ante aduentū iudicis qui terribiliter ſequitur, ipſe ſcilicet clamando gradiatur. Sacerdos uero ſi prædicationis eſt neſcius, quam clamoris uocem daturus eſt præco mutus? Hinc eſt enim q̄ ſuper paſtores primos in linguarū ſpecie ſpiritusſanctus inſedit: quia nimirū quos repleuerit, de ſe protinus loquentes facit. Hinc Moyſi præcipitur ut tabernaculum ſacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: ut uidelicet uoces prædicationis habeat, ne ſuperni ſpeculatoris iudiciū ex ſilētio offendat. Scri
Exod.28 ptū quippe eſt: Audiatur ſonitus quando ingreditur uel egreditur ſanctuariū in conſpectu domini, & non moriatur. Sacerdos nanq; ingrediens uel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur: quia iram contra ſe occulti iudicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit. Aptè autē tintinnabula ueſtimētis eius deſcribuntur inſerta. Veſtimenta etenim ſacerdotis, quid aliud q̄ recta opera de-
Pſal.131 bemus accipere? propheta atteſtante, qui ait: Sacerdotes tui induantur iuſtitiam. Veſtimētis itaq; illius tintinnabula inhærent, ut uitæ uiam cum linguæ ſonitu, ipſa quoq; opera ſacerdotis clament. Sed conſiderandum quoq; eſt ut rector cùm ſe ad loquendum præparat, ſub quantæ cautelæ ſtudio loquatur attendat, ne ſi inordinatè ad loquendum rapitur, erroris uulnere audientiū corda feriātur, & cùm fortaſſe ſapiēs uideri deſiderat, unitatis cō pagem inſipienter abſcindat. Hinc nanq; ueritas
Mar.9 dicit: Habete ſal in uobis, & pacem habete inter uos. Per ſal quippe, uerbi ſapiētia deſignatur. Qui igitur loqui ſapienter nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientiū unitas confundat. Hinc
Rom.12 Paulus ait: Non plus ſapere q̄ oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatē. Hinc in ſacerdotis ueſte iuxta diuinā uocē, tintinnabulis mala punica coniunguntur. Quid enim per mala punica, niſi fidei unitas deſignatur? Nam ſicut in malo punico uno exterius cortice multa interius grana muniuntur, ſic innumeros ſanctæ Eccleſiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diuerſitas meritorum tenet. Tunc ergo tintinnabulis mala punica iungimus, cùm per omne quod dicimus, unitatē fidei cuſtodimus. Rurſum, cùm me ad conſiderandū cōfero qualis rector in compaſsione, qualisq; eſſe debeat in contemplatione perpendo, ut & ſingulis compaſsione ſit proximus, & præ cunctis contemplatione ſuſpēſus, quatenus & per pietatis uiſcera in ſe infirmitatē cæterorū transferat, & per ſpeculationis altitudinē ſemetipſum quoq; inuiſibilia appetendo tranſcendat, ne aut alta petens, proximorum infirma deſpiciat, aut infirmis proximorum cōgruens, appetere alta deſiſtat. Hinc eſt nanq; q̄
1.Cor.12 Paulus in paradiſum ducitur, cœlicq; tertij ſecreta rimatur, & tamen in illa inuiſibilium contemplatione ſuſpenſus, ad cubile carnalium mētis aciem reuocat, & cùm ſanctum ſit coniugium, creandorum cauſa liberorū, aliquid etiā eis & de uoluptate largitur, dicens: Propter fornicationes autem
1.Cor.7

A unuſquiſq; ſuam uxorē habeat, & unaquęq; ſuum uirum habeat. Vxori uir debitū reddat, ſimiliter & uxor uiro. Ecce iam cœleſtibus ſecretis inſerit, & tamen per condeſcenſionis uiſcera, carnalium cubile perſcrutatur, & quem ſubleuatus ad inuiſibilia erigit, hunc mentis oculum ad ſecreta coniugum inflectit. Cœlum contemplatione tranſcendit, nec tamē ſtratum carnalium ſollicitudine deſerit: quia compage charitatis ſummis ſimul & infimis iūctus, & in ſemetipſo uirtute ſpiritus ad alta ualēter rapitur, & pietate in alijs æquanimiter ad ima reuocatur. Pro hac ſuæ compaſsione charitatis iterū apoſtolus Paulus dicit: Quis infirmatur, 2.Cor.11
& ego non infirmor? quis ſcandalizat, & ego non uror? Hinc rurſus ait: Factus ſum Iudæis tanq; Iu- 1.Cor.9
B dęus. Quod uidelicet exhibebat non amittēdo fidem, ſed extendendo pietatem, & in ſe perſonam infidelium transfigurans, ut ex ſemetipſo diſceret qualiter alijs miſereri debuiſſet, quatinus hoc illis impenderet, quod ſibi ipſe, ſi ita eſſet, impendi recte uoluiſſet. Hinc iterum dicit: Siue mente exce- 2.Cor.5
dimus, deo: ſiue ſobrij ſumus, uobis: quia & ſemet ipſum nouerat contemplando tranſcendere, & eundē ſe auditoribus condeſcendendo attēperare. Hinc Iacob domino deſuper innitente, & uncto deorſum lapide aſcendentes & deſcendentes angelos uidit: quia ſcilicet prędicatores recti, non ſolum ſurſum ſanctum caput Eccleſiæ, uidelicet dominū cōtemplando appetunt, ſed deorſum quoq; ad mēbra illius miſerando deſcēdunt. Hinc Moyſes crebro tabernaculū intrat & exit, & qui intus
C in cōtemplatione rapitur, foris infirmantiū negocijs urgetur. Intus dei arcana conſiderat, foris onera carnaliū portat. Qui de rebus quoq; dubijs ſemper ad tabernaculū recurrit, & coram teſtamenti arca dominū conſulit: exemplū procul dubio rectoribus præbens, ut cū foris ambigunt quid diſponant, ad mentē ſemper quaſi ad tabernaculum redeant, & uelut coram teſtamēti arca dominum cōſulant, ſi de his in quibus dubitant, apud ſemetipſos intus ſacri eloquij paginas requirant. Hinc ipſa ueritas per ſuſceptionē nobis noſtræ humanitatis oſtenſa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet, imitationis uidelicet uiam bonis rectoribus ſternens, ut etſi iam ſumma cōtem-
D plando appetunt, neceſsitatibus tamen infirmantium compatiendo miſceantur: quia tunc ad alta charitas mirabiliter ſurgit, cùm ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, et quo benigne deſcendit ad infima, ualenter recurrit ad ſumma. In qua uidelicet compaſsione neceſſe eſt ut talem ſe qui præeſt exhibeat, cui ſubiecti quique occulta quoq; ſua prodere non erubeſcant, ut cùm tentationū ſuarum fluctus paruuli tolerant, ad paſtoris mentē, quaſi ad matris ſinū recurrant, & hoc q; ſe inquinari pulſantis culpæ ſordibus præuident, ex hortationis eius ſolatio, & lachrymis orationis lauent. Vnde & ante fores templi ad abluendas ingredientiū manus mare æneū, id eſt, luterē, duodecim boues portāt, qui quidē facie exterius eminent, ſed ex poſterioribus latēt. Quid nanq; duo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

decim bobus, niſi uniuerſus paſtorũ ordo ſignaẽ
1.Cor.9 De quibus lex Paulo diſſerente dicit: Non obtura bis os boui triturãti. Quorũ quidẽ nos aperta ope ra cernimus, ſed apud diſtrictum iudicẽ, quæ illos poſterius maneant in occulta retributione, neſci- mus. Qui tamen cùm condeſcenſionis ſuæ patien tiam abluendis proximorũ confeſsionibus prępa rant, uelut ante fores templi luterem portant, ut quiſquis intrare æternitatis ianuam nititur, tenta- tiones ſuas menti paſtoris indicet, & quaſi in boũ lutere cogitationis uel operationis manus lauet. Et fit plerunq; ut dum rectoris animus tentamẽta condeſcendendo recognoſcit, auditis tentationi- bus & ipſe pulſetur: quia & hæc eadem per quam populi multitudo diluiẽ, aqua proculdubio lute- ris inquinatur. Nam dum ſordes diluentium ſuſci pit, quaſi ſuæ munditiæ ſerenitatẽ perdit. Sed hæc nequaq; paſtori timenda ſunt: quia deo ſubtiliter cuncta penſante, tãto facilius à ſua eripitur, quan- to miſericordius ex aliena tentatione fatigaẽ. Rur ſus cùm me ad cõſiderandũ confero, qualis in hu- militate, qualisq; eſſe rector debeat in diſtrictio- ne, perpendo quoniã neceſſe eſt ut & bene agen- tibus ſit per humilitatẽ ſocius, & cõtra delinquen tium uitia per zelum iuſtitiæ erectus, quatenus & bonis in nullo ſe præferat, & cùm prauorũ culpa exigit, prioratus ſui poteſtatẽ agnoſcat, ut & ho- nore ſuſpenſo, æqualem ſe ſubditis bene uiuenti- bus deputet, & contra peruerſorũ culpas ex zelo iuſtitiæ excreſcat. Hinc eſt nanq; ꝙ Petrus au- thore deo ſanctæ Eccleſiæ principatũ tenens, à be ne agẽte Cornelio & ſeſe ei humiliter proſternen te, immoderatius uenerari recuſauit, ſecq; illi ſimi-
Act.9 lem recognouit dicens: Surge ne feceris, & ego homo ſum. Sed cùm Ananiæ & Sapphyræ culpã
Act.5 reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excre uiſſet oſtendit. Verbo nanq; eorũ uitam perculit, quam ſpiritu perſcrutante deprehẽdit, & ſummũ ſe intra Eccleſiã contra peccata recoluit, quod ho nore ſibi uehementer impenſo, coram bene agen tibus fratribus nõ agnouit. Hic cõmunionẽ æqua litatis meruit ſanctitas actionis, illic zelus ultio- nis uim aperuit poteſtatis. Hinc eſt ꝙ Paulus bene agentibus fratribus prælatũ ſe eſſe neſciebat, cùm
2.Cor.1 diceret: Non quia dominamur fidei ueſtrę, ſed ad- iutores ſumus gaudij ueſtri. Ad quæ ilico adiun- xit: Fide enim ſtatis. Ac ſi id quod prętulerat ape- riret, dicens: ideo non dominamur fidei ueſtræ, quia fide ſtatis. Æquales eĩ uobis ſumus in quo uos ſtare cognoſcimus. Quaſi prælatũ ſe eſſe fra-
1.Theſ.5 tribus neſciebat, cùm diceret: Facti ſumus paruuli
1.Cor.4 in medio ueſtrũ: & rurſus: Nos aũt ſeruos ueſtros per Chriſtũ. Sed cùm culpã quæ corrigi debuiſ- ſet, inuenit: ilico ſe magiſtrũ eſſe recoluit, dicens: Quid uultis, in uirga ueniã ad uos? Summus itaq; locus bene regitur, cùm is qui præeſt, uitijs potius quàm fratribus dominatur. Bene acceptã poteſta tem regit, qui & tenere illã nouit, & impugnare. Bene hanc regit, qui ſcit per illam ſuper culpas eri gi, ſcit cum illa cæteris in æqualitate componi. Sic autem ſeruanda eſt uirtus humilitatis, ut non ſol-

A uãtur iura regiminis: ne dum prælatus quiſq; plus ſe quàm decet deijcit, ſubditorum uitam reſtringe re ſub diſciplinæ uinculo non poſſit: & ſic ſeruan- da eſt diſciplinæ ſeueritas, ne dum pluſquã neceſ- ſe eſt zelus accẽditur, manſuetudo funditus amit- tatur. Sæpe nanq; uitia uirtutes ſe eſſe mentiũtur, ut tenacia parſimonia, effuſio largitas, crudelitas zelus iuſtitiæ, remiſſio pietas uelit uideri. Diſci- plina ergo uel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur. Sed magna diſcretionis arte ſeruanda eſt & iuſtè conſulens miſericordia, & piè feriens diſciplina. Hinc nanq; eſt quod do-
Luc.10 cente ueritate per Samaritani ſtudium ſemiuiuus in ſtabulum ducitur, & uinum atq; oleum uulne- ribus eius adhibetur: ut per uinũ ſcilicet mordean
B tur uulnera, & per oleũ foueantur. Neceſſè quip- pe eſt, ut is qui ſanandis uulneribus præeſt, in ui- no morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per uinum mordeantur putri- da, per oleum ſananda foueantur. Sit ergo amor, ſed non emolliens. Sit uigor, ſed non exaſperans. Quod bene illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis uirga ſimul & manna eſt, quia cũ ſcri- pturæ ſacræ ſcientia in boni rectoris pectore ſi eſt uirga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Suſce pto itaq; paſtoralis curæ onere, cũ cuncta hæc atq;
C alia huiuſmodi multa conſidero, uideor quod eſſe nõ poſſum, maxime quia hoc in loco quiſquis pa- ſtor dicitur, curis exterioribus grauiter occupaẽ, ita ut ſæpe incertum fiat utrum paſtoris officium, an terreni proceris agat. Et quidẽ quiſquis regen- dis fratribus præeſt, uacare funditus à curis exte- rioribus non poteſt, ſed tamen curandum magno pere eſt, ne ab his immoderatè deprimaẽ. Vnde recte ad Ezechielẽ dicitur: Sacerdotes caput ſuũ Ezech.44 non radant, neq; comam nutriant, ſed tondentes attondeant capita ſua. Quid enim ſignant capilli in capite, niſi exteriores cogitationes in mente? Qui dum ſuper cerebrum inſenſibiliter oriuntur, curas uitæ præſentis exprimunt, quæ ex neglecto ac torpẽti ſenſu quia inopportunè prodeũt, quaſi nobis non ſentiẽtibus procedunt. Quia ergo cun- cti qui præſunt, habere quidem ſollicitudines ex- teriores debent, nec tamen eis uehemẽter incum bere, ſacerdotes recte & caput prohibentur rade-
D re, & comam nutrire, ut cogitationes carnis de uita ſubditorũ nec à ſe funditus amputent, nec rur- ſum ad creſcendum nimis relaxẽt. Vnde bene di- citur, tondentes tondeant capita ſua, ut uidelicet curæ temporalis ſollicitudinis & ad quantum ne- ceſſe eſt prodeant, & tamen recidantur citius, ne immoderatius excreſcant. Dum igitur per admi- niſtratam exteriorem prouidentiã corporalis ſub ditorum uita protegitur, & rurſus per immodera tam alta cordis intentio non impeditur, quaſi ca- pilli in capite ſacerdotis ſeruantur, ut cutem coo- periant, & reſecãtur, ne oculos claudant. Sed hoc in loco huius diſcretionis moderamina uideo ſer- uari non poſſe, quia tãti quotidie caſus imminẽt, ut mentem ſimul obruãt, cùm uitam corporalem necant. Vnde fratres ſanctiſsimi, per uenturũ iu-

dicem

dicem rogo, per multorum milium angelorũ frequentiam, per Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, sub hoc pastoralis curæ onere lassescentem orationis uestrę intercessione me adiuuare, ne suscepta me pondera ultra uires premant. Memor uero quod scriptum est: Orate pro inuicem ut saluemini, etiam impendo quod peto. Sed recipiam quod impendo. Dum enim nos uobis per orationis opem cõiungimus, quasi ambulantes per lubricũ, uicissim nobis manũ tenemus, fitq; ex magna prouisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterum alter innititur. Præterea quia corde creditur ad iustitiam, ore autem cõfessio fit ad salutem, sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor cõcilia suscipere & uenerari me fateor. Nicenum scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur. Constantinopolitanũ quoq;, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur. Ephesinũ etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur. Chalcedonense uero, in quo Euthicetis Dioscoriq; prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his uelut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. Et cuiuslibet uitæ atq; actionis existat, quisquis eorum soliditatẽ non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoq; concilium pariter ueneror, in quo epistola, quæ Ibe dicitur, erroris plena, reprobatur, in quo Theodorus personã mediatoris dei & hominum in duabus subsitantijs separans, ad impietatis perfidiã cecidisse cõuincitur, & in quo scripta quoq; Theodoriti per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata, refutantur. Cunctas uero quas præfata ueneranda cõcilia personas respuunt, respuo, quas uenerantur, amplector: quia dum uniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit quisquis præsumit aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis uero prædictarum synodorum fidem tenet, pax ei sit à deo patre per Iesum Christum filium eius, qui cum eo uiuit & regnat consubstantialiter deus in unitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Iacobi 5

Rom. 10 Difin. 15 a. sicut

Gregorius Anastasio patriarchæ Antiocheno. Conqueritur de onere pastorali. Cap. XXV

Epist. 25 Vide supra epistolã 7

Scripta uestræ beatitudinis, ut fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, umbrã æstuans accepi. Neq; enim illa uerba per linguã carnis uidebãtur expressa: quia sic spiritalem amorẽ suum quem gestabant aperuerunt, ac si mens per semet ipsam loqueretur. Sed durum ualde fuit quod scriptũ est, quia amor uester terrena me portare onera præcepit, & quem prius spiritaliter diligebatis, postea, ut existimo, temporaliter amantes, usq; ad terrã me superposito onere depressistis, ita ut omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisq; aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: Incuruatus sum & humiliatus sum usquequaq;. Tanta me quippe occupationum onera deprimũt, ut ad superna animus nullatenus erigatur. Multis causarum fluctibus quatior, & post illa quietis ocia, tumultuosæ uitæ tempestatibus affligor, ita ut recte dicam: Veni in altitudinẽ maris, & tempestas demersit me. Periclitanti igitur mihi manum orationis uestræ tendite, uos qui in uirtutũ littore statis. Quòd uero me os domini, quòd lucernam dicitis, q̃ loquendo multis prodesse, multisq; posse lucere perhibetis, existimationem mihi meam, fateor, in dubietatem maximam perduxistis. Considero nanq; qui sum, & nihil in me ex huius boni signo deprehendo. Considero nanq; qui estis, & uos mentiri posse non arbitror. Cùm ergo credere uolo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea. Cùm disputare uolo quod in laude mea dicitur, cõtradicit mihi sanctitas uestra. Sed quęso uir sancte nobis aliquid de hoc certamine nostro cõueniat, ut etsi nõ quod dicitis ita est, sit ita quia dicitis. Præterea sicuti patriarchis alijs uel fratribus, ita & synodicã uobis epistolam direxi, quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis dei munere accepistis esse, nõ quod ex uolũtate hominũ putamini nõ esse. Latori uero præsentiũ Bonifacio defensori aliqua iniũxi, quę sanctitati uestræ debeat seriosius intimare. Amatoris aũt uestri beati Petri apostoli uobis claues transmissi, quæ super ægros positæ, multis solent miraculis coruscare.

Psal. 68

Psal. 118

Gregorius Anastasio archiepiscopo Corinthiensi. Cõqueritur de onere pastorali, & hortatur ut succurrat portitori præsenti. Caput XXVI

Epist. 26

Iudicia dei quãto sunt inuestigabilia, tanto debent humanis mentibus esse metuenda, ut quia ea ratio mortalis comprehendere non ualet, his se necesse est humili cordis ceruice substernat, quatenus quo eam regentis uoluntas duxerit, illuc obedientibus mentis gressibus prosequatur. Ego autem considerans infirmitatẽ meam ad Apostolicæ sedis culmen non posse pertingere, onus hoc malui declinare, ne in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberem. Sed quia contraire non est domini disponẽtis arbitrio, obediẽter secutus sum quod misericors de me regentis manus uoluerit operari. Nã fraternitati uestræ, & si præsens non eueniret occasio, necessariò fuerat indicandum, q̃ licet indignum, me Apostolicæ sedi dominus præesse dignatus est. Cùm ergo fieri hoc & causa posceret, & directi à uobis præsentiũ latoris, id est Bonifacij defensoris, euenisset occasio, curauimus non solum scriptis fraterni tati uestræ charitatis uota persoluere, sed etiam de ordinatione nostra, quod desiderabile uobis fuisse credimus, indicare. Propterea charitas uestra reciprocis literis nos de unitate Ecclesiæ, & desiderabili nuncio salutis uestræ lætificet: quatenus absentia corporalis, quam nos locorum facit sustinere disiunctio, scriptorum sibi uicissitudine præsentetur. Adhortamur etiam ut quia memoratum superius præsentium portitorem pro necessarijs quibusdam causis ad clementissimi principis uestigia destinauimus, & mutabilitas temporis multa solet impedimẽta itineris generare, quicquid ei

ſiue in terreni itineris prouiſione, ſiue etiã in procuratione nauigij neceſſarium fuerit, ueſtra ſacerdotalis impendat affectio, ut deſtinatum iter celeriús domino miſerante ualeat explicare.

Gregorius Sebaſtiano epiſcopo Riſinienſi.
De reuerſione Anaſtaſij patriarchæ. Cap. XXVII

Epiſt.27 QVamuis nulla merui beatitudinis ueſtræ ſcripta ſuſcipere, tamẽ ego etiam obliuiſcentem me non obliuiſcor, negligentẽ pulſo, torpentem amoris ſtimulis inquieto, ut qui ex ſemetipſo non uult impendere, uel pulſatus ſciat reddere quod debet. Præterea indico ſuggeſtionem me apud pijſsimos dominos ſummis precibus plenam feciſſe, ut uirum beatiſsimum dominum Anaſtaſium patriarcham conceſſo uſu pallij ad beati Petri Apoſtolorum principis limina mecũ celebraturum ſolennia miſſarum trãſmittere debuiſſent, quatenus ſi ei ad ſedem ſuam minime reuerti liceret, ſaltem mecum in honore ſuo uiueret. Sed quę cauſa contigerit ut eadem ſcripta retinerem, præſentium lator uobis innoteſcet. Eiuſdem tamẽ domini Anaſtaſij animũ cognoſcite, & quicquid ei de hac re placuerit, ueſtris mihi epiſtolis indicate.

Gregorius Ariſtobolo expræfecto & antigrapho.
De expoſitione epiſtolarũ ſuarum. Cap. XXVIII

Epiſt.28 AD explendum affectũ meum fateor, lingua nõ ſufficit, ſed quicquid de uobis ſentio, ueſter uobis melius affectus dicit. Quibuſdam uero uos aduerſitatibus laborare audiui. Sed nõ hac de re ualde cõtriſtor, quia plerunq; nauis quæ peruenire ad alta pelagi per proſperitatẽ poterat, in ipſo nauigationis initio uento aduerſante repellit, ſed ad portum repulſa reuocatur. Præterea ſi prolixam epiſtolam ad interpretandum accipere fortaſſe contigerit: rogo non uerbũ ex uerbo, ſed ſenſum ex ſenſu transferte, quia plerũq; dum proprietas uerborũ attenditur, ſenſuum uirtus amittitur.

Gregorius Andreæ de Dibiria. Tranſmittit clauẽ à corpore ſancti Petri, & de catenis eius. XXIX

Epiſt.29 OMnipotens deus dulciſsimo cordi ueſtro indicet, quia & abſens corpore à charitate ueſtra animo non receſsi. Bona enim ueſtra etiam ſi obliuiſci uolo, non ualeo. Hoc autem quòd me ad epiſcopatus ordinem cognoſcitis peruenisſe, ſi me diligitis, plangite: quia hic huius mundi tantæ occupationes ſunt, ut per epiſcopatus ordinẽ penè ab amore dei me uideam eſſe ſeparatum. Quod inceſſanter defleo, atq; ut pro me dominum exoretis, rogo. Præterea ſanctiſsimam clauem, à ſancti Petri apoſtoli corpore uobis tranſmiſi, quę ſuper ægros multis miraculis ſolet coruſcare, nam etiam de eius catenis interius habetur. Eędem igitur catenæ quæ illa ſancta colla tenuerunt, ſuſpenſæ colla ueſtra ſanctificent.

Gregorius Ioanni exconſuli atq; patricio & quæſtori. Clauẽ ſancti Petri & de catenis eius tranſmittit. Caput XXX

Epiſt.30 BOna excellentiæ ueſtræ expertus, tanto erga uos amore cõſtringor, ut ueſtra memoria de meo pectore aboleri nullatenus poſsit. Sed contra amorem non modicè cõtriſtor, quia quatenus me quærere cognouiſtis, & ad inquietudinẽ perduxiſtis, uobis quidem omnipotẽs deus quia hoc bono animo feciſtis, bona æterna retribuat, ſed me à tanto loci huius periculo qualiter uoluerit abſoluat: quia ſicut peccata mea merebantur, non Romanorum ſed Longobardorum epiſcopus factus ſum, quorũ ſinthiciæ ſpatæ ſunt, & gratia pœna. Ecce ubi me patrocinia ueſtra perduxerũt. Gemo quotidie occupationibus preſſus, & reſpirare non ualeo. Sed uos qui adhuc ualetis, huius mundi occupationes fugite: quia quanto in eo quiſq; profecerit, tanto, ut uideo, ab amore dei amplius decreſcit. Præterea ſanctiſsimã clauem à beati Petri Apoſtolorũ principis corpore uobis tranſmiſi, quæ ſuper ægros multis ſolet miraculis coruſcare. Nam etiam de eius catenis interius habet. Eędem igitur catenæ quæ illa ſancta colla tenuerũt, ſuſpenſæ colla ueſtra ſanctificent.

Gregorius Philippo Comiti Excubitorum.
Cauſas Italiæ commendat. Caput XXXI

Epiſt.31 INquantum homo diſcutere & inueſtigare iudicia ſuperna non ſufficit, intantum ſub eis debet ceruicem cordis inflectere: & quia id quod ſibi tribuitur, quo iudicio diſponatur ignorat, nec ad appetendum locum procax inſiſtere, nec ad repellendum contumax debet inueniri. Vnde indignus ego ad ſuſcipienda epiſcopatus onera iuſsioni omnipotentis dei, ueſtræq; me uoluntati ſubdidi. Cui me pręeſſe largitate magis gratiæ quàm iudicij extimatione uoluiſtis. Potens eſt enim deus propter quem me indignum diligitis, hanc uobis in perpetuũ repenſare mercedem, ut gratiã quam indignis famulis eius impenditis, apud eum inuenire multiplicius ualeatis. Cauſas uero Italiæ, ueſtra quæſo excellentia habeat mandatas, ut dum uos petentibus libenter impenditis, omne quod à deo petitis, quantocyus impetretis.

Gregorius Romano Patricio & exarcho Italiæ.
Exarcho ſcribit de Blando epiſcopo reſtituendo.
Caput XXXII

Epiſt.32 SCribendi ad excellentiã ueſtram ſi cauſa omnino nulla ſuppeteret, nos tamen eſſe oportet charitate paterna de ueſtræ ſalutis incolumitate ſollicitos, ut quod de uobis audire cupimus, internunciorum frequentia cognoſcamus. Præterea peruenit ad nos Blandum epiſcopum Hortenſis ciuitatis, longo iam tẽpore in ciuitate Rauennate à ueſtra excellentia detineri. Et fit ut Eccleſia ſine rectore, & populus quaſi ſine paſtore grex conſiſtens defluat, & ibidẽ infantes pro peccatis abſq; baptiſmate moriantur. Et rurſus quia non credimus q; eum excellentia ueſtra niſi pro aliqua probabilis exceſſus cauſa tenuerit, oportet ut habita ſynodo palàm fiat ſi quod in eũ crimẽ intendit. Et ſi talis in eo culpa reperitur, quæ uſq; ad degradationẽ ſacerdotij perducatur, aliã neceſſe eſt ordinationem inquiramus, ne Eccleſia dei in his ſine quibus iam Chriſtiana non patitur eſſe religio, inculta ac deſtituta remaneat. Sin autẽ excellentia ueſtra aliter ſe habere q; de eo quod dicit eſſe perſpexerit, eum ad Eccleſiã ſuã reuerti concedat, ut officiũ ſuũ in cõmiſsis ſibi animabus adimpleat.

Menſe

Mense Martio: Indictione. ix.
Gregorius Venantio Cancellario Italiæ.
Venantio exmonacho scribit, & increpat de habitu monastico dimisso. Cap. XXXIII

Epist.33 MVlti hominum stulti putauerũt quòd si ad ordinẽ episcopatus eueherer, uos alloqui ac per epistolas frequentare recusarem. Sed non ita est, quia ipsa iam loci mei necessitate compellor, ut tacere non debeam: scriptũ quippe est: Clama, ne cesses, sicut tuba exalta uocem tuam. Et rursus scriptũ est: Speculatorẽ te dedi domui Israel, audies de ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me. Ex qua uidelicet annunciatione uel retenta, uel exhibita quid speculatorem uel auditorẽ sequatur, protinus intimatur: Si dicente me ad impium, Morte morieris: non annunciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertat̃ à uia sua impia & uiuat: ipse impius in iniquitate sua morie͂, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab iniquitate sua, & à uia sua impia, ipse quidẽ in iniquitate sua morietur, tu autem animã tuam liberasti. Hinc etiam Ephesiis Paulus dicit: Mundæ sunt hodie manus meæ à sanguine omniũ uestrũ, non enim subterfugi quo minus annũciarem uobis omne dei consilium. Mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis dei consilium annũciare noluisset: quia cùm increpare delinquẽtes noluerit, eos proculdubio tacẽdo pastor occidit. Hac igitur consideratione compulsus, uelis nolis locuturus sum, quia omni uirtute aut te cupio saluari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris recolis, & supernæ districtionis animaduersione propositа, ad quid sis delapsus agnoscis. Culpã ergo tuam pensa dum uacat, districtionem futuri iudicis dum uales exhorresce, ne tunc illam amaram sententiã audias, cum iam nullis fletibus euadas. Pensa quod scriptũ est: Orate ne fiat fuga uestra hyeme uel sabbato. Ad ambulandum quippe in hyeme torpor frigoris obsistit, & iuxta præceptum legis, ambulare in sabbato non licet. In hyeme ergo uel sabbato fugere conatur, qui iram districti iudicis tunc appetit fugere, quando ei iam non licet ambulare. Dum uacat ergo, dum licet, animaduersionẽ tanti terroris fuge. Pensa quod scriptũ est: Omne quod potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos, quò tu properas. Teste Euangelio, scis quia diuina seueritas de ocioso sermone nos arguit, & de uerbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pensa ergo quid factura est de peruerso opere, si quosdã in iudicio suo reprobat de sermone? Ananias pecunias deo uouerat, quas pòst diabolica uictus persuasione, subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit: qui eos quos dederat nummos deo abstulit, cõsidera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui nõ nũmos sed temetipsum deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti? Considera iudiciũ dei quod mereat̃ q; semetipsum deo uouit, continuoq; mundi desideriis irretitus, mentitus est quod uouit. Si mihi credideris, si correptionis meæ uerba secuturus audieris, quàm sint blanda & dulcia in fine cognosces. Ecce fateor, mœrens loquor, & facti tui tristitia astrictus, ædere uerba uix ualeo: & tamen animus tuus actionis suæ conscius uix sufficit ferre quod audit: erubescit, confunditur, auersatur. Si ergo non ualet uerba ferre puelueris, quid facturus est ad iudicium conditoris? Fateor tamen, quia supernæ gratiæ esse͂ miseri cordiam maximã credo, quòd te effugere uitam conspicit, & tamen ad uitã adhuc reseruat: quòd superbientem te uidet, & tolerat: q; per indignos famulos suos uerba tibi increpationis & admonitionis administrat. Tantum est ut pensare sollicitè debeas: quod Paulus ait: Exhortamur uos fratres ne in uacuũ gratiã dei recipiatis. ait enim tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Sed scio quia cùm epistola mea suscipitur, protinus amici cõueniunt, literati clientes uocantur, & de causa uitæ consiliũ à fautoribus mortis quæritur, qui dum nõ te, sed res tuas diligũt, nulla tibi nisi quæ ad tempus placeant loquũtur. Tales eĩ fuerunt, sicut ipse reminiscer̃is, dudum cõsiliarij qui te ad tanti facinus perduxerũt delicti. Vt tibi aliquid secularis authoris loquar: Cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si uerò in causa tua hominem consiliarium quæris, consilium rogo me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non tua sed te diligit. Omnipotẽs deus cordi tuo indicet, cor meũ quanto te amore, quantaq; charitate amplectit̃, inquantum tamen diuina gratia non offendatur. Nam sic culpam tuam insequor, ut te diligam. Sic personã diligo, ut culpæ uitiũ non amplectar. Si igit̃ à me amari te credis, Apostolorũ liminib. præsentare, meq; cõsiliario utere. Si aũt esse͂ fortasse in causa dei minimus credor, & pro zeli mei ardore suspectus sum, cunctã simul Ecclesiam in cõsilio huius disceptationis adhibeo, & quicquid omnibus fieri salubriter placet, ego in nullo contradico, sed quod in cõmune decernitur, lætus impleo & subscribo. Implentem quæ monui, gratia diuina te custodiat.

Gregorius Petro episcopo Terracinensi.
De Iudæis non persequendis. Cap. XXXIIII

Epist.34 IOseph, præsentium lator, Iudęus nobis insinuauit quòd de loco quodam in quo ad celebrandas festiuitates suas Iudæi in Terracinensi castro consistentes conuenire consueuerant, tua eos fraternitas expulerit, & in aliũ locũ pro colẽdis similiter festiuitatib. suis, te quoq; nescente & consentiente migrauerint, & nũc de eodem loco expulsos se denuo conqueruntur. Sed si ita est, uolumus ut tua fraternitas ab huiusmodi querela suspendat, & ad locũ quẽ sicut prędiximus, cum tua conscientia quò congregentur adepti sunt, eis sicut mos fuit, ibidem liceat conuenire. Eos eĩ qui à religione Christiana discordãt, mãsuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatẽ fidei

Universidad de Deusto Biblioteca

neceſſe eſt congregare,ne quos dulcedo prædica A
tionis,& prætẽtus futuri iudicis terror ad creden
dum inuitare poterat,minis et terroribus repellã-
tur.Oportet ergo ut ad audiendum de uobis uer-
bum dei benignè conueniant,quàm auſteritatem
quæ ſupra modum extenditur expaueſcant.

Gregorius Ioanni Epiſcopo Rauennati.
De controuerſia Ioannis & Stephani epiſcopi.
Caput XXXV.

Epiſt.35 SI profeſſionem ordinis noſtri,& locum cuius
miniſterium gerimus, attendamus: oportet
nos afflictis,inquantum poſſumus,comitante iu-
ſtitia ſubuenire. Quoniam ergo glorioſum uirum
Maurilionem expræfecto inſontem cõcedere in
geſtis Eccleſiaſticis cognouimus:ueſtra fraterni- B
tas inquantum poſſibilitas ſubeſt, opem ferre feſ-
tinet:non quia,quod abſit,de uiri excellentiſſimi
domini Georgij præfecti iuſtitia dubitamus, aut
in aliquo putamus eum rationis tramitem decli-
nare, uirum quem in huius tantæ dignitatis admi
niſtratione in bonis omnibus habemus expertũ,
ſed quò & glorioſus uir Maurilio expræfecto ra-
tiones ſuas abſq; ſuſpitiõe oppreſſionis exponat,
& prædictus excellentiſſimus uir dominus Geor
gius præfectus rationes ſine laceratione ſuæ opi-
nionis exequatur.

Gregorius Malcho epiſcopo Dalmatienſi. De
cõtentionib. Ioannis & Stephani. Ca. XXXVI

Epiſt.36 IOannes uir eloquentiſſimus, conſiliarius uiri
excellẽtiſſimi domini Georgij præfecti per Ita C
liam,inſinuauit nobis contra Stephanum epiſco-
pum Scodrenſis ciuitatis quorundam ſe negocio
rum habere controuerſias:& petijt inter eum &
ſe iudicium debere conſiſtere.Propterea fraterni-
tatem tuam præſenti præceptione curauimus ad-
monendam,ut prædictum epiſcopum ad eligen-
dum compellas uenire iudicium.Et quicquid in-
ter prædictum Ioannem uirum magnificum & ſæ
pefatum epiſcopum electorũ fuerit ſentẽtia diffi-
nitum,ad effectum perducere non omittas: ut &
actor de conſecuta iuſtitia gratias referat,& pulſa
tus cùm ad cognitionem deducitur, nihil contra
ſe de illata iniuſtitia conqueratur.

Gregorius Anthemio ſubdiacono.
Vt dominę Paterichiæ & Viuianæ neceſſaria
ſubminiſtret. Cap. XXXVII D

Epiſt.37 DIſcedenti tibi mandauimus, & poſtmodum
præceptis diſcurrentibus iniunxiſſe me me
mini,ut curam pauperum gereres. Et ſi quos illic
egere cognoſceres,ſcriptis recurrentibus indica
res,& uix de paucis hæc facere curaſti. Volo autẽ
ut domine Paterichiæ meæ mox ut præſentẽ iuſſi
onem ſuſceperis,offeras ad calciarium puerorum
ſolidos quadraginta,& tritici modios quadringẽ
tos.Dominæ Palatinæ relictæ Vrbici,ſolidos ui-
ginti:& tritici modios trecentos.Dominæ Viui-
anæ relictæ Felicis:ſolidos uiginti,& tritici modi
os trecentos.Qui omnes ſimul octoginta ſolidi in
tuis rationibus imputẽtur.Summam uerò impen
ſionum ſub feſtinatione tranſmittito,& ad paſcha
lem diem domino auxiliante occurrito.

Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi.
De monaſterio ſancti Theodori ordinando.
Caput XXXVIII

ET tibi gratum cõfidimus ſi fratris tui uiri ue- Epiſt.38
nerabilis epiſcopi Paulini peregrinationis
onera releuentur,& eius regimine communi mer
cede beati Theodori monaſterium in ciuitate tua
fundatum ſtudioſius omnipotenti deo deſeruiat.
Quod etiam te uoluiſſe facere, eius relatione co-
gnouimus. Ideoq; rectori patrimonij noſtri præ-
cepimus, ut monachos monaſterij memorati epi
ſcopi perquiſitos ad unum congreget: & in eodẽ
monaſterio cum ijs qui nũc ibi ſunt, collocare nõ
differat, quatenus eo rectore dignius animarum
ſuarum curam exerceant.Quam rem uenerationi
tuæ innoteſcendam præuidimus:ne te omiſſo, ali
quid ordinatum in tua contriſteris dioceſi.

Gregorius Petro diacono.
De monachis diſperſis per Siciliã. Ca. XXXIX

VErum Paulinus epiſcopus Tauri ciuitatis, Epiſt.39
prouinciæ Briciorum, nobis aſſeruit mona
chos ſuos occaſiõe diſperſos barbarice: eoſq; nũc
per totã uagari Siciliam,& eos,quippe ſine recto
re,nec animarũ curam gerere, nec diſciplinæ ſui
habitus indulgere. Qua de re præcipimus eoſdẽ
monachos te omni cura & ſollicitudine perquiſi-
tos ad unũ reducere, & cũ memorato epiſcopo re
ctoreq; ſuo in monaſterio ſancti Theodori in Meſ
ſanenſi ciuitate poſito collocare:ut & hi qui nunc
ibi ſunt quos egere rectore comperimus,& illiq;s
de cõgregatione eius inuẽtos reduxeris, in unum
poſſint eo duce omnipotenti dño deſeruire. Quã
rem & Felici eiuſdẽ ciuitatis epiſcopo nos ſigni-
faſſe cognoſce: ne præter ſuã notitiã in dioceſi
ſibi cõceſſa ordinatũ quippiam contriſtetur.

Gregorius Anthemio ſubdiacono.
De monachis circunquaq; uagãtibus. Ca. XL

IOannes frater & coepiſcopus noſter directo Epiſt.40
per luſtũ clericũ ſuum capitulari, inter alia plu
ra hoc nobis noſcit intimaſſe, aliquos monachos
monaſteriorũ in Surrentina dioceſi poſitorũ, de
monaſterio in monaſteriũ, prout eis libuerit, trãſ-
migrare: & à proprij abbatis regula deſiderio rei
ſecularis abſcedere. Sed & quod non licere notũ
eſt,peculiaritati eorum ſingulos ſtudere. Si quos
autem à clericatu in monachicã cõuerſionem ue-
nire contigerit, non liceat eis ad eandem uel ali-
am Eccleſiam, quarum pridem milites fuerãt, ſua
uolũtate denuo remeare:niſi talis uitæ monachus
fuerit,ut epiſcopus cui ante militauerat, ſacerdo-
tio dignum prẹuiderit: ut ab eo debeat eligi,& in
loco quo indicauerit ordinari. Propterea experi-
entiæ tuæ iuſſione præſenti mandamus,ut neque
monacho ulterius de monaſterio in monaſteri-
um liceat migrare, neq; eorum aliquem peculia-
re quicquã habere permittas. Sed ſi quilibet hoc
præſumſperit, in monaſterio in quo ab initio con
uerſatus,& ſub abbatis ſui regula de qua fugerat,
cũ cõpetẽti coerctiõe reddat: ne ſi tantã iniquita
tem fluxã inemendatãq; dimittimus,pereuntium
animę à præpoſitorũ anima requirãtur. Et quia Cau.17.
aliquos monachorum uſque ad tantum nephas q.1.Eccl
proſilijſſe

profilijſſe cognouimus,ut uxores publicè ſortian
turſub omni eos uigilantia requiras,& inuentos
digna coerctione in monaſterijs quorum mona-
chi fuerunt retrãſmittas.Sed & de clericis ad mo-
nachatum uenientibus,ſicut ſupra diximus, per-
agere non omittas.Ita enim dei placabis oculos,
& impletæ mercedis particeps inuenieris.

Gregorius Leandro epiſcopo Hiſpaniarum.
De Recharedo rege.Et de trina merſione ba-
ptiſmi. Cap. XLI

Epiſt. 41 REſpondere epiſtolis ueſtris tota intentione
uoluiſſem, niſi paſtoralis curæ ita labor me
attereret,ut mihi magis flere libeat quàm aliquid
dicere.Quod ueſtra quoque reuerentia in ipſo li-
teratũ mearũ textu uigilanter intelligit, quãdo ei
negligenter loquor quẽ uehementer diligo. Tan
tis quippe in hoc loco huius mũdi fluctibus qua-
tior, ut uetuſtã ac putreſcentem nauẽ quã regen-
dam occulta dei diſpenſatione ſuſcepi,ad portum
dirigere nullatenus poſſim.Nunc ex aduerſo flu-
ctus irruunt:nũc ex latere cumuli ſpumoſi maris
intumeſcunt, nunc à tergo tempeſtas inſequitur.
Interq; hæc omnia turbatus cogor modo in ipſam
clauũ aduerſitatẽ dirigere, modo curuata naui im
petum fluctuũ ex obliquo declinare. Ingemiſco,
quia ſentio q; negligẽte me creſcit ſentina uitiorũ,
& tempeſtate fortiter obuiante iamiamq; putri-
dæ naufragium tabulæ ſonant. *Flens* reminiſcor
quòd perdidi meæ placitum littus quietis,& ſuſpi
rando terram conſpicio, quam tamen rerũ uentis
aduerſantibus tenere non poſſum.Si ergo me fra
ter chariſſime diligis,tuæ mihi orationis in his flu
ctibus manum tende, ut quo laborantem me ad-
iuues,ex ipſa uice mercedis in tuis quoq; labori-
bus ualentior exiſtas.Explere autẽ loquendo nul
latenus ualeo gaudium meum quòd communem
filium Recharedum glorioſiſſimum regem ad ca
tholicã fidẽ integerrima agnoui deuotione con-
uerſum.Huius dum mihi per ſcripta ueſtra mores
exprimitis,amare me etiam quem neſcio feciſtis.
Sed quia antiqui hoſtis inſidias ſcitis,quoniã bel-
lum durius contra uictores proponit, nunc con-
tra eundẽ ſolertius ſanctitas ueſtra euigilet,ut be-
ne cœpta perficiat,nec ſe de perfectis bonis ope-
ribus extollat,ut fidem cognitã uitæ quoq; meri-
tis teneat,& quia æterni regni ciuis ſit operibus
oſtendat:quatenus poſt multa annorũ curricula,
4.ſen. di.3. de regno ad regnum tranſeat. De trina uerò mer-
Item finem ſione baptiſmatis,nil reſponderi uerius poteſt q;
Decũſ. di.4 quod ipſi ſenſiſtis:quia in una fide nihil officit ſan
De trina. ctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa.Nos autẽ quòd
tertio mergimus,triduanæ ſepulturæ ſacramenta
ſignamus,ut dum tertio infans ab aquis educitur,
reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod-
ſi quis forte etiã pro ſummæ trinitatis ueneratio-
ne exiſtimet fieri,neque iſtud aliquid obſiſtit ba-
ptizãdos ſemel in aquis mergere:quia dum in tri
bus perſonis una ſubſtantia eſt,reprehenſibile eſ-
ſe nullatenus poteſt infantẽ in baptiſmate uel ter
uel ſemel immergere: quando & in tribus merſio
nibus perſonarũ trinitas,& in una poteſt diuinita
tis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc hucuſq;
ab hæreticis infans in baptiſmate tertiò mergeba
tur,fiendum apud nos eſſe non cenſeo:ne dũ mer
ſiones numerãt,diuinitatẽ diuidant,dumq; quod
faciebant faciunt,ſe morem noſtrũ uiciſſe gloriẽ-
tur.Dulciſſimæ autem mihi fraternitati ueſtræ co
dices direxi,quorũ notitiam ſubter inſerui. Ea au
tem quæ in beati Iob expoſitione dicta fuerãt,&
uobis dirigenda ſcribitis, quia hæc uerbis ſenſi-
busq; petentibus per homilias direxeram, utcun-
que ſtudui in librorum ductũ permutare,qui nũc
à librarijs cõſcribunt. Et niſi portitoris præſenti-
um mè feſtinatio coãguſtaſſet,cũcta uobis tranſ-
mittere ſine aliqua imminutione uoluiſſem, ma-
ximè quia & hocipſum opus ad ueſtram reueren
tiam ſcripſi,ut ei quem præ cæteris diligo,in meo
iudicer labore deſudaſſe.Præterea ſi uobis indul-
geri tẽpora ab Eccleſiaſtica occupatione cogno-
ſcitis,quid ſentiã ſcitis, q;uis etiã abſentẽ corpore
præſentẽ mihi te ſemper intueor, quia uultus tui
imaginem intra cordis uiſcera impreſſam porto.

Gregorius Petro ſubdiacono Siciliæ.
De iniuſtis ponderibus ruſticorũ, alijſq; quã
plurimis rebus neceſſarijs :ac de uxoribus cle
ricorum. Cap. XLII

QVod reſponſalem tuũ tardè dimiſimus, pa- Epiſt.42
ſchalis feſtiuitatis occupationibus implica-
ti,eum relaxare citius minimè ualuimus. Cauſas
uerò de quibus indicandum curaſti, omnes ſub-
tiliter perquirentes,qualiter diſpoſuimus, inferi-
us cognoſces. Cognouimus ruſticos Eccleſiæ ue
hementer in frumentorum precijs grauari, ita ut
inſtituta ſumma eis in comparatione abundantię
tempore non ſeruetur. Et uoluimus ut iuxta pre-
cia publica omni tempore ſiue minus ſiue ampli-
us frumenta naſcantur,in eis comparationis men
ſura teneatur.Frumenta autem quæ naufragio pe
reunt,per omnia uolumus reputari,ita tamen ut à
te negligentia ad tranſmittendum minimè fiat,
ne dum tranſmittendi tempus negligitur damnũ
ex uitio ueſtro generetur. Valde autẽ iniquum
& iniuſtum eſſe proſpeximus, ut à ruſticis Eccle-
ſiæ de ſextariaticis aliquid accipiatur,& ad maio-
rem modium dare compellantur, quàm in horrei
is Eccleſiæ infertur. Vnde & præſenti admonitio
ne præcipimus,ut pluſquam decem & octo ſexta
riorum modium nunquam à ruſticis Eccleſiæ fru
menta debeant accipi.Niſi forte ſi quid eſt quod
nautæ iuxta conſuetudinem ſuper accipiũt:quod
minui ipſi in nauibus atteſtantẽ.Cognouimus etiã
in aliquibus maſſis Eccleſiæ exactionẽ ualde iniu
ſtiſſimã fieri,ita ut à ſeptuaginta ternis ſemis, q;d
dici nephas eſt,conductores exigantur: & adhuc
neq; hoc ſufficit,ſed inſuper aliquid ex uſu iã mul
torum annorũ exigi dicuntur. Quam rem omni-
no deteſtamur,& amputari de patrimonijs fundi
tus uolumus.Sed tua experiẽtia ſiue in hoc quod
per libram amplius : ſiue in alijs minutis onerib.
& quod ultra rationis æquitatem à ruſticis acci-
pitur penſet,& omnia in ſummã pẽſionis redigat
& prout uires ruſticorum portant,penſionẽ inte-
gram & penſantẽ ad ſeptuagena bina perſoluant,
& neq;

& neq; ſiliquas extra libras, neq; librã maiorem, neq; onera ſupra libram maiorem exigi debeant: ſed per æſtimationem tuam prout uirtus ſufficit, in ſummã penſionis creſcat, & ſic turpis exactio nequaquam fiat. Neq; uerò poſt obitum meũ hæc ipſa onera quæ ſuper penſum illata ſubtraximus & in capite penſionis fecimus creſcere, iterum in quolibet addantur & inueniantur, & ſumma penſionis augeri, & onera adiectionis inſuper ruſtici perſoluere compellantur. Volumus ut ſecuritatis libellos ita de penſionibus facias, quatenus in primis dicens tantam penſionem unũquemq; debere perſoluere, inibi adiectis ſiliquis onerib. uel gra naticis. Quod autem ex his minutijs in uſu rectoris accedebat, uolo ut hoc ex præſenti iuſſione noſtra, ex ſumma penſionis in uſum tuum ueniat. Ante omnia hoc te uolumus ſollicitè attẽdere, ne iniuſta pondera in exigẽdis penſionibus ponant̃. Sed ſi qua talia inueneris, frange, & noua & recta conſtitue, quia & filius meus & ſeruus dei diaconus iam talia inuenit, quæ ipſi diſplicerent, ſed licentiam hæc immutandi non habuit. Super iuſta ergo pondera præter excepta & uilia cibaria nihil aliud uolumus à colonis Eccleſiæ exigi. Præterea cognouimus quòd prima illatio burdationis ruſticanos noſtros uehementer anguſtat, ita ut priuſquam labores ſuos uenundare ualeant, compellantur tributa perſoluere, quæ dũ de ſuo unde dare nõ habent, ab auctionarijs publicis mutuo accipiunt, & grauia commoda pro eodem beneficio perſoluunt, ex qua re fit ut diſpẽdijs grauibus coanguſtentur. Vnde præſenti admonitione præcipimus, ut omne quod mutuum pro eadem cauſa ab extraneis accipere poterant, à tua experientia ex publico det̃, & à ruſticis Eccleſiæ paulatim ut habuerint accipiat̃, ne dũ in tẽpore coãguſtant̃, quod eis poſtmodum ſufficere poterat, in inferendũ prius cõpulſi, uilius uendãt, & hoc eis minimè ſufficiat. Peruenit etiã ad nos q; de nuptijs ruſticorũ immoderata commoda percipiant̃, de quibus præcipimus ut omne commodum nuptiarũ unius ſolidi ſummam nullatenus excedat. Si qui ſunt pauperes, etiã minus dare debeãt. Si qui aũt diuites præfati ſolidi ſummam nullatenus tranſgrediantur: quod nuptiale commodum nullatenus uolumus in noſtrã rationem redigi, ſed ad utilitatem conductorũ proficere. Cognouimus etiã q; nonnullis cõductoribus morientibus parẽtes ſui non permittuntur ſuccedere, ſed res eorũ ad uſus Eccleſiæ pertrahuntur, de qua re diffinimus ut parentes morientiũ qui in poſſeſſione Eccleſiæ degunt, hæredes eis ſuccedere debeant, nec aliquid eis de ſubſtantia morientiũ ſubtrahatur. Si uerò filios paruulos aliquis reliquerit, quouſq; ad ætatem talem ueniant, ut ſubſtantiam ſuam regere ualeant, perſonæ eligantur cautæ, quibus parentum eorum res tradi debeant ad cuſtodiendum. Cognouimus etiam quòd ſi quis ex familia culpam fecerit Eccleſiæ: non in ipſo ſed in eius ſubſtantia uindicatur, de qua re præcipimus ut quiſquis culpam fecerit, in ipſo quidem ut dignum eſt uindicetur. A cõmunione autẽ eius omnino abſtineatur. Niſi forte parum aliquid quod in uſum executoris, qui ad eum tranſmiſſus fuerit, proficere non poſſit. Cognouimus etiam quia quotiens conductor aliquid colono ſuo iniuſtè abſtulerit, hoc quidem à conductore exigitur: ſed ei non redditur à quo ablatum eſt. de qua re præcipimus ut quicquid uiolenter cuilibet ex familia ablatum fuerit, ipſi reſtituatur cui ablatũ eſt, & utilitati noſtræ non proficiat, ne nos ipſi authores uiolentiæ eſſe uideamur. Præterea uolumus ut ſi quando eos qui in obſequio ſunt experientiæ tuæ, in aliquibus cauſis quæ ſunt extra patrimonium tranſmittas, parua quidem commoda ex eis accipiant, ſed tamẽ ita ut in eorum utilitatẽ proficiant: quia nos ſacculum Eccleſiæ ex lucris turpib. nolumus inquinari. Iubemus etiã ut hoc experientia tua ſummopere cuſtodiat, ut per commodum conductores in maſſis Eccleſiæ nunquam fiant, ne dum cõmodum quæritur, conductores frequenter mutentur: ex qua commutatione quid aliud agitur niſi ut Eccleſiaſtica prædia nunquam colant̃? Sed ipſa etiam libellatica, prout ſumma penſionis fuerit, moderentur. per cellas & cellaria non plus de maſſis Eccleſiæ te accipere uolumus, niſi quantũ conſuetudo eſt, tua autem quæ comparari iuſſimus, ab extraneis comparentur. Peruenit autẽ ad nos tres libras auri Petro cõductori de Subpatriana iniuſtè ablatas, de qua cauſa Fantinum defenſorem ſubtiliter require, & ſi manifeſtè iniuſtè & incompetenter ablatæ ſunt, ſine aliqua tarditate reſtitue. Cognouimus etiam ruſticos burdationem quã iam ab eis exactã Theodoſius minimè perſoluerat, iterum dediſſe, ita ut in duplo exacti ſint. Quod ideo factum eſt: quia eius ſubſtãtia ad debitum Eccleſię non ſufficiebat. Sed quoniã per filium noſtrum ſeruum dei diaconũ edocti ſumus q; ex rebus ſubſtantiæ eius poſſit hoc ipſum damnum ſufficienter reſarciri, uolumus quingẽtos ſeptem ſolidos eiſdem ruſticis ſine aliqua imminutione reſtitui, ne in duplo uideantur exacti. Si autem ſupra damnum ruſticorũ etiam quadraginta ſolidi de rebus Theodoſii remanẽt, quos apud te diceris habere, uolumus ut filiæ eius reddantur, ut res ſuas quas in pignore dederat, recipere debeat. Cui etiam Batiolam patris ſui reſtitui uolumus. Campanianus glorioſus magiſter militũ duodecim ſolidos annuos Ioanni notario ſuo reliquerat ex maſſa Varroniana, quos dare te annis ſingulis ſine aliqua dubitatione præcipimus. Nepti Eupli cõductoris, quamuis omne mobile eiuſdẽ Eupli perceperit: exceptis duntaxat ſolidis: dare etiam de ſolidis illius te uolumus ſolidos uigintiquinq;. Suppoſitorium aliquod argẽteum, pro uno ſolido dicitur eſſe oppoſitum, & calix pro ſex ſolidis dicitur eſſe oppoſitus. Interrogato Dominico ſecretario: uel alijs qui ſcire poſſunt, debitũ recipe, & uaſcula præfata reſtitue. Agimus autẽ gratias ſollicitudini tuæ, quia de cauſa fratris mei præcepi tibi ut argentũ illius tranſmittere debuiſſes, & ſic obliuioni mãdaſti, ac ſi tibi aliquid ab extremo

Cã. xvi. q. vi. cognouimus

mancipio

mancipio diceretur,quod iam uel modo non experientia,sed negligentia tua studeat implere,uel quicquid eius apud Antonium fuisse cognoueris sub omni uelocitate retransmitte. De causa Salpingi Iudæi epistola aliqua est inuenta, quam tibi fecimus transmitti, ut eam relegens, & subtiliter causam eius,uel uiduæ cuiusdam quæ in eodē negocio dicitur implicata cognoscens ,de quinquaginta uno solidis,qui reddi debere noscuntur, sicut iustum tibi fuerit uisum,responsum facias; ita ut res alienæ iniustè nullo modo à creditoribus defraudentur. Antonio medietas legati sui data est, medietas redimetur: quam medietatem ex communi substantia ei uoluimus adimpleri, & non solum ei,sed etiam defensoribus & peregrinis, quibus legati titulo aliquid dereliquit,& familiæ legatum persolui uolumus,quod tamen ad nos pertinet. Collecta ergo ratiõe pro nostra parte: id est pro nouē uncijs persolue. De solidis Ecclesiæ Canusinę uolumus ut aliquid clericis eiusdem Ecclesiæ largiaris:quatenus & ij qui nunc inopiam patiunt̄,sustentationem aliquam habeant. Et si illic deus uoluerit ordinari episcopū,habeat unde sub
C.16.q. 1 De lapsis sistat. De lapsis sacerdotibus uel leuitis,uel quolibet ex clero,obseruare te uolumus,ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis:sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secūdum deum uiuere sciuntur,& in eisdem monasterijs ad pœnitentiam lapsos trade, ut res lapsorum in eodem loco proficiant,in quo agere pœnitentiã traduntur:quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant,qui de correptione eorum sollicitudinē gerunt.Si uerò parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur,ita tamen ut eorum stipendium qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficiēter debeat procurari.Si qui uerò ex familia Ecclesiastica sacerdotes,uel leuitæ,uel monachi,uel clerici,uel quilibet alij lapsi fuerint:dari eos in pœnitentiam uolumus,sed res eorum Ecclesiastico iuri non subtrahi. Ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitentiam subsistant: ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint,onerosi sint.Si qui parentes in possessione habent,ipsis res eorum tradendæ sunt,ut in ipsis iura Ecclesiæ cõseruentur.
Dist.31 Ante Ante triēnium subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant,ut more Romanæ Ecclesiæ,nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi durum atq; incompetens uidet̄, ut qui usum eiusdem continentię non inuenit,neq; castitatem antè promisit, compellatur à sua uxore separari:
Subdiaconorum castitas atq; per hoc,quod absit, in deteri⁹ cadat. Vnde uidetur mihi ut à præsenti die omnibus episcopis dicatur,ut nullum subdiaconum facere præsumant: nisi qui seuicturum castè promiserit: quatenus & præterita mala quæ per propositum mentis appetita non sunt,uiolēter non exigãtur:& futura cautè caueantur. Qui uerò post eandem prohibitionem,quæ ante triennium facta est,continenter cũ suis uxoribus uixerint, laudandi atq; remunerandi sunt: & ut in bono sic permaneant, exhortãdi. Eos autem qui post prohibitionem factã se à suis uxoribus continere noluerint, promoueri ad sacrum ordinem nolumus:quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Libera to negociatori qui se Ecclesiæ commendauit, qui habitat in massa Cinciana,annuam continentiam à te uolumus fieri. Cuius continentię summã ipse æstima quanta esse debeat:ut renunciata nobis in tuis possit rationibus imputari. De præsenti uerò indictione,ut iam à filio nostro seruo dei diacono percepi,Fantinũ defensorem Ioannes monachus quidem moriens in sex uncias hæredē dimisit:cui hoc quidē quod dimissum est trade:sed cõtestare eum ut hoc facere ulterius nõ præsumat.Sed pro labore suo statue quid accipiat:ut ei uacuus labor suus esse non debeat:& hoc meminerit,ut qui Ecclesiæ stipendijs subsistit,ad lucra propria non anhelet.Si quid uerò sine peccato,sine appetitu concupiscentiæ,per eos qui causas Ecclesiæ agunt ad Ecclesiam uenerit,dignum est ut labore suo ipsi uacui esse non debeant.Sed nostro seruetur iudicio,qualiter debeant remunerari. De argento Rusticiani , causam subtiliter require, & quod tibi iustum uidetur,exequere. Alexãdrum uirum magnificũ admone,ut causam suam cum sancta Ecclesia decidere debeat.Quod si facere forte neglexerit:eandem causam cum timore dei, honestate seruata,ut potes,exequere. In qua re etiam largiri te uolumus aliquid,& si potest fieri,quod alijs dãdum est,ipsi relaxetur: dum mõdo causam quam nobiscum habet, exeat. Donationem ancillæ dei quæ lapsa est,& in monasterio data,omni postposita tarditate restitue:quatenus ipse locus, ut supe rius dixi,rerum eius stipẽdia habeat,qui eius sollicitudinis labores portat.Sed quicquid ab alijs ex eius substantia tenetur, recollige: & monasterio præfato trade. Pensiones xenodochij de uia noua quantas mihi indicasti,quia apud te habes, nobis dirige. Actionario autem quem in eodem patrimonio deputasti,prout tibi uidetur,ei aliquid largire. De ancilla dei quæ cum Theodosio fuit, Extranea nomine,uidetur mihi ut ei continentiam facias si utile conspicis:aut certè donationem quam fecit reddas. Domum monasterij quam Antonius datis triginta solidis à monasterio tulerat: receptis solidis omni postposita tarditate restitue. Amulas onychinas requisita subtiliter ueritate restitue,quas per portitorem presentem transmitte. Saturninum,si uacat,& occupatus apud te non est, ad nos dirige. Felix conductor dominæ Campaniæ, quem liberum reliquerat, atque esse indiscussum iusserat, dixit sibi à Maximo subdiacono septuaginta duos solidos ablatos, pro quibus dandis asseruit quia omnes res suas quas in Sicilia habuit, uel uenũdedit uel opposuit. Sed scholasti ci dixerũt q̃ de fraudib. indiscussus esse nõ potest, dum tamen ad nos de Campania reuerteret̄,facta tẽpestate mortuus est , cuius te uolumus uxorẽ & filios requirere,& quicquid opposuerat uel uendiderat opposita absolue, & uẽditis preciũ restitue, & insuper eis aliq̃d alimẽtũ prębe:quia Maximus eum

eum in Siciliam miſerat, & ibi ei quæ aſſerebat ab A
ſtulerat. Cognoſce ergo quæ ablata ſunt, & uxori,
filijſq; eius ſine aliqua mora reſtitue. Hæc omnia
ſollicitè relege: omnemq; illam familiarem tuam
negligentiam poſtpone. Scripta mea ad ruſticos
quæ direxi, per omnes maſſas fac relegi: ut ſciant
quid ſibi contra uiolentias debeant defendere ex
authoritate noſtra, eiſq; uel authentica uel exem-
plaria eorum dentur. Vide ut omnia abſq; immi-
nutione cuſtodias, quia de his quę tibi pro ſeruan
da iuſtitia ſcribo, ego abſoluor: & tu ſi negligis,
obligaris: terribilem iudicem conſidera uenientẽ
& de aduentu illius nunc tua conſcientia contre-
miſcat, ne tunc ſine cauſa iam timeat, cùm coram
illo cœlum & terra tremuerit. Audiſti quod uolo: B
uide quid agas.

Gregorius uniuerſis epiſcopis per Illyricum. De epiſcopis ab hoſtibus expulſis ſuſcipien-dis. Cap. XLIII

Epiſt. 43 IOhinus excellentiſſimus uir, filius noſter, prę-poſitus per Illyricũ, ſcriptis ſuis nobis indicaſ-ſe dinoſcitur ad ſe ſacris apicib. deſtinatis iuſſum fuiſſe: epiſcopos quos à proprijs locis hoſtilita-tis furor expulerat, ad eos epiſcopos qui nunc uſ-que in locis proprijs degunt, pro ſuſtentatione & ſtipendijs præſentis uitæ eſſe iungendos. Et li-cet ad hoc fraternitatem ueſtram iuſſio principa-lis admoneat, habemus tamen maius tuis manda-tum æterni principis, quo ad hæc terribilius pera genda compellimur, ut non dico fratres & coepi- C ſcopos noſtros, ſed etiam quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas poſtulat, in conferen dis ſubſidijs neceſſitatum carnalium diligamus. Oportet ergo uos ad hanc rem & cœleſti primi-tus principi obedientes exiſtere: & imperiali-bus iuſſionibus conſentire, quatenus fratres coe-piſcoposq; noſtros quos & captiuitatis diuerſarũ que neceſſitatum anguſtiæ comprimunt, debea-tis cõſolando s, cõuictu rosq; uobiſcum in Eccleſi aſticis ſuſtẽtationibus libẽter ſuſcipere. Non qui-dẽ ut per communionẽ epiſcopalis throni digni-tas diuidatur, ſed ut ab Eccleſia iuxta poſſibilitatẽ ſufficiẽtię debeãt alimenta percipere. Sic enim & proximum in deo, & deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in ueſtris D Eccleſijs authoritatem tribuimus: ſed tamen eos ueſtris ſolatijs contineri ſummopere hortamur.

Menſis Iunij, Indictione nona. Gregorius Petro ſubdiacono. Petrũ quen dam commendat. Cap. XLIIII

Epiſt. 44 DIuina præcepta nos admonent diligere pro ximos ſicut noſmetipſos, & cũ hac eos præ-cipiamur charitate diligere, quanto magis debe-mus his in ſubſidijs neceſſitatum carnalium ſub-uenire? ut eorum anguſtias ſi non ex omnibus, ſal tem aliquibus ſuſtentaculis ſubleuemus. Quoni-am ergo Godeſtaldij digniſſimi filium nõ ſolum amiſſione uiſus, ſed etiam inopia uictus egeſtatẽ pati conſpeximus: neceſſarium duximus inquan tum poſſibilitas ſuppetit, ei prębere conſultũ. Pro pterea experientiæ tuæ præſenti iuſſione præci-pimus, ut ei annis ſingulis uigintiquatuor modi-os tritici, fabæ quoque modios duodecim, & uini decimatas uiginti pro ſuſtentatione debeat mini-ſtrare: quod tuis poſtmodũ poſſit rationibus im-putari. Ita ergo fac ut præſentium lator nullas de percipiendis dñi donis moras ſuſtineat: & tu be-ne diſpenſatæ mercedis poſſis particeps inueniri.

Gregorius Virgilio & Theodoro epiſcopis Maſ ſiliæ Galliarum. De Iudæis quòd ui non debe ant baptizari. Cap. XLV

SCribendi ad fraternitatem ueſtram redden- Epiſt.
di q; debitæ ſalutationis alloquium, licet nulla congrui temporis uel perſonarum eſſet occaſio: actum eſt ut uno in tempore & quæ decebant de dilectione proximitatis fraternæ perſoluerem, & B quorundam querimoniam quę ad nos perlata eſt quomodo errantium animæ ſaluandæ ſint, non ta cerem. Plurimi ſiquidem Iudaicæ religionis uiri in hac prouincia cõmorantes: ac ſubinde in Maſ-ſiliæ partes pro diuerſis negocijs ambulantes, ad noſtram perduxere notitiam, multos conſiſtentiũ in illis partibus Iudæorum, ui magis ad fontẽ ba-ptiſmatis quàm prædicatione perductos. Nam in tentionem quidem huiuſmodi & laude dignã cen ſeo, & de domini noſtri dilectione deſcẽdere pro fiteor. Sed hanc eandem intentionem, niſi compe tens ſcripturæ ſacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde nõ perueniat, aut iuxta aliquid, animarum quas eripi uolumus, quòd ab-ſit, diſpendia ſubſequantur. Dum enim quiſpiam C ad baptiſmatis fontem non prædicationis ſuauita-te, ſed neceſſitate peruenerit, ad priſtinã ſuper-ſtitionem remeãs, inde deterius moritur, undere natus eſſe uidebat. Fraternitas ergo ueſtra huiuſ-modi homines frequenti prędicatione prouocet: quatenus mutare ueterem uitam magis de docto ris ſuauitate deſiderẽt. ſic enim & intentio ueſtra recte perficit, & conuerſi animus ad priorem de-nuo uomitum nõ mutatur. Adhibendus ergo eſt illis ſermo qui & errorum in ipſis ſpinas urere de-beat, & prædicando quod in his tenebreſcit illu-minet, & pro his admonitione frequenti merce-dem fraternitas ueſtra capiat, & eos quantũ deus donauerit, ad nouæ regenerationẽ uitæ perducat.

Gregorius Theodoro duci Sardiniæ. De Iu liana abbatiſſa & Pompeiana. Cap. XLVI

IVſtitiam quã mente geritis, oportet coram ho Epiſt.
minibus luce operum demonſtretis. Iuliana ſi-quidẽ abbatiſſa Monaſterij ſancti Viti: quod Vi-tulana quondam recordandæ memoriæ conſtru-xerat, inſinuauit nobis à Donato officiali ueſtro poſſeſſionem iuris prædicti monaſterij detentari. Qui dum excellentiæ ueſtræ patrocinijs erigi ſe conſpicit, ad examinandum iudicium uenire con temnit. Sed nunc gloria ueſtra præcipiat eundem officialem, cum prędicta ancilla dei arbitrale ſub-ire iudicium: quatenus quicquid eorũ de tali con trouerſia arbitrorum iudicio fuerit diffinitũ, effe-ctui mancipetur, ut id quod ſe admittere ſiue re-tinere proſpexerit, nõ hoc uirtutis opere fieri, ſed legis iuſtitia debeat reputari. Præterea & Pom-

peiana

petana religiosa quæ monasterium in domo pro- A
pria construxisse dinoscit: queritur matrem quon
dam generi sui defuncti testamentū eius uelle ces-
sare, quatenus ultimum filij eius arbitrium ad irri
tum deducatur. Pro qua re charitate paterna, glo
riam uestram necessario duximus adhortandam,
ut pijs se cautis salua iustitia libenter accōmodet,
& quicquid his iuris ratio tribuit, benigne iube-
at custodire. Dominum autem petimus, ut uiam
uitæ uestræ propitius dirigat, dignitatemq; eius
susceptā administratione prosperitate disponat.

Gregorius Honorato diacono.
De oppressionib. Theodori ducis. Cap. XLVII

Epist.47 QVia regiminis locum licet immeriti susce-
pi mus, oportet ut fratrum nostrorum neces- B
sitatibus, inquantum facultas suppetit, occuramus.
Ianuarius ergo metropoleos Carallis frater & co-
episcopus noster ueniens huc in Romanam ciui-
tatem edocuit nos Theodorum gloriosum magi-
strum militum, qui ducatum Sardiniæ insulæ su-
scepisse dignoscitur, multa illic contra pijssimorū
dominorū iussa peragere, quib. plurima grauami
na possessorū, uel ciuium imperij sui, illa cōpetēti
clementia, ac mansuetudine submouerunt. Pro
qua re uolumus ut apto tempore pijssimis domi-
nis, iuxta id quod prouinciales prædictæ insulæ
competēter postulant, suggeras, dum & ad Edan
cium gloriosum magistrum militum, iam per in-
dictionem septimam tunc ducem Sardiniæ sacra
imperialia concurrūt, quibus omnia præceperūt C
grauia nunc capitula submoueri, quatenus eorū
iussa de pietatis fonte procedētia, à ducibus quos
in tempore præesse contigerit, inconcussa seruen
tur, mercesq; eorum ab administrantibus non de-
beat dissipari, ut quietā sub imperio clementi do
minorum uitā transigant, & consultū quod subie-
ctis suis tranquilla mente tribuunt, in aduentu æ-
terni iudicis multiplicata cōpensatiōe percipiāt.

Gregorius Anthemio subdiacono.
Quod mulieres circa monasteria monacho-
rum non maneāt, nec pueri ante. xviij. annos
in monasterio suscipiantur. Cap. XLVIII

Epist.48 SIcut regiminis locū deo, ut ipsi placuit dispo-
nente suscepimus, ita nos oportet de cōmissis
nobis animabus esse sollicitos. Comperimus au-
tem in insula Orphiana, in qua situm beati Petri D
Mulieres cū monachis habitare nō debent Apostolorum principis oratorium esse dinosci-
tur, multos uirorum cum mulieribus suis diuerso
rum patrimoniorum, illuc pro necessitate ferita-
tis barbaricæ refugisse: quod importunum iudica
uimus, ut dum aliorū refugiorum loca uicina sint,
ibidem cum monachis debeāt mulieres habitare.
Propterea præsenti iussione precipimus experien
tiæ tuæ, ut à præsenti tēpore nullam illic ulterius
mulierem, siue Ecclesiastici iuris sit, siue cuiuslī-
bet alterius, habitare, cōmanere ue permittat, sed
refugium sibi, cùm sicut prædictum est, tot loca ui
cina sint, ubi maluerint ipsi prouideant, ut omnis
exinde mulierum conuersatio submoueatur: ne si
quæ in nobis est curam gerere desistamus, & ini-
mici laqueis obuiare, nos exinde, q̄d absit, si quid
aduersi contigerit, culpabiles existamus. Præsen-

tiū itaq; latori Felici abbati mille quingētas plum
bi libras, de quo in eadem insula egere dinoscitur,
dare non differas: quod postmodum cum totius
quantitatis summa noscet, tuis rationibus impu-
tetur. Ita ergo fac, ut tu ipse prouideas, si in eius-
dem insulæ fabrica expendi utiliter ualent. Quia Cā. 20. q. 1.
autem dura est in insulis cōgregatio monachorū, Quia autē
etiam pueros in eisdem monasterijs ante decem
& octo annorū tempora suscipi prohibemus. Vel
si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in
Romanam urbem transmittat. Hoc & in Palma-
ria alijsq; insulis te per oīa uolumus custodire.

Gregorius uniuersis monachis in Christi mon
te insula constitutis.
De Horosio abbate suscipiendo. Cap. XLIX

PEruenit ad nos, nulla uos monachicæ regulæ Epist.49
præcepta custodire. Ideo cōpulsi sumus præ-
cepti portitorem Horosium abbatem ad uos diri
gere, ut oīa acta uestra subtiliter requirēs, quęq;
ei recta fuerint uisa disponat, & nobis quæ ab eo
ordinata fuerint renunciet. Proinde admonemus
ut omnem ei obedientiā præbeatis. Et quicquid
disposuerit, uelut antè à me dispositum cum debi
ta reuerentia custodire.

Gregorius Symmacho defensori.
De Horosio abbate in Gorgone insula ordi-
nando. Cap. L

FIlius meus Bonifacius diaconus dixit mihi q; Epist.50
experientia tua scripsisset monasteriū quon-
dam ab Albina religiosa fœmina cōstructū posse
paratum existere, ut in eo debeant monachi ordi-
nari. Et quidem laudaui sollicitudinem tuam, sed
uolo ut excepto eo loco qui iam in eandē rem di-
missus est, locus alter debeat prouideri, ita tamen
ut pro incertitudine tēporis locus super mare re-
quiri debeat: qui aut loci dispositione munit⁹ exi-
stat, aut certè non magno labore muniri ualeat, ut
illuc monachos transmittamus: quatenus insula
ipsa quæ monasteriū nuncusq; non habuit, ex hu
ius conuersationis uia meliorari debeat. Ad quā
rem implendā atq; prouidendam Horosiū abba-
tem præsentis præcepti portitorē direximus, cum
quo tua experientia littora Corsicæ circumeat: &
cuiuslibet personæ priuatæ locus talis inueniri di
gnus potuerit, dignum parati sumus precium da-
re, ut possimus aliquid firmè cōstituere. Cui pręfato Horosio iniunximus, ut in Gorgonem insu-
lam pergat, cum quo tua experiētia pariter eat, &
mala omnia quę illic cognouimus admissa, ita uin
dicare, ut per ultionem uestrā prefata insula etiam
in posterum maneat correcta. Huius insulæ mo-
nasteria sæpefatus abbas Horosius instituat, atq;
ita ad nos remeare festinet. Ita igitur experientia
tua faciat, ut ex utraq; re: id est uel prouidendo in
Corsica monasterio, uel corrigendis monachis in
Gorgonia, non nostræ sed uoluntati omnipoten-
tis dei parere festinet. Præterea uolumus ut sa-
cerdotes qui in Corsica cōmorant, prohiberi de-
beant, ne cum mulieribus conuersentur, excepta
duntaxat matre, sorore, uel uxore, quæ castè re-
genda est. Tribus uerò de quibus prædicto filio
meo Bonifacio diacono tua experientia scripsit:

quia uehemẽter egent, quicquid eis ſufficere eſti A
mas impende, quod nos in tuis poſtmodum ra-
tionibus reputabimus.

Gregorius Felici epiſcopo Sipontino.
Canoſinam Eccleſiam cõmendat. Cap. LI

Epiſt.51 PEruenit ad nos quòd Canoſina Eccleſia ita
ſit ſacerdotij officio deſtituta, ut nec pœniten
tia ibidem decedentib. nec baptiſma præſtari poſ
ſit infantibus. Huius igitur tam piæ rei tamq; ne-
ceſſariæ mole permoti, iubemus dilectioni tuæ,
ut huius præceptionis authoritate commonitus,
memoratæ Eccleſię uiſitator accedas, & uel duos
parrochiales presbyteros debeas ordinare, quos
tamen dignos ad tale officium ueneratione uitæ,
& morum grauitate præuideris, & quibus in nul- B
lo obuient conſtituta canonicæ diſciplinæ, ut ſan
ctæ cum digna cautela prouideatur Eccleſiæ.

Gregorius Ioanni Epiſcopo Surrentino.
Præcipit conſecrationẽ monaſterij ſancti Ste
phani. Cap. LII

Epiſt.52 REligioſis deſiderijs facilè eſt præbere conſen
ſum ut fidelis deuotio celerem ſortiatur effe
ctum. Et quoniam Sauinus abbas monaſterij ſan-
cti Stephani inſulæ Cabis ſuggeſſit nobis ſe ſan-
ctæ Agathæ martyris reliquias iam olim apud ſe
habere cõceſſas, & in monaſterio ſuo uult ipſa ſan
ctuaria collocari, ideo ad prædictum monaſteri-
um te iubemus accedere, & ſi ibidem nullum cor
pus conſtat humatum, prædicta ſanctuaria ſolen-
niter collocabis: ut deuotionis ſuę potiat̃ effectu.

Gregorius Anthemio ſubdiacono ſcribit de op
preſsione Gaudioſi. Cap. LIII

Epiſt.53 NOn ſolum frequentibus præceptionibus
ſed etiam præſentem te ſępius me monuiſ-
ſe memini, ut illic uice noſtra, non tantum pro uti
litatibus Eccleſiaſticis, quantum pro ſubleuandis
pauperũ neceſſitatibus fungereris, & eos magis
à cuiuslibet oppreſſionibus uindicares. Præſen-
tiũ ergo lator Gaudioſus inſinuauit nobis ab au-
thoribus ſanctæ Romanæ, cui deo authore præſi
demus, Eccleſiæ ſibi uiolentiam irrogari, aſſerens
quòd filios ſuos uiri prædictæ Eccleſię uelint uen
dicare. Oblatis etenim ab eo documentis, agno-
uimus Siricam uxorem pręſentium portitoris ab
Ecia quondam glorioſæ memoriæ, Morenæ cui-
dam fœminæ, titulo donationis fuiſſe largitam, & D
ab eadem Morena per epiſtolã manumiſſam : &
ideo indecens eſſe credimus, ut progeniti ex libe
ra muliere filij ad ſeruitium retrahantur. Propte-
rea experientiæ tuæ præſenti authoritate præcipi
mus, ut his ipſis documentis ſicut & nos didici-
mus exuto à curis animo, diligenter intendat, qua
tenus ſi documenta nulla ſunt ab Eccleſiæ parte
quæ documẽtis huius hominis debeant obuiare:
ab eius ſe moleſtia ſine aliqua retractatiõe ſuſpen
dat. Durũ em̃ eſt ut ſi alij ꝑ mercede ſua libertates
tribuũt, ab eccleſia quã tueri has oportuerat, reuo
cent̃. Iterũ ergo atq; iterũ experientiã tuã neceſſa-
riò ſubmonemus: ut illic ſi quæ inter pauperes &
Rom. Eccleſiã ſanctã queſtiões uertunt̃, oñi men
tis integritate diſcutiat: ſicq; patrimoniales utilita
tes peragat, ut à benignitate iuſtitiæ non recedat.

Gregorius Petro ſubdiacono.
De ſtipendijs in dedicatione ſanctæ Eccleſiæ Ma
riæ dandis. Cap. LIIII

FEſtiuitatibus ſanctorum deſiderabiliter inſi- Epiſt.54
ſtentes, præſentis præceptionis noſtræ pagi-
nam, ad experientiam tuam neceſſe duximus diri
gendã: indicantes ei oratoriũ beatæ Mariæ quod
nuper in cella fratrum ædificatum eſt, ubi Marini
anus abbas præeſſe dinoſcit̃, Auguſto menſe diſ-
poſuiſſe nos adiuuante domino ſummopere de-
dicare, quatenus cœpta noſtra operante dño de-
beant conſummari. Sed quia cellę ipſius tenuitas
exigit debere nos in ipſa diei feſtiuitate concurre
re, propterea uolumus ut ad celebrandam dedica
tionem dare debeas ad erogandum pauperibus,
in auro ſolidos decẽ, uini amphoras triginta, an-
nonæ modios ducentos, olei orcas duas, uerueces
duodecim, gallinas centũ, quæ tuis poſſint ratio-
nibus poſtmodũ imputari. Statim ergo fieri hæc
nulla moræ interiectione cõſtitue, ut uota noſtra
deo authore ſortiantur effectum.

Gregorius Seuero epiſcopo.
Viſitationem Ariminenſis Eccleſiæ iniungit.
Caput LV

FRaternitatis tuæ docti ſumus epiſtola, in per Epiſt.55
ſona Odeatini de electione epiſcopatus ali-
quos conſenſiſſe: quem quoniam nos non conce
dimus, in eius non debent immorari perſona. Sed
habitatoribus eiuſdem ciuitatis edicito, ut ſi in ea
dem Eccleſia dignum ad hoc opus inuenerint, in
ipſius cũcti electionem declinent. Alioquin præ- C
ſentiũ tibi portitor perſonam de qua ei diximus
indicabit: in cuius debeat fieri electione decretũ.
Vos etenim in eiuſdem uiſitatione Eccleſiæ eſto-
te ſolertes atq; ſollíciti, ut & res eius illibatæ ſer-
uentur, & utilitates uobis diſponentibus more ſo
lito peragantur.

Gregorius Vrſicino duci, clero, ordini & ple-
bi Ariminenſis ciuitatis. De epiſcopo
eligendo. Cap. LVI

Dlectionis ueſtræ quã ſit in expectatiõe pon Epiſt.56
tificis prona deuotio, directæ relatiõis text⁹
inſinuat. Sed quia ordinatorem uehemẽter in his
oportet eſſe ſollicitũ: noſtræ in hoc utiq; cura deli
berationis inuigilat. Ideoq; charitatem ueſtrã ſcri-
ptis præſentibus admonemus, ut nullus ſe debeat
pro Odeatini ad nos fatigare perſona, ſed ſi in ea-
dem ciuitate qui ad hoc ſit utilis inuenitur, ita ut à
nobis reprehendi non poſſit, ueſtra concurrat ele
ctio. Si uerò ad hoc dignus inuentus non fuerit,
nos in quo pariter debeatis præbere conſenſum,
pręſentium diximus portitori. Vos autem unani-
mes orate fideliter, ut quicunq; fuerit ordinãdus
& uobis utilis poſſit exiſtere, & dignum deo no-
ſtro ſacerdotale exhibere ſeruitium.

Gregorius Anthemio ſubdiacono.
Palatinam illuſtrem fœminam pro ſuſtentatio-
ne commendat. Cap. LVII

SI in proximorum neceſſitatibus habita com- Epiſt.57
paſſione benigna mente cõcurrimus, noſtris
proculdubio petitionibus clementem dominum
reperimus. Palatina ſiquidẽ fœmina illuſtris, con
tinua hoſtilitate inſinuauit ſe plurimis neceſſitati
bus ſubiacere.

subiacere. Propterea experientiæ tuæ præsenti au A
thoritate præcipimus, ut pro susti̇tatione eius annuos triginta solidos dare non differas, qui tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac, ut tu & bene miserando mercedis cōmodum percipias, & nostra ad effectū præcepta perducas.

Gregorius clero & ordini & plebi consistenti Perusiæ. De episcopo eligendo. Cap. LVIII

Epist. 58 Miramur charissimi fratres in Christo: quare Ecclesiam dei tanto tempore absq; rectore conspicitis, ac de uestro totiusq; plebis regimine minimè cogitatis Notū est enim quòd grex si pastoris cura defuerit, per auia gradiatur, & ob hoc familiarius inimici laqueos insidiantes incurrat. Vnde necesse est de his qui ecclesiæ militant, unū B
habito timore domini perquirere, qui pastoris ministeriū possit dignè suscipere, atq; illic protegente dño sacramentorū diuinorum dispensator insistere: quatenus & pro filijs Ecclesiæ uestræ puræ quotidie mentis holocaustū offerat, & uiā gregi quomodo ad supernā patriā gradiatur, ostendat.

Gregorius Gēnadio patricio & exarcho Aphricæ. De uiolentijs Theodori magistri militū. Ca. LIX

Epist. 59 Dei præ oculis uos indesinenter habere timorem, ac sectari iustitiam submissa hostiū colla testantur, sed ut gloriam uestram in eadem prosperitate gratia Christi custodiat, quæcunq; perperam committi cognoscitis, celeri, sicut consueuistis, cohibitione compescite, ut armis iustitiæ
præmuniti, hostiles impetus fidei uirtute, quod est C
totius culmen uirtutis, superetis. Marianus siquidem Turritanæ ciuitatis frater & coepiscopus noster nobis lachrymabiliter indicauit, ciuitatis suæ pauperes omnino uexari, & cōmodalibus affligi dispendijs. Insuper & religiosos Ecclesiæ suæ homines grauē ab hominib. Theodori magistri militum sustinere molestiam, ac pati corporales iniurias, & ꝙ ad hoc usq; prorumpit̄, ut in carcerem, quod dici nephas est, retrudantur. Se quidem etiam in causis ad Ecclesiam suam pertinentibus, à præfato glorioso uiro grauiter impediri. Quæcūq; sint, si tamen uera sint, reipublicæ disciplinæ contraria uos scitis. Et quia hæc omnia uestram excellentiā conuenit emendare, salutans eminentiā uestrā postulo, ut ea ulterius fieri non sinatis: sed D
ex opere illi iubete diligere, ut ab Ecclesię se læsione remoueat, & nullus eorum in angarijs seu cōmodis ultra q̄ sinit ratio prægrauetur, aut si quæ causæ fuerint, non potentatus metu, sed legali ordine finiantur. Ita igit̄ quæso aspirante uobis dño hæc omnia interminationis nostræ præceptione corrigite, ut si non rectitudinis contemplatione, saltem formidine nostræ iussionis, à talibus se gloriosus Theodorus, uel homines eius, abstineant: quatenus, quod ad laudem uestrā proficiat & mercedem, in partibus uobis cōmissis possit florere cum libertate iustitia.

Gregorius Ianuario archiepiscopo Caral. Sardiniæ. Catellam illustrem fœminam commendat. Cap. LX

Epist. 60 Ipse dominus noster uiduarum se maritum, orphanorumq; patrem scripturæ sacræ profitetur testimonio, nos quoq; mēbra corporis eius ad imitandum caput summo debemus mentis affectu intendere, & salua iustitia, orphanis & uiduis præsto, si necesse sit, esse. Et quia insinuatum est nobis Catellam religiosam fœminam, habentem filium suum hic in sancta Romana Ecclesia, cui deo authore præsidemus, militantem, quorundam immissionibus uel inquietudinibus molesta ri, de ea re fraternitatem uestram scriptis præsentibus necesse duximus adhortandam, ut eidem prædictæ fœminæ tuitionem ferre, salua iustitia, non declinet: sciēs quòd de huiusmodi rebus & dominum sibi debitorem faciat, & nostram circa se charitatē magis astringat. Causas enim prædictæ fœminæ, siue sint, siue fuerint, nostro uolumus iudicio terminari, ut foralis illi inquietudo submoueri debeat, & tamen à iudicij iustitia nullatenus excusetur. Oro autem dominum, qui uiam uestram cursu ad se prospero dirigat, & ad regnum uenturæ gloriæ propitiatus ipse perducat.

Gregorius Ianuario episcopo Caral. Sardiniæ. Pompeianam religiosam cōmendat. Ca. LXI.

Epist. 61 Licet fraternitas uestra zelo iustitię se in diuersorum tuitionē congruenter impendat: promptiorem tamen eam credim⁹ prorsus existere in eorum solamina, quos ei nostra commendat epistola. Pompeiana igitur religiosa fœmina per hominem suum suggessit nobis, multa se quorundam hominū sustinere assidue irrationabiliter grauamina, & ob hoc nobis supplicasse dignoscit̄, ut nostris eā uobis cōmendarem⁹ apicibus. Propterea salutantes fraternitatem uestrā, debito charitatis affectu prædictam uobis fœminam necessariò duximus commendandam, ut comitante iustitia, in nullo eam fraternitas tua contra æquitatem grauari permittat, nec aliqua inconsultè pati dispendia. Sed si quas eam habere causas contigerit, in electorum iudicio altercando uentiletur contentio: & quęcunq; fuerint diffinita, ita tranquillè ad effectum uobis solatiantibus perducantur, ut & uobis pro tali opere merces inhæreat, & nostris apicibus commēdata gaudeat se inuenisse iustitiam.

Gregorius item Ianuario archiepiscopo Caralitano Sardiniæ. Catellam religiosam commendat. Cap. LXII

Epist. 62 Pastoralis regiminis necessitate compellimur, ut orphanorū, uiduarumq; causis solertius quàm curis cæteris insistamus: & quia insinuatum nobis est Catellam religiosam fœminā, habentem filium hic in sancta Romana Ecclesia, cui deo authore præsidemus, militantem, quorūdam immissionibus uel inquietudinibus molestari, de ea re fraternitatem uestram scriptis præsentibus necesse duximus adhortandam, ut eidem prædictæ fœminæ tuitionem ferre salua iustitia non declinet, sciens quòd de huiusmodi rebus & sibi dominum faciat debitorem, & nostram circa se charitatem astringat. Causas enim prædictæ fœminæ siue sint, siue fuerint, nostro uolumus iudicio terminari, ut foralis illi inquietudo submoueri debeat, & tamen à iudicij iustitia nullatenus excusetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Oro autem dominũ qui uiam ueſtram curſu ad ſe A proſpero dirigat: & ad regnum uenturæ gloriæ propitiatus ipſe perducat.

Gregorius Anthemio ſubdiacono.
Scribit domum Petronij iniuſtè titulatam.
Caput LXIII

Epiſt.63 SIcut res ad ius Eccleſiæ pertinentes amittere nõ debemus, ita alienas appetere inciuile eſſe nihilominus iudicamus. Et quoniam edocti ſumus domũ Petronij notarij ſanctę Romanę Eccleſiæ, cui deo authore præſidemus, à Conſtantino tunc defenſore irrationabiliter titulatam, experientiæ tuæ præſentis præcepti pagina demandamus, ut omni excuſatiõe uel dilatione omiſſa, depoſito titulo eandem domum præſentium latrici B Theodoræ relictæ antedicti Petronij ſine mora reſtituas: ne, quod abſit, uiduis inde prę iudicium oriat, unde cõſolationis debẽt inuenire ſolatium.

Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi.
Scribit ut conſuetudines antiquas obſeruet.
Caput. LXIIII

Epiſt.64 COnſuetudines quæ Eccleſijs grauamen noſcuntur inducere, noſtra nos decet conſideratione remittere: ne illuc aliqua cogantur inferre, unde ſibi inferenda debeant potius expectare. Clericorum quidem aliorum conſuetudinem te oportet illibatam ſeruare, eiſq; annis ſingulis quę ſunt conſueta, tranſmittere. Nobis autem de cætero ne quid trãſmittere debeas inhibemus. Et quoniam nõ delectamur xenijs, palmacianas quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepimus; ſed eas, ne quod exinde potuiſſes ſentire diſpendium, digno fecimus precio uenundari, & id fraternitati tuæ tranſmiſimus ſigillatim. Sed quia charitatem tuã ad nos uenire uelle cognouimus, ſcriptis præſentibus admonemus, ut ad ueniendũ non debeas laborem aſſumere, ſed ora pro nobis, ut quanto nos itineris interualla diſſociant, tanto animis noſtris adinuicẽ Chriſto adiuuante ſimus in charitate coniuncti: quatenus nos alterna obſecratione iuuantes, ſuſceptum officium uenturo integrum iudici reſignemus.

Gregorius Anthemio ſubdiacono.
Paſtorem quendam infirmum oculis commendat. Cap. LXV

Epiſt.65 SI proximorum neceſſitatibus habita compaſſione benigna mente cõcurrimus, noſtris proculdubio petitionibus dominum clementem reperimus: Paſtorem ſiquidem qui nimia uiſus imbecillitate laborat, habentẽ coniugẽ, duoq; mancipia: qui & cum Ionatha quondam glorioſo fuerat, plurimis cognouimus neceſſitatibus ſubiacere. Propterea experientiã tuam per præſentis præcepti paginam admonemus, uti pro ſuſtentatione eius annuos tritici modios xxiij, necnon & fabæ modios xi. dare non differas, quæ poſtmodũ poſſint tuis rationibus imputari. Ita ergo fac ut tu bene miniſtrãs mercedis & cõmodum percipias, & noſtra ad effectum præcepta perducas.

Menſe Auguſto.
Gregorius Anthemio ſubdiacono. Caſtigationem iniungit illorum qui ſacra uaſa & miniſteria Eccleſiaſtica Iudæis uendiderunt. Cap. LXVI

FVſcus Archiater ardore fidei prouocatꝰ preces effudit, dicens Opilionem diaconum, ſed & ſeruũ dei Creſcentiũ, clericos Benefanæ Eccleſiæ, oblitos timorem futuri iudicij, miniſteria prę fatæ Eccleſiæ Hebræo cuidam, quod dici nephas eſt, uendidiſſe: id eſt, in argento calices duos, coronas cum delphinis duas, & de alijs coronis lilios, pallia maiora ſex. Et ideo mox ut præſentẽ iuſſionem experiẽtia tua ſuſceperit, memoratos Eccleſiaſticos ad ſe faciat indifferenter occurrere, & requiſita ueritate, ſi ita eſſe ſicut ſuggeſtum eſt conſtiterit, memoratum Hebræum, qui oblitus uigorem legum, præſumpſit ſacra ciuiliter cõparare, per iudicem prouincię faciat conueniri, & ſine aliqua mora anteſata miniſteria reſtituere cõpellatur, ut ex eis ſępeſatæ Eccleſię nihil poſſit immi nui. Ipſum aũt diaconem uel clericos qui nephas cõmiſerunt, in pœnitentia relegare nõ differas, ut tale tãtũq; delictũ ſuis lachrymis poſſint diluere. Epiſt.66

Gregorius Petro ſubdiacono Siciliæ.
Præcipit ut exteriorem curam monaſterij Fauſto commendet. Cap. LXVII.

SIcut ſtudij noſtri eſſe condecet, à litigijs forali Epiſt.67
bus monachos ſubmouere, ut diuinis miniſterijs piè ac ſolerter inuigilent: ita neceſſe eſt noſtra prouiſione, quemadmodum negotia eorũ diſponi debeant ordinare, ne diſtricta mens per uarias cauſarũ curas defluat, & ad celebrandũ opus conſuetum eneruata torpeſcat. Præſentium itaq; lator C abbas Ioannes plurima ſe monaſterij ſui aſſerit habere negotia. Pro qua re experientiã tuã per præſentis præcepti paginã admonemus, quatenus cũ Fauſto qui Romani uiri magnifici exprætore cancellarius fuerat, loqui debeat. Cuius ſi pronam ad hanc rem cõpereris uolũtatẽ, ei monaſterij ipſius generaliter debeas conſtituto ſalario cõmendare negotia. Expedit eñ paruo incõmodo à ſtrepitu cauſarum ſeruos dei quietos exiſtere, ut & utilitates cellæ per negligentiã non pereant, & ſeruorũ dei mentes ad opus dominicũ liberiores exiſtant.

Gregorius uniuerſis epiſcopis per Siciliam.
Vt hi caueant de his qui fallaciter angarias accipiunt. Cap. LXVIII

FRaternitatis ueſtræ diu iam probata deuotio Epiſt.68
tãto nos cõpellit pro uobis cautè prouidere, quanto nos aſſerit audito ueſtræ Eccleſię damno ſtudioſe concurrere. Cognouimus quoſdã in Sicilia inſula ſimulantes ſe ſedis apoſtolicæ defenſores, de frumento uos in angarijs alijſq; rebus affligere: neceſſarioq; duximus eorũ fallaciæ ſcriptis præſentibus obuiare. Ideoq; fraternitatem ueſtrã charitate debita ſalutantes, magnopere commonemus: ut nullo modo talibus deinceps apud uos locus ſurrependi remaneat: ſed quiſquis ille eſt, ſi reuera ſedis noſtræ fuerit notarius uel defenſor, niſi noſtra ad uos ſpecialiter, uel rectoris noſtri patrimonij ſcripta detulerit, nullis per nomen Eccleſiæ noſtræ potiatur angarijs: nec aliqua uobis ab eo grauamina imponi permittatis, ſed ſuis utilitatibus iter ſuum proprijs, ut nouit, diſponat expenſis. Nec quenquam ab eo in locis iſtis patiamini moleſtari

molestari. Hæc etenim quæ nostris apicibus pro A
uestra uestrorumq; quiete nos inhibuisse cognoscimur, sic cõstantius conseruate, ut hoc exuti gra
uamine, diuinis obsequijs deuoti ac paratiores in
ueniri ualeatis.

Gregorius Petro subdiacono. Tuitionẽ Cyriaci & Ioannæ commendat. Cap. LXIX

Epist.69 EGentibus nostræ commendationis auxilio, oportet nos, inquantum ratio patitur, benigna mente præbere subsidium. Proinde experientiæ tuæ Cyriacum & Ioannam cõiugem eius, præsentium portitores, nostra præceptione duximus commendandos, quatinus à nullo eos contra iustitiam opprimi uel grauari permittas. Sed ubi necesse fuerit, tuis, annuente iustitia, solatijs perfruantur: ut salua æquitate, nostram sibi in omnibus B
commendationem te cõcurrente prodesse lætentur. Quia uerò præfata fœmina, pro eo quod post acceptas sponsalitias arras, ex Iudæa ad Christianam religionem cõuersa est, dicitur sustinere molestiam: et eandem causam iam dictam assertam et finitam, experientia tua diligenter exquirat: & si causam iudicatam cognouerit, nullã exinde querelam aduersus supradictam fœminam ulterius quolibet modo reserpere permittat. Sed quæ iudicata sunt, modis omnibus conseruentur, ne ob id quòd meliorem partem elegisse dinoscitur, malorum hominum controuersijs quatiatur.

Gregorius Petro subdiacono. Ne episcopi ante hyemem ad se ueniant. Et de comparatione frumenti. Cap. LXX C

Epist.70 QVia fratres & coepiscopos nostros in Sicilia insula commorantes, ad beati Petri Apostoli natalitium diem conuenisse uoluimus, scriptis præcedentibus agnouisti. Sed quia ea causa quæ cum uiro magnifico Iustiniano exprætore dicitur, eorum iter præpediuit: & quia iam tempus ueniendi & redeundi non sinit, eos nolumus ante hyemem fatigari. Gregorium uerò Agrigentinũ, & Leonem Cathenensem, & Victorem Panormitanum per omnia uolumus ad te ante hyemem proficisci. Quinquaginta uerò auri libris quas habes, ex eis noua frumenta ab extraneis compara: & in Sicilia in locis in quibus non pereant, repone, ut mense Februario illuc naues quantas possumus, dirigamus: & eadem ad nos frumenta defe- D
rantur. Sed si nos transmittere cessamus, ipse naues prouide, & ad nos auxiliante domino Februario mense transmitte hæc eadem frumenta, exceptis duntaxat frumentis, quæ nunc mense Septẽbrio uel Octobrio, iuxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ita ergo experientia tua faciat, ut sine alicuius uexatione coloni Ecclesiastici, frumenta congregentur: quia tantum hic parua natiuitas fuit, ut nisi auxiliante deo frumenta de Sicilia congregentur, fames uehementer immineat. Naues uerò quæ cõmendatæ Ecclesiæ sanctę semper fuerunt, in omnibus tuere, ad quod tibi etiam directæ glorioſi uiri Leonis exconsulis epistolæ concurrunt. Multi uerò huc ueniũt, qui terras aliquas uel insulas in iure Ecclesiæ nostræ, in emphiteosim sibi postulãt dari, & aliquibus quidẽ nega-

mus, aliquib. uerò iã concessimus. Sed tua experientia sanctæ ecclesiæ utilitatẽ cõspiciat, memor q̃ ante sacratissimũ beati Petri apostoli corpus, potestatẽ patrimonij eius acceperit. Et licet hinc scripta decurrãt, q̃d utilitatẽ patrimonij impedit, fieri nullo modo permittat: quia nec nos sine ratiõe aliquid dedisse reminiscimur, uel dare disponimus.

Gregorius Petro subdiacono. De possessionibus Tauromenitanæ Ecclesiæ iniustè occupatis. Ca. LXXI

QVanto Apostolicæ sedi ab Ecclesijs reuerẽ- Epist.71
tia cæteris exhibetur, tanto eam in earũ decet esse tuitione sollicitã. Et quia domus uel fines uel possessiões Tauromenitanæ iuri Ecclesiæ pertinentes, ab actionarijs dicuntur nostræ Ecclesiæ contra rationis ordinẽ occupatæ, experiẽtiæ tuæ huius præcepti paginã deputamus, quatinus cognita ueritate, si ita est, cũcta quę occupata didiceris, in antefatæ Ecclesiæ pristina iura restituas. Quia uerò peruenit ad nos uiuẽte adhuc Victorino episcopo, eiusdẽ Ecclesiæ perisse pecunias, ad earũ requisitionẽ te Secũdino fratri et coepiscopo nostro uolumus prębere solatia: & utilitatib. eiusdem Ecclesiæ in quo necessariũ fuerit, salua æquitate concurrere. Ita etẽm cuncta quæ in huius prę cepti pagina continentur, effectui mancipare festina, ut de æquitate seruata præfati episcopi relationibus ipse lauderis.

Gregorius Gennadio patricio & exarcho Africæ. De concilio contra hæreticos faciendo. Cap. LXXII

SIcut excellentiam uestram hostilibus bellis in Epist.72
hac uita dominus uictoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiæ eius omni uiuacitate mentis & corporis obuiare, quatinus eius ex utroq; triumpho magis ac magis enitescat opinio: cùm & forensibus bellis aduersarijs catholicæ Ecclesiæ pro christiano populo uehementer obsistitis, & Ecclesiastica prælia sicut bellatores dñi fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis uiros si eis, quod absit, suppetit nocẽdi licentia, contra catholicam fidem uehementer insurgere, quatinus hæreseos suæ uenena ad tabefacienda, si ualuerint, Christiani corporis membra trãsfundant. Cognouimus enim eos cõtra Ecclesiam catholicã, domino eis aduersante, colla subrigere, & fidem uelle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia uestra conatus eorum comprimat, & superbas eorũ ceruices iugo rectitudinis premat. Concilium uero catholicorũ episcoporũ admoneri præcipite, ut primatem non ex ordine loci, postpositis uitæ meritis faciat, quoniam apud deum non gradus elegantior, sed uitæ melioris actio cõprobatur. Ipse uerò primas nõ passim sicut moris est, per uillas, sed in una iuxta eorũ electionẽ ciuitate resideat, quatinus adeptæ dignitatis meliori ingenio resistẽdi Donatistis possibilitas disponat. Ex cõcilio uero Numidię, si qui desiderarint ad apostolicã sedẽ uenire, permittite, et si quilibet eorum uiæ contradicere uoluerit, obuiate. Magno profectò excellẽtiæ uestræ apud creatorem

torem gloria proficit, si per eam dispersarũ Eccle- A
siarũ potuerit societas restaurari. Cùm eñ largita
munera ad nominis sui gloriam conspicit reuoca
ri, tanto largiora tribuit, quanto per ea religionis
suæ dignitatẽ uiderit ampliari. Persoluentes præ-
terea paternæ charitatis affectum, dominum peti
mus, quo brachium uestrũ ad comprimendos ho
stes forte efficiat, & mentem uestram fidei uelut
mucronem gladij uibrantis exacuat.

Gregorius Gennadio patricio & exarcho per Aphricam. Gratiarũ actiones facit pro be-neficijs sancto Petro collatis. Cap. LXXIII

Epist. 73 Cã. 23. q. 4. Si nõ

SI non ex fidei merito, & Christianæ religionis
gratia, tanta excellentiæ uestræ bellicorũ a-
ctuum prosperitas eueniret, non summopere mi- B
randa fuerat, cùm sciamus etiam hæc antiquis bel
lorum ducibus fuisse concessa. Sed cùm futuras
deo largiente uictorias non carnali prouidentia,
sed magis orationibus præuenitis, fit ut hoc in stu
porem ueniat, ꝙ gloria uestra non terreno con-
silio, sed deo desuper largiente descendat. Vbi eñ
meritorũ uestrorum loquax nõ discurrit opinio?
Quæ bella uos frequenter appetere, nõ desiderio
fundendi sanguinis, sed tantum dilatandæ causa
reipublicæ, in qua deum coli conspicimus, loqui-
tur: quatinus Christi nomen per subditas gentes,
fidei prædicatione circunquaque discurrat. Sicut
enim exteriora uos uirtutum opera eminentes in
hac uita cõstituũt, ita & interna morũ ornamenta
ex corde mundo procedentia, in futurorũ gaudio C
rum participatione glorificãt. Plurima enim pro
pascendis ouibus beati Petri Apostolorũ princi-
pis utilitatibus excellentiã uestram præstitisse di-
dicimus: ita ut nõ parua loca patrimonij eius pro-
Dacorum prijs nudata cultoribus, largitis Datitiorũ habita
toríb. restaurauerít. Quæcunꝙ igit hic illic Chri-
stiana mente cõfertis, horsũ retributionẽ per spem
in futuro iudicio sustinetis. Quamobrem præsen-
tium quoꝙ latorem Hilariũ nomine, eminentiæ
iudicauimus cõmendandum uestræ, ut in his quę
sibi necessaria, iustitia tamen præeunte, suggesse-
rit, solitũ ei impendatis affectũ. Persoluentes aũt
paternæ charitatis alloquiũ, petimus dñm saluato
remꝙ nostrũ, qui eminentiã uestrã pro solatio rei
publicæ sanctæ, misericorditer protegat, & ad di-
latandum per finitimas gentes nomen eius, ma-
gis magisꝙ brachij sui firmitate confortet.

Gregorius Gaudioso maternæ Aphricæ. Congratulatur pro beneuolẽtia. Cap. LXXIIII

Epist. 74 SIcut lucernæ lumen per collimitantia quæꝙ
quo lucet loca diffunditur, ita cuiuslibet per-
sonæ bonorũ affectuum probitas, non solum quo
degit, sed per diuersas prouincias fama loquente
cognoscit, ut quoniã præsentiæ nulla potest esse
notitia, hoc discursus opinionis efficiat, quod rei
ueritas per præsentiã poterat exhibere. Didicim⁹
eñ diuersos iudices qui ad administrandã Aphri
canam prouinciam diriguntur, summa gloriã ue-
stram familiaritate diligere. Quod non procede-
ret, nisi apud eosdem iudices mentis eius syncerí-
tas appareret, ut adeptã administrationem consi-
lij uestri participatione disponerẽt. Ex quo maxi-
mas deo gratias referimus, cùm tales habere pro-
prios prouincias habitatores cognoscim⁹, qui in-
genita nobilitate polleant, & potentibus uiris ad-
hæreãt, prouincialibusꝙ suis ad remediũ, adepta
temporum opportunitate, cõsistant. Persoluentes
itaꝙ paternæ charitatis affectum, præsentiũ lato-
rem quem illuc ad ordinandas res pauperũ direxi
mus, uestrę gloriæ cõmendamus: quatenus ei quę
necessaria fuerint, salua iustitia tribuatis. Oro aũt
dominũ, qui uitã uestrã in omni bono custodiat,
actusꝙ uestros misericordiæ suæ dono disponat.

Gregorius uniuersis episcopis Numidiæ. Vt nullum ex Donatistis ordinent. Ca-put LXXV

SI quando charissimi in Christo fratres, inter ui Epist. 75
rentes segetes, zizaniorum quædam se infert
importuna commixtio, hanc radicitus necesse est
cultoris manus adimat, ne futurus fœcundæ sege-
tis fructus possit intercipi. Et nos ergo qui licet in
digni, dominici agri culturã suscepimus, ab omni
zizaniorum scãdalo ingenuam reddere segetem
festinamus, quatenus ager domini redditu abun-
dantiori fructificet. Petijstis etenim per Hilarium
chartularium nostrum, à beatæ memoriæ præde-
cessore nostro, ut omnes uobis retro temporum
consuetudines seruarentur, quas à beati Petri A-
postolorum principis, ordinationũ initijs hacte-
nus uetustas longa seruauit. Et nos quidem iuxta Paret. dist. 12
seriem relationis nostræ, consuetudinem, quæ ta-
men contra fidem catholicam nihil usurpare dino
scitur, immotam permanere concedimus, siue de
primatibus constituendis, cæterisꝙ capitulis, ex-
ceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum per-
ueniũt, quos prouehi ad primatus dignitatẽ, etiã
cùm ordo clericorũ eos ad locũ eundem deferat,
modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis
commissę sibi plebis tantummodo curam gerere:
non autẽ etiam illos antistites, quos catholica fi-
des in Ecclesiæ sinu & edocuit & genuit, ad obti-
nendũ culmen primatus anteire. Vos ergo fratres
charissimi, admonitiones nostras zelo charitatis
dominicæ præuenite, scientes quòd districtus iu-
dex ad examinandum deducturus est cuncta quę
D gerimus, & unumquemꝙ nostrum non ex præro
gatiua sublimioris gradus, sed ex operum meritis
approbabit. Quæso ergo, uosmetipsos inuicem al
terna pace diligite in Christo, & hæreticis uel ini
micis Ecclesię uno cordis intuitu obuiate. De pro
ximorum animab. estote solliciti, ad fidem quos
ualetis prædicatione charitatis prætenso terrore
futuri iudicij suadete: quoniam pastores constitu-
ti estis, & dominus gregum ab ijs quibus commi
sit pastoribus fructum multiplicati gregis expe-
ctat. Qui si proprij gregis augmentũ adhibito stu
dio diligentiori prospexerit, multiplicibus profe
ctò uos cœlestis regni muneribus decorabit. Per-
soluens præterea fraternæ dilectionis alloquium,
oro dominũ, qui nos animarum pastores quos e-
legit, ante se dignos efficiat, sed hic actus nostros
quos in futura uita dignè suscipiat, ipse disponat.

Gregorius

Gregorius Leoni episcopo in Corsica
Visitationē iniungit Sagonensis Ecclesiæ. LXXVI

Epist.76 PAstoralis nos cura constringit, Ecclesiæ sacerdotis moderamine destitutæ, sollicita consideratione concurrere. Et quoniam Ecclesiam Sagonensem ante annos plurimos, obeūte eius pontifice, omnino destitutam agnouimus, fraternitati tuæ uisitationis eius operam duximus iniungendam, quatenus tuis dispositionibus eius possit utilitas propagari. In qua etiam Ecclesia uel eius parochijs diaconos atq; presbyteros tibi concedimus ordinandi licētiam. De quibus tamen tui sit studij diligentius perscrutari, ut eorum personæ à sacris nullo modo canonibus respuantē. Sed quos fraternitas tua tanto dignos ministerio perspexerit, eorumq; mores & actus huic ordinationi concordare cognouerit, eos authoritatis nostræ permissione, ad prædictum promoueat licenter officium. Cunctis igitur rebus superscriptæ Ecclesiæ ut proprium te uolumus uti pontificem, usq; ad secundam nostram epistolam. Ita ergo in omnibus his diligens esto ac sollicitus, ut tua dispositione utilitates Ecclesiasticæ salubriter modis omnibus deo ualeant authore disponi.

Gregorius Martino episcopo in Corsica.
Præcipit de Tamitana Ecclesia transire in Alerien-
sem. Caput LXXVII

Epist.77 IVsta poscentibus, aurem nos oportet beniuolam cōmodare, quatenus & petentes remedia sperata reperiant, & Ecclesię non desit sollicitudo pastoris. Et quoniā Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est delictis facientibus, hostili feritate occupata atq; diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit: in Ecclesia Salonēsi, quæ iam diu pontificis auxilio destituta est, cardinalem te secundum petitionis tuæ modum, hac authoritate constituimus sine dubio sacerdotē. Ita ergo studio uigilanti cum dei amore secundum canonum præcepta, cuncta dispone uel ordina, ut & fraternitas tua suis desiderijs se gaudeat esse potitam, & Ecclesia dei alterno gaudio repleatur cardinalem te suscepisse pontificem.

Gregorius clero, & ordini, & plebi Vianēsis Eccle-
siæ. De episcopo eis ordinando. Cap. LXXVIII

Epist.78 QVotiens res aliqua pluribus agenda cōmittitur, dum quisquis dissentit ab altero, dispēdijs potius quàm utilitatibus aditus reserat. Quod nos prouidentes, ne hoc uestræ contingere possit Ecclesiæ, eius curā utilitatesq; Honorato presbytero ad præsens cōmittendas elegimus, quatenus res utilitatesq; Ecclesiæ per eum procurari ualeant, & modis omnibus custodiri. Ideoq; dilectionem uestrā scriptis præsentibus adhortamur, quatenus ut uobis possit ordinari sacerdos, inuicē uestræ uoluntatis omnino in unius digna electione concordet assensus, nec amplius dei Ecclesiā officio patiamini uacare pontificis. Quousq; uero Ecclesiæ ipsi sacerdos fuerit ordinatus, omnē supradicto presbytero, sicut diximus, sollicitudinis eius curam cōmisimus. Ita ergo se uestra dilectio in his omnibus exhibere festinet, ut amorem uos Ecclesiæ habere, pronæ deuotio mentis ostendat.

Gregorius clero, & nobilibus Corsicæ aparibus.
De Martino episcopo eis de alia Ecclesia ordinan
do Caput LXXIX

ET si uos multo iam tēpore sine pontifice esse Epist.79
dei Ecclesiam non doletis, nos tamē de eius regimine cogitare & suscepti cura compellit officij, & uestræ quamplurimum charitas dilectionis astringit, scientes quòd in eius gubernationibus animarum uestrarum simul cōsistit utilitas. Nam si gregi pastoris cura defuerit, facile laqueos insidiatoris incurrit. Ea de re quoniam Ecclesia Salonensis sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus Martinum fratrē & coepiscopum nostrum ibidem cardinalem constituere sacerdotem: Leoni uero fratri & coepiscopo nostro operam uisitationis iniungere. Cui etiam in ea, parochijsq; eius presbyteros atq; diacones concessimus ordinandi licentiam, eumq; rebus eius quousq; illic fuerit, ut proprium pontificem uti permisimus. Ideoq; scriptis præsentibus admonemus uti præfatum uisitatorem charitas uestra cum omni deuotione suscipiat, eiq; obediētiam in ijs quæ rationi conueniunt, sicut Ecclesiæ decet filios, exhibete, quatenus omnia quæ ad utilitatem suprascriptæ pertinere cognoscuntur Ecclesiæ, uestra ualeat suffultus deuotione implere.

Gregorius Laurentio episcopo Mediolanensi.
De quibusdam possessionibus iniustè detentis.
Caput LXXX

SCripta fraternitatis uestræ suscipiens, gratias Epist.80
omnipotenti deo retuli, qui desiderabili me sospitatis eius nuncio releuauit. Quòd autem perhibetis ab exactione patrimonij Siciliæ prouinciæ uestræ, sanctæ, cui deo præsidetis authore, Ecclesiæ certam redhiberi pecuniæ quantitatem: pro eo quòd ab authoribus sanctæ Romanæ Ecclesię illo tempore patrimonij Ecclesiæ uestræ celebratur exactio, necessarium fuerat iuxta tenorem scriptorum à uobis directorum, acceptarum illatarumq; pecuniarum summam inspicere, & totius ratiocinij meritū subtiliter indagare, quibus perspectis nihil à sancta Romana Ecclesia Ecclesiæ uestræ allegatum est redhiberi. Sed quia dum Cōstantius diaconus uester ad ea quæ obiecta à nostris fuerant, aliud allegauit: examen negocij uenit in dubium, quod subtilius poterat uentilari, si qua persona existeret, cū qua definiri aliquid stabiliter potuisset. Proinde necesse est, sanctitas uestra hac de re personam instituat, cum qua Romana Ecclesia aliquid debeat solidè definire, ut siue nihil debet, ex iudicio pateat, seu aliquid debet, restituat: & personam quam instituistis, cum securitate solenniter remittat.

Gregorius Ianuario archiepiscopo Carallis Sardiniæ.
De superbia Liberati diaconi cōprimenda. LXXXI

SCriptis tuis cor nostrum lætificasse dignoscEpist.81
ris, quód te mandatorū nostrorū memorem fuisse testatus es. Et quia memoriter retinemus ea quæ nos fraternitati tuę mandasse commemoras, quēadmodū disponendū sit ubi uolūtatis nostræ expectat authoritas, scriptis præsentibus breuiter

reſpondemus. Liberatus igitur de quo nobis tua fraternitas indicauit: quia diaconij fungi perhibetur officio, ſi à deceſſore tuo non factus eſt cardinalis, ordinatis à te diaconibus nulla debet ratione præponi, ne eos quos conſecrando probaſſe cognoſceris, reprobare ſupponendo quodammodo uidearis. Prædictum itaq; Liberatum quem reprimendus ambitionis inflat ſpiritus, omni inſtantia à ſui prauitate compeſce, & ultimum inter diaconos ſtare conſtitue, ne dum ſe illicitè præferri cõtendit, immeritus loco in quo nunc ſitus eſt, iudicetur. Cuius tamen ſi obedientia fueris inuitatus, & cum poſt hæc cardinalem facere uolueris, niſi pontificis ſui ceſſionem ſolenni more meruerit, abſtinendum ab omni eius incardinatione meminеris, quoniam æquitati conuenire non ambigis, ut alijs ſeruare non differas, quod ipſe quoq; tibi ſeruari deſideras.

Gregorius Hilario Monacho Aphricæ.

De Argentio epiſcopo & Donatiſtis. Cap. LXXXII

Epiſt. 82 FElicíſſimus atq; Vincentius diacones Eccleſiæ Lamigenſis, oblata petitione quę tenetur in ſubditis, ſuggeſſerunt ab Argentio eiuſdem ciuitatis epiſcopo, grauem ſe iniuſtitiam pertuliſſe, & accepto præmio, Donatiſtas in Eccleſiis fuiſſe præpoſitos, eũq; inter alia non leue aliud facinus, quod dici nephas eſt, cõmiſiſſe cõmemorant. Propterea experientiæ tuæ præſenti pagina præcepti duximus iniungendum, quatenus præfatum epiſcopum idoneæ ſatisfactioni cõmittere non omittas, tuaq; inſtantia in locis illis fiat ex more concilium, & omnia ſecundum oblatæ petitionis textũ canonicè coram poſitis partibus ſubtili indagatione perquirantur. Et quæcunq; eorum iudicio fuerint terminata, te exequente modis omnibus cõpleãtur. Ita ergo cum omni te uiuacitate huic cauſæ uolumus præbere inſtantiam, ut ad examinanda quæ iuſſimus, nulla poſsit ſubnecti dilatio, ſciturus non in leuẽ te offenſam incurrere, ſi noſtra quacunq; excuſatione lentata fuerit præceptio.

LIBER SECVNDVS

In nomine domini. Menſe Septembrio: Indictione decima.

TEmporibus papę Gregorij, cõſulatus Mauricij Auguſti anno ſeptimo, depoſitus eſt Laurentius, qui primus fuerat in ordine diaconij ſedis apoſtolicę, propter ſuperbiam & mala ſua, quæ tacenda duximus, & factus eſt archidiaconus Honoratus corã omnibus presbyteris & diaconibus, notarijſq;, ſubdiaconibus, uel cuncto clero in baſilica aurea.

Charta quæ relicta eſt de letania maiore, in baſilica ſanctæ Mariæ.

SOlennitas annuæ deuotionis nos filij dilectiſſimi admonet, ut letaniam quæ maior ab omnibus appellatur, ſollicitis ac deuotis debeamus, auxiliante domino, mẽtibus celebrare, per quam à noſtris exceſſibus, eius miſericordiæ ſupplicantes, purgari aliquatenus mereamur. Conſiderare etenim nos conuenit dilectiſſimi, q; uarijs, continuiſq; calamitatibus pro noſtris culpis atq; offenſionibus affligamur, & qualiter cœleſtis pietatis nobis ſubinde medicina ſubueniat. Sexta igitur feria ueniente à titulo beati Laurẽtij martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes ad beatũ Petrũ apoſtolorũ principẽ, domino ſupplicantes cũ hymnis & canticis ſpiritalibus properemus, ut ibidem ſacra myſteria celebrantes, tam de antiquioribus quàm de præſentibus beneficijs pietati eius, inquantum poſſumus, referre gratias mereamur.

Gregorius Petro notario.

De monachis in monaſterio ſancti Michaelis. Cap. I

MOnaſterium ſancti Archangeli, quod Epiſt. 1 Tropeis eſt cõſtitutum, indicante præſentiũ portitore, uictus habere neceſſitatem didicimus. Ideoq; experiẽtia tua diligenter inuigilet, & ſi eiuſdem loci monachos bene ſe tractare noueris, in quibus eos neceſsitatem habere manifeſta ueritate patuerit, eis ſubuenire hac authoritate ſuffultus, modis omnibus feſtinabis, ſciturus tuis rationibus quicquid noſtra præceptione præbueris imputandum. Sed & terrulam Eccleſiæ noſtræ uicinam quam ſolidum unum & tremiſſes duos penſitare aſſerunt, ſi ita eſt, ſibi libellario nomine ad ſummã tremiſsis unius habere concede. Studij ergo tui ſit hæc omnia ita complere: ſi, ſicut diximus, eius loci monachi in dei ſeruitio, ſicut decet, ſolerter perſtiterint.

Gregorius Præiectitio epiſcopo Narnienſi.

De mortalitate, & conuerſione Longobardorum. Caput II

PEruenit ad nos, peccatis imminentibus, in ci- Epiſt. 2 uitate ueſtra Narniẽſi mortalitatem omnino graſſari, quæ res nos nimis addixit. Quamobrem ſalutantes fraternitatem tuam, inſtantiſsimè ſuademus, ut à Longobardorũ ſiue Romanorũ, qui in eodem loco degunt admonitione ſiue exhortatione nulla ratione ceſſetis, & maxime à gẽtilium & hæreticorũ, ut ad ueram, rectamq; fidem catholicam cõuertantur. Sic enim aut diuina miſericordia pro ſua eis forſitan conuerſione, & in hac uita ſubueniet, aut ſi eos migrare cõtigerit, à ſuis, q̃d & magis optandũ eſt, trãſient facinoribus abſoluti.

Gregorius clero, nobilibus, ordini & plebi cõſiſtentibus Neapoli. De epiſcopo eligendo. Cap. III

QVamuis ſpiritaliũ ſyncera deuotio filiorum Epiſt. 3 pro matre Eccleſia, nullius adhortationis indigeat, ne tamen ſe neglectam exiſtimet, epiſtolari debet alloquio prouocari. Propter quod dilectionẽ ueſtrã cõmonitione paternæ charitatis aggredior, ut profuſis lachrymis redemptori noſtro unanimiter gratias referatis, q ſub tã peruerſo doctore uos per auia gradiẽtes, ad iter rectũ perduxit, & tã indigni paſtoris crimina publicauit. Demetrius ſiquidẽ qui nec ante epiſcopus dici meruerat, tãtis ac talibus negocijs inuẽtus eſt inuolutus, ut ſi ſecũdũ ſuorũ qualitatẽ facinorũ iudicium ſine miſericordia recepiſſet, diuinis mũdanisq; legib. duriſſima ꝓculdubio fuerit morte plectẽdus.

Sed

Sed quia pœnitentiæ reseruatus, sacerdotij hono re priuatus est, Ecclesiam dei sine ductore diu uacare non patimur, quia & canonicis regulis est cõstitutũ, ut defuncto uel sublato pastore, diu sacerdotio priuari Ecclesia non debeat. Ideoq; charitatem uestram scriptis præsentibus admonemus, ut ad eligendum pontificẽ nec mora, nec discordia, quæ consueuit scandala generare, proueniat. Sed talem uobis cum omni sollicitudine personam exquirite, in qua & omnium adunata possit gaudere concordia, & sacris nullo modo canonibus reluctetur, quatenus officium quod nephãdissimus hominũ male gerendo polluerat, quisquis ille per dei gratiam fuerit ordinatus, ipso quoq; suffragante, digna ualeat administratione complere.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano. Præcipit uice sua esse super omnes Ecclesias Siciliæ. Caput IIII

Epist.4 MAndata cœlestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur. Proinde super cunctas Siciliæ Ecclesias reuerendissimũ uirum Maximianum fratrem & coepiscopum nostrum uices sedis apostolicæ ministrare decernimus, ut quisquis illic religionis habitu censetur, fraternitati tuæ ex nostra authoritate subiaceat, quatenus eis non sit necessarium post hæc pro paruulis ad nos causis tanta maris spatia transmeando peruenire: sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ iudicio nequaquam dirimi possint, hæc solummodo nostrum iudicium flagitent, ut subleuati de minimis, in causis maioribus efficacius occupemur. Quas uidelicet uices non loco, sed personæ tribuimus: quia ex transacta in te uita didicimus, quid etiam de subsequenti tua conuersatione præsumamus.

Mense Decembri. Indictione decima.

Gregorius Candido episcopo de Vrbe ueteri. De Calumnioso ægroto. Caput V

Epist.5 Cã.7.q.1 Cãpercussio CVm percussio corporalis imminet, utrũ pro purgatione, an pro uindicta cõtingat, dei in hoc iudiciũ ignoratẽ, et ideo nõ debet à nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ, q̃d absit, offensa respiciat. Et quia præsentiũ lator Calũnioſus pro hac percussione quam sustinet, consueta sibi commoda ab Ecclesia uestra asserit negari, idcirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda quę consueta sunt, hæc ægritudo debeat impedire: quia diuersis in Ecclesia militantibus, uaria, sicut nosti, sæpe cõtingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deteriti, nullus de cætero qui Ecclesiæ militet, poterit inueniri. Sed secundum loci eius ordinem quæq; ei si sanus esset poterant ministrari, de ipsa exiguitate quæ Ecclesiæ potest accedere, fraternitas tua diuini contemplatione iudicij ægrotanti præbere non desinat, quatenus in huius rei administratione ad eleemosynam potius uidearis quæ sunt consueta exoluendo conuertere.

Gregorius ordini & plebi consistenti Neapoli. De eligendo Paulo episcopo. Caput VI

Epist.6 QVale de Paulo fratre & coepiscopo nostro habeat charitas uestra iudiciũ, directa à uobis relatio patefecit. Quem quoniã ita estis in paucis diebus experti, ut eum cardinalem habere desideretis, episcopũ gratulamur. Sed quia summis in rebus citum non oportet esse consilium, & nos quid fiendũ sit, matura subinde Christo adiuante deliberatione disponimus, & uobis melius tractu temporis qualẽ se exhibeat innotescet. Ideoq; filij dilectissimi prædicto uiro si eum uerè diligitis, obedite, deuotisq; ad eum mentibus occurrione pacifica conuenite, quatenus ita uos ad alterutrum dilectio mutuæ charitatis astringat, ut inimicus sæuiendo circumuolans, in nullo uiam nanciscatur ad uestram dissociandam unanimitatẽ, qua subrepat. Præfatũ quoq; episcopum dum fructum animarũ quẽ desideramus deo nostro, ipso quoq; suffragante facere senserimus, quicquid post hæc de eius persona, uestroq; desiderio cordi nostro inspiratio diuina ministrauerit, faciemus.

Gregorius Paulo episcopo Neapolitano. De officio sacerdotali. Caput VII

SI sacerdotale quod suscepimus, securè ministramus officium, & diuinum adiutorium, & dilectio nobis spiritalium aderit sine dubio filiorum. Propterea ita se fraternitas tua in cunctis studeat exhibere, quatenus testimonium quod de ea Neapolitanæ ciuitatis clerus, nobilitas simul habet & populus, bonitatis tuę roboretur augmento. Sic ergo te in præfati populi adhortatione assidua debes occupatione constringere, ut uerbi tui fructum quem ex eis fueris operatus, in suis horreis diuinus condat agricola. Quousq; uero de ijs quæ à nobis prædicti filij nostri fienda postulant, reuelãte domino deliberare possimus, clericos ex laicis ordinari, necnon & manumissiones apud te in eadẽ Ecclesia solenniter celebrari concedimus. Consuetudines autem cleri suprascriptæ Ecclesię & presbyterorũ te uolumus sine cunctatione persoluere. In cuius etiã instructione ita diligẽter inuigila, quatenus ab incongruis uel illicitis omnibus abstinentes, in dei nostri seruitiũ digno obsecundationis ministerio te quoq; hortãte cõsistant.

Epist.7

Mense Ianuario. Indictione decima.

Gregorius Clero, ordini, & plebi cõsistenti Nepæ. De Leontio illuc transmisso, ut ei obediant. VIII

LEontio uiro clarissimo præsentium portitori curam sollicitudinemq; ciuitatis iniũximus, ut in cũctis inuigilans quæ ad utilitatem uestram, uel reipublicæ pertinere dinoscet, ipse disponat. Ideoq; dilectionem uestram scriptis præsentibus admonemus, quatenus ei exhibere obedientiam in omnibus debeatis, nec quisq; uestrũ eũ pro uestra utilitate tractantẽ existimet cõtemnendum, quia quisquis congruę ordinationi eius restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscet. Quicũq; uero eum in ijs quæ supra retulimus audierit, nos audiet. Si quis aũt, quod non credimus, eum post hanc admonitionẽ nostrã contemnendũ putauerit, ad suum proculdubio sciat pertinere periculũ.

Epist.8

Gregorius Castorio episcopo de Arimino. De oratorio sanctæ Crucis consecrando. Cap. IX

TImothea illustris fœmina petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis

Epist.9

ditis,intra ciuitatẽ Ariminensem in loco iuris sui oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorẽ sanctę crucis desiderat consecrari.Et ideo frater charissime si in tuæ ciuitatis iure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidẽ constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima,id est,totius facultatis eius excepta familia,prius mobilium uel immobilium,secą mouentium uncijs octo retẽto sibi usufructuario diebus uitæ suæ,gestiscą municipalibus alligatam,prędictum oratoriũ absq; missis publicis solenniter cõsecrabis, ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisteriũ construatur, nec presbyterũ constituas cardinalem. Et si missas forte maluerit fieri sibi à dilectione tua presbyterũ nouerit postulandũ, quatenus nihil aliàs à quolibet sacerdote alio nullatenus præsumatur.Sanctuaria uero susceptа sui cum reuerentia collocabis.

Gregorius Importuno episcopo.
Transmittit Dominicum presbyterum. Cap. X

Epist.10 EA quæ prouidè disponuntur, fraternitatem tuam credimus libẽter amplecti. Et quia Ecclesiã sanctæ Mariæ Campisonis in tua parochia positam,presbytero uacare cognouimus, præsentium portitorem Dominicum presbyterum in eadem Ecclesia ut præesse debeat, nos certũ est deputasse. Ideoq; fraternitas tua ei emolumẽta eiusdem Ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari, & decimæ fructus indictiõis, qui iam percepti sunt, prædicto uiro fac sine mora restitui, quatenus eiusdem Ecclesiæ utilitates cuius emolumenta cõsequitur,deo adiutore sollicitè ualeat procurare.

Gregorius Ioanni episcopo Vellitrano.
Præcipit in alium locum transmigrare. Cap. XI

Epist.11 TEmporis qualitas admonet,episcoporum sedes antiquitus certis ciuitatibus constitutas, ad alia quę securiora puramus eiusdem diocesεos loca transponere, quo & habitatores nũc degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare.Propterea te Ioãnem fratrem, coepiscopumq; nostrum Vellitrensis ciuitatis,sedemq; tuam in locum quem Harenata ad sanctũ Andreã apostolũ dicũt,præcipimus exinde transmigrari,quatenus & ab hostilitatis incursu liberior existere ualeas, & illic consuetudinum solennium festa disponas.

Gregorius Paulo episcopo.
Scribit de persona Petri. Caput XII

Epist.12 AD hoc fraternitatẽ tuam Neapolitanæ Ecclesiæ ad prẽsens præesse cõstitui,ut quosq; potuisses,suasoria ad deum prędicatione conuerteres. Et dum tota te oporteat hoc intentione peragere,priusquam hic domini fructum opereris,reuerti festinas,petisq; à me ut celeriter eandem debeam Ecclesiam ordinare, dum meus non sit animus in hac re ociosus. Sed quia utilitates eius summa cupio firmitate uallare, diuturna de hoc necesse habeo deliberatione tractare, ut eam digna possim ordinatione Christo reuelante disponere. Interea ergo fraternitas tua ita inuigilare animarũ lucris studeat,ut iudicium quod de te habeo,operationis tuæ roboretur effectu. De persona uero Petri diaconi quę scripsisti,omnia mihi Theodorus uir consularis nunc indicauit. Et ideo postq; tibi adhærere,& Ecclesiasticis cum utilitatibus,tua testificatione studere cognoui, nullius debet aduersitatem uel inimicitias formidare, sed quanto sibi alios inuidere perpendit, tanto uigilantius ut ei nihil nocere ualeant,in utilitatibus Ecclesiæ,& dei seruitio perseueret. Fraternitas autem tua pro eius persona post hoc nõ debet esse suspecta,quia apud me nulla subreptio locum inueniet.

Gregorius Paulino episcopo.
Liparitanam Ecclesiam sua authoritate cõmendat.
Caput XIII

Epist.13 SCire te uolumus,quia Maximiano fratri & coepiscopo nostro scripsimus, ut fraternitatem tuam Ecclesiæ Liparitanæ ex nostra authoritate præesse constituat. Cui te modis omnibus obedire necesse est,eiusq; te Ecclesiæ utilitatibus prędicimus decenter insistere, & quæq; eius cõmoditatibus cognoueris oportere, te uolumus sine cunctatione peragere. Ecclesiam uero Tauritanensem,quotiẽs opportunũ tẽpus cognoueris,uisitabis.Ita ergo fraternitas tua hæc omnia implere festinet,ut & sui prẽsentia Liparitanã salubriter disponat Ecclesiã,& uisitationis studio Tauritanensem Ecclesiam congregare & fouere non desinat.

Gregorius Natali episcopo Salonitano.
De Honorato archidiacono in locum suum restituendo. Caput XIIII

Epist.14 Parte 1 dist.44 Multis MVltis ab urbe tua ueniẽtibus frater charissime didici, pastorali cura derelicta, solis te conuiuijs occupatum. Quę audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimẽtis approbarem.Nam quia nequaq; lectioni studeas,nequaq; exhortationi inuigiles,sed ipsum quoq; usum Ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimoniũ, quòd eis sub quibus es positus,reuerentiam seruare nescis. Cùm enim sanctæ memoriæ decessoris mei fueris scriptis prohibitus, ne contra Honoratum archidiaconũ tuum dolorem tam longæ ingratitudinis in corde retineres, cumq; à me sæpe correptus fueris, & hæc tibi summopere fuerint interdicta,& mandata dei negligens,& scripta nostra contemnens, præfatum Honoratum archidiaconum tuum, quasi ad fortiorem honorem prouehens,conatus es callida arte degradare.Vnde actum est ut eo de archidiaconatus loco summoto, alium accersires, qui tuis moribus obtemperare potuisset, cùm præfatus uir pro nulla tibi re,ut arbitror,displicuit, nisi quòd uasa sacra & uelamina tuis te parentibus dare prohibebat.Quam causam subtili uoluimus & nunc ego,& tunc sanctæ memoriæ decessor meus indagatione discutere, sed tu tuorum tibi actuum conscius personam ad iudicium instructam transmittere distulisti. Proinde fraternitas tua uel post frequentatam totiens admonitionem à culpæ suæ errore resipiscat,& præfatum Honoratũ in suum mox,ut mea scripta susceperit, locum suscipiat. Quòd si forte facere distuleris, usum tibi pallij, qui ab hac sede conceſſus eſt, noueris esse sublatum. Si uero etiam amisso pallio in eadem pertinacia adhuc persistis, dominici corporis ac sanguinis te scias participatione

ticipatione esse priuatū. Post quæ iam necesse est ut causas tuas subtilius indagantes, an in episcopatu ipso persistere debeas, summa cura atq; inquisitione debeamus tractare. Eū enimuero qui cōtra iustitiæ regulam, in archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem archidiaconatus honore deponimus. Qui si ulterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione cōmunionis sacræ nouerit esse priuatū. Tu igitur frater charissime, nequaq; nos amplius prouoces, ne duros ualde in asperitate sentias, quos erga te positos in charitate contemnis. Restituto igitur loco suo Honorato archidiacono, instructam personam sub festinatione transmitte, qui mihi hoc debere ex ratione fieri suis possit allegationibus demonstrare. Eundem nanq; archidiaconem ad nos uenire decreuimus, ut quicquid iustum, quicquid omnipotenti deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed autore deo normam iustitiæ postposita cuiuslibet personæ acceptione custodimus.

Cā.7.q.1 Enimuero

Gregorius uniuersis episcopis per Dalmatiam constitutis. De Natali episcopo, & Honorato archidiacono. Caput XV

Epist.15

FRaternitatem uestram licet desideremus scriptis discurrentibus frequenter uisitare, tamen præterea cùm res exigit, utraq; cupimus negocij unius occasione persoluere, ut & fraternos de uisitatione releuemus animos, & quæ superueniūt, ne mentem possint ignorata cōfundere, subtilius explicemus. Frater itaq; noster Natalis Salonitanę ciuitatis episcopus, cùm Honoratū archidiaconem sedis suę ad ordinē presbyteratus uellet prouehere, ac deinceps ille ad sublimiorem gradum crescere declinaret, à sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione popposcerat, ne ad hunc ordinē inuitus accederet. Hoc enim fieri sibi non prouehendi gratia, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tūc iam sanctæ memoriæ decessor noster scripta Natali fratri coepiscopoq; nostro direxerat, interdicens ne prædictum Honoratum archidiaconē inuitum proueheret, neue dolorem conceptæ ingratitudinis in corde suo retineret. Cumq; & à nobis sæpe correptus fuerit, & hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solum mandata dei negligēs, sed & scripta nostra cōtemnens, præfatum archidiaconem, ut dicitur, contra morem quasi ad fortiorem honorē proueheus, conatus est callidè degradare. Vnde actum est ut eo de archidiaconatus loco submoto, alium adsciscere, qui in loco depositi archidiaconi ministraret. Quē scilicet Honoratū arbitramur antistiti suo propterea displicere potuisse, quòd eum uasa sacra suis dare parētibus prohibebat. Quam causam & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego subtili uoluimus indagatione discutere: sed is ipse sibi conscius, personam ad iudicium postposuit destinare, ne actuum eius discussa potuisset ueritas apparere. Nos itaq; tot iam scriptis admonitum, & hactenus pertinaciter obstinatū, scriptis iterū directis per præsentiū latorē curauimus admonendū, quatenus Honoratū archidiaconē coniungente statim præsentiū latore in prior loco susciperet. Qui iā obdurato adhuc corde contumaciter ad eundem reuocare gradum si forte postponeret, usu eum pallij, qui ab hac sede concessus est, pro contumacia tot uicibus admissa priuari præcipimus. Si uero etiā amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseuerauerit, à dominici quoq; corporis ac sanguinis participatione submoueri. Æ quū enim est ut asperos de iustitia sentiat, quos erga se positos in charitate contempsit. Nos itaq; nec nunc quidem à iustitiæ, quam præfatus antistes despexit, semita deuiamus, sed restituto in locum suum eo cuius nobis culpa minime patuit, præcipimus Natalē episcopū instructā ad nos debere dirigere personam, quæ rectā eius esse intentionē suis possit nobis allegationibus demōstrare. Nam & eundem archidiaconē uenire fecimus, ut quicquid iustū, quicquid omnipotēti deo placitū fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nullū nanq; pro personali amore defendimus, sed authore deo normam iustitiæ, postposita cuiuslibet acceptiōe personæ, custodimus.

Gregorius Antonino subdiacono. De Natali episcopo & Honorato archidiacono. Caput XVI

HOnoratus archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ à sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione popposcerat, ut ab antistite suo inuitus prouehi ad fortioris gradus ordinē contra morem nullatenus cogeret. Hoc enim fieri sibi non prouehendi gratia, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tūc iam sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali fratri coepiscopoq; nostro interdixerat, ne prædictum Honoratū archidiaconum inuitum proueheret, neue dolorem conceptæ ingratitudinis diutius in corde retineret. Cumq; & à nobis hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solum mandata dei negligēs, sed & scripta nostra contemnens, præfatum archidiaconum quasi ad fortiorem honorē prouehēs, conatus est arte callida degradare. Vnde actū est ut eo de archidiaconatus loco summoto, aliū adsciscet, qui eius obtemperare moribus potuisset. Quem Honoratum archidiaconū arbitramur antistiti suo aliunde displicere non potuisse, nisi q eum uasa sacra suis dare parentibus prohibebat.

Epist.16

Quam causam subtili uoluimus, & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego indagatione discutere, sed ipse suorum sibi actuum cōscius, personam ad iudicium postposuit destinare. Proinde experientiam tuam præsentis pręcepti autoritate duximus fulciendam, quatenus cōueniens in Salona, Natalem fratrem coepiscopumq; nostrum saltem tot scriptis admonitū studeat adhortari, ut supra memoratū archidiaconē in suo statim loco suscipiat. Quod si facere hoc contumaciter, ut consueuit, forte distulerit, usum ei pallij, qui ab hac sede cōcessus est, ex autoritate sedis apostolicę cōtradicito. Quē si etiā amisso pallio adhuc in eadem

Universidad de Deusto
Biblioteca

eadem pertinacia perſeuerare perſpexeris, domi- A
nici quoq; corporis ac ſanguinis eundem antiſti-
Cā.7.q.1 tem participatione priuabis. Eum uero qui cōtra
Eum iuſtitiæ regulā, in archidiaconatū alterius ſe pro-
uehi conſenſit, ab eiuſdem archidiaconatus hono
re deponi præcipimus. Quē, ſi ulterius in loco eo-
dem miniſtrare præſumpſerit, cōmunionis ſacræ
participatione priuamus. Æ quū enim eſt ut aſpe-
ros de iuſtitia ſentiat, quos erga ſe poſitos in cha-
ritate contempſit. Reſtituto ergo loco ſuo Hono
rato archidiacono, inſtructam perſonam ſupradi-
ctus antiſtes te compellente dirigat, quæ intentio
nem eius eſſe uel fuiſſe iuſtam, ſuis mihi allegatio
nibus poſſit demonſtrare. Sed & eundē archidia-
conum ad nos uenire præcipimus, ut quicquid iu
ſtum, quicquid omnipotenti deo placitum fuerit, B
cognitis aſſertionibus partium decernamus. Nos
enim nullū pro perſonali amore defendimus, ſed
authore deo normam iuſtitiæ poſtpoſita cuiusli-
bet acceptione perſonæ ſeruamus. Malchum ue-
ro fratrem coepiſcopumq; noſtrum curabis fide-
iuſſori committere, ut ad nos quantocyus ueniat,
quatenus omni mora ac dilatione poſtpoſita, a-
ctionum ſuarum expoſitis ratiocinijs, ad propria
cum ſecuritate ualeat remeare.

Gregorius Iobino epiſcopo Illyrici.
Plurimum gaudet, & de Natali epiſcopo loquitur.
Caput XVII

Epiſt.17 Licet ad reddenda paternæ charitatis officia,
hoſtilitate itineribus occupatis, raritas portito-
rum impediat, quotiens tamen occaſio incide- C
rit, excellentiam ueſtram non deſiſtimus ſcriptis
diſcurrentibus uiſitare, quatenus hos quorū aſpe-
ctum præſentiū uidere non poſſumus, eos aliqua-
tenus ſcriptis ualeamus alternātibus intueri. Gau
demus itaq; quòd eminentiæ ueſtræ regimine, af-
flictæ dominus uoluit prouinciæ cōſulere, ut quā
ex una parte flagello Barbaricæ uaſtationis ulce-
rat, hanc ex alia per eminētiam ueſtram, quaſi per
ſuperductam ſalutem curet. Largitam ergo uobis
dignitatem ex ſolo munere donantis attendite, &
ex ipſa conceſſi regiminis adminiſtratione condi
torem ueſtrum erga uos placabilem facite, quate-
nus cùm ipſe quod largitus eſt meritis bonorum
operum, ad ſuam uiderit gloriā reuocari, & in hac
uos uita clariores efficiat, & præmia uobis regni D
cœleſtis cōcedat. Præſentium igitur latorē quem
illuc pro ipſa exigui patrimonij adminiſtratione
direximus, ueſtræ excellentię cōmendamus. Nos
enim charitatis ueſtræ connexi uinculo, dominū
petimus, quo ſic actus ueſtros in hac uita dirigat,
ut ipſorum merito ad æterna uos regna perducat.
Natali autem fratri & coepiſcopo noſtro in nullo
gloria ueſtra opem cōtra iuſtitiam ferat: quia tan-
to neceſſe eſt ut canonicæ ultionis uindictā ſen-
tiat, quanto & ipſe regulam canonicam ignorat.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano.
De quodam presbytero digno ad epiſcopatū Ec-
cleſiæ. Caput XVIII

Epiſt.18 Felix uir conſularis, præſentium lator, edocuit
nos, eſſe quendam in illis partibus presbyte-

rum, qui ad epiſcopatus ordinem prouehi proba- A
tæ uitæ merito dignus appareat. Hunc ergo frater
nitas tua corā ſe deduci faciat, eumq;, ſicut certus
ſum, propter animæ periculum diligenter examī-
net. Quem ſi ad hunc gradum prouehi dignū eſſe
perſpexerit, ad nos ſtudeat deſtinare, ut eum diſ-
ponente deo loco cui præuiderimus, poſſimus or
dinare paſtorem. Præſentium uero latorem Feli-
cem uirum conſularem Chartularium, ſalua fra-
ternitatis tuæ iuſtitia, commendamus, quatenus
in ijs quæ iuſtè popoſcerit, fraternum inuenire
poſsit affectum.

Gregorius Benenato epiſcopo uiſitatori Cumanæ
Eccleſiæ. Viſitationem iniungit Cumanæ Eccle-
ſiæ. Caput XIX

QVoniam Cumanæ Eccleſię Liberius quon- B Epiſt.19
dam antiſtes de hac luce migraſſe cognoſci-
tur, propterea uiſitationis deſtitutæ Eccleſiæ fra-
ternitati tuæ operam ſolenniter delegamus, quam
ita te conuenit exhibere, ut nihil de prouectioni-
bus clericorum, redditu, ornatu, miniſterijſq;, uel
quicquid illud eſt, à quoquam præſumatur Eccle-
ſiæ. Et ideo charitas tua ad prædictam Eccleſiam
ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerū
plebemq; eiuſdē Eccleſiæ admonere te uolumus,
ut remoto ſtudio diuerſarū partiū, uno eodemq;
conſenſu talem ſibi præficiendum expetant facer
dotem, qui & tanto miniſterio dignus ualeat repe
riri, & à uenerandis canonibus nullatenus reſpua
tur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolēnitate de- C
creti, omnium ſubſcriptionibus roborati, dilectio
nis tuæ teſtimonio literarū ad nos ſacrandus oc-
currat. Cōmonemus etiam fraternitatem tuam, ut
nullum de altera eligi permittas Eccleſia, niſi for-
te inter clericos ipſius ciuitatis in qua uiſitationis
impendis officium, nullus ad epiſcopatū dignus,
quod euenire nō credimus, potuerit inueniri. Pro
uiſurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet cōuerſa-
tionis uel meriti laicæ perſonæ aſpirare preſumāt,
& tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras.

Gregorius Ioanni epiſcopo uiſitatori Nepeſinæ
Eccleſiæ. Viſitationem Nepeſinæ iniungit Ec-
cleſiæ. Caput XX

QVoniam Paulo fratri & coepiſcopo noſtro Epiſt.20
Neapolitanæ Eccleſiæ uiſitationis operam
iniūximus, idcirco fraternitas tua uiſitationē Ec- D
cleſiæ Nepeſinæ non deſinat aſſumere, quatenus
exigente paſchali feſtiuitate, quicquid ſacrorū ſo-
lennitas poſcit, te operante, modis omnibus im-
pleatur. Donec igitur quid de perſona prædicti
fratris & coepiſcopi noſtri agendum ſit, delibera-
re poſſumus, ita in cunctis te fraternitas tua ſoler-
tem uigilantemq; ſtudeat exhibere, ut prædictus
uir abſens nullo modo ſentiatur.

Gregorius Ruſticiano. De uiſitatione ſanctorum
locorum, & inſidijs Paſsiui. Caput XXI

EPiſtolam excellentiæ ueſtræ ſuſcipiens, uoti- Epiſt.21
uo ſum incolumitatis eius nuncio releuatus,
optans ut uitam actusq; ueſtros ſua dominus mi-
ſericordia proregat & diſponat. Valde autem mi-
ratus ſum, cur deliberatæ uiæ eundi ad loca ſancta
intentio-

intentionem, & uotum boni operis deflexistis, dum si quando bonum aliquod dono conditoris in corde concipitur, celeri necesse est deuotione compleri: ne dum callidus insidiator animum irretire nititur, subinde impedimēta suggerat, quibus ad effectum minime desideria sua mens occupationibus debilitata perducat. Vnde necesse est excellentiam uestram omnibus impedimentis pijs causis obuiantibus anteire, & ad fructum boni operis totis cordis nixibus inhiare, ut & in præsenti seculo tranquillè uiuere, & in futuro cœleste regnum ualeat possidere. Illud autem quod scripsistis: Passiuum contra uos aliquas molitū fuisse calumnias, pijssimos uero imperatores non solum libenter non audisse, sed etiam asperè suscepisse, cuius hoc fuerit donum perpēdite, & ad eum qui hominibus in hoc seculo ne quantum appetunt nocere ualeant, potenter obuiat, totam spem mentis inflectite: quatenus prauas hominum uoluntates brachij sui oppositione reuerberet, conatusq; eorum ut consueuit misericorditer ipse confringat. Glorioſum domnum Appionem, & domnam Eusebiam, domnum Eudoxium, & domnam Gregoriam mea per uos deprecor uice salutari.

Gregorius Ioanni episcopo Rauennati.
Cōmēdat episcopos longè à se positos. Cap. XXII

Epist.22 DOminicis mandatis præcipimur proximos sicut nosmetipsos diligere, eorumq; languoribus tanq; proprijs infirmitatibus cōdolere. Quorum memor fraternitas uestra cōpetenti sibi more Castorium fratrem coepiscopumq; nostrum, & prius compassione habita studuit uisitare, & postmodum pro excrescēti molestia corporis Rauennati in urbe suscipere. Vnde non solū nos impensæ charitatis, sed & deum uobis fecistis proculdubio debitorē, cui in fratris infirmitate condoluisse probamini, ipsumq; ægrum in sui membri molestia, non solum uisitasse, sed etiam suscepisse. Quē quidem ipse pro sua simplicitate illic ordinare omnimode renuebam, sed petentium importunitas fecit, ut contradicere nullatenus potuissem. Si autem fieri potest, multum mihi & ipsi consuletis, si eum ad me per Siciliam transmittatis, si tamen ei graue non esse perpenditis. De episcopis uero ad nos pertinentibus, qui tamē huc pro interpositione hostium uenire non possunt, curam uestra fraternitas gerat. Ita tamen ut pro causis suis ad Rauennatem urbem nullatenus reuocentur, ne eos hoc tempore uexare aut fatigare in aliquo uideamur. Sed si qua sunt quæ in eis uideantur iustè reprehendi, debent semper per fraternitatis uestræ epistolas admoneri. Sin uero, quod absit, aliqua grauiora contigerint, hæc ad nos subtiliter referre uos uolumus, ut inquisitionis uestræ testimonio roborati, quæ legibus canonibusq; conueniunt, salubri, iuuante domino, consilio disponamus.

Mense Iulio. Indictione decima.
Gregorius Iustino presbytero.
De Leone episcopo suscipiendo. Cap. XXIII

Epist.23 Habet dist.95 HAbet hoc proprium antiqui hostis inuidia, ut quos in prauorū actuum perpetratione, deo sibi resistente, deijcere non ualet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre et coepiscopo nostro siniſter rumor asperſit, utrum uera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri, & nullam in eō de ijs quæ dicta fuerant, culpam inuenimus. Sed ne quid uidereī omissum, quod nostro potuisset dubium cordi remanere, ad beati Petri sacratissimū corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. Quibus præstitis, magna sumus exultatione gauisi, quòd huiuscemodi experimēto innocētia eius euidenter enituit. Pro qua re gloria uestra prædictum uirum cum omni charitate suscipiat, & reuerentiam ei, qualem sacerdoti decet, exhibeat: nec aliqua in cordib. remaneat de ijs quæ sunt iam purgata, dubietas. Sed ita suprascripto uos episcopo deuotissime oportet in omnibus adhærere, ut congrue decēterq; deum in eius persona, cuius minister est, uideamini honorare.

Gregorius Eusebio abbati.
De contentione inter ipsum & Maximianum episcopum. Caput XXIIII

CRedat mihi charitas tua, quia ualde contristatus sum de tristitia tua, ac si in te iniuriam ipse pertulissem. Sed postmodū agnoui, quia etiā reddente reuerendissimo uiro fratre & coepiscopo nostro Maximiano gratiam atq; cōmunionē, tua dilectio ab eo cōmunicare nolebat. Cognoui & illud prius iustum fuisse quod factum est. Seruorum dei humilitas in afflictionis tēpore debet apparere. Qui uero se contra prępositos suos erigūt, profecto ostendunt quia serui dei esse contemnunt. Et quidem ab illo hoc quod factum est, minime fieri debuit, à te tamen omnino debuit diligenter suscipi, & rursum cum gratiā reddebat, ad eum cum gratiarū actione debuit occurri. Quod quia ita à te factum non est, adhuc cognosco quia nobis omnino lachrymarum opus est. Non enim grande est ijs nos esse humiles, à quibus honoramur: quia & hoc seculares quilibet faciunt. Sed illis maxime humiles esse debemus, à quibus aliqua patimur, nam Psalmista dicit. Vide humilitatem meā de inimicis meis. Nos cuius uitæ sumus, qui humiles esse etiam patribus nolumus? Proinde dilectissime fili rogo, ut omnis amaritudo de corde tuo trāseat, ne fortasse finis uicinus sit, & antiquus hostis per iniquitatē discordiæ, uiam regni cœlestis intercludat. Propterea centū solidos per Petrum subdiaconū dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto ut absq; iniuria sui suscipiat.

Epist.24

Psal.9

Gregorius Ioanni episcopo Squilatino.
Visitationem cuiusdam iniungit Ecclesiæ. XXV

PAstoralis officij cura nos admonet destitutis Ecclesiis proprios cōstituere sacerdotes, qui gregem dominicum debeant sollicite gubernare. Propterea te Ioannem ab hostibus captiuatū Lisitanæ ciuitatis episcopum in Squilatina Ecclesia cardinalem duximus necesse constituere sacerdotem, ut susceptā semel animarū curam, intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet à tua Eccle-

Epist.25 Cā.7.q.1 Pastoral.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſis hoſte imminente depulſus, aliam quæ paſtore A
uacat, Eccleſiam debes gubernare, ita tamen ut ſi
ciuitatem illam ab hoſtibus liberam effici, & do-
mino protegente ad priorem ſtatum cõtigerit re-
uocari, in eam in qua prius ordinatus es, Eccleſiã
reuertaris. Sin autẽ prædicta ciuitas continua ca-
ptiuitatis calamitate premitur, in hac in qua à no-
bis ordinatus es uel incardinatus Eccleſia debeas
diſt.34 permanere. Præcipimus autem ne unquam illi-
præcipi- citas ordinationes facias. Ne bigamũ, aut qui uir-
mus ginem non eſt ſortitus uxorem, aut ignorantẽ lite
ras, uel in qualibet parte corporis uitiatũ, uel pœ-
nitẽtiæ, uel curiæ, uel cuilibet cõditioni obnoxiũ,
ad ſacros ordines permittas accedere. Sed ſi quos
huiuſmodi repereris, non audeas promouere. A-
phros paſsim, uel incognitos peregrinos, ad Ec- B
cleſiaſticos ordines tendentes, nulla ratione ſuſci-
pias: quia Aphri quidem aliqui Manichæi, aliqui
rebaptizati: peregrini uero plurimi etiã in mino-
ribus ordinibus conſtituti, ad fortiores prętendiſ-
ſe honores ſæpe probati ſunt. Admonemus etiam
fraternitatem tuam, ut in cõmiſsis ſibi animabus
ſolerter inuigilet, & animarũ magis lucris quàm
cõmodis uitæ præſentis intendat. In continendis
aut diſponendis rebus Eccleſiæ diligens inſiſtat,
ut omni ex parte ſuſceptum dignè te geſſiſſe paſ-
toris officiũ uenturus iudex cùm ad iudicandum
uenerit, debeat approbare.

Gregorius Ioanni epiſcopo Squilatino.
Ad idem admonet, ut ſupra. Caput XXVI

Epiſt.26 OBitum Paulini Tauriatinenſis Eccleſiæ, ſed C
& illius Turritanæ Eccleſiæ antiſtitum, di-
recta relatio patefecit. Quapropter uiſitationis
deſtitutarum Eccleſiarũ fraternitati tuæ operam
ſolenniter delegamus, quam ita te conuenit exhi-
bere, ut nihil de prouectionibus clericorum, red-
ditu, ornatu, miniſterijſq;, uel quicquid illud eſt,
in patrimonio eiuſdem à quoq; pręſumatur Eccle
ſiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictas Eccleſias
ire properet, & aſsiduis adhortationibus clerum
plebemq; earundem Eccleſiarum admonere feſti
net, ut remoto ſtudio uno eodemq; cõſenſu talem
ſibi præficiendum expetant ſacerdotẽ, qui & tan-
to miniſterio dignus ualeat reperiri, & à uenerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fue
rit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omniũ ſub D
ſcriptionibus roborati, & directionis tuæ teſtimo
nio literarum ad nos ueniat conſecrandus. Cõmo
nentes etiam fraternitatem tuam, ut nullum de al-
tera eligi permittas Eccleſia, niſi forte inter cleri-
cos earundem ciuitatum in quibus uiſitationis im
pendis officiũ, nullus ad epiſcopatũ dignus, quod
euenire non credimus, poterit inueniri: Prouiſu-
rus ante omnia ne ad hoc cuiuslibet conuerſatio-
nis uel meriti laicæ perſonæ aſpirare præſumant,
& tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras.
Monaſteria autem ſi qua ſunt in ipſius parochia
conſtituta, ſub tua cura diſponito, neq; quouſq; il-
lic prius fuerit epiſcopus ordinatus eſſe concedi-
mus, ut ſollicitudinis tuę uigilantia, propoſito ſuo
congrua deo iuuante actione reſpondeat.

Gregorius Ioanni, clero, ordini & plebi conſiſten-
ti Crotonæ. De Ioanne uiſitatore eiuſdem Eccle
ſiæ. Caput XXVII

VEſtri antiſtitis obitum cognoſcentes, curæ Epiſt.27
nobis fuit, deſtitutæ Eccleſiæ uiſitationem
fratri & coepiſcopo noſtro Ioanni ſolenniter dele
gare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de proue-
ctionibus clericorũ, redditu, ornatu, miniſterijſq;
à quoquam uſurpari patiatur. Cuius uos aſſiduis
adhortationibus conuenit obedire, quatenus in
Eccleſiaſtico obſequio ſacerdos exquiratur, qui à
uenerãdis canonibus nulla diſcrepet ratione. Qui
dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti o-
mniũ ſubſcriptionibus roborati, & uiſitatoris pa-
gina proſequente, ad nos ueniat ordinandus. Pro
uiſuri ante omnia, ne cuiuslibet uitæ uel meriti lai
cam perſonã præſumatis eligere. Nam nõ ſolum
talem ad epiſcopatus apicem nulla ratione proue
hendũ, uerum etiã uos nullis interceſſionibus ue
niã promereri poſſe cognoſcite, ſed omnes quos
ex uobis de laica perſona aſpiraſſe contigerit, ab
officio & à cõmunione alienos faciendos procul-
dubio noueritis.

Gregorius Ioanni epiſcopo Rauennati.
De Viulando & Gauiniano diacono. XXVIII

IVrgantium controuerſias celeri ſententia ter- Epiſt.28
minare, & æquitati proculdubio cõuenit & ui-
gori. Quia ergo Viulandus præſentium lator, fra-
ternitatis tuæ cognitionem implorat, diaconẽ Ga
uinianum contra quem ſe habere cauſam com-
memorat, fraternitas tua ad ſuum faciat accerſiri
iudicium, & amota dilatione, cauſæ ueritatem ſub
tili inquiſitione diſcutiat, & quæcunq; iuſtitiæ or-
do dictauerit, ac tua fuerit ſententia definitum,
& obſeruare & implere partes modis omnibus
compellantur.

Gregorius Felici epiſcopo de Acropoli.
Viſitationem Velinæ, Vixentinæ, & Blandanæ in-
iungit Eccleſiarum. Caput XXIX

QVoniam Velina, Vixentina, & Blandana Epiſt.29
Eccleſiæ, quæ tibi in uicino ſunt conſtitutæ,
ſacerdotis noſcuntur uacare regimine, propterea
fraternitati tuæ earum ſolenniter operam uiſita-
tionis iniunximus, illud præ omnibus cõmonen-
tes, ut ubi prędictarum Eccleſiarum ſiue dioceſeos
earum, uel diacones, ſiue religioſæ perſonæ inuen
tæ fuerint, diſtrictè canonicèq; ut uiuant, modis
omnibus admonere ſtudebis. Nec paſſim eis in
qualibet re ſit excedendi licentia, ſed tuo mode-
ramine atq; prouiſione inculpabiliter in qua ſunt
conuerſatione uel habitu perſeuerent, Sciturus ſi
quid ſecus acceſſerit, tuo neglectui modis omni-
bus imputari. Presbyteros quoq; uel diacones, ſi
in aliquibus Eccleſiis præuidebis ordinandos, ſi
tales perſonæ fuerint quæ canonicis regulis mo-
rum uel uitæ qualitate nullo modo reprobentur, habebis per omnia ordinandi licentiam. Mi-
niſteria uero earundem Eccleſiarum ubi ſint re-
condita, ſollicita indagatione perquire, quibus
repertis ad noſtram notionem perducere feſtina-
to, ut cognoſcentes quid fiendum ſit, adiutore do
mino diſponamus.

Gregorius

Gregorius Lucillo episcopo de Mellita.
De clericis terras Aphricanæ Ecclesiæ tenentibus. Cap. XXX

Epist.30 OFficij nostri decet ualde propositum, subiectis magnopere suadere, ut rebus debeant seruare fidem in placitis: ne dum inconsiderate lucrandi rapiuntur studio, pacificam uertant cõuentionem in iurgium. Peruenit itaq; ad nos, fraternitatis tuę clericos, terras Aphricanæ tenentes Ecclesię, quòd pensionem earundem possessionum dare contemnant. Quod si uerũ est, & ad fraternitatis tuæ hæc sunt perlata notitiã, tua in hoc desidia eorũ culpa nutrita est. Ob quã rem scriptis te præsentib. admonemus: quatenus ad persoluendam pensionem nulla mora, nullaq; excusatione eosdem clericos uti permittas. Sed si fidem, honestatis contemplatione seruare postponunt, tua districtione compulsi, quæ rationi conueniunt, cogant implere. Nã si huius rei ad nos denuo querela recurrerit, & de te aliam æstimationem habere incipiemus, & in illos ut dignũ est uindicabimus.

Gregorius Benenato episcopo.
Cumanam & Musitanam unitas præcipit esse Ecclesias. Caput XXXI

Epist.31 Cl.6.q.1 Extipons ET tẽporis qualitas, & uicinitas nos locorum inuitat, ut Cumanam atq; Musitanam unire debeamus Ecclesias: quoniam hæ non longo à se itineris spatio seiunctæ sunt, nec peccatis facientibus tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum uitæ huius expleuit, utrasq; nos Ecclesias præsentis authoritatis pagina unisse, tibiq; cõmisisse cognosce, proprium q; utrarumq; Ecclesiarum scito te esse pontificem. Et ideo te quæcunq; tibi de earum patrimonio, uel cleri ordinatione siue promotione, iuxta canonum statuta uisa fuerint ordinare atq; disponere, habebis, ut proprius reuera sacerdos, liberã ex nostræ authoritatis consensu atq; permissione licentiã. Vbi uero cõmodius atq; utilius esse perspexeris, ibi habitato, ita sanè ut alterã Ecclesiam cui corporaliter præsens nõ es, sollicita prouidentiq; cura disponas: quatenus diuina illic mysteria solenniter auxiliante domino peragantur. Fraternitas ergo tua tanto in adhortatione populi, lucrandisq; animabus sollicitiori cura semper inuigilet, quanto se unitarum Ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit.

Gregorius Ioanni episcopo Rauennæ.
De Arnulpho. De episcopis Hystriæ. De baptizatis non rebaptizandis. Et de ordinatis non reordinãdis. Aliaq; q̃ plura. Cap. XXXII

Epist.32 QVòd scriptis uestræ beatitudinis minime respondi, non hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, eo tempore quo Arnulphus ad Romanã urbẽ ueniens, alios occidit, alios detrũcauit, tanta mœstitia affectus sum, ut in colicam molestiã caderem. Valde aũt mirabar quid esset q̃ illa mihi notissima sollicitudo uestræ sanctitatis huic urbi meisq; necessitatibus minimè prodesset, sed scriptis uestris discurrentibus, agnoui uos quidem sollicite agere, cul-

A pamq; non habere. Peccatis ergo hoc meis reputo: quia iste qui nũc intereſt, & repugnare contra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pacem uetat, quamuis iam modo, etiã si uelit facere, omnino nõ possumus: quia Arnulphus exercitũ Acturith & Nordulphi habens, eorum sibi dari precaria desiderat, ut nobiscum aliquid loqui de pace dignetur. De causa uero episcoporum Hystriæ omnia quæ mihi uestra fraternitas scripsit, ita esse iam ante deprehendi in ijs iussionibus, quę ad me à pijssimis principibus uenerũt: quatenus me interim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro ijs quæ scripsistis, zelo atq; ardori uestro ualde cõgaudeo, debitoremq; me uobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen quia de
B eadem re serenissimis dominis cum summo zelo dei & libertate rescribere non cessabo. Mouere autem uos non debet præfati excellentissimi uiri Romani Patricij animositas, quia nos quãto eum loco & ordine præimus, tanto si qua sunt eius læuia, tolerare maturè & grauiter debemus. Si quando tamen est aliqua cum eo locus obtinendi, agat apud eum fraternitas uestra, ut pacẽ cum Arnulpho, si ad aliquid parum possumus, faciamus: quia miles de Romana urbe ablatus est, sicut ipse nouit. Theodosiani uerò qui hic remanserũt, togam non accipientes uix ad murorum custodiam se accõmodant: & destituta ab omnibus ciuitas, si pacem non habet, quomodo subsistet? Præterea de puella de qua scripsistis nobis, quæ de captiuitate
C redẽpta est, uolo ut requirat sanctitas uestra qualiter orta sit, quia ignota persona non facile inuestigari potest. Illud autem quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur: ualde ridiculum est & ab ingenij uestri consideratione extraneum: ni si forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicandus est qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem à fraternitate uestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem iterũ ordine non debet cõsecrari. Sed si quis forsitan cum leui culpa ad sacerdotium uenit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen ordo seruari. De Neapolitana uero urbe excellentissimo
D uiro exarcho instanter imminente uobis indicamus: quia à Rhegijs, ut cognouimus, cum Arnulpho se fecit, & reipublicæ contra fidem uenit, & ualde insidiatus est eidem ciuitati, in quam si celeriter dux non mittatur, omnino iam inter perditas habetur. De hoc quòd dicitis incensæ ciuitati Seueri schismatici eleemosynam esse mittendam, idcirco uestra fraternitas sentit, quia quæ contra nos præmia in palatium mittat, ignorat. Quæ & si non transmitteret nobis, cõsiderandum fuit quia misericordia prius fidelibus, ac postea Ecclesiæ hostibus est facienda. Iuxta quippe est ciuitas Phanum, in qua multi captiuati sunt, ad quã ego iam transacto anno trãsmittere uolui, sed inter hostes medios non præsumpsi. Videt ergo mihi ut Claudium abbatẽ cum aliquanta pecunia ibi transmittere debeatis, & liberos quos illic pro precio suo

in ſeruitio teneri inuenerit, uel ſi qui adhuc ſunt captiui, redimat. De ſumma uero eiuſdē pecuniæ tranſmittēda, uobis certum ſit, quia quicquid uos decernitis, mihi placet. Sin autem cum excellentiſſimo uiro Romano Patritio agitis ut pacem facere cum Arnulpho debeamus, ego ad uos perſonam aliā tranſmittere paratus ſum, cum qua mercedis cauſę melius fiant. De fratre autem & coepiſcopo noſtro Natali ualde contriſtabar: quòd de illo quædam ſuperba cognoueram. Sed quia mores ſuos ipſe correxit, meam triſtitiam ſimul meipſum uincendo conſolatus eſt. Pro qua re fratrem & coepiſcopū noſtrū Malchū admone, ut priuſq; ad nos ueniat, ei rationes ſuas ponat, & tunc demum alibi ubi neceſſe eſt proficiſcatur. Et ſi eius actus bonos cognoſcimus, ei fortaſſe ubi neceſſe eſt ut hoc ipſū patrimoniū q̄d tenuit, reſtituamus.

Gregorius Columbo epiſcopo Numidiæ.
De hæreſi Donatiſtarum. Et de cura paſtorali.
Caput XXXIII

Epiſt. 33

NOtum eſt chariſsime in Chriſto frater, quòd antiquus hoſtis qui primum hominē de paradiſi delicijs in hanc ęrumnoſam uitā callida perſuaſione depoſuit, & in eo iam tunc humano genere pœnam mortalitatis inflixit, eadem calliditate nunc ouium dominicarum paſtores, quo facilius gregem capiat, transfuſis conetur uenenis inficere, & iure iam poteſtati propriæ uendicare. Sed nos qui, licet immeriti, ſedem Apoſtolicam uice Petri Apoſtolorum principis ſuſcepimus gubernandam, ipſo pontificatus officio cogimur generali hoſti quibus ualemus niſibus obuiare. Porrecta igitur petitione inſinuauerunt nobis præſentium latores, Conſtantius & Muſtellus, ut aſſerūt Eccleſiæ Pudentianæ diacones in Numidia prouincia conſtitutæ: Maximianū eiuſdem Eccleſiæ antiſtitem in loco quo degit, corruptum præmio Donatiſtarum, epiſcopum noua licentia fieri permiſiſſe, cùm & ſi hoc anterior uſus permitteret, manere atq; perſiſtere fides catholica prohiberet. Ob hoc ergo fraternitatē tuam ſcriptis præſentibus neceſſariò duximus adhortandam, ut uenien te ad te Hilario chartulario noſtro, adunato epiſcoporū uniuerſali concilio, habito præ oculis terrore uenturi iudicis, cauſa eadem ſubtili ac ſolerti debeat indagatione perquiri. Et ſi capitulum hoc à præſentium latoribus prædicto epiſcopo documentis idoneis fuerit approbatū, à dignitate officioq; quo fungitur, modis omnibus degradetur, ut & ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, & cæteri tentare talia non præſumāt. Æquū enim eſt ut qui leſum Chriſtū dominū noſtrū hæretico accepta pecunia uenundedit, ut fertur, ab eius uidelicet ſacroſancti corporis ac ſanguinis tractandis myſterijs ſubmoueatur. Si qua autē inter eos extra crimen hoc damnorū quorundam uel priuatorū negociorū, ſicuti petitio diaconorū ipſorū continet, uerſatur intentio, hanc tua fraternitas cum prædicto chartulario noſtro priuata cognitione perquirat, & inter utrāq; partem iuſtitia præcedente definiat. Porrò autem præſentium latorū inſinuatione didicimus, Donatiſtarū hæreſim pro peccatis noſtris quotidie dilatari, & ualde plures data per uenalitatē licentia, poſt catholicum baptiſma à Donatiſtis denuo baptizari. Quod q̄ graue ſit frater, oportet nos tota mentis intentione perpendere. Ecce lupus dominicū gregem non iam in nocte latenter, ſed in aperta luce dilaniat, & nos eum graſſari in ouium nece cernimus, & nulla ei ſollicitudine, nullis uerborū iaculis obuiamus. Quos ergo fructus domino multiplicati gregis oſtendemus, ſi & ipſum quem paſcendum ſuſcepimus, ocioſa mente cernimus à beſtia deuorari? Studeamus igitur cor noſtrū terrenorū paſtorū imitatione ſuccendere, qui hyemales noctes, imbribus geluq; conſtricti ducunt ſæpe peruigiles, ne uel una ouis, & non forte utilis pereat. Quam & ſi inſidiator ore uoraci momorderit, quomodo ſatagunt, quibus cordis anhelant æſtibus, in quas uoces ut eruant captum pecus anguſtia ſtimulante proſiliunt, ne à gregis domino quicquid per incuriā perdiderint, exigatur? Vigilemus ergo ne quid pereat, aut ſi captū forte quid fuerit, uocibus diuinorū eloquiorū ad gregē dominicū reducamus, ut ille qui paſtor paſtorū eſt, uigilaſſe nos circa gregē ſuū ſuo dignetur iudicio cōprobare. Hoc quoq; uos neceſſe eſt ſolerter attendere, ut ſi qua contra latores præſentiū eiuſdē epiſcopi recta fuerit petitio, ſubtili debeat indagatiōe perquiri, & ſi fortaſſe ipſi quoq; pro ſua culpa iure feriēdi ſunt, nequaq; cēſemus eſſe parcēdum.

Menſe Auguſto. Indictione decima.
Gregorius Ianuario epiſcopo Caralitanenſi.
Inter alia ſcribit de Iſidoro ſine cauſa excommunicato. Caput XXXIIII

SI ſacerdotale quod adminiſtramus officium Epiſt. 34
mētis integritate penſemus, ſic nos cum filijs noſtris debet unire cōcordia, ut ſicut patres in nomine, ita affectu probemur in opere. Dum ergo tales nos eſſe quales præfati ſumus oporteat, miramur cur aduerſus fraternitatē tuā tanta querimoniarum moles exorta eſt. Quod quidē nos adhuc credere dubitamus. Sed ut ueritatem ualeamus agnoſcere, Ioannem ſedis noſtræ notarium noſtra illic præceptione ſuffultum direximus, qui partes in electorū compellat adeſſe iudicio, & ſua ad effectum executione quæ fuerint iudicata perducat. Quocirca fraternitatē tuam ſcriptis præſentibus adhortamur, ut cauſarū apud ſe antè debeat merita pertractare. Et ſi qua ſe iniuſtè tuliſſe uel habere cognoſcit, ante iudicium ſacerdotij contemplatione reſtituat. Inter querelas autem multiplices: Iſidorus uir clariſsimus à fraternitate tua fruſtra ſe excōmunicatum anathematizatumq; conqueſtus eſt. Quod ob quam rem factū fuerit, dum à clerico tuo qui præſens erat, uoluiſſemus addiſcere, pro nulla alia cauſa, niſi pro eo quòd te iniuriauerat, factū innotuit. Quæ res nos uehementer affligit. Quod ſi ita eſt, nil te oſtendis de cœleſtibus cogitare, ſed terrenā te conuerſationē habere ſignificas, dū pro uindicta propriæ iniuriæ, quod ſacris regulis prohibetur, maledictionē anathe-

matis

matis inuexisti. Vnde de cætero omnino esto circumspectus atq; sollicitus, & talia cuiquã pro defensione propriæ iniuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea uindicandum.

Gregorius Ioanni episcopo.
Treuerensium Ecclesiam suæ Ecclesiæ uniri præcipit. Caput XXXV

Epist.35 Cl.16.q.1 Postq̃ POstq̃ hostilis impietas diuersarũ ciuitatũ, ita peccatis facientibus desolauit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit, maiori ualde cura constringimur, ne defunctis earum sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernãte per inuia fidei, hostis callidi rapiantur, quod absit, insidijs. Huius ergo rei sollicitudine sæpe cõmoti, hoc nostro cordi sedit consilium, ut uicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoq; fraternitati tuæ curam gubernationemq; Treuerensium Ecclesię prouidimus cõmittendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari unirique necesse est: quatenus utrarunq; Ecclesiarum sacerdos recte Christo adiutore possis existere. Quæq; tibi de eius patrimonio, uel cleri ordinatione seu promotione, uigilanti ac canonica uisa fuerint cura disponere, quippe ut pontifex proprius, liberam habeas ex nostra præsenti permissione licẽtiam. Quapropter frater charissime dominicorum reminiscens salubriter mandatorum: ita in cõmissę plebis regimine lucrandis animabus inuigila, ut ante tribunal æterni iudicis cõstitutus, fructum bonæ operationis, quod ad mercedem tuam pertineat, eidem redemptori nostro, in quo lætari possis, exhibeas.

Gregorius uniuersis episcopis per Hyberniam.
De causa trium capitulorum. Cap. XXXVI

Epiũ.36 SCripta uestra summa cum gratulatione suscepi, sed erit in me uberior ualde lætitia, si mihi de uestra contigerit reuersione gaudere. Prima itaq; epistolæ uestræ frons, grauem uos pati persecutionẽ innotuit. Quę quidẽ persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequaq̃ proficit ad salutem. Nam nulli phas est retributionẽ prẽmiorũ expectare pro culpa. Debetis enim scire sicut beatus Cyprianus dixit: quia martyrem non facit pœna, sed causa. Dum igitur ita sit, incongruũ nimis est de ea uos quam dicitis persecutione gloriari, per quam uos constat ad æterna præmia minimè prouehi. Reducat ergo charitatẽ uestrã tandẽ integritas fidei ad matrẽ quæ uos generauit Ecclesiam, nulla uos animorũ intentio à concordiæ unitate dissocìet, nulla persuasio repetendo uos à recto itinere defatiget. Nam in synodo, in qua de tribus capitulis actũ est, apertò liquet nihil de fide conuulsum esse, uel aliquatenus immutatũ, sed sicut scitis, de quibusdã illic solũmodo personis est actitatũ, quarũ una, cuius scripta euidenter à rectitudine catholicæ fidei deuiabãt, non iniustè damnata est. Quod autẽ scribitis quia ex illo tempore inter alias prouincias maximè flagelletur Italia, non hoc ad eius debetis intorquere opprobrium, Hebr.12 quoniã scriptũ est: Quẽ diligit dominus, castigat: flagellat omnẽ filiũ quẽ recipit. Si igitur ita est ut dicitis, ex eo tempore magis dilecta est apud deũ, & modis omnibus approbata, ex quo domini sui meruit sustinere flagella. Quia uero nõ ita sit quẽadmodũ uos in eius insultatione affirmare conamini, rationẽ attendite. Postq̃ recordandæ memoriæ Virgilius papa in urbe regia constitutus, contra Theodorã tunc augustã & acephalos damnationis promulgauit sententiã, tunc Romana urbs ab hostibus adita & captiuata est. Ergo bonã causam habuerunt acephali, & iniustè damnati sunt, post quorũ damnationẽ talia contigerunt? Absit. Hoc enim nec nostrũ quempiam nec alios qui catholicę fidei mysterijs instituti sunt, dicere uel aliquo modo confiteri conuenit. His denicq; cognitis, ab hac quandoq; iam deliberatione recedite. Vt igitur de tribus capitulis animis uestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius papa scripserat, uobis utile iudicaui transmittere. Quẽ si posito uoluntarię defensionis studio, puro uigilantiq; corde sæpius uolueritis relegere, eum uos per omnia secuturos, & ad unitatẽ uestrã reuersuros nihilominus esse confido. Porrò aũt si post huius libri lectionẽ in ea qua estis, uolueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi uos dare monstratis. Vnde iterũ habita locutione charitatem uestrã admoneo, ut quoniã deo suffragãte fidei nostræ integritas in causa trium capitulorum inuiolata permansit, mentis tumore depositò, tanto citius ad matrem uestram, quæ filios suos expectat & inuitat, Ecclesiam redeatis, quanto uos ab ea quotidie expectari cognoscitis.

Gregorius Natali episcopo Salonitano.
De conuiuijs iustis & iniustis. Et de Honorato archidiacono. Cap. XXXVII

Epist.37 QVasi oblita præcedentiũ scriptorũ serie, sola uestræ beatitudini quæ ad dulcedinẽ pertinerẽt, loqui decreuerã, sed dum uestra epistola ad priora scripta ratiocinando reuocat, iterum forsitan quędã quæ minus libeant, narrare cõpellor. In conuiuiorũ etenim defensionẽ uestra fraternitas Abrahæ conuiuium memorat, in quo, teste sacro eloquio, tres angelos suscepisse perhibetur. Sed hoc exemplo neq; nos beatitudinẽ uestrã de conuiuio reprehendimus, si hanc suscipere angelos in hospitalitate cognoscimus. Rursum narrat Isaac satiatũ benedictionẽ filio dedisse. Quæ utraq; ueteris testamenti quia ita sunt gesta per historiã, ut tamen signarent aliquid per allegoriã, utinam ualeamus sic res gestas legẽdo percurrere, ut possimus etiã gerendas præuidendo sentire. Ille quippe in tribus angelis unũ salutans, trinitatis subsistentias unius substantiæ esse declarauit. Iste uero satiatus benedixit filiũ, quia qui diuinis epulis repletur, illius sensus in prophetiæ uirtutẽ tenditur. Diuinæ autẽ epulæ sacri eloquij uerba sunt. Si igitur assiduè legitis, si exemplũ ab exterioribus trahentes, interna penetratis, quasi de agri uenatione satiati, mẽtis uentrẽ repletis, ut antepositò filio, susceptò

uidelicet populo, possitis uentura nunciare. Sed iam in hoc seculo caligat qui de deo aliquid prophetat: quia profecto dignū est, ut hic iam per cōcupiscentiam minus uideat, cuius sensus per allegoriam intus coruscat. Hæc ergo ad uosmetipsos trahite, & si uos tales cognoscitis, nihil est quod de uestra æstimatione dubitetis. Gaudere quoq; beatitudinē uestrā inuenio, si uoracis nomē cum rerū authore sustineat. Quod ego breuiter expono, quia si de uobis falsum dicitur, nomen hoc ueraciter cum rerū authore sustinetis. Si uero de uobis uerum est, hoc de illo falsum fuisse quis dubitet? absoluere uos non ualet par nomē, quorū dispar est causa. Nam cum eo crucē etiā periturus latro suscepit, sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absoluit. Ego autem quantis ualeo precibus deposco, ut sanctissimā fraternitatē uestrā authori nostro non solū nomen, sed etiā causa cōiungat. Cōuiuia autē cōmunia quæ ex intentione impendendę charitatis fiunt, recte sanctitas uestra in suis epulis laudat. Sed tamen sciendū est, quia tunc ueraciter ex charitate prodeunt, cùm in eis nulla absentiū uita mordetur, nullus ex irrisione reprehēditur, & non inanes in eis secularium negotiorū fabulæ, sed uerba lectionis sacræ audiuntur, cùm non plus q̄ necesse est seruit corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ uirtutis habeatur. Hæc itaq; si uos in uestris cōuiuijs agitis, abstinentium fateor magistri estis.

Parte 1 dist. 44 Conuiuia

Quod ergo Pauli apostoli testimoniū ad me posuistis, in quo ait: Qui non manducat, manducantē nō iudicet, omnino existimo incongruū fuisse: quia neq; ego non comedo: neq; ad hoc à Paulo dictū est, ut membra Christi quæ in eius corpore, id est, in Ecclesia inuicē sibi charitatis cōpage connexa sunt, nullā de se ullo modo curā gerant. Sed si neq; ego ad te, neq; tu aliquid pertineres ad me, iure tacere cōpellerer, ut eum non reprehēderem qui emendari non posset. Hæc ergo sententia solummodo propter eos dicta est, qui illos iudicare student, quorū sibi cura cōmissa non est. At postq; nos authore deo unū sumus, si ea quæ nobis corrigenda sunt tacemus, ualde delinquimus. Ecce fraternitas tua ægrè se tulit de conuiuijs à me esse reprehēsam, cùm ego qui etsi hanc non uita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim. Et hunc solū mihi amicum æstimo, per cuius linguā ante apparitionē districti iudicis meæ maculas mentis tergo. Illud autē frater dulcissime q̄ tribulationibus pressum te legere posse abnegas, minus ad excusationem idoneū puto, cùm Paulus dicat: Quæcūq; scripta sunt, ad nostrā doctrinā scripta sunt, ut per patientiam & cōsolationē scripturarū spem habeamus. Si igitur ad consolationē nostram sacra scriptura præparata est, tanto magis debemus legere, quanto magis nos conspicimus sub tribulationū fasce lassari. Si uero in ea solummodo sentētia est fidendum, quam in epistola uestra posuistis, qua dominus dicit: Cùm tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loqitur in uobis: sacra ergo ad nos eloquia frustra mandata sunt, quia repleti spiritu, uerbis exterioribus non egemus. Sed aliud est frater charissime q̄ angustia ti persecutionis tēpore absq; dubitatione confidere, aliud quod in tranquillitate Ecclesiæ agere debemus. Oportet etenim nos per spiritū hunc modo legendo percipere quæ possumus, si cōtigerit causa in nobis esse, etiam patiendo demonstrare.

Rom.14

Rom.15

Matt.10

Valde uero in epistola uestra gauisus sum, q̄ uos exhortationi studiū dare fatemini. In hoc etenim scio quia curā uestri ordinis solerter agitis, si adauthorē uestrū & alios trahere curatis. Quod autē in eodē loco dicitis uos mei similes non esse, post abortā lætitiā me ilico cōtristastis: quia laudes meas per irrisionē dici existimo, quas per ueritatē mini mè recognosco. Ago autē omnipotenti deo gratias: quia per uos quidā hæretici ad sanctā Ecclesiā reuocātur. Sed curare uobis necesse est, ut ipsi quoq; qui intra sanctæ Ecclesiæ gremiū cōtinent, ita uiuāt, quatenus eius aduersarij prauis moribus non existant. Nam si non diuino desiderio, sed terrenis cupiditatibus, uoluptatibusq; deseruiūt, intra eius gremiū filij alieni nutriuntur. Quòd autem uos fatemini ecclesiasticos ordines ignorare nō posse, ego quoq; hoc de uobis per omnia scio, atq; idcirco ualde cōtristor: quia cùm rerū ordinē scitis, in me q̄d peius est sciēdo deliquistis. Postq; enim ad beatitudinē uestrā, & decessoris mei, & mea in causa Honorati archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta utriusq; sententia, præfatus Honoratus ꝓprio gradu priuatus est. Quod si quilibet ex quatuor patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset. Tamē postq; fraternitas uestra ad suū ordinē redijt, nec ego meæ, nec decessoris mei iniuriæ memor sum. Quòd uero dicitis nostris temporibus debere seruari quæ à meis quoq; prædecessoribus tradita atq; custodita sunt, abslit hoc à me, ut statuta maiorū consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi iniuriā facio, si fratrum meorum iura perturbo. Sed cùm re sponsales uestri aduenerint, quę inter uos & præfatum Honoratum archidiaconem sint iusta cognoscam, & ex ipso meo examine perpēdetis, quia si pars uestra per iustitiam fulta est, nihil aduersi à me perferetis, sicut nec antè pertulistis. Sin uero sæpefato Honorato archidiacono in assertione sua iustitia suffragatur, ex eius absolutione monstrabo, quia personas etiam quas noui, in iudicio non agnosco. De excōmunicationis uero articulo, quæ tamen interposita conditione gradus, secundo uel tertio iam, ut ita dicam, ex necessitate subiuncta est, beatitudo uestra immeritò quæritur, cùm Paulus apostolus dicat: In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Sed ista iam transeant, ad nostra redeamus. Si enim recte agit, ego domino Natali non possum coniunctus non esse, cuius me affectui ualde esse debitorem noui.

Cū.seq. Quód in

Cū.seq. Decem munica nis

2.Cor.10

Gregorius

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano. De Ecclesia Liparitana ordinanda. Ca. XXXVIII

Epist.38 LOcis inimicis Ecclesia constituta, pastoris ua care non debet officio. Quia igitur Ecclesia Liparitana sacerdote priuata dinoscitur: ideo Paulinum Taurianensis Ecclesię episcopum in prædicta Ecclesia Liparitana fraternitas tua sine mora præesse constituat, ut officij sui administrationem in eadem Ecclesia uigilanter exhibeat, & quæcq; eius utilitatibus cõuenire didicerit, ordinare non desinat. Cunctumq; clerum ut in omnibus canonicè ei obedire debeat, admoneas: quatenus præfatæ Ecclesię in cũctis utilitatibus prædicto fratre & coepiscopo nostro disponẽte, Christo adiuuante procurari ualeat.

Data pridie Martij. Indictione decima.

Gregorius Dominico episcopo Carthaginensi gratiarum actiones reddit. Et de cura pastorali admonet, & de ecclesiasticis priuilegijs. Ca. XXXIX

Epist.39 PErlatas ad nos serius per Donatũ, atq; Quoduultdeum, reuerendissimos fratres & coepiscopos nostros, necnon & Victorem diaconẽ uel Angelum notarium uestræ frate: nitatis epistolas summa cum gratulatione suscepimus. In quarum etsi nos sustinuisse dispendium tarditate putauimus: tamen de uberiori reperimus charitate cõpendium, ut hac dilatione temporis, non interrupta uideatur, sed nutrita dilectio: quam miserante domino, cõtemplatione sacerdotij, lectionis usu, ætatisq; in uobis cognoscim⁹ iam maturitate fundatã. Non eñ tam largè de te flueret, si in tuis plurimas uenas mentib. non haberet. Hanc ergo matrem custodemq; uirtutum sanctissime frater incõcussa stabilitate teneamus. Nullæ in nobis eam subdolorum linguæ imminuant, nullæ antiqui hostis insidiæ corrumpant. Hæc nanq; diuisa iungit, & coniuncta custodit. Hæc humilia sine tumore subrigit. Hęc erecta sine deiectione submittit. Per hanc uniuersalis Ecclesiæ unitas, quæ est compago corporis Christi, exęquatione mẽtis gaudet in singulis, cùm sit ei disparilitas in diuersitate membrorum. Per hanc eadem membra & alieno gaudio in suis afflicta exiliunt, & alienis mœroribus
1.Cor.12 etiam in suis læta contabescunt. Teste enim magistro gentium, dum si quid patitur unum membrorum, compatiuntur cætera membra, & si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, uos non ambigo de nostra perturbatione ingemiscere, cùm nos omnino certum sit de uestra pace gaudere. Quod uerò ordinationi nostræ fraternitas uestra congaudet, affectum mihi integerrimæ charitatis exhibet. Sed ex cõsideratione huius ordinis mentem meam, fateor, transuerberatuis doloris. Graue nanque est pondus sacerdotij: prius quippe est sacerdoti necesse, ut cæteris ad exemplum uiuat, ac deinde seruandum, ut mentem per ostensa exempla non eleuet. De prædicationis semper ministerio cogitet: intentissimo timore considerans quòd recessurus ad percipiendum regnũ dominus, & talenta seruis distribuẽs,
Luce 19 dicat: Negociamini dum uenio. Quod profecto negotium tunc uerè nos agimus, si uiuendo & loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos quoq; cœlestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus, si proteruos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando, flectimus. Si nulli contra ueritatem parcimus. Si supernis amicitijs dediti, humanas inimicitias non timemus. Quod nimirum exhibens, quasi quoddam se sacrificium obtulisse deo Psalmista nouerat, cùm dicebat: Nónne qui oderant te deus oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderã illos, & inimici facti sunt mihi. Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expauesco, & quòd accepto regno paterfamiliâs redeat, rationem nobiscum positurus, aspicio. Sed qua eum mente sustineo, cui de suscepto negocio animarum lucrum aut nullum, aut penè nullum reporto? Tua ergo me oratione frater charissime adiuua, & quæ de me formidare me conspicis, in temetipso quotidie timore prouidę sollicitudinis pensa. Per charitatis quippe cõpagem, & tua sunt quæ de me loquor, & mea quæ te agere concupisco. De Ecclesiasticis uerò priuilegijs quod uestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat: quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusq; Ecclesiis sua iura seruamus. Nec cuilibet, fauente gratia, ultra quàm meret impartior, nec ulli hoc quod sui iuris est, ambitu stimulante derogo, sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicq; studeo honore singulos subuehi, dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi. Responsalium uerò nostrorũ moribus ualde congaudeo: in quibus mihi ostensum est quantum me diligitis, qui ad me electos fratres & filios transmisistis.

Cã. 25. q. 2 Ecclesiast.

Data decimo Augusti. Indictione x.

INCIPIVNT EPISTOLAE EX REGISTRO BEATI GREGORIJ. Indictione xi.

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ. De persecutione Pauli episcopi. Cap. XL

VALE in castello Luculano Epist.1 sit scelus in Paulũ fratrẽ & coepiscopũ nostrũ cõmissum, directa nobis fecit relatio manifestum. Et quia his diebus Scholasticus uir memorabilis Campaniæ iudex hic præsens inuentus est, specialiter ei iniunximus, ut tantæ peruersitatis insaniam districta debuisset emendatione corrigere Sed quia nunc prædictæ relationes portitor nos ut personam dirigeremus admonuit, ideo Epiphaniũ subdiaconem illuc direximus: qui unà cum præfato iudice à quibus excitata sit uel cõmissa seditio, inuestigare ac cognoscere possit, & digna ultione uindicare. Experientia ergo tua ita tota uirtute in hac causa solatiari festinet, quatenus & cognosci ueritas, & in delinquẽtes ualeat uindicta procedere. Quoniã igitur mancipia gloriosæ Clemẽtiæ in

eodem scelere interfuisse,& uoces quæ seditionē commouerant iactitasse dicuntur, si ita est, districtè ea imminenti ultioni substerne:nec pro persona ullius sit uestra seueritas remissior: quia tanto amplius ferienda sunt,quanto,ut pote nobilis fœminæ pueri,ex sola superbia deliquerunt. Sed & illud subtili uos oportet indagatione perquirere, utrum ne prædicta fœmina in tanta habuerit sceleris immanitate consilium:aut si cum eius est scientia perpetratum: ut quàm sit periculosum non solum manibus,sed etiam in sacerdotē uerbis excedere,ex nostra cūcti possint defensione cognoscere.Si quid enim in hac causa lentatū fuerit uel omissum, ad tuam culpam, ac potius cognoscas pertinere periculum:nec aliquem apud nos excusationis locum inuenies.Nam quāto te apud nos res ipsa si districtissimè fuerit perscrutata & emendata commendat:tanto si lentata fuerit, nostram contra te scito indignationem exacui. Mancipia aūt si qua de cætero in monasterio sancti Seuerini uel in alia Ecclesia eiusdem castelli de ciuitate refugerint:mox ut ad notitiā tuam peruenerit,nullo modo illic ea immorari liceat, sed intra ciuitatem in Ecclesiam reuocentur: & si iustam contra dominos suos querelam habuerint,cum cōgrua ordinatione de Ecclesiis exire necesse est.Si uerò uenialem culpam commiserint, dominis suis accepto de uenia sacramento,sine mora reddantur.

Gregorius Paulo episcopo.
Consolatoriam scribit epistolam. Cap. XLI

Epist.2 Licet non mediocriter nos contristauerit cognita quam es perpessus iniuria:habemus aliquam tamen cōsolationis materiā, quòd laudem tuam huic rei inesse cognouimus:ob id quòd pro æquitatis rectitudine hoc quātum directa nobis patefecit relatio,pertulisti. Vt ergo ad maiorē fraternitatis tuæ gloriam applicetur:hæc res constantiam tuam nec frangere,nec à uia debet ueritatis auertere.Nam maior in sacerdotibus merces est, in ueritatis tramite etiam post iniurias permanere. Ac ne tātæ impietatis insania inulta remaneat, & in peius indisciplinatio pernicioſa prorumpat, Scholastico uiro memorabili Campaniæ iudici, quia hic præsens inuentus est,ut hæc digna coercitione uindicare debuisset,iniunximus. Sed quia homines tui à nobis ut personam dirigeremus,petiuerunt:propterea Epiphanium subdiaconem illuc nos transmisisse cognosce,qui unà cum supra scripto iudice inuestigare ualeat ac cognoscere ueritatem:quatenus in eos à quibus tantum facinus commissum constiterit uel perpetratum, sua instantia dignam faciat exerceri uindictam.

Gregorius Ioanni abbati. De Bonifacio præposito. De tunica sancti Ioannis. De causa Floriani. De cura animarū. De hospitibus,& de pauperibus. Caput XLII

Epist.3 Petit dilectio tua ut frater Bonifacius in monasterio tuo à te debeat ordinari præpositus:quod ego ualde miratus sum, quia antè factū non est.Nam ex quo illū tibi dari feci iam eum ordinare debuisti.De tunica uerò sancti Ioannis omnino gratè suscepi,quia sollicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut quod melius est, eundē episcopū qui eā habet,cū clericis suis,& cum ipsa ad me transmittere: quatenus & benedictione tunicæ perfruamur,& de eodē episcopo uel clericis mercedē habere ualeamus. Causam uerò quæ cum Floriano uertit̄,incidere uolui: etiā ei uel octoginta solidos mutuos dedi.Quos ille credo disponit sibi ꝓ monasterij debito recōpensari,& omnino uolo eandem causam decidi: quia Stephanus chartularius dicit̄ imminere, ut eā prædictus Florianus in publico transferat,& graue nobis est cum publico litigare. Vnde necesse est nobis aliquid cedere, ut possimus eandē causam ad cōpositionē perducere. Quod dum factū fuerit,dilectioni tuæ,deo auxiliante, nunciabimus. De fratrū uerò animabus esto sollicitus. Sufficiat iam ꝙ opinio monasterij per uestrā negligentiā inquinata est.Nō frequenter foras egrediaris: in causis istis procuratorē institue,& tu ad lectionē atq; orationē uaca.De hospitalitate esto sollicitus: quantū potes pauperib. largire:ita tamen ut serues quod Floriano restitui debeat.In ipsis aūt fratrib. monasterij tui quos uideo,nō inuenio eos ad lectionē uacare. Vnde cōsiderare necesse est quantū peccatū est, ut exalienа oblatione deus uobis alimoniā transmiserit,& uos mandata dei discere negligatis. De sex uerò uncijs domus, si authenticā chartulā non uidem⁹ aut exemplaria,nil possumus facere. Sed Florentino dei famulo preceptū transmisi,ut si ei ueritas constiterit,easdem sex uncias uobis restituat.Quibus restitutis,reliquas sex uncias aut in emphiteosim damus, aut redditus commutamus.

Gregorius Bonifacio episcopo Regien.
De humanis laudibus uitandis. Cap. XLIII

Epist.4 Quibusdam uenientibus agnoui fraternitatē tuam misericordiæ operibus uehementer insiltere,atq; omnipotenti deo gratias retuli:quia iuxta egregij prædicatoris uocem,nunc uiuimus, si uos statis in domino. Sed illud,fateor, non leuiter mentem meam momordit: quòd eadem opera multis uosipsi nunciastis, ex quare collegi,ꝙ mens uestra non studeat dei oculis, sed humano iudicio placere. Vnde necesse est frater charissime, ut cùm bona exterius agis, hæc interius cum magna cautela custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepat, & omnis labor boni operis incassum fiat.Nos enim qui sumus,quibus placeri ab hominib. quæritur? Quid nanq; aliud quàm puluis & cinis sumus? Sed illi tua fraternitas placere desideret, qui & non longè est ut appareat, & omne ꝙd retribuerit, finē nullo modo habebit.

Mense Octobri. Indictione undecima.
Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.
De uiolentijs laicorū reprimendis. Ca. XLIIII

Epist.5 Sicut in iudicijs laicorū priuilegia turbare non cupimus, ita eis præiudicātibus, moderatate uolumus authoritate resistere. Violentos nanq; laicos coercere,nō contra leges est agere, sed legi ferre subsidium.Quia igitur Deusdedit gener Felicis de Orticello præsentiū latrici uiolentiā dicit̄ irrogasse

irrogasse: præfatamq; rem illicitè detinere: ita ut uiduitatis eius deiectio non misericordiam prouocare, sed eius inueniatur roborare malitiã, præcipimus experientiæ tuæ, ut tam contra præfatum uirum, q̃ in cæteris causis in quibus se asserit præfata fœminæ præiudiciũ sustinere, tuæ ei solatium tuitionis impendas: nec à quolibet eam prægrauari permittas, ne uel ea quæ tibi salua tamen æquitate mandantur, in aliqua inueniaris parte negligere, uel uiduis alijsq; pauperibus, dum illic auxilium non inueniunt: ex huius itineris profligentur longinquitate dispendia.

Gregorius Ioanni episcopo Primæ Iustinianæ. De iniusta condemnatione Adriani episcopi. Cap. XLV

Epist. 6 POst longas tribulatiões suas quas Adrianus Thebanæ ciuitatis episcopus à consacerdotibus suis uelut ab hostib. pertulit, in Romanã ciuitatem confugit. Et licet aduersus Ioannem Lariſſæum episcopum eius fuisset prima suggestio, non ab eo in causis pecuniarijs reseruatis legibus iudicatũm: tamen post hæc magis contra personã fraternitatis tuæ, à qua non iustè se à sacerdotij gradu flagitabat esse deiectum, grauissime querebatur. Sed nos indiscussis petitionibus nõ credentes, eadẽ quæ apud Ioannem fratrẽ & coepiscopũ nostrũ, uel quæ apud fraternitatẽ tuã sunt acta relegimus. Et quidẽ de memorati Ioannis episcopi Lariſſæi iudicio, quod fuerat appellatione suspensum, satis & pijssimi rerũ domini ad Corinthi episcopũ missis iussionibus decreuerũt. Et nos quoque per præsentiũ latores epistolis nostris ad præfatum Ioannem Lariſſæum directis, Christo auxiliante decreuimus, cum diuersi disceptatione iudicij, cuius examinationẽ tibi imperialia iussa tradiderant: & inspecta gestorũ apud Ioannem episcopum de criminalibus habitorum serie uentilaremus, reperimus propè nil te quod ad nominatas indictasq; sibi causas attinuit, exquisisse: sed machinationibus quibusdam testes aduersus Demetrium diaconem in damnatione eiusdem episcopi produxisse. Qui eum de illo, quod nec audiri phas est, testimonium dicentem se audisse perhiberent. Quòd dum præsens Demetrius contradiceret se dixisse, aduersus sacerdotalem morem disciplinamq; canonicam, deiectum honore suo diaconem proconsuli prouinciæ tradidisse. Qui cùm multis laniatus uerberibus aduersus episcopum suũ forsan aliqua potuisset tormẽtorũ necessitate mentiri, usq; ad finẽ negocij nihil eũ de quibus interrogabat penitus inuenimus fuisse cõfessum. Sed nec alia in gestis ipsis, siue per depositionẽ testiũ, siue per Adriani professionẽ, q̃ ei potuisset obesse, reperimus. Sed tantũ fraternitas tua nescio quo mentis motu, diuino humanoq; iure contempto, abruptam protulit in eius damnatione sententiam: quæ licet non esset appellatione suspensa, contra leges canonesq; prolata, ipso nõ poterat iure subsistere. Postquã tamen ex abundanti appellatiõe tibi cõstat esse porrectã, mirati sum⁹ cur nec homines tuos secundũ cautionẽ Honorato diacono nostro per responsales tuę Ecclesiæ expositã, qui tui iudicij rationem potuissent reddere transmisisti. Quod factũ te uel de contumacia, nec conscientiæ trepidatione redarguit. Si igitur hæc quæ nobis aperta sunt ueritate uallant: quoniã occasione uicium nostrarum considerabamus nos iniusta præsumere: de his aliàs secundum id quod à nobis deliberatum fuerit, Christo auxiliãte decernemus. Quod uerò ad præsens attinet, cassatis prius atq; ad nihilũ redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis: ex beati Apostolorum principis authoritate decernimus, triginta dierum spatio sacra te communione priuatum, ab omnipotenti deo nostro tanti excessus ueniam cum summa pœnitentia ac lachrymis exorare. Quòd si hanc sentẽtiam nostram te cognouerimus implesse remissius, nõ iam tantum iniustitiam, sed & cõtumaciam fraternitatis tuæ cognoscas adiuuante domino seuerius puniendam. Præfatum uerò Adrianum fratrem & coepiscopum nostrum ex tua sententia, ut diximus, nequaquam canonibus neque legibus existente damnatum, in suum locum atq; ordinẽ reuerti Christo comitãte disponimus: ut nec illi fraternitatis tuæ noceat contra iustitiæ tramitem prolata sententia: nec charitas tua pro placanda futuri indignatione iudicis, incorrecta remaneat.

Gregorius Ioanni episcopo Lariſſæo. De iniusta condemnatione Adriani. Caput XLVI

Epist. 7 Cã. 16. q. 1 Frater. FRater noster Adrianus, Thebanæ ciuitatis episcopus, ad Romanam uri bẽ ueniens lachrymabiliter est conquestus de quibusdam capitulis se à fraternitate tua, necnon à Ioanne primæ Iustinianæ urbis episcopo, non legitimè neq; canonicè condemnatum. Cunq; per diuturnum tempus nullã diuersæ partis uideremus huc aduenire personam, quæ eius debuisset obiectionibus respondere, necessariò cognoscendę ueritatis intuitu, ea quæ penes uos acta sunt, relegenda tradidimus Ex quibus cognouimus Ioannem atq; Cosmam diacones, unum pro lubrico corporis, alterũ pro fraudibus Ecclesiasticarum rerum proprio depulsos officio, de pecuniarijs criminalibusq; capitulis aduersus eum pijssimis nostris imperatoribus suggessisse. Qui per iussiones suas te uoluerunt, seruata uidelicet iuris canonumq; districtione cognoscere: ita ut de pecuniarijs quidẽ ferres firmã iure sententiam. De criminalibus uerò eorum clemẽtiæ habita subtilius examinatione suggereres. Quòd si tã rectas iussiones tua fraternitas rectis quoq; mentibus accepisset, nunquã uiros pro suis excessib. proprio amotos officio, atq; iam immutabilis animi, ad accusationẽ passim sui suscepisset episcopi, maximè cùm ex suggestiõe pijssimis dominis oblata eorum sit detecta fallacia: quia cũ consensu omnium clericorum hæc contra suum pontificẽ se suggessisse professi sunt. Post hæc tamen ut breuiter quædam strictimq;, quæ apud te sunt acta percurram: primum capitulũ penes fraternitatẽ tuã motũ est Stephani Thebani diaconi: cuius uitam quasi sciens turpissimam Adrianus

episcopus,

epiſcopus,non eum ſui ordinis honore priuauerat.Quod capitulum,nullus deductorum teſtium ad Adriani epiſcopi dicit peruenisſe notitiam:niſi quod ſolus Stephanus turpis uitæ ſuæq; profeſſione damnabilis,dicitur esſe confeſſus. Secundū capitulum aduerſus eum uidetur esſe propoſitū, de infantibus eius iuſſu à ſacri baptiſmatis ſuſceptione prohibitis, atq; ita inabluta ſorde peccati defunctos in tenebris. Sed nulllus aduerſus eum deductorum teſtium profeſſus eſt noſſe ſe tale aliquid ad Adriani epiſcopi peruenisſe notitiam:ſed à matribus infantum,quarum uiri remoti pro culpis, ut dicitur, ab Eccleſia fuerant, ſe cognouisſe dixerunt. Sed nec imbaptizatos eos mortis tempus profeſſi ſunt occupaſſe,ſicut accuſatorū continebat inuidioſa ſuggeſtio: cùm in Demetriade ciuitate baptizatos eos esſe cōſtiterit.Et hæc quidem de criminalibus cauſis. De pecuniarijs uerò qualiter à te fuerit iudicatum:inquiſitio deputatorum à principe uirorum piiſſima iuſſione ſereniſſimis principibus atteſtatur.Nam cùm tuam ſępe fatus Adrianus ſuſpendiſſet appellatione ſententiam, quantum ex quatuor teſtium depoſitionibus apud Ioannem primæ Iuſtinianæ epiſcopūm prolatis agnouimus,arctiſſima detruſus cuſtodia libellum in quo obiecta ſibi cōfiteretur capitula, tua coactus eſt fraternitate porrigere. Qui quidē in porrecto à ſe libello de pecuniarijs inuenit tuæ conſenſiſſe ſentētiæ. Criminalia uerò medio quodam dubioq; uerborum calle tranſcurrit,ut & tua quibuſdam ſubiectis nebulis fruſtraretur intētio, & ipſe porrò à confeſſione imperplexæ locutionis obſcuritate refugeret. Cunq; porrecta appellatio per homines eius,cæteraq; quæ penes te geſta ſunt,piiſſimis fuiſſent deportata principibus: deputatis,ut diximus,Honorato diacono ſedis noſtræ:& Sebaſtiano glorioſo antigrapho,cunctisq; examinatis ſubtiliter à ſereniſſimis eſt dominis ab omnibus iuſſionib. abſolutus. Sed neſcio quibus machinationibus exquiſitis alia rurſus eſt principalis iuſſio elicita:ut de cūctis anteſatis capitulis Ioannes primæ Iuſtinianæ epiſcopus requirēs ſubtiliter iudicaret. In cuius iudicio omnes clerici Adriani epiſcopi,& Demetrius diaconus inter tormenta profeſſus eſt, omnem hāc contra Adrianū epiſcopum calumniam fraternitatis tuæ machinatione confectā.Nec aliqua de capitulis ipſis quæ in tua audiētia criminaliter obiecta fuerant Adriano epiſcopo,ſunt probata. Sed prouenit alia contra canones ac leges in Demetrio diacono eius alijsq; perſonis crudelis atque doloſa diſcuſſio, in qua nihil penè repertum eſt, ex quo ſæpe memoratus Adrianus damnari legitimè debuiſſet: ſed magis ex quo potuiſſet abſolui.Sed de Ioanne primæ Iuſtinianæ urbis antiſtite, ac de nequiſſimo eius damnandoq; iudicio aliàs ſumus iuuante domino tractaturi. Adrianum uerò epiſcopum repe
Cā.16.q.1 Frater noſter. rimus,& tuo contra ſacerdotales mores odio laboraſſe:& nullo iure pecuniarijs in cauſis eum fraternitatis tuæ condemnatum fuiſſe ſentētia. Quia igitur & ab anteſato Ioanne primæ Iuſtinianæ epiſcopo contra ius canonesq; depoſitus, honoris ſui gradu carere non potuit, in ſua eum reformari Eccleſia, atque in propriæ dignitatis ordinem decreuimus reuocari. Et cùm oportuiſſet te ex eo dominici corporis cōmunione priuari, quòd admonitione ſanctæ memoriæ deceſſoris mei contempta, per quam eum Eccleſiāq; eius de tuæ iuriſdictione poteſtatis exemit,rurſus in eis aliquid tibi iuriſdictionis ſeruare præſumpſeris, tamen nos humanius decernentes, communionisq; tibi ſacramentum interim conſeruantes, decernimus, ut fraternitas tua ab eo Eccleſiaq; eius omnem antehabitæ ſuæ poteſtatem iuriſdictionis abſtineat, & ſecundum ſcripta deceſſoris noſtri, ſi qua cauſa uel fidei uel criminis, uel pecuniaria aduerſus præfatum Adrianum conſacerdotem noſtrum potuerit euenire,uel per eos qui noſtri ſunt uel fuerint in urbe regia reſponſales, ſi mediocris eſt quæſtio, cognoſcatur: uel huc ad Apoſtolicam ſedem, ſi ardua eſt, deducatur: quatenus noſtræ audientiæ ſententia decidatur. Quòd ſi contra hæc quæſtatuimus, quolibet tēpore, ſeu qualibet occaſione uel ſurreptione uenire tētaueris, ſacra ſcias te communione priuatum,nec eam te, excepto ultimo uitæ tuæ tempore,niſi cū conceſſa Romani Pontificis decernimus iuſſione percipere. Hæc enim conſona ſanctis patribus definimus ſanctione, ut qui ſacris neſcit canonibus obedire, nec ſacris adminiſtrare, uel communionem capere ſit dignus altaribus. Res autem ſiue ſacras, ſiue aliàs mobiles immobilesq; eius Eccleſiæ quas hactenus diceris retinere, quarū notitiā nobis oblatā præſentib. annectimus literis, ſine aliqua ei dilatione fraternitas tua reſtituat. De quibus ſi qua inter uos quæſtio uertit, uolumus ut apud reſponſalem noſtrū in urbe regia uentiletur.

Gregorius Natali archiepiſcopo Salonitano.
Vt non deponatur epiſcopus niſi in conuentu epiſcoporum. Cap. XLVII

Epist.

CVm cuncta negocia indagādę ſollicitudine ueritatis indigeant: tum quæ ad deiectionē ſacerdotalium graduum pertinēt, diſtrictius ſunt trutinanda, in quibus non tam de humanis conſtitutis,quàm diuinæ quodāmodo benedictionis refragatione tractatur. Quæ res quoq; nos in Florētij Tauritanæ ciuitatis epiſcopi perſona, ad exhortationem ueſtræ fraternitatis admonuit. Nunciatum ſiquidem nobis eſt,à quibuſdā fuiſſe eum in cauſis criminalibus accuſatum: & nullis canonicis probationibus exquiſitis, nec ſacerdotalis concilij prȩueniente iudicio, eum ab honoris officio non iure,ſed autoritate depoſitum. Quia ergo non poteſt quenquam epiſcopatus gradu, niſi iuſtis ex cauſis concors ſacerdotum ſummouereſententia: hortamur fraternitatem ueſtram, ut præfatum uirū ex eodem in quod detruſus eſt, eiſciatis exilio, cauſamq; eius epiſcopali diſceptatione perquiri. Et ſi in his in quibus accuſatur, canonica fuerit probatiōe cōuictus, canonica procul dubio eſt ultiōe plectēdus. Quòd ſi aliàs q̄ de eo æſtimatum eſt, ſynodali fuerit inquiſitione compertum

pertum: necesse est ut & criminatores iusti distri- A
ctionē iuris exhorreant, & incriminato innocentiæ suæ seruentur illibata suffragia. Executionem uerò antefati negotij cum Antonino subdiacono nostro, ex nostra præceptione mandauimus: quatenus eius instantia & quæ sunt legibus canonibusq; placita decernantur, & decreta iuuante domino mancipentur effectui.

Gregorius Antonino subdiacono. De Florentino episcopo iniustè depositio. Cap. XLVIII

Epist.9 PEruenit ad nos Florentinum Epitauritanæ ciuitatis episcopum perceptis prius rebus eius pro quibusdam non approbatis criminibus sine sacerdotali cōcilio fuisse damnatum. Et quia
Causa.11 q.1 Non debet non debet is pœnam sustinere canonicam, in cu- B
ius damnatione non est canonica prolata sententia: præcipimus experientiæ tuæ, ut Natali fratri & coepiscopo nostro debeas innuere, quatenus supradictū uirū de eodē eijci faciat quo nunc dicitur detrusus exilio. Conuocatoq; episcoporū concilio, si hæc in quibus accusatus est, canonicè fuerint approbata, præfati Natalis fratris & coepiscopi nostri uolumus in eum proprium robur obtinere sententiam. Sin autem generali fuerit iudicio absolutus, nec eum deinceps cuiuslibet præiudicio subiacere permittas: & præfatæ res districta tuæ sollicitudinis restituantur instantia. Necesse est ergo ut quanto grauiora talium negotiorū perpendis pondera, tanto ea maturiori uigilantioriq; studeas executione complere.

Gregorius Sauino subdiacono. De Chalcedonensi synodo: & de alijs tribus synodis recipiendis. Cap. XLIX

Epist.10 EXeuntes maligni homines turbauerunt animos uestros, non intelligentes neq; quæ loquunt̄, neq; de quibus affirmant: astruentes quòd aliquid de sancta Chalcedonensi synodo piæ memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutū, quam omni fide omniq; deuotione ueneramur. Et sic quatuor synodos sanctæ uniuersalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Euāgelij recipimus. De personis uerò de quibus post terminum synodi aliquid actum fuerat, eiusdem piæ memoriæ Iustiniani temporibus est uentilatum: ita tamē ut nec fides in aliquo uiolaretur, nec de eisdem personis
D
aliquid aliud ageretur, quàm apud eandem sanctam Chalcedonensem synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem si quis ex diffiniti one fidei, quæ in eadē synodo prolata est, aliquid imminuere præsumit: uel quasi corrigendo eius sensum mutare: sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo fili charissime, decet ad unitatem sanctę Ecclesię remeare: ut finem tuum ualeas in pace concludere, ne malignus spiritus qui contra te per alia opera pręualere non potest, ex hac causa inueniat unde tibi in die exitus tui in aditu regni cœlestis obsistat.

Gregorius ordini & plebi consistenti in Albano. De ordinatione episcopi. Cap. L

Epist.11 PRobabilibus desiderijs nihil attulimus tarditatis: fratrem nanq; & coepiscopū nostrum hominem bonū uobis ordinauimus sacerdotem.

Mense Nouembrio. Indictione. xi

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano. De causa Gregorij Agrigentini episcopi. Ca. LI

PRidem quidem fraternitati uestræ scripserā, Epist.12
ut eos qui aduersus Gregorium episcopum Agrigentinæ ciuitatis aliqua dixerant, ad Romanam ciuitatem transmittere deberetis. Quod ut nunc instantius fieri debeat, præsentibus adhortamur epistolis. Vnde personas ipsas, cæteraq; documenta, idest, gesta & petitiones quæ data sunt, festinate cum celeritate transmittere. Nec moram aliquā excusationemq; perquiri penitus permittimus: quatenus eis in Romanam, sicut diximus, ciuitatem trāsmissis, sub celeritate sciamus quid auxiliāte domino de persona salubrius eius disponere debeamus.

Gregorius Agnello episcopo de Fundis, qui nunc in ciuitate ordinatus est Terracina. Præcipit ut in Terracinensi Ecclesia sit episcopus. Cap. LII

RElatio cleri simul & populi Terracinensis Epist.13
gentis nos ualde lætificat, ob hoc quòd de Cā.21.q.1
tua fraternitate bona testat̄, Et quia defuncto Pe- Relatio
tro pontifice suo, sibi cardinalem postulant constitui te sacerdotem, eorum uota necessariò complē da esse præuidimus: quatenus & illi se gaudeant impetrasse q̄d postulant, & nos concessisse quod expedit uideamur. Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in ciuitate nec in Ecclesia tua est cuiquā
C
habitandi licentia: ideo te authoritate nostra Terracinensi Ecclesiæ cardinalem constituimus sacerdotem, admonentes ut ita de animabus populorum illic consistentium deo protegēte debeas esse sollicitus: quatenus callidi peruersiq; hostis insidię commisso tibi gregi, qualibet arte nocere non ualeant. Sed sollicitudinis tuæ grex circūscriptus custodia, digni se pastoris gaudeat meruisse tutamina. In tuis actibus plebi exēpla bene uiuendi existāt, auaritia in te uires nō habeat. Tua prędicatione qui literas nesciunt, quid diuinitus præcipiatur agnoscant. In dei timore populum quemadmodum uiuere possit, tui mores instituant. Operibus exerce quod subiectos doces, & prædicas. Actus tui in aliorum correptionem proficiant, in
D
adiutorium sibi uitæ tuæ imitationem assumant. Sicq; te in cunctis operibus exhibe, ut scripturam conscriptionēq; te habeat, quicunq; aut negligit, aut non potest lectione formari. Tota igitur mentis intentione ita lucrum animarum domino nostro facere festinato, ut digna te merces ante eius conspectum in die retributionis inueniat. Quicquid uerò de prædictæ rebus Ecclesię uel eius patrimonio, seu cleri ordinatione promotioneue, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, soleter atq; canonicè ordinare, facereq; prouideris: liberam habebis, quippe ut sacerdos proprius, modis omnibus facultatem. Illud quoque frater- 21.quæst.1
nitatem tuam scire necesse est: quoniam sic te præ Illud quoq;
dictæ Terracinensis Ecclesiæ cardinalem esse cō stituimus sacerdotem, ut & Fundensis Ecclesiæ pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemq;

tionemq; eius prætereas: quia ita fraternitatem tu A
am sæpe dictæ Terracinensi Ecclesiæ, sicut præfa
ti sumus, præesse præcipimus, ut antedictæ Fun-
densis Ecclesiæ tibi iura potestatem ue nullo mo-
do subtrahamus.

Gregorius clero, ordini, & plebi consistēti in Terracina. De Agnello episcopo susci-piendo. Cap. LIII

Epist.14 Dilectionis uestræ desideria insinuata nobis quā obtulistis petitio reserauit, electionēq; uestram ualde laudauimus: quia Agnellū fratrem & coepiscopum nostrum probatum iam meritis, cardinalem uobis constitui deprecamini sacerdo tem. Et quoniam gratæ laudandæq; petitioni nec effectum negari, nec morā licebat innecti, secun- B dū desideria petitionēq; uestrā supradictū Agnel lum directa præceptione Ecclesiæ uestræ cardina lem esse statuimus sacerdotem. Pro qua re dilecti-onem uestrā paterna adhortatione admoneo: ut ei obedientiā præbere in omnibus debeatis: qua-tenus charitatis uestræ solatio roboratus, curam gubernationemq; Ecclesię quam uobis probatur petentibus suscepisse, adiuuante domino salubri-ter ualeat implere.

Mense Decembrio. Indictione xi.

Gregorius Scholàstico iudici Campaniæ. De episcopo in Neapoli eligendo. Ca. LIIII

Epist.15 DVm de Neapolitanæ ciuitatis cura destitu-tæ sacerdotis solatio uehementius angere-mur: superuenientes præsentium latores cum de- C creto in Florentium subdiaconem nostrum con-fecto, aliquid nobis in tanto cogitationum pon-dere releuationis inuenerant: sed dum præfatus subdiaconus noster refugiens ciuitatem, ipsam or dinationem suam lachrymabiliter euasisset, quasi ex maiori quadam desperatione nostram cogno-scite creuisse mœstitiam. Atq; ideo salutantes hor tamur magnitudinem uestram, ut conuocantes priores uel populum ciuitatis: de electione alteri us cogitetis, qui dignus possit cum Christi solatio ad sacerdotium promoueri. In quo decreto solen niter facto, atq; ad hanc urbem transmisso, ordina tio illic tandem Christo auxiliante proueniat. Sin autem aptam nō inuenietis in quam possitis con-sentire personam: saltem tres uiros rectos ac sapi-entes eligite, quos ad hāc urbem generalitatis ui-ce mittatis, quorum & iudicio plebs tota consen-tiat. Forsitan huc uenientes præstante dei miseri-cordia talem reperient, qui uobis antistes irrepre hensibiliter ordinetur: quatenus destitutæ ciuita-tis uestræ nec intrinsecus actuum suorum desit in spector, nec extrinsecus adhibita sollicitudine sa-cerdotis hostilibus aditus præstetur insidijs.

Gregorius Petro episcopo Baricis. Valerianū presbyterū commēdat. Cap. LV

Epist.16 LIcet fraternitatem tuam pijs se causis non du bitemus sponte impēdere: ueruntamen quia proniorem eam nostra fieri arbitramur epistola, idcirco præsentibus tibi indicamus apicibus, ho-rum latorem Valerianum presbyterum pro redē-ptione captiuorū in illas partes aduenisse: cui tan to enixius in omnib. debetis ferre solatiū, quanto cum mercedis intentione, longinqui itineris labo rem assumpsisse cognoscitis. Sic em̄ & hic quod intendit, te adiuuante perficiet, & fraternitas tua pro impenso solamine magnam apud deum, sicut desiderat, retributionem inueniet.

Mense Ianuario. Indictione xi.

Gregorius Gratioso subdiac. De possessio nibus Florę abbatissę reddendis. Ca. LVI

Epist.17 Causa 12 q. 2. Re-giosam REligiosam uitam eligentibus, cōgrua nos o-portet consideratione prospicere, ne cuius-dam necessitatis occasio aut desides faciat: aut ro bur, quod absit, cōuersationis confringat. Idcirco præsenti tibi autoritate præcipimus: quatenus domū positam in hac urbe, regione quarta, iuxta locū qui appellatur ad gallinas albas: uel hortū iu ris sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui deo autore præ-sidemus, in qua Campana quōdam uxor Patricij mansisse dinoscitur: simul & hortum atq; hospitia quę intra eandem domum sanua concludit, Florę abbatissę tradere debeas, proprietatis iure procul dubio possidendam. In qua domo monasteriū uir ginum, ubi cū congregatione sua habitare possit, Christo queat adiuuante construere, ut tam ipsa, quàm etiā quæ in eius honore locoq; successerit, prædictam domum & hortū cum omnibus ad se pertinentibus, sicut diximus, quieto incōcussoq; iure à nobis pietatis consideratione concessa uale at possidere.

Gregorius Theodoro cōsiliario. Acosimum puerum dono dat per epistolam. Ca. LVII

Epist.18 Causa 12 q. 2. Eccle siasticis ECclesiasticis utilitatibus desudātes, Eccle-stica dignum est remuneratione gaudere, ut qui se uoluntarijs obsequiorū necessitatibus spon te subijciunt, digne nostris prouisionibus consolē tur. Quia igitur te uirum eloquentissimū consilia-rium nostrum mancipiorum cognouimus minis-terio destitutum, ideo puerum nomine Acosi-num, natiōe Siculum, iuri dominioq; tuo dari tra dię præcipimus. Quem quoniam traditum ex no stra uoluntate iam possides, huius te necesse fuit pro futuri temporis testimonio ac robore largita tis & authoritate fulciri: quatenus domino prote gente secure eum semper et sine ullius retractatio nis suspitione, quippe ut dominus, ualeas posside re. Neq; enim quenquam fore credimus, qui tam D paruam largitatem pro tua tibi deuotione cōces-sam desideret, uel tentet ullo modo reuocare: cū uno eodēq; tempore, & uerecundū sit à decessori bus bene gesta resoluere: & uerecundum sit doce re cęteros in suam quandoq; resolutoriam profer re largitate sententiam.

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ. Vt de reliquijs sancti Seuerini transmittat. Caput LVIII

Epist.19 COt nostrum pia diuinitatis inspiratiōe com pungitur loca quondam execrandis errori-bus deputata, in catholicæ religionis reuerentiā dedicare. Quia igitur ecclesiam positam iuxta do mum Merulanam regione tertia, quam superfli-tio diu Ariana detinuit, in honorem sancti Seue-rini cupimus consecrare, experientia tua reliqui-as beati Seuerini summopere debita cum uenera-

tione

tione trāsmittat: quatenus quę uestris animis perficienda decreuimus, implere omnipotentis gratia suffragante possimus.

Gregorius Gratioso episcopo Numentano.
Curā cōmittit Ecclesię sancti Anthemij Ca. LIX

Epist.20 POstquā hostilis impietas diuersarum ciuitatum ita peccatis facientibus desolauit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit, maiori ualde cura constringimur, ne defunctis earū sacerdotibus, reliquię plebis, nullo pastoris moderamine gubernāte, per deuia fidei, hostis callidi, quod ablit, rapiantur insidijs. Huius ergo rei sollicitudine sæpe cōmoniti, hoc nostro sedit cordi consilium, ut uicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoq; fraternitati tuæ curam gubernationemq; sancti Anthemij Ecclesiæ, in curium Sabinorū territorio constitutæ præuidimus cōmittendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari unirię necesse est: quatenus utrarumq; Ecclesiarum sacerdos rectè Christo adiuuante possis existere, & quæq; tibi de eius patrimonio uel de cleri ordinatione uigilanti ac canonica uisa fuerint cura disponere, quippe ut pontifex proprius, liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiā. Quapropter frater charissime, dominicorum reminiscēs mandatorū, salubriter ita in commissæ plebis regimine lucrādisq; animab. inuigila, ut ante tribunal æterni iudicis cōstitutus fructū bonę operatiōis qui ad mercedē tuā pertineat, eidē redēptori nostro in quo lætari possis exhibeas.

Mense Februario. Indictione xi.

Gregorius Paschali Demetriano atq; Castorio filijs Vrbici defensoris de Tiburtina. Reddit substantiam patris eorum. Cap. LX

Epist.21 OFficij nostri est, orbatis ita parētibus ferre consultum, quatenus aliquid de his quæ iuste debent ecclesiæ relaxātes, eorū possimus subuenire miserijs. Quia igit̄ facta subtilius ratione, patrem uestrū Vrbicū, quondam defensorem, de patrimonio Sabinensi atq; Carciolano, quod eius fuerat curæ cōmissum, cōstat in non modicā summam debitorem fuisse defunctū, & quamuis tota eius substantia per hoc sit Ecclesiæ obligata, nec tamen ad satisfactionem eorū quæ consumpserat possit sufficere: nos tamen pietatis intuitu, eiusdē patris uestri substantiam uos habere ac possidere permittimus atq; concedimus, uestris proculdubio utilitatibus profuturā, securi quòd nullus uos denuo de ijs quæ uobis relaxantes concessimus, aliqua ratione concutiat.

Mense Martio. Indictione xi.

Gregorius Antonio subdiacono rectori patrimonij in Dalmatia. De obitu Natalis episcopi, & de ordinatione episcopatus eius. Cap. LXI

Epist.22 NAtalem Salonitanæ Ecclesiæ fratrē & coepiscopū nostrū obijsse, discurrens in partib. istis fama uulgauit. Quod si uerū est, experientia tua omni instantia omniq; sollicitudine clerum & populū eiusdem ciuitatis admonere festinet: quatenus uno consensu ordinandum sibi debeant eligere sacerdotem factoq; in personam quæ fuerit electa decreto, ad nos transmittere studebis, ut cum nostro consensu, sicut priscis fuit temporibus, ordinetur, Illud quidem præ omnibus tibi curæ sit: ut in hac electione, nec datio quibuscunque modis interueniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia conualescant. Nam si quorūdam patrocinio fuerit quisquam electus, uoluntatibus eorum cùm fuerit ordinatus, obedire reuerentia exigente cōpellitur, sicq; fit ut & res illius minuantur Ecclesiæ, & ordo ecclesiasticus non seruetur. Talem ergo te admonente personā debent sibi eligere, quæ nullius incongruæ uoluntati deseruiat, sed uita ac moribus decorata, tanto ordine digna ualeat inueniri. De rebus uerò uel ornamēto eiusdē ecclesiæ, fideliter rerum inuentarium facito te præsente conscribi. Et ne de rebus ipsis possit aliquid deperire, Respectū diaconem atq; Stephanum primicerium notarium, ut ipsarum rerum omnino gerant custodiā admoneto, interminans eis, de propria eos satisfacturos esse substantia, si quicq; exinde eorum negligentia fuerit imminutum. Malchum aūt fratrē & coepiscopū nostrū contestari te uolumus: ut se penitus in hac causa non misceat. Nam si per eum aliquid contra uoluntatem nostram factum uel tentatum potuerimus addiscere, non modicam ad se culpā & periculum pertinere cognoscat. Sed & hoc eum admonere curato, ut ad ponendas explendasq; rationes patrimonij nostri quod gessit, debeat esse sollicitus, pro quibus etiam faciendis, ex Siciliæ partibus ad nos postposita excusatione uenire festinet. In rebus igitur Salonitanæ Ecclesiæ nullo modo se miscere præsumat, ne amplius ei aut obnoxius, aut possit esse culpabilis. Nam multa habere de rebus prædictæ Ecclesiæ fertur, eumq; opinio penè autorem extitisse in uenditione rerū eius, uel alijs illicitis asseuerat. Quod si ita esse sicut dicitur, manifesta ueritate patuerit, certus sit inultum hoc nullatenus remanere. Expensa uerò quæ necessaria fuerit, per œconomum qui tempore mortis prædicti episcopi inuentus est, eroget tur, quatenus rationes suas futuro episcopo ipse, ut nouit, exponat. Cuncta siquidē quæ tibi agenda mandauimus, cum cōsilio magnifici atq; eloquentissimi Marcelli filij nostri te agere profectò necesse est, quatenus ita omnia quæ huius præcepti pagina continet, sollicitè strenueq; possis implere, ut nulla te neglectus culpa respiciat.

Cā.8.q.2 Illud quidē

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.
De lapsu Secundini, & ordinatione Theodosii. Caput LXII

QVamuis horrenda execrādaq; nimis Secundinum ad aures nostras peruenerit crimina commisisse, hoc tamen solum ad eius damnationem poterit sufficere, q̄d etiā ipse de se dicitur fuisse confessus. Cognouimus autē ab eo dictum q̄ dum tertius à loco esset abbatis, à statu habitus sui lapsu corporis ceciderit, & licet ad abbatis ordinem tanto inquinatus facinore nulla debuerit ratione proficere, tamen quia temerario pòst ausu ac tanta pollutione detētus, hoc indignus arripuit, experientiæ tuæ huius authoritatis tenore Epist.23

præcipimus,ut præfato Secundino remoto ab ab batis officio,Theodoſium quem cõgregatio ipſa ſibi petijt ordinari, in monaſterio ſancti Martini abbatem ſolenniter per eum cuius prouiſio inter eſt,facias ordinari:quatenus in cura congregatio nis ſubiectæ,adiuuante deo,cauta poſſit ſollicitudine uigilare.Poſſeſſiões uerò uel hortos eiuſdem monaſterij eccleſiaſtica, inquantum ratio patitur, tuitione defende.

Gregorius Leontio epiſcopo.
De infirmitate Caſtorij.& uiſitatione eius Eccleſiæ. Caput LXIII

Epiſt.24 CAſtorium fratrem &coepiſcopum noſtrum hic pro corporis ſui moleſtia retinemus. Et quia nunc ad ſuam Eccleſiam non ualet remeare: propterea eo abſente, Eccleſiæ ipſius fraternitati tuæ operã prouidimus uiſitationis delegandam, admonentes charitatem tuam ut ita efficaciter omnes utilitates eius exerceat: quatenus tui præſentia proprium ſe,abſentem habere non ſentiat ſacerdotem.Quicquid autẽ tibi uiſum fuerit pro utilitatibus eiuſdem Eccleſiæ ordinare, habebis modis omnibus ex noſtra permiſſione licentiam. Redditus uerò uel ornamenta,miniſteriaq; ipſius ſollicitudinis tuæ cura conſeruet. Et præter ordinationes clericorũ,cætera omnia in prædicta Eccleſia tanquã cardinalem & propriũ te uolumus agere ſacerdotem.

Gregorius uniuerſis habitatoribus Arimini.
De infirmitate Caſtorij,& uiſitatione Leontij. Caput LXIIII

Epiſt.25 SI in culpam ueſtram filij dilectiſſimi intentius uelitis intendere,aſsidua uos apud deũ debetis oratione purgare, quòd epiſcopũ ueſtrum non deuota mente nec ut filij ſuſcepiſtis: quem in quietudo & tribulatio à uobis illata ad hoc uſq; perduxit,ut moleſtiã corporalẽ incurrerit: quam uis in eo nihil de his quę nobis ſunt ſcripta cognouimus,ſed ſolam ineſſe debilitatem uidimus, pro qua eum hic retinere curauimus.Et quia illuc modo ad præſens non ualet remeare,Eccleſię ueſtræ prouidimus|Leontium fratrem & coepiſcopum noſtrũ uiſitatorẽ per omnia deputare,cui etiã noſtris ſcriptis iniunximus,ut omnia quæ ad curam utilitatemq; Eccleſiæ pertinent,tanquam proprius epiſcopus debeat ordinare. Vos ergo ei ita & in omnibus obedite,quatenus operam ſibi uiſitationis iniunctam ueſtra uirtute, ſalubri in omnibus deuotione poſsit complere.

Gregorius Magno presbytero Eccleſiæ Mediolanenſis. De excommunicatione eius,& de epiſcopo eligendo. Cap. LXV

Epiſt.26 Cã.24.q.3. Cõperimus SIcut exigente culpa, quis à ſacramento communiõis dignè ſuſpenditur,ita inſontibus nullo modo talis debet irrogari uindicta. Comperimus ſiquidem quòd Laurentius quondam frater &coepiſcopus noſter nullis te culpis exigentibus communione priuauerit, ideoq; huius præcepti noſtri authoritate munitus, officium tuũ ſecurus perage,& communionem ſine aliqua ſume formidine.Illud præterea neceſſariò te duximus adhortandum,ut ita te cunctis utilitatibus Eccleſiæ tuæ puré ac diligenter exhibeas,quatenus nec offenſa te aliqua de neglectu reſpiciat,&culpam ſi qua in te,propter quam dominici corporis & ſanguinis communione fueras priuatus, uel latens inuenta eſt,tuæ fidei puritate detergas. Admone igitur clerum & populum,ut ad eligẽdum nullatenus diſſentiant ſacerdotem:ſed uno conſenſu talem ſibi eligant conſecrandum epiſcopum,cuius & actus laudabiles,& grata deo & hominibus poſſit eſſe perſona, ne ſi aliter actum fuerit,in diuerſis,quod abſit,ſtudijs damnũ Eccleſiaſticis rebus eueniat.

Menſe Aprili. Indictione undecima.
Gregorius Marmiano abbati de Panormo,& Benenato notario rectori patrimonij Panormitanenſis. De Bonifacio rictore iniuſtè damnato. Caput LXVI

Epiſt. Cã.24.q.3. Sicut SI ea de quibus uehementer deus offendit,inſequi uel ulciſci differimus,ad iraſcendũ utiq; diuinitatis patiẽtiã prouocamꝰ. Multa etenim ad nos mala de quibuſdã in Panormitana ciuitate deuenerunt,quæ quoniam maiorẽ coercitionem expectant, nec temere credenda, nec deſidioſè quærenda ſunt. Pro qua re Victori fratri & coepiſcopo noſtro iniunximus, ut ſi uera eſſent,& ea inſequi debuiſſet,& ulciſci. Nunc itaq; huc ueniens Bonifacius Victor præſentium lator fruſtra ſe & communione priuatum, & alia ſe grauiora à prædicto epiſcopo queritur fuiſſe perpeſſum.Quia ergo nullus ſine cognitione damnandus eſt, eidem fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus,ut ſi perſona quæ de ipſo quædã dicere poſſit, inuenta fuerit, eã ad noſtrã debeat cognitionẽ dirigere.Ideoq; huius præcepti uos pagina neceſſario duximus adhortãdos, quatenus nullius perſonam attendentes, ſed dei timorẽ habentes præ oculis,ibi cũ omni æquitate ſi qua uobis de eo dicta fuerint,memores futuri iudicij,ſubtili debeatis indagatione perquirere.Et ſi in ueſtra cognitione cuiuſquam eum facinoroſi criminis reum eſſe patuerit,tunc ex noſtra authoritate non ſolum dominici corporis & ſanguinis communione priuatus ſit,uerumetiam in monaſterium ubi pœnitentiam agere debeat, retrudatur: ut criminis ſui maculas conuenienti ualeat apud æternum iudicem lamentatione purgare. Si uerò aut nihil aduerſus eum in cognitiõe ueſtra dictum fuerit, aut ſi quid dici contigerit,& uerum non eſſe conſtiterit,nec aliquibus illum iudicijs in hoc quod dicitur incidiſſe,potueritis agnoſcere, modis omnibus renunciare nobis curabitis. Prædictum enim Bonifacium nullam à quolibet uolumus moleſtiam ſuſtinere,quoniam ſicut iuſtum eſt,ut in delinquentibus digna debeat uindicta procedere, ita iniquum eſt quibuſdam afflictionibus quenquã irrationabiliter ſubiacere.

Gregorius uniuerſis epiſcopis per Italiam.
Vt Armenio in neceſsitatib.ſubueniant.Ca.LXVII

Epiſt. QVicquid miſericorditer ac reſpectu pietatis impenditur,& hic authorẽ ſuum adiuuat,& optatum ei præmium in die retributionis apportat.Quod cùm ita ſit: quia excellentiam ueſtram ualde diligo,mercedis uobis cauſas inſinuo. Armenius

menius itaq; magnificus filius quondam Antoni A ipsis paucissimis, qui ad modicū derelicti sumus, ni illustrissimi uiri, sua me egestate cōpulit, ut pro cum supernę percussionis cladibus, humanus gla ipso uobis debuissem scribere. Qui quoniā, sicut dius incessanter sęuit. Mundi igitur mala quæ du- nostis, utroq; parente orbatus est, eminentiæ ue- dum uentura audiebamus, aspicimus: quasi pagi- strę tuitionem & continentiā præstolatur. Vnde næ nobis codicū, factæ sunt ipsę iam plagæ terra- pietas uestra piæ considerationis, ut cōsueuit, in- rum. In interitu ergo rerū omniū pēsare debem⁹, tuitu, inquantū utile prospicit, ei locum uel actio nil fuisse quod amauimus. Appropinquantē itaq; nem prouideat, ex qua quotidianis stipendijs ua- æterni iudicis diē sollicita mēte cōspicite, & terro leat contineri, quoniam hæc maxima laus & mer rem ipsius pœnitēdo præuenite. Delictorū omni ces est, si illa orphanis impendantur, quę eorū pro um maculas fletibus lauate. Iram quæ æterna im- suis obsequijs poterant genitoribus exhiberi. miner, temporali lamēto cōpescite. Pius enim cō- ditor noster cùm ad iudicium uenerit, tanto nos

Gregorius presbyteris, diaconibus, & clero Medio maiore gratia cōsolabitur, quanto nunc cōspicit, lanensis Ecclesiæ. De ordinando ad episcopatū quòd à nobis nostra delicta puniuntur. Latorem Constantio diacono. Et admonitio de die iudicij uerò præsentium loānem subdiaconum nóstrum Caput LXVIII ad hoc deo fauente transmisimus, ut electum ue-

Epist.29 EPistolam dilectionis uestræ suscepimus, cui B strum sua imminentia cū dei omnipotētis solatio tamen nullius erat inserta suscriptio, sed fidē, secundum morē prædecessoris eius faciat episco- Magni presbyteri, & Hyppoliti clerici portitorū pum cōsecrari. Nā sicut ab alijs nostra exigimus, personæ faciebant. Qua relecta, comperimus om ita singulis sua iura seruamus. nium uestrū in Constantio filio nostro Ecclesiæ

Gregorius Ioanni subdiacono. uestræ diacono conuenire cōsensum, qui dudum De electione & consecratione Constantij. LXIX mihi bene cognitus fuit. Et cum in urbe regia re- QVanto apostolica sedes deo autore cunctis Epist.30 sponsa sedis apostolicæ facerē longo mihi tēpore prælata constat Ecclesiis, tanto inter multi- Parte 1 adhæsit, sed nihil unquam in illo quod reprehen- plices curas, & illa nos ualde sollicitat, ubi ad con Dist.63 di passim potuisset, inueni. Veruntamē quia anti- secrādum antistitē nostrum expectatur arbitriū. quæ meæ deliberationis intentio est, ad suscipien Defuncto igitur Laurentio Ecclesiæ Mediolanē- da pastoralis curæ onera, pro nullius unquam mi sis episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit, sceri persona, orationibus prosequor electionem in electione se filij nostri Cōstantij diaconi sui u- uestram, ut omnipotens deus qui futurorū actuū nanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non nostrorū semper est præscius, talē uobis pastorē fuit subscripta relatio, ne quid quod ad cautelam prębeat, in cuius lingua & moribus, exhortatio- C pertinet omittamus, huius idcirco præcepti auto nis diuinæ pascua ualeatis inuenire: in cuius men ritate suffultum Genuam te proficisci necesse est. te & humilitas cum rectitudine fulgeat, & seueri Et quia multi illic Mediolanensiū coacti barbari- tas cum pietate: qui uobis uiam uitæ non solū le- ca feritate cōsistunt, eorū te uolūtates oportet cō- gendo uel loquēdo, sed etiā uiuēdo possit ostēde uocatis clericis in communione perscrutari. Et si re: quatenus exemplo illius discat uestra dilectio, nulla eos diuersitas ab electionis unitate distermi Cā.q.1 ad æternæ patrię desiderium suspirare. Itaq; nos si nat, si quidem in prædicto filio nostro Constan- Nicolaus lij charissimi officij nostri censura commoniti sua tio omnium uoluntates atq; consensum perdura- demus ut in hac suscipiendi antistitis causa nullus re cognoscis, tunc eum à proprijs episcopis, sicut uestrū neglecta utilitate communi suo lucro pro- antiquitatis mos exigit, cū nostrę autoritatis assen spiciat: ne si quisquam propria cōmoda appetit, su, solatiante & auxiliante dño, facias consecrari: friuola æstimatione fallatur: quia nec libero iudi- quatenus huiusmodi seruata consuetudine, & A- cio præferendam sibi personam examinat mens, postolica sedes proprium uigorē retineat, & à se quam cupiditas ligat. Pensantes igitur quæ cun- concessa alijs iura non minuat. ctis expediunt, ei quem uobis diuina gratia prętu-

Gregorius Romano patricio & exarcho Italiæ. lerit, integerrimam semper in omnibus obedien- D De obitu Laurentij, & consecratione Constan- tiam prębete: id est talem eligite cui semper debe tij. Cap. LXX atis obedire. Iudicari nanq; à uobis ultra non de- bet semel prælatus, sed tanto nunc subtiliter iudi- OBitum Laurentij Ecclesiæ Mediolanensis Epist.31 candus est, quanto postmodum iudicandus non episcopi excellentiā uestram iam credimus est. Consecrato autem uobis deo authore pastori cognouisse, & quia quātum ex cleri relatione di- tota uos mente cōmittite, atq; in illo omnipoten- dicimus, in Constantio filio nostro diacono eiusdē ti domino qui uobis hunc prætulit deseruite. Sed Ecclesiæ omnium consistit electio, necesse quia iuxta meritum plebium, solent superno iudi fuit pro seruanda consuetudine, militem Ecclesiæ cio personæ prouideri pastorū, uos spiritalia quæ nostræ dirigere, qui eum in quo omniū uolunta- rite, cœlestia amate, temporalia ut fugitiua despi- tes atq; cōsensum cōcorditer cōuenire cognoue- cite: & certissimum tenete, quia placentē deo pa- rit, à suis episcopis, sicut uetus mos exigit, cū no- storem habebitis, si uos in uestris actibus deo pla stro tamen assensu faciat consecrari. Proinde pa cetis. Ecce iam mundi huius omnia perdita con- terna dilectione persoluentes debitum salutatio- spicimus, quæ in sacris paginis audiebamus peri- nis officiū, quæsumus ut prædicto Cōstantio, seu tura. Euersæ urbes: Castra eruta: Ecclesiæ destru- fuerit cōsecratus episcopus necne, excellentia ue ctæ: Nullus terrā uestrā cultor inhabitat. In nobis- stra ubi necesse fuerit, suū dignet impēdere, iusti-

tia fauente, ſolatium: quatenus hæc uos merces, & hic apud inimicos ueſtros exaltet, & in futura uos uita apud deũ præuenĩēter cõmendet. Meus eſt eĩm ꝓprius, olimq; mihi magna fuit familiarita te cõiunctus. Et uos quos noſtros cognoſcitis, ha bere ut ueſtros, & peculiariter diligere debetis.

Gregorius Honorato archidiacono Salonitano. De abſolutione ipſius. Caput LXXI

Epiſt.32 DVdum quidẽ deceſſoris noſtri, noſtraq; præ ceptio ad dilectionẽ tuã cucurrerat, in qua & de obiectis tibi calumnioſe capitulis fueras ab ſolutus: & in tui gradus ordine ſine aliqua te inſti tuimus altercatione reſtitui. Sed quia rurſus ante non multum temporis ſpatium, ad Romanam ci uitatem ueniens, de aliquibus illic actis incõgruè, & de ſacrorũ es cõqueſtus alienatione uaſorum: atq; dũ pro hac re, quæ tuis obiectionibus reſpon dere potuiſſent, ſuſtineremus in hac ciuitate per ſonas: Natalis epiſcopus tuus de hac luce migra uit: neceſſarium iudicauimus eaſdem præceptio nes tam deceſſoris noſtri, quàm noſtras quas du dum, ut dictum eſt, pro tua abſolutione tranſmiſi mus, præſentibus deinceps apicibus confirmare. Quamobrẽ à cunctis tibi obiectis capitulis te ple nius abſoluẽtes, in tui te ordinis gradu ſine aliqua uolumus altercatiõe permanere, ut nihil tibi peni tus mota à præfato uiro quæſtio qualibet occaſio ne præiudicet. De his autem capitulis de quibus cõqueſtus es: Antonino ſubdiacono & rectori il lic patrimonij ſanctæ (cui deo authore præſide mus) Eccleſiæ, inſtanter iniunximus, ut ſiquidẽ in his Eccleſiaſticas inuenerit immixtas eſſe perſo nas, cum ſumma cauſas ipſas diſtrictione atq; au thoritate diffiniat. Si autem cum talibus res agi tur, in quos Eccleſiaſticæ uigor non poſſit iuriſdi ctionis extendi, de ſingulis quibuſq; capitulis pro batiões inter publica geſta depoſitas, ad nos abſ que ulla dilatione tranſmittat, ut inſtructi ſubtili ter ſciamus quid de his debeamus, Chriſto auxili ante, diſponere.

Gregorius Dinamio patricio Galliarum &c. Crucem tranſmittit in qua de craticula ſancti Lau rentij reliquiæ continebantur. Cap. LXXII

Epiſt.33 MOnſtrat quàm bene diſpenſet propria, qui fideliter adminiſtrat aliena. Quod ueſtra nobis gloria oſtendit, quæ perenni muneri inten ta, beato Petro, Apoſtolorum principi, ſuorũ red dituũ fructus intulit. Cui dũ ſua fideliter impendi tis, hæc apud eũ ueſtra munera feciſtis. Sic quippe agere huius terræ glorioſos de æterna gloria co gitantes decet, ut in eo quod temporaliter præua lent, mercedem ſibi non temporalem parent. Pro inde debitum ſalutationis alloquium perſoluen tes, omnipotentem dominum deprecamur, ut ui tam ueſtram & bonis præſentibus repleat, & ad ſublimia gaudia æternitatis extẽdat. Suſcepimus nanq; per Hilariũ filium ueſtrũ de præfatis Eccle ſiæ noſtræ redditibus gallicanos ſolidos quadrin gentos. Tranſmiſimus autem beati Petri Apoſto li benedictionem & crucem paruulã, cui de cate nis eius beneficia ſunt inſerta. Quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, ſed ueſtra colla in perpetu um à peccatis ſoluant. Per quatuor uerò in circui tu partes de beati Laurentij craticula in qua peru ſtus eſt, beneficia continentur: ut hoc ubi corpus illius pro ueritate crematum eſt, ueſtram mentem ad amorem domini accendat.

Gregorius Petro ſubdiacono Campaniæ De Fe ſto epiſcopo à ciuibus ſuis contẽpto. Cap. LXXIII

QVeritur Feſtus frater & coepiſcopus noſter à ſuis ſe clericis ac ciuibus deſpici, atq; con temni. Pro qua re experientię tuæ præcipimus, ut tranquilla eos adhortatione conuenias, quatenus ſedatis, ſi quæ fortè odiorũ cauſæ ſunt, mutua eos, & deo placita charitate concilies: ut & illi quod patri oportet exhibeãt. Si quæ uerò aliç cauſç ſũt, prædicto epiſcopo te impendere præcipimus, ſal ua tamen iuſtitia & æquitate, ſolatium. Epiſt.34

Menſe Maio. Indictione undecima.

Gregorius Petro ſubdiacono Campaniæ. De eligẽdo in Neapolitana ciuitate epiſcopo. Caput LXXIIII

SÆpius à uobis Paulus frater & coepiſcopus noſter expetijt, ut eum ad propriã reuerti face remus Eccleſiam. Quod quia rationabile eſſe per ſpeximus, eius petitionẽ neceſſariò duximus ad implendam. Proinde experiẽtia tua clerum Eccle ſię Neapolitanę cõueniat, quatenus duos uel tres de ſuis eligere, & huc ad eligendũ epiſcopũ tranſ mittere non omittant. Sed & ſua nobis relatione inſinuent, quoniam ij quos trãſmiſerint, omnium in hac electione uice fungant, ut Eccleſiæ illi deo authore ſuus antiſtes ualeat ordinari. Nam ampli us eam ſine proprio nõ patimur eſſe rectore. Qui ſi fortaſſe admonitionem tuã quolibet modo diſ ferre tentauerint, Eccleſiaſticum in eos uigorem exerce. Nam prauitatis de ſe dabit indicium, quiſ quis in hoc non ſponte conſenſerit. Prædicto au tem Paulo fratri & coepiſcopo noſtro centum ſo lidos, & unum puerulum orphanũ quem ipſe ele gerit, pro labore ſuo de eadem Eccleſia facies da ri. Illos aũt qui cunctorũ uice huc uenerint ad eli gendũ epiſcopũ, admone, ut ueſtiariũ omne epi ſcopi ſui ſciant deferendum, & quantum præuide rint ſecum argentum adducãt, quod in uſu ſuo ha bere poſſit, qui fuerit epiſcopus ordinatus. Hæc uerò omnia uiuaciter, diſtrictęq; implere feſtina, & ſub omni huc celeritate electos, ſicut diximus, de clero tranſmitte, ut quia diuerſi hic nobiles ci uitatis Neapolitanæ præſentes ſunt, unà cùm eis de epiſcopali ordinatione & tractare, & adiutore domino deliberare poſſimus.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. De Ianuario epiſcopo, & de Epiphanio presbytero. Ca. LXXV

QVędam ad aures noſtras grauia peruenerũt quæ quoniam canonicam emendationem expectant, idcirco experientiæ tuæ præcipimus, quatenus unà cum Ioanne notario, omni excuſa tione poſtpoſita, Ianuarium fratrem & coepiſco pum noſtrum ſumma huc exhibere inſtantia non omittas: ut eo coràm poſito, ea quæ ad nos perlata ſunt, ſubtili ualeant indagatione perquiri. Pompe iana uerò atq; Theodoſia religioſæ fœminæ iuxta poſtulationẽ ſuam, ſi huc uenire uoluerint, ueſtra eis in Epiſt.35

eis in omnibus prębere solatia, ut desideria sua uobis queant succurrentibus adimplere: præcipuè autem Isidorũ eloquentissimum, sicut petijt, studij uestri sit per omnia uobiscũ adducere, ut causę eius qualitas, quã contra Ecclesiã Caralitanã habere dinoscitur, interius trutinata, legalem ualeat finem accipere. Præterea quoniã aliqua nobis de persona Epiphanij presbyteri facinora nunciata sunt, necesse est ut diligentius cuncta perscruteris & seu mulieres cum quibus perisse dicit, seu alios quos de causa eadẽ scire aliquid senseris, huc pariter festines adducere, quatenus Ecclesiasticæ districtioni liquidè possint aperiri quæ uera sunt. Hæc uerò omnia ita efficaciter utrięq; curabis adimplere, ut nulla uos de neglectu culpa respiciat, scientes ad uestrũ omnino pertinere periculum, si hęc nostra quoquo modo fuerit lẽtata præceptio.

Gregorius Libertino præfecto Siciliæ.
De præsumptione Nasæ Iudęi & de mancipijs comparatis. Cap. LXXVI

Epist.37 AB ipso administrationis exordio, deus uos in causæ suæ uoluit uindicta procedere, & hanc uobis mercedem propitius cum laude seruauit. Fertur siquidem quòd Nasas quidam sceleratissimus Iudæorũ, sub nomine beati Heliæ altare punienda temeritate construxerit: multosq; illic Christianorum ad adorandum sacrilega seductione deceperit. Sed & Christiana, ut dicitur, mancipia cõparauit, & suis ea obsequijs ac utilitatibus deputauit. Dum igitur seuerissimè in eũ pro tantis facinorib. debuisset ulcisci, gloriosus Iustinus medicamento auaritiæ, ut nobis scriptũ est, delinitus, dei distulit iniuriam uindicare. Gloria autem uestra hæc omnia districta examinatione perquirat, & si huiusmodi manifestum esse repererit, ita districtissimè ac corporaliter in eundem sceleratũ festinet uindicare Iudæum, quatenus hac ex causa & gratiam sibi dei nostri conciliet, & his se posteris pro sua mercede imitandũ monstret exemplis. Mancipia autem Christiana quæcunq; eum Dist.54 Mancipia comparasse patuerit, ad libertatem iuxta legum præcepta, sine omni ambiguitate perducite, ne, quod absit, Christiana religio Iudæis subdita poluat. Ita ergo omnia districtissimè sub omni festinatione corrigite, ut non solũ pro hac uobis disciplina gratias referamus, sed & testimonium de bonitate uestra, ubi necesse fuerit, præbeamus.

Gregorius uniuersis episcopis Corinthijs.
De Adriano episcopo. Cap. LXXVII

Epist.38 DEsiderij nostri est ad concordiam redigere discordes, & unitos esse in gratia, eos quos diuisos ab alterutra dilectione uoluntatis fecit esse diuersitas. Scripta igit̃ fraternitatis uestræ relegentes, agnouimus quòd hi qui contra Adrianũ fratrem & coepiscopũ nostrũ aliqua dixerant, modo cũ eodẽ episcopo in amicitiã conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorũ unitate lætitia. Sed quoniã ea quæ dicta sunt, indiscussa remanere nõ patimur, fedis nostræ diaconũ ad ea investigãda dirigimus: quia nunciati nos facinoris qualitas uehemẽter impellit, ut ea quæ audiuim⁹ dissimulare nullaten⁹ debeamus: pręsertim cùm accusatores & accusatũ inter se fecisse gratiam indicastis: hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne forte esse eorũ sit cõparata concordia, quæ si, quod absit, nõ ex charitate, sed ex pręmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est. Nam nos qui canonicè, reuelante deo, mala, si quidem uera sunt, resecare præcedẽtia festinam⁹, cõmissam postmodum culpam sine uindicta nulla ratione dimittimus.

Mense Iunio. Indictione undecima.
Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.
De Numerio diacono, & Catella puella. LXXVIII

Epist.39 ANte aliquot dies tibi scripsimus, ut Numerium diaconũ Nucerinę Ecclesiæ interrogare subtiliter debuisses, & si nihil esset quod ei ad sacerdotij gradum potuisset obsistere, huc eum consecrãdum deo autore trãsmitteres. Et ideo si facta interrogatione quam diximus, suprascriptum ad nos diaconum transmissurus es, clerum & populum ciuitatis ipsius admonere curabis, ut cum eo quantũcunq; potuerint, uenire non differãt, quatenus eis præsentibus, si deo placuerit, qui ordinandus fuerit, cõsecretur. Præterea quia Felix defensor puellam nomine Catellam habere dicitur, quæ cum magnis lachrymis, & uehementi desiderio habitum conuersionis appetit, sed eam præfatus dns suus conuerti minimè permittit, proinde uolumus ut experientia tua præfatũ Felicẽ adeat, atq; puellæ eiusdem animum sollicitè requirat, & si ita esse cognouerit, precium eiusdem puellę suo domino præbeat, & huc eam in monasterio dandam cum personis grauibus domino auxiliante transmittat. Ita uerò hæc age, ut nõ per lentã actionem tuam præfatæ puellæ anima detrimentũ aliquod in desiderio suo sustineat.

Gregorius Panthaleoni notario.
De filia diaconi à Felice stuprata. Cap. LXXIX

Epist.40 QVestus est nobis Euangelus Sypontinæ Ecclesiæ diaconus, filiam suam à Felice fuisse, quod dici nephas est, stupratam. Pro qua re huius præcepti autoritate fuffultũ ad Sypontinã ciuitatem te proficisci necesse est, & adhibitis tibi sapiẽtibus illic uiris, cũ oĩi subtilitate ueritatẽ curabis addiscere, & si ita reperies, eam quã stuprauit, aut uxorẽ factis nuptialibus instrumẽtis accipiat, aut corporaliter castigatũ in monasteriũ eum priuatũ cõmunione ubi pœnitentiã peragat tradere festinabis: ita ut nulla exinde ei sit quoquo modo egrediendi licentia, nisi hoc nostra permiserit fortasse præceptio. Præterea quia supradict⁹ diaconus de hostibus se redẽptũ, ac propterea debitũ habere cõmemorat: ideo si talẽ eius substantiã nõ esse cognoueris, quæ ad reddendũ debitũ ipsum possit sufficere, Felici & fratri & coepiscopo nostro te imminere præcipimus, ut eius præcium de Ecclesia dare non differat, quatenus supradictus Euangelus sine tarditate aliqua à debiti possit necessitate cui est suppositus liberari.

Gregorius Felici episcopo Sypontino.
De diuersis causis emendandis. Ca. LXXX

Epist.41 PRopositi nostri sollicitudo nos uehemẽter adstringit, ut ita rerum Ecclesiasticarũ, deo auxiliante

liante, debeamus prouidere cautelam, quatenus in eis nulla possit ex neglectu prouenire iactura. Proinde fraternitas tua unà cum Bonifacio, nec non & Panthaleone latore præsentium sedis nostræ notarijs res Ecclesiarũ, quæ apud Sypontinã noscuntur esse Ecclesiam, curet subtiliter singulas quasq; describere: ut ram ministeria Ecclesiarũ, cȝ etiam usuale argentũ, uel quicquid aliud est, idem breuis à uobis conscriptus, ueraciter rerum facta inspectione contineat. Nec quandam ad hoc moram uel excusationem fraternitas tua tentet adducere, sed omni excusatione cessante, hæc quę à nobis iniuncta sunt, modis omnib. implere festina, eundemq; nobis breuem manu tua subscriptum, per antedictũ Panthaleonẽ transmitte: quatenus quid de hoc fieri salubriter debeat, diuina possimus gratia suffragante disponere.

Gregorius Felici episcopo Sypontino.
De peruersitate Felicis nepotis eius. Cap. LXXXI

Epist. 42 EXpectabamus fraternitatem tuã sua aliquos ad deum prædicatione conuertere, & male agentes ad rectitudinem reuocare. Qua de re nimis contristamur: quia è diuerso in nepotis tui Felicis prauitate, tua euidẽter, qui talem nutristi, culpa monstrata est. Peruenit itaque ad nos quòd supra scriptus Felix Euangeli diaconi tui filiam stupro deceperit. Quod si uerum est, quanuis graui esset de lege pœna plectendus: nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, huiuscemo didisponendo præcipimus: ut aut quam stuprauit uxorem habeat, aut certè si renuendum putauerit, districtius ac corporaliter castigatus, excõmunicatusq;, in monasterium ubi pœnitentiam peragat, retrudatur, de quo ei nulla sit egrediendi sine nostra præceptione licentia. Ita ergo fraternitas tua ut hæc compleãtur studeat, quatenus nihil de his aliquo modo possit omitti. Nã si quid q̃d nõ credimus, lentatũ fuerit, & illi graue postea periculũ imminebit, & te nõ leuis incipiet culpa respicere.

Gregorius Bonifacio episcopo Regitano.
De iniustitia Stephaniæ facta. Cap. LXXXII.

Epist. 43 Causa. 12 q. 2. sicut. SIcut Ecclesia proprias res amittere nõ debet, sita etiam rapacitatis ardore inuadere alienas non oportet. Stephania siquidem latrix præsentium, quasdam res suas temporibus decessoris tui Lucij quondã episcopi ab actoribus eius ui queritur occupatas. Et quia sibi eas petijt iustitia fauente debere restitui, propterea fraternitas tua cũ dei timore hæc quę asserit, subtiliter curet addiscere. Et si ita, quemadmodum suprascripta fœmina ait, esse repererit, quæcũq; malè ablata sunt, faciat sine aliquo damno uel dilatione restitui. Nam ual de durũ est res alienas contra rationẽ Ecclesiã detinere. Ita ergo querimoniã præfatæ mulieris saluberiter finire festina, ut nec nos exinde denuo molestiam patiamur, nec te auarum uel desidiosum hæc causa demonstret.

Gregorius Andreæ episcopo Tarentino.
De concubina eius: & muliere de Matriculis uerberata. Cap. LXXXIII

Epist. 44 TRibunal iudicis eterni securus aspiciet, quisquis reatus sui cõscius, digna eum modo pœnitentia placare contendit. Habuisse te siquidem concubinam, manifesta ueritate comperimus: & te illius criminis participationem habere. De qua etiã contraria est quibusdam innata suspitio. Sed quia in rebus ambiguis absolutũ nõ debet esse iudiciũ: hoc cõscientiæ tuę elegimus cõmittendum. Qua de re si in sacro ordine cõstitutus eius te permixtione esse recolis maculatũ, sacerdotij honore deposito, ad administrandũ nullo modo præsumas accedere: sciturus in animæ tuę periculum te ministrare, & deo nostro sine dubio te redderera tionem: si huius sceleris cõscius, in eo quo es ordine, celans ueritatem permanere uolueris. Vnde iterum adhortamur ut si te deceptũ antiqui hostis calliditate cognoscis, competenti eum dum licet pœnitentia superare festines: ne cũ eo particeps, quod nõ optam⁹, in die iudicij deputeris. Si uerò huius reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est, quo es ordine permanere. Præterea quoniam mulierem de Matriculis contra ordinem sacerdotij cædi crudeliter fustibus deputasti: quam licet post octo menses exinde minimè arbitramur fuisse defunctã, tamen quia ordinis tui habere noluisti respectũ, propterea duobus te mensib. ab administratione missarum statuimus abstinere. In quibus ab officio tuo suspensum, flere te cõuenit q̃d fecisti. Nam ualde dignum est ut postcȝ te ad uitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non prouocant, saltem correptionis medicina compellat.

Gregorius Ioanni episcopo Calliopolitano.
De Andrea episcopo & Matricula uerberata.
Caput LXXXIIII

Epist. 45 EXgestis quæ ad nos fraternitas tua direxit, inuentum est Andream fratrem & coepiscopum nostrum habuisse sine dubio cõcubinã. Sed quia incertum est si eam in sacro ordine constitutus contigerit: necesse est ut eum sollicita adhortatione cõmoneas, ut si positus in sacro ordine, cum ea se nouit mixtum, ab eo in quo est officio quiescat, & nullatenus administrare præsumat. Qui si fortè conscius sibi huius rei, peccatũ suum supprimens, administrare præsumpserit, animæ suæ periculũ diuino iudicio imminere cognoscat. Matriculam uerò quam fecit fustibus castiguri, quanuis exinde post octo mẽses obijsse nõ credimus: quia tamen eam contra propositi sui ordinẽ huiusmodi fecit affligi, duobus hunc mensib. à missarũ solennitate suspende: ut uel hæc eũ uerecũdia qualem se decætero possit exhibere, instituat. Præterea oblata nobis petitione, quæ tenet in subditis, clerici prædicti episcopi multa se mala ab eo sustinere cõmemorãt. Ob quã rem fraternitas tua subtiliter cuncta curet addiscere, & ita ea rationabili modo emendare atq; disponere, ut nulla eis, p hac re huc remeandi de cætero necessitas imponatur.

Gregorius clero Ecclesiæ Salonitanæ.
De Honorato ad episcopatum eligendo.
Caput LXXXV

Epist. 46 DIlectionis uestræ scripta relegentes, electionem uos in Honoratum archidiaconem uestrum feciſſe didicimus: & omnino nobis gratum fuisse

fuisse cognoscite, ꝙ olim expertum uirum, & grauem moribus, ad episcopatus ordinem elegistis. Cuius etiam & nos personam, quia dudum est nobis bene cognita, cõprobamus: eumq; uobis iuxta desiderium uestrum & nos ordinari uoluimus sacerdotem. Pro qua re hortamur uos in eius electiõe sine aliqua ambiguitate persistere. Nec quæ dã uos res ab eius debet persona deflectere: quia sicut ista laudabilis nunc probatur electio, ita si, quod absit, dilectionem uestram ab eo quisq; deuiare seduxerit, & animæ uestræ grauamen, & opinioni maculam infidelitatis imponet. Eos uero qui ab electionis uestræ unitate incõsiderate discordant, ut uobiscum sentire possint, ab Antonino subdiacono nostro fecimus admoneri. Cui etiam de persona Malchi fratris & coepiscopi nostri quid oporteat fieri, iampridẽ iniunximus. Sed quoniam & ipsi scripsimus, credimus eum ab inquietudine uestra sine mora quiescere. Qui si fortasse obedire quocunq; modo neglexerit, contumacia eius canonicæ ultionis districtione modis omnibus mulctabitur.

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.
De sacris ordinibus, & de concilio faciendo.
Caput LXXXVI

Epist. 47

ANteq; fraternitatis tuæ scripta susciperem, bonum te dei famulum esse, nunciante ueridica opinione cognoui. Et postq; suscepi certũ fuisse hoc, quod fama dudũ asperserat, plenius intellexi, meritisq; tuis ualde cõgaudeo, ꝙ testes uitæ laudabilis mores tuos & actus ostẽdis. Hæc ergo quoniam superna tibi sentio maiestate collata, gratulor: et deum creatorẽ nostrũ utiq; benedico, qui seruis humilibus misericordiæ suæ dona non denegat. Qua de re uerum fateor: quia sic me fraternitas tua ad amorẽ suum flamma charitatis accendit, sicq; tibi unitus est meus spiritus, ut & uidere te cupiã, & tamen absente corde semper attendam. Hæc igitur ita esse ex te bene consideras. Nam profecto plus in charitate animorũ unitas, q̃ corporalis potest uenerari præsentia. Præterea tota te mente, toto corde, totaq; anima Apostolicæ sedi inhærere ac esse deuotũ & nunc scio, & priusq; Epistola tua hoc testimonium perhiberet, manifestẽ cognoui. Præmisso ergo ex charitate salutationis alloquio adhortor, ut eorũ quę beato Petro apostolorũ principi promisisti, memor esse non desinas. Itaq; erga primatẽ synodi tuæ esto sollicitus, ut pueri ad sacros ordines nullatenus admittant, ne tanto periculosius cadãt, quanto citius cõscendere ad altiora festinant. Nulla sit in ordinatione uenalitas, potentia uel supplicatio personarũ nihil aduersus hæc quæ prohibemus, obtineat. Nam proculdubio deus offenditur, si ad sacros ordines quisq; non ex merito, sed ex fauore, quod absit, aut ex uenalitate prouehitur. Hæc autẽ si fieri cognoscis, non taceas, sed instanter obsiste, quoniã si hæc aut inuestigare fortasse neglexeris, aut intellecta celaueris, nõ solũ illos qui hęc agunt, peccati uinculũ alligabit, sed & te huius rei non leuis ante deũ culpa respiciet. Oportet ergo canonica ultione si quid tale cõmittitur, coerceri: ne tantũ facinus, cum aliorũ peccato parcitur, uires ex dissimulatione percipiat. Præsentiũ igitur portitorẽ Victorinũ fraternitatis tuæ diaconem, quẽ tuum reor imitatorẽ existere, & cum charitate suscepi, & ad remeandũ citius relaxaui: per quẽ etiã claues beati Petri, in quibus de catenis ipsius inclusum est, tibimet pro benedictione transmisi. Propterea de unitate ac pace cõcilij, quod deo authore congregare disponitis, charitas tua animos nostros subtiliter omnia indicando lætificet.

Gregorius Adeodato episcopo primati prouinciæ Numidiæ. Vt nullus ad sacros ordines precio ascendat. Cap. LXXXVII

Epist. 48

QValiter erga nos fraternitatẽ uestrã charitas dilectionis adstrinxerit, scriptorũ uestrorũ series euidẽter innotuit. Magnumq; fomitẽ nobis cõtulere lętitiæ, ꝙ ea & benigna pietate cõposita, et deo placita dilectione feruere cognouimus. Vt igitur breuiter diximus, ita mentem uestram Epistola quã direxistis exposuit, ut author eius abesse minimè crederetur. Nec enim absentes iudicandi sunt, quorum animus ab alterutra charitate non discrepat. Quamuis autem nec uirtus, nec ætas uos, sicut scribitis, ad nos uenire permittat, ut de fraternitatis uestræ corporali possimus gratulari præsentia: tamẽ quia animus noster uobis, uesterq; nobis unitus est, uicissim nobis per omnia præsentes sumus, dum nos unita per amorẽ mente conspicimus. Salutantes præterea fraternitatẽ uestram, congruo charitatis affectu hortamur, ut officium primatus, quod deo habetis authore, tota intentione sic studeatis sagaciter exhibere: quatenus ad hunc uos ordinem peruenisse, & animæ uestræ proficiat, & aliis in futuro exemplum bonæ imitationis existat. Estote ergo præcipuè in ordinatione solliciti: & ad sacros ordines aspirare, nisi prouectiores ætate, & mundos opere, nullatenus permittatis, ne fortè semper esse desinant, quod immaturè esse festinant. Eorum enim qui in sacro sunt ordine collocãdi, prius uitam moresq; discutite: & ut dignos huic officio adhibere possitis, non uobis potentia, aut supplicatio quarumlibet surrepat personarum. Ante omnia autem cautos uos esse oportet, ut nulla præueniat in ordinatione uenalitas, ne, quod absit, & ordinatis & ordinantibus periculũ maius immineat. Si quando igitur de his tractari necesse est, graues expertosq; uiros consilijs uestris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione pensate. Præ omnibus autem Columbum fratrem & coepiscopum nostrum in cunctis adhibere uos conuenit. Credimus enim quia si illa quæ agẽda sunt, cum eius consilio feceritis, nullus in uobis quod quibusq; modis redarguere possit, inueniet: nobisq; ita gratũ esse, tanq; si cum nostro consilio agantur, cognoscite: quoniam uita moresq; illius ita in omnibus sunt nobis approbati, ut cũctis liquidó cõstet, quia quod cũ eius cõsensu agit, nullius culpæ macula fuscet. Præsentiũ uero lator Victorinus suprascripti coepiscopi nostri diaconus,

C. 1. q. 1 Estote

C. 1. q. 1 Pueri

uestrorum præco ita extitit meritorum, ut animos A nostros de uestra uehemẽter actione reficeret. Et oramus omnipotentem dominum, ut bona quæ de uobis oretenus retulit, placita sibi plenius faciat operatione claresc ere. Concilium itaq; quod congregare disponitis, dum deo fuerit solatiante peractum, de eius nos unitate atq; concordia lætificate, ac reddite per omnia certiores.

Gregorius Theodoro episcopo Lilibitano.
De Paulo in pœnitentiam dato. Cap. LXXXVIII

Epist.49 FRaternitatis tuæ grata nobis omnino sollicitudo est: quia ea quæ de sacerdotum uita cognoscit, & perscrutari curat, & inuestigata renunciat. Vt ergo in hac sollicitudine quam in te laudamus, possis sine diminutione persistere, studiosus B esto ac uigilãs, & si quos illic à quibuslibet, quod absit, excessus perpetrari cognoueris, siquidem tales sunt qui emendari ibidem possint, rationabiliter emendentur, alioquin fratri nostro Maximiano episcopo scriptis renunciare festina, ut quid fiendum sit, à uobis informatus agnoscat. Nulla igitur res ab inuestigatione prauorũ actuum uel insinuatione te reuocet, nam quanto uigilantiam tuam modo laudamus, tanto culpabilior inueneris, si huiusmodi actus qualibet dissimulatione celaueris. Paulum præterea quondam episcopum in monasterio in quo est, in pœnitẽtia uolumus permanere. Res autem quæ apud eum inuentæ sunt, in cimiliarchio Ecclesiæ tuæ seruari modis omnibus studebis. De quibus etiam secundũ rerum in- C uentarum paginam scriptum te facere uolumus, & in scrinium Ecclesiæ tuæ transmittere. Sed clericis eius, si tamen illic aliqui præsentes sint, à pari aliud facere desuscepturn te conuenit, in quo tua fraternitas fateatur, quia desuscepturn de eisdẽ rebus in scrinio nostro emiserat, quatenus dum necesse fuerit, competenti personæ res omnes possint sine detrimento restitui. De Bonifacio uerò quædam grauis ad nos accusatio peruenit, cuius scelera uolumus, utrum uera sint, fraternitas tua cum loci seruatore prætore examinet.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano, &c.
De gestis sanctorum per Italiam. Cap. LXXXIX

Epist.50 FRatres mei qui mecum familiariter uiuunt, omni modo me compellunt aliqua de mira- D culis patrũ quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate scribere. Ad quam rem solatio uestrę charitatis uehementer indigeo, ut ea quæ uobis in memoriam redeunt, quæq; cognouisse uos contigit, mihi breuiter indicetis. De domino enim Nonnoso abbate qui iuxta dominũ Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ obliuioni mandaui. Et hoc igitur, & si qua sunt talia, tuis peto Epistolis imprimi, et mihi sub celeritate trãsmitti, si tamen ad me ipse non properas.

Gregorius Prisco patritio Orientis.
De humilitate tenenda in prosperis & aduersis. Cap. XC

Epist.51 SI uitæ istius cursum ueraciter attendamus, nihil in eo firmum, nihil inuenimus stabile, sed quemadmodũ uiator modo per plana, modo per aspera gradit ur: sic nobis utiq; in hac uita manentibus nunc prosperitas, nunc occurrit aduersitas. Deniq; alternis sibi succedunt temporibus, & mutua se uice confundunt. Dum igitur omnia in hoc mundo mutabilitatis ordo confundit, nec eleuari prosperis, nec frangi debemus aduersis. Tota ergo mente ad illũ nos conuenit anhelare, ubi quicquid est, firmum permanet, ubi non mutatur aduersitate prosperitas. In hac ergo uita miro dei omnipotentis moderamine idcirco agitur, ut uel prosperitatem aduersitas, uel aduersitatem prosperitas subsequatur, quatenus & humiliati discamus quicquid deliquimus flere, & iterum exaltati, aduersitatis memoriam, quasi humilitatis anchoram in mente teneamus. Non hoc ergo creatoris nostri ira est deputanda, sed gratia, per quã discimus ut eius dona tanto seruemus uerius, quanto humilius tenemus. Quia igitur perfectam uos domino rum gratiam authore omnipotente deo reparasse cognouimus, magna pro uobis exultatione gaudemus, oprãtes ut uitam uestram rerum omnium gubernator & bonis semper præsentibus fulciat, & ad gaudia perpetua extendat. Hoc uobis ideo loquor, quia multum uos diligo, atq; me à uobis diligi scio. Sed hoc quod me diligitis, in latorẽ præsentium Sabinianum diaconum demonstrate, ut ubi usus exegerit, uestra patrocinia consequatur. Vir autem gloriosus Castus præco laudum uestrarum, in Romanis partibus existit, quem uestræ excellentiæ paterna dilectione commendo.

Gregorius Ioanni episcopo Constantinopolitano.
De Ioanne presbytero, & de monachis Isauriæ cæsis. Cap. XCI

QVamuis causæ cõsideratio me mouet ad scri Epist.52
bendum, tamen & charitas impellit: quia & semel & bis sanctissimo fratri meo domno Ioanni scripsi, sed non eius Epistolas recepi. Alter enim mihi secularis quidam sub eius nomine loquebatur, quæ si Epistolæ eius fuerint, ego uigilans non fui, qui lõgè de eo aliter credidi quàm inueni. De causa enim reuerentissimi uiri Ioannis presbyteri scripseram, atq; de quæstionibus monachorũ Isauriæ, quorũ unus & in sacerdotio positus, in Ecclesia uestra fustibus cæsus est, & rescripsit mihi, sicut ex nomine Epistolæ agnosco, sanctissima fraternitas tua, quia nescierit de qua causa scriberẽ. Ad quod scriptũ uehementer obstupui, mecũ tacitus uoluens, si uerũ dicit, quid esse deterius potest, q̃ ut agantur talia contra seruos dei, & ipse nesciat qui præsto est? Quæ enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit? Si autẽ sciuit sanctitas uestra & de qua causa scripserim, & quid uel contra Ioannẽ presbyterũ, uel cõtra Anastasiũ Isauriæ monachũ atq; presbyterum gestum sit, & mihi scripsit contrà hoc, ego nescio, quid respondeã: quoniã per scripturã suam ueritas dicit: Os quod mentitur, occidit animã. Requi Sapien.
ro frater sanctissime: illa tanta abstinentia ad hoc peruenit, ut fratri suo ea quæ nouit gesta, negãdo uelit abscondere? Nunquid non melius fuerat illud os carnes ad uescendũ ingredi, q̃ de eo falsum

sermonem

sermonē ad illudendū proximū exire? præcipuè
Matt.15 cùm ueritas dicat: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ exeunt de corde, illa sunt quæ coinquinant hominem. Sed absit hoc, ut ego de sanctissimo corde uestro tale aliquid credam. Illæ Epistolæ uestro nomine prænotatæ sunt, sed uestras eas fuisse non arbitror. Ego beatissimo uiro domino Ioanni scripserā: sed credo quòd mihi familiaris uester ille iuuenculus rescripsit, qui adhuc de deo nihil didicit, qui uiscera charitatis nescit, qui in cœlestibus rebus ab omnibus accusat̄, qui insidiari quotidie diuersorū mortibus dicitur per occulta testamēta, nec dominū metuens, nec homines erubescēs. Mihi crede frater sanctissime si zelū charitatis perfectè habes, ipsum prius corrige, ut ex his qui uobis uicini sunt, etiam ij qui uicini non sunt, exemplo melius emendentur. Illius linguam noli recipere: ille ad concilium uestræ sanctitatis debet dirigi, nō autem sanctitas uestra ad uerba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere nō poterit. Ego enim attestante mihi conscientia fateor: quia cum nullo homine habere scandalum uolo, & quanta ualeo uirtute declino. Et quamuis cum omnibus hominibus pacē habere summopere cupiam, uobiscum præcipuè, quos uehementer amo, si tamen ipsi quos noui, uos estis. Nam si canones non custoditis, & maiorum uultis statuta cōuellere, non cognosco qui estis. Age ergo frater sanctissime atq; charissime, ut nos inuicē recognoscamus, ne si antiquus hostis duos per scandalū mouerit, per nequissimam uictoriam multos necet. Ego enim ut aperte indicem quia per elationem nil quæro, si ille iuuenculus de quo prælocutus sum, apud fraternitatem tuam culmen prauæ actionis minimè teneret, ipsa etiam quæ mihi de canonibus suppetunt, interim tacere potuissem, & ab ipso initio uenientes ad me personas ad eam fiducialiter transmisissem, sciens quòd eas sanctitas tua cum charitate susciperet, sed iam nunc dico, aut easdem personas in suis ordinibus suscipe, eisq; quietem præbe, aut si hoc fortasse nolueris, omni mihi altercatione postposita, de eorū causa statuta maiorum & canonum terminos custodi. Si uero neutrū feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamen uenientem à uobis non deuitamus. Quid
Parte 1 dist. 45 autem de episcopis qui uerberibus timeri uolūt,
Quid uult canones dicant, bene uestra fraternitas nouit. Pastores etenim facti sumus, non percussores. Et egregius prædicator dicit:
2. Tim. 4 Argue, obsecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Noua uero atq; inaudita est ista prædicatio, quę uerberibus exigit fidem. Sed de his multa in Epistolis loqui non debeo, quia dilectissimū filium meum Sabinianum diaconem pro responsis Ecclesiasticis faciendis, ad dominorum uestigia transmisi, qui uobiscum cuncta subtilius loquetur. Si nobiscū litigare non uultis, paratum eum ad omnia quæ iusta sunt inuenietis. Quem uestræ beatitudini cōmendo, ut saltem ipse dominū illum Ioannē inueniat, quem ego in urbe Regia sciui olim.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.
De Agathone episcopo. Cap. XCII

POstquam in Agathonem, quondam episcopum, iuxta qualitatem excessuum districtione est canonica uindicatum: necesse est humanitatis intuitu, quemadmodū sustentari possit, disponere. Propterea fraternitas tua ad Liparitanā Ecclesiā, in qua supradictus Agatho sacerdotis gessit officium, festinet dirigere, eiq; ad præsens exin de quinquaginta solidos qui in eius possint proficere uictum, transmittat. Nam nimis est impium, si alimentorū necessitati post uindictā subiaceat. Epist. 53

Gregorius Ioanni episcopo Rauennati.
De illicita usurpatione pallij. Cap. XCIII

NOn multū temporis interuallum est, ꝙ quędam nobis de tua fraternitate fuerant nunciata, de quibus uobis uenientе illuc Castorio notario sanctę, cui deo autore prędemus, Ecclesiæ, subtiliter nos indicasse meminimus. Peruenerat nanq; ad nos quædā in Ecclesia uestra contra consuetudinis atq; humilitatis tramitem geri, quæ sola, ut bene nostis, est officij sacerdotalis erectio. Quæ si sapientia uestra mansuetè, uel cum episcopali susceptisset studio, non de illis accendi debuerat, sed oportuerat te hæc eadem cum gratiarum actione corrigere. Contra morem quippe Ecclesiasticū est, si nō patientissimè toleratur, quod à uobis absit, etiam iniusta correctio. Mota autem nimis est uestra fraternitas, atq; cum tumore cordis quasi satisfaciens, scripsit nobis pallio te non nisi post dimissos de secretario filios Ecclesiæ, & missarum tempore, atq; in lætanijs utiq; solennibus uerbis aliquid te usurpasse contra generalis Ecclesiæ consuetudinē apertissima ueritate professus. Quomodo enim fieri potest, ut illud cineris atq; cilicij tempore per plateas inter populorū strepitus agas licitè, quod te agere in conuentu pauperū nobiliū, & in secretario Ecclesiæ uelut illicitum excusasti? Illud tamen frater charissime tibi non putamus ignotū, quod penè de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditū, extra missarū tempus usum sibi pallij uendicasse. Et ꝙ bene hanc consuetudinē generalis Ecclesiæ noueritis, uestris nobis manifestissimè significastis Epistolis, quibus præceptū beatæ memoriæ decessoris nostri Ioannis papę nobis in subditis trāsmisistis annexū, cōtinens omnes cōsuetudines ex priuilegio prędecessorū nostrorū cōcessas uobis, Ecclesiæq; uestræ, debere seruari. Confitemini igitur aliam esse generalis Ecclesiæ consuetudinem, postq; ea quæ uos geritis, uobis ex priuilegio uendicatis. Nulla ergo uobis in hac re, ut arbitramur, poterit remanere dubietas. Aut enim mos omnium Metropolitanorum etiam à tua est fraternitate seruandus, aut si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum, præceptumúe à prioribus Romanæ urbis pontificibus, quòd hæc Rauennati Ecclesię sunt concessa, à uobis oportet ostendi. Quód si hoc non ostenditur, restat, postq; talia agere neq; consuetudine generali, neq; priuilegio uendicas, ut usurpasse te comprobes quod Epist. 54 Parte 1 dist. 100 Contra

fecisti

feciſti. Et quid dicturi ſumus futuro iudici frater chariſſime, ſi illud quod graue iugum atq; uinculum ceruicis noſtræ non dico pro Eccleſia, ſed pro quadam ſeculari nobis dignitate defendimus, grauari nos indicãtes, ſi tanto pondere uel parui temporis ſpatio careamus? Decorari pallio uolumus, forſan moribus indecori, dum nihil in epiſcopali ceruice ſplendidius fulget quàm humilitas. Oportet igitur fraternitatem tuam ſi honores ſuos ſibi quibuslibet argumentis ſtabili propoſuit mente defendere, aut generalitatis uſum ex non ſcripto ſequi, aut ex ſcriptis priuilegijs ſe tueri. Qd' ſi poſtremò nihil horũ eſt, alijs Metropolitanis huiuſmodi te præbere uolumus præſumptionis exemplum. Sed ne fortè putes, nos hæc uobis ſcribentes, quę pro fraterna ſunt charitate, neglexiſſe, ſcitote in noſtro ſcrinio de priuilegio Eccleſiæ tuæ ſubtiliter perquiſitum. Et quidem quædam inuenta ſunt quę omnino poſsint fraternitatis tuę intentionibus obuiare, nihil autem in quo de huiuſcemodi capitulis pars ueſtræ poſſit Eccleſiæ roborari. Nam & de ipſa cõſuetudine tuæ quam opponis Eccleſiæ, quæ uobis olim, utà partibus ueſtris probaretur, ſcripſimus: iam nos ſatis ſollicitudinẽ geſsiſſe cognoſcite, inquirentes filios noſtros Petrum diaconem, atque Gaudioſum primicerium, necnon & Michaelium defenſorem ſedis noſtræ uel alios, qui pro diuerſis reſponſis Rauennam à noſtris deceſſoribus ſunt tranſmiſsi, & hæc te in præſentia ſua egiſſe diſtrictiſsimè negauerũt. Apparet igitur ſecretò non potuiſſe geri, niſi quod uſurpabatur illicitè. Vnde quod latenter ſubintroductum eſt, nulla debet ſtabilitate perſiſtere. Quę ergo ſuperfluè à te uel à tuis deceſſoribus ſunt prę ſumpta, cum charitatis intuitu, atq; cum fraterna ſtude benignitate corrigere. Nullatenus, non dico per te, ſed per aliorum uel deceſſorum tuorum normam ab humilitatis tentes regula deuiare. Vt enim ea quæ ſuperius dixi breuiter colligam, admoneo quatenus niſi deceſſorum meorum munificentia tibi hæc per priuilegium attributa docueris, ut in plateis pallium ulterius ferre non præſumas, ne non habere & ad miſſas incipias, quod audaciter et in plateis uſurpas. De ſecretario autem, quod fraternitas tua reſediſſe cum pallio, & filios Eccleſiæ ſuſcepiſſe, & fecit & excuſauit, nunc interim nihil querimur, quia ſynodorum ſententiam ſequentes, minores culpas quæ negantur, ulciſci recuſamus. Hoc tamen quia ſemel & iterum ſit factũ cognouimus, ſed fieri ulterius prohibemus. Fraternitas autem tua ſit omnino ſollicita, ne hoc quod præſumptioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiente deterius uindicetur. Conqueſti præterea eſtis quòd quidam de ſacerdotali ordine Rauennatis ciuitatis peccatis imminentibus, grauibus ſint criminibus inuoluti. Quorum cauſam uel illic te diſcutere uolumus, uel huc eos, ſi tamẽ probationum difficultas pro locorum longinquitate non impedit, ad hæc ipſa diſcernenda tranſmittere. Quòd ſi uel ad tuum iudicium, uel ad nos, maiorum ſulti patrocinio, quod non credimus, ueniA re deſpexerint, & in obiectis ſibi capitulis contumaciter reſpondere nequiuerint, uolumus ut eis poſt ſecundam & tertiam admonitionẽ tuam miniſterium ſacri interdicas officij, atq; nobis de cõtumacia eorum ſcriptis tuis renuncies, ut deliberemus quemadmodum actus eorum debeas ſubtiliter perſcrutari, atq; ſecundum diffinitiones canonicas emendare. Cognoſcat igitur fraternitas tua de cauſa hac nos pleniſsime abſolutos, ex eo quòd uobis cauſas ipſas commiſimus perquirendas, atq; omnia peccata eorum ſi inulta uenerint, & omne pondus diſcuſſionis huius in tuæ animæ redundare periculum, ſciens nullam dilectionem ueſtram excuſationem apud futurum iudicem habituram, ſi non exceſſus cleri tui cum ſumma canonici rigoris ſeueritate correxeris, et hos quibus B hæc fuerint approbata, ſacros ulterius ordines temerare permiſeris. Illud autem quod pro utenPartet dis à clero ueſtro mappulis ſcripſiſtis, à noſtris eſt diſt.35 clericis fortiter obuiatum, dicẽtibus nulli hoc unIllud ab quam alij cuilibet Eccleſiæ conceſſum fuiſſe: nec Rauennates clericos uel illic, uel in Romana ciuitate tale aliquid cum ſua conſcientia præſumpſiſſe. Nec ſi tentatum eſſet ex furtiua uſurpatione ſibi præiudiciũ generari. Sed etiam ſi in aliqua Eccleſia hoc præſumptum fuerit, aſſerunt emendandum, quod non conceſſione Romani pontificis, ſed ſola ſurreptione præſumitur. Sed nos ſeruantes honorem fraternitatis tuæ, licet contra uoluntatem antedicti cleri noſtri, tamen primis diaco- C nibus ueſtris, quos nobis quidam teſtificati ſunt etiam antè eis uſos fuiſſe, in obſequio duntaxat tuo mappulis uti permittimus, alio autem tempore uel alias perſonas hoc agere uehementiſſimè prohibemus.

Gregorius Cypriano diacono.
De Coſma multis debitis obligato. Cap. XCIIII

COſmas ex uarijs periculorũ neceſſitatibus Epũs multis ſe dicit debitis obligatum, ita ut pro eis à creditoríb. ſuis, ſuos dicat filios detineri. Quę res ſi ita eſt, nos omnino cõmouet. Quamobrem hortamur dilectionẽ tuam, ut quia de rebus pauperũ dandis agitur, cauſam eius cum ſumma ſubtilitate perquiras, & ſi inueneris eũ prædictis debitis ueraciter inuolutum, ut non ſit ſubſtantia unde poſsit hæc ipſa perſoluere, prædictos creditores eius adeas, & propter recolligẽdos filios eius, quanta cognoueris quãtitate componas. Et quia, ſicut dictũ eſt, non habet unde reſtituat, de rebus pauperũ ex præſenti noſtra authoritate perſolue, ſciens quicquid illic te prouidente datum fuerit, patrimonij noſtri penſionibus eſſe reputandum.

Gregorius Secundino epiſcopo.
De auferendo baptiſterio de monaſterio monachorum. Cap. XCV

PRidem præcepimus ut de monaſterio ſancti Epũs Andreę, quod eſt ſuper Maſcalas, baptiſteriũ propter monachorũ inſolẽtias debuiſſet auferri, atq; in eodẽ loco quo fontes ſunt, altare fundari. Cuius rei perfectio hactenus eſt ptracta. Admonemus igitur fraternitatẽ tuã, ut nullã iam moram poſt

post susceptas præsentes literas nostras inserere debeas, sed repleto loco ipsorũ fontium, altare ad sacra celebranda mysteria illic sine aliqua dilatione fundetur, quatenus & prædictis monachis opus dei securius liceat celebrare, & non de negligentia uestra, contra fraternitatem tuam noster animus excitetur.

Gregorius Italicæ patriciæ.
De rebus pauperum cum mansuetudine disponendis. Cap. XCVI

Epist. 57 SVscepimus plenas dulcedine literas uestras, atq; incolumitatis excellentiæ uestræ nos lætificauit auditus. Circa quas tanta est nostræ mentis sinceritas, ut nihil in earũ tranquillitate simultatis recõditum, paternus nos suspicari permittat affectus. Sed omnipotens deus faciat, ut sicut de uobis nos bona sentimus, ita mẽs uestra nobis bona respondeat, & dulcedinẽ quam uerbis impenditis, exhibeatis operibus. Nihil enim potest gloriosissima sanitas & pulchritudo in superficie corporis, si uulnus animæ latet intrinsecus. Atq; illa magis cauenda est discordia, cui satellitiũ pax præbet exterior. Illud uero quod Epistolis prædictis reuocare in memoriam nostram excellẽtia uestra studiose contendit, scriptum uobis sciat nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu uobiscum nos uelle de causis pauperũ definire. Hoc nos & scripsisse meminimus, & scimus nosmetipsos iuuante domino à causarum litigijs Ecclesiastica moderatione compescere, atq; secundum Apostolicum illum sensum, rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire uos uolumus, taciturnitatẽ atq; patientiam nostram futuris post me pontificibus in rebus pauperum præiudicium non facturam. Vnde & nos explentes supra memoratam promissionẽ uestrã, iam de causis ipsis præuidimus reticendum, nec in his in quibus minus agi benignè cognouimus, desideramus nos per nosmetipsos immiscere negocijs. Sed ne forte ex his conijciatis, gloriosa filia, ea quæ ad concordiam pertinent, adhuc nos omnino renuere, filio nostro Cypriano diacono uenienti ad Siciliæ partes, indiximus, ut si quid de his salubriter, & sine peccato animæ uestræ ordinare disponitis, ex nostra authoritate uobiscum definiat, & nos non amplius illis uexemur negocijs, quorũ cum mansuetudine est dispensandus effectus. Deus autem omnipotens qui ea quę omnino impossibilia sunt, ad possibilitatem bene nouit inflectere, ille uobis aspiret & causas uestras cum pacis intẽtione dispone re, & pro mercede animæ uestræ, de rebus eis cõpetẽtibus huius Ecclesiæ cõsulere pauperibus.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.
De monasterio Gratiosæ abbatissæ consecrando. Cap. XCVII

Epist. 58 REligiosis desiderijs sine difficultate præstari decet effectum. Atq; ideo Gratiosa abbatissa una cum congregatione sua, oblata petitione quæ tenetur in subditis, postulauit quòd patriciæ recordationis Rustica per ultimũ uoluntatis suæ arbitrium in ciuitate Neapolitana, in domo propria, in regione Herculensi, in uico in quo Lampadius monasterium ancillarum dei constituit sepeliretur, in quo præfatam Gratiosam abbatissam præesse dispositum, simulq; & oratorium extruxisse dinoscitur, cui & pro uoto suo quatuor uncias totius substantiæ suæ dimisisse suggessit, quodq; in honorem beatæ Mariæ semper uirginis genitricisq; dei, & domini nostri Iesu Christi desiderauit consecrari. Et ideo frater charissime præsenti præceptione dilectionem tuam duximus adhortandam, ut inspecto primitus testamento, si iure subsistit, & easdem quatuor uncias ueriss ime eidem monasterio collatas esse cõpereris, ad prædictũ locũ cũ postulauerint, ingrauãter accedas, uenerandæ solennia dedicationis impendens, ut quoties necesse fuerit, à presbyteris Ecclesiæ in suprascripto loco deseruientibus celebrentur sacrificia ueneranda missarum, ita ut in eodẽ monasterio neq; fraterniras tua, neque presbyteri præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiarum inferant. Aut si quid pro diuersorum deuotione cõmoditatis accesserit, siue aurum, siue argentũ, siue prædium, siue uestimentum, omnibus modis constructio præfata possideat, ancillis dei in eodem loco deseruientibus debeat proficere, quicquid offerri ibidem contigerit.

Gregorius Eutichio episcopo Tundarino.
De cultoribus idolorum conuertendis. Cap. XCVIII

Epist. 59 SCripta fraternitatis tuæ Bertenato Ecclesiæ tuæ clerico deferente suscepi, gratiasq; omnipotẽti deo retuli, quòd in causis animæ & ijs quæ ad deum pertinent, te occupatum esse cognouimus. Scripsisti siquidem nobis quosdã idolorum cultores, atq; Anglorũ dogmatis, in ijs in quibus constitutus es partibus inueniri, de quibus plures asseruisti esse conuersos, aliquos autem potentum nomine atq; locorum se qualitate defendere. Auxiliantes igitur bonis tuæ charitatis operibus, uiro glorioso prætori Sicilię nostra scripta transmisimus quatenus iuuante domino, qua potest tibi uirtute concurrat, ut quod laudabiliter occœptũ est, ualeat salubriter adimpleri. Oportet ergo fraternitatẽ tuam maximam in hoc sollicitudinẽ gerere. Verè enim episcopalem uitã sequeris, si per zelum linguãq; tuam, hos qui à fidei ueritate dissentiunt, in Ecclesiæ unitatem reduxeris.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.
Quomodo in Ecclesia sua conuersari debeat. Caput XCIX

Epist. 60 SCripta tuæ charitatis accepimus, quibus nobis indicasti deo propitio te bene à filijs tuis Neapolitanis ciuibus esse susceptum. De quibus omnipotenti deo gratias retulimus. Oportet ergo affectui eorũ te tuis moribus cõpensare, malos coercere, bonis te discretè atq; benignissime relaxare, ad sequendas eos meliores partes frequentius admonere, quatenus & illi paternos in te mores inuenisse se gaudeant, & tu creditã tibi regiminis causam cooperãte domino studiosius exequaris.

Gregorius Mauricio Augusto.
De lege eius iniusta ut miles in monasterio non suscipiatur. Caput C

Omnipo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epist. 61 OMnipotẽti deo reus est, qui serenissimis dominis in omne quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis uestræ famulus, in hac suggestione neq; ut episcopus, neq; ut seruus iure reipublicæ, sed iure priuato loquor: quia serenissime domine, ex illo iam tempore dominus meus fuisti, quãdo adhuc dominus omniũ non eras. Longino uiro clarissimo stratore ueniente dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nil ualui. In qua dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticũ officium uenire non liceat. Quod ualde laudaui, euidentissimè sciens: quia qui secularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia uenire festinat, mutare uult seculum, non relinquere. Quod uero in eadem lege dicitur, ut ei in monasterio cõuerti non liceat, omnino miratus sum, dum & rationes eius possint per monasterium fieri, & agi potest ut ab eo loco in quo suscipit̃, eius quoq; debita soluantur. Nam & si quisquã deuota mente conuerti uoluisset, prius res male ablatas redderet, & de sua anima tanto uerius, quanto expeditior cogitaret. In qua lege subiunctum est, ut nulli qui in manu signatus est, conuerti liceat.

Quam constitutionẽ ego, fateor dominis meis, uehemẽter expaui: quia per eam cœlorũ uia multis clauditur, & quod nuncuq; licuit, ne liceat prohibetur. Multi enim sunt qui possunt religiosam uitam etiã cum seculari habitu ducere. Et plerique sunt qui nisi omnia reliquerint, saluari apud deũ nullatenus possint. Ego uero hęc dominis meis loquens, quid sum nisi puluis & uermis? Sed tamen quia contra authorem omnium deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas super omnes homines dominorum meorum pietati cœlitus data est, ut qui bona appetũt, adiuuentur, ut cœlorum uia largius pateat, ut terrestre regnum cœlesti regno famuleť. Et ecce aperta uoce dicitur, ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, domino nostro Iesu Christo militare non liceat.

Ad hæc ecce per me seruum ultimum suum & uestrũ respondebit Christus dicens: Ego te de notario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cęsare imperatorem, nec solum hoc, sed etiam patrem imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Respondе rogo pijssime domine seruo tuo, quid uenienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur. Ego indignus famulus uester scio, quãti his diebus meis in monasterio milites conuersi miracula fecerunt, signa & uirtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam ne quisquam talium cõuerti ualeat, prohibetur. Requirat rogo dominus meus quis prior imperatorum talem legem dederit, & subtilius æstimet si debuit dari. Et quidẽ considerandum ualde est: quia eo iam tempore prohiben A tur quicq; relinquere seculum, quo appropinquauit finis ipse seculorũ. Ecce enim mora non erit, & ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus, cum principatibus & potestatibus tremendus iudex apparebit. Si omnia peccata dimiserit, & solam hanc legem contra se dixerit esse prolatam, quæ rogo erit excusatio? Vnde per eundem tremendum iudicẽ deprecor, ne illæ tantæ lachrymæ, tantæ orationes, tanta ieiunia, tantæq; eleemosynę domini mei ex qualibet occasione apud omnipotẽtis dei oculos fuscentur, sed aut temperando pietas uestra, aut immutando uigorem eiusdẽ legis inflectat: quia tunc magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quanto B dei exercitus ad orationem creuerit. Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omni potenti deo minimè concordet, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nunciaui. Vtrobiq; ergo quæ debui exolui, qui & imperatori obedientiam præbui, & pro deo quod sensi minimè tacui.

Gregorius Domitiano Metropolitano.
De diabolo corruptore animæ, & Sichemitis iustè occisis. Caput CI

SCripta dulcissimæ & suauissimæ beatitudinis Epula
uestræ suscipiẽs, ualde gauisus sum: quia multa mihi de sacra scriptura loquebãtur. Et quia dilectas in eis epulas reperi, eas auidè comedi. In quibus quædam quoq; de causis exterioribus & necessarijs sunt permixta. Et quasi menti conuiuium præparantes egistis, ut oblatæ epulæ ex diuersitate melius placerent. Et si quidem exteriores causæ, uelut inferiores & abiecti cibi minus sapiunt, ita tamen à uobis prudenter dictæ sunt, ut libẽter sumantur: quia & cibi cõtemptibiles plerũq; dulces ex condimento bene coquentis fiunt. Seruata autem ueritate historiæ, hoc quod dudum de diuina significatione dixeram, respui nullo modo debuit. Nam etsi mihi, quoniam ita uultis, significatio eius non congruit, ex ipsis tamen locis suis circumstantibus, hoc quod ex ea dictum est, incunctanter teneri potest. Nã & corruptor eius princeps terræ dicitur, per quem apertè diabolus designatur: quia redemptor noster ait: Nunc princeps Ioan. 12
huius mundi eijcietur foras. Qui etiam uxorẽ petit: quia malignus uidelicet spiritus festinat, ut licenter possideat animam, quam prius occulta seductione corruperit. Vnde Iacob filij uehemẽter irati cõtra omnem Sichẽ domum, eiusq; patriam, gladios sumunt: quia à cunctis zelum habentibus ipsi quoq; insequẽdi sunt, qui maligni spiritus adiutores fiunt. Quibus prius circumcisionem præcipiunt, quos in dolore positos postmodum occidunt. Quia plerunq; magistri seueriores si zelum suum moderari nesciunt, quamuis per prædicationem uitia corruptionis resecent, cùm iam à delinquentibus plangitur, quod fuerat perpetratũ, adhuc tamen ipsi per asperitatem disciplinæ sæuiũt, & duriores existunt. Qui enim iam & præputia abscide-

abscideràt,mori minimè debebant: quia qui culpam plangunt luxuriæ,& uoluptatẽ carnis in dolorẽ uertunt, à magistris sentire non debent asperitatem disciplinæ,ne ipse humani generis redemptor minus ametur, si pro eo anima plus ꝙ debet
Gen.34 atteritur. Vnde & eisdem filijs Iacob dicit: Turbastis me,& odiosum fecistis Chananæis. Quando enim & hoc quod iam delinquẽtes plangunt, adhuc magistri crudeliter insequuntur,infirmæ menti ipse redẽptoris sui amor tepescit:quia ibi se affligi considerat,ubi sibi & ipsa non parcit. Hæc igitur dixerim, ut intellectũ quem protuli, non esse improbabilem ex locis circumstantibus demonstrarem. Ea uero quæ ex eodem loco à uestra sanctitate in meam consolationem dicta sunt, libenter accipio: quia in intellectu sacræ scripturæ re- B spui non debet, quicquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim ex uno auro alij murenulas, alij annulos,alij dextralia ad ornamentũ faciunt:ita ex una scripturæ scientia expositores quiꝙ per innumeros intellectus quasi uaria ornamenta cõponunt, quæ tamen omnia ad decorẽ cœlestis sponsę proficiunt. Valde autẽ gaudeo, ꝙ dulcissima beatitudo uestra etiã cauſis secularibus occupata, ad intellectũ sacri eloquij uigilanter ingenium reducit. Sic quippe necesse est ut si illa omnimodo cauerinon possint,ista non omnimodo postponantur. Sed per omnipotentẽ dominũ rogo, mihi in tantis tribulationũ fluctibus laboranti,tende orationis manum, ut ex uestra intercessione ad summa releuer,qui culparũ mearum pondere ad pro- C fundum premor. Imperatorẽ uero Persarum etsi non fuisse conuersum doleo, uos tamẽ ei Christiana fidẽ prædicasse omnimodo exulto: quia etsi ille ad lucem uenire non meruit, uestra tamẽ sanctitas prædicationis suæ præmiũ habebit.Nam & Æthiops in balneum niger intrat,& niger egreditur,sed tamen balneator nũmos accipit. De Mauricio autem bene dicitis ut in actione eius ab umbra statuam cognoscam,id est, in minimis maiora perpendam.In hoc tamen ei credimus: quia eius uobis animam sacramenta & obsides ligant.

Gregorius Narsæ. De causa Ioannis episcopi & presbyterorum eius. Cap. CII

Epist.63 MVlta mihi dulcissima charitas uestra per Epistolas suas in bonæ operationis laudibus D est locuta,ad quę omnia breuiter ego respondeo.
Ruth 1 Nolite me uocare Noemi,id est, pulchrum:sed uocate me Mara, id est, amarum: quia amaritudine plenus sum. De caũsa uero presbyterorũ,quę cum fratre meo,& coepiscopo uiro reuerendissimo Ioanne patriarcha agit,ipsum (puto) aduersariũ patimur,quem asseris uelle canones custodire.Charitati autem tuæ breuiter fateor: quia omni uirtute & omni pondere,eandẽ cauſam,auxiliante omnipotente deo,exigere paratus sum.In qua si uidero sedis Apostolicæ canones non seruari,dabit omnipotens deus quid contra contemptores eius faciam.Quòd autem charitas uestra scripsit mihi, ut filio meo domino Theodoro archiatro & expræfecto pro uobis gratias agerem, feci:& quantum potui,uos cõmẽdare minimè cessaui.Peto autem mihi ignoscas, ꝙ Epistolis tuis sub breuitate respondeo:quia tantis tribulationibus premor,ut mihi neꝙ legere, neꝙ per Epistolas multa loqui liceat. Hoc solum tibi breuiter dico: quia oblitus sum manducare panẽ meum,à uoce gemitus mei. Oẽs qui uobiscũ sunt,mea peto uice salutari.Domnæ Dominicæ salutes meas dicite. Cui minime respondi:quia cùm sit Latina,Græcè mihi scripsit.

Gregorius Theodoro medico &c.
De iniusta lege imperatoris,ne miles conuertatur. Cap. CIII

QVanta bona omnipotentis dei & serenissimi domini mei imperatoris habeam, lingua Epist.64
mea non sufficit explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorũ uestigia purè amare? Peccatis autem meis facientibus,ex quorum suggestione uel cõsilio, nescio an uestro, trãsacto anno talẽ in republica sua legem protulit,ut quisquis eum purè amat, flere uehemẽter debeat. Ad quam legem tunc respondere non potui, quia ægrotus fui.Modo autẽ eidem domino aliqua suggessi. Præcepit enim ut nullus qui actionem publicam egit,nullus qui officio uel manu signatus, uel inter milites fuit habitus,ei in monasterio conuerti liceat, nisi forte si militia eius fuerit expleta. Quam legẽ primũ, sicut ij dicũt qui leges ueteres Iuliani
nouerunt,Iulianus protulit,de quo scimus omnes lex
quantum deo aduersus fuerit. Quod si ideo serenissimus dominus noster fecit, quia forte multi milites conuertebantur,& exercitus decrescebat: nunquid per uirtutẽ militũ subiugauit ei omnipotens deus imperiũ Persarum? Nunquid non solæ lachrymę illius auditæ sunt, & eo ordine quẽ ipse nesciuit, eius imperio Persarũ regnum subdidit? Valde autem mihi durũ uidetur, ut ab eius seruitio milites suos prohibeat,qui ei & omnia tribuit, & dominari eum, non solum militibus, sed etiam sacerdotibus cõcessit.Nunquid si intentio est seruandarũ rerũ,non poterãt ea ipsa monasteria quæ milites suscepissent,alienas res reddere,atꝙ ad cõuersionẽ homines.tantũmodo habere? Hæc quia mihi ualde dolent,eidẽ domino suggessi. Sed uestra gloria opportuno tempore secretè suggestionem meam ei offerat.Nolo eam à responsali meo publicè dari, quia uos qui ei familiarius seruitis, loqui ei liberius & aptius potestis, quæ pro eius sunt anima: quoniam in multis est occcupatus,& uix animus eius inuenitur à curis maioribus uacuus.Tu quidem glorioſe fili, pro Christo loquere.Si auditus fueris, lucrũ est animæ prædicti domini tui,& tuæ.Si uero auditus nõ fueris, lucrum solummodo tuæ feciſti.

Gregorius Theotimo medico.
De illo quod scriptum est:Erat illis cor unum & anima una. Cap. CIIII

FVerunt quidam ueteres philosophorum,qui Epist.65
in duobus corporibus unam esse animam dicerent,non affectus iungentes duos, sed unam in duobus animæ substantiam partientes.At contrà nos esse in duorũ mẽtibus unam animã dicimus;

Universidad de Deusto
Biblioteca

non diuidendo ſubſtantiam, ſed corda iungendo. Nam de illis primis fidelibus ſcriptum eſt: Erat in eis cor unum, & anima una. Quod ego ſic in Acti
Act.4 bus Apoſtolorũ lego, ut in me & domino Theotimo recognoſcam, quia ſic unanimis mecum eſt, ut prẽſens corpore, nunq̃ mihi defuerit, & abſens corpore, ſemper per ſpiritum prẽſens fiat. Ago autem omnipotenti deo gratias, qui charitatis ſuæ gratiam mentis ueſtræ uiſceribus infundit, & deprecor, ut magis magisq; in uobis dona ſua augeat, & hìc bona nobis præſentia, & in futuro ſeculo gaudia æterna concedat. Filium meum Sabinianum diaconũ uenientem charitati ueſtræ commendo, petẽs ut eo amore quo me diligitis, etiam noſtros ametis.

LIBER TERTIVS.

Epiſtolæ ex regiſtro beati Gregorij papæ. Menſe Septẽbri. Indictione duodecima.

Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi. Congratulatur quòd bene receptus ſit à ſuis. Caput I

Epiſt.1

Cripta fraternitatis ueſtræ ſuſcipiens, magnas omnipotenti deo gratias retuli, quia ordinationis ueſtræ merui celebratione releuari. Quòd uero ex ſuperno munere in electionem ueſtram concorditer omnium conuenit aſſenſus, hoc fraternitas tua cum ſumma debet conſideratione penſare: quia poſt deũ ualde eſt debitrix eis, qui ſibi uos præferri tam ſubdita mente uoluerunt. Decet igitur uos ſacerdotali benignitate eorũ moribus in omnibus reſpondere, eorumq; neceſſitatibus pia compaſſione ſuccurrere. Si quorum fortaſſe ſunt uitia, hæc maturis obiurgationibus increpate, ut ipſa quoq; ſacerdotalis indignatio uirtute ſit admixta dulcedinis: quatenus & tũc à ſubiectis amari debeat, etiã cùm grauiter timetur. Quæ res perſonam ueſtram apud eorũ iudicium in magnam quoq; reuerentiam adducit: quia ſicut præceps furor ulitatusq; deſpicitur, ita contra culpas diſcreta indignatio plerunq; quò tarda fuerit, eo amplius fit timẽda. Ioannes uero ſubdiaconus noſter multa nobis bona tuæ fraternitatis rediens nunciauit. De quibus omnipotentem dominum petimus, ut hęc quæ cœpit, ipſe perficiat: quatenus te interius exteriusq; profeciſſe, & nunc inter homines, & pòſt inter angelos oſtendat. Præterea pallium ad ſacra miſſarum ſolennia utendum ex more tranſmiſimus. Sed peto ut dum hoc ſuſcipitis, eius honorem ac genium ex humilitate uendicemus.

Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi. De tribus capitulis, & Theodelinda regina. De epiſcopis à cõmunione eius ſeparatis, & Agone rege Longobardorum. Cap. II

Epiſt.2 Dilectiſſimus filius meus Bonifacius diaconus quiddã mihi ex ſcripto fraternitatis tuæ ſecretò nunciauit, & exquiſita occaſione potius q̃ inuenta, tres ſe epiſcopi à fraternitatis ueſtræ communione ſeparauerint, dicentes uos in damnatio
A nem trium capitulorũ conſenſiſſe, atq; cautionem feciſſe. Et quidẽ ſi quid de tribus capitulis in quocunq; uel uerbo uel ſcripto nominatũ eſt, bene fraternitas tua reminiſcitur, quamuis deceſſor fraternitatis tuę Laurentius diſtrictiſſimam cautionem ſedi Apoſtolicæ remiſerit, in qua uiri nobiliſſimi, ex legitimo numero ſubſcripſerũt. Inter quos ego quoq; tunc Vrbanã præturam gerens, pariter ſubſcripſi: quia poſtq̃ talis ſciſſura pro nulla re facta eſt, iuſtum fuit ut ſedes apoſtolica curam gereret, quatenus unitatem uniuerſalis Eccleſiæ in ſacerdotum mentibus per omnia cuſtodiret. Quòd autem dicitur, filiam noſtram Theodelindam regi
B nam ſeſe à cõmunione tua hoc audito nuncio ſuſpendiſſe, conſtat per omnia, quia etſi prauorum hominum uerbis ad paululũ ſeducta eſt, uenientibus tamen Hyppolito notario, & Ioanne abbate, erit modis omnibus ueſtræ fraternitatis cõmunionem quęſitura. Cui etiam meas epiſtolas direxi, quas fraternitas ueſtra ſine dilatione tranſmittat. De epiſcopis uero qui ſe ſuſpendere niſi ſunt, aliam epiſtolam feci, quam cum eis oſtendi feceris, eos non ambigo de ſuperſtitione ſuæ ſuperbię apud fraternitatẽ tuam pœnitentiã acturos. Subtiliter autẽ mihi & breuiter indicaſtis, uel de Agone rege, uel de Francorũ regibus quæ geſta ſunt. Peto, ut ueſtra fraternitas quæ adhuc recognouerit, mihi modis omnibus innoteſcat. Si autem uideritis, quia cum Patritio nihil facit Ago Longobardorum rex, de nobis ei promittite: quia para
C tus ſum in cauſa eius impendere, ſi ipſe utiliter aliquid cum republica uoluerit ordinare.

Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi. De epiſcopis ab eo diuiſis, & ſynodo Chalcedonenſi. Cap. III

Epiſt.3 PEruenit ad nos q; quidam epiſcopi ueſtrę dioceſis exquirentes occaſionem potius q̃ inuenientes, ſeſe ſcindere à fraternitatis ueſtræ unitate tentauerint, dicẽtes te apud Romanam urbem in trium capitulorum damnationẽ cautionẽ feciſſe. Quod uidelicet idcirco dicunt: quia quantum fraternitati tuæ etiam ſine cautione credere ſoleam, neſciunt. Si enim hoc eſſet neceſſarium fieri, uerbis nudis uobis credi potuiſſet. Ego tamen nominata inter nos neq; uerbo, neq; ſcripto tria capitu
D la recolo. Sed eis, ſi citius reuertuntur, de ſuo errore parcendum eſt: quia iuxta Pauli apoſtoli uocẽ: 1.Tim.1
Non intelligunt, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Nos enim authore ueritate, teſte conſcientia, fatemur nos fidem ſanctæ Chalcedonenſis ſynodi per omnia illibatã cuſtodire, nihilq; eius definitioni addere, nihilq; ſubtrahere audere. Sed ſi quis contra eam, eiuſdemq; ſynodi fidẽ, ſiue plus minus ue ad ſapiendũ appetit uſurpare: eum omni dilatione poſtpoſita, anathematizamus, atque à ſinu matris Eccleſię alienũ eſſe decernimus. Quem igitur iſta mea cõfeſſio non ſanat, non iam Calcedonenſem ſynodum diligit, ſed matris Eccleſiæ ſinum odit. Si ergo ea ipſa quæ audere uiſi ſunt, zelo loqui animæ præſumpſerunt, ſupereſt ut hac ſatisfactione ſuſcepta, ad fraternitatis tuæ

unitatem

unitatem redeant, seq; à corpore Christi quod est sancta uniuersalis Ecclesia, non diuidant.

Gregorius Theodelindæ reginæ Lõgobardorum. De synodo Chalcedonensi, & Cõstantio episcopo. Caput IIII

Epist.4 QVorundam ad nos relatione peruenit, ab aliquibus episcopis gloriam uestram usq; ad hoc icandalũ contra sanctam Ecclesiam fuisse perductã, ut sese à catholicæ unanimitatis cõmunione susp̃ederet. Quod quantũ uos purè diligimus, tantum de uobis fortius dolemus: quia uos imperitis, stultisq; hominibus creditis, qui non solũ ea quæ loquuntur nesciunt, sed uix ea percipere q̃ audierint possunt. Dicunt enim piæ memoriæ Iustiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem synodum fuisse constituta, qui dum neq; legunt, neq; legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim teste conscientia, fatemur de fide eiusdem sancti Chalcedonensis concilij, nihil motum, nihil esse uiolatum: sed quicquid prædicti Iustiniani temporibus actum est, ita actũ est, ut fides Chalcedonensis concilij in nullo uexaretur. Si quis autem contra eiusdem synodi fidem aliquid loqui præsumit uel sapere, nos eius sensum sub anathematis interpositione detestamur. Cùm ergo integritatem nostram ex conscientiæ uestræ attestatione cognoscitis, superest ut uos nunc̃q; à catholicæ Ecclesiæ cõmunione separetis, ne tot uestræ lachrymæ, tantaq; bona opera pereãt, si à fide uera inueniuntur aliena. Decet ergo gloriam uestram ad reuerẽdissimum fratrem & coepiscopum meum Constantium, cuius & fides, & uita bene olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eiq; dilectis uestris epistolis indicare, ordinationem eius quàm benignè suscepistis. Et quia ab eius Ecclesiæ cõmunione in nullo separamini, quamuis in hac re me uobis superflue dicere arbitror: quia etsi quid in uestro animo dubietatis fuit, ueniente filio meo Ioanne abbate, atq; Hyppolito notario ex corde uestro arbitror fuisse sublatum.

Gregorius Bonifacio episcopo regio &c. De correctione cleri eius. Cap. V

Epist.5 COntumelia siquidem sacerdotum est, de diuinis cultibus admoneri. Quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur. Tamen ne, quod non æstimamus, in aliquo fraternitas tua ea quæ ad opus dei pertinent, negligat: de hoc ipso specialiter te præuidimus adhortandum. Admonemus itaq; ut nullatenus clerus Regitanæ ciuitatis in causis quas eorum poscit officium, fraternitatis tuæ remissione laxetur. Sed in ijs quæ ad deũ pertinent, instantissimè atq; studiosissimè cõpellantur. Opinionem quoq; prædicti cleri tui studere te uolumus, ut nihil de ijs prauũ, nihil quod contra Ecclesiasticam disciplinam pertinet, audiatur. Ad ornatum quippe eius non ad fœditatem actuum eorum pertinere debet officium. Subdiaconibus uero tuis hoc quod de Siculis statuimus, decernimus obseruari. Nec illam definitionẽ nostram cuiusquam sinas contumacia, aut temeritate corrumpi, quatenus dum prædicta omnia per te fuerint conseruata districtissimè, nec admonitionis nostræ, sicut & credimus, transgressor existas, nec in quolibet reum te remissionis accuset pastoralis tibi cõmissus ordo reminis.

Dist.32 Subdiaconibus

Gregorius Cypriano diacono nostro, & rectori Siciliæ. De Petronella conuersa, & Agnello corruptore eius. Cap. VI

PErlatum est ad nos Petronellam nomine de prouincia Lucania progenitam, per exhortationem Agnelli episcopi fuisse conuersam, resq; suas omnes quas habere potuit, licet sibi iure potuissent cõpetere, tamẽ easdem monasterio quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo cõtulisse. Morientemq; prædictum episcopum dimidiam partem substantiæ suæ Agnello cuidam filio suo, qui notarius nostræ esse fertur Ecclesiæ, atq; dimidiam eidẽ monasterio reliquisse. Sed cùm propter irruentem Italiæ cladem ad Siciliam refugissent: dicitur eã sæpe nominatus Agnellus corruptis eius moribus stuprasse, atq; sentiens grauidã, de monasterio seduxisse, resq; eius omnes tam proprias quàm eas quas de parte patris ipsius habere poterat, abstulisse, ac post perpetratum tantum facinus, in sui eam dominij iure defendere. Hortamur igitur dilectionem tuam ut prędictum uirum uel antefatam fœminam sub districta ad te facias executione perduci, causamq; ipsam secundum suum meritum summa subtilitatis examinatione perquiras. Et si ita inueneris ut nobis nunciatum est, negotium tot iniquitatibus inquinatum, cum summæ purgationis seueritate determina: quatenus & antefatum uirum, qui neq; suum, neq; illius attẽdit habitum, & tantorum causa fuit scelerũ, ultio districta præueniat, & illa prius præcedente uindicta, atq; in monasterium sub pœnitentia redacta, omnes res quæ de sæpedicto loco ablatæ fuerant, cum omnibus illic suis fructibus atq; accessionibus reuertantur.

Epist.6 Cã.19.q.3 Perlatum

Gregorius Gennadio patritio & exarcho Aphricę. De peruerso concilio Numidiæ. Cap. VII

SAtis credimus religiosam excellentiæ uestræ mentem aduersus ea maxime quæ in Ecclesiis geruntur incongrua, diuini authoris æmulatione succendi. Tanto igitur Ecclesiasticarũ correptionem causarum uobis libenter ingerimus, quanto de pia uestræ mentis intentione confidimus. Cognoscat siquidem excellentia uestra quibusdã de Aphricanis partibus ueniẽtibus ad nos fuisse perlatum, plura in concilio Numidiæ contra patrum tramitem atq; canonum statuta cõmitti. Quarum rerum frequentes querelas, quia diutius tolerare nullatenus potuimus, Columbo fratri & coepiscopo nostro, de cuius grauitate ipsa eius quæ percrebuit dubitare iam nos non permittit opinio, cõmisimus perquirendas. Quamobrem paterno salutantes affectu hortamur excellentiam uestram, in cunctis quæ ad Ecclesiasticam correptionem pertinent, uestri robur ei subrogetis auxilij, ne si quod male geritur, quęsitum uel uindicatum non fuerit, longorum usurpatione temporũ cum

Epist.7

maiori licentia in futuris crescat excessibus. Scito autem excellentissime fili si victorias quæritis, si de cõmissæ uobis prouinciæ securitate tractatis, nihil uobis magis aliud ad hoc proficere, quàm zelari sacerdotũ uitas, & intestina Ecclesiarũ quantum possibile est, bella compescere.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano Sardiniæ. De Theodosia religiosa, & monasterio cõstituendo. Caput VIII

Epist. 8 THeodosia religiosa fœmina in construendo monasterio uoluntatem Stephani quondam uiri sui complere desiderans, petijt à nobis ut ad fraternitatem tuam nostras transmitteremus epistolas, quibus per cõmendationẽ nostram tuũ facilius mereretur auxilium. Asserit siquidem hoc à suo coniuge constitutum, ut in prædio quod appellatur Piscenas, quod ad Xenodochi Thomæ quondam episcopi iura peruenit, monasteriũ construi debuisset. Quia igitur in alienis hoc fundare rebus licet possessor permitteret, dominus tamen uidetur cum ratione refugere, petitionẽ eius præuidimus annuendam, id est, ut in domo iuris sui, quam Caralis asserit se habere, ancillarum dei monasterium debeat domino adiuuante construere. Sed quia prædictam domum suam dicit ab hospitibus atq; superuenientibus onerari, hortamur fraternitatem tuam ut studeas eis in cunctis concurrere, deuotionicq; eius tuæ præbeas tuitionis auxilium, ut mercedis defuncti, atq; eius studij tuus te concursus faciat & sollicitudo participem. Reliquias uero quas ibidem postulat collocandas, uolumus ut à fraternitate tua sub debita ueneratione condantur.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De monasterijs ancillarum dei. Et de concilio episcoporum, & de episcopis: seruis & ancillis Iudæorum. Et quòd presbyteri baptizatos infantes in frontibus signare non debeant, sed semel in pectore, & postea episcopi semel in fronte. Caput IX

Epist. 9 SAtis quidem te ipse pastoralis zelus instigare debuerat, ut gregem quem susceperas, etiam sine nostro solatio salubriter ac prouidè tuereris, & à callidis inimicorum surreptionibus eum diligenti circumspectione seruares. Sed quia charitatem tuam pro suæ infirmitatis augmento, nostræ quoq; pagina authoritatis indigere comperimus: necessarium nobis fuit titubantes animos tuos ad religiosi uigoris studium, fraternæ dilectionis exhortatione firmare. Peruenit siquidem ad nos minus te monasterijs ancillarũ dei in Sardinia sitis, tuitionis impendere: & cùm dispositũ à tuis prudenter fuisset decessoribus, ut quidã de clero probati uiri curam gerentes earum se necessitatibus adhiberẽt: nunc ita funditus est neglectum, ut per publicas personas, pro tributis, alijsq; munijs ipsę per se principaliter deo dedicatæ fœminæ cõpellantur subire, necessitatẽq; habeant pro supplendis fiscalibus, per uillas, prædiaq; discurrere, atq; uirilibus incompetenter se miscere negotijs.

Quod malum fraternitas tua facili correptione remoueat, ut unum probatum uirum uita moribusq;, cuius ætas atq; locus nihil de se prauæ suspitionis obijciat, sollicitè deputet, qui sic monasterijs ipsis cum dei timore possit assistere, quatenus ulterius eis pro quibuslibet causis, priuatis uel publicis extra uenerabilia loca contra regulam uagari non liceat, sed quicquid pro his agendũ est, per eum quem deputaueris, rationabiliter peragatur. Ipsę uero referentes deo laudes, atq; coercentes se metipsas, in monasterijs suis nullam occasionem ulterius fidelium mentibus prauæ suspicionis injiciant. Si qua autem earum uel per antiquiorem licentiam, uel per impunitatis prauam cõsuetudinem ad lapsum adulterij deducta fuerit: aut in stupri fuerit perducta uoraginem: hanc post competentis seueritatẽ uindictæ, in aliud districtius uirginum monasterium in pœnitentiam redigi uolumus, ut illic orationibus atq; ieiunijs uacet, & sic pœnitendo proficiat, & metuendũ cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. Is autẽ qui cum huiusmodi fœminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, omni cõmunione priuetur, si laicus est: si uero clericus, à suo quoq; remotus officio, pro suis continuo lugendis excessibus in monasteriũ detrudatur. Episcoporũ etiam concilia, sicut tam tuę mos dicitur fuisse prouinciæ, cq; quòd sanctorũ canonum authoritate præcipitur, bis in anno celebrare re uolumus, ut si quis inter eos à sui forma propositi actionis atq; morũ qualitate discordat, sociali possit fratrũ increpatione redargui: & pro securitate cõmissi gregis, animarũq; statu, paterna ualeat circũspectione tractari. Peruenit etiam ad nos, seruos ancillasq; ludæorum, fidei causa ad Ecclesiam refugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, ne restituantur, precium dari. Hortamur igitur ut nullatenus tam prauam consuetudinem manere permittas: sed si quilibet seruus Iudæorum ad uenerabilia loca cõfugerit causa fidei, nullatenus eũ patiamini præiudicium sustinere. Sed siue olim Christianus, siue nunc fuerit baptizatus, sine ullo pauperũ damno, religioso Ecclesiasticæ pietatis patrocinio, in libertatem modis omnibus defendatur. Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrisma te non præsumant. Sed presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte. Pro fundandis etiam monasterijs, quæ à diuersis iussa sunt construi, si iniusta per spicis hæc ab ijs quibus indicta sunt, excusatione differri, solerter secundum quod leges præcipiũt, admonere te uolumus, ne pię uiuorum aut defunctorũ uoluntates, tua, quod absit, remissione cassentur. De monasterio autem quod in domo sua construendũ quondam Petrus asseritur præcepisse, præuidimus ut fraternitas tua subtiliter requirat relictorũ illic reddituum quantitatẽ. Et si quidem modus habetur substantiæ, recollectis omnibus quæ de rebus ipsis imminuta dicũtur esse, uel dispersa, cum omni studio hoc & sine aliqua dilatione fundetur. Sin autem uel minus idonea uel damnosa facultas est, omnibus, ut edictũ est, subtiliter

Cã. 17. qq. 4. Si qua

Decret. distinct. 4. Presbyteri

Cã. 15. Admon.

tiliter inquisitis, nobis renunciare te uolumus, ut sciamus quid deliberare iuuante domino de eius constructione possimus. Fraternitas igitur tua ita in cunctis prædictis capitulis se solerter impendat, ut nec nostræ admonitionis seriem inueniat̃ fuisse transgressa: nec diuini rea iudicij, de minori zelo pastoralis existat officij.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De monasterio construendo. Cap. X

Epist.10 NOs quidem arbitramur quòd ad imminentiam explctionis piarum rerum, ipse te tuus satis ordo compellat. Sed ne zelum tuum cuiuslibet interuentus remissionis emolliat, de his etiam te specialiter iudicauimus exhortandum. Peruenit siquidem ad nos Stephanum uestrum de hac luce migrantem, supremæ uoluntatis eloquio monasterium pręcepisse fundari. Cuius desiderium à Theodosia honesta fœmina hærede eius, fertur quòd hactenus dilatione protrahit̃. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, ut maximũ de prædicta causa studium geras, atq; antenominatã fœminam commoneas, quatenus intra annale spatiũ monasteriũ, ut iussum est, debeat ordinare, & cuncta secundum defuncti uoluntatẽ sine altercatione cõstruere. Quod si intra prædicti temporis metam aliqua perficere negligentia uel calliditate distulerit, ut siue in loco eo quo constitutum fuerat, seu certe ibi non poterit & alibi placet ordinari, & dilatione interueniente negligitur, tunc uolumus ut fraternitatis tuæ ædificetur studio, ordinatisq; omnibus, res atq; redditus, qui relicti sunt, per te loco ipsi uenerabili sine imminutione aliqua socientur. Sic enim & ante tremendum iudicem tuum sententiam remissionis effugies, & secundum pijssimas leges, dilatas defunctorum pias uoluntates episcopali supplebis studio.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano. De redditibus Ecclesiarũ. Et nullum clericorum in monasterijs abbatẽ esse debere. Iuuenculas sic ri abbatissas uehementissime prohibet. Nullam uirginem nisi sexagenariam uelandam. Cap. XI

Epist.11 OLim quidem fraternitati tuæ nostra fuerat authoritate commissum, ut si quæ in Sicilia exciderent Ecclesiæ, cæterisq; uenerabilibus locis, uel incongruè gererentur, nostra uice corrigeres. Sed quia post hæc de quibusdam neglectis hactenus capitulis ad nos querela peruenit, rursus ad eorum correptionem tuam fraternitatem specialiter præuidimus excitandam. Cognouimus nanq; de redditibus Ecclesiarum nouiter acquisitis, canonicam dispositionem quartarum minimè prouenire: sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redditũ, nunc uero quæsita suis usibus retinere. Quam rem prauam subintroductamq; consuetudinem fraternitas tua uiuaciter emendare festinet: ut siue de præteritis redditibus, siue de ijs quæ obueniẽt, uel obuenientibus, quartæ secundum distributionẽ canonicam dispensetur. Incongruum nanq; est unã eandemq; Ecclesiæ substantiam duplici quodam modo iure censeri, id est, usurpationis & canonũ. Presbyteros, diacones, cæterosq; cuiuslibet ordinis clericos, qui in ecclesijs quoquomodo militãt abbates fieri per monasteria nõ permittas, sed aut admissa clericatus militia, monasticis non promoueantur ordinibus: aut si in abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere: ad utrumq; iudicetur idoneus: sicq; inuicem & Ecclesiasticus ordo uitæ monachicæ, & ecclesiasticis utilitatib. regula monachatus impediatur. Illud quoq; charitatem tuam commonere curauimus, ut si quispiam episcoporũ de hac luce migrauerit, uel, quod absit, pro suis fuerit remotus excessibus, conuenientibus hierarchicis cunctisq; cleri primoribus, atque in sui præsentia inuentarium Ecclesiæ rerum facientibus, omnia quæ reperta fuerint, subtiliter describantur: ne, sicut antea fieri dicebantur: species quædam aut aliud quodlibet de rebus Ecclesiæ, quasi pro faciendi inuentarij labore tollantur. Sic uanque ea quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent, desideramus expleri, ut nulla penitus in rebus eorum ambitiosis hominibus uenalitatis relinquatur occasio. Visitatores ecclesiarum, clericiq; eorũ qui cum ipsis per non suæ ciuitatis parochias fatigantur, aliquod laboris sui capiant te disponente subsidium. Iustum nanq; est ut illic consequantur stipendiũ, quo pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. Iuuenculas abbatissas fieri uehementissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam uirginem, cuius ætas hoc atq; mores exegerint, uelari permittat: quatenus tam prioribus, quàm præsenti capitulo tuæ districtionis instantia domino adiuuante correctis, & diu dissolutum rerum uenerabilium statũ canonicis nexibus religare festines, & diuina negotia non per incongruas uoluntates hominum, sed competenti possint districtione disponi.

Cã.12.q.2 Charitatẽ tuam

Cã.20.q.1 Iuuencu las

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano. De uxore cuiusdã ablata, & alteri data. Cap. XII

Epist.12 TAnta nobis subinde mala quæ agunt̃ in ista prouincia, nunciãtur: ut peccatis faciẽtibus, quod auertat omnipotens deus, celeriter eam perituram credamus. Præsentium nanq; portitor ueniens lachrymabiliter questus est, ante plurimos annos ab homine nescio quo, de possessiõe Messanensis Ecclesiæ, de fontibus se susceptum, & uiolenter diuersis persuasionibus puellę ipsius iunctum: ex qua iuuenculos filios iam habere se asseruit: & nunc uiolenter huic disiunctam abstulisse dicitur, atq; cuidam alij uenundedisse. Quod si uerum est, quàm sit inauditum, atq; crudele malum, tua bene dilectio perspicit. Ideoq; admonemus ut hoc tantum nephas sub ea uiuacitate quam te in causis pijs habere certissimè scimus, requiras atq; discutias. Et si ita ut supradictus portitor insinuauit, esse cognoueris, non solum quod malè factũ est, ad statum pristinum reuocare curabis, sed & uindictam quæ deũ possit placare, exhibere modis omnibus festinabis. Episcopum uerò qui homines

Epist.12

Cã.12.q.2 Cognoui mus

Cã.16.q.1 Presbyte ros

mines ſuos talia agentes corrigere negligit atque emendare, uehemẽter aggredere, proponẽs quia ſi denuo talis ad nos de quoquam qui ad eum pertinet, querela peruenerit, non in eum qui exceſſerit, ſed in ipſum canonicè uindicta procedet.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano.
De Adeotati presbyteri iniuſta expulſione. Cap. XIII

Epiſt. 13 Cã. 7. q. 1 Præſentiũ

PRæſentium latoris Adeotati querelam qui ſe à ſui presbyteratus loco incongruè dicit expulſum, licet ſubditæ tibi textus petitionis explanet, tamen paulo latius iudicauimus apertiuſcꝫ retexendam. Aſſerit nancꝫ à Quintiano fratre & coepiſcopo noſtro in loco ſuo pro quibuſdã ſe ſuis ordinandis negotijs relaxatum, ægritudinisꝫ cauſa per duorũ menſiũ ſpatiũ ſuæ ſe Eccleſiæ defuiſſe, cuius rei occaſionẽ captantẽ prædictũ fratrem noſtrũ, alium loco eius illic presbyterũ ordinaſſe. Hortamur igiſ fraternitatẽ tuã ut cauſam eius ſollicitè perquiras, diſtrictèꝫ diſcutias. Et ſi manifeſtæ ægritudinis, ſicut dicitur, cauſa, Eccleſiæ ſuæ eum defuiſſe repereris, nullum ei ex ordinatione alterius presbyteri permittas præiudicium generari. Sed in locũ ſuũ ſine aliqua eum fac dubietate reſtitui. Sin autẽ aliter ſe res habere dicitur, cꝫ porrecta ab eo cõtinere uidetur ſuggeſtio, cauſam eiuſdẽ canonicè legitimeꝫ perquire, & quicquid tibi ſecundũ deũ uiſum fuerit, iuuante domino, ita ſtude decernere, ut nulla de hac re quæſtio ad nos ulterius reuertatur. Illud aũt charitatẽ tuã ſpecialiter admonemus, ut ſi uera fuerit huius ſuggeſtio, atꝫ in ſuũ fuerit ordinẽ reſtitutus, de presbytero qui in loco eius ordinatus eſt, ſubtiliter diſtrictèꝫ debeas eſſe ſollicitus. Et ſi quidem ſine datione aliqua ad eundem ordinem peruenerit, ut in ſimoniacã hæreſim non potuiſſet incidere, in alia qualicunꝫ uacante Eccleſia, eum uolumus ordinari. Sin autẽ in eo quippiam, quod auertat dominus, fuerit tale repertũ, ipſo etiã presbyteratus priuet ordine, quẽ non cauſa replendæ neceſſitatis Eccleſiæ, ſed ſola cõprobatur ambitione ſuſcepiſſe.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano.
De Felice diacono. Cap. XIIII

Epiſt. 14 PRæſentium lator Felix diaconus, cùm nullatenus in hæreticorũ dogma lapſus ſit, nec à catholica fide diſceſſerit, prauis illectus aduerſus Cõſtantinopolitanã ſynodũ ſuſpicionibus, in Hyſtricorũ ſe ſeparatione remouerat. Qui cùm Romam ueniſſet, recepta à nobis, iuuãte domino, ratione, exceſſum ſuum recepta dominici corporis & ſanguinis cõmunione correxit. Quia ergo, ut dictum eſt, non in hæreſim incidit, ſed à ſacris generalis Eccleſiæ myſterijs quaſi rectæ ſtudio intentionis errauit, imbecillitati eius atꝫ neceſſitatibus conſulentes, maximeꝫ ſuſtentationi eius, pietatis intuitu prouidẽtes, in tua Eccleſia Syracuſana eum præuidimus cardinandũ: ſiue ut officiũ diaconatus expleat, ſeu certe ut ſola eiuſdẽ officij pro ſuſtentanda paupertate ſua cõmoda cõſequatur, in tuæ fraternitatis uolumus hoc pendere iudicio. Quod hortamur ut tua fraternitas implere feſtinet. Cõmendantes etiam perſonã eius, quatenus nullis eũ patiaris moleſtijs aut neceſſitatibus ſubiacere: ne uel noſtræ cõmendationis inueniaris tramitẽ neglexiſſe, uel minus exhibuiſſe cꝫ tuus exigit ordo pauperibus: quia & nos ei annuũ quid de noſtra Eccleſia dari fecimus, ut eiuſdẽ operis ꝗd te hortamur exhibere, participes eſſe poſſimus.

Gregorius Cypriano diacono rectori Siciliæ.
De miniſterijs Eccleſiarũ per Siciliam recolligendis. Cap. XV

Epiſt. 15 PEruenit ad nos diuerſos Italiæ ſacerdotes Siciliam confugientes, plurima ſecum Eccleſiarum ſuarum miniſteria detuliſſe, eaꝫ ſiue defunctis eis, ſiue male diſpergẽtibus, propè omnia deperijſſe. Qua in re moti hortamur dilectionẽ tuã, quatenus tranſmittens per omnia Siciliæ loca, ſicubi uaſa ſacra, reſcꝫ Eccleſiarum poſitas incautè repereris, ea cum ſumma diſtrictione recolligi facias, atꝫ adunatas ſub notitia teſtium ſuſcipias, ſuſceptasꝫ apud ſingulos epiſcopos Eccleſiarũ deponas, apud quos uſꝫ dum pacis tempus expoſcerit, iuuante domino debeant tutiſſimè cõſeruari. Omniũ autẽ rerũ ipſarũ non ſolũ de ſuſcepta eos qui eas tradunt percipere uolumus, ſed etiam à te notitias earũ ſubtiliter retineri, ut dum neceſſe fuerit, ex hac cautela iuuãte domino, poſſint ab ijs quibus traduntur, ſine imminutione reſtitui.

Gregorius uniuerſis epiſcopis per Dalmatiam.
Vt nulli in Salonitana Eccleſia manus ſine ſua permiſsione imponant, & de Maximi præſumptione. Cap. XVI

Epiſt. 16 OPortuerat quidem fraternitatem ueſtram diuini reſpectu iudicij, clauſis carnalibus oculis, nihil quod ad deum pertinet, à recta mẽtis intentione omittere, nec cuiuslibet hominis faciem rectitudini iuſtitiæ preponere. Sed poſtquam mores ueſtri ita ſunt ſecularibus traducti negotijs, ut obliuiſcentes omnem ſacerdotalis in uobis honoris tramitem, cunctumꝫ ſuperni metus intuitum, non quid deo, ſed quid uobis placeat ſtudeatis explere, neceſſè habuimus hæc ad uos diſtrictiora ſpecialiter ſcripta tranſmittere, quibus ex beati Petri principis apoſtolorum authoritate prꝫcipimus, ut nulli penitus extra conſenſum permiſſionemꝫ noſtram, quantum ad epiſcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana ciuitate manus præſumptis imponere, nec quenquam in ciuitate ipſa aliter quàm diximus ordinare. Quòd ſi contra hęc quippiam uel ſponte ueſtra, uel à quolibet coacti præſumpſeritis uel tẽtaueritis agere, decernimus uos à dominici corporis & ſanguinis participatione priuatos, quatenus ex eadem uobis ipſa attrectatione ueſtra, uel uoluntate trãſgrediendæ præceptionis noſtræ, à cœleſtibus myſterijs alieni ſitis, nec is quẽ ordinaueritis, habeat epiſcopus. Nos nancꝫ nullũ cuius uita reprehendi poteſt, ordinare temerè uolumus. Quòd ſi Honoratus diaconus indignus oſtẽdit, de uita moribusꝫ eius ꝗ electus fuerit, nobis renunciari uolumus, ut quicquid in hac re agendũ eſt, cũ cõſenſu noſtro ſalubriter permittamus impleri. Cõfidimus em̃ in omnipotentẽ dominũ, quia quantũ ad intentionem noſtram

nostram pertinet, nunquam quod nostram grauare possit animam, nunquā sinimus fieri quod nostram grauare possit Ecclesiam. Sinuero in qualibet persona ita uoluntarius omniū consensus accesserit, ut authore deo digna sit, & non sit qui ab eius ordinatione dissentiat, hāc à uobis in eadem Salonitana Ecclesia ex præsentis epistolæ nostræ concessa licentia uolumus cōsecrari: excepta duntaxat persona Maximi, de qua ad nos multa mala perlata sunt, quę si ab appetitu maioris ordinis nō cessat, restat, ut arbitror, quatenus subtiliter discussa, ipso quoq; in quo est officio careat.

Mense Septembri. Indictione duodecima.

Gregorius Felici episcopo Sypontino, &c. De tribuno ab hostibus redimendo. Cap. XVII

Epist.17 QValiter succurrendū sit redemptionibus captiuorum, & sanctorum canonum, & mundanarum legū sanctio euidenter edocuit. Quod cum omnibus notum sit, mirati sumus ut fraternitas tua in redemptionē tribuni clerici tui præsentium latoris nulla mota misericordia subueniret. Quod ergo sponte facere distulisti, nostra saltem facere festina adhortatiōe cōmonitus: ne si, quod non credimus, negligendum putaueris, incipiat tibi necessitas, quod uoluntas fugit, imponere. Quia igitur supradictus Tribunus ab hostibus se prædatum, ac centum duodecim solidis se perhibet computatum, ad quorum se deflet restitutionem urgeri, hæc te oportet diligenter inquirere. Et si ita est, nec eum unde precium in se datū reddere possit habere cognoueris, supradictos solidos de Ecclesia redemptori eius restitue. Nā ualde durum est si de Ecclesia cui militat, remedium nullum ueniat. Omissa itaq; excusatione, precium quod in eo datū manifesta ueritate patuerit, sine aliqua mora, sicut sumus præfati, restitue: quatenus nec creditorem eius tempore necessitatis afflicto subuenisse pœniteat, & hic onere mœroris exutus, mente libera officij sui ministerium sollicite ac competenter exhibeat.

Mense Ianuario. Indictione duodecima.

Gregorius Mauro abbati à sancto Pancratio. Commendat Ecclesiam sancti Pancratij. Caput XVIII

Epist.18 ECclesiarum cura quæ sacerdotalibus officijs euidenter infixa est, ita nos cogit esse sollicitos, ut nulla in eis neglectus culpa appareat. Quoniam uerò Ecclesiam sancti Pancratij, quæ erat commissa presbyteris, frequenter neglectam fuisse cognouimus: ita ut uenientes dominico die populi missarum solennia audituri, non inuento presbytero, murmurātes redirēt: hoc matura deliberatione nostro sedit arbitrio, ut eis remotis, monachorū congregationē in monasterio eidem Ecclesiæ cohærenti constituere cum dei gratia deliberemus, quatenus abbas qui illic prę esset, curam & sollicitudinem antefatę Ecclesię habere modis omnib. debuisset. In quo etiā monasterio te Maurum abbatem præuidimus præponendū: statuentes ut terras præfatæ Ecclesiæ, uel quicquid illuc intrauerit, seu de redditibus eius accesserit, antedicto monasterio tuo debeat applicari, atque illic sine diminutione aliqua pertinere, ita sanè ut quæcunq; in ipsa suprascripta Ecclesia fienda reparanda q; sunt, per te sine dubio reparentur. Sed ne remotis presbyteris quibus Ecclesia ipsa fuerat ante cōmissa, uacare mysterijs uideat: idcirco huius tibi authoritatis tenore præcipimus, ut peregrinū illic debeas adhibere presbyterum, qui sacra missarum possit solennia celebrare. Quem tamen & in monasterio tuo habitare, & exinde uitæ subsidia habere necesse est. Sed & hoc pręomnibus curæ tuæ sit, ut ibidem ad sacratissimum corpus beati Pancratij quotidie opus dei proculdubio peragatur. Hæc igitur quæ tibi præcepti huius facienda serie deputamus, non solum te perficere, uerū etiam ab his qui in officio locoq; tuo successerint, sic in perpetuū seruari uolumus & impleri, ut nullus deinceps in supradicta Ecclesia possit inueniri neglectus.

Gregorius Leoni acolito. Ecclesiam sanctæ Agathæ in Suburra commendat. Cap. XIX

LOcorum uenerabiliū cura nos admonet de eorum utilitate per omnia cogitare. Epist.19 Quia ergo Ecclesia sanctæ Agathæ sita in Suburra, quæ spelunca fuit aliquādo prauitatis hæreticæ, ad catholicæ fidei culturā deo propitiante reducta est, ideo huius authoritatis tenore commonitus, pensiones omnium domorum in hac urbe constituta rum, quas prædictam Ecclesiam temporibus habuisse Gothorum constiterit, annis singulis congregare non desinas, & quantū in sartis tectis uel luminaribus, aliaq; reparatione eiusdem Ecclesiæ necessarium fuerit, erogare modis omnibus studebitis. Quicquid uerò exuberare potuerit, fideliter rationib. te Ecclesiasticis inferre præcipimus.

Mense Aprili. Indictione duodecima.

Gregorius Maximiano præsumptori in Salona. De excommunicatione illorum episcoporū, qui ei manus contra canonū statuta imposuerunt. Caput XX

LIcet cætera cuiuspiam talia uitæ sint merita, Epist.20 ut nihil sit quod ex his sacerdotalibus ualeat ordinibus obuiare, tamen solius nephas ambitus seueriss ima canonum districtione damnatur. Cognouimus itaque quòd uel surrepta uel simulata pijssimorum principū iussione, dum uita dignus non fueris, te ad sacerdotij ordinem cunctis uenerabilem prorupisse. Quod nos ideo sine ulla hęsitatione credidimus, quia uitā ætatemq; tuam nō habemus incognitam: ac deinde, quia sereniss imi domini imperatoris animum non ignoramus, q p se in causis sacerdotalibus miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis grauetur. Additur inauditum nephas, quòd post interdictionem quoq; nostram, quæ sub excommunicatione tua, ordinantiumq; te facta est, cæsis presbyteris, diaconibus, cæteroq; clero, manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem nos cōsecrationem dicere nullo modo possumus: quia ab excommunicatis est hominib. celebrata. Quia igit sine ulius exēpli forma uiolasti talem tantāq; sacerdotij

dignitatem, præcipimus ut usq; dum dominicis A uel respõsalis nostri cognouerimus apicib. quod non surreptitia, sed uera fueris iussione ordinat⁹, nullatenus tu ordinatoresq; tui attrectare quicq; præsumatis sacerdotalis officij, neque usque ad rescriptum nostrum, ad cultum sacri altaris accedere. Quòd si contra hæc agere præsumpseritis, anathema uobis sit à deo, & à beato Petro Apostolorum principe, ut contemplatione iudicij uestri, cæteris quoq; catholicis Ecclesiis, ultionis uestræ præbeatur exemplum.

Mense Maio. Indictione duodecima.

Gregorius Venantio episcopo Lunensi. Quòd Iudæis non liceat Christiana mancipia habere. Cap. XXI

Epist.21 MVltorum ad nos relatione peruenit, à Iudæis in Lunẽsi ciuitate degentibus ad seruitium Christiana detineri mancipia, quæ res nobis tanto uisa est asperior, quanto à fraternitatis tuæ patientia operosior. Oportebat quippe te respectu loci tui, atq; Christianę religionis intuitu nullam relinquere occasionẽ superstitioni Iudaicæ, ne simplices animæ non tam suasionibus quàm potestatis iure quodammodo deseruirent. Quam obrem hortamur fraternitatem tuam, ut secundum pijssimarum legum tramitem, nulli Iudæo liceat Christianum mancipium in suo retinere dominio. Sed si qui penes eos inueniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum sanctione seruetur. Hi uerò qui in possessionibus eorum sunt, licet & C ipsi legum districtione sint liberi, tamen quia colendis eorum terris diutius adhæserunt, utpote conditionem loci debentes, ad colenda quæ consueuerant rura permaneant, pensiones prædictis uiris præbeãt: quæ cuncta de colonis uel originarijs iura præcipiunt peragant, nihil eis extra hoc oneris amplius indicatur. Quòd si quisquam de his uel ad alium migrare locum, uel in obsequio suo retinere uoluerit, ipse tibi reputet qui ius colonarium temeritate sua, ius uerò domini sub iuris seueritate damnauit. In his ergo omnibus ita te uolumus solerter impendi, ut nec direpti gregis pastor reus existas, nec apud nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehensibilem reddat.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi. Vt Venantio episcopo Lunensi concurrat. Cap. XXII D

Epist.22 QVorundam de Laudensium uenientiũ partibus ad nos relatione peruenit, religiosos locorum ipsorum ita ab Ecclesiasticæ disciplinæ tramite deuiasse, ut nullatenus in suis morib. actionibusq; canonicæ dispositionis statuta respiciãt. Quæ quia erant & examinanda subtilius, & seuerius ulciscenda: præsentium latorem Venantium fratrem & coepiscopum nostrũ ut instanter emendarentur, admonui. Sed pro magnitudine inquietudinis excedentium personarum, solum se non iudicauit in huiusmodi inquisitiõe sufficere: ideoque postulauit à nobis ut in eodem examinando negotio fraternitatis tuæ ei addiceretur authoritatis solatium. Quanquam igitur fraterna dilectio hoc à te & sine nostris scriptis debeat exigere, tamen præsentibus quoq; uos specialiter epistolis adhortamur, ut adhibito uobis prędicto fratre nostro, cunctos clericos cæterosq; religiosos prænominatæ ciuitatis & territorij eius de excessib. quorum aliquid est suspitionis, ad te uenire cõpellas, atque cuncta secũdum deum propter futuri metum iudicij subtiliter inquirentes, si quem à canonum statutis recessisse reperitis, canonica eum ultione corrigite. Nec patiamini in locis uestris eos qui non gerunt in moribus, quod ostendunt in habitu, per abrupta diutius euagari. Quos oportet ad rectitudinis normam pastorali uos circumspectione reducere. Ita ergo fraternitas tua cunctis solertius indagatis, quæ nobis in talibus B nunciata sunt corrigat, ordinet, atq; in futurum sopire festinet, ut & animæ tuæ proficiat, si tui causas uigilanter atq; uiuaciter perscrutaris officij, & nostrum minimè frustrari permittas, quod semper de tuæ maturitatis habuimus districtione iudicium.

Gregorius nobilib. ac possessoribus in Sardinia insula consistentibus, &c. De rusticis idolis seruientibus. Cap. XXIII

Epist.23 FRatris & coepiscopi mei Felicis, & filij mei Ciriaci serui dei, relatione cognoui, penè omnes uos rusticos in uestris possessionibus idololatriæ deditos habere. Et ualde hac de re contristatus sum, quia scio quòd subiectorum culpa, præpositorum deprimit uitã, & cùm in subiecto peccatum non corrigitur, in eos qui præsunt sententia retorquetur. Vnde magnifici filij exhortor, ut omni cura omniq; sollicitudine animarum uestrarum zelum habere debeatis, & quas rationes omnipotenti deo de subiectis uestris reddituri estis, aspicite. Ad hoc quippe illi uobis commissi sunt, quatenus & ipsi uestrę utilitati ualeant ad terrena deseruire, & uos per uestram prouidentiam eorum animabus ea quæ sunt æterna prospicere. Si igitur impendũt illi quod debent, uos eis cur non soluitis, quod debetis? id est, ut assiduè illos magnitudo uestra commoneat, ab idololatriæ errore compescat, quatenus eis ad fidem ductis, omni potentem dominum erga se placabilem faciat. Ecce enim mundum hunc, quia finis uicinus urget aspicitis, quòd modo humanus in nos, modo diuinus gladius sæuiat uidetis, & tamen uos ueri dei cultores, à cõmissis uobis lapides adorari conspicitis, & tacetis. Quid quæso in tremendo iudicio dicturi estis, quando hostes dei & sub potesta te uestra suscepistis, & tamen eos deo subdere, atque ad eum reuocare cõtemnitis? Vnde debitum salutationis alloquium soluens peto, ut magnitudo uestra attendere erga zelum dei uehementer inuigilet, & quis quantos ad Christum perduxerit, suis mihi epistolis indicare festinet. Quod ergo uos agere ex aliqua occasione forsitan minimè ualetis, prædicto fratri & coepiscopo nostro Felici uel filio meo Ciriaco iniũgite, eiq; ad opus dei solatium præbete, ut in remuneratione uitæ tanto posśitis esse participes, quanto nunc bono operi solatium præbetis.

Gregorius

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De Xenodochio Ecclesiæ. De Epiphanio presbytero. De Paulo clerico malefico. De ordinationibus & nuptijs clericorum. De uirginibus uelandis. De mulieribus à monasterijs egressis. Ca. XXIIII

Epist. 24

OPortebat siquidem fraternitatem tuam ita de rebus pijs esse sollicitam, ut nihil ad explendas eas nostris admonitionibus penitus indigeret: tamen quia quædã ad nos peruenerũt quæ sunt corrigenda capitula, nihil est incongruum si nostræ quoq; uobis pagina authoritatis accedat. Quamobrem significamus peruenisse ad nos, consuetudinem fuisse, ut xenodochia quæ sunt in Caralitanis partibus constituta, apud episcopum ciuitatis singulis quibusq; temporibus suas subtiliter rationes exponerent, eius uidelicet tuitione atque sollicitudine gubernanda. Quod quia tua hactenus fertur charitas neglexisse: hortamur ut, sicut dictum est, tibi singulis quibusq; temporibus rationes suas xenodochi qui in eis sunt constituti uel fuerunt, subtiliter reddant. Atq; tales in eis qui præsint ordinentur: qui uita, moribus, atque industria inueniãtur esse dignissimi, religiosi duntaxat, quos uexandi iudices non habeant potestatem: ne si tales personæ fuerint, quas in suum possint euocare iudicium, uastandarum rerum debilium, quæ illic reiacent, præbeatur occasio: de quibus rebus summam te curam gerere uolumus: ut nulli sine tua licentia dentur notitiæ ue, ne usq; ad direptionem earum, ex fraternitatis tuæ peruenia tur incuria. Præterea nosti latorem præsentium Epiphanium presbyterum quorundam sacerdotum literis criminaliter accusatum. Cuius nos, ut ualuimus, discutientes causam nihilq; in eo obiectorum reperientes, ut ad locum suum reuerteretur, absoluimus. Criminis ergo eius authores te uolumus perscrutari. Et nisi qui easdem transmisit epistolas, paratus fuerit hoc quod obiecit, canonicis atque districtissimis probationibus edocere, nullatenus ad sanctæ ministerium communionis accedat. Paulum uerò clericum qui sæpe dicitur in maleficijs deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicã reuersus uitam, in Aphricam fugerat: si ita est, corporali prius præueniente uindicta, præuidimus in pœnitentiam dari, quatenus & secundum apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus saluus fiat: & terrenas peccatorum sordes, quas prauis contraxisse fertur operibus, lachrimarum possit assiduitate diluere. Eis uerò qui ab Ecclesiastica communione suspensi sunt, nullus religiosus secundum canonum præcepta iungatur. De ordinationibus uerò uel de nuptijs clericorum, aut de ijs quæ uelantur uirginibus, nullus, ut nunc fieri dicitur, quicquam præmij præsumat accipere, nisi quippiam sua sponte offerre maluerint. In mulieribus quæ de monasterijs ad laicam uitam sunt egressæ, uirosq; fortitæ, quid fieri debeat, cum prædicto fraternitatis tuæ presbytero subtilius fumus locuti. cuius relatione sanctitas uestra potest plenius informari. Religiosi uerò clerici conuentus patrociniaq; laicorũ caueant, qui tuæ modis omnibus secundum canones iurisdictioni subdantur, ne remissione fraternitatis tuæ, eius cui præes disciplina dissoluat Ecclesiæ. Eos autem qui in prædictas mulieres quæ egressæ sunt de monasterijs excesserunt: & nunc dicũtur à communione suspensi, si fraternitas tua de tali facinore dignè pœnituisse præuiderit, ad sacramentum communionis te uolumus reuocare.

Cau. 27. q. 1. Eos aũt qui

Gregorius Zabardæ duci Sardiniæ. De Barbaricinis conuertendis. Cap. XXV

Epist. 25

SCriptis fratris & coepiscopi mei Felicis & Ciriaci serui dei, gloriæ uestræ bona cognouimus. Magnasq; omnipotenti deo gratias agimus quòd talem ducem Sardinia suscepit: qui sic sciat quæ terrena sunt, reipublicæ exoluere, ut bene etiam nouerit omnipotenti deo obsequia patriæ cœlestis exhibere. Scripserunt etenim mihi quòd eo pacto cum Barbaricinis facere pacem disponatis, ut eosdem Barbaricinos ad Christi seruitium adducatis. Hac de re ualde lætatus sum, & dona uestra, si omnipotenti deo placuerit, citius serenissimis principibus innotesco. Vos ergo quod cœpistis, explete: omnipotenti deo deuotionem uestræ mentis ostendite: eos quos illuc ad conuertendos Barbaricinos transmisimus, quantum ualetis adiuuate, scientes quòd talia opera multum uos & ante terrenos principes, & coram cœlesti rege præualeant adiuuare.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De ordinatione Ecclesiarum. De rusticis Paganis. De lapsis ad pristinum officium non reuocandis. Et de chrismate. Cap. XXVI

Epist. 26

FRatris & coepiscopi nostri Felicis, & Ciriaci abbatis relatiõe cognouimus, quòd in insula Sardinia sacerdotes à laicis iudicibus opprimantur: & fraternitatem tuam ministri tui despiciant: dumq; solum simplicitati à uobis studetur, quantum uidemus, disciplina negligitur. Vnde hortor ut omni excusatione postposita, Ecclesiam quam suscepisti, authore deo regas, disciplinam clericos tenere cogas, nullius uerba metuere studeas. Archidiaconem uerò tuum, ut audio, cum mulieribus habitare prohibuisti, & nuncusq; in ea prohibitione despiceris Qui nisi iussioni tuæ paruerit, eum à sacro ordine uolumus esse priuatum. Accidit autem aliud ualde lugendum, quia ipsos rusticos quos habet Ecclesia tua nuncusq; in infidelitate remanere, negligentia fraternitatis uestræ permisit. Et quid uos admoneo ut extraneos ad deum adducatis, qui uestros ab infidelitate corrigere negligitis? Vnde necesse est uos per omnia in eorum conuersionem uigilare. Nam si cuiuslibet episcopi in Sardinia insula Paganum rusticum inuenire potuero, in eundem episcopum fortiter uindicabo. Iam uerò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus, ut ad dominũ deũ uenire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est: ut ipsa exactionis suæ pœna cõpellat ad rectitudinẽ festinare. Peruenit etiã ad nos quosdã de sacris ordinibus lapsos, uel post pœnitẽtiam, uel ante ad ministerij sui officiũ reuocari: quod omnino prohibemus, & in hac re sacra-

Cã. 11. q. 1 Fratris

Cã. 23. q. 6 Iam uero.

Parte. 1. distin. 50. Peruenit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſacratiſſimi quoq; canones contradicunt. Qui igi A
tur poſt acceptum ſacrum ordinem lapſus in pec
catum carnis fuerit, ſacro ordine ita careat, ut ad
altaris miniſterium ulterius non accedat. Sed
ne unquam ij qui ordinati ſunt pereant, prouide-
ri debet quales ordinentur: ut prius aſpiciatur ſi
uita eorum continens in annis plurimis fuit, ſi ſtu
dium lectionis, ſi eleemoſynę amorem habuerūt.
Quærendum quoq; eſt, ne forte fuerit bigamus.
Videndum etiam ne ſine literis, aut obnoxius cu-
riæ, compellatur poſt ſacrum ordinem ad exactio
nem publicam redire. Hęc itaq; omnia diligenter
fraternitas ueſtra inquirat, ut dum diligenter qui-
libet exquiſitus ordinatur, non celeriter poſt or-
dinationem deponatur. Ea autem quæ fraternita
ti ueſtræ ſcripſimus, cunctis ſub uobis epiſcopis
innoteſcite: quia ego illis ſcribere nolui, ne hono-
rem ueſtrum uiderer imminuere. Peruenit quoq;
Parte. 1. di- ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quòd pres-
ſtin. 95. Per- byteros chriſmate tangere in fronte eos qui bapti
uenit. De cō zandi ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundū
ſec. di. 4. pre- uſum ueterem Eccleſiæ noſtræ fecimus, ſed ſi om
sbyteri ba- nino hac de re aliqui contriſtātur, ubi epiſcopi de
ptizatos. 4. ſunt, ut presbyteri etiā in frontibus baptizandos
ſententiarū chriſmate tangere debeant, concedimus.
diſt. 7. c. 1

Gregorius Hoſpiten duci Barbaricinorum.
De Barbaris conuertendis. Cap. XXVII

Epiſt. 27 CVm de gente ueſtra nemo Chriſtianus ſit,
in hoc ſcio quia omni gente tua es melior, C
quia tu in ea Chriſtianus inueniris. Dum enim
Barbaricini omnes ut inſenſata animalia uiuant,
deum uerum neſciant, ligna autem & lapides ado
rent: in eoipſo quòd deum uerum colis, quantum
omnes antecedas, oſtendis. Sed fidem quam per-
cepiſti etiam bonis actibus & uerbis exequi de-
bes, & Chriſto, cui credis, offerre: ſd præuales, ut
ad eum quoſcunq; potueris adducas, eoſq; bapti-
zari facias, & æternam uitam diligere admoneas.
Quod ſi fortaſſe ipſe agere non potes, quia ad ali-
ud occuparis, ſalutans peto, ut hominibus noſtris
quos illuc tranſmiſimus, ſcilicet fratri & coepiſco-
po meo Felici, filioq; meo Ciriaco ſeruo dei, ſola-
tiari in omnibus debeas: ut dum eorum labores
adiuuas, deuotionem tuam omnipotenti domino
oſtendas, & ipſe tibi in bonis actibus adiutor ſit, D
cuius in bono opere, famulis ſolatiaris. Benedicti
onem uerò ſancti Petri Apoſtoli uobis tranſmiſi-
mus, quam peto ut debeatis benignè ſuſcipere.

Menſe Iunio. Indictione duodecima.
Gregorius Candido defenſori. De Albino
luminibus priuato. Cap. XXVIII

Epiſt. 28 NEceſſitatem patientibus pontificale conue
nit adeſſe ſubſidium. Pro quo experientiæ
tuæ præſenti authoritate præcipimus, quatenus
Albino priuato luminibus, filio quondam Marti
ni coloni, ſingulis annis duas tremiſſes ſine aliqua
dilatione præſtare nō deſinat, non dubitatura ſuis
hoc ſine dubio rationibus imputari.

Gregorius Ianuario epiſcopo Caralitano.
De epiſcopo intra Dardaniam ordinando.
Caput. XXIX

Epiſt. 29 PEruenit ad nos in loco qui intra prouinciam
Sardiniam dicitur Phauſiana, cōſuetudinem
fuiſſe epiſcopum ordinari, ſed hanc pro rerum ne
ceſſitate longis aboleuiſſe temporibus. Quia au-
tem nunc ſacerdotum indigentia, quoſdam illic
Paganos remanere cognouimus, & ferino degen
tes modo, dei cultum penitus ignorare: hortamur
fraternitatem tuam, ut illic ſecundum priſtinum
modum ordinare feſtinet antiſtitem, talem uideli
cet qui ad hoc opus moribus ac uerbo exiſtat ido
neus: & oberrantes ad gregem dominicum paſto
rali ſtudeat ęmulatione deducere: quatenus eo il-
lic ad animarū uacante cōpendium, nec uos inue
niamini ſuperflua popoſciſſe, nec olim deſtructa
fruſtra nos reformaſſe pœniteat. B

Gregorius Conſtantiæ Auguſtæ. De miraculis
Apoſtolorum Petri & Pauli. Et de monachis Grę-
cis mortuorum oſſa effodientibus, detentusq; uen
dere ea in Oriente pro reliquijs. Et de ſudario
ſancti Pauli. Cap. XXX

Epiſt. 30 SErenitas ueſtræ pietatis, religionis ſtudio, &
ſanctitatis amore cōſpicua, propter eam quæ
in honorem ſancti Pauli apoſtoli in palatio ædifi-
catur Eccleſiā, caput eiuſdem ſancti Pauli, aut ali-
ud quid de corpore ipſius ſuis ad ſe iuſſionibus à
me præcipit debere trāſmitti. Et dum illa mihi de
ſiderarē imperari, de quib. facillimā obedientiā
exhibēs, ueſtram erga me amplius potuiſſem gra-
tiam prouocare: maior me mœſtitia tenuit, quòd
illa præcipitis, quę facere nec poſſum, nec audeo,
Nam corpora ſanctorum Petri & Pauli Apoſto-
lorum, tantis in Eccleſiis ſuis coruſcant miracu-
lis atq; terroribus, ut neque ad orandum ſine ma-
gno illuc timore poſsit accedi. Deniq; dum bea-
tæ recordationis deceſſor meus, quia argentum
quod ſupra ſacratiſsimum corpus beati Petri A-
poſtoli erat, longè tamen ab eodem corpore fe-
rè quindecim pedum ſpatio, mutare uoluit: ſignū
ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid
ſimiliter ad ſacratiſsimum corpus ſancti Pauli A-
poſtoli meliorare uolui: & quia neceſſe erat, ut
iuxta ſepulchrum huiuſmodi effodi altius debuiſ-
ſet, præpoſitus loci ipſius oſſa aliqua non quidem
eidem ſepulchro coniuncta reperit. Quæ quoni-
am leuare præſumpſit, atque in alium locum trā-
ponere, apparentibus quibuſdam triſtibus ſignis,
ſubita morte defunctus eſt. Præter hæc autem ſan
ctæ memoriæ deceſſor meus, itidē ad corpus ſan-
cti Laurentij martyris quædam meliorare deſide
rans, dum neſcitur ubi uenerabile corpus ipſius
eſſet collocatum, & effoditur exquirendo, ſubi-
tò ſepulchrum ipſius ignoranter apertum eſt: & ij
qui præſentes erant atq; laborabant, monachi &
manſionarij qui corpus eiuſdē martyris uiderunt,
quod quidem minime tangere præſumpſerunt,
omnes intra decem dies defuncti ſunt, ita ut nul-
lus uitę ſupereſſe potuiſſet, qui ſanctum & iuſtum
corpus illius uiderat. Cognoſcat autem tranquil-
liſſima domina, quia Romanis cōſuetudo nō eſt,
quando ſanctorū reliquias dant, ut quicq; tange-
re præſumant de corpore: ſed tantummodo in
pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſsima
corpora

corpora sanctorū ponitur. Quod leuatū, in Eccle
sia quæ est dedicanda, debita cum ueneratione re
conditur: & tantæ per hoc ibidem uirtutes fiunt,
ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur.
Vnde contigit ut beatæ recordationis Leonis pa
pæ temporibus, sicut à maioribus traditur, dum
quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent: pre
dictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forti
cibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis ef
fluxerit. In Romanis nanq; uel totius occidentis
partibus omnino intolerabile est atque sacrilegū,
si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse
uoluerit. Quod si præsumpserit, certum est quia
hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.
Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa
leuare sanctorum se asserunt, uehementer mira-
mur, & uix credimus. Nam quidā monachi Græ-
ci huc ante biennium uenientes, nocturno silen-
tio iuxta Ecclesiam sancti Pauli corpora mortuo
rum in campo iacentia effodiebant, atque eorum
ossa recondebant, seruantes sibi dum recederent.
Qui cùm deprehensi, & cur hoc facerēt diligēter
fuissent discussi, confessi sunt q; illa ossa ad Græ-
ciam essent tanquam sanctorum reliquias porta-
turi. Ex quorum exemplo, sicut prædictum est,
maior nobis dubietas nata est: utrū uerū sit quòd
leuare ueraciter ossa sanctorum dicuntur. De cor
poribus uerò beatorum Apostolorum quid ego
dicturus sum, dum constet, quia eo tempore quo
passi sunt, ex Oriente fideles uenerunt, qui eorum
corpora sicut ciuium suorum repeterent? Quę du
cta usq; ad secundum urbis miliarium, in loco qui
dicit ad Catatumbas, collocata sunt. Sed dum ea
exinde leuare omnis eorum multitudo conueni-
ens niteretur, ita eos uis tonitrui atque fulguris
nimio metu terruit atque dispersit: ut talia denuo
nullatenus attentare præsumerent. Tunc autē exe
untes Romani eorum corpora, qui hoc ex domi-
ni pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis qui-
bus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo nūc
serenissima domina tam temerarius possit existe-
re, ut hæc sciens, eorum corpora non dico tange-
re, sed uel aliquatenus præsumat inspicere? Dum
igitur talia mihi à uobis præcepta sunt, de quibus
parere nullatenus possem, quantum inuenio, non
uestrum est: sed quidam homines contra me pie-
tatem uestram excitare uoluerunt: ut mihi, quod
absit, uoluntatis uestræ gratiam subtraherent, &
propterea quæsiuerunt capitulum, de quo uobis
quasi inobediens inuenirer. Sed in omnipotente
domino confido, quia nullo modo benignissimæ
uoluntati surrepitur, & sanctorum Apostolorum
uirtutem, quos toto corde & mente diligitis, non
ex corporali præsentia, sed ex protectione sem-
per habebitis. Sudarium uerò quod similiter trā-
smitti iussistis. cum corpore eius est, quod ita tan-
gi nō potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed
quia serenissimæ dominæ tam religiosum deside-
rium esse uacuum non debet, de catenis quas ipse
sanctus Paulus Apostolus in collo & in manibus
gestauit: ex quibus multa miracula in populo de-
monstrantur, partem aliquam uobis transmittere
curabo, si tamen hanc tollere limando prævalue-
ro: quia dum frequenter ex catenis eisdem multi
uenientes benedictionē petunt, ut parū quid ex
limatura accipiāt, assistit sacerdos cum lima, & ali
quibus petentibus ita concitè aliquid de catenis
ipsis excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam uerò
petentibus, diu per catenas ipsas ducitur lima, &
tamen ut aliquid exinde exeat, non obtinetur.

Mense Iunio. Indictione duodecima.

Gregorius Anthemio subdiacono.

De Iudæis conuertendis. Cap. XXXI

HIs quos de Iudaica perditione redemptor
noster ad se dignatur conuertere, rationabi
li nos oportet moderatione cōcurrere: ne uictus,
quod absit, inopiam patiantur. Ideoq; tibi huius
præcepti authoritate mandamus, quatenus filijs
iustè ex Hebræis, id est, Iuliano, Redēpto, & For-
tunæ à tertiadecima succedenti indictione annis
singulis solidos dare non differas, quos tuis noue-
ris modis omnibus rationibus imputandos. Epist. 31

Gregorius Panthaleoni episcopo Aphricæ.

De Donatistis comprimendis. Cap. XXXII

HÆreticorum nephandissimam prauitatem
qualiter lex persequatur instantius, excellē
tiæ uestræ non habetur incognitum. Hi igit quos
& fidei nostræ integritas, & legum damnat distri
ctio mundanarum, non leue peccatum est si ue-
stris inueniant temporibus licentiam reserpendi.
In illis igitur partibus quantum didicimus, ita Do
natistarum creuit audacia, ut non solum de suis
Ecclesiis authoritate pestifera eijciant catholicæ
fidei sacerdotes: sed & quos uera cōfessione aqua
regenerationis abluerat, rebaptizare non metuūt
Valdeq; miramur, si tamen ita est, ut uobis illic po
sitis huiuscemodi liceat hominibus prauis exce-
dere. Primum siquidem quale de uobis iudicium
hominibus relinquatis attendite, si hi qui aliorum
temporibus iusta ratione compressi sunt, uobis
administrantibus uiā sui excessus inueniant. De-
inde perditorum animas deum nostrum de ma-
nu uestra scitote requirere, si tantum nephas, in-
quantū possibilitas exigit, emendare negligitis.
Hæc enim excellentia uestra non amarè suscipiat.
Nam quia uos ut filios proprios diligimus, pro-
pterea hæc quæ uobis prodesse non ambigimus,
indicamus. Paulum uerò fratrem & coepiscopum
nostrum ad nos sub omni festinatione dirigite, ne
cuiquam impediēdi eum aliqua occasio uel excu
satio detur, ut ueritatem plenius agnoscētes, qua-
liter tanti facinoris ultio debeat peruenire, deo ad
iuuante, rationabili possimus tractatu disponere. Epist. 32

Gregorius Theodelindæ reginę Longobardo
rum &c. De quarta synodo, & Constanti
no episcopo. Cap. XXXIII

QVorundam ad nos relatione peruenit ab ali
quibus episcopis gloriam uestrā usq; ad hoc
scādalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perdu
ctam, ut sese à catholicæ unanimitatis communio
ne suspēderet. Quod quantū uos purè diligimus,
tanto de uobis fortius dolemus, quia uos impe-
ritis stultisq; hominibus creditis; qui non solum Epist. 33

ea quæ

ea quæ loquuntur nesciunt, sed uix ea quæ audierunt, percipere possunt. Qui dum neque legunt, neq; legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis finxerunt. Nos enim uenerамur sanctas quatuor synodos: Nycenã, in qua Arius: Constãtinopolitanam, in qua Macedonius: Ephesinã primã, in qua Nestorius atq; Dioscor⁹: Chalcedonensem, in qua Euthices damnatus est: profitentes quia quisquis aliter sapit, cũ hæ quatuor synodi, à fide ueritatis alienus est. Damnamus autem quoscunq; damnãt, & quoscunq; absoluũt, absoluimus: sub anathematis interpositione ferientes eum, qui earundẽ quatuor synodorũ, maximè autem Chalcedonensis, de qua quibusdam imperitis hominibus nata est superstitionis occasio, fidei addere, uel adimere, prẽsumit. Cùm itaq; integritatem nostram ex aperta mea traditione seu professione cognoscitis, dignum est ut de Ecclesia beati Petri Apostolorũ principis nullum ulterius scrupulũ dubietatis habeatis: sed in uera fide persistite, & uitam uestram in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione beati Petri Apostolorum principis solidate: ne tot uestræ lachrymæ, tãtaq; bona opera pereant, si à fide uera inueniantur aliena. Sicut enim rami sine uirtute radicis arefiunt: ita opera quantumlibet bona uidean tur, nulla sunt, si à soliditate fidei disiungũtur. Decet ergo gloriam uestrã ad reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum Constantinum, cuius & fides & uita olim mihi bene est approbata, sub omni celeritate transmittere, eiq; directis epistolis indicare ordinationẽ eius cũ benignè susA diacono iuncta est, ut à carnis uoluptatibus abstineret. Si ergo ita se ueritatem, quemadmodum edocti sumus, habere cognoscis: prædictam te mulierem de monasterio per omnia conuenit relaxare, ut ad suum maritum sine aliqua possit formidine remeare. De cætero uerò fraternitas tua sit omnino sollicita, & quos ad hoc iam officium contigerit promoueri, hoc quàm maximè diligenter inspiciat, ne si uxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis apostolicæ eos cuncta obseruare sua nihilominus districtione constituat.

Gregorius Victori & Columbo episcopis Aphricæ. De hæresi Donatistarum. Cap. XXXV

Epist.35 QValiter neglectus inter initia morbus uires accipiat, ex nostris necessitatibus, quicunq; in hac sumus uita cõstituti, probauimus. Huic igitur nascenti morbo si doctorũ obstaret prouisio medicorum: scimus quidem quia ante solet cessare quàm noceat. Huius ergo considerationis ratio uehementer nos debet impellere, ut animarũ morbis initiantibus, tota festinemus possibilitate resistere, ne dum salubria adhibere medicamenta negligimus, multorũ nobis uita quos deo nostro contendimus lucrari, subripiatur. Vnde nos oportet ita caulas ouiũ, quibus custodes uidemur esse præpositi, uigilanti custodia atq; solicitudine præmunire, quatenus lupus insidiãs undiq; pastores sibi repugnantes inueniat, & uiam ingrediendi in eas non habeat. Comperimus siquidem Donatistarum stimulos sic in illis partibus gregem turbasse dominicum, ac si nullius pastoris moderamine regeretur. Nunciatumq; nobis est, quod dicere sine graui dolore non possumus, quòd plurimi eorum uenenatis iam sint dentibus laniati. Denique sacerdotes canonicos prauissima de suis Ecclesiis temeritate repellere. Et multos insuper, quibus salutẽ regenerationis aqua præbuerat, rebaptizantes, prauitate nephandissima necauisse dicunt. Quæ res animos nostros ualde mœstificat, quòd uobis illic positis damnatæ præsumptioni tantũ scelus perpetrare licuerit. Qua de re fraternitatem uestram scriptis præsentib. adhortamur, ut habito tractatu, initoq; cõcilio, ita nascẽti huic adhuc morbo inhianter ac tota uirtute debeatis obsistere, dummodo nec uires ex neglectu percipiat, nec in cõmisso uobis grege pestilentiæ damna concutiat. Nam si quolibet modo, quod non credimus, incipiẽti negligitis iniquitati resistere, plurimos erroris sui gladio uulnerabũt. Et est profecto grauissimum laqueo diabolicæ fraudis irretiri permittere, quos prius possumus ne alligent eripere. Melius est aũt ne quisq; uulneret obsistere, cũ uulneratus qualiter sanari possit exquirere. Hoc itaq; cõsiderandũ: sacrilegã prauitatẽ sedula oratione ac uirtute qua ualetis obruite, ut subsequens nuncius Christi gratia suffragante, de eorũ nos ultione lætificet, magis cũ de excessu contristet. Paulum præterea fratrem & coepiscopũ nostrum ad nos quo potestis studio omni sub festinatione dirigite, quatenus ab eo causas subtilius

tanti

Epist.34 Cau.27.q.2. Multorum. MVltorum relatione cõperimus hanc apud uos olim consuetudinem tenuisse, ut subdiaconi suis licitè miscerentur coniugibus. Quod ne denuo quisquam præsumeret, à seruo dei, sedis nostræ diacone, ex authoritate nostri decessoris est isto modo prohibitũ: ut eodem tempore hi qui iam uxoribus fuerant copulati, unũ è duobus eligerent: id est, aut à suis uxoribus abstinerent, aut certe nulla ratione ministrare præsumerent. Et quantũ dicitur, Speciosus tunc subdiaconus hac pro re ab administrationis se suspendit officio, & usque in obitus sui tempus notarij quidem gessit officiũ, & à ministerio quod subdiaconem oportuerat exhibere, cessauit. Post cuius obitum, quia relicta eius Honorata marito est sociata, à tua eã fraternitate in monasterio cognouimus esse deputatam. Ideoq; si, ut fertur, eius se maritus ab administratione suspendit, antedictæ mulieri non debet officere quòd ad secundam coniugij copulationem migrauit: prẽsertim si non tali mente sub-

tanti facinoris agnoscentes, huic nephandissimæ pravitati cum creatoris nostri solatio medicinam dignæ possimus correptionis imponere.

Gregorius Maximiano episcopo, &c.

Præcipit Euplo bona patris reddi. Cap. XXXVI

Epist. 36 EVplus præsentium portitor Eusanium Agrigentinæ ciuitatis episcopum suum fuisse morat genitorem, matrisq; suæ res apud eum plurimas indicat mansisse. Quem quoniã intestatum inquit esse defunctum, ideo & res maternas sibi petit debere restitui, & antedicti episcopi patris sui se permitti substantiam adipisci. Qua de re fraternitati tuæ huius præcepti serie deputamus, quatenus diligenter curet addiscere, & si quid apud prædictam Ecclesiam de rebus matris ipsius inueniri potuerit, si quidem nihil est quod antedicto Euplo rationabiliter possit obsistere, ei secundum suam faciat portionem restitui. Proinde & de rebus paternis quas ante episcopatum dinoscitur habuisse, si eas in ius Ecclesiæ suæ quodammodo transtulit, ei quantũ portioni eius legaliter scit competere, ut satisfieri possit immineat. Nam omnino & contra rationem & contra nostrum probatur esse propositum, si cui ea quæ iustè competunt, restitui ac satisfieri denegemus. Ita ergo hæc fraternitas tua implere festinet, ut suprascripto portitori ad nos denuo ex hac re nulla remeandi necessitas imponatur. Nam quod beatæ recordationis decessor noster præceptum direxerat, ut lapso eo res eius omnes Ecclesiæ remanerent, hoc ideo eum credimus præcepisse, ne per eas adhuc amplius deperiret, nunc uerò æquum esse pensamus, ut filium patris culpa non ingrauet. Sed fraternitatis tuæ dispensatione, quicquid ei legaliter potest competere, consequatur.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi, &c. De iuramento non dando ciuibus Brixiæ. Et de nominatione Ioannis inter missarum solennia, & quatuor synodis. Cap. XXXVII

Epist. 37 SCriptis sanctitatis uestræ percursis, in graui uos mœrore esse cognouimus, maximè propter episcopum & ciues Brixiæ, qui uobis mandant, ut eis epistolam transmittatis, in qua iurare debeatis uos tria capitula minimè dãnasse. Quod si decessor fraternitatis uestræ Laurentius non fecit, à uobis quæri non debet. Si autem fecit, cum uniuersali Ecclesia non fecit, & cautionis suæ iuramenta transcendit. Sed quia eundem uirum sua credimus sacramenta seruasse, atque in unitate catholicæ Ecclesiæ permansisse, dubium non est quòd nulli episcoporum suorum iurauerit se tria capitula minimè damnasse. Ex qua re colligat sanctitas uestra, quia cogi non debet ad hoc quod à decessore uestro factum nullo modo est. Sed ne ñ qui uobis ista scripserunt, scandalizari uideantur, transmittite eis epistolam, in qua sub anathematis interpositione fateamini, neq; uos aliquid de fide Chalcedonensis synodi imminuere, neq; eos qui imminuũt recipere, & quoscunq; damnauit, damnare, & quoscunque absoluit, absoluere. Vnde credo eis posse celerrimè satisfieri. Quòd autẽ scripsistis, quia scandalizantur plurimi eorũ, quia fratrẽ & coepiscopum nostrũ Ioannem Rauennatis Ecclesiæ inter missarum solennia nominetis, requirenda uobis cõsuetudo antiqua est, & si consuetudo fuit, modo à stultis hominib. reprehendenda non est. Si uerò cõsuetudo nõ fuit, fieri nõ debet unde quibusdã scandalũ moueri possit: tamen sollicitè perquirere studui, si idem Ioannes frater & coepiscopus noster uos ad altare nominet, quod minimè dicunt fieri. Et si ille uestri nominis memoriam non facit, quæ necessitas cogat ignoro, ut uos illius faciatis. Quod quidem si sine aliquorũ scandalo fieri potest, uos tale aliquid facere ualde laudabile est, quia charitatẽ quã erga fratres uestros habetis ostenditis. Quòd autẽ scripsistis: quia epistolam meam reginæ Theodelindæ transmittere minimè uoluistis, pro eo quòd in ea quinta synodus nominabatur: si eam exinde scandalizari posse credidistis, rectè factũ est ut minimè transmitteretis. Vnde nũc ita facimus sicut uobis placuit, ut quatuor synodos solũmodo laudaremus. De illa tamen synodo quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ à multis quinta nominatur, scire uos uolo, quia nihil contra quatuor sanctissimas synodos constituerit uel senserit, quippe quia in ea de personis tantũmodo, nõ autem de fide aliquid gestum est, & de his personis de quibus in Chalcedonensi cõcilio nihil continetur, sed post expressas synodos seu canones facta contentio & extrema actio de personis uentilata est. Nos tamen sicut uoluistis ita fecimus, ut eiusdẽ synodi nullam memoriã faceremus. Sed & de episcopis quæ scripsistis, prædictæ filiæ nostræ reginæ scripsimus. Vrsicinũ qui uobis scripsit aliqua contra Ioannem fratrem & coepiscopum nostrũ, uos per epistolas & dulcedine & ratione ab intentione sua compescere debetis. De Fortunato autem fraternitatem uestram esse sollicitam uolumus, ne uobis à malis hominib. in aliquo subripiat. Nam audio eũ cum decessore uestro Laurentio ad mensam Ecclesiæ per annos plurimos nuncusq; comedisse, inter nobiles consedisse, & subscripsisse: eumq; fratre nostro sciente innumeris annis militasse. Et post tot annos modo uidetur fraternitati uestræ ut de status sui conditione pulsetur. Quod mihi omnino incongruum uidetur. Et ideo hoc per ipsum uobis sed secreto mandaui. Tamen si quid est rationabile quod ei possit opponi, in nostro debet iudicio uentilari. Ad filium uero nostrum domnum Dinamiũ: si omnipotenti deo placuerit, per hominem nostrũ scripta transmittemus.

Gregorius Marcello scholastico. De præsumptore Maximo. Cap. XXXVIII

Epist. 38 GLorię uestrę charitas sic in nostro corde semper inuigilat, ut nihil sibi corporalis defendat absentia. Nam quãuis à carnalibus oculis longè est, mentis tamen aspectibus nunquam deest. Frequẽter enim nos uoluntas ad scribendum desideranter impellit, sed occupatio non permittit. Dum ergo nobilitatis uestræ peritia non ignoret

quantis sit locus noster occupationib. inuolutus quòd à scribendi interdum cessamus officio:non uoluntatis sed necessitatis esse consideret. Gloria autem uestra quòd tardius sua nos requirit epistola:qua possit excusatiõe defendere, nõ uidemus. In hoc igitur sola me debui taciturnitate defendere,sed feruor charitatis linguam meam non pertulit habere silentium.Salutantes itaq; cum omni affectu atque dulcedine indicamus nos grauiter contristatos,quòd illa à nobis uoluistis expetere: in quibus uoluntatem uestram perficere,quia obsistit ratio,non ualemus:contristare uos quòd nolumus,uidemur. Nam hoc nos sine correctione relinquere Ecclesiastica non sinit aliquo modo disciplina:nec uos pro talibus decet petere, ne non rectitudini sed indisciplinatiõi,quod absit,uideamini cõsentire.Causa uerò eiusdem Maximi, pro quo nobis scribitis,quem,si missarum solennia celebrare præsumpserit,iam sacri corporis communione priuauimus,matura quando oportuerit deliberatione,sicut deo nostro placuerit, iudicabitur atq; disponetur. Oramus autem omnipotentem dominum,ut & hic uos sua protectione custodiat,& ad æternæ uitæ præmia perducat.

Mense Augusto. Indictione. xij.

Gregorius Clero,ordini & plebi consistenti Hortonæ. De obitu episcopi eorum, & uisitatione Ecclesiæ. Cap. XXXIX

Epist.39 VEstri antistitis obitum cognoscentes: curæ nobis fuit, destitutæ Ecclesiæ uisitationem fratri & coepiscopo nostro Barbaro solenniter delegare.Cui dedimus in mandatis, ut nihil de redditu,ornatu,ministerijsq; à quoquam usurpari patiatur:cuius uos assiduis adhortationibus conuenit obedire.Hoc tamen scitote:quia ei ordinandi presbyteros ac diacones,si necesse fuerit,quos dignos ad hoc officium inuenire potuerit,dedimus licentiam:quatenus in Ecclesiastico obsequio sacerdos exquiratur, qui à uenerandis canonibus ulla non discrepet ratione,& tanto ministerio dignus ualeat reperiri. Qui dum postulatus fuerit, cum solenni decreto omnium subscriptionibus roborato,& uisitatoris pagina prosequẽte,ad nos ueniat ordinandus. Prouisuri ante omnia ne cuiuslibet uitæ uel meriti laicam personam præsumatis eligere.Et non solũ illic ad episcopatus apicem nulla ratione promoueatur, uerumetiã uos nullis intercessionibus ueniam promereri posse cognoscite.Sed omnes quos ex uobis de laica persona aspirare constiterit,ab officio & à communione alienos faciendos proculdubio noueritis.

Gregorius Valentino abbati. Ne monachi eius faciant sibi commatres. Cap. XL

Epist.40 Ceu.18.q.2. Peruenit. PEruenit ad nos quòd in monasterio tuo passim mulieres ascendãt,& quod adhuc est grauius,monachos tuos sibi commatres facere,& ex hoc incautam cum eis communionẽ habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos,quod absit,calliditate decipiat: ideo huius te præcepti serie commonemus,ut neq; mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas accedere,neq; monachos tuos commatres sibi facere.Nã si hoc denuo ad aures nostras quocunq; modo peruenerit, sic te seueriſſimæ noueris ultioni subdendum,ut emendationis tuæ qualitate cæteri sine dubio corrigantur.

Gregorius Bonifacio magnifico Aphricæ Sab&c. De fide sua apud sanctum Petrum exponenda. Caput XLI

Epist.41 SIta ut audieram, magnitudo uestra intentione sollicita de animæ suæ salute cogitaret,nequaquam se mihi de fide suę per epistolas,sed per semetipsam potuit respondere.Nam quòd in excusatione molestia corporalis adducit,expectato salutis tempore, laborẽ summopere potuistis pro cõmodo æternæ salutis assumere, ut & uos de nostra ratione,& nos de uestra credulitate gauderemus.Etenim quæ in eis scripsi epistolis, replicãda nũc non sunt,neq; alia ratiocinatione monstrãda, quia apud nolẽtis animũ quanuis sit euidẽs ratio, hęc ipsa obstaculũ esse solet.Sed per uos uenite,& beati Petri apostolorũ principis liminib. uosmet præsentate,& cuncta quæ scripsi, nisi ex lectione monstrauero, cum qua uultis disputatione recedite.Hortor tamẽ ut dum uitæ spatium supereſt, ab eiusdem beati Petri Ecclesia, cui claues cœlestis regni commissæ sunt,& ligandi ac soluendi potestas attributa:uestra anima non inueniatur diuisa, ne si hic beneficium eius despicitur, illic uitæ aditum claudat.Hi aũt qui dubitationis uestræ participes sunt,si ad me uenire uoluerint, nullã ex me quasi ex potestate prodeuntem uiolentiam pertimescant Nam nos licet in omnibus causis, in ijs tamen præcipuè quæ dei sunt,ratione magis stringere homines, quam potestate festinamus.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano. De clericis Baucaden. per Siciliam dispersis. Caput XLII

Epist.42 INdicauit nobis Baucada frater & coepiscopus noster:quosdam de clero suo in Siciliæ partibus ad sacros ordines peruenisse.Qui quoniã neque presbyterum, neq; diacones se habere commemorat,eos ad se petijt debere transmitti.Proinde fraternitas tua ubicunq; illos latore præsentiũ indicante,repererit: huc eos sine dilatione transmittat,quatenus & illi ad Ecclesiã in qua olim militauerunt reuocent̃,et antedictus episcopus optatum de eis possit habere solatium.

Gregorius Fantino defensori. De Cosma Syro multis debitis obligato. Cap. XLIII.

Epist.43 LAtor præsentium Cosmas Syrus in negotio quod agebat,debitum se contraxisse perhibuit, q̃d & multis alijs & lachrymis eius attestantibus uerum esse credimus. Et quia centum quinquaginta solidos debebat,uolui ut creditores illius cum eo aliquid paciscerentur:quoniam & lex habet ut homo liber pro debito nullatenus teneatur,si res defuerint quæ possint eidem debito addici.Creditores ergo suos,ut asserit,ad octoginta solidos consentire possibile est.Sed quia multum est ut à nil habente homine octoginta solidos petant,sexaginta solidos per notariũ tuum tibi trãsmisimus: ut tu cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris,rationem reddas,quia filium eius quem tenere

tenere dicuntur, secundum leges tenere non possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minus quàm nos dedimus condescendant. Et quicquid de eisdem sexaginta solidis remanserit, ipsi redde: ut cum filio suo exinde uiuere ualeat. Si autē nil remanet, uel ad eandem summā debitū eius incidere stude ut possit sibi liberè postmodum laborare. Hic tamen solerter age: ut acceptis solidis ei plenariam munitionem scripto faciant.

Gregorius Rusticianæ Patriciæ. De reditu eius à monte Syna. Cap. XLIIII

Epist.44 EXcellentiæ uestræ scripta suscipiens, libenter agnoui, qualiter ad montem Syna perrexit. Sed mihi credite: ego quoq; uoluissem uobiscum ire, sed uobiscum minimè redire. Quanuis mihi ualde difficilè fuit credere quia ad loca sancta fuistis, patres multos uidistis. Nam credo si uidissetis, tam celeriter ad Constantinopolitanam urbem redire minimè poteratis. At postquam talis ciuitatis amor de corde uestro nullo modo recessit, suspicor quia excellentia uestra sancta quæ corporaliter uidit, ex corde minimè attendit. Sed omnipotens deus mentem uestrā gratia suæ pietatis illustret, donet uobis sapere, & temporalia omnia quàm sint fugitiua pensare: quia dum hæc loquimur, & tempus currit, & iudex superuenit, & mundum quem sponte nolumus, ecce iam propè est ut inuiti relinquamus. Domnū Apionē & domnam Eusebiam, eorumq; filias mea peto uice salutari. Domnam uerò illam nutricem meam, quā mihi per literas commendatis, omnino diligo, & grauari in nullo uolo. Sed tantis angustijs premimur, ut ab angarijs atq; oneribus hoc iam tempore nec nosmetipsos excusaremus.

Finiunt epistolę Indictionis duodecimæ.
Finit liber tertius secundum computationē Gratiani in decretis.

LIBER QVARTVS.

Epistolæ Indictionis decimętertiæ ex regi stro beati Gregorij papæ.

Gregorius Ioanni Rauennati archiepiscopo. &c. Monasterium monachorū non per clericos nec laicos ordinandum. Cap. XLV

Epist.1 Cau.16.q.2. Peruenit. Peruenit ad me quòd in Ecclesia fraternitatis tuæ, aliqua loca dudum monasterijs consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sunt, dumq; hi qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiose uiuere, monasterijs præponi appetunt: & per eorum uitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest & Ecclesiasticis obsequijs deseruire, & in monachica regula ordinatè persistere: ut ipse monasterij districtionē teneat, qui quotidie in obsequio Ecclesiastico cogit̄ permanere. Proinde fraternitas tua, hoc quolibet in loco factum sit, emendare festinet: quia ego nullo modo patiar ut loca sacra per clericorum ambitū destruantur. Vos itaq; ita agite, ut mihi hac de re correctam causam sub celeritate nuncietis.

Cau.16.q.1 Nemo.

Gregorius Felici & Ciriaco abbatibus. De ordinando monasterio Theodosiæ. Caput XLVI

QVerelam Theodosiæ religiosę fœminæ sub Epist.2 ditæ uobis, satis series narrationis explanat, in qua plura & non ad sacerdotalem pertinentia mansuetudinem, contra Ianuarium fratrem & coepiscopum nostrum capitula comprehensa relegimus: ita ut post fundatum à se seruorum dei monasterium, omne quod ad auaritiæ turbulentiam præiudiciumq; pertinet, tempore dicatur oratorij ipsius dedicationis exhibitum. Quamobrem si ita est: ut antefata eius suggestione comperimus, & in hoc quicquam cognoscitis indecentius fuisse commissum, hortamur ut Musicum abbatē monasterij Agilitani, remotis prius omnibus præiudicijs, studeatis ut monachos suos, quos illic ordinare cœperat, summopere uocare festinet: quatenus ipso uenerabili loco, decenti regulariq; modo per uos domino iuuante disposito, nec frequens nos prædictæ religiosæ fœminæ de non impletis bonis desiderijs suis querela concutiat: nec cum uestræ detrimento sit animæ, si tam pium propositum aliqua uobis negligentibus, quod non credimus, dilatione torpescat.

Gregorius Dominico episcopo Carthagenensi. De compescendis hæreticis Cap. XLVII

VEniens ad nos Prosper præsentium lator, re Epist.3 sponsalis uester, post alios uestræ charitatis affectus: secundo nobis uestras epistolas cum allegatione principalium iussionum, apud uos habitæ synodi chartulam porrexit. Quibus relectis, & de uestro gratulati sumus, quem pastoraliter geritis, zelo: & pijssimos dominos occasione religionis illatas uenalium personarum remouisse calumnias. Maxime autem quia ita studuit fraternitas uestra Aphricanam incōcussam seruare prouinciam, ut nullatenus deuias hæreticorum sectas cum feruore sacerdotali coercere negligeret. De quibus etiam omnibus sopiendis, & antequā charitatis uestræ cōsuleremur apicibus, in tantum nos subtilius definisse meminimus, ut nihil rursus de his uobis responderi necessarium credamus. Quanquā ergo hęc se ita habeant, & desideremus omnes hæreticos à catholicis sacerdotibus uigore semper rationeq; compesci: tamen subtiliter intuentes omnino nos tetigit, ne per ea quæ apud uos gesta sunt, aliorum consiliorum primatibus, quod auertat dominus, generetur scādalum. Sententia nanq; à uobis prolata est in conclusione gestorū. In qua dum pro inuestigandis illis hæreticis admonetis: subintulistis eos qui negligūt, substantiarum dignitatumq; priuatione plectendos. Optimum est igitur frater charissime: ut in his quæ foris corrigenda sunt, prius charitas interna seruet̄, & simus mēte subiecti. Quod maxime uestræ grauitatis propriū iudicamus: etiā personis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis

uiribus hæreticorum commodius obuiatis erro- A
ribus, cùm secundum morem sacerdotij uestri stu
dueritis Ecclesiasticam custodire concordiam.

Gregorius Victori episcopo Pa normita / nensi. De Gregorio abbate: & Martia ab batissa. Cap. XLVIII

Epist.4 LAtorem præsentium Gregorium Abbatem atq; presbyterum monasterij sancti Theodo ri nulla quidem ratio permittebat, ut post lapsum illius pœnæ generalem, ultra ei præesse debuisset. Qui enim tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis unquam præponi nō debuit. Sed quia longa hic est apud nos pœniten tia afflictus, fraternitatem tuam necesse est eū in B
monasterium prædictum recipere, locoq; suo con stituere, ita tamen ut Vrbicus monasterij mei pre positus dare aliquē de seruis dei debeat, qui eius præpositus fiat, ut quod istius incuria negligitur, illius sollicitudine seruetur. Præterea ex monaste rio ancillarum dei, quod est sancti Martini, Marti am sanctimonialem fœminam in monasterium aliud iniustè audio fuisse migratā: & Victoria quæ locū illius sequebatur, sicut audio, res monasterij dispersit, ut ad prioratus locū pertingeret, & ipsa pòst abbatissa interim inueniri debuisset. Quam rē fraternitas tua sub omni studeat celeritate cor rigere: cuius enim iam culpæ sit intelligis, ut ego tam longè positus, quæ in ciuitate tua aguntur a gnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeāt disponam. Prædictam itaq; Martiam in monaste rium suum & locum suum uolumus reuocari. Vi ctoriam uerò Fantino defensori nostro trade, qua tenus ipse eam discutiens, cui quid de rebus mo nasterij dedit, inueniat. Quam discussam in mona sterium aliud dari uolumus, nobisq; per Fantinū defensorem subtiliter renunciari, ut sciamus quid de ea debeat sententia certiori cōstitui. Multa au tem mala in eodem monasterio per Anastasiū me dicum audio contigisse. Qui si quando in mona steriū uirginum seu ipse, seu alius fuerit ingressus, fraternitatem tuam culpa respiciet, quæ gregem commissum tenet, & custodire dissimulat.

Gregorius Venantio episcopo Lunensi. De Sa turnino episcopo lapso. Cap. XLIX D

Epist.5 Parte. 1. dis. 50. accedēs. ACcedens ad Gorgoniam insulam fraterni tas uestra discutiat id quod ad nos de Satur nino presbytero est perlatū. Peruenit nanque ad nos, quia postquam pro crimine lapsus sui à sacer dotij ordine est deiectus, ad explendum minister ium sacerdotij præsumpsit accedere, & omnipo tenti deo hostias immolare. Quod si ita factū fra ternitas uestra reperierit, eum sacri corporis & san guinis dominici participatione priuatum, in pœ nitentiam redigat: ita ut usq; ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, & uiaticū tantummodo exitus sui tempore percipiat. Sin autem eum fraternitas tua talem pœnitentiā age re cognouerit: ut ei iustè ad recipiendam inter lai cos communionem etiam ante exitum debeat mi sereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate.

Mense Octobri. Indictione. xiij.

Gregorius Cypriano diacono & rectori patrimo / nij Siciliæ. De Manichæis comprimendis. Ca. L

DE Manichæis qui in possessionibus nostris Epist.6
sunt, frequēter dilectionem tuam admonui, ut eos persequi sum mopere debeat, atq; ad fidem catholicam reuocare. Quòd si tempus exigit, per te: si autem pro causis alijs non licet, per alios so lerter inquire. Peruenit ergo ad me, esse Hebræos in possessionibus nostris, qui conuerti ad deū nul latenus uolunt. Sed uidet mihi ut per omnes pos sessiones in quibus ipsi Hebræi esse noscūtur, epi stolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens quòd quicunq; ad uerum dominū de um nostrum Iesum Christum ex eis conuersus fu erit, onus possessionis eius ex aliqua parte immi nuetur. Quod ita quoq; fieri uolo, ut si quis ex eis conuersus fuerit: si solidi pensionē habet, tremis sis ei relaxari debeat: si tres uel quatuor, unus soli dus relaxetur. Si quid amplius, iam iuxta eundem modum debet relaxatio fieri: uel certe iuxta quod dilectio tua præuidet: ut & ei qui conuertit onus releuetur, & Ecclesiastica utilitas nō graui dispen dio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro le uandis pensionum oneribus, eos ad Christi grati am perducamus: quia etsi ipsi minus fideliter ueni unt, hi tamen qui de eis nati fuerint, iam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lu cramur. Et ideo non est graue quicquid de pensio ne pro Christo dimittimus. Præterea ante hoc tē C
pus Ioanne subdiacono ueniente, mihi tua dile ctio aliqua scripsit, quæ omnia hora eadem rele gens, multos dies interposui, & post multorum dierum moram tanquam in memoria retinēs quę legeram, ad singula respondi. Sed nunc, ut arbi tror, unum mihi capitulum excidit: & de eo suspi cor nihil respondisse. Scripseras enim ut mutuis o lidi rusticis per manus quorundā debiti cōducto rum darentur, ne tollentes ab alijs, aut in angarijs, aut rerum precijs grauarentur. Quod capitulum mihi gratissimum fuit. Et siquidem iam scripsi, ea seruа quæ scripta sunt. Si autem ex eo, ut suspicor, minimè aliquid rescripsi, cōmonitione certa dan dos solidos pro utilitate rusticorū non debes im morari: quando & res Ecclesiastica non perit, & D
ex ea utilitas rusticorum leuatur. Sed & alia si qua sunt quæ utilia esse consideras, omni ambiguitate postposita debes exhibere.

Gregorius Felici episcopo in Sardinia. De obedi entia maioribus exhibenda. Cap. LI

QValiter obedientia uel sit reuerentia præpo Epist.7
sitis exhibenda, ex tuis quoq; subiectis ipse non ambigis. In qua re est ualde utile, si id quod di sciplinæ uigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda seruauerit. Peruenit itaq; ad nos quòd fraternitas tua Ioanni fratri nostro primæ Iustinia næ episcopo secundum morem parere despiciat, & nec decreto eius, nec relationi quam ad nos di rexit, iuxta consuetudinem uoluisse subscribere. Quod si ita est, contristamur: quia superbiæ de te manifestum præbes indicium. Quod quàm sit, præcipuè in sacerdote, culpabile, diuinæ admoni

tionis

tionis clamant eloquia. Propterea hortamur ut A
mentis tumore depoſito, ordinatori tuo antedicto fratri & coepiſcopo noſtro humilem te exhibere, ac parere non deſinas: quatenus & deus gaudeat in fraternitatis ueſtræ concordia, & alij de te ſumant bonitatis exemplum. Nam ſi, quod nō credimus, te in ſuperbia permanere contigerit, diſtrictam canonicamq; diſciplinæ correctionem contumaciæ tuæ nos ſcito ulciſcenter imponere. Bene ergo facis, talem te ſponte ſalubri conſideratione præbere: qualis eſſe canonica coercitione exigente compelleris. Nam nec tibi denuo poſt noſtram admonitionem, licebit ad tuæ uoluntatis arbitrium contra morem maioribus tuis inobedien
tē exiſtere, nec tātæ nos indiſciplinatiōis Eccleſia B
ſticā cognoſcas diſſimulare uel differre uindictā.

Gregorius Petro notario in Sardinia.
De miniſterijs Mirienſis Eccleſiæ recipiendis. Cap. LII

Epiſt.8 MIniſteria Eccleſiæ Mirienſis, quæ ſecum Squillatrum quondam epiſcopus Seuerinus detulerat: præſentium ſibi portitores reſtitui poſtulant. Quia ergo res Eccleſiaſticæ cauta debent ſollicitudine præmuniri, hoc nobis uiſum eſt: ut in eadē Eccleſia ſeu ciuitate, epiſcopus cui miniſteria ipſa tradi poſſint, debeat ordinari. Sed quoniam Leonem archidiaconem alioſq; clericos eiuſdem Eccleſiæ eſſe illic commemorant: experientiæ tuæ præcipimus: quatenus eos ad ſuam Eccleſiam proficiſci, ac eligere ordinandum epi- C
ſcopum ſibi commoneat: ut dū deo illic fuerit propitio conſecratus, ipſe Eccleſiæ ſuæ res ſine aliqua ambiguitate recipiat.

Gregorius uniuerſis Epiſcopis per Illyricum. De ordinatione Ioannis epiſcopi. Caput LIII

Epiſt.9 ET nobis confert de ſollicitudine ueſtra lætitiam: & fraternitatē ueſtram de ſua reddit ordinatione ſecuram, ſi antiquæ conſuetudinis ordo ſeruatur. Quia ergo per epiſtolas quas ad nos per Maximianum presbyterum, & Andream diaconem direxiſtis, in perſonam Ioannis fratris & coepiſcopi noſtri conſenſum omnium ueſtrum, & ſereniſſimi principis conueniſſe cognouimus uoluntatem: magna nos exultatio habuit, talem D
deo authore ad ſacerdotij officium fuiſſe proiectum, qui dignus cunctorum eſt electionis iudicio comprobatus. Proinde iuxta poſtulationis ueſtræ deſiderium, prædictum fratrem & coepiſcopū noſtrū in eo in quo eſt ſacerdotij ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus authoritate firmamus: ratāq; nos eius conſecrationem habere dirigentes palli um indicamus. Cui quoniam iuxta morē noſtras uices commiſimus peragēdas, ideo fraternitatem ueſtram neceſſariò præuidimus adhortandā, quatenus ei in his quæ ad ordinem Eccleſiaſticum, rectitudinemq; pertinēt diſciplinæ, ſiue in alijs quibus canonū decreta nō obſtāt, parere nullo modo differatis: ut charitatē ueſtrā ſyncero cum iudicio elegiſſe, exhibita ualeat obedientia declarare.

Gregorius Ioanni epiſcopo Rauennæ.
De uſu pallij. Cap. LIIII

FRaternitatem ueſtram ualde inuenio contri- Epiſt.10
ſtatam, pro eo quòd in letanijs induere palliū rationis cenſura prohibetur. Sed per excellentiſſimum Romanum patritium: & per eminentiſſimum præfectum, atq; per alios ciuitatis ſuæ nobiles uiros importunè expetit ut hoc debeat concedi. Nos autem ſollicitè requirentes ab Adeodato diacono quodam fraternitatis tuæ cognouimus, quia nunquā cōſuetudo fuerit deceſſoribus tuis, ut in letanijs pallio niſi in ſolennitate beati Ioannis baptiſtę, & beati Petri apoſtoli, & beati martyris Apollinaris uterentur. Cui quidem nequaquā credere debuimus: niſi quia multi apud ciuitatem fraternitatis ueſtræ reſponſales ſæpius fuerunt: qui ſe fatentur tale aliquid nunquā uidiſſe. Et hac de re multis potius credendum eſt, q; uni pro ſua Eccleſia aliquid atteſtanti. Sed quia nos fraternitatem ueſtram cōtriſtari nolumus: & petitionem filiorum noſtrorum apud nos minimè fruſtrari: uſum pallij, donec ſubtilius ueriuſq; aliquid cognoſcamus, in lætanijs ſolennibus: id eſt die natalitio beati Ioannis baptiſtæ, & beati Petri apoſtoli, & beati Apollinaris martyris, atq; in ordinationis ueſtræ celebratione concedimus. In ſecretario uero ſecundum morem priſtinū ſuſceptis ac dimiſſis Eccleſiæ filijs, induere ueſtra fraternitas pallium debeat: atque ad miſſarum ſolennia ita proficiſci, & nihil ſibi amplius auſu temerariæ præſumptionis arrogare: ne dum in exteriori habitu inordinatè aliquid arripitur, ordinatè etiam quæ licere poterant amittantur.

Gregorius Petro epiſcopo Trecalonitano.
De uiſitatione Agrigentinæ Eccleſiæ. Cap. LV

QVoniam Agrigentinæ eccleſiæ à nobis fra- Epiſt.11
ternitati tuæ uiſitationis cōmiſſa eſt cura, laboribus tuis aliquid ex ea utile proſpeximus conſulendū. Propterea Maximiano fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus: ut quartā quam eiuſdem Eccleſiæ epiſcopum oportebat accipere, à die uiſitationis tuæ, uel quouſq; illic eam ſollicitudinē geſſeris, tibi debeat applicare. Vnde fraternitatem tuam neceſſe eſt mente ſollicita cogitare, ut cuius fructus Eccleſiæ perceperit, opera ſtudeat ſolerter impendere, atq; ad deum illic animas congregare, prauos ab iniquitate compeſcere, incipientes bona opera, uerbo exhortationis nutrire. Me Prou.31
mor quod de Eccleſia uniuerſali dictum eſt: Panē ocioſa non comedit.

Gregorius Gaudentio epiſcopo Nolano.
Viſitationē Capuanę iniungit Eccleſię. Ca. LVI

QVoniam Feſtus Capuanæ Eccleſiæ epiſco- Epiſt.12
pus, in Romana ciuitate poſitus, de hac luce migrauit, curæ nobis fuit, quæ uniuerſis Eccleſiis à nobis impenditur, ad fraternitatē tuam præſentia ſcripta dirigere: ut memoratæ Eccleſiæ uiſitator accedas: ſic tamen ut nihil de prouentionibus clericorum, redditu, ornatu, miniſterijſq;, uel quicquid præfati loci eſſe patuerit, à quoquā præſumi patiaris, ſed omnem uigilantiam atq; cautelam circa clerum plebemq; eiuſdem Eccleſię exhibere te conuenit, ut in uigilijs obſequioq; Eccleſiaſtico

Parte 1 diſtinct. 61 Quoniam

ſiaſtico ſedulè ac deuotè debeant deſeruire: quate nus fraternitatis tuæ inſtantia atq; adhortatione tales ſe in ſeruitio diuino exhibeāt, ut irreprehenſibile eorum ualeat obſequium reperiri.

Gregorius clero Eccleſiæ Capuanæ degenti Neapoli. De uiſitatione Eccleſiæ eiuſdem Gaudentio commiſſæ. Cap. LVII

Epiſt.13 QVoniam Feſtus Capuanæ Eccleſiæ epiſcopus hic poſit⁹ de hac luce migrauit, curæ nobis fuit, deſtitutæ Eccleſiæ uiſitationem fratri & coepiſcopo noſtro Gaudentio Nolanæ ciuitatis epiſcopo ſolenniter delegare. Cui dedimus in mādatis, ut nihil de prouentionibus clericorum, reddítu, ornatu, miniſterijſq;, à quoquam uſurpari patiatur. Cuius uos aſſiduis adhortationíbus conuenit obedire: quatenus in Eccleſiaſtico obſequio, atq; in dei laudibus uigilanti debeatis cura perſiſtere, moresq; ueſtros ſub digna Eccleſiaſtici regíminis diſciplína cōponere. Nec quiſquā ueſtrum eius audeat præceptionib. obuiare, ſed omni tam Eccleſiaſtica obſeruatione, quàm etíam Eccleſiæ ueſtræ cuſtodía, eius prouiſionibus obedientiam exhibere: quatenus dum eius regimini ueſtra fuerit obediētía cōmodata, & Eccleſiæ ueſtrę in nullo negligat utilitas, & eius ſit cura propenſior.

Gregorius Ioanni epiſcopo Rauennæ. De irriſorio dictatu eius. De duplicitate morum & operū. De contumelia ſeruorum. De doctrina clericorum. De inordinato uſu pallij, & cura paſtorali: & alijs plurimis rebus. Cap. LVIII

Epiſt.14 PRimùm me hoc contriſtat, quia mihi fraterni tas tua duplici corde ſcribit, & alia blādimenta in epiſtolis ſuis exhibet, alia in lingua ſua ſecu-

Notariorū mores

lariter oſtendit. Deinde graue mihi eſt, quia irriſiones illas quas habere notarij adhuc pueri ſolēt, uſq; hodie frater meus Ioannes in lingua ſua retinet. Mordaciter loquitur, & quaſi de tali aſtutia lætatur. Amicis præſentibus blanditur, de abſentibus obloquit. Tertio graue mihi & omnino execrabile eſt, quia ſeruis ſuis qua hora furit, turpia crimina imponit, ut effœminati & adhuc grauiter hoc apertius uocentur. Poſt hæc acceſſit quòd diſciplina ad uitam clericorū cuſtodiendam nulla eſt, ſed tantummodo ſolum clericis ſuis dominiū exhibet. Vltimum uerò eſt quod tamen pondere elationis primū eſt: ſcilicet de uſu pallij extra Eccleſiam. Quod deceſſorum meorum temporibus facere nunquam quiſquam præſumpſit: nunquā à deceſſoribus eius præſumptum eſt, ſicut reſpondales noſtri teſtantur, excepto ſi reliquię cōderentur. Quod tamen de reliquijs, unus tantummodo potuit inueniri, qui meis diebus in deſpectū meum cum ſumma audacía non ſolum faciebat, ſed etiam frequētabat. Ex quibus omnibus inuenio, quía honor epiſcopatus ueſtri totus foris in oſtenſione eſt, non in mente. Et quidem omnipotenti deo gratias ago: quía eo tempore quo ad me hoc peruenit, quod ad aures deceſſorum meorū nunquā pernenerat, Longobardí inter me & Rauennatem ciuitatē poſiti fuerant. Nam oſtendere forſitan hominib. habui, quantū ſcio eſſe diſtrictus. Ne aūt credas quia ego Eccleſiā tuā in aliquo gra uari aut minui uolo: recordare in miſſarū Romanarum ſolenníb. ubi Rauennas diaconus ſtabat, & require ubi hodie ſtat, & cognoſces quía Eccleſiam Rauennatē honorare deſidero. Sed ut quicunq; quodlíbet ex ſuperbia arripiat, hoc ego tolerare non poſſum. Tamen hac de re ſam diacono noſtro ad Cōſtantínopolim ſcripſi, ut per oēs qui ſub ſe etiā trícenos & quadragenos epiſcopos habent, requirere debeat. Et ſicubí íſte uſus eſt, ut in letanijs cum pallijs ambulent, abſit ut per me Rauennatis honor eccleſiæ in aliquo imminui uídeatur. Hæc ergo omnia quæ ſuperíus dixi, frater chariſſime recogita, diē tuæ uocationis attende, quas rationes de ſarcína epiſcopat⁹ redditurus es, cōſidera. Emēda illos mores notarij. Vide quid in lingua, quid in actu epiſcopū deceat. Eſto totus purus. Fratribus tuis non aliud loquaris, & aliud in corde habeas. Nec appetas ultra uideri q̄m es, ut poſſis ultra eſſe quàm uideris. Crede mihi, quando ad hunc locum ueni, tantæ deliberationis fui, tantæq; charitatis circa fraternitatē tuam, ut ſi eandem charitatem meam cuſtodire uoluiſſes, adhuc talem fratrem ſicq; te purè diligentē, tibiq; omni deuotione concurrentem nunquā inueneras: ſed cognítis uerbis ac morib. tuis, fateor, reſiliui. Rogo ergo per omnípotentem deum, emenda omnia illa quę prę̄miſi, maximè duplicitatis uitia. Permitte me amare te, & ad præſentem, & ad futuram uitam utile tibi eſſe poterit, ut à tuis fratribus ameris. Ad hæc autem mihi non uerbis, ſed moribus reſponde.

Gregorius Ioanni epiſcopo primæ Iuſtinianæ. De uſu pallij, & cura paſtorali. Cap. LIX

MAniſeſtum bonitatis eſſe líquet indícium, Epiſt.15 in unius electione cunctorū cōuenire conſenſum. Quia igitur ſuſcepta fratrum & coepiſcoporum noſtrorum relatio, ad locum uos ſacerdotij totius cōcilij unito cōſenſu, & ſereniſſimi príncipis uoluntate declarat accerſirí: gratias omnipotentí deo creatorí noſtro magna cum exultatione retulimus, qui uitam actusq; ueſtros ita de præteritis fecit eſſe probabiles, ut omniū uos, q̄d eſt ualde laudabile, faceret placere iudicio. Quib. nos quoq; in perſonā fraternitatis tuæ per omnia conſentimus. Atq; omnipotētem dominū deprecamur, ut charitatem ueſtram ſicut ſua gratia elegit, ita in omnibus ſua protectione cuſtodiat. Pallium uerò ex more tranſmíſimus, & uices uos Apoſtolicę ſedis agere iterata innouatione decerni mus: admonētes ut ita uos circa ſubiectos debeatis exhibere placabíles, ut rectitudinem ueſtram diligere prouocentur potíus quàm timere. Quorum ſi culpa forte popoſcerit, ita exceſſus emendare curabitis, ut paternum affectum de animo nullo modo relinquatis. Eſtote in cuſtodia commiſſi gregis uigilantes atq; ſolliciti, & diſciplinæ zelo diſtricti, ne lupus inſidiās, nec ouile turbare dominicū, nec nocere ouibus aliqua fraudis occaſione præualeat. Animarum lucrū deo noſtro tota mentis intentione facere feſtinate: nomen noſtoris nō ad quietem, ſed ad laborem ſuſcepiſſe cogno-

Parer diſt. 63 Quia.

cognoscite. Exhibeamus ergo in opere quod signamur in nomine. Sacerdotij prærogatiuam si recta consideratione pensemus, sollicitis & bene gerentibus in honorem, negligentibus autem profecto erit in onus. Sicut igitur laborantes, & circa animarum salute sollicitos hoc nomẽ ante deum æternam ducit ad gloriam, ita desides ac torpentes urget ad pœnã. In lingua nostra uitã nõ esse aliam plebs cõmissã agnoscat. Sit illis fraternitatis uestræ doctrina, gratus coerctionis stimulus, & uita imitationis exemplum. Quid enim diligere, & quid timere debeant, charitatis uestrę sermo prædicationis aperiat, fructũ efficacia uestra æternæ huiusmodi retributionis acquirat. Inter hæc uero & huiusmodi ista uos principaliter deliberationis cura constringat, ne unquam ordinationes facere B tenteris illicitas, sed si quos ad clericatus ordinẽ, uel potiorem forte gradum promoueri contigerit, non præmijs aut precibus, sed meritis ordinentur. In nulla ordinatione fraternitati uestræ commoda quolibet modo surrepant, ne laqueis simoniacæ, quod absit, hæreseos illigetur. Quid enim Matt.16 prodest homini, sicut ueritas docet, si totum mundum acquirat, & suæ faciat animæ detrimentum? Vnde necesse est ut deum in omni quod gerimus attendamus, peritura & temporalia contemnamus, atq; ad æternitatis bona cordis desiderium dirigamus. Xenia autem uestræ sanctitatis suscipere omnino nolueram, quia ualde esset incongruum, ut à prædatis atq; afflictis fratribus munera percepisse uideremur. Sed responsales uestri a- C lio me argumento uicerunt, ad eum illa deferentes, à quo non posset oblatio uestræ fraternitatis repelli. Illud enim uobis præ omnibus studẽdum est, ut uẽturo iudici animarum, sicut prædiximus, non peritura munera procuretis, quatenus & uos de uestra mercedis operatione, & nos pariter de nostra adhortatione respiciat.

Gregorius Venantio Episcopo Lunensi. De lapsu presbyterorum, diaconorum, & sub diaconorum. Cap. LX

Epist.16 RElectę textus quam fraternitas tua direxit epistolæ, sollicitudinem tuam diligenter innotuit. Sed cognita nos corporis tui molestia contristauit. Verumtamen dominica patienter debent sustineri flagella. Nam frequenter ad emendatio- D nem ægritudo conceditur. Et hoc ante deum hominem purgatũ statuit, quod in hac illum ad prẹsens uita cõtristat. Vnde necesse est ut creatori nostro etiam in infirmitate positi gratias referamus, & ut in illa nobis uita castigatio ista proficiat exoremus. Præterea ad fraternitatis tuæ consulta re- Parte 1 dist. 50 Præterea spondentes, statuimus diaconem & abbatem de portu Veneris, quem indicas cecidisse, ad sacrum ordinẽ non debere uel posse ullo modo reuocari. Quem quidem sacro ordine priuatũ in pœnitentiam deputare te conuenit. Cuius si postea actus, conuersatioq; meruerit, priorem inter alios monachos, ubi tu tamen decreueris, standi locum obtineat. Subdiacones quoq; quos similis culpa cõstringit, ab officio suo irreuocabiliter depositi, in- A ter laicos cõmunionem accipiant. In portu autem Veneris loco lapsi diaconis, aliũ qui hoc officium implere debeat, ordinabis. Saturninum uero ex presbytero, ut nunq; ad sacri ordinis ministerium præsumat accedere, scriptis cauere decreuimus. Sed eum in insula Gorgona atq; Capraria sollicitudinem de monasterijs gerere, & in eo in quo est statu, sine cuiusquã aduersitate manere permittimus. Fraternitas ergo tua cõmissos sibi uigilanti cura custodiat, à malis actibus sua, ut ualet, prædicatione corripiat, quatenus & officij sui inueniatur, sicut decet, implere propositum, & deum sibi retributorem suæ faciat actionis existere. Nos uero omnino uos uidere cupimus, atq; in deo de uestra præsentia & salute gaudere. Vestem uero ei quæ baptizanda est direximus, atq; ut nobis talia scribatis, semper optamus. Codicem uero regulæ pastoralis domno Columbo presbytero transmittendum per harum portitorem direximus, quem uos nolite detinere. Nam usui uestro alium sub celeritate transmittemus.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi. De his qui depositi sunt quomodo ad pœnitentiam deputentur. Cap. LXI

SI lapsis ad suum ordinem reuertendi licentia Epist.17 Parte 1 dist.50 Si lapsis cõcedatur, uigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum pro reuersionis spe praue actionis desideria quisq; concipere non formidat. Fraternitas siquidẽ uestra nos consuluit, si Amandinus ex presbytero & abbate qui à suo est decessore culpa exigente depositus, in eo quo fuerat ordine cõstitutus, debeat reuocari. Quod quidẽ nec licet, nec fieri posse aliqua ratione decernimus. Eius tamen si conuersio fortè meruerit, sacro per omnia sicut est priuatus officio, in monasterio eũ ante alios ut præuideritis monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrũ ordinem nullius uobis supplicatio aliquo modo reuocare suadeat, ne huiusmodi non statuta, sed tẽporaliter dilata credatur eis esse uindicta. Vitalianũ uero ex presbytero de quo scribitis ut districtè debeat custodiri, in Siciliã dirigi faciemus, ut spe discedendi sublata, in pœnitentiæ se saltem tunc lamenta constringat. Iobinũ quoq; de portu Veneris quondam diaconem & abbatem suo decreuimus priuandum officio, atq; ut alter in eius loco debeat ordinari, scripsimus. Similiter etiam & tres subdiacones quos fraternitas uestra lapsos innotuit, à suo semper uacare, ac decernimus priuatos officio, quibus nihil aliud quàm inter laicos sacra est præbenda communio. Saturum uero ex presbytero ne ad sacri ordinis ministerium præsumat unquam accedere, deputauimus facere cautionẽ. Eumq; in eadẽ qua fuerat insula cũ sacri ordinis priuatione uolumus permanere, permittentes ei curam & sollicitudinẽ de monasterijs habere uel gerere, quoniam & ex suo lapsu cautiorem factum eum credimus cõmissos sibi iam nunc sollicitus custodire. De Ioanne autem Ecclesiæ uestræ notario charitas nos qua uos diligim⁹, olimq; dilexim⁹, ut scriberemus admonuit, ne dum eius

culpa prouocat, aliquid quod ad peccatum pertinet, fieri mandaretis. Hoc ergo cauentes, Ecclesiæ uestræ res subtiliter modis quibus potueritis inquirite, dummodo nec deum offendatis, nec ille uos unde apud homines accusetur, ualeat inuenire. Nam nos Ioannem non defendendo, uel cõtra rationem cõmẽdando eius personam, sed ne uestra magis anima, stimulante furore, in aliquo grauaretur, scripsimus. Vnde necesse est ut, sicut præfati sumus, Ecclesiam uestram subtili inuestigatione cũ dei timore perquirere minimè negligatis. Præterea multũ nos de Fortunati persona charissimæ fraternitatis uestræ mirari fecit epistola. Sed aut à uobis minimè scripta ipsa dictata sunt, aut certe si uestra sunt, nos in eis fratrem nostrum dominum Constantium nequaquam agnoscimus. Debuistis etenim & adhuc debetis attendere, quia pro uestra est opinione quod scribimus. Nam dum illic se prædictus Fortunatus uiolentiam sustinere, nec defensoris auxilio muniri potuisse cõmemorat, quid aliud nisi uestram attingit inuidiam? Ergo ut nec opinionem uestram hæc res apud quosdam obfuscet, nec Ecclesiæ uestræ sit, si bona causa est, detrimentum: instructam huc debetis mandare personam, ut causæ qualitas trutinata sine uestra possit inuidia terminari: quoniam præsertim post eius querelam, si illic pro uestris partibus fuerit dicta sententia, non rationabiliter, sed sola potestate credetur superatus. Nos uero pro charitate qua uobis astringimur, quæ pro opinione uestra sunt, ut facere debeatis, non desistimus admonere. Scientes quia etsi uos ad tempus adhortatio ista contristat, postea tamen deposita contentionis intentione lætificat.

Mense Septembri. Indictione xiij.
Gregorius Romano exarcho per Italiam.
De Speciosо presbytero, & sanctimonialibus ad seculum reuersis. Cap. LXII

Epist. 18 APud excellentiam uestram prauorum audacia correptiõis debet aculeos, magis quàm defensionis inuenire solatiũ. Nam satis graue est, ut illic habere prauam contingat actionem refugium, unde disciplinæ debet prodire censura. Peruenit itaq; ad nos Speciosum quendam presbyterum, qui causa poscẽte in monasterio à Ioanne fratre & coepiscopo nostro fuerat deputatus, contra sui pastoris exinde uoluntatem exĩsse, & Ecclesiasticæ constitutionis uigore despecto, antedicto episcopo, uestra fretum tuitione, resistere. Quod quia excellentiæ uestrę sine dubio pulsat inuidiã, necesse est ut ab eius uos, habita discretione, debeatis tuitione suspẽdere, ne si nominis uestri occasione pastori suo inobediens uel contumax extiterit, ad tempus & uestros cõtra uos iudices defensare, atq; excellentiam uestram hac ex re cogatur offendere, & nos pariter de uestra discordia contristare. Comperimus præterea, quod dici nephas est, quasdam mulieres quę nuncusq; in religioso atq; monachico habitu permanserunt, sacram uestem & suam uelaturam deponere, & coniugibus, quod sine graui referre non possumus dolore, sociari. Sed hoc quidem ut dicere uel attentare præsumant, fauoris uestri patrocinio fulciri dicuntur, quod nos credere peruersitatis ipsius acerbitas nõ permittit. Petimus ergo ut tãto uos peccato miscere nullatenus debeatis. Nam huiusmodi iniquitatẽ impunitam propter deum nullo modo patimur remanere. Vnde iterum quęsumus, ut excellentia uestra in talium se causarum defensione non misceat, ne & deus suã defendat iniuriam, & inter nos aliorum pariat culpa discordiam.

Mense Februario. Indictione xiij.
Gregorius Cypriano diacono.
De obitu Maximiani, & de episcopo eligendo.
Caput LXIII

Epist. 19 AMarissimas tuę dilectiõis epistolas de domni Maximiani obitu mense Nouembris suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata peruenit, sed infelix populus Syracusanę ciuitatis lugẽdus est, qui pastorẽ talem diu habere non meruit. Proinde dilectio tua sollicitudinem gerat, ut in eadem Ecclesia talis debeat ad ordinãdum eligi, qui post domnum Maximianum eiusdem regiminis locum non uideatur immeritò sortiri. Et quidem credo quòd Traianum presbyterũ maxima pars eligat, qui, ut dicitur, bonæ mentis est, sed quantũ suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamẽ si melior inueniri non ualet, & ipse nullis criminibus tenetur inuolutus, condescendi ad eum, cogente nimia necessitate potest. Si aũt mea uoluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secretò indico quod uolo: quia nullus mihi in eadem Ecclesia post domnum Maximianũ tam dignus uidetur quàm Ioannes archidiaconus Cathanensis Ecclesiæ. Qui si fieri potest ut eligatur, credo quòd apta ualde persona inueniatur. Sed ipse quoque prius de criminibus quæ impedire possunt, à te secretè requirendus est. A quibus si liber inuentus fuerit, eligi iure potest. Quod cùm factum fuerit, etiam frater & coepiscopus noster Leo ei cessionem præstare debebit, ut liber ad ordinandum possit inueniri. Hæc ergo dilectioni tuæ indicare curaui, tuæ iam sollicitudinis intererit, ut omnia sollicitè circumspicias, & ea quæ sunt deo grata disponas.

Gregorius Ioanni episcopo Squillatino.
Visitationem Ecclesiæ Rauennatis commendat.
Caput LXIIII

Epist. 20 OBitum Ioannis antistitis directa relatio patefecit. Quapropter uisitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus, quam ita te conuenit exhibere, ut nihil de prouectionibus clericorum, reddítu, ornatu, ministerijsq;, uel quicquid illud est in patrimonio eiusdem, à quoquam præsumatur Ecclesiæ &c. secundum modum præhabitum.

Gregorius clero, ordini, & plebi consistentibus Rauennæ. De uisitatore Seuero. Cap. LXV

Epist. 21 VEstri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit, uisitationem destitutæ Ecclesiæ fratri & coepiscopo nostro Seuero Paulino solenniter delegare, cui dedimus in mãdatis, ut nihil de prouectio-

prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, minis A sterijsq; à quoquam usurpari patiatur. Cuius uos assiduis adhortationibus conuenit obedire, &c. secundum morem habitum.

Gregorius Cypriano diacono.
De obitu Theodori, & alio episcopo eligendo.
Caput LXVI

Epist.22 OBitum Theodori episcopi dilectionē tuam iam credimus cognouisse. Sed quia ipse testamentum dicitur cōdidisse, subtiliter te ne quid de rebus Ecclesiæ suæ consumpsisset, oportet inquirere. Et siquidē eum exinde aliquid incongruè minuisse didiceris, ita age ut res ipsæ ab eo cuius interest modis omnibus reparentur. Clerum uero & populum loci ipsius admonere te conuenit, ut B omni dilatione postposita, eligāt qui sibi reuelante deo debeat episcopus ordinari.

Gregorius Castorio Notario.
De morte Ioannis, & alio episcopo eligendo.
Caput LXVII

Epist.23 NImis nos Ioannis fratris et coepiscopi nostri mors cognita contristauit. Maximē quòd ciuitas illa hoc tempore amisit pastoralis curæ solatium. Quia igitur plurimę utilitates expoſcunt, ut Ecclesiæ ipsi sacerdos sine mora Christo authore debeat ordinari: ideo experiētiæ tuæ pręcipimus, quatenus clerum & populum omni instantia studeat adhortari, ut cōsecrandum sibi non differant eligere sacerdotem. Quos tamē præ omnibus admonere te uolumus, ut in generali causa utilitates C proprias non attendant. Nulla ergo sit in hac electione uenalitas, ne dum præmia appetunt, discretionem electionis amittant: & illum dignum ad hoc esse arbitrētur officium, qui non datione, sed meritis placuerit. Specialiter enim & absolutè cognoscant, quia non solum indignus est sacerdotio, sed et alijs profecto erit culpis obnoxius, quisquis dei donum precij præsumpserit uenalitate mercari. Non itaq; largus pręmijs, sed dignus meritis eligatur. Nam & electū & eligentes par pœna respiciet, si sacerdotij sinceritatē mente sacrilega uiolare tentauerint. Siue autem unus, siue duo electi fuerint, quinq; de prioribus presbyteris, & quinq; de præcedētibus diaconibus simul uenire ad nos per oīa cōmoneto. De clericis uero p̄ter D eos qui uenire deliberant, si quos alios præsentes esse necessarios æstimas, ad nos sine mora trāsmittito, ut ad ordinādum dei Ecclesiam, nec excusatio, nec aliqua possit præuenire dilatio.

Gregorius Castorio diacono.
De peruersitate episcoporum, & Valerio monacho. Cap. LXVIII

Epist.24 QVædam ad nos de Pisaurensi episcopo peruenerunt, quæ indiscussa nullo modo sunt relinquenda. Propterea experientiæ tuæ præcipimus, ut de uita & actibus ipsius subtili indagatione studeat perscrutari. Et si quid fortasse reperierit, quod sacerdotij, quod ablit, integritatē ualeat maculare, ad nos eum cum scriptis tuis de his quę in ueritate cognoueris, omnimodo sub cōpetenti cautela transmitte: ut informati deo reuelante sub tilius ueritatem, quid fieri debeat, pertractemus. Non solum autem de eo, sed & de aliorum quoq; sacerdotum te uita conuenit esse sollicitum. Et si de quolibet sinistrum quippiam sentire potueris, nobis renunciare festina, ut actuum prauitas salubriter cum dei solatio debeat emendari. Peruenit quoq; ad nos Adeodatum quendam ciuem Pisaurensem filio atq; uernaculo suo de quibusdam hæredibus institutis Thomam deputasse tutorē: hāc conditionem adijciens, ut si fortè hæredes ipsius in pupillari ætate de hac uita trāsirent, omnis eius substantia per manus antedicti tutoris debuisset pauperibus erogari. Sed defunctis qui hæredes fuerunt instituti, ne defuncti possit uoluntas impleri, suprascriptus tutor à quibusdam dicitur impediri. Propterea si, sicut edocti sumus, ita esse in ueritate compereris, curę atq; sollicitudinis tuę sit, antedictum tutorem rationabiliter tueri atq; defendere, ut quæcq; sibi iniuncta sunt, ualeat effectui mancipare. Sed quoniam dicitur eundem tutorem uelle aliquid in diaconia quæ ibidem constituta est emere, summopere ei solatiari festina, ut ea quæ mercedis intuitu pijs causis relicta sunt, te cōcurrente sine cuiusq; possint impedimento cōpleri. Valerianū uero monachū quem emendatū in monasterio beati Ioannis in classe posito tradidisti, in eodem eum monasterio sine dubio uolumus permanere. Præterea ne quam necessitatem in expensis tua experiētia patiatur, de redditibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui illic te prouidente aggregati sunt, omnes expēsas tuas te facere uolumus. Et si quid superfuerit, nobis cū ueneris defer.

Gregorius Vincomali defensori.
Dat sibi potestatem inter cæteros defensores.
Caput LXIX

Epist.25 ECclesiasticæ utilitatis intuitu id nostro sedit arbitrio, ut si nulli conditioni uel torpori teneris obnoxius, nec fuisti clericus alterius ciuitatis, aut in nullo tibi canonum obuiant statuta, officium Ecclesiæ defensorum accipias, ut quicquid pro pauperum cōmodis tibi à nobis iniunctum fuerit, incorruptè & uiuaciter exequaris, usurus hoc priuilegio quod in te habita deliberatione contulimus, ut omnibus quæ tibi à nobis fuerint iniuncta, complendis operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis sub dei nostri iudicio rationem. Hanc autē epistolam Paterio notario Ecclesiæ nostrę subscribendam dictauimus.

Mense Martio. Indictione xiij.
Gregorius Gaudentio episcopo Nolano.
De Capuanis clericis Neapoli degentibus.
Caput LXX

Epist.26 QVi Ecclesiasticis famulantur obsequijs, Ecclesiasticū, ut possibilitas exigit, debent adipisci subsidium. Proinde fraternitatē tuam presentibus hortamur affatibus, ut clericis Capuanę Ecclesiæ, qui in ciuitate Neapolitana cōsistunt, quartam in presbyterum eorum de hoc quod antè Ecclesiæ singulis annis accesserit, iuxta antiquā consuetudinem distribuere secundum personarū studeat qualitatem: quatenus aliquod stipendiorum habentes

habentes ſolatium,miniſterium, officiumq; ſuum circa eandem Eccleſiam deuotiori mente prouocentur impendere. Præterea decẽ ſolidos quos Ruſtico archidiacono ſuo Feſtus epiſcopus ſupra ſcriptæ Eccleſiæ abſtulit,fraternitas tua,omni ceſſante ambiguitate reſtituat:quia in tantam dicitur pauperiem peruenisſe, ut cõſerendum illi potius eſſet,quàm aliquid ab eo auferendum. Durum enim eſt & procul à ſacerdotis officio, perſonã poſitam ſub neceſſitate negligere,& ſtudio congregandi indecenter inhiare pecunijs.

Gregorius Cypriano Diacono.
De Cicerone monacho. Cap.LXXI

Epiſt.27 BEnenatus frater & coepiſcopus noſter, Ciceronem quendam monachũ, qui pro ſuis exceſſibus à dilectiſſimo filio noſtro diacono Petro, tunc autem ſubdiacono & rectore patrimonij noſtri,eſt in pœnitentiam deputatus, iuris Eccleſiæ tuæ famulum eſſe perhibet, eumq; ſibi cum rebus ſuis poſtulat debere reſtitui. Neceſſe eſt ergo ut dilectio tua ſtudioſe perquirat.Et ſi ita uerũ eſſe cõſtiterit,ſupraſcriptũ Ciceronẽ cum rebus ſuis quę apud Fautinũ defenſorem dicuntur eſſe depoſitæ, domino Mirenatis Eccleſiæ ſine aliqua dilatione reſtitue, ut poſtq; à monachica conuerſatione culpæ lapſus arripuit, iugũ domini ſui quod euadere in cõuerſatione poterat,permanens recognoſcat.

Menſe Auguſto. Indictione xiij.

Gregorius Cypriano diacono.
De monachis Theodoſii abbatis. Cap.LXXII

Epiſt.28 PEruenit ad nos inſinuante Theodoſio abbate monaſterij ſancti Martini,tres ſe illic in Sicilia monachos, quos pro utilitate monaſterij ſui tranſmiſerat,ibidem retinuiſſe,& petijt à nobis ut cum tuo eos ſolatio in ſuum debeat monaſterium reuocare. Dilectio ergo tua quæ nos huiuſmodi cauſas zelare feruenter cognouit, eos ſollicita faciat indagatione perquiri, & inuentos ad ſupraſcriptum abbatem cui contumaces extiterũt, ſub competenti cautela atq; diſtrictione tranſmitti. Eſto itaq; ſollicitus ne regularis diſtrictio uel dilatione aliqua, uel deputatorũ remiſſione lædatur. Præſentium uero portitoribus qui pro agendis eiuſdem monaſterij utilitatibus à ſupradicto Theodoſio abbate noſcuntur eſſe trãſmiſſi,in omnibus te inſtanter uolumus præberi ſolatia, quatenus te concurrente,rationabiliter quę ſibi iniuncta ſunt, ualeant explicare. Mancipia autem eiuſdem monaſterij quæ prædictus abbas ab hominibus Eccleſiæ noſtræ indebitè perhibet detineri, neceſſe eſt te modis omnibus perſcrutari. Et ſi ita repereris,ſine aliqua ei facito dilatione reſtitui.

Gregorius Seuero ſcholaſtico Exarcho.
De Agilulpho rege Longobardorum.Cap.LXXIII

Epiſt.29 QVi aſſiſtunt iudicibus, & ſinceris erga eos dilectionibus obſtringuntur,illa eis ſuadere debent atq; ſuggerere, quæ & animam ſaluent,& opinioni non derogent. Proinde quoniam nouimus quanta fidei ſinceritate excellentiſſimũ exarchum diligatis, idcirco magnitudini ueſtræ quæ acta ſunt indicare curauimus, ut hæc cognoſcentes,ad conſentiendum eum rationabiliter prouocetis. Scitote autem quia Agilulfus Longobardorum rex generalem pacẽ facere non recuſat, ſi tamen ei dominus Patricius iudicium eſſe uoluerit. Nam multa ſibi in locis ſuis intra pacis terminum queritur eſſe cõmiſſa.Et quoniam ſibi,ſi ratio iudicantiũ inuenerit, ſatisfieri poſtulat, & ipſe quoq; ſe ſatisfacturũ modis omnibus pollicetur,ſi quid à partibus ſuis conſtiterit in pace cõmiſſum.Quia ergo rationi non ambigitur conuenire quod petit,oportet eſſe iudicium, ut ſi qua ab utraq; parte malefacta ſunt,componantur: dummodo generalis pax ualeat deo protegente firmari. Nam qualiter ſit nobis omnibus neceſſaria,bene noſtis.Sapienter itaq; ſicut conſueuiſtis agite, ut excellentiſſimus Exarchus ad hoc ſine mora debeat cõſentire,ne per eum pax renui, quod non expedit, uideatur. Si enim cõſentire noluerit, nobiſcũ quidẽ ſpecialẽ pacẽ facere repromittit. Sed ſcimus quia & diuerſæ inſulæ & loca ſunt alia procul dubio peritura,Hæc autem conſideret, & pacem habere ſe ſtinet,quatenus in hac ſaltẽ dilatione & nos quietem poſſimus habere ad modicũ, & Reipublicæ reſiſtẽdi uires adiuuãte domino melius reparent.

Gregorius Heliæ presbytero & abbati prouinciæ Iſauriæ. De Epiphanio diacono,& de ſolidis. Caput LXXIIII

DVlciſſima ſanctitatis ueſtræ ſcripta ſuſcepi, Epiſt.30 in quibus mihi ſatisfeciſtis, ut cõtriſtari non debeam quòd ſecundũ meum deſiderium ad beati Petri apoſtolorũ principis limina non ueniſtis. Et ego quidẽ omnino uos uidere uolui,ſed ſi moleſtia corporis aut ætatis infirmitas obſtitit,aut impedimento fuit,hoc mihi ſufficit ut ubicunq; tua ſanctitas fuerit,pro me ſollicitè oret: quia & ſi locis corpore diuidimur, charitate ſemper indiſiuncti ſumus. Euangeliſtã autẽ ſicut mandaſtis tranſmiſimus.Filium uero ueſtrum Epiphanium mandaſtis ut ad ſacrum ordinem prouehere debere- Cĩ.4. Filium mus,uobiſq; tranſmittere.Sed in uno uos audiuimus,in alio autem minimè audire potuimus.Diaconus quidẽ factus eſt, ſed quiſquis ſemel in hac Eccleſia ſacrũ ordinem acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet.Si ergo uos uidere non potui, hac ex re cõſolationem habeo,quia in filio ueſtro requieſco. Solidos autẽ nobis uoluiſtis pro neceſſitatibus cellæ quinquaginta trãſmitti,quos multum eſſe exiſtimantes,ex eis nobis decem donaſtis,ut quadraginta mitteremus. Sed ne forſitan uel hoc graue eſſet, adhuc alios nobis ex eis eſtis dignati largiri. Sed quia uos ualde in continentia noſtra benignos inuenimus, eidem benignitati uice ſimili reſpondemus. Quinquaginta trãſmiſimus,& ne forſitan minus eſſet, alios decem ſuperaddidimus.Ne uero et hoc adhuc minus eſſet,alios duodecim iungi fecimus.In hoc autem cognoſcimus charitatem ueſtram:quia de nobis ita præſumitis, ſicut uos præſumere debetis. Sed per omnipotentẽ dominũ rogo, ut aſſiduas preces pro nobis faciatis,quatenus de peccatis in quibus obligatus teneor, & tribulationib.quibus premor,citius abſoluar,& patriæ cœleſtis gaudijs perfruar

perfruar. Hoc autē quod pro me qualiter oratis, in epistolis uestris indicastis, cognoscite quia ualde me releuauit. Sed iam post petitionem meam amplius facite, quàm etiam me non petente fecistis. Præfatum uero dilectissimū filium meum Epiphanium diaconem: quia huic Ecclesiæ diaconatu interueniēte ligauimus, sanctitatem tuam non debet cōtristare, quòd sancto Petro apostolorum principi, quia per temetipsum corpore non uales, ei per filium tuum ipse deseruias, ut lucro cœlestis remunerationis perfruaris. Sancta autem trinitas sua te protectione custodiat, & in præsentis uitæ eremo à subsequētibus atq; obuiantibus hostibus tegat, ut & si qua sunt nostra præterita peccata relaxet, & ea quæ adhuc ante faciem ueniunt, à nobis manu suæ pietatis amoueat. Ipsa te ducat & ipsa perducat, atq; in æterno gaudio suscipiat. Det tibi ad electorum sortem pertingere, & pro peccatore me, ut absolui merear, orare.

Mense Iunio. Indictione xiij.

Gregorius Mauricio Augusto.

Conqueritur se fatuum appellatum. De sacerdotibus honorandis, exemplum ponit Cōstantini, & de frumentis. Cap. LXXV

Epist.11 IN serenissimis iussionibus suis dominorū pietas dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis urbanè simplicitatis uocabulo me fatuum appellat. In scriptura etenim sacra cùm in bona intelligentia ponitur simplicitas, sæpe prudentiæ aut rectitudini sociatur. Vnde etiam de beato Iob scriptū est: Iob 1 Erat uir simplex & rectus, & beatus Paulus ápo- Rom.16 stolus admonet dicens: Estote simplices in malo, & prudentes in bono. Et per semetipsam ueritas Matt.10 admonet dicens: Estote prudentes sicut serpētes, & simplices sicut columbæ. Esse ualde inutile iudicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Vt ergo seruos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos & simplices sicut columbas, & prudentes ut serpentes uoluit, quatenus in eis & serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret. Ego igitur qui in serenissimis dominorū iussionibus ab Arnulphi astutia deceptus, non adiuncta prudentia simplex denuncior, constat proculdubio quia fatuus appellor, quod ita esse ego quoq; ipse cōfiteor. Nam si hoc uestra pietas taceat, causæ clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda, quæ inter Longobardorū gladios hoc in loco patior, minimè uenissem. In ea autem re quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde uenire ad rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed & si sacerdos non sum: scio grauē esse hanc iniuriā sacerdoti, ut ueritati seruiens, fallax credatur. Et dudum noui, quoniā Arnulpho plus est creditum quàm mihi: Leoni amplius est creditum quàm mihi, & nunc eis qui esse ad mediū uidentur, plus quàm meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atq; irrisione lætus tacerem. Sed hoc me uehemēter affligit: quia ego unde crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorū iugo captiua. Dumq; meis suggestionibus in nullo creditur, uires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamē pijssimo domino suggero, ut de me mala omnia quilibet existimet, de utilitate uero reipublicæ & causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facilè pias aures præbeat, sed plus rebus & uerbis credat. Sacerdotibus aūt non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum cuius serui sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquijs aliquando sacerdotes dij, aliquando angeli uocant. Cā.11.q.1 Sacerdotibus

Nam & per Moysen de eo qui ad iuramentū deducendus est dicitur: Applica illum ad deos, id est ad sacerdotes. Et rursum scriptū est: Dijs non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et propheta ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legē requirēt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Quid ergo mirū si illos uestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorē tribuēs, eos aut angelos, aut deos ipse etiā appellat deus? Exod.22 Mala.2

Ecclesiastica quoq; testatur historia: quia cùm pię memoriæ Constantino principi in scripto oblatæ accusationes cōtra episcopos fuissent, libellos qui dē accusationis accepit, & eosdē qui accusati fuerant episcopos cōuocans, in eorū cōspectu libellos quos acceperat incendit, dicens: Vos dij estis, à uero deo cōstituti. Ite, & inter uos causas uestras discutite, quia dignum non est ut nos iudicemus deos. In qua tamen sententia pie domine, sibi magis ex humilitate, cū illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui uerum deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorē maximū tribuebant. Quid ergo mirū, si Christianus imperator ueri dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, ut prædiximus, principes, honorē impendere sacerdotibus nouerunt, qui dijs ligneis & lapideis seruiebant? Hæc ergo pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccator sum. Et quia omnipotenti deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remediū suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo, quia eundem omnipotentē dominum tanto uobis amplius placatis, quanto me ei malè seruientem districtius affligitis. Multas enim iam plagas acceperam, & superuenientibus dominorum iussionibus inueni consolationes, quas non sperabam. Si enim possum has celeriter plagas enumero. Primùm, quòd mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Thuscia positis sine ullo rei publicæ dispēdio fecerā. Deinde corrupta pace, de Romana ciuitate milites ablati sunt. Et quidē alij ab hostibus occisi, alij uero Narnijs & Perusij positi, & ut Perusiū tenerēt, Roma relicta est. Post hoc plaga grauior fuit aduentus Agilulphi, ita ut oculis

oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur uenales. Et quia nos qui intra ciuitatẽ fuimus, deo protegente manus eius euasimus: quæsitum est unde culpabiles esse uideremur, uidelicet cur frumenta defuerint, quę in hac urbe diu multa seruari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicaui. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientia fateor: aduersa quælibet pati paratus sum, dummodo hæc omnia cum salute duntaxat meæ animæ euadam. Sed de gloriosis uiris Gregorio præfecto, & Castorio magistro militũ non mediocriter sum afflictus, qui & omnia quæ potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores uigiliarũ, & custodiæ ciuitatis, in eadem obsessione uehementissimos pertulerunt, & post hæc omnia graui dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patẽter intelligo: quia eos nõ sua acta, sed mea persona grauat. Cum qua, quia pariter in tribulatione laborauerant, post laborem pariter tribulantẽ. Quòd autem dominorũ pietas illud mihi pauendum, & terribile omnipotentis dei iudiciũ intentat, rogo per eundem omnipotentem dominum,
1.Cor.4 ne hoc ulterius quidem faciat. Nam adhuc nescimus quis sibi qualis sit. Et Paulus egregius prædicator ait: Nolite iudicare ante tempus, donec ueniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hoc tamen breuiter dico, quoniam indignus & peccator, plus de uenientis Iesu misericordia, quàm de ueſtrę pietatis iustitia prẽsumo. Et sunt multa quę de iudicio illius homines ignorant: quia fortasse quæ uos laudatis, ille reprehendet: & quæ uos reprehẽditis, ille laudabit. Intermitto ergo incerta, ad solas lachrymas redeo, petẽs ut idem omnipotens deus pijssimum dominũ nostrum, & sua hic manu regat, & in illo terribili iudicio liberum ab omnibus delictis inueniat. Et me ita placere, si necesse est, hominibus faciat, ut æternã eius gratiam non offendam.

Gregorius Mauricio Augusto.
De Ioanne episcopo Cõstantinopolitano, qui sibi uniuersale nomen arripuit. Et de peruersitate episcoporum. Cap. LXXVI

Epist.32 Pijssimus atq; à deo constitutus dominus noster, inter cæteras angustorum ponderum curas, conseruandæ quoq; sacerdotali charitati rectitudine studij spiritalis inuigilat: uidelicet piè uera citerq; considerans, neminem posse rectè terrena regere, nisi nouerit diuina tractare, pacemq; reipublicæ ex uniuersalis Ecclesiæ pace pendere. Quæ enim sereniſſime domine uirtus humana, quodq; carnei robur brachij cõtra ueſtri Christianissimi culmen imperij irreligiosas præsumeret manus erigere, si studeret cõcors sacerdotũ mens redemptorem suum pro uobis atq; ut oportebat meritis exorare? Aut quis ferocissimæ gentis gladius in necem fidelium tanta crudelitate grassare tur, nisi nostra uita qui sacerdotes nominamur, & non sumus, à prauissimis grauaretẽ operibus? Sed A dum nos competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata nostra barbaricis uiribus sociamus, & culpa nostra hostium gladios exacuit, quæ reipublicæ uires grauat. Quid autem dicturi sumus, qui populum dei cui indignè præsumus, peccatorum nostrorum oneribus premimus? qui quod per linguam prędicamus, per exempla destruimus, qui iniqua docemus operibus, & sola uoce ea quæ sunt iusta prætendimus. Ossa ieiunijs atteruntur, & mente turgemus. Corpus despectis uestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus. Iacemus in cinere, & excelsa respicimus. Doctores humilium, duces superbiæ, ouina facie, lupinos dẽtes abscondimus. Sed quis horum finis est, nisi quòd homini
B bus suademus, deo autem manifesti sumus? Quãobrem prouidentissimè pijssimus dominus noster ad compescendos bellicos motus pacem quęrit Ecclesię, atq; ad huius compagem sacerdotum dignatur corda reducere. Quod quidẽ ego opto, atq; quantum ad me attinet, sereniſſimis iussionibus obedientiã prębeo. Quia uero nõ causa mea, sed dei est: & quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia: quia piæ leges, quia uenerandæ synodi, quia ipsa domini nostri Iesu Christi mandata superbi atq; pompatici cuiusdam sermonis inuẽtione turbãtur: pijssimus dominus locum secet uulneris atq; resistentem ægrum augustæ authoritatis uinculis constringat. Adstringendo eum, statum reipublicæ subleuatis: & dum alia recidi-
C tis, de regni uestri prolixitate tractatis. Cunctis enim Euangelium scientibus liquet, quòd uoce dominica sancto & omnium Apostolorũ Petro principi apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? pa- Ioan.21
sce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribare uos sicut triticum, & ego pro te rogaui Pe Luce.22
tre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Pe Mat.16
trus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eã. Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram: erit solutũ & in cœlis. Ecce claues regni cœlestis accipit,
D potestas ei ligandi & soluendi tribuitur. Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur: & tamen uniuersalis Apostolus non uocatur: & uir sanctissimus consacerdos meus Ioannes uocari uniuersalis episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere: O tempora, ó mores. Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum iuri sunt tradita. Destructæ urbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ, nullus terram cultor inhabitat: sæuiunt & dominantur quotidie in necem fideliũ cultores idolorum: & tamen sacerdotes qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, uanitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac prophanis uocabulis gloriãtur. Nunquid ego hac in re pijssime domine propriã causam defendo? Nunquid specialem iniuriam uindico? & non magis causam

ſam omnipotentis dei, & cauſam uniuerſalis Eccleſiæ? Quis eſt iſte qui cõtra ſtatuta Euangelica, cõtra canonum decreta, nouum ſibi uſurpare nomen præſumit? Vtinam uel ſine aliorum imminutione unus ſit, qui uocari appetat uniuerſalis. Et certe multos Cõſtantinopolitanæ Eccleſiæ in hæreſeos uoraginẽ incidiſſe nouimus ſacerdotes, & non ſolum hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos. Inde quippe Neſtorius, qui mediatorẽ dei & hominum Ieſum Chriſtum duas eſſe perſonas exiſtimans: quia deum fieri hominẽ potuiſſe non credidit, uſq; ad Iudaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui conſubſtantialem patri & filio ſpiritũ ſanctũ deum eſſe denegauit. Si igitur illud nomen in ea Eccleſia ſibi quiſq; arripuit, quod apud bonorũ omniũ iudiciũ fuit: uniuerſa ergo Eccleſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit, quando is qui appellat̃ uniuerſalis, cadit. Sed abſit à cordibus Chriſtianorũ nomẽ iſtud blaſphemiæ, in quo omnium ſacerdotũ honor adimit̃, dum ab uno ſibi dementer arrogatur. Certè pro beati Petri apoſtolorum principis honore per uenerandam Chalcedonenſem ſynodum Romano pontifici oblatũ eſt. Sed nullus eorum unq; hoc ſingularitatis uocabulum aſſumpſit, nec uti conſenſit, ne dum priuatum aliquid daretur uni, honore debito ſacerdotes priuarentur uniuerſi. Quid eſt ergo q̃ nos huius uocabuli gloriam & oblatã non quærimus, & alter ſibi hanc arripere etiam non oblatam præſumit? Ille ergo magis eſt piiſſimorũ dominorũ præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus eſt, qui ſanctæ uniuerſali Eccleſiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine ſingularitatis appetit, qui honori quoq; imperij ueſtri ſe per priuatum uocabulum ſuperponit. Ecce omnes hac de re ſcandalum patimur. Ad uitam ergo rectam reuertatur author ſcandali, & omnia ſacerdotum iurgia ceſſabunt. Ego enim cunctorũ ſacerdotum ſeruus ſum, inquantũ ipſi ſacerdotaliter uiuunt. Nam qui contra omnipotentẽ dominũ per inanis gloriæ tumorem, atq; contra ſtatuta patrum ſuam ceruicem erigit, in omnipotenti domino cõfido, quia meã ſibi nec cum gladijs flectit. Quid autem nuper in hac urbe ex huius auditu uocabuli geſtũ ſit, Sabiniano diacono ac reſpõſali meo ſubtilius indicaui. Cogitet ergo dominorum pietas de me proprio ſuo, quem ſpecialiter præ cæteris ſemper fouit atq; continuit, qui & uobis obedientiam prębere deſidero, & tamen de mea negligentia reperiri reus in ſuperno tremendoq; iudicio pertimeſco. Ac ſecundum petitionem prædicti Sabiniani diaconi, aut piiſſimus dominus ipſum dignetur iudicare negotium, aut ſæpe nominatum uirum, ut ab hac tandem intentione ceſſet, deflectere. Si ergo iudicio pietatis ueſtræ iuſtiſſimo, uel clemẽtibus admonitionibus ceſſerit, omnipotenti deo gratias referimus, atq; de conceſſa per uos omni Eccleſiæ pace gaudemus. Sin autẽ in eadem diutius contentione perſtiterit, hac de re iam ueritatis ſententiã certam tenemus, quæ ait: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Et rurſus ſcriptũ eſt: Ante ruinam exaltabitur cor. Ego autem dominorum iuſſionibus obedientiam præbens, prædicto conſacerdoti meo & dulciter ſcripſi, & humiliter, ut ab hac inanis glorię appetitione ſeſe emendet admonui. Si igitur me audire uoluerit, habet deuotum fratrem. Si uero in ſuperbia perſiſtit, iam quid aſſequatur aſpicio, quia illum ſibi aduerſarium inuenit, de quo ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Luc. 14 & 18 Prou. 16 Iacobi 4

Gregorius Conſtantiæ Auguſtæ.
De peruerſitate iudicij in Sardinia, & ſuperbia Ioannis epiſcopi. Cap. LXXVII

CVm ſereniſſimam dominam ſciam de cœleſti patria atq; animæ ſuæ uita cogitare, culpam me cõmittere uehemẽter exiſtimo, ſi ea quæ pro timore omnipotentis domini ſunt ſuggerenda, ſiluero. Dũ in Sardinia inſula multos eſſe gentiles cognouiſſem, eosq; adhuc prauæ gentilitatis more, idolorũ ſacrificijs deſeruire, & eiuſdem inſulæ ſacerdotes ad prædicandum redemptorem noſtrum torpentes exiſtere, unum illuc ex Italiæ epiſcopis miſi, qui multos gentilium ad fidem domino cooperante cõuertit. Sed quidam rem mihi ſacrilegã nunciauit: quia hi qui in ea idolis immolant, iudici præmium perſoluunt, ut eis hoc facere liceat. Quorum dum quidam baptizati eſſent, & immolare iam idolis deſiuiſſent, adhuc ab eodem inſulæ iudice etiam poſt baptiſmũ præmium illud exigitur, quod dare prius pro idolorum immolatione conſueuerant. Quem cùm prædictus epiſcopus increparet, tantũ ſe ſuffragium permiſiſſe reſpõdit, ut niſi de cauſis etiam talibus impleri non poſſit. Corſica uero inſula tanta nimietate exigentium, & grauamine premitur exactionum, ut ipſi qui in illa ſunt, eadem quæ exiguntur, complere uix filios ſuos uendendo ſufficiãt. Vnde fit, ut derelicta pia republica, poſſeſſores eiuſdem inſulæ ad nephandiſſimam Longobardorũ gentem cogantur effugere. Quid enim grauius, quid crudelius à Barbaris pati poſſunt, quàm ut conſtricti atque compreſſi ſuos uendere filios compellantur? In Sicilia autem inſula Stephanus quidam marinarum partiũ chartularius, tanta præiudicia tantasq; oppreſsiones operari dicitur, inuadendo loca ſingulorum, atq; ſine dictione cauſarũ per poſſeſsiones ac domos titulos ponendo, ut ſi uelim acta eius ſingula quæ ad me peruenerunt dicere, magno uolumine hæc explere non poſsim. Quæ omnia ſereniſsima domina ſolerter aſpiciat, & oppreſſorum gemitus compeſcat. Hæc enim ego ad piiſsimas aures ueſtras peruenisſe non ſuſpicor. Nã ſi peruenire potuiſſent, nunc uſq; minimè permanſiſſent. Quæ piiſsimo domino apto ſunt tempore ſuggerenda, ut ab anima ſua, ab imperio, atque à filijs ſuis tale hoc tantũq; facinus peccatiq; pondus amoueat. Qui ſcio quoniam dicturus eſt, quia nobis in Italiæ expenſis tranſmittitur, quicquid de prædictis inſulis aggregatur. Sed ego ſuggero, ut etſi minus expenſæ in Italia tribuantur, à ſuo tamen imperio oppreſſorum calamitates non mitigan-

Epiſt. 33

mitigantur. Nam idcirco fortasse tantæ expensæ in hac terra minus ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur. Præcipiant ergo serenissimi domini nil cum peccato colligi. Nam scio, quia & si parum reipublicæ attribuitur utilitatibus, ex eo multũ respublica adiuuatur: Quam etsi fortasse contingat expensis minoribus minus adiuuari, melius est tamen temporaliter nos non uiuere, quàm uos ad æternam uitam obstaculũ aliquod inuenire. Quæ enim mentes, qualia uiscera parentum esse possunt, perpendite, quando filios suos distrahunt, ne torqueanẽ? Qualiter autem miserendum sit filijs aliorum, hoc bene sciunt qui habent proprios. Vnde mihi hæc breuiter suggessisse sufficiat, ne si ea quę in his partibus aguntur, pietas uestra non cognosceret, me apud districtũ iudicẽ silentij mei culpa mulctaret.

Gregorius Constantiæ Augustæ.
De superbia Ioannis episcopi, & de Maximo præuaricatore. Cap. LXXVIII

Epist. 34 OMnipotẽs deus, qui pietatis uestræ cor suæ dextera maiestatis tenet, & nos ex uobis protegit, & uobis pro temporalibus actibus æternæ præmia remunerationis parat. Nã Sabiniano diacono responsali meo scribente cognoui in causis beati Petri apostolorũ principis contra quosdam superbos, humiles facietenus & blandos, quanta se iustitia uestra serenitas impendat. Et in redemptoris nostri largitate cõfido, quia bonum hoc in serenissimo domino & pijssimis filijs in cœlestis quoq; patriæ retributione recipietis. Nec dubium est peccatorum uinculis solutos, æterna uos bona recipere, qui in causis eius Ecclesiæ ipsum uobis, cui potestas ligandi & soluendi data est, debitorẽ fecistis. Vnde adhuc peto, ut nullã præualere contra ueritatẽ hypocrisim permittatis: quia sunt quidam qui iuxta egregij prædicatoris uocẽ, per dulces sermones & benedictiones seducũt corda innocentiũ, qui ueste quidem despecti sunt, sed corde tument. Et quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt, simul cuncta adipisci quærunt. Qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed priuatis uocabulis contempti esse non possunt: quia illud appetunt, unde omnibus digniores esse uideantur. Vestra itaq; pietas, quam omnipotẽs deus cum serenissimo domino uniuerso mundo præesse constituit, illi per fauorem iustitiæ famulatũ suum reddat, à quo ius tantæ potestatis accepit, ut quãto uerius in executione ueritatis autori omniũ seruit, tanto securius cõmisso sibi mundo dominẽ. Præterea indico, quia pijssimi domini scripta suscepi, ut cũ fratre & consacerdote meo Ioanne debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum dominũ decuit, ut ista sacerdotibus præciperet. Sed cùm se noua prę sumptione atq; superbia idem frater meus uniuersalem episcopum appellet, ita ut sanctæ memoriæ decessoris mei tempore adscribi se in synodo tali hoc superbo uocabulo faceret, quamuis cũcta acta illius synodi sede contradicente apostolica soluta sint, triste mihi aliquid serenissimus dominus innuit, quòd non eum corripuit, qui superbit, sed me magis ab intẽtione mea declinare studuit, qui in hac causa Euangeliorũ & canonũ statuta, humilitatis atq; rectitudinis uirtute defendo. Qua in re à prędicto fratre & consacerdote meo contra Euangelicam sententiam, contra beatũ quoq; Petrũ apostolum, & contra omnes Ecclesias, contraq; canonum statuta agitur, Sed est omnipotẽs dominus, in cuius manu sunt omnia, de quo scriptũ est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominũ. Et quidem sæpe præfatus sanctissimus frater serenissimo domino multa suadere conatur: sed bene noui, quia tantæ illæ orationes eius & lachrymę, nil ei à quoq; contra rationẽ aut animã suam surripi permittunt. Triste tamẽ ualde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & coepiscopus meus solus conetur appellari episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designatur? quia illũ uidelicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio angelorũ legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: Super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamẽti, in lateribus Aquilonis, & ascendam super altitudinẽ nubium, & erosimilis altissimo. Vnde per omnipotentẽ dominũ rogo, ne pietatis uestræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari, neq; tam peruerso uocabulo ullum quoquo modo prębeatis assensum, atq; hac in causa nequaq; me pietas uestra despiciat: quia etsi peccata Gregorij tanta sunt, ut pati talia debeat, Petri tamen apostoli peccata nulla sunt, ut uestris temporibus pati ista mereatur. Vnde iterũ atq; iterũ per omnipotẽtẽ dominũ rogo, ut sicut parẽtes priores uestri principes, sancti Petri apostoli gratiam quæsierunt: ita uos quoq; & hanc uobis quærere & conseruare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indigne seruimus, eius apud uos honor nullatenus minuatur, qui & modo uobis adiutor esse in omnibus, & postmodum uestra ualeat peccata dimittere. Viginti autẽ iam & septẽ annos ducimus, q in hac urbe inter Longobardorũ gladios uiuimus. Quibus q multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogãtur, ut inter eos uiuere possimus, suggerẽda non sunt. Sed breuiter indico, sicut in Rauennæ partibus dominorum pietas apud primũ exercitum Italiæ sacellarium habet, qui causis superuenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac urbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamẽ hæc Ecclesia, quæ uno eodemq; tempore clericis, monasterijs, pauperibus, populo, atq; insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omniũ Ecclesiarũ premit afflictione, quæ de hac unius hominis superbia multũ gemũt, etsi nihil dicere præsumunt. Salonitanę uero ciuitatis episcopus me ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiẽs, ad eundem præuaricatorẽ qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, ut omnino missarũ solennia celebrare

Paret dist. 63 Salonitana

nullo

nullo modo præsumeret, nisi prius à sereníssimis dominis cognoscerē, si hoc fieri ipsi iussissēt quod ei sub excōmunicationis interpositione mandauit. Et cōtempto me atq; despecto, in audaciā quorundā secularīū hominū, quibus denudata sua Ecclesia præmia multa præbere dicitur, nūcusq; missas facere præsumit, atq; ad me uenire secundum iussionē dominorū noluit. Ego autem præceptionis pietatis eorū obediens, eidem Maximo qui me nesciente ordinatus est, hoc quòd in ordinatione sua me uel responsalē meū prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxaui, ac si me authore fuisset ordinatus. Alia uero peruersa illius, scilicet mala corporalia quæ cognoui, uel quia cum pecunijs est electus, uel quia excōmunicatus missas facere præsumpsit, propter deum irrequisita relinquere non possum. Sed opto, & dominū deprecor, quatenus nihil in eo de his quę dicta sunt, ualeat inueniri, & sine periculo animę meæ causa ipsius terminetur. Prius tamē q̄ hæc cognoscantur, sereníssimus dominus discurrente iussione præcepit, ut eum uenientē cum honore suscipiam. Et ualde graue est, ut uir de quo tanta nunciantur, cùm ante requiri & discuti debeat, honoretur. Et si episcoporū causæ mihi cōmissorū apud pijssimos dominos aliorum patrocinijs disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut episcopi mei me despiciant, & contra me refugiū ad seculares iudices habeant, omnipotēti deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamē breuiter suggero, quia aliquantulum expecto, & si ad me diu uenire distulerit, in eo exercere districtionē canonicam nullo modo cessābo. In omnipotēti domino confido, quia longam pijssimis dominis uitam tribuet, & nos sub manu uestra non secundum peccata nostra, sed secundum gratiæ suæ dona disponet. Hæc ergo tranquillissimæ dominæ suggero: quia integerrima serenitatis eius constantia quanto moueatur zelo rectitudinis atq; iustitiæ, non ignoro.

A

B

C

Gregorius Sebastiano episcopo Serinensi. De malitia Romani, & de Bonifacio defensore. Caput LXXIX

Epist.35

DVlcissima atq; suauissima fraternitatis tuæ scripta suscepi. Quæ mihi, quamuis nunquā desit à corde, sanctitatē tamen uestram quasi corporaliter præsentem fecerūt. Sed omnipotentem dominum rogo, ut sua uos dextera protegat, nobisq; & hic tranquillam uitam, & quando ei placuerit præmia æterna cōcedat. Sed peto, si illo me amore diligitis, quo præsentē semper amastis, ut prome enixius exoretis: quatenus omnipotens deus à peccatorū meorū nexibus me citius soluat, & corruptionis huius pondere exutū suo conspectui liberū existere faciat. Quamuis enim inæstimabilis sit cœlestis patriæ dulcedo quæ trahat, multi tamen in hac uita dolores sunt, qui ad amorē cœlestium quotidie impellant. Qui mihi in hoc ipso solū uehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt. Quæ enim frater sanctissime de amici uestri domini Romani persona in hac terra patimur, loqui minimè ualemus.

D

Breuiter tamen dico, quia eius in nos malitia gladios Longobardorū uicit, ita ut benigniores uideantur hostes qui nos interimunt, q̄ reipublicæ iudices, qui nos malitia sua, rapinis atque fallacijs in cogitatione consumunt. Et uno tempore curā episcoporū atq; clericorū, monasteriorū quoq; & populi gerere, cōtra hostiū insidias sollicitū uigilare, cōtra ducū fallacias atq; malitias suspectū semper existere, cuius laboris, cuius doloris sit, uestra fraternitas tanto uerius pensat, quanto me qui hæc patior, purius amat. Præterea debitū salutationis alloquiū soluens, indico q̄ ad me Bonifacio defensore referente peruenerit, quia uir sanctissimus pater noster domnus Anastasius patriarcha in una suarū ciuitatū regendā uobis Ecclesiā cōmittere uoluit, & consentire noluistis. Quem sensum ac sapientiā uestram ualde ego libēter amplexus sum, laudaui uehementer, & uos felices, me infelicem esse deputaui, qui hoc tali tempore regimē Ecclesiæ suscipere consensi. Si tamen animus uester fortasse fratribus condescendendo, & misericordiæ operibus intentus, ad hoc unq̄ consentire decreuerit, peto ut amori meo alium minimè præponatis. Sunt enim in Sicilia insula Ecclesiæ uacantes episcopis, & si uobis placet autore deo Ecclesiam regere, iuxta beati Petri apostoli limina, cum eius adiutorio melius potestis. Sin uero nō placet, feliciter insta, & pro nobis infelicibus exora. Omnipotens autem deus in quocunq; uos esse loco uoluerit, sua protectione custodiat, & ad cœlestia uos dona perducat.

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino, & Anastasio episcopo Antiocheno. Vt cōmuniter insequantur superbiam Ioannis episcopi. Cap. LXXX

Epist.36 Rom.11 1.Thes.2

DVm prędicator egregius dicat: quandiu quidem sum gentiū Apostolus, ministeriū meū honorificabo. qui rursus aliàs dicens: Facti sumus ut paruuli in medio uestrum, exemplum proculdubio nobis se sequentibus ostendit, ut & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. Ante hos siquidem annos octo sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij tēpore, frater & coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionē quærens synodum fecit, in qua se uniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus ut agnouit, directis literis ex authoritate sancti Petri apostoli eiusdem synodi acta cassauit. Quarū uidelicet epistolarū sanctitati uestræ exemplaria studui destinare. Diaconem uero qui iuxta morē pro responsis Ecclesiæ faciendis pijssimorū dominorū uestigijs adhærebat, cum præfato consacerdote nostro missarū solennia celebrare prohibuit. Cuius ego quoq; sententiam sequens, similia prædicto cōsacerdoti nostro scripta transmisi, quorū exēplaria uestræ beatitudini censui transmittenda, hoc precipuè intendens, ut hac de re, qua ex noua superbia tota uniuersalis Ecclesiæ uiscera perturbantur, prius sæpefati fratris nostri animū modesta intentione pul-

ſemus. Qui ſi nequaq; à ſuę elationis rigore uolue
rit inclinari, tunc quid fieri debeat, cum omnipo-
tētis dei ſolatio ſubtilius pertractetur. Sicut enim
uenerāda ueſtra ſanctitas nouit, uni per ſanctam
Chalcedonenſem ſynodum pontifici ſedis apo-
ſtolicæ, cui deo diſponente deſeruio, hoc uniuerſi
tatis nomen oblatū eſt. Sed nullus unq; deceſſorū
meorū hoc tam prophano uocabulo uti cōſenſit:
quia uidelicet ſi unus patriarcha uniuerſalis dici-
tur, patriarcharū nomē cęteris derogatur. Sed ab-
ſit hoc, abſit à Chriſtiana mente id ſibi uelle quem
piam arripere, unde fratrū ſuorū honorē imminue
re ex quantulacūq; parte uideatur. Cùm ergo nos
hūc honorē nolumus oblatū ſuſcipere: penſate q;
ignominioſum ſit hunc ſibi quempiā uiolenter u-
ſurpare uoluiſſe. Propterea ſanctitas ueſtra in ſuis
epiſtolis neminē unq; uniuerſalē nominet, ne ſibi
debitū detrahat, cùm alteri honorē offert indebi-
tum. Nec hac in re de ſereniſſimis dominis animū
ueſtrū mordeat ſiniſtra ſuſpitio, quia omnipoten
tem dominū metuit, & contra ſtatuta Euāgelica,
contra ſacratiſſimos canones agere aliquid nullo
modo conſentit. Ego uero quāuis à uobis per lon
ga terrarū atq; maris ſpatia diſiunctus ſim, ſum ta-
men omnino uobis corde cōiunctus. Ideoq; de ue
ſtra beatitudine erga me modis omnibus cōfido:
quia cū me uiciſſim diligitis, à me non lōgè eſtis.
Vnde magis gratias referimus grano illi ſynapis,
qui ex modici deſpicabiliſq; ſeminis ſpecie, ita eſt
ramis ex eadem radice ſurgentibus, atq; ſe diſten-
dentibus uſq; quaq; diffuſus, ut in eis uolatilia cœ-
li cuncta nidificent. Gratiaq; ſit fermēto illi quod
tribus farinæ ſatis totius humani generis maſſam
in unitate cōſperſit. Atq; paruo lapidi, qui abſciſ-
ſus de monte ſine manibus, occupauit uniuerſam
faciē orbis terræ. Qui ad hoc ſe uſq; quaq; diſten-
dit, ut ex omni humano genere in unitatē redacto
totius corpus perficeret Eccleſię, atq; ita ad totius
cōpaginis pertineret cōmodū, membrorū partia-
lis iſta diſtinctio. Vnde nos quoq; à uobis nō lōgè
ſumus: quia in illo qui ubiq; eſt, unū ſumus. Aga-
mus ergo ei gratias, qui ſolutis inimicitijs, in car-
ne ſua fecit, ut in omni orbe terrarū un⁹ eſſet grex,
& unū ouile ſub ſe uno paſtore, memores ſemper
quid nos prædicator ueritatis admoneat, dicens:
Ephe.4 Sollicíti ſeruare unitatē ſpiritus in uinculo pacis:
Hebr.12 &, Pacē ſectamini cū hominibus, & ſanctimoniā,
ſine qua nemo uidebit deū. Qui aliįs quoq; diſci-
Rom.12 pulis dicit: Si fieri poteſt, quod ex uobis eſt, cū om
nibus hominibus pacē habentes. Vidit enim pa-
cem bonos cum malis habere non poſſe, & idcir-
co ſicut noſtis præmiſit, ſi fieri poteſt. Sed quia
pax niſi in duabus partibus firmari nō ualet, cùm
hanc mali fugiunt, boni tenere medullitus debēt.
Vnde & mirè dicitur, quod ex uobis eſt, ut uideli-
cet in nobis maneat, etiā cùm à prauorū hominū
mente repellitur. Quam uidelicet pacē tunc uera-
citer tenemus, cùm ſuperborū culpas, cum chari-
tate ſimul & iuſtitia inſiſtente proſequimur, cùm
eos diligimus, & eorū uitia odio habemus. Opus
quippe dei homo eſt, ſed opus hominis uitium.
Nos ergo diſcernamus quid deus, quid aūt homo
fecerit, & neq; propter errorē odio habeamus ho
minē, neq; propter hominē diligam⁹ errorē. Vni-
ta ergo mente inſequamur in homine malū ſuper
biæ, ut ab hoſte ſuo uidelicet errore prius ipſe ho-
mo libereť. Præſtabit uires omnipotens redēptor
noſter charitati atq; iuſtitiæ, pręſtabit nobis longè
à nobis poſitis unitatē ſpiritus ſui, ipſe cuius arti-
ficio quaſi in arcæ modū quatuor mundi conſtru-
cta lateribus, atq; imputribiliū lignorū cōpage, &
bitumine charitatis adſtricta, nullius aduerſitate
ſpiritus, nullius uenientis extrinſecus tumore flu-
ctus perturbeť Eccleſia. Sed quēadmodū illius gu
bernante gratia petendū eſt, ut nulla nos ſuperue-
niens exterius unda cōturbet, ita ex totis orādum
eſt uiſceribus frater chariſſime, ut ſuæ prouidētiæ
dextera cumulū ſentinæ in nobis interioris exhau
riat. Aduerſarius quippe diabolus qui contra hu- 1.Pet.5
miles ſæuiens, ſicut leo rugiens circuit quærens
quē deuoret, non iam, ut cernimus, caulas circuit,
ſed ita ualidè in quibuſdā Eccleſiæ neceſſarijs mē
bris dentes figit, ut nulli ſit dubiū, quia niſi unani-
miter fauente domino cunctorū prouida paſtorū
turba concurrat, omne, quod abſit, citius ouile di-
laniet. Perpēdite fratres chariſſimi, quis è uicino
ſubſequiť, cuius & in ſacerdotibus erumpunt tam
peruerſa primordia. Quia em̄ iuxtà eſt ille de quo
ſcriptū eſt: Ipſe eſt rex ſuper uniuerſos filios ſuper- Iob 41
biæ, quod non ſine graui dolore dicere cōpellor:
frater & coepiſcopus noſter Ioannes mandata do
minica, Apoſtolica præcepta, regulas patrū deſpi
ciens, eum per elationē præcurrere conatur in no
mine. Veſtræ autē beatitudini indicet omnipotēs
deus, q̄ graui conſiderationis huius gemitu tor-
queor, q̄ ille quondā mihi modeſtiſſimus, ille om
nibus dilectus, ille qui in eleemoſynis, orationib⁹
atq; ieiunijs uidebaťr occupatus, ex eo in quo ſede
bat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate, ia
ctantiā ſumpſit, ita ut uniuerſa ſibi tenter adſcribe
re, & omnia quæ ſoli uni capiti cohærent, uideli-
cet Chriſto, per elationē pōpatici ſermonis eiuſdē
Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubiugare. Nec mirū,
q̄ ille tentator qui initiū omnis peccati ſcit eſſe ſu
perbiā, & tunc ea in primo homine ante omnia u-
ſus eſt, & nunc eam quibuſdā hominibus ponit in
fine uirtutū, ut qui aliquatenus bonis uitæ ſtudijs
eius uidebanť crudeliſſimas manus effugere, eis
in ipſa meta boni operis, & in ipſa quodammodo
apponat perfectionis concluſione tendiculū. Vn
de magnopere orandū eſt, & omnipotēs deus aſſi
duis precibus implorandus, ut hunc à mēte illius
auertat errorē, hoc ab unitate atq; humilitate Ec-
cleſiæ malū ſuperbiæ & cōfuſionis amoueat. Et ſa
uente domino omnibus uiribus cōcurrendū atq;
prouidendū, ne in unius ueneno ſermonis uiuen
tia in Chriſti corpore membra morianť. Si enim
hoc dici licenter permittiť, honor patriarcharum
omnium negatur. Et cùm fortaſſe is in errore periit,
qui uniuerſalis diciť, nullus iam epiſcopus reman
ſiſſe in ſtatu ueritatis inuenitur. Oportet ergo ut
conſtanter ac ſine præiudicio ſeruetis ſicut acce-
piſtis

pistis Ecclesias,& nihil sibi in uobis hæc tentatio diabolicæ usurpationis adscribat. State fortes, state securi, scripta cum uniuersalis nominis salsitate, nec dare unq; nec recipere præsumatis. Omnes episcopos curæ uestræ subiectos, ab huius elationis inquinatione prohibete, ut uniuersa uos Ecclesia patriarchas, non solũ in bonis operibus, sed in ueritatis authoritate cognoscat. Si qua autem forsan aduersa subsequuntur, unanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damno generalitatis nostrũ specialiter aliquid non a-
Philip.1 mamus. Dicamus cum Paulo: Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Audiamus quod primus
1.Pet.5 omniũ pastorũ dicit: Si quid patiamini propter iustitiã, beati eritis. Mihi enim credite, quia honorẽ quẽ pro prædicanda ueritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem ueritate relinquimus q; tenemus. Pro me autẽ, sicut uestram charissimã beatitudinẽ decet, orate: ut hoc quod uobis loqui audeo, operibus ostendam.

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno. Congratulatur de reuersione eius. Cap. LXXXI

Epist.37 GLoria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: quia magnus ille fluuius qui quondã arentia Antiochiæ saxa reliquerat, tandem ad propriũ alueũ reuersus, subiectas & iuxta positas ualles rigat, ut & unũ tricesimũ, & aliud sexagesimũ, aliud uero centesimũ fructũ ferat. Iam nunc dubiũ non est, multos in eius uallibus animarũ flores excrescere, eosq; ad maturos fructus per linguæ uestræ fluẽta peruenire. Vnde omnipotẽti deo debitam laudem cordis atq; oris uocibus ex omnibus medullis reddimus, & in uestra beatitudine non uobis tantummodo, sed omnibus qui uobis subiacent, congaudemus. Suscepi uero epistolas dulcissimæ mihi atq; suauissimæ sanctitatis uestræ, ipsum, ut ita dicam, laborem sudantes. Et quidem scio, q; post illa quietis culmina, in quibus secreta cœlestia cordis tangebas manu, graue ualde sit exteriora tolerare. Sed memento, quia Apostolicã sedem regis, & dolorẽ citius temperas, quontã omnibus omnia factus es. In libris Regũ, sicut p;fecta uestra sanctitas nouit, quidam describitur, qui utraq; manu pro dextera utebatur. In qua re ego de dulcissimo atq; sanctissimo dudũ patrono domno Anastasio dubius non sum: quia dum terrena opera ad cœlestẽ utilitatẽ pertrahit, in usum dextræ uertit sinistram, ut cœlestis intentio opus suum uidelicet dextra peragat, & cura temporaliũ dum ad iustitiæ utilitatẽ ducitur, ad fortitudinẽ dextræ sinistra permutet. Equidem hæc esse sine graui labore & tædio, nequaq; possunt. Sed recordemur labores præcedentiũ, &
Act.14 dura non erunt quæ toleramus. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum dei.
2.Cor.1 Et supra modum grauati sumus: supra etiam uirtutem, ita ut tæderet nos uiuere. Sed & ipsi in nobis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis. Et tamen non sunt condignæ passio-
Rom.8 nes huius temporis ad futurã gloriã quę reuelabitur in nobis. Quomodo igitur sine labore transire possumus æstũ huius seculi, nos infirmæ oues, in quo grauiter sudasse nouimus & arietes? Quãtas uero in hac terra tribulationes de Longobardorũ gladijs, de iniquitatibus iudicum, de insolẽtia atq; importunitate causarũ, de cura subiectorũ, de molestia etiam corporis patior, explere nec calamo, nec lingua sufficio. De quibus & si qua breuiter possum loqui, dubito ne uestræ sanctissimæ pietati, dum de suis tribulationibus affligitur, etiã meas augeam. Sed omnipotẽs deus, & suæ largitate pietatis sanctissimæ uestræ beatitudinis mentẽ omni consolatione repleat, & indignũ me aliquãdo ab his quæ patior malis quiescere pro uestra intercessione concedat, Amen. Gratia. Quæ uidelicet uerba de scriptis uestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, ut de sancto Ignatio uestra beatitudo cognoscat: quia non solum uester est, sed etiam noster. Sicut enim magistrũ eius apostolorũ principẽ habemus cõmunẽ, ita quoq; eiusdem principis discipulũ nullus nostrũ habeat priuatũ. Benedictionẽ autẽ uestrã qua debuimus, mẽte suscepimus, bene redolentẽ, bene sapientẽ. Et omnipotenti deo gratias agimus: quia & odora sunt & sapora quæ agitis, quæ dicitis, quæ datis. De uita igitur uestra dicamus pariter, dicamus omnes, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

Gregorius Ioanni episcopo Constantinopolitano. De pace sanctę Ecclesiæ ab eo per uniuersalis nomẽ turbata. De synodo per Pelagium papam cassata. Exemplum proponit diaboli contra deum superbiẽtis. Et de superbia eius nimia. Cap. LXXXII

EO tempore quo fraternitas uestra in sacerdo- Epist.38
talem honorẽ prouecta est, quantã Ecclesiarum pacem atq; cõcordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quóue tumore nescio, nouũ sibi conata est nomen arripere, unde omniũ fratrũ corda potuissent ad scandalũ peruenire. Qua in re uehemẽter admiror, quia ne ad episcopatũ uenire potuisses, fugisse uelle te memini. Quẽ tamen adeptũ ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio concurrisses. Qui enim indignũ te esse fatebaris, ut episcopus dici debuisses, ad hoc quandoq; perductus es, ut despectis fratribus, episcopus appetas solus uocari. Et quidẽ hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij grauia ad sanctitatẽ uestrã scripta trãsmissa sunt. In quibus synodi quæ apud uos de fratris quondã & consacerdotis nostri Gregorij causa cõgregata est, propter nephandum elationis uocabulum, acta dissoluit: & archidiaconũ quem iuxta morem ad uestigia dominorum transmiserat, missarũ uobiscũ solennia celebrare prohibuit. Post eius uero obitũ, cùm indignus ego ad Ecclesiæ regimẽ adductus sum, & ante per alios responsales meos, & nunc per cõmunem filium meum Sabinianũ diaconẽ alloqui fraternitatẽ uestrã, ut à tali se præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curaui. Et si emendari nollet, eum missarũ solennia cum fraternitate uestra celebrare prohibui, ut sanctitatem uestram prius sub quadam uerecundiæ

Universidad de Austo
Biblioteca

reuerentia pulſarẽ, quatenus ſi emendari nephan dus ac prophanus tumor uerecundè non poſſet, tunc ad ea debuiſſet quæ ſunt diſtricta atq; canonica peruenirí. Et quia reſecãda uulnera priùs leui manu palpanda ſunt: rogo, deprecor, & quanta poſſum dulcedine expoſco, ut fraternitas ueſtra cunctis ſibi adulantibus, atq; erroris nomen deferentibus contradicat, nec ſtulto ac ſuperbo uocabulo appellari conſentiat. Verè enim flens dico, atq; ex intimo uiſcerum dolore peccatis meis reputo, quod ille meus frater nuncuſq; ad humilitatem reduci non ualuit: qui ad hoc in epiſcopatus gradu conſtitutus eſt, ut aliorum animas ad humilitatem perducat, quòd ille qui ueritatem docet alios, ſemetipſum docere, nec me quoq; deprecante conſenſit. Perpende rogo, quia in hac præſumptione temeraria pax totius turbetur Eccleſiæ, & gratiæ contradicitur cõmuniter omnibus effuſæ. In qua nimirum ipſe tantũ creſcere poteris, quantum penes temetipſum decreueris. Tantoq; maior efficeris, quanto te à ſuperbi & ſtulti uocabuli uſurpatione reſtringis. Atq; intantũ proficis, inquantum tibi non ſtudueris derogando fratribus arrogare. Humilitatem ergo frater chariſſime totis uiſceribus dilige, per quam cunctorũ fratrum concordia, & ſanctæ uniuerſalis Eccleſiæ unitas ualeat cuſtodiri. Certe Paulus apoſtolus cùm au-
1.Cor.1 diret quoſdam dicere: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego uero Cephæ: hanc dilacerationem corporis dominici, per quã membra eius alijs quodammodo ſe capitibus ſociabãt, uehementiſſimè perhorreſcens exclamauit, dicens: Nunquíd Paulus pro uobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Sic ergo ille mẽbra dominici corporis certis extra Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis ſubijci particulariter euitauit, tu quid Chriſto, uniuerſalis ſcilicet Eccleſiæ capiti, in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris uniuerſalis appellatione ſupponere? Quis rogo in hoc tam peruerſo uocabulo, niſi ille ad imitandum proponit, qui deſpectis angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, ut & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus
Eſa.14 præeſſe uideretur? Qui etiam dixit: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcẽdam ſuper altitudinẽ nubium, ſimilis ero altiſſimo. Quid enim fratres tui omnes uniuerſalis Eccleſiæ epiſcopi, niſi aſtra cœli ſunt? Quorum uita ſimul & lingua inter peccata, erroresq; hominum quaſi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipſum uocabulo elationis pręponere, eorumq; nomen tui comparatione calcare: quid aliud dicis, niſi in cœlum conſcendam: ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meũ? An non uniuerſi epiſcopi nubes ſunt, qui & uerbis prædicationis pluunt, & bonorũ operum luce coruſcant? Quos dum ueſtra fraternitas deſpiciens, ſub ſe premere conatur: quid aliud dicit niſi hoc quod ab antiquo hoſte dicitur, Aſcẽdam ſuper altitudinẽ nubium?

Quæ cuncta ego cùm flens conſpicio, & occulta dei iudicia pertimeſco, augentur lachrymæ, gemitus ſe in meo corde non capiunt, quòd ille uir ſanctiſſimus dominus Ioannes, tantæ abſtinẽtiæ atq; humilitatis, ſuorum familiariũ ſeductione linguarum ad tantam ſuperbiã erupit, ut in appetitu peruerſi nominis illi eſſe conetur ſimilis, qui dum ſuperbè eſſe ſimilis deo uoluit, etiam donatæ ſimilitudinis gratiam amiſit, & ideo ueram beatitudinẽ perdidit, quia falſam gloriam quæſiuit. Certe Petrus apoſtolus primum membrum ſanctæ & uniuerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm ſingularium ſunt plebium capitа? Et tamen ſub uno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ. Atq; ut cuncta breui cingulo locutionis aſtringam: ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes corpus domini, in membris ſunt Eccleſię conſtituti, & nemo ſe unq; uniuerſalem uocare uoluit. Veſtra autẽ ſanctitas agnoſcat quantum apud ſe tumeat, quæ illo nomine uocari appetit, quo uocari nullus pręſumpſit, qui ueraciter ſanctus fuit. Nunquidnam, ſicut ueſtra ſanctitas nouit, per uenerandum Chalcedonenſe cõcilium huius Apoſtolicæ ſedis antiſtites, cui deo diſponẽte deſeruio, uniuerſales oblato honore uocati ſunt? Sed tamen nullus unquã tali uocabulo appellari uoluit, nullus ſibi hoc temerariũ nomẽ arripuit, ne ſi ſibi in pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe uideret. Sed hæc, ſcio, quia ueſtræ ſanctitati ab illis oriuntur, qui nobis deceptioſa familiaritate deſeruiunt, contra quos peto, ut ueſtra fraternitas ſolerter inuigilet, nec ſe eorum uerbis fallendum præbeat. Tanto enim maiores hoſtes credendi ſunt, quanto magis laudibus adulantur. Relinque tales, & ſi omnino decepturi ſunt, ſaltẽ terrenorum hominum, & non ſacerdotum corda decipiant. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Luca.9
Vos autem cum propheta dicite: Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi euge euge. Et rurſus: Oleum autem peccatoris non impinguet Pſal.140
caput meum. Vnde & bene quidam ſapiens admonet: Multi ſint pacifici tui, conſiliarius autem ſit unus tibi de mille. Corrũpunt enim bonos mores colloquia mala. Antiquus enim hoſtis corroburum irrumpere nõ ualet, ſubiectas ei infirmas perſonas quærit, & quaſi contra alta mœnia ſcalis appoſitis aſcendit. Sic Adam per ſubiectam mu- Geneſ
lierem decepit. Sic beato Iob cùm filios occidit, infirmam mulierem reliquit, ut qui eius corpus per ſe minimè poterat, ſaltem ſi poſſet per mulieris uerba penetraret. Quicũq; ergo iuxta uos infirmi ac ſeculares ſunt, in ſua ſemper perſuaſione atq; adulatione frangantur, quia inde æternas dei inimicitias pariunt, unde ipſi peruerſi amatores uidentur. Certe olim clamabat per apoſtolũ Ioannẽ: Filioli, nouiſſima hora eſt, ſecundũ quod Chriſtus prædixit. Peſtilentia & gladius per mundũ ſæuit, gentes inſurgunt gẽtibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus ſuis terra dehiſcente ſorbetur. Omnia enim quæ prædicta ſunt, fiunt. Rex ſuperbiæ 1.Ioan.2

propẽ

propè est, & quod dici nephas est, sacerdotum est præparatus exitus: quia ceruici militãt elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiam si nostra lingua minimè contradicat, illius uirtus cõtra elationem in ultionem erigitur, qui superbiæ uitio per semet ipsum specialiter aduersatur. Hinc enim scriptum
Iacobi 4 est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hinc rursus dicitur: Immundus est apud
Eccls 10 deum qui exaltat cor. Hinc contra superbientem hominem scriptum est: Quid superbis terra & ci-
Luc 14.18 nis? Hinc per semetipsam ueritas dicit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quæ ut nos ad uiam uitæ per humilitatem reduceret, in semetipsa dignata est, quod nos admonet, demonstrare, dicẽs:
Matt.11 Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc nanque unigenitus dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc inuisibilis, non solum uisibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta tolerauit, ut superbum nõ esse hominem doceret humilis deus. Quanta igitur humilitatis uirtus est, propter quam solam ueraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionẽ mortis factus est paruus? Quia enim originem perditionis nostræ se præbuit superbia diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas dei. Hostis quippe noster inter omnia conditus, uideri supra omnia uoluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens supra omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Quid ergo nos episcopi dicimus, qui honoris locum ex redemptoris nostri humilitate suscepimus, & tamen superbiam hostis ipsius imitamur? Ecce nouimus creatorem nostrum de suæ celsitudinis culmine, ut humano generi daret gloriam, descendisse: & nos de infimis creati, de fratrum minoratione gloriamur. Humiliauit se usq; ad nostrum puluerem deus, & in cœlos os suum ponit, & super terram lingua pertransit pulvis humanus, & non erubescit: non metuit extolli homo putredo, & filius hominis uermis. Reducamus ad animum frater charissime hoc quod per
Eccli 32 sapientissimum Salomonem dicitur: Ante tonitruum præibit coruscatio, & ante ruinam exaltabitur cor. Vbi è diuerso subiungitur, ante gloriam humiliabitur. Humiliemur ergo mente, si ad solidam conamur uenire celsitudinem. Nequaquam per elationis fumum oculi cordis obscurentur: qui quãto magis excreuerit, tanto celerius euanescit. Pensemus quid nos præcepta admone-
Matt.5 ant redemptoris nostri dicentis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
Esa.66 Hinc etiam per prophetam dicit: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementẽ sermones meos? Certè cùm dominus ad humilitatis uiam adhuc infirmantia di-
Matt.20 scipulorum corda reduceret, dixit: Si quis uult in
Marci 10 ter uos primus esse, erit omniũ minimus. Qua in re apertè cognoscitur, quoniam ille ueraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur

A Formidemus ergo in illorum numerum adscribi, qui primas in synagogis cathedras quærunt, & sa Matt.23
lutationes in foro, & uocari ab homínib. Rabbi. Quo contra discipulis dominus dicit: Vos autem nolite uocari Rabbi. Vnus enim magister uester est, uos autem omnes fratres estis. Et patrem noli te uocare uobis super terram: unus est enim pater uester. Quid ergo frater charissime in illo terribili examine uenientis iudicis dicturus es, qui non solum pater, sed etiam generalis pater in mundo uocari appetis? Caueatur ergo malorum praua sug gestio, fugiatur omnis instigatio diaboli. Oportet Matt.18
quidem ut ueniant scandala: ueruntamen uæ homini illi per quem scandalum uenit. Ecce ex hoc
B nephando elationis uocabulo Ecclesia scinditur. Fratrum omnium corda ad scandalum prouocantur. Nunquid nam mente excidit, quod ueritas dicit: Qui scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundũ maris? Scriptum uerò est: Charitas non quærit quæ 1.Cor.13
sua sunt. Ecce uestra fraternitas sibi arrogat etiam aliena. Rursus scriptũ est: Honore inuicem præue Rom.12
nientes. Et tu conaris eum omnib. tollere, quem tibi illicitè desideras singulariter usurpare. Vbi est frater charissime quod scriptũ est: Pacem habete cum omnibus & sanctimoniã, sine qua nemo uidebit deum? Vbi est quod scriptũ est: Beati pacifi Matt.5
ci, quoniã filij dei uocabunt? Considerare nos cõ
C uenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinentur multi. Quod tamen si cõsiderare negligimus, contra tantæ elationis tumorem iudicia superna uigilabũt. Et nos quidem in quos talis tantaq; per ausum nepharium culpa committitur, seruamus quod ueritas præcepit: Si peccauerit in te frater tuus, uade, Matt.18
& corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ego itaque per responsales meos semel & bis uerbis humilibus hoc quod in tota
D Ecclesia peccatur, corripere studui, nunc per me scribo. Quicquid facere humiliter debui, non omisi. Sed quia in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere. Hæc itaque dicens: omnipotens Deus fraternitati uestræ indicet, quanto circa uos amore constringor: quantumq; in hac causa non cõtra uos, sed pro uobis lugeo. In qua tamen præceptis Euangelicis, institutionibus canonum, utilitatibus fratrum personam præponere non possum, nec eius quem multum amo. Scripta autem sanctitatis uestræ dulcissima atq; suauissima de causa presbyterorum Ioannis & Athanasii suscepi, de qua uobis in subsequentibus domino adiuuante respondebo: quia sub tantis tribulationibus circunfusus Barbarorũ gladijs premor, ut non dico multa tractare, sed mihi respirare uix liceat.

Gregorius Aniano diacono Constantinopolitano. De ſuperbia Ioannis epiſcopi uitanda. Caput LXXXIII

Epiſt. 39 DE cauſa fratris noſtri uiri reuerentiſſimi Ioannis epiſcopi Cõſtantinopolitani, duas epiſtolas facere uolui. Sed una breuiter facta eſt, quę utrunq; habere uidetur admixtum, id eſt, & rectitudinem, & blandimentũ. Tua itaq; dilectio eam epiſtolam quam nunc direxi, propter uolũtatem imperatoris dare ſtudeat. Nam de ſubſequenti talis alia tranſmittitur, de qua eius ſuperbia non lætetur. Ad hoc enim uſq; peruenit, ut ſub occaſione Ioannis presbyteri geſta huc tranſmitteret, in quibus ſe penè per omnem uerſum οἰκουμενικὸν patriarcham nominaret. Sed ſpero in omnipotentem deum, quia hypocriſim illius ſuperna maieſtas ſoluet. Miror autem quòd dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres domino imperatori perſuaderi: quatenus ad me ſua ſcripta de hac cauſa tranſmitteret, in quibus admonerer, ut cum eo pacem habere debuiſſem. Qui ſi iuſtitiam tenere uult, illum debuit admonere, ut ſe à ſuperbo uocabulo compeſceret, & protinus inter nos pax fieret. Tamen qua id calliditate à prædicto fratre noſtro Ioanne factum ſit, minimè, ſuſpicor, penſaſti. Idcirco enim hoc ille fecit, ut audiretur dominus imperator, & ille in ſua uanitate confirmatus eſſe uideretur: aut non à me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectam uiam tenemus, nihil in hac cauſa aliud niſi omnipotentem dominum metuentes. Vnde tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quæ in hoc ſeculo uidet alta eſſe contra ueritatem, pro ueritate deſpiciat: in omnipotentis dei gratia, atque beati Petri apoſtoli adiutorio confidat. Vocem ueritatis recolat dicentis: Ioan. 14 Maior eſt qui in cęlis eſt, quàm qui in mundo, & in hac cauſa quicquid agendum eſt, cum ſumma autthoritate agat. Poſtquam enim defendi ab inimicorum gladijs nullo modo poſſumus: poſtquam pro utilitate reipublicæ, argentum, aurum, mancipia, ueſtes perdidimus: nimis ignominioſum eſt, ut per eos etiam fidem perdamus. In iſto enim ſceleſto uocabulo conſentire, nihil eſt aliud quàm fidem perdere. Vnde ſicut tibi iam tranſactis epiſtolis ſcripſi, nunquam cum eo procedere præſumas.

Gregorius Theodoro medico. Gratias refert de pecunia pauperibus tranſmiſſa. Cap. LXXXIIII

Epiſt. 40 AGo omnipotenti deo gratias: quia eorũ qui ſe uiciſſim ueraciter diligunt, loca animum non diuidunt. Ecce enim dulciſſime & glorioſiſſime fili longè à uobis diſtamus corpore, & tamen præſentes uobis exiſtimus charitate. Hoc ueſtra opera, hoc ſcripta teſtantur, hoc de præſenti expertus ſum, hoc de abſenti ueſtra gloria recognoſco. Hoc uos & hominibus amabiles, & omnipotenti deo dignos in perpetuum faciat. Quia enim uirtutum mater eſt charitas, idcirco bonos operum fructus profertis, quia ipſam eorundem fructuum in mente radicem tenetis. Ea autẽ quæ in redemptionem captiuorum, deo uobis aſpirante tranſmiſiſtis, lætus, fateor, & triſtis accepi. Lætus uidelicet uobis, quos de præparãda manſione cœleſtis patriæ cogitare cognoui. Triſtis uerò uehementer mihi, qui ſuper curam rerum ſancti Petri apoſtoli, adhuc etiam de rebus dulciſſimi filij mei domini Theodori rationes poſiturus ſum: ſollicitè an negligenter eas expenderim, requirendus, uado. Omnipotens autem deus, qui menti ueſtræ ſuæ miſericordiæ uiſcera infudit, qui uobis ſollicitè cogitare conceſſit, hoc quod de ſaluatore noſtro per egregium prędicatorem dicitur: quia pro uobis egenus factus eſt, cùm diues eſſet, in eiuſdẽ 2. Cor. 8 ſaluatoris aduentu, uos uirtutibus diuites oſtendat, ab omni culpa liberos aſſiſtere faciat, & pro terrenis cœleſtia, pro tranſitorijs gaudia uobis æterna concedat. Hoc autẽ quod pro uobis agi apud ſacratiſſimũ corpus ſancti Petri apoſtoli ſcribitis, certũ tenete: quia & ſi lingua ueſtra taceat, fieri charitas ueſtra iubet. Sed utinam digni ſimꝰ, qui pro uobis orare debeamus. Quia uerò dignus ego non ſim, nõ ambigo. Sed multi hic digni ſunt, qui ex oblatione ueſtra ab hoſtibus redimuntur, & fideliter noſtro creatori deſeruiunt, de quibus hoc egiſtis quod ſcriptum eſt: Abſconde eleemoſynã in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Sed quia ille plus diligit, qui plus præſumit: erga dulciſſimam mentem glorioſiſſimi filij mei domini Theodori habeo aliquam querelam: quia donum ingenij, donum rerum, donum miſericordiæ atque charitatis à ſancta trinitate percepit, ſed tamen ſecularibus indeſinenter cauſis adſtringitur, aſſiduis proceſsionibus occupatur, & quotidie legere negligit uerba redemptoris ſui. Quid eſt autem ſcriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis dei ad creaturam ſuam? Et certè ſicubi eſſet gloria ueſtra alibi conſtituta, & ſcripta terreni iam imperatoris acciperet, non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi prius quid ſibi imperator terrenus ſcripſiſſet, agnouiſſet. Imperator cœli, dominus hominum & angelorum, pro uita tua tibi ſuas epiſtolas tranſmiſit, & tamen glorioſe fili eaſdem epiſtolas ardenter legere negligis. Stude ergo quæſo, & quotidie creatoris tui uerba meditare. Diſce cor dei in uerbis dei, ut ardentius ad æterna ſuſpires, ut mens ueſtra ad cœleſtia regna maiorib. deſiderijs accẽdatur. Tanto enim tunc maior ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris ſui requies nulla fuerit. Sed ad hæc agenda infundat uobis omnipotens Deus conſolatorem ſpiritum. Ipſe mentem ueſtram ſua præſentia impleat, & implendo leuet. De me autem cognoſcite, quia multas hic & innumeras amaritudines patior. Sed ago omnipotẽti deo gratias, quia minus affligor ualde quã mereor. Chariſſimum autẽ filium meũ ſuſceptũ ueſtrũ domnũ Narſetem gloriæ ueſtræ cõmendo. Quẽ quidem ſcio, commendatum in omnibus habetis, ſed facere uos rogo quod facitis: ut dũ peto quod fieri uideo, mercedi ueſtrę me petendo ſubiungam. Præterea excellentiæ ueſtræ benedictionem, ea qua tranſmiſſa eſt charitate ſuſcepi. Vnã uerò anatem

cum

cum duobus paruulis atticis pro uestri amoris gratia transmittere prǫsumpsi: ut quotiens ad respiciendum eam uester oculus ducitur, memoria etiã mei inter occupationes, tumultusq; causarum in animum uestrum reuocetur.

Gregorius Luminoso abbati monasterij sancti Thomæ de Ariminis. Scribit omnia grauamina à monasterio illius auferenda. Cap. LXXXV

Epist.41 PEtitionem tuam congregationisq; tuæ libenter suscepimus, secundum statuta iurisq; formam tuis precibus accommodantes effectũ. Castorio siquidẽ fratri & coepiscopo nostro, nostra præceptione transmissa est epistola, successoribusq; eius à te monasterioq; tuo cunctã læsionis funditus abstulimus potestatẽ, ut nec ultra in uestro uersẽ grauamine, nec monasterij res describantur, nec publica illic debeat esse processio, illa uidelicet ei iurisdictione relicta, ut in defuncti abbatis locum, alium quẽ dignum cõmunis consensus congregationis elegerit, debeat ordinare. His aũt ita perfectis, in dei opere estote solliciti, & assiduè operã orationi date, ne non uideat magis uobis quęsita mentis in oratione securitas, sed malè, q̃d absit, de gentib. episcopalis euitata districtio.

Gregorius Leontio episcopo uisitatori Ariminensis Ecclesiæ. De uisitatione Ariminensi melius procuranda. Cap. LXXXVI

Epist.42 CLero Ariminensis Ecclesiæ, cuius uisitatores, conquerente cõperimus, quòd remotis omnibus clericis, fraternitas tua hominib. sui patrimonij eius gubernationem, cęterasq; utilitates commiserit peragendas. Quod si ita est, querelam eiusdem cleri ineptam esse non credimus. Ea de re his te hortamur affatibus, ut omnia quæ ad suprascriptam Ecclesiã pertinent: per proprios eius homines, quos ipse prǫuideris, siue per diaconem latorem præsentium gubernari agiq; disponas, ut nulla eis aduersum te iusta murmurandi relinquatur occasio. Si uerò quędam de eis infidelitatis est fortasse suspitio, cum eis quoq; homines tuos in actione constitue, ut alterna erga se sollicitudine debeant esse custodes, rationes tibi modis omnibus posituri. Quicquid uerò redditibus Ecclesiæ ipsius accesserit, quatuor iuxta consuetudinem oportet fieri portiones, unam scilicet quæ clero præbenda sit, aliam quę pauperib. De reliquis aũt duabus partibus tres fieri uolumus. Vnam sartis tectis profuturam. Aliam pro sustentatione sua Castorio proprio episcopo dirigendam: reliquã tibimet retinendam. Si quis igitur in suprascriptæ Ecclesiæ clero dignus sit presbyter uel diaconus, siue in gradu alio ordinari, liberam habebis ex nostra authoritate cum promouendi licentiam. In lucrandis ergo animabus inuigila, circa cleri rectitudinem esto sollicitus. Vtilitates Ecclesiæ, cuius uisitationem geris, iniustè perire uel deteriorari nulla subiectione permittas: ne, quod absit, & apud deum perpetui labem periculi, & apud nos reatum culpæ possis incurrere. Comperimus præterea aliquid te annonæ de publico consequi, & hac ex re uerecundia comprimi, atq; in causis Ecclesiæ, uel defensione pauperum, ut congruit, non esse efficacem. Propterea abstinendum est ab hoc quod uerecundiam incutit, & stipendijs quæ de Ecclesia cõsequeris, debes esse cõtentus. Nam si aliter facere post nostram adhortationem uolueris, aliam de te æstimationem habebimus. Quippe qui cõmissos tibi auaritiæ militare doces, quos sufficientibus stipendijs instituis non esse contentos.

Gregorius Castorio episcopo Ariminensi. Vt Luminoso abbati, eiusq; monasterio nullam inquietudinem faciat. Cap. LXXXVII

LVminosus abbas monasterij sanctorum Andreæ & Thomæ, in Ariminensi ciuitate constituti, quas nobis lachrymabiliter preces effuderit, inditæ textus petitionis informat. Pro quare fraternitatem tuam hortamur, ut obeunte abbate monasterij ipsius, Ecclesia tua in describẽdis, prouidendisq; acquisitis acquirendis'ue eiusdem monasterij rebus nulla se occasione permisceat. Abbatem uerò eidem monasterio nõ alium, sed quẽ dignum moribus atq; actibus disciplinæ monasticæ communi consensu congregatio tota poposcerit, te uolumus ordinare. Missas autem illic publicas per episcopum fieri omnimodo prohibemus: ne in seruorum dei secessibus, popularibus occasio præbeatur ulla conuentibus, & simpliciores ex hoc animas plerunq; quod absit, in scandalum trahat frequentior quoque introitus muliebris. Hanc autem scriptorũ nostrorum paginam omni in futuro tempore à te uel post te episcopis ordinandis, firmam statuimus illibatamq; seruari, ut & tua Ecclesia iuuante domino suo tantummodo sit iure cõtenta, & monasterium illud nulli ulterius aliqua ratione generali canonicæ'ue iurisdictioni deseruiens, remotis uexationibus ac cunctis grauaminibus, diuinum opus cum summa animi deuotione perficiat. Epist.43 Cã 18. q. 2 Abbatem

Gesta synodi habitæ à beato Gregorio papa, tempore Mauricij Augusti, in urbe Romana. Caput LXXXVIII

REgnante in perpetuum domino nostro Iesu Christo: temporibus pijssimi ac serenissimi dominorũ Mauricij, Tiberij & Theodosij Augustorũ eiusdem domini, Imperio Mauricij anno tertiodecimo, indictione tertiadecima, quinto die mensis Iulij: Gregorius papa coram sanctissimo beati Petri corpore cum episcopis omnib. ac Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus diaconibus, & cuncto clero dixit. In sancta Romana Ecclesia, cui diuina dispensatio præesse meuoluit, dudum consuetudo est ualde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti, modulationi uocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumq; studium uacare congruebat. Vnde fit plerunq;, ut ad sacrum ministerium dum blanda uox quæritur, quæri congrua uita negligatur, & cantor minister deum moribus stimulet, cùm populum uocibus delectat. Qua in re præsenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare nõ debeant, solumq; lectionis Euangelicæ officium Epist.44

inter

inter missarum solennia exoluant: psalmos uerò ac reliquas lectiones censeo per subdiacones, uel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum uenire tentauerit, anathema sit, & omnes responderũt, anathema sit. Verecundum mos torporem indiscretionis inuoluit, ut huius sedis pontificib. ad secreta cubiculi seruitia laici pueri ac seculares obsequantur: & cùm pastoris uita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerunq; clerici qualis in secreto sit uita sui pontificis nesciũt, quam tamen, ut dictũ est, pueri sciunt seculares. De qua re præsenti decreto constituo, ut quidam ex clericis, uel etiam ex monachis electi, ministerio cubiculi põtificalis obsequantur: ut is qui in loco est regiminis, habeat testes tales, qui uitam eius in secreta conuersatione uideant, & ex uisione sedula exemplum profectus sumant. Consuetudo noua in Ecclesia hac, & ualde reprehensibilis erupit, ut cum rectores eius patrimonij urbana uel rustica prædia iuri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant: atque hoc quod competere pauperibus æstimant, non iudicio, sed manibus defendant. Et cùm per prædicatores suos ue-
Philip. 2 ritas dicat: Nihil per contentionem: etiam ipsum litigiosæ contentionis malum transcendũt: & res quælibet cùm æstimatur Ecclesiæ posse competere, per uim tenetur. Proinde præsenti decreto constituo: ut si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere siue in rustico, siue in urbano prædio sua sponte præsumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. Is autem qui Ecclesiæ præest, si hoc uel ipse fieri præceperit, uel sine sua præceptione factum digna punire animaduersione neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. Sicut indignos nos pro beati Petri apostoli reuerentia mens fidelium ueneratur, ita nostram infirmitatem decet semetipsam semper agnoscere, & impense sibi uenerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium, huius sedis rectoribus mos ultra meritum erupit: ut cũ eorum corpora humanda deferuntur, & hæc dalmaticis contegant, easdem dalmaticas pro sanctitatis reuerentia sibimet partiendas populus scindat: & cùm assint multa à sacris corporibus Apostolorum, martyrumq; uelamina, à peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reuerentia reseruatur: de qua re præsenti decreto constituo, ut feretrum quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine ueletur. Quam decreti mei curã gerere, sedis huius presbyteros ac diacones censeo. Si quis uerò ex eorum ordine hæc curare neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. Antiquã patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallij, neq; ex traditione chartarum, neq; ex ea quam noua per ambitionem simulatio inuenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit, Euangelicã lectionem minister legit, confirmationis aũt eius A epistolam notarius scribit: sicut pontificem non decet, manum quam imponit uendere: ita minister uel notarius non debet in ordinatione eius uocem suam, uel calamum uenundare. Pro ordinatione uerò uel pallio seu chartis atq; pastello, eundem qui ordinandus uel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, uel deferre forte præsumpserit, in districto dei omnipotentis examine reatu subiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neq; exactus, neq; petitus post acceptas chartas, & pallium aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantũmodo causa dare uoluerit: hoc accipi nullo mo
B do prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit. Multos de Ecclesiastica familia nouimus ad omnipotentis dei seruitium festinare, ut ab humana seruitute liberi, in diuino seruitio ualeant in monasterio conuersari: quod si passim dimittimus, omnibus fugiendi Ecclesiastici iuris dominiũ occasionem prębemus. Cùm uerò festinantes ab omnipotẽtis dei seruitio incautè retinem⁹, illi inuenimur negare quædam, qui dedit omnia. Vnde necesse, ut quisquis ex iuris Ecclesiastici seruitute, ad dei seruitiũ cõuerti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus: & si mores eius
C atq; conuersatio bono desiderio eius testimonium ferunt, absq; retractatione seruire in monasterio omnipotenti domino permittatur, & ab humano seruitio liber recedat, qui diuini obsequij districtiorem appetit seruitutem.

Subscriptio episcoporum.

GRegorius dei gratia episcopus his decretis subscripsit. Maurianus episcopus ciuitatis Rauennæ, subscripsit. Paulus episcopus ciuitatis Nepesinẽsis. Ioannes episcopus ciuitatis Surrentinæ. Gratianus ciuitatis Nomentumæ. Ioannes episcopus ciuitatis Falartinæ. Angelus episcopus ciuitatis Terracinensis. Romanus episcopus ciuitatis Blentanæ. Dominicus episcopus ciuitatis Centumcellensis. Pelagius episcopus ciuitatis Anagninæ. Felix episcopus ciuitatis Portuensis. Ioannes episcopus ciuitatis Viliternæ.
D Candidus episcopus ciuitatis Bulcinensis. Luminosus episcopus ciuitatis Ferentinæ. Baldinius episcopus ciuitatis Rosellas. Secundinus episcopus ciuitatis Tauromenię. Marcianus episcopus ciuitatis Ferensis. Homobonus episcopus ciuitatis Albanensis. Dominicus episcopus ciuitatis Vtriculanæ. Constantius episcopus ciuitatis Narnienſis. Fortunatus episcopus ciuitatis Neapolitanæ. Anastasius episcopus ciuitatis Tiburtinę. Proculus episcopus ciuitatis Prenestinæ.

Subscriptio presbyterorum.

LAurentius presbyter tituli sancti Syluestri subscripsit. Ioannes presbyter sancti Vitalis. Speciosus presbyter sancti Clementis. Deusdedit presbyter sancti Ioannis & Pauli. Andromachus presbyter Apostolorũ. Cræseus presbyter sancti Laurentij.

Laurentij. Rusticus presbyter sanctæ Susannæ. A Vilibus presbyter sancti Marcelli. Petrus presbyter sancti Iulij & Calixti. Spectatus presbyter sancti Vitalis. Stephanus presbyter sancti Martij. Felix presbyter sancti Sixti. Petrus presbyter sanctæ Balbinæ. Iustus presbyter sanctorum Nerei & Achillæi. Speciosus presbyter sancti Damasi. Maurus presbyter sanctæ Priscæ. Placidus presbyter sanctæ Balbinæ. Victor sanctæ Ceciliæ. Ioannes sancti Grisogoni. Auentius sanctæ Praxedis. Andreas sancti Marci. Ioannes sancti Ioannis & Pauli. Agapitus Apostolorum. Felix sanctæ Sabinæ. Bonus sancti Eusebij. Bassus sancti Prudentis. Ioannes sancti Syluestri. Albinus sanctorum Marcellini & Petri. Antonius sanctæ Balbinæ. Candidus sancti Clementis. Romanus sancti Marcelli. Leo sancti Damasi. Auentius sancti Quiriaci. Fortunatus sanctorum quatuor coronatorum.

Gregorius Andreæ scholastico.
De ordinatione Mariniani presbyteri ad episcopatum. Cap. LXXXIX

Epist.45 EXcellentissimi uiri domini patritij uoluntatem in persona Donati archidiaconi implere uoluimus: sed quia ualde periculosum est animæ temerè cuiquam manum imponere: curæ nobis fuit, uitam actusq; eius subtili inuestigatione discutere. Et quoniam multa inuenta sunt, sicut eidem domno patritio scripsimus: quæ eum procul ab episcopatu remouerent, dei iudicium metuentes in ordinando eo non præsumpsimus cõsentire. Sed nec Ioannem presbyterum psalmorũ nescium præsumpsimus ordinare, quia hæc eum res minus sui profecto habere studium demonstrabat. His igitur remotis, cum ad eligendum de suis ànobis partibus urgerentur, & nullum se habere ad hoc officium faterentur idoneũ, maiorq; nos una cum eis teneret afflictio: tandem uenerabilẽ fratrem presbyterũ Marinianũ, quẽ diu mecum didicere in monasterio conuersatũ, cõmuni concordantiq; uoce atq; consensu sæpius petiuerunt. Cui refugienti, diuersis modis uix aliquando potuit suaderi, ut eorum præberet petitioni consensum. Et quia bene nobis eius uita est cognita, atq; B in lucrandis animabus illum nouimus esse sollicitum, nullam in ordinatione ipsius moram attulimus. Gloria itaque uestra eum, sicut decet, suscipiat, nouitatiq; eius consolationis auxilium præbeat. Nam omnibus, sicut nostis, cuiuslibet officij ualde onerosa est nouitas. Ego autem magnã confidentiam habeo, quia omnipotẽs deus, qui eum dignatus est suo gregi præponere, & ad interiora illum curanda exacuet, & ad exteriora gerenda gratiæ suæ pietate confortabit. Sed quia post longa quietis otia, eius, ut prædiximus, nouitas proculdubio perturbatur: peto, ut cum uenerit tẽpestatum secularium procellas fugiẽs, semper apud uestram mentem portũ quietis inueniat, & de uestræ bono charitatis hilarescat. Quantum uerò uobis cum illo conuenire ualeat, citius cognoscetis, quia ad episcopatum uenit inuitus.

Gregorius Leandro episcopo Hispaniarum. De libris in expositionem beati Iob. Cap. XC

QVanto ardore uidere te sitiã, quia ualde me Epist.46 diligis, in tui tabulis cordis legis. Sed quia longo terrarum spatio dissunctum te uidere nequeo, unum quod mihi de te dictauit charitas, feci, ut librum regulæ pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi, & libros quos in expositionem beati Iob, iam dudum me fecisse cognouisti: sanctitati tuæ cum communi filio Probino presbytero uenienti transmitterem. Et tuæ quidem charitati in eo opere tertiæ & quartæ partis codices non transmisi, quia eos solummodo inuenio, quos ex eisdem partibus codices iam monasterijs B dedi. Hos itaq; sanctitas tua studiosè percurrat, & peccata mea studiosius defleat, ne mihi culpæ grauioris sit, quòd quasi scire uideor, quod agere prætermitto. In hac uerò Ecclesia quantis causarũ tumultibus premor: ipsa charitati tuæ epistolæ meæ breuitas innotescit, quando ei parũ, loquor quem magis omnibus diligo.

Gregorius nobilibus Syracusanis. De episcopo eis eligendo. Cap. XCI

LAudis uestræ testimonium, quam direxistis Epist.47 epistola, electionis uos onera sapienter decli nasse significat. Et quoniã nostro hoc arbitrio cõmisistis, ac multa bona de uenerandæ memoriæ quondam Maximiano episcopo referẽtes, talem uobis ordinari deposcitis, uos quidem sicut decet C fideles filios, facitis: quia hæc de digno sollicitoq; patre testamini, & obtrectantibus alijs bona ipsius etiam post obitum non tacetis. Vnde oramus omnipotentem dominum, ut & uobis pro sinceritatis uestræ uoluntate retribuat, & obloquẽtibus clementer ignoscat. Hoc tamen sciat magnitudo uestra: quia ciuitati illi quem dare possimus, Maximiano reuerentissimo similem non habemus. Sed quia à clero & plebe Ecclesiæ Syracusanæ Agatho, ab aliquibus autem alter eligitur, hunc qui à clero & plebe electus est, ad nos interim uenire necesse est: ut utrisq; cominus constitutis, ille qui deo placuerit, & utilior usus fuerit, ordinet. Nam desiderij nostri est, talem illic cum Christi gratia ordinari pontificem, qui bonorum supradicti episcopi cuius uos actionibus testimonium perhibetis, in omnibus debeat, deo adiutore, imitator existere.

Gregorius Ioanni abbati de Regio. De correctione monasterij sancti Andreæ. Cap. XCII

EA quæ ad correptionem religiosarum perti- Epist.48 nent personarum, nos præterire non decet, nec conuenit. Peruenit itaq; ad nos, in monasterio sancti Andreæ, quod iuxta Vulcanum est positũ, multa perpetrari facinora. Atq; ideo nostræ authoritatis præceptione suffultum, ad id te monasterium proficisci necesse est: & omnia quæ dicuntur, subtili inuestigatione discutere. Et si ita, quod absit, inueneris, sic in illos regulariter uindicabis, ut digna eos correctio à prauis & illicitis de cætero doceat actibus abstinere.

Gregorius Petro & Prudentio episcopis de Histria. Scribit de fide eis satisfacturum se. Cap. XCIII

Deus

Epiſt. 49

DEus qui lætatur in unitate fidelium, & reuelat quærentibus ueritatem, cordibus ueſtris dilectiſſimi fratres aperiat, quanto uos deſiderio in gremio cupiã ſanctæ uniuerſalis Eccleſiæ contineri, & in eius manere unitate cõcordes. Quod ſore non dubito, ſi abiecto contentionis ſtimulo, ſatisfieri uobis ueraciter de his de quibus eſt dubietas intendatis. Remeantis autem Caſtorij notarij mei relatione edoctus ſum, fraternitatem ueſtram ad me habere deſideriũ ueniendi, ſi promiſſum fuerit, quia nullam moleſtiã ſuſtinebit. Hoc ego cognoſcens, & opto, & ſuccenſus ardore charitatis inuito, ut ad me ueniẽdi debeatis laborem aſſumere: quatenus pariter conferentes, quæ uera & redemptori noſtro ſunt placita, & cõmuniter loquamur, & modis omnibus teneamus. Ego uerò diuinæ protectionis gratia ſuffragante, ſatisfacere uobis de quibus dubitatis paratus ſum, & cõfido de omnipotentis dei miſericordia, quòd ita uobis ſatisfactio mea interius inhærebit, ut nihil charitati ueſtræ de cætero poſſit ambiguũ remanere. Nam illa quæ ſanctiſſimæ quatuor ſynodi ſapuerunt atq; definierũt, ſicuti prædeceſſor noſter ſanctiſſimus Leo papa, ita ea & nos ſapimus, ſequimur ac tenemus, nec ab earum fide aliquo modo diſſentimus. Sed quia plus perſona præſens q̃ epiſtola ſatisfacit: hortor dilectiſſimi fratres, ut ad me uenire, ſicut præfat⁹ ſum debeatis: dummodo ratione percepta ad concordiam ſanctæ uniuerſalis Eccleſiæ diſſenſio uos nulla diſſociet. Hoc tamen certa ſit ueſtra charitas, quia uos & cum affectu quo decet ſuſcipiã, & cũ gratia relaxabo. Nec aliquam uos uel quoſcunque alios qui pro hac ad me cauſa uenire uoluerint, afflictionem uel moleſtiam ſuſtinere permitto. Sed ſeu ad conſuetudinem mihi cor ueſtrum miſericordia diuina compunxerit, ſiue, quod abſit, in ea uos durare diſſenſione contigerit, ad propria uos remeare quando uolueritis, iuxta promiſſionem meam ſine læſione, uel moleſtia relaxare curabimus.

Gregorius Ioanni epiſcopo Corinthiorum. De Anaſtaſio epiſcopo depoſito, & diacono eius. Cap. XCIIII

Epiſt. 50

AEquitatem atque ſollicitudinem Secundini fratris & coepiſcopi noſtri, quæ olim bene nobis eſt cognita, etiam ſeries iudicati & ſcriptorum ueſtrorũ monſtrauit. In qua re ualde placuit, lætoſq; nos reddidit: quia in cauſa Anaſtaſii quondam epiſcopi quam ei examinandã iniunximus, uigilantiã ſuam & diligenter exercuit, & cognita crimina, ut iuſtitia poſcebat & oportuit, uindicauit. Sed in his omnib. gratias omnipotẽti deo referimus, qui deſiſtentibus quibuſdam accuſatoribus, cognitioni eius ueritatem, ne tantorũ cauſa facinorum latere potuiſſet, oſtendit. Quoniam uerò in eadem ſententia in qua ſupraſcriptum Anaſtaſium iuſtè damnatum conſtat atq; depoſitum: ſic quaſdã ſupraſcriptus frater & coepiſcopus noſter ultus perſonas eſt, ut noſtro arbitrio reſeruaret: idcirco quid de eis tenendum ſeruãdumq; ſit, præſenti epiſtola perſpeximus. Paulum itaq; diaconem latorem præſentium, quanuis culpa ſua uehementer confundat atq; redarguat, quòd deceptus promiſſione, ab accuſatione nuper depoſiti quondam epiſcopi ſui deſtiterit, & cupiditatis ſtudio ſilere contra animam ſuam potius, q̃ prodere uera cõſenſerit: tamen quia plus eſſe cõuenit nos miſericordes quàm diſtrictos, hanc ei culpã ignoſcimus, atq; eum in ordine locoq; ſuo recipiendũ eſſe cenſemus. Nam ei à tempore prolatæ ſententiæ afflictionem quam pertulit, credimus ad uindictam huius poſſe culpæ ſufficere. Euthemium uerò atq; Thomam, qui pro deferenda accuſatione epiſcopi ſui ſacros ordines acceperunt, eiſdem ſacris priuatos ordinibus eſſe cenſemus: atq; ita ſicuti ſunt depoſiti, uolumus permanere, nec unq̃ eos ſub qualibet excuſationis ſpecie ſacros in ordines reuocari decernimus. Nam nimis indignũ, & contra Eccleſiaſticæ regulam diſciplinæ eſt, ut honore quem non ex meritis, ſed pro ſceleris præmio perceperũt, fungantur. Quia tamen plus miſericordiæ, quàm diſtrictæ nos conuenit operam dare iuſtitiæ: eoſdem Euthemium atq; Thomam in ordine locoq; tantummodo, unde ad ordines ſacros promoti fuerant uolumus reuocari, & cunctis diebus uitæ ſuæ eorundem locorũ continentiam ſicut conſueuerant, ante percipiant. Clematium uerò lectorem ſimili benignitatis intuitu, in ordinem locumq; ſuum reuocandum eſſe conſtituo. Quibus & omnibus, id eſt, Paulo diacono, Euthemio, Thomę atq; Clematio cõmoda ſua ſecundum locũ & ordinem in quo quiſq; eorũ eſt, ſicut ſolitus erat accipere, à præſenti tertiadecima indictiõe ueſtra fraternitas ſine aliqua ſtudeat imminutione præbere. Quia igitur ſupraſcriptus Paulus diaconus multa ſe, p utilitate Eccleſiæ ueſtræ memorat expendiſſe, & ut ea poſſit recipere, fraternitatis ueſtræ ſolatio deſiderat adiuuari: hortamur, ut ſi ita eſt, omni ei poſſibilitate ad recipienda quæ dedit, debeatis concurrere, atq; ueſtris eum auxilijs adiuuare: quia nulla ratio patit̃, ut in his quæ pro utilitate generalitatis impendit, aliquod ſuſtineat iniuſtè diſpendium. Præterea tres libras auri quas imminente ſupraſcripto fratre & coepiſcopo noſtro Secundino, eundem Paulum diaconem pro utilitate ueſtræ dediſſe conſtat Eccleſiæ, fraternitas ueſtra eas ceſſante dilatione reſtituat: ne, quod abſit, non rationabiliter, ſed ſola eum grauare uoluntate tantummodo uideatur.

Cã. 2. q. 3 Paulum

Cã. 2. q. 3 Euthemi

Menſe Auguſto. Indictione decimatertia. Gregorius Virgilio epiſcopo Arelatenſi. De uſu pallij, & de ſacris ordinibus per uenalitatẽ nõ dandis, & de ſimoniaca hæreſi cõdemnanda. Ca. XCV

Epiſt. 9

OQuàm bona eſt charitas, quæ abſentia per imaginẽ, pręſentia ſibimetipſis exhibet per amorem: diuiſa unit, cõfuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſummat. Quã rectè prædicator egregius uinculum perfectionis uocat, quia uirtutes quidem cæteræ perfectionem generent, ſed tamen eas charitas etiã ligat, ut ab amãtis mente diſſolui iam nequeant. Hac itaque uirtute frater chariſſime plenum te eſſe reperio, ſicut mihi de te

de te,& hi qui ex Gallicanis partibus ueniunt, & epistolę tuæ ad me directę uerba testantur. Quod uerò in eis iuxta antiquum morem, usum pallij, ac uices sedis apostolicæ postulasti: absit, ne aut transitorię potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum in uicibus nostris ac pallio quæ sisse te suspicer. Sed quia cunctis liquet, unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cùm priscam consuetudinem sedis Apostolicæ fraternitas uestra repetit, quid aliud quàm bona soboles ad sinum matris Ecclesiæ recurrit? Libenti ergo animo postulata cõcedimus, ne aut uobis quic quam de debito honore subtrahere, aut præcellentissimi filij nostri Childeberti regis petitionẽ contempsisse uideamur. Sed iam nunc studio maiori res indiget, ut cùm honor crescit, etiam sollicitudo proficiat, & erga cæterorum custodiam uigilantia excrescat: uitæ quoque merita subiectis in exemplum ueniant, & nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cœlestis patriæ uestra fraternitas acquirat. Nostis eñ quid beatus Apo-
Philip.2 stolus gemens dicat: Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Christi Iesu. Quibusdam nanque narrantibus agnoui, quòd in Galliarum uel Germaniæ partibus nullus ad sacrum ordinẽ sine commodi datione perueniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio: quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio quid redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum, cathedras uendentium columbas euer-
Matt.21 tit. Columbas enim uendere, est de spiritu sancto, quem deus omnipotẽs consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi malo iam innuitur quid sequatur. Quia qui in templo dei columbas uendere præsumpserunt, eorũ deo iudice cathedræ ceciderunt, qui uidelicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoq; qui precio ad sacrum ordinem perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice uitiatus patior est alijs uenũdare quod emit. Vbi est quod
Matt.10 scriptum est: Gratis accepistis, gratis date? Et cùm primum simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta: cur nõ perpenditur, cur non uidetur, quia eum quem quis cum precio ordinat, prouehendo agit ut hæreticus fiat? Alia quoque nobis res est ualde detestabilis nunciata: quòd quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis defunctis episcopis tonsurantur, & fiunt subitò sacerdotes. Qua in re iam notum est qualis ad sacerdotium uenerit, qui repente de laico habitu ad sacrum transit ducatum. Et qui miles nunquam extitit, dux religiosorum fieri non pertimescit. Quam iste suã prædicationem habiturus est, qui fortasse nunquam audiuit alienam? Aut quando aliena mala corrigat, qui necdum sua fleuit? Et cùm ad sacros ordines Paulus apostolus neophitum uenire prohibeat, sciendum nobis est, quia si
Dist.77. 4 Sicut cut neophitus tunc uocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide; ita nũc inter neophitos deputamus, qui adhuc nouus est in sancta conuersatione. Scimus autem quòd ædificati parietes non prius tignorũ pondus accipiũt, nisi à nouitatis suæ humore siccentur: ne si ante pondera quàm solidantur accipiunt, cuncta simul fabricam ad terram deponant. Et cùm ad ædificium arbusta succidimus, ut prius uiriditatis humor exiccari debeatur, expectamus: ne si eis adhuc recentibus fabricę pondus imponitur, ex ipsa nouitate curuentur, & confracta citius corruant, quæ immaturè in altum leuata uidebantur. Cur ergo hoc non subtiliter in hominibus custoditur, quod in lignis quoq; ac lapidibus tanta consideratione perpẽditur? Qua de re necesse est, ut uestra fraternitas præcellentissimum filium nostrum Childebertũ regem admonere studeat, ut huius peccati maculam à regno suo funditus repellat: quatenus omnipotens deus tanto illi apud se maiora retribuat, quanto eum cõspicit, & amare quod ipse diligit, & euitare quod odit. Itaq; fraternitati uestræ uices nostras in Ecclesiis quæ sub regno sunt præcellẽtissimi filij nostri Childeberti, iuxta antiquũ morem deo authore committimus. Singulis siquidem metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore seruato, palliũ quoq; transmisimus, quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola missarum solennia utatur. Sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere fortè uoluerit, sine tuæ sanctitatis authoritate ei ad loca alia transire non liceat. Si qua uerò inquisitio de fide, uel fortasse aliarũ rerum inter episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis uentiletur atq; decidatur. Si aũt decidi nequiuerit, discussa ueritate ad nostrũ iudiciũ referatur. Omnipotens aũt deus sua uos protectiõe custodiat, honoremq; perceptum uos in moribus seruare concedet.

Parte.1.dist. 100. Palliũ

Gregorius uniuersis episcopis Galliarũ. De Virgilio eis prælato, & de synodo. Cap. XCVI

Epist.52 Parte.1.dist. 89.Ad hoc

ADhoc diuinæ dispensationis prouisio, gradus diuersos & ordines cõstituit esse distinctos: ut dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, uera cõcordię fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neq; enim uniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eã differentiæ ordo seruaret. Quia uerò quæq; creatura in una eademq; qualitate gubernari uel uiuere non potest, cœlestium militiarũ exemplar nos instruit: quia dum sunt angeli, sunt archangeli: liquet quòd non æquales sunt, sed in potestate & ordine, sicut nostis, differunt unus ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt, istam constat esse distinctionem: quis hominum abnuat huic se dispositioni libenter submittere, cui nouit etiam angelos obedire? Hinc etenim pax & charitas mutua se uice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna & deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur unũquodq; tunc salubriter completur officium: cùm fuerit unus ad quem possit

recurrí præpositus, idcirco opportunum esse per A
spexímus, in Ecclesiis quæ sub regno præcellentíssimi filij nostri Childeberti regis sunt, secundū antiquam cōsuetudinē fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis episcopo uices nostras tríbuere: quatenus & catholicæ fidei integritas, id est, sanctarum quatuor synodorum, deo protegente, sollicita deuotione seruetur: & si inter fratres, consacerdotesq; nostros aliqua euenerit fortè contentio, authoritatis suæ uigore, uicibus nempe sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione cōpescat. Cui etiam iniunximus, ut si quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit: congregatis sibi in numero competenti fratribus, & coepiscopis nostris, sa B
lubriter hoc seruata æquitate discutiat, & canonica integritate definiat. Si quā uerò cōtentionē, q̄d longe faciat diuina potentia, de fidei causa euenire cōtigerit, aut negotiū emerserit cuius uehemēs sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio sedis Apostolicæ indigeat: examinata diligentius ueritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem: quatenus à nobis ualeat congrua sine dubio sententia terminari. Et quoniā necesse est, ut ad eū cui nostras uices iniūximus, quotiens oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis debeant episcopi tēporibus conuenire: hortamur, ut nullus mandatis eius inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quem C
piam fortasse uetuerit, aut cuiusquam eum causæ iusta excusatio minimè uenire permiserit. Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in synodū cōuenire, loco suo presbyterū aut diaconē dirigant: quatenus quæ à nostro uicario deo auxiliante fuerint definita, ad eum qui absens est, per ipsum quem miserit, fida relatiōe perueniant: ut inconcussa firmitate seruentē, & nullius ea quæ constituerit, audeat occasionis excusatio uiolare. Hoc etiam uos pariter præuidimus admonendos ut nullus uestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris & coepiscopi nostri Virgilij authoritate tentet aliquo modo proficisci: scientes quia & prędecessorum nostrorum qui uices suas eius prædecessoribus commiserunt, sic proculdubio man D
data definiunt. Hortamur præterea, ut de officio suo sit quisq; uestrum sollicitus, ut qui promissam cupit mercedē pastionis accipere, cōmissum sibi gregē sollicitudine & oratiōe custodiat, ne lupus insidians oues creditas inuadendo dilaniet, & sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur fratres charissimi, & totis omnipotentem dominū precibus exoramus, ut dilectionē uestrā in amoris sui cōstantia faciat magis magisq; feruescere, atq; in pace Ecclesiæ, & in una uos cōcedat manere cōcordia. Nunciatū uerò nobis est, q̄ per simoniacā hæresim ad sacros quidā ordines adducant: & hoc suprascripto fratri & coepiscopo nostro Virgilio per omnia prohibendū mādauim⁹: q̄ ut uestra fraternitas recognoscat, & studiose custodiat, & ipsa corā uobis est epistola relegenda.

Gregorius Childeberto regi Francorum.
De multis rebus corrigendis in regno eius.
Caput XCVII

LÆtos nos excellentiæ uestrę uehementer se Epist.ij
cit epistola, quæ pia uos affectione de honore & reuerentia sacerdotali testatur esse sollicitos. Hinc etenim cunctis ostenditis fideles dei uos esse cultores, dum sacerdotes ipsius grata ac debita ueneratiōe diligitis, & Christiana deuotione quicquid ad eorum augmentum pertinet, agere festinatis. Vnde & gratāter quę scripsistis, accepimus, & quæ uoluistis, animo libenti concessimus: atq; ideo fratri nostro Virgilio Arelatēsis ciuitatis episcopo, uices nostras iuxta antiquum morem, & excellentiæ uestræ desiderium deo fauente commisimus: cui etiam & pallij usum sicut prisca habuit consuetudo, concessimus. Sed quia aliqua ad nos perlata sunt, quæ & omnipotentem deum nimis offendunt, & quam plurimum sacerdotij honorē reuerentiamq; confundunt: quæ sumus, ut potestatis uestræ annuente cēsura, modis omnibus emendentur. ne dum laudandæ deuotioni uestræ res temerariæ ac peruersę repugnant: aliorum, quod absit, culpa aut regnum uestrum grauetur, aut anima. Peruenit autem ad nos, obeuntibus episcopis quosdam ex laicis tonsurari, atq; ad episcopatum præcipiti saltu conscendere. Et qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur. Et quoniam quod possit docere, non didicit, sacerdotium tātummodo gerit in nomine: nam laicus in sermone pristino perseuerat & opere. Quomodo ergo pro aliorū peccatis intercessurus est, qui sua primitus non defleuit? Talis enim pastor non munit gregem, sed decipit: quia dum contradicente uerecundia, non potest alijs hoc quod ipse non facit persuadere: quid est aliud nisi ut plebs dominica prædonibus populanda remaneat, & inde sumat interitum, unde salutiferæ protectionis magnum debuit habere subsidiū? Quod quam prauum sit, quàm peruersum, ex sua quoq; ordinatione excellentiæ uestræ celsitudo perpendat. Certū nanq; est: non uos antè exercitui ducem præponere, nisi uobis labor eius fidesq; probata constiterit, nisi eum anteactæ uitæ uirtus & sollicitudo aptum esse monstrauerit. Si uerò non alijs, nisi huiusmodi uiris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum, ex istius bene rei comparatione colligitur. Sed uerecundum nobis est, & dicere pudet: quia ducatum sibi sacerdotes arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non uiderunt. Simul autem & illud ualde execrandum nobis est nunciatum: quòd sacri ordines per simoniacam hæresim, id est, accepto precio conferantur. Et quia pestiferum nimis est, & sanctæ Ecclesiæ uniuersali contrarium, in sacrum quempiam ordinem non meritis, sed precio collocari: hortamur ut tam detestabile facinus de regno suo excellentia uestra prohiberi præcipiat. Nam ipse se ad hoc officium ostēdit prorsus indignum, qui donum dei pecunia mercari non metuit: & commodis præsumit appetere, quod habere per grati

am non

am non meretur. Hæc igitur præcellentissime fili idcirco admoneo, quia animam uestrã saluari desidero. Quæ etiam dudum scribere uolui, si uoluntatem meã innumerę occupationes minimè prępedissent. At postquam se congruum rescribendi tempus ingessit, quod facere me oportuit nõ omisi. Salutantes itaq; excellentiam uestram, paternæ charitatis affectu petimus, ut cuncta quæ suprascripto fratri & coepiscopo nostro fieri, seruariq; mandauimus, fauoris uestri præsidio compleantur: nec cuiusquam ea aliquo modo elatione aut superbia conuelli permittatis. Sed sicut per prædecessores eius singulos in patris uestri regno seruata sunt, ita quoq; auxilio uestro sollicita & modò deuotione seruẽtur. Oportebit ergo ut hoc nobis uicariè rependatur: & sicut nos uestram implere non distulimus uoluntatem, ita & uos propter deum, & beatum Petrum Apostolorum principem nostra faciatis in omnibus seruari statuta: quatenus excellentiæ uestræ laudabilis, & deo placita se circunquaq; tendat opinio.

Gregorius Martiniano episcopo Rauennæ.
De usu pallij ei concesso. Cap. XCVIII

Epist. 54 APostolicæ sedis beneuolentia, & antiquæ consuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ quam in Rauennati Ecclesia gubernationis suscepisse constat officium, pallij usum præuidimus concedendum. Quo non aliter te uti memineris, nisi in propria tuæ ciuitatis dimissis iam filijs Ecclesia procedens à salutatorio ad sacra missarum solennia celebranda: peractis ergo missis, id in salutatorio rursum curabis deponere. Extra Ecclesiam uerò non amplius illo tibi, nisi quater in anno, in letanijs quas ad decessorem tuum Ioannem expressimus, uti permittimus, hoc nihilominus admonentes, ut sicut à nobis huiusmodi doris usum ad sacerdotalis officij honorem largiente domino percepisti, ita etiam morũ atq; actuum probitate ad Christi gloriam susceptũ adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris in uicem decore conspicuus: si ad huiusmodi corporis habitum, mentis quoq; tuæ bona concordent. Omnia etiam priuilegia quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra authoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

Gregorius Ioanni episcopo Corinthiorum.
Quomodo gregem dei gubernare debeat.
Caput XCIX

Epist. 55 POstquam deus noster, cui nihil occultum est, de Ecclesiæ suæ gubernatione nephandam pollutionis pestem abijciens, uos ad eius uoluit regimen adducere, magna uobis præcauendum est prouisione, ut post uulnera & diuersa prioris mali pastoris contagia, in fraternitate uestra grex dominicus consolationem ac salubre medicamentũ inueniat. Sic ergo precedentis contagij maculam manus uestræ actionis abstergat, ut nulla execrãdæ prauitatis illius uestigia, nullam sinat manere memoriam. Sit igitur erga subiectos sollicitudo laudabilis. Exhibeatur cum mansuetudine disciplina. Sit cum discretiõe correptio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat: & ita alterum condiatur ex altero, ut nec immoderata ultio plusquam oportet, affligat, nec iterum frangat rectitudinem disciplinæ remissio. Instructio commissi populi, fraternitatis uestræ sit actio. Videat in uobis quod diligat, cernat quod imitari festinet. Exemplo uestro uiuere doceatur. A recto itinere te duce non deuiet, ad deum uos sequendo perueniat: ut tot ab humani generis saluatore retributiones accipias, quot lucra ei operatus fueris animarum. Labora itaq; frater charissime, & ita togam mentis & cordis ad hoc efficaciam dirige: quatenus dignè merearis in futuro audire: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui. Pallium uerò sicut per epistolam uestram, quam per Andream fratrem & coepiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus: quo ita uos, ut necesse est, sicut prædecessores uestri usi, concedentibus nostris prædecessoribus, approbant. Præterea peruenit ad nos, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat. Quod si ita est, flens dico, gemẽs denuncio: quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoq; diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euãgelio, quid redẽptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus templũ cathedras uẽdentium colũbas euertit. Colũbas eñ uẽdere, est de sancto spiritu, quẽ deus omnipotens consubstãtialem sibi per impositionem manuũ hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo ut prædixi, malo iam innuitur quid sequatur: quia qui in templo dei columbas uendere præsumpserunt, horum deo iudice cathedræ ceciderunt. Qui uidelicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoq; qui ad sacrum ordinẽ perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice uitiatus, paratior est alijs uenundare quod emit. Et ubi est quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date? Et cùm primum simoniaca hæresis sit exorta contra sanctam Ecclesiam: cur non perpenditur, cur nõ uidetur, quia eum quem quis cum precio ordinat, prouehẽdo agit ut hæreticus fiat? Quia ergo hanc nephandissimam prauitatem sancta uniuersalis omnino damnat Ecclesia: hortamur fraternitatem uestram, ut tam detestabile, & tam immane peccatum de locis omnibus quæ sub se sunt, sollicitudinis suæ modis omnibus compescat instantia. Nam si quid tale aliquid deinceps fieri senserimus, iam nõ uerbis, sed canonica hoc ultione corrigemus: & de uobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere iudicium. Nouit autem fraternitas uestra: quia prius pallium nisi dato commodo non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus beati Petri Apostolorum principis, tam de hoc, quàm de ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictiõe uetuimus. Oportet ergo ut neq; per commodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis, uel permittatis adduci. Nam est peccatum, sicut diximus, graue, & sine correptione hoc non patimur remanere. Suprascriptum uerò Andream fratrem, & coepisco-

Luc. 19

Matt. 21

Matt. 19

Parte. 1. dist. 100. Nouit Cã. 1. q. 1. De ordinationibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

piscopum nostrũ ob hoc tardè suscepimus, quia renunciante fratre & coepiscopo nostro Secundino, didicimus epistolas nostras sibi eum in Ioannis Larissæi episcopi executiõe finxisse. Et nisi bona uestra nobis quæ audiuimus suasissent, nulla illum habuimus ratione suscipere.

Gregorius uniuersis episcopis per Helladam prouinciã cõstitutis. Vt nullũ per præmium ordinent. Pariterq; exponit, quòd dominus cathedras colũbas uendentium euertit. Cap. CX

Epist.56 GRatias omnipotẽti deo uobiscũ fratres charissimi refero, qui latens uulnus quod antiquus hostis intulerat, ad omnium fecit peruenire notitiam, & de Ecclesiæ suæ corpore salutifera illud incisione compescuit. Ex qua re & gaudendũ nobis est, & dolendum. Gaudendum quippe de correctione facinoris, dolendum uerò de casu fratris. Sed quoniam plerunq; alterius casus, alterius solet esse cautela: quo quisq; timet cadere, attendat: aditum hosti non præbeat, non putet latere
Matt.10 quod agitur, nam ueritas clamat, Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Hæc etenim uox actioni nostrę iam preco est & ipso teste modis omnibus adducitur ad publicum, quod agitur in secreto. Aut quis actus suos ante illum nitatur abscondere, qui eorum & testis & iudex est? Quia uerò nonnunquam dum aliud attenditur, aliud non cauetur, oportet ut contra omnes hostis insidias quisq; debeat esse sollicitus ne dum in uno uincit, superetur in altero. Nam & terrenus hostis, qui munita loca cupit inuadere, pugnandi arte sic uritur. Latenter quidem ponit insidias, & ad unius loci se expugnationem totus ostendit, ut dum ad defensionem loci illius ubi infestat periculum conuenitur, loca alia de quibus nulla est suspitio capiantur. Et euenit, ut qui cognitus resistẽtis uirtute repulsus est, latẽs obtineat quod certando non potuit. Sed quia in his omnibus diuinæ protectionis auxilio opus est, uoce cordis
Psal.39 singuli clamemus ad dominum, dicentes: Domine, ne longè facias auxilium tuum à me, ad defensionem meam respice. Manifestum nanque est, quia nisi ipse auxiliatus fuerit, & ad se clamantes defenderit, hostis noster uinci non poterit. Præterea epistolam charitatis uestræ per Andream fratrem, & coepiscopum nostrum suscipiens, pallium Ioanni fratri nostro Corinthiorum episcopo nos transmisisse cognoscite: cui uos magnopere conuenit obedire, præsertim dum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat, & bona eius quibus ipsi testimonium perhibetis, inuitent. Qui
Cã.1.q.1. Quibusdã busdam nanq; narrantibus agnoui, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat. Quod si ita est, flens dico, gemensq; denuncio, quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoq; diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euãgelio, quid redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus in templũ, cathedras uendentium columbas euertit. Colum
Matt.21 bas quippe uendere, est de sancto spiritu, quem sibi consubstantialem deus omnipotens per impositionem manuum hominibus tribuit commodũ temporale percipere, ex quo, ut prædixi, innuitur quid sequatur: quia qui in templo dei colũbas uendere præsumpserunt, eorum deo iudice cathedræ ceciderunt. Qui uidelicet error in subditis cũ augmento propagatur. Nam ipse quoq; qui ad sacrũ ordinem perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice uitiatus, paratior est aliis uendere quod emit. Et ubi est quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date? Et cùm primò contra sanctam Ecclesiam
Matt.10 simoniaca hæresis sit exorta: cur non perpenditur cur non uidetur, quia eum quem quis cum precio ordinat, prouehẽdo agit ut hæreticus fiat? Ide oq; hortamur, ut nullus uestrum denuo hoc fieri patiatur, sed neq; gratia alicuius, neq; supplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promouere, nisi eum quem uitæ & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstrauerit. Nam si aliter factum denuo senserimus, districta ac canonica illud noueritis ultione compesci.

Finit liber iiij. secundũ cõputationẽ Gratiani.

LIBER QVINTVS

Incipiũt epist. Indictionis xiiij ex Registro beati Gregorij papæ, huius nominis primi.

Gregorius Marciano episcopo Rauennæ, De testamento à Ioanne episcopo condito. Cap. CXI

Epist.1 SIcut iniusta poscentibus nullus est tribuẽdus effectus, ita legitima desiderantium non est differenda petitio. Presbyteri igitur ac diacones atq; clerus fraternitatis uestræ oblata nobis petitione conquesti sunt, Ioannem quondam decessorem tuum condito testamento diuersa in Ecclesiæ suæ grauamina conscripsisse. Et petiuerunt ut hæc in damnum Ecclesiæ, prohibente quippe lege, nulla deberent occasione persolui. Et quamuis postquam hæreditas illius, successioq; repudiata est: ad hæc te satisfacienda ratio nulla constringat, ueruntamen ex abundãti his te hortamur affatibus: ut ea quæ de Ecclesia sua, uel de acquisitis in episcopatu rebus contra legum fieri statuta dispoſuit fraternitas uestra nec authoritatem præbeat, nec aliqua ratione consentiat. Si quid autem de propriis rebus quas ante episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ suæ non contulit, fieri uoluit uel decreuit, firmum per omnia robur obtinere necesse est: nec quisquam Ecclesiasticorum id contra rationem tentet qualibet excusatione conuellere. Quia uero dum uiueret, sæpius à nobis expetijt, ut ea quæ in monasterio illo contulerat, quod iuxta Ecclesiam sancti Apollinaris ipse construxerat, nostra debuissemus authoritate firmare, & nos facturos hoc esse promisimus, fraternitatem uestram necessario duximus adhortandam, ut nihil de his quæ illic contulit atq; constituit, aliquo modo patiat imminui, sed omnia firma studeat stabilitate seruari. Huius igit monasterij &
Cã.12.q1. Quia uerò

ri & collectarū illic rerū: quia in testamēto quod condidit fecisse noscitur mentionē: sciendū uobis est non ea nos ideo confirmasse, quoniā suprema eius sequimur uolūtatem, sed quia ei hoc, sicut diximus, uiuenti promisimus. Hæc itaq; sic sollicitè fraternitas uestra implere festinet, quatenꝰ & quæ in suprascripto monasterio constituit, & à nobis sunt firmata, seruentē: & illa quæ in damnū dari uel fieri per testamentū suę decreuit ecclesię, nullam, prohibente nempe lege, obtineant firmitatem.

Gregorius clero & plebi Ecclesiæ Rauennæ. De Maximiano episc. quòd rectæ fidei sit. Cap. CII

Epist. 2 PEruenit ad nos, quosdā homines maligni spiritus instigatione persuasos, erga opinionem fratris & coepiscopi nostri Maximiani mentes uestras corrumpere falsa locutione uoluisse, dicētes quòd idē frater noster minus cꝭ decet sanctā Chalcedonensem synodum uenereť. De qua re omnibus uobis & ipse præsens de integritate suæ fidei satisfaciat, & nos per omnia testamur eum à cunabulis in sanctæ uniuersalis Ecclesiæ gremio nutritum, rectā prædicationē fidei cum uitæ suę attestatione tenuisse. Venerať enim sanctā Nicenā synodum, in qua Arius: Constantinopolitanā in qua Macedonius: Ephesianam primam, in qua Nestorius atque Dioscorus: & sanctam Chalcedonensem synodum, in qua Euthices damnatus est. Si quis autem contra harum quatuor synodorum fidem, & contra sanctæ memoriæ Leonis papæ tomum atque definitionem aliquid unquam loqui præsumat, anathema sit. Proinde satisfactionem plenissimam recipientes, charitate integra, puro corde, pastorem uestrum diligite, ut apud deum purius fusa eiusdem uobis ualeat prodesse intercessio pastoris.

Gregorius Maximiano præsumptori Ecclesiæ Salonitanæ. Quòd per simoniacam hæresim ordinatus est. Cap. CIII

Epist. 3 QVotiens contra Ecclesiasticā quid gestum dicitur disciplinam, ne nos ante deum culpa ex dissimulatione redarguat, irrequisitum hoc relinquere non audemus. Peruenit itaq; ad nos, quòd per simoniacam hæresim fueris ordinatus. Sed & alia de te multa hic dicta sunt, de quibus unum quàm maximè fuit, propter quod necesse habuimus te summopere per scripta nostra prohibere ne missarum solennia celebrare debuisses: donec quid esset, uerius potuissemus addiscere. Ne ergo filij Ecclesiæ diu uideantur non habere pastorem, & ne per hæc quæ dicuntur, si indiscussa remanserint, huiusmodi se uitium tendat in plurimos, hortamur ut ad nos uenire omni postposita excusatione festines: quatenus seruata iustitia, hæc & cognoscere & finire secundum canonica instituta Christo reuelāte possimus. Ita autem fac, ut ad ueniendum amplius iam moras nō ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur assignet, & nos in te hæc res non solum propter dicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpā durius, scilicet ut in contumacē, cogat ex concilio ferre iudiciū.

Gregorius Cypriano diacono. Præcipit modios tritici pauperibus erogare duo milia. Cap. CIIII

ZEnon frater, & coepiscopus noster quosdā Epist. 4 in ciuitate sua alimoniarū necessitatem innotuit sustinere: quibus quoniam, ut possibile est, aliquod desideramus ferre consultum: idcirco dilectionem tuā antedicto fratri & coepiscopo nostro mille modios tritici, aut si plus leuare potuerit, usq; ad duo milia scriptis te dare præsentib. deputamus. Hortamur igitur, ut in his præbendis nullam moram aut excusationem adducas: quatenus dum tempus sinit, & hic cum dei adiutorio sine periculo ad propria remeare, & citius ualeat necessitatem patientibus subuenire.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. Candidum presbyterum rectorem patrimonii commendat. Cap. CV

EXcellentiæ uestræ prædicandam ac deo placitam bonitatē, & gubernacula regni testantur, & educatio filij manifestat. Cui non solum incolumem rerum temporaliū gloriam prouida sollicitudine conseruastis, uerumetiam æternæ uitæ præmia prouidistis, dum mentem ipsius in radicem ueræ fidei materna, ut decuit, & laudabili institutione plantastis. Vnde non immerito contigit, ut cuncta gentium regna præcelleret: quippe qui earundem gentiū creatorem & purè colit, & ueraciter confitetur. Sed ut laudabilius in eo fides cum operib. enitescat, adhortationis uestræ eum uerba succendāt: quatenus sicut sublimem illum inter homines potentia regalis ostendit, ita ante deum magnum faciat pietas actionis. Quia uerò multarum rerū experimenta nos admonent de excellentiæ uestræ Christianitate confidere: idcirco paterno salutantes affectu, quæsumus, ut propter amorem beati Petri Apostolorum principis, quem toto uos scimus corde diligere: dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterū præsentium portitorem, unà cum patrimoniolo, ad cuius eum gubernationem transmisimus, auxilij uestri patrocinio foueatis: quatenus potestatis uestræ gratia roboratus, patrimoniolū ipsum quod pauperum constat expensis proficere, & salubriter regere, & si qua exinde ablata sunt, uestro fultus auxilio diligenter inquirere, & deo propitio in pristinum possit reformare statum. Ad ipsius uerò patrimonioli regimen proprius Ecclesiæ homo transmissus est. Excellentia ergo uestra ita se libenter in his quæ poscimus dignetur impendere, ut beatus Petrus Apostolorum princeps, cui à domino Iesu Christo ligandi ac soluendi data est potestas, & hic excellentiam uestram in sobole gaudere concedat, & post multorum annorum curricula à malis omnibus absolutā ante conspectum æterni faciat iudicis inueniri.

Gregorius Childeberto regi Frācorum. Candidū presbyterum commendat. Cap. CVI

QVanto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni uestri profectò culmen excellit. Esse aūt regē, quia sunt & alij, non mirū est, sed esse catholicum, Epist. 6

quod alij non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit, ita fidei uestrę claritas inter aliarum gentiū obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quicquid autem reges se cæteri gloriant habere, habetis. Sed ipsi in hac re uehementius superantur, quoniā hoc principale bonum non habēt quod habetis. Vt ergo sicut fide, ita & actione uincātur, benignā se excellentia uestra suis subiectis semper exhibeat. Et si qua sunt quæ eius animum offendere ualeāt, ea indiscussa non sinat. Tunc enim uerè regi regum, id est, omnipotenti domino amplius placebit, si potestatē suam restringens, minus sibi crediderit licere q̄ potest. Quia igit̄ sinceritatē fidei, & mēte seruatis & opere, beati Petri Apostolorū principis amor, qui in uobis est, euidenter ostendit, cuius res sub Christianæ religionis intuitu sub uestri culminis potestate bene hactenus gubernatæ & conseruatæ sunt. Sed quoniam Dinamius patricius, qui ex nostra cōmendatione rebus ipsis sollicitudinem impēdebat, eas modo gubernare, ut cognouim⁹, non potest: ne patrimoniolum ibidem constitutū faciente negligentia deperiret, idcirco præsentiū portitorem dilectissimū filium nostrū Candidum presbyterū ad id gubernandū transmisimus, quē excellentiæ uestræ, præmissa paterna charitate salutationis alloquio in omnibus cōmendamus: petentes ut si aliquod illic fortassē præiudiciū factū est, aut res eiusdē patrimonioli ab aliquo detinentur, potestatis uestræ iustitia corrigatur, & iuri pristino quę ablata sunt, reformentur: quatenus sicut fides uestra, ita & æquitas omnib. quod est ualde glorioſum atq; laudabile, gentibus enitescat. Claues præterea sancti Petri in quibus de uinculis catenarū eius inclusum est, excellentiæ uestræ direximus, quæ collo uestro suspensæ à malis uos omnibus tueantur.

A B C

Gregorius Theodoro & Demetrio, Philippo, Zenoni, & Alcissono episcopis Epiri. De ordinatione Andreæ episcopi. De usu Pallij, & quid sit in templo dei columbas uendere. Cap. CVII.

Epist. 7 Scriptorū uestrorū insinuatio, fratres charissimi, patefecit Andreā fratrem nostrū Nicomeditanæ ciuitatis episcopū deo propitio solenniter ordinatū. Cuius quoniā cōsecrationē cleri & prouincialium prouenisse significatis assensu, gaudemus, atq; bona quæ de ipso testamini, ut in eo maneant, & dei gratia cooperante augmentū accipiant, exoramus: quia bonitas præpositorū, salus est utiq; subditorū. Oportet ergo ut ea quæ in persona ipsius placere uobis laudantes ostendistis, imitari studiosius festinetis. Nā & apud homines culpa, & apud deum pœna est nolle quenquā bonū imitari quod placet. Testimonio itaq; uestro obedientia fidem accōmodet, nullus ei in his quæ integritate seruata Ecclesiæ pro cōmuni utilitate iunxerit, contradicat. Deuotionem suā quisq; uestrum libenter exhibeat, ut dum deo placita inter uos sacerdotalis fuerit & nō ficta concordia, nulla uos à charitatis mutuę uinculo inuidia dissoluere ualeat aut turbare diuersitas. Nec enim callido hosti in cordib. uestris ullus erit accessus: quoniā scit se nullatenus nec capi posse nec recipi, ubi plenè sincereq; locum charitas inuenerit. Estote præterea solliciti fratres charissimi, & cōmisso gregi uigilantiā quam suscepistis, ut debetis, impendite: inimici fraudib. sollicitudine & oratione resistite, & obedite incontaminata fide, deo nostro cui prę estis populum resignate, ut officiū uobis sacerdotale ante conspectū æterni iudicis non ad pœnā, sed proficiat ad coronā. Suprascripto igit̄ Andreę fratri & coepiscopo nostro pallium nos direxisse agnoscite, atq; priuilegia atq; cūcta cōcessisse quæ prædecessores nostri eius prædecessorib. contule re. Præterea peruenit ad nos, q̄ sacri ordines in illis partib. cum datione cōmodi conferant. Quod si ita est, flens dico, gemensq; denuncio, quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoq; diu stare nō poterit. Scim⁹ quippe ex Euangelio quid redēptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus tēplū cathedras uēdentiū colūbas euertit, Colūbas em̄ uendere, est de spiritu sancto, quē Deus omnipotens cōsubstātialem sibi per impositionē manuū hominib. tribuit cōmodum tēporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo iam innuit̄ quid sequat̄: quia qui in templo dei columbas uendere præsumpserunt, eorū, deo iudice, cathedrę cecidерunt. Qui uidelicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam eoipso q̄ quisq; ad sacrū ordinem perducit̄, iam in ipsa prouectus sui radice uitiatus, paratus est alijs uendere quod emit. Et ubi est quod scriptū est: Gratis accepistis, gratis date? Et cùm prima cōtra sanctā Ecclesiā simoniaca hæresis orta sit: cur non perpendit̄, cur non uidetur, quia eum quē quis cum precio ordinat, prouehendo agit ut hæretic⁹ fiat? Pro qua re admoneo atq; cōtestor, ut omnino debeatis esse solliciti, ut nihil sibi cōmodi datio, nil gratia, nil quarumlibet supplicatio personarū in sacris ordinibus uendicet. Sed ille ad hoc officiū perducat̄, quē morū grauitas cōmendat & actio. Nam si, quod nō credim⁹, fieri tale aliquid senserimus, canonica illud, ut dignum est, seueritate corrigemus. Deus aūt omnipotens qui sapientiæ suæ potestate cuncta mirabiliter ordinat, & misericorditer ordinata custodit: ipse uobis & uelle tribuat, & operari q̄d precipit.

D

Cā. 1. q. 1 Quibus dā

Mar. 11

Mat. 10

Gregorius Maximiano episcopo Rauennæ. De usu pallij. Cap. CVIII.

Epist. 1 Apostolicæ sedis beneuolentia atq; antiquæ consuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ quam in Messanensis Ecclesiæ gubernatione susceptisse constat officium, pallij usum præuidimus concedendum, illis uidelicet temporibus atq; ordine, quibus decessorem quoq; tuum esse usum nō ambigimus: hoc nihilominus admonentes, ut sicut à nobis huiuscemodi decoris usum ad sacerdotalis officij honorem accepisse te gaudes ita etiam morū atq; actuū probitate ad gloriam in Christo nostram, susceptum adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huiuscemodi corporis habitum

mentis

mentis quoq; tuæ bona concordent omnia. Omnia enim priuilegia quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra authoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

Gregorius Bonifacio episcopo Regitano, ubi ei Carinensem commungit Ecclesiam. Cap. CIX

Epist. 9 POstquam Ecclesiæ Carinēsis, defuncto eius antistite, alium ordinari, nec loci desertio, nec sinit imminutio personarum, maiori cura cōstringimur, ne defunctis earum sacerdotibus, cōsistentes ibidem si pastoris fuerint moderamine destituti, per inuia fidei hostis callidi rapiantur insidijs. Sed hoc nostro sedet cordi cōsilium, tuæ eam sollicitudini debere cōmitti, quod facere per præsentia scripta perspeximus. Cuius ut curam gubernationemq; studiosius habere gererecq; festines, tuæ B eam Ecclesiæ aggregari unirique censemus, quatenus utrarūq; Ecclesiarum sacerdos recte Christo adiutore possis existere, & quæq; tibi de eius patrimonio uel cleri ordinatione ac canonica uigilanti uisa fuerint cura disponere: quippe ut sacerdos proprius, liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiam. Quapropter frater charissime, dominicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in cōmissæ plebis regimine, lucrandisq; animabus inuigila, ut ante tribunal æterni iudicis cōstitutus, fructum bonæ operationis, quod ad mercedem tuam pertineat, redemptori nostro, in quo lætari possit, exhibeas.

Gregorius Candido presbytero eunti ad patrimonium Galliæ. Patrimonium sancti Petri cōmendat in Gallijs. Cap. CX

C Epist. 10 PErgens auxiliante domino deo nostro Iesu Christo ad patrimonium quod est in Gallijs gubernandum, uolumus ut dilectio tua ex solidis quos acceperit, uestimenta pauperum, uel pueros Anglos qui ab annis decem & septem uel decem & octo sunt in monasterijs dati, ut deo proficiant comparet, quatenus solidi Galliarum qui in terra nostra expendi non possunt, apud locū proprium utiliter expēdantur. Si quid uero de pecunijs reddituum quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris, ex his quoq; uestimenta pauperum comparare te uolumus, uel, sicut præfati sumus, pueros qui in omnipotentis dei seruitio proficiant. Sed quia Pagani sunt qui illic inueniri possunt, uolo ut cū eis presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis con- D tingat in uia, ut quos morituros conspexerit, debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, ut hęc diligenter implere festinet.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De Gratiano diacono, & cura pastorali. Cap. CXI

Epist. 11 Parte 1 Afric. 71 Fraternitatem FRaternitatē tuam à nobis petisse recolimus, ut Gratianū Ecclesiæ Benephranæ diaconē tuæ concederemus Ecclesiæ ordinandum. Et quoniam nec episcopū cui obsecūdare, nec propriam habet Ecclesiā, hoste scilicet prohibēte, quo suum debeat ministeriū exhibere, petitionē tuam non præuidimus differendam, idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus cōcedendum, habituro licentiā diaconū illū nostra interuenien te autoritate Ecclesiæ tuæ deo propitio constitue re cardinalē. Quia uero peruenit ad nos, clericos aliasq; ciuitatis ac parochiæ tuæ religiosas personas ab alijs conueniri, fieri hoc de cætero prohibemus, & neq; clericum tuum, et neq; monachū, uel quamlibet ciuitatis aliam religiosam personā parochiæ tuæ cōueniri à quoq;, uel ad alterius uolumus iudiciū exhiberi. Sed si quis contra huiusmodi personas cuiuslibet negotij mouere uoluerit quæstionē, fraternitatē tuam nouerit adeundam. Aut si forte, ut assolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata suspitio, & electorū desiderauerit fortasse iudicium, sub tua executione eligendi fas habeant cognitores, quatenus hoc modo nec tu amisisse iurisdictionē, nec actor apud suspectū litigando uideatur præiudicium sustinere. Hoc enim seruandum & Anthemio subdiacono nos præcepisse cognosce. Oportet ergo ut fraternitas tua erga monasteria ciuitatis, parochiæq; suæ omnes subiectos pastorali cura diligenter inuigilet, & de uita actuq; eorum sit omnino sollicita, ut sicut nos hęc tibi priuilegia seruare dinoscimur, ita & tu uigilātiam tuam in cunctis, ut decet, solerter exhibeas, quatenus in nulla re possis de neglectu reprehensibilis inueniri. Porrò autē si tu, quod non opinamur, dissimulandū putaueris, rectori patrimonij Ecclesiæ nostræ, qui illic est, uel fuerit cōstitutus, noueris esse licentiam, ut quod sponte postponis, eius facere instātia modis omnibus urgearis. Sed & illud studere te conuenit, ut hi qui contra quoslibet iurisdictioni tuæ suppositos causam habuerint, nullis apud fraternitatem tuam frustratorijs debeant dilationibus lacessiri, ne ad fatigationem & damnum ulterius hæc tibi seruasse priuilegia uideamur.

Gregorius Montano & Thomæ. Libertatem per testamentum dat. Cap. CXII

Epist. 12 Cā. 12. q. 2 Cùm redemptor CVm redemptor noster totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam uoluerit carnem assumere, ut diuinitatis suę gratia diruptoquo tenebamur captiui uinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati: salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium iugo substituit seruitutis, in ea natura in qua nati fuerāt, manumittētis beneficio, libertati reddantur. Atq; ideo pietatis intuitu, & huius rei consideratione permoti, nos Montanum atq; Thomam famulos sanctæ Romanę Ecclesiæ, cui, deo adiutore, deseruimus, liberos ex hac die ciuesq; Romanos efficimus, omneq; uestrū uobis relaxamus seruitutis peculiū. Et quia tu Montane animos ad conuersionē fateris appulisse monachicam: idcirco duas uncias quas tibi quondam Gaudiosus presbyter per supremæ suæ uoluntatis arbitriū institutionis modo noscit reliquisse, hac die tibi donamus atq; cōcedimus, omnia scilicet monasterio sancti Laurētij, cui Cōstātia abbatissa præest, in quo cōuerti deo miserāte festinas, modis omnibus, pfutura. Si quid uero de rebº suprascripti Gaudiosi te aliquo modo celasse cōstiterit, id totū Ecclesiæ nostrę iuri sine dubio mācipet. Tibi autē suprascripto Thomæ, quē pro libertatis tuę cumulo etiam

lo etiam inter notarios uolumus militare, quinc̄ uncias quas præfatus Gaudioſus presbyter per ultimam uoluntatem hæreditario tibi nomine dereliquit,ſimul & ſponſalia quę matri tuæ conſcripſerat:ſimiliter hac die per huius manumiſſionis paginam donamus atq; cōcedimus, ea ſanè lege atq; conditione ſubnexa,ut ſi ſine filijs legitimis, hoc eſt de legitimo ſuſceptis coniugio te obire cōtigerit,omnia quæ tibi conceſſimus,ad ius ſanctæ Romanæ Eccleſię ſine diminutione aliqua reuertantur.Si autem filios de coniugio,ſicut diximus,cognitos lege ſuſceperis, eosq; ſuperſtites reliqueris, earundem te rerum dominū ſine quadam ſtatuimus conditione perſiſtere,& teſtamenti de his faciendi liberam tibi tribuimus poteſtatem. Hæc igitur quæ per huius manumiſſionis chartulā ſtatuimus atq; cōceſſimus,nos ſucceſſoresq; noſtros
Cā.25.q.1 Iuſtitiæ ſine aliqua ſcitote refragatione ſeruare.Nam iuſtitiæ ac rationis ordo ſuadet,ut qui ſua à ſucceſſoribus deſiderant mandata ſeruari,deceſſoris ſui pro culdubio uoluntatem & ſtatuta cuſtodiant.Hanc autem manumiſſionis paginam Paterio notario ſcribēdam dictauimus,& propria manu unà cum tribus presbyteris prioribus,& tribus diaconibus pro pleniſſima firmitate ſubſcripſimus, uobisq; tradidimus.Actum in urbe Romana.

Gregorius Cypriano diacono rectori Siciliæ.
De ordinando epiſcopo Lilibitanæ Eccleſiæ.
Caput CXIII

Epiſt.13 Lilibitanæ clerus Eccleſiæ huc pro ordinando ſibi ueniens ſacerdote,licentiam eis de requirēdo ſibi epiſcopo nos dediſſe cognoſcas.Qui reperientes Decium Forenſem presbyterum ſibi, eum conſecrari multis precibus popoſcerūt,quorum petitionem neceſſarium duximus adimplere,& ideo dilectio tua in omnibus ei ſolatiari non negligat, ut quia Theodorus quondam eiuſdem Eccleſiæ epiſcopus dereliquit plurima quæ emendari debeāt,tuo in omnibus adiutus auxilio,duntaxat æquitate ſeruata, à cauſarū inquietudinibus liberior,in dei laudibus poſſit exiſtere.

Gregorius Narſi Comiti.
De Pelagiana hæreſi. De anima Adæ in peccato mortua. De ſynodo Epheſiana, & de cauſa Ioannis presbyteri. Cap. CXIIII

Epiſt.14 CHaritas ueſtra ſollicitudinem noſtrę opinionis habens, ſcribere ſtuduit quid de illo codice qui contra Athanaſium presbyterum tranſmiſſus eſt, ſenſit.Quem nos ex parte aliqua ſubtiliter percurrētes,in Manichæi inuenimus dogma cecidiſſe.Sed is qui loca aliqua eſſe hęretica ſigno contrapoſito oſtendit, ipſe quoq; in Pelagianam hæreſim labitur, quia quædam loca catholicè dicta,& omnino orthodoxa,uelut hęretica annotauit.Hoc enim ubi ſcriptum eſt,quia cùm peccauit Adam, eius eſt anima mortua, qualiter mortuam dixerit,inferius oſtendit, quia ſtatus ſui beatitudinem amiſit. Hoc quiſquis negat, catholicus non
Gene.2 eſt. Deus autem dixerat: Qua hora comederitis, morte moriemini.Cùm ergo comedit de ligno uetito Adam,quia in corpore mortuus non eſt, nouimus,quia poſt hoc filios genuit,atq; annis multis uixit. Si itaq; in anima mortuus non eſt, quod dici nephas eſt,ipſe mentitus eſt, qui hunc prædixit die qua peccaſſet,moriturum.Sed ſciendū eſt, quia mors duobus accidit modis, aut abſentia uiuendi, aut à qualitate uiuendi. In hoc ergo quòd comedendo uetitum eius anima dicitur mortua, non abſentia uiuendi, ſed à qualitate uiuendi,ut poſtmodum uiueret in pœna, qui ad hoc creatus fuerat,ut beatè uiueret in lætitia. Hunc ergo locū qui in eodem codice qui mihi à fratre meo Ioanne epiſcopo tranſmiſſus eſt, annotauit hæreticū, Pelagianus eſt,quia ſententia iſta euidenter Pelagij eſt.Quam Paulus apoſtolus apertè in ſuis epiſtolis deſtruxit.Quæ loca epiſtolarum eius ſingula dicere prętermitto,quia ſciēti loquor. Pelagius uero qui in Epheſina ſynodo damnatus eſt, ea intentione hoc dixit, ut oſtenderet nos à Chriſto ua cuè redemptos. Si enim nos per Adam in anima mortui non ſumus,quod dicere nephas eſt,uacuè redempti ſumus.Epheſinam autem ſynodum perſcrutantes,de Adelfio & Saua,& cæteris alijs, qui illic dicuntur eſſe damnati, omnino nihil inuenimus, & exiſtimamus, quia ſicut Chalcedonenſis ſynodus in uno loco ab Eccleſia Conſtantinopolitana falſata eſt,ſic aliquid in Epheſina ſynodo factum eſt. Charitas ergo ueſtra uetuſtos omino codices eiuſdem ſynodi requirat, & illic inde uideat ſi quid tale inuenitur, mihiq; eundē codicē quem inuenerit,tranſmittat:quē mox ut legero,retranſmitto.Nouis enim codicibus paſſim non credat, ex qua re dubius factus ſum, & nihil adhuc uolui de hac cauſa prædicto fratri meo Ioanni epiſcopo reſcribere. Romani autem codices multo ueriores ſunt quàm Græci,quia noſtri ſicut non acumina,ita nec impoſturas habēt. De Ioāne uero preſbytero cognoſcite, quia illius cauſa per ſynodum deciſa eſt,in qua apertè cognoui,quia eius aduerſarij eum facere hæreticum uolebant,& diu conati ſunt,ſed minimè potuerunt. Veſtros qui noſtri ſunt,mea uice ſalutate,et noſtri qui ueſtri ſunt,per me uos multum ſalutant.Omnipotens deus ſua te manu inter tot ſpinas ꝓtegat, ut eos illæſus, quos dominus elegit,flores decerpas.

Gregorius Ioanni epiſcopo Cōſtantinopolitano.
De Ioanne presbytero iniuſtè damnato. Ca. CXV

Epiſt.15 SIcut hæreticorū prauitas zelo rectæ fidei comprimenda,ita ueræ confeſſionis eſt integritas amplectenda. Nam ſi credi fideliter cōfitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atq; errores ex incauta generant diſtrictione mortiferi. Et hinc non ſolum errantes oues ad caulas minimè dominicas reuocantur, ſed etiā intrò poſitæ ferinis dentibus laniādæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo frater ſanctiſſime ſubtiliter perpendamus,& ſub prætextu hæreſis affligi quempiam ueraciter profitentē fidē catholicā non ſinamus: ne,quod abſit,hereſim fieri ſub emendationis magis ſpecie permittamus. Valde aūt mirati ſumus, cur hi qui in cauſa fidei iudices cōtra Ioannē Chalcedonenſis Eccleſiæ presbyterum, à uobis fuerant deputati, negligentes ueritatem, opinioni credide-

crediderint, & credere districtè profitenti noluerint, maximè cùm accusatores ipsius Marcianistarum, quam cõmemorabant, hæresim, unde eum reum molie bantur efficere, interrogati quæ esset, nescire se manifesta professione responderũt. Ex qua re euidẽter agnoscitur, quia personam ipsius sine dei respectu non iustè, sed cõtra animas suas sola grauare uoluntate tantummodo uoluerint. Nos itaq; facto concilio, sicut gestorum apud nos habitorũ tenor ostendit, cuncta quæ erant necessaria subtiliter perscrutãtes ac tractãtes, quoniam in nullo antedictũ presbyterũ, reũ inuenire potuimus, præcipuè quia libellus quem delegatis à uobis iudicibus obtulit, rectæ fidei per omnia sinceritati concordat, eapropter eorundẽ iudicũ reprobantes sententiã, nostra eum diffinitione catholicum, & ab omni hęretico crimine liberũ esse Christi dei redẽptoris nostri misericordia & gratia reuelante denunciamus. Quẽ quoniã ad uestrã trãsmissimus sanctitatẽ, oportet ut eũ, sicut se cunctis exhibet, benignè suscipiat, & charitatẽ illi sacerdotalẽ impendat, atq; à cuncta eum inquietudine tueatur, nec quenq; se in eius molestia occupare permittat, sed sicut alios ab oppressione defendis, ita huic uestra subtrahere solatia non debetis.

Gregorius Mauricio Augusto.
De Ioanne presbytero recipiẽdo iniustè damnato.
Caput CXVI

Epitus

CVm sincera in uobis Christianissime princi pum uelut emissum celeriter iubar fidei rectitudo resplendeat, cumq; notũ sit omnibus fere nitatẽ uestram, quę deo pollet propitio, integram professionem uehementer amplecti, & toto corde diligere, necessariũ esse ualde perspexim⁹ pro his quos una eademq; fides illustrat, suggerendo deposcere, quatinus dominorũ pietas sua eos gratia protegat, & ab omni molestia tueatur. Quorũ dum confessionem quidam despiciunt, ueræ fidei contradicere uidentur. Nam cùm oris confessionem fieri clamet Apostolus ad salutem, qui rectæ confessioni credere non consentit, in eo quod alium improbat, se accusat. Relatis igitur in concilio quæ contra Ioannem Chalcedonensis presbyterũ Ecclesiæ acta sunt, simul & serie iudicati, maiorem illum iniustitiam sustinuisse cognouimus: quippe quem clamantem se atq; monstrantem catholicum esse non reatus culpa, sed diu accusatio incerta contriuit. Intantũ, quia accusatores ipsius, Marcianistarũ quã cõmemorabant hęresim se nescire aperta respõsione professi sunt. Et qui illico in ipso fuerant iudicij limine repellendi, in accusatione eius permanere incerti permissi sunt: sed ne dicta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellũ fidei protulit, in quo se patenter ostendere fidei rectæ professorẽ studuit & sequacẽ. Sed hunc à sanctissimo Ioanne fratre & coepiscopo nostro iudices deputati, iniustè ac irrationabiliter negligentes, dum in eius se nituntur occupare grauamine, se potius reprehensibiles ostẽderunt. Nam nullus ambigit, infidelitatẽ esse, fidem fidelibus non habere. Quia ergo omnibus subtiliter rimatis atque tractatis, catholicũ suprascriptũ Ioannẽ presbyterum sancti cõcilij mecum definitio diuinæ potentiæ reuelante gratia declarauit, nec quædã in ipso hæreticæ macula prauitatis inuenta est: obsecro, ut pia serenitatis uestræ protectio illæsum illũ ab omni molestia seruari p̃cipiat, nec catholicæ fidei confessorem aliquam sinat inquietudinẽ sustinere. Nam ueraciter confitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere. Quod si licuerit, surgit infidelitatis occasio, et ipsi in eas in quas incautè uolunt euadere, culpas incunũt. Hæc igitur serenissimus dominus pia prouidentia consideret, & sicut popposci profusis iterum precibus rogo, ut affligi denuo innocentem uelut obnoxiũ non permittat, quatinus deus omnipotens qui placitam sibi catholicæ rectitudinis integritatẽ clemẽtiam uestram amare cernit atq; defendere, & hic deuictis hostibus pacatæ uos imperare reipublicæ, & cum sanctis suis in æterna faciat uita regnare.

Gregorius Theotisto cognato imperatoris.
Cõmendat Ioannem presbyterum iniustè damnatum. Cap. CXVII

SCimus excellentiæ uestræ Christianitatẽ bonis intẽtã semper esse operib⁹, & idcirco mercedis uobis causam qua nos diligere certum est, prouidemus, ut nos uestris meritis prouidendo iungamur. Indicamus itaq; uobis Ioannẽ presbyterum latorem præsentiũ liberũ ab his quibus accusatus fuerat extitisse. Cuius fidem facto cõcilio subtili examinatione, ut petijt, perscrutãtes, nullam in eo culpam prauæ confessionis inuenimus. Sed quia rectæ fidei deo miserẽte professor ac cultor apparuit, nostra eũ diffinitiõe absoluimus. Præsertim cũ accusatores ipsius, quæ esset Marcianistarũ quã cõmemorabant, hæresim se nescire professi sunt. Eapropter paterno salutantes affectu quæsumus, ut fauoris uestri eũ gratia tueri dignemini. Et ne quisq; illũ frustra post hoc uelit affligere, aut aliquã ei pro hac re quolibet modo molestiam irrogare, ita eum excellentiæ uestræ defensio cõtra hæc instãtius pro sua mercede protegat ac defendat, ut nec hũc amplius tribulatio iniusta cõsumat, & eius uobis uicẽ humani generis conditor ac redemptor quem sincera confessione colitis, inter bona plurima quæ agitis, recompenset.

Epist.17

Mense Octobri. Indictione xiiij.
Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
De usu pallij. Cap. CXVIII

APostolicæ sedis beneuolẽtia, & antiquæ cõ suetudinis ordine, uocati, fraternitati tuæ, quam in Syracusana Ecclesia gubernationis officium constat suscepisse, pallij usum prouidimus concedendum, illis uidelicet temporibus atq; eo ordine quibus decessorẽ tuum usum esse non ambigis, hoc nihilominus admonentes, ut sicut à nobis huius pallij usum ad sacerdotalis officij honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atq; actuum probitate ad gloriam in Christo nostrã susceptũ adornare contendas officiũ. Sic enim alterno eris inuicẽ honore cõspicuus, si ad huius corporis habitũ mens quoq; tua concordet. Omnia enim

Epist.18

enim priuilegia quæ tuæ pridem conceſſa eſſe cõ- A ſtat Eccleſiæ, noſtra authoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

Gregorius Dominico epiſcopo Aphricano ſcribit, petens pro ſe orari. Cap. CXIX

Epiſt.19 EPiſtolarum ueſtrarum plena ſacerdotali charitate elocutio, ita ſanctitatẽ ueſtram memoriter noſtris facit mentibus inhęrere, ut non creda tur abeſſe corpore, quippe quę per affectum ſemper manet in corde. Vt ergo hæc quam ad alterutrum habemus dilectio, cœleſtium nobis cõmodum acquirat gaudiorum, noſtri ſimus inuicem adiutores, & auxiliũ nobis orationis mutuæ porrigamus, quatinus diuina miſericordia clementiæ ſuæ nobis dono concedat, & prædicare quod di- B ligit, & ſequi hoc quod per nos prædicare conceſſit. Sicq; officij noſtri miniſteriũ pietatis ſuæ protectione diſponat, ut fructũ de creditis eidem uenienti domino reportemus, & ad futura æquitatis præmia cum aliorum lucro eius adiuuante gra

Iacobi 5 tia perducamur. Quia uero ſcriptũ eſt: Orate pro inuicem ut ſaluemini, ut ad hæc peruenire merea mur, & me pro uobis apud ſacratiſſimũ beati Petri apoſtolorum principis corpus, & uos pro me apud ſanctum Cyprianum martyrẽ orationibus decet incumbere. Preces etenim noſtræ tanto celerius in dominicæ pietatis aurem ſubleuantur, quanto eas uiciſſim pro nobis fuſas charitatis ardor exacuit. Sed quia ſanctitas ueſtra nudis me uerbis alloqui recuſat, epiſtolis quoq; xenia con- C iunxit. Quæ nos cum gratiarum actione ſuſcepimus, ſed tamen plus mentis ueſtræ affectu, quam rerum copia delectamur.

Gregorius Cypriano diacono.
Præcipit adiutorium impendere Ioanni epiſcopo. Cap. CXX

Epiſt.20 SIcut dilectio tua ſtudioſe laborauit pro perſona fratris & coepiſcopi noſtri Ioannis, ut in Syracuſana Eccleſia autore deo debuiſſet ordinari: ita nunc neceſſe eſt ut per dilectionis tuæ ſtudia ei quoq; regiminis ſolatia miniſtrẽtur. Quendam enim presbyterum propriũ habuiſſe ſe perhibet, qui tamen à fratre & coepiſcopo noſtro Leone in Catinẽſi Eccleſia dicitur ordinatus: & quia in no- uam Eccleſiam uadit, & ſuos illic proprios homi- D nes habere neceſſe eſt, ut cùm cauſarum tumultibus premitur, in ſecreto ſuo inueniat ubi requieſcat, prædicto fratri & coepiſcopo noſtro Leoni blandè & leniter perſuadere debes, ut ei præfatũ presbyterũ cedere debeat, ne quẽ tam benignus ad ordinãdũ ceſſit, ordinatũ deſtituere fortaſſe uideatur. Sed ſicut idẽ frater & coepiſcopus noſter Ioannes, quantũ ego in eius mente didici, eius ſe eſſe archidiaconũ, nec ob epiſcopatũ ſuſceptũ ob liuiſcitur, ita eum ſæpefatus frater & coepiſcopus noſter Leo ſuũ propriũ debet attendere, & non ſolum de unius perſona presbyteri, ſed in quacunq; re eius ſolatio indiguerit, ſua ei miniſtrare auxilia.

Menſe Nouembri. Indictione xiiij.
Gregorius Petro epiſcopo Hydrontino uiſitatori Brunduſii & Gallipolenſi. Cap. CXXI

PAſtoralis nos cura conſtringit Eccleſiis ſacer Epiſt.21 dotis moderamine deſtitutis, ſollicita conſideratione proſpicere, ne proprio decedẽte rectore contrarium, quod abſit, aliquid patrum regulis oriatur. Quia igitur Eccleſias Brunduſii Lippias atq; Gallipoli, obeuntibus earũ pontificibus, omnino deſtitutas agnouim⁹, idcirco fraternitati tuæ uiſitationis earũ operam duximus iniungendam. Quam ita te conuenit exhibere, ut uihil de proue ctionibus clericorũ, reddítu, ornatu, miniſterijſq; uel quicquid illud eſt in patrimonio earum, à quo quam patiaris imminui. Et ideo fraternitas tua ad prædictas Eccleſias ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerum plebemq; earundem Eccle ſiarum admonere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno eodemq; conſenſu tales ſibi præficiendos expetãt ſacerdotes, qui & tanto miniſterio digni ualeant reperiri, & à uenerandis canonibus nullatenus re ſpuantur. Qui dum fuerint poſtulati, cum ſolenni rate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio literarum ad nos ue niant conſecrandi: prouiſurus ante omnia ne ad hoc cuiuslibet cõuerſationis ſeu meriti laicæ perſonæ aſpirare præſumant, & tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras. Monaſteria autem ſi qua ſunt in earum parochia cõſtituta, ſub tua cura diſpoſitioneq;, quouſq; illic fuerit proprius epiſcopus ordinatus, eſſe concedimus, ut ſollicitudinis tuæ uigilantia propoſito ſuo cõgrua deo adiuuan te actione reſpondeant.

Menſe Ianuario. Indictione xiiij.
Gregorius Petro epiſcopo Alexandriæ de Corſica. De Baptiſterio faciẽdo in poſſeſſione Cellaſcupias. Caput CXXII

QVoniam in inſula Corſica in loco Nigeuno Epiſt.22 in poſſeſſione quę Cellaſcupias appellatur, iuris ſanctæ Romanæ, cui deo adiutore deſeruimus, Eccleſiæ, baſilicam cum baptiſterio in honorem beati apoſtolorũ principis Petri, atq; Laurentij martyris pro lucrandis animabus fundari præcepimus, idcirco fraternitatẽ tuam his hortamur affatibus, quatenus prędictum locũ debeat incunctanter accedere, & uenerandæ ſolennia dedicationis impendens, prædictã Eccleſiã & baptiſterium ſolenniter conſecrare te uolumus. Sanctuaria uero recepta ſui cum reuerentia collocabis.

Gregorius Anthenio ſubdiacono.
De Pigmenio Amalphitano epiſcopo. Ca. CXXIII

PEruenit ad nos, Pigmenium Amalphitanæ Epiſt.23 ciuitatis epiſcopum in Eccleſia ſua reſidere Cã.74. non eſſe contentum, ſed foris per diuerſa loca ua- Peruent gari: quod uidentes alij nec ipſi in caſtro ſe retinent, ſed ipſius exemplum ſequentes, foris magis eligũt habitare. Et quia ſic agentes ipſi potius ad ſuam hoſtes deprædationem inuitant, idcirco hac tibi authoritate præcipimus, ut ſupradicto epiſcopo interminari non deſinas, quatinus hoc de cętero facere nõ præſumat, ſed in Eccleſia ſua ſacerdotali more reſideat. Quẽ ſi fortè non emendari poſt tuam interminationem cognoueris, in monaſterio eũ deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare

indicare,ut quid facere debeas,noſtra iterum præceptione cognoſcas.

Gregorius Mariano epiſcopo Rauennæ.

De diſceptatione inter Eccleſiam Rauennatem, & Claudinum abbatem. Cõmemorat dubias quoq; cauſas Romæ determinandas. Cap. CXXIIII

Scripta fraternitatis ueſtræ Vigilio diacono deferente ſuſcepimus, in quibus indicaſtis quoſdam de clero & populo clamitaſſe,contra leges & canones eſſe,ut inter Eccleſiam ueſtram & Claudinum abbatem cauſa hic examinari debeat ac iudicari.Qui ſi Eccleſiaſticum ordinem, uel inter quos uertitur,noſſent aduertere, ſe à ſuperflua querela modis omnibus abſtinerent, præſertim quia nec cauſa dici illic poſſit,ubi ſe prædictus abbas à deceſſore ueſtro queſtus eſt iniuſtitiam pertuliſſe,& ex ea hactenus laborare.Hoc enim poterat fortaſſis opponi, ſi non ad maiorẽ recurreret, & apud eum cauſæ ſuę peteret meritum terminari.Nunquid non ipſe noſti quia in cauſa quæ à Ioanne presbytero contra Ioannem Conſtantinopolitanum fratrem & coepiſcopum noſtrum orta eſt,ſecundum canones ad ſedem apoſtolicam recurrit,& noſtra eſt ſententia definita? Si ergo de illa ciuitate ubi princeps eſt, ad noſtram cauſa cognitionem deducta eſt, quanto magis negotium quod contra nos eſt,hic eſt ueritate cognita terminandum? Vos autem ibi ſtultorum uerba non moueant,nec per nos credatis aliquod diſpendiũ Eccleſię ueſtræ fieri.Nam ſi ſeruum dei diaconem ueſtrum,atq; Caſtorium notarium noſtrum requiretis, ab eis agnoſcetis qualiter cauſam iſtam iam deceſſor ueſter uoluerit ordinare. Fraternitas autem ueſtra ſapienter egit perſonas pro negotio ipſo tranſmittere, & uerba inania non audire. Confidimus autem in omnipotenti deo:quia examinata ſubtilius ueritate,ita deo placitus huic cauſæ finis imponetur,ut nec aliqua denuo querela remaneat,nec pars quælibet contra iuſtitiam prægraue tur. Spartam uero quam apud deceſſorẽ ueſtrum dilectiſſimus filius noſter Petrus diaconus tunc illic defenſor reliquerat, nobis per Secundinum ſeruum dei,atq; Caſtorium notarium præſentium portitores tranſmittite.

Gregorius Maximo in Salona, qui epiſcopatum arripuit. Præcipit ut humiliatus Romam ueniat, & Paulino epiſcopo & Honorato archidiacono, amplius uim non inferat. Cap. CXXV

DVm ſcriptis noſtris quæſitis quibuſdam excuſationibus differs obedientiam exhibere, dum pro ueritatis ſatisfactione toties à nobis admonitus uenire poſtponis,ijs quę aduerſum te dicta ſunt, fidem ex hoc magis accõmodas, & uel ſi qua alia deeſſe uidebant quæ grauent aut noceãt, id agis ut ſola te dilatio faciat & accuſet eſſe culpabilem.Humiliare tandem, & obedientiæ te ſubmitte, atq; ad nos ſine excuſatione aliqua uenire feſtina, ut requiſita & cognita ueritate, ſecundum dei timorem, quicquid æquum canonicũq; fuerit,decernatur. Certus enim eſto, quia iuſtitiã tibi,& canonũ ſtatuta ſeruabimus, atq; cauſæ tuæ reuelante domino ueritatis authore amicum iuſti-

A tiæ finẽ imponemus. Nã q̃d poſtulas ut illuc perſonã dirigere debeamus,qua præſente de his quæ dicuntur,poſſit eſſe probatio:eſſet utcunq; excuſabile ſi unquam ratio ei qui accuſatur, neceſſitatem probationis imponeret. At poſtq; nõ tibi ſed accuſantibus hoc onus incũbit,ad nos,ſicut præfati ſumus, dilatione ceſſante uenire non deſinas, & aut ſine mora aderit accuſator,qui ea quæ de ſimoniaca hereſi uel alijs dicta ſunt,cõgruenti probatione ſuffulciat, aut certe in his quæ ad ſalubritatem negotij ipſius pertinent, interueniente beato Petro Apoſtolorum principe,diſpenſatio iuſta præueniat, quatenus nulla ante deum diſſimulatione pro eo q̃ hęc ad noſtram conſcientiam peruenere, reatus culpa poſſit confundere. Quòd
B uero indicas ſereniſſimos dominos, ut illic debeat eſſe cognitio,præcepiſſe:nos quidem nullas eorum alias de hac re, niſi ut ad nos uenire debeas, iuſſiones accepimus. Sed & ſi forſitan pro reipublicæ ſuæ utilitate, quæ diuina ſibi largitate conceſſa eſt,multa cogitantibus, & in diuerſis ſollicitudinibus occupatis ſuggeſtum eſt, & eorum iuſſio per obreptionẽ elicita, poſtq; & nobis & omnibus notum eſt piiſſimos dominos diſciplinam diligere, & ordines ſeruare, canones uenerari, & in cauſis ſe ſacerdotalibus non miſcere, inſtanter exequimur quod & illorum iuuat animã atq; rem publicam,& ad quod nos terribilis tremendiq; iudicis reſpectus impellit. Quieſce ergo à cũctis excuſationibus,& huc adeſſe non differas,ut ueritatis indagatione roborati,cauſæ tuæ tandem termi
C num imponamus. Quòd aũt ualde te pertimeſcere ac omnino trepidare cognouimus, ne hoc fortaſſe in te ulciſcamur q̃ ſine noſtro cõſenſu ad ſacerdotalem ordinẽ cognoſceris inordinatè prorupiſſe, intolerabilis quidẽ culpa eſt, ſed hanc ſecundum iuſſiones ſereniſſimi domini imperatoris, ſi nequaq; amplius in contumaciæ tuæ errore perſiteris,laxamus,atq; de hac re contra te minimè mouemur. Sed & alia quæ nobis dicta ſunt irrequiſita præterire non patimur.Quia uero dudũ ſcripta tibi tranſmiſimus, ut quoaduſq; uoluntatẽ eiuſdem ſereniſſimi domini cognoſceremus,miſſarum ſolẽnia nullo modo celebrare auderes, ſed tu elata mente egiſti callidè ne eadem ſcripta ſuſciperes,quæ tamẽ eorum eſſet ſententia,quoquo
D modo cognouiſti,ſed ſeruare noluiſti:ideo ea quę tibi prius ſcripta tranſmiſimus confirmamus, ut miſſarum ſolennia celebrare non audeas, donec omnia quæ contra te dicta ſunt,ſubtiliter inquiſita fuerint ac diſcuſſa. Qui ſi peruerſo forſitan auſu celebrare preſumpſeris,ab interdictę pridẽ cõmunionis interminatiõe liberũ te nõ eſſe cognoſcas. Nam etiã ſi alij exceſſus deſint,pro iſta ſolũmodo culpa ſuperbiæ,dominici te corporis ac ſanguinis cõmunione priuamus.Pro qua re obedientiã quã decet exhibẽs,ad nos ſummopere,ſicut diximus, uenire feſtina, ita ut triginta dierũ ſpatiũ habeas, quatenus iter tuũ præpares, & omni excuſatione poſtpoſita, huc adeſſe non differas. Si qua autem à iudicibus, uel manu militari, uel à populo ad contra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

contradicendum itineri tuo occasio fuerit exorta, qua calliditate agatur, agnoscimus. Ipse ergo ui deas quam uel hic hominibus, uel in futuro iudicio omnipotẽti deo de tua reddas obligatione rationem, qui districtam in te ex tuo cõtemptu prouocasti sententiam. Prẽterea peruenit ad me: quia Paulinus frater & coepiscopus meus, & Honoratus Ecclesiæ Salonitanæ archidiaconus pro eo ꝙ præsumptioni tuæ noluerunt præbere cõsensum, graues à te molestias patiantur: ita ut datis fideiussoribus sint constricti, quatenus eis ciuitatem uel domos suas egredi omnino non licet. Quod si ita est, uel serò iam ad sensus salutis rediens, scriptis præsentibus acceptis, ab utrorũq; te suspende molestia, ut eis libera sit licentia, uel ad me ueniendi, si uoluerint, uel quomodolibet alibi pro suis utilitatibus proficisci.

Gregorius dilectissimis filijs, clero & nobilibus Salonæ consistentibus. Cap. CXXVI

Epist. 26 PEruenit ad me quosdam peruersę mentis homines ut dilectionis uestræ animos uulnerarent, uobis insinuare conatos: quia ego cõtra Maximum quodam odio mouear, & non magis quæ canonica, sed ea quæ foris sunt exequi concupiscam. Sed absit hoc, absit à sacerdotali animo, ut Cã. 1. q. 6 in qualibet causa priuato zelo moueatur. Ego au- Ego tem & uestrę dilectioni prouidens, & meę animæ omnipotẽtis dei iudicium pertimescens, eiusdem Maximi causam subtiliter exquiri desidero, si nullis criminibus pressius quæ sacro ordini contradicunt, si non per simoniacã hæresim, id est, præmia quibusdam se eligentibus præbendo, ad sacerdotale pertingere officium conatur. Tũc enim liber pro uobis apud dominum intercessor erit, si non obligatus de suis ad locum intercessionis uenerit.

Cuius tamen culpa superbiæ in aperto monstratur, quòd euocatus ut ad nos uenire debeat, diuersis excusationibus renititur, refugit, metuit. Vnde ergo trepidat, si eum de his in quibus inclamatus est, conscientia non accusat? Ecce enim iam diu dilectio uestra sine pastore est, & sicut uobis omnipotens deus innotescat, uehementer destitutioni uestræ, & medullitus, & toto corde cõpatior. Audio enim quę in grege domini dilacerationes fiãt. Sed cùm pastor deest, quis cõtra lupos inuigilat? Ideoq; prædictũ Maximum, ut huc ad nos ueniat urgete, quatenus si hunc innocentẽ inuenire possimus, confirmemus. Sin uero ea quæ de eo dicta sunt, uera patuerint, non iam tam diu dilectio uestra per interpositionẽ personæ eius destituta sit. De me enim certum tenete: quia nec odio, nec priuati studij zelo contra eum moueor, sed quicquid canonicum, iustumq; fuerit, autore deo decerno.

Parte 1 Dist. 93 Miratus Miratus autem ualde sum: quia in tanto Salonitanæ Ecclesiæ clero uel populo uix duo ex sacris ordinibus inuenti sunt, frater scilicet & coepiscopus noster Paulinus, & dilectissimus filius meus Honoratus archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, qui cõmunicare Maximo sacerdotium rapienti, mini mè consentirent, & se Christianos esse cognoscerent. Debuistis enim filij charissimi pensare ordines uestros, & quem sedes Apostolica repellebat, repulsum cognoscere, ut prius si posset, ab illatis criminibus mundaretur, & tunc ei uestra dilectio cõmunicaretur, ne particeps obligationis eius existeret. Nos tamen erga charitatem uestram uisceribus pietatis adstringimur, et quia quosdam uiolenter pressos ad consentiendum ei, & ad communicandum cognouimus, omnipotentẽ dominum deprecamur, ut uos ab omni reatu peccatorum uestrorum atq; ab omnibus uinculis alienæ obligationis absoluat, uobisq; & in præsenti uita suæ protectionis gratiam tribuat, & nos de uobis in æterna patria gaudere concedat.

Mense Martio. Indictione xiiij.

Gregorius Candido episcopo de urbe ueteri maiore. De presbyteris ordinandis. Cap. CXXVII

INdicauit nobis fraternitas tua se non habere Epist. 27 presbyteros, & ex hac causa necessitatem non modicam sustinere. Et quia in quibusdam monasterijs in sua parochia constitutis quosdã esse monachos perhibet, qui ad hoc apti possint esse officium, & eos secum nostra authoritate ad hunc postulat ordinẽ promoueri: propterea præsentibus uobis licentiam damus epistolis, monachos de monasterijs in tua parochia positis cum consensu abbatis sui tollere, & presbyteros ordinare. Sed illud prę omnibus estote solliciti, ut uitam actusq; horum qui in hoc sunt officio constituendi, subtiliter debeatis inquirere, & tũc eos si digni fuerint ordinare. Si uero aliqua in eis culpa celauerit, quę hos ad hunc ordinem canonica prohibitione proueni non permittat, nullius uobis supplicatio aut gratia personæ surrepat, ut talibus debeatis manum imponere: ne, quod absit, hic honor, & illis pœna, & uobis incipiat esse peccatum.

Gregorius Mariano episcopo Rauennæ. De importunitate clericorum in monasterio. Caput CXXVIII

MIramur cur sic in breui fraternitatis tuæ fue- Epist. 28 rit immutata discretio, ut ea quæ postulat, nõ aduertat, ex qua re dolemus, quia manifestum præbet indicium plus apud te uerba male suadentium ualuisse, quàm diuinæ lectionis studium profecisse. Cùm ergo monasteria oporteat defensare, & religiosos illic summopere congregare, ut lucrum de animarum congregatione possis efficere: in eorũ te è diuerso grauamina, sicut literæ tuæ testãtur, desideras exercere, & quod est deterius, nos tuæ culpæ studes fieri debere participes, scilicet, dum cum nostro cõsensu monasterium quod decessor tuus condidit, cupis sub quarundam rerum atq; causarum nomine prægrauare. Debes enim recolere: quia te præsente, diuersis etiã presbyteris & diaconibus clericisq; tuis præsentibus, contra ipsius præceptum sicut postulauere concessimus. Vbi tamen eiusdem decessoris tui dispositio, quã fecerat de monasterio ipso, firmata est, tu nunc ista dissimulans, contraria nos poscis debere præcipere. Et hęc quidẽ scimus non tua sunt, sed dum incongrua dicentes audire non renuis, non solum opinionẽ tuam, sed grauas & animam.

Quia

Quia ergo te multũ diligo, instanter admoneo, quòd sic recte consideres ut non plus pecuniæ q̃ animabus studeas. Illud à latere respiciendum est, ad hoc autem tota mentis intẽtione laborandum ac uehementius innitendum. Huic rei operam & sollicitudinem uigilanter impende, quia redemptor nostera sacerdotis officio non quærit aurũ, sed animas. Præterea peruenit ad nos, quia monasteria quæ sub fraternitate tua sunt constituta, clericorum importunitatibus, & diuersis eorum molestijs prægrauentur, quod ne de cætero fiat, districta hoc interminatione compesce, quatenus monachis illic degentibus liberè in dei nostri laudibus liceat exultare. Romanum uero atq; Domini cum clericos, qui de hac urbe ausu temerario sine nostra pręsumpserunt benedictione discedere, licet maiori fuerint ultione plectendi, tamen relaxari eis benignitatis studio debet, ut ad suũ remeare officium urgeantur.

Suprascripto mense Aprili. Indictione xiiij.
Gregorius Secũdino seruo dei non aparibus. De pace Agilulfi. & Mariniano episcopo increpando. Cap. CXXIX

Epist.29 POstq̃ reuertens Castorius omnia nobis quæ inter uos & Agilulfum regem acta sunt indicauit, ne excusationem contra nos de mora potuisset aliquis inuenire, sub omni eum celeritate illuc transmittendũ prævidimus. Ab eo ergo quæ sunt agenda cognoscens, esto sollicitus, & omnimodo immine, ut pax ista debeat ordinari: quia, quantum dicitur, aliqui hoc impedire conantur, pro qua re festina sollicitè agere, ut labor uester sine effectu non ualeat remanere. Nam iam & partes istæ, & diuersæ insulæ in graui sunt periculo positæ. Fratrem nostrũ Marinianũ episcopum uerbis quibus uales excita, quia obdormisse eum suspicor. Nam uenerũt quidam ad me senes mendicantes, qui à me discussi sunt à quibus quid acceperint, & per singula retulerunt quanta eis & à quibus in itinere data sunt. Quos dum sollicitè de prædicto fratre requirerem quid eis dedisset, responderũt se eum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse, ita ut neq; panem in uia acceperint, quuũ dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim. Respondit nobis dicẽs: Non habeo quod uobis dare possim. Et miror si is qui uestes habet, argentũ habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo ei, ut cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionẽ & orationẽ sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minimè fructificare, sed largam manũ habeat, necessitatẽ patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat, quia si hæc non habet, uacuum episcopi nomẽ tenet. Quædam uero eum per Epistolam meam de anima sua admonui, sed nihil mihi omnino respondit. Vnde credo quia eam neq; legere dignatus est. Pro qua re iam necessariũ non fuit, ut eum per Epistolam meam admonere aliquid debuissem, sed tantum illa scripsi, quæ in causis terrenis consiliarius dictare potuit. Nam ego ad hominem non legentem sa

A tigari in dictatu non debui. Tua ergo dilectio secretò ei omnia loquatur, & admoneat qualiter se disponere debeat, ne per præsentẽ negligentiam uitam, quod absit, priorem perdat.

Gregorius fratribus & coepiscopis, sacerdotibus, leuitis, & omni populo Rauennæ. Excõmunicat quendam qui nocte contestationem posuit. Cap. CXXX

QVidã maligni spiritus consilio repletus, con Epist.30
tra Castorium notarium ac responsalem nostrum nocturno silentio in ciuitatis loco contestationem posuit in eius crimine loquentem, mihiq; etiam de facienda pace callidè cõtradicentem. Et quia quisquis ueraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet ut publicè exeat, & quæq; in contestatione sua loqui præsumpsit ostendat: quòd si non exierit, neq; publicè confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpsit, uel cõsensum in tantæ iniquitatis cõsilio præbuit, ex dei & domini nostri Iesu Christi spiritu definimus, ut sancti eius corporis ac sanguinis participatione priuatus sit. Si uero quia latet, & quoniã nescitur, teneri à disciplina non ualet tanti mali cõscius, etiam prohibitus corpus ac sanguinem domini percipere pręsumit, anathematis ultione percussus sit, ut fallax ac pestifer à sanctæ Ecclesiæ corpore sit diuisus. Si quis autem fortasse talis est, quem nos huius facti actorem ac participem esse scientes, ad eum bona optantes, Epistolas transmittamus, ipsa pro eo apud omnipotentẽ dominum deprecatio sit uacua. Sin autem in eadem ciuitate egressus ad publicum potuerit docere quæ dixit, uel certe sciens se non posse quæ scripsit ostendere, errorem suum fuerit aperte cõfessus, dominici corporis ac sanguinis participatione non sit priuatus, neq; à corpore sanctæ Ecclesiæ alienus existat: quia nos apud omnipotentem dominũ ex nostris quotidie culpis agnoscimus, ut quatenus seruato disciplinę moderamine, aliorum tamen erratis parcendo indulgeamus.

Mense Aprili. Indictione xiiij.
Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De Iudæis & de mancipijs ab eis comparatis. Caput CXXXI

FRaternitati uestræ ante hoc tempus scripsimus, ut hos qui de Iudaica superstitione ad Christianã fidem deo aspirante uenire desiderãt, dominis eorum nulla esset licentia uenundandi, sed ex eo quo uolũtatis suæ desiderium prodidissent, defendi in libertatem per omnia debuissent. Sed quia quantum cognouimus, nec uoluntatem nostram, nec legum statuta subtili scientes discretione pẽsare, in paganis seruis hac se non arbitrantur conditione constringi, fraternitatem uestram oportet de his esse sollicitam, & si de Iudæorũ seruitio non solum Iudæus, sed etiam quisquam paganorum fieri uoluerit Christianus, postquam uoluntas eius fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio uel argumento cuipiam Iudæorũ uenundandi facultas sit, sed is qui ad Christianam conuerti fidem desiderat, defensione uestra in liberta- Epist.31 Parte 1 Dist. 54 Fraternitatem

tem modis omnibus uendicetur. Hi uero quos huiuscemodi oportet seruos amittere, ne forsitan utilitates suas irrationabiliter æstiment impediri, sollicita uos hęc conuenit consideratione seruare, ut si Paganos quos mercimonij causa de extraneis finibus emerint, intra tres menses dū emptor cui uendi debeant non inuenitur, fugere ad Ecclesiam forte contigerit, & uelle se fieri dixerint Christianos, uel etiam extra Ecclesiam hanc talem uoluntatem prodiderint, precium eorum ibi à Christiano scilicet emptore percipiant. Si autem post præfinitos tres mēses quisq; huiusmodi seruorum uelle suum edixerit, & fieri uoluerit Christianus, nec aliquis eum postmodū emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat uenundare, sed ad libertatis proculdubio præmia perducat, quia hūc non ad uendendū, sed ad seruiendū sibi intelligitur cōparasse. Hæc igitur omnia fraternitas uestra ita uigilanter obseruet, quatenus ei nec suppli catio quorundam ualeat, nec persona surrepere.

Gregorius Leoni episcopo Cathinensi.
De Samaræis qui Pagana mancipia emerunt & circumciderunt. Cap. CXXXII

Epist.32 REs ad nos detestabilis & omnino legibus inimica peruenit, quæ si uera est, fraternitatē uestram uehemēter accusat, quia eam de minori sollicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem quòd Samaræi degentes Cathinæ pagana mancipia emerint, atq; ea circūcidere ausu temerario præsumpserint. Atq; idcirco necesse est, ut omnimodo zelum in hac causa sacerdotalem exercens, cum omni hoc uiuacitate ac sollicitudine studeas perserutari, & si ita repereris, mancipia ipsa sine mora in libertatem modis omnibus uindica, & Ecclesiasticam eis tuitionē impende, nec quicq; dominos eorum de precio quolibet modo recipere patiaris, qui nō solū hoc damno mulctandi, sed etiam alia erant pœna de legibus feriendi.

Gregorius Castorio Notario.
De usu pallij secundum morem antiquū Andreæ episcopo restituendo. Cap. CXXXIII

Epist.33 VIr magnificus dominus Andreas crebrò mihi imminet de usu pallij secundū antiquam consuetudinem in Rauennati Ecclesia restituendo. Et scis quia Ioannes episcopus mihi scripserit, quòd in letanijs solennibus consuetudo fuit eiusdem Ecclesiæ, episcopos uti pallio. Huius Ecclesiæ diaconus Adeodatus cùm me pro eadem causa fortiter rogaret, iureiurādo satisfecit, quia quater in anno uti in letanijs pallio eiusdem loci episcopi solebāt. Prædictus dominus Andreas in Epistolis suis dicit, quia præterq; in quadragesima, omni tēpore Rauennas episcopus in letanijs pallio utebatur. Et ipsas asserit letanias solēnes, quas non erubescit dicere quotidianas. Vnde omnino miratus sum. Sed tua experientia nullius personā, nullius uerba cōsideret, solum dei timorem & rectitudinem ante oculos habeat, & seniores personas, & eiusdem Ecclesiæ archidiaconē, quem non suspicor pro alterius honore periurare, & alios antiquiores qui in sacris ordinibus ante Ioannis episcopi tempora fuerāt, requirat, uel si qui maturiores sunt extra sacros ordines, & ueniant ante corpus sancti Apollinaris, & tacto eius sepulchro, iurent, quæ consuetudo ante Ioannis episcopi tempora fuerat, quia sicut scis, idem uir multum præsumptor extitit, & multa sibi per superbiam conabatur arrogare. Et quicquid à fidelioribus uiris & grauibus iuratum fuerit, secundum indiculū qui subter annexus est, hoc uolumus in eadem Ecclesia conseruari. Sed uide ne negligenter agas, ne quis fidem tuam aut deuotionē tuam in hac causa corrumpat, zelum enim tuum scio, age sollicitè, ita tamen ut prædicta Ecclesia contra iustitiā non grauetur, sed usus qui ante Ioannis episcopi tempora extitit, ei conseruetur. Personas autem non duas uel tres ad satisfaciendum tibi, sed quantas antiquiores & grauiores inueneris require, ut neque quod usus fuit antiquior eiusdē Ecclesiæ denegemus, neq; quod nouo ausu appetitū est, concedamus. Sed omnia age blandè & dulciter, ut actio tua districta sit, & lingua mitis. Spatam quæ illic dimissa est, sicut iam pridē scripsimus, tecum reuoca, & hoc quod tibi filius noster Bonifacius diaconus, & uir magnificus Maurentius chartularius scripsit, sollicitè attēde. Iuro ergo per patrem & filium & spiritum sanctum, inseparabilem diuinæ potentiæ trinitatē, & hoc corpus beati Apollinaris martyris, me pro nullius fauore personæ, neq; cōmodo aliquo interueniēte testari, sed hoc scio & per memetipsum cognoui, quia ante tempora Ioannis quondam episcopi Rauennas episcopus presente Apocrysario sedis Apostolicæ illo atq; illo, illis & illis diebus consuetudinē utendi pallio habuit, & non cognoui quia hoc latēter uel absente Apocrysario usurpasset.

Gregorius Anthemio subdiacono.
De receptione captiuorum. Cap. CXXXIIII

Epist.34 QVantus dolor, quantaq; sit nostro cordi afflictio de his quæ in partibus Campaniæ contigerunt, dicere non possumus, sed ex calamitatis magnitudine potes ipse cognoscere. Ea dere pro remedio captiuorū qui detenti sunt, solidos experientiæ tuæ per horum portitorem Stephanum uirum magnificū transmisimus, admonentes ut omnino debeas esse sollicitus, ac strenuè peragas, & liberos homines quos ad redemptionē suam sufficere non posse cognoscis, tu eos festines redimere. Qui uero serui fuerint, & dominos eorū ita pauperes esse compereris, ut eos redimere non assurgant, & hos quoq; comparare nō desinas. Pariter etiam & seruos Ecclesię qui tua negligentia perierunt, curabis redimere. Quoscunq; autem redemeris, subtiliter nota quæ nomina eorū, uel quis ubi maneat, siue quid modis omnibus, seu unde sit cōtinuò facere studebis, quæ tecum possis afferre cùm ueneris. Ita autem in hac te re studiose exhibere festina, ut ij qui redimēdi sunt, nullum te negligente periculum possint incurrere, & tu apud nos postea uehementer incipias esse culpabilis. Sed & hoc q; maximè age, ut si fieri potest, captiuos ipsos minori possis precio comparare. Substantiam

ſtantiã uero ſub omni puritate atq; ſubtilitate deſcribe, & ipſam nobis deſcriptionem cum celeritate tranſmitte.

Menſe Maio. Indictione. xiiij.

Gregorius Secundino epiſcopo Zauronæ. De Syncero latore præſentis Epiſtolæ. Cap. CXXXV

Epiſt.35 ET legum ratio, & æquitas admonet naturalis, ut quiſquis hæreditatẽ aut renuit, aut parentum ſucceſſione ſe abſtinet, hæreditaria nõ debeat onera ſuſtinere. Quia ergo Syncerus lator preſentium Hilarium ſocerum ſuum omnino inopẽ defunctum innotuit, & uxorem ſuam filiãq; ipſius in qualibet re eius ſe ſubſtantiæ minimè miſcuiſſe, & ad perſoluendum paternum debitũ eam ab eius creditoribus queritur perurgeri, idcirco fraternitas ueſtra diligenter inquirat, & ſi ea quæ ait, ueritate ſubſiſtunt, ſacerdotalẽ illis ſtudeat tuitionẽ impendere, nec eos cõtra rationis ordinem uexari, aut damnum permittat aliquod ſuſtinere. Nam ualde durum eſt, ut unde nullum ſenſit commodum, ſuſtineat iniuſtè diſpendiũ. Supradictus autẽ portitor, ſi huc cum uxore ſua uenire uoluerit, quia illic ſe dicit non poſſe ſubſiſtere, ueſtris propter deum ſolatijs potiantur, nec cuiuſq; eos illic aduerſitas pro ſua tantum uoluntate retineat, aut eis irrationabiliter moleſtus exiſtat, ſed liberã habeãt quo uoluerint eundi licentiã, quatenus ui uendi ſubſidiũ alibi ſaltẽ deo largiente reperiant.

Menſe Iunio. Indictione xiiij.

Gregorius Columbo epiſcopo Numidiæ. De Petro quodam epiſcopo, & de Donatiſtis. Caput CXXXVI

Epiſt.36 CRipta fraternitatis ueſtræ ſacerdotali plena dulcedine præſentiũ portitore Rogitano diacono deferente ſuſcepimus. Et ualde nos eorũ lætificauit benigna locutio. Præſertim, quia per ea de ueſtra, quod deſiderij noſtri eſt, incolumitate cognouimus. Deuotionẽ uero ſanctitatis ueſtræ & olim nouimus, & nunc ſicut ſcribitis ſic habemus. Nam qualis erga nos ſinceritas fraternitatis ueſtræ ſit, ſatisfactione non egemus, quia eam ex mẽtis noſtræ, quæ circa uos eſt, dilectione cognoſcimus. Supraſcripto autẽ latori quem nobis epiſtolariter cõmendaſtis, ſcripta ad rectorẽ patrimonij Siciliæ dedimus, ut aduerſam partẽ facere quę iuſta ſunt urgeat, quatenus fruſtratoria excuſatione poſtpoſita, ad finẽ citius perducatur totius cauſæ contentio. Indicamus itaq; ſanctitati ueſtræ uenìſſe ad nos quendam hominẽ Petrum nomine, qui ſe aſſerit fuiſſe epiſcopum, atq; cauſæ ſuę à nobis remedium poſtulaſſe. Et prius quidem retulit quæ digna eſſe miſeratione potuiſſent, ſed requirentes, poſtea multo aliter quàm indicauit inuenimus, & uehementer nos eius actio contriſtauit. Sed quia cauſæ ipſius interna ſubtiliter nequaq; addiſcere tam longo itineris interuallo diſiuncti potuimus, eam, incerti quippe, definire nequiuimus. Nunc uero quoniam remeans ſupradictus diaconus ſecum eum relaxari poposcit, & ipſe ad uos ſe petijt tranſmitti, ſcientes ſanctitatem ueſtrã zelum, ſicut decet, fidei, & amorem debere iuſtitiæ, nobis gratum fuit, & ea quæ petiuerunt con-

A ceſſimus. Quia ergo præſentes cauſam ſubtilius poteſtis ſcire, hortamur ut eidem Petro ita ſeruare quicquid iuſtum canonicumq; fuerit debeatis, quatenus & rectitudinis uigor à uobis in omnibus impleatur, & cauſa ipſius ſecundum dei timorem & Eccleſiæ uideatur regulas iudicata. Si quis uero conſcius uel particeps præfato Petro in his quæ accuſatur, dicitur extitiſſe, ſubtiliter requirendum eſt, & ueritate cognita, ſimiliter canonicè iudicandum. Præterea res ad nos omnino dura, & rectæ fidei inimica peruenit: quia, quod dici nephas eſt, catholici homines & religioſi, quod eſt deterius, filios mãcipiaq; ſua, uel alios quos in poteſtate habent, in Donatiſtarum hæreſi baptizari cõſentiunt, & ideo ſi uerum eſt, fraternitas ueſtra
B hoc ſummopere ſtudeat emendare, quatenus ſinceritas fidei ueſtra ſollicitudine intemerata conſiſtat, & innocentes animæ quæ catholico baptiſmate ſaluari poterant, hæreticorũ infectione non pereant. Quiſquis ergo de his perſonis quas ſuperius cõmemorauimus, quenquam ſuorum apud Donatiſtas paſſus eſt baptizari, ad catholicã eos fidem omni uirtute omniq; inſtantia ſtudeat reuocare. Si quis uero taliũ de cætero hoc fieri de ſuis qualibet excuſatione pertulerit, à clero ſit modis omnibus alienus.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. Alexandriam relictam Vincomali cõmendat. Caput CXXXVII

C QVanto uiduæ bene uiuentes uirorum ſunt ſolatio deſtitutæ, tanto eis enixius Eccleſiaſtica eſt impendenda tuitio. Atq; ideo huius tibi præcepti pagina deputamus, quatenus Alexandriæ magnificæ fœminæ relictę quondam Vincomali omni inſtantia omniq; ſollicitudine, ubi neceſſe fuerit, ſeruata ſcilicet æquitate, tuitionem feſtines impẽdere, atq; eius utilitatibus ſtudioſe cõcurrere, nec eam à quoquã uexari permittas, aut moleſtiam ſuſtinere, ſed ita, ſicut prædiximus, ubi cauſa poposcerit, ope tuæ ſollicitudinis potiatur, ut nullus ſe in afflictione oppreſſioneq; ipſius te illic coràm poſito tentet aliquatenus occupare. Epiſt.37

Gregorius Cypriano diacono. Ioannem religioſum commendat. Cap. CXXXVIII

IOannem religioſum præſentiũ latorem qui ex Hiſtricorum ſchiſmate ad ſinum ſanctæ Eccleſiæ deo reuelante accepta ratione reuerſus eſt, dilectionem tuam, æquitate ſeruata, habere neceſſe eſt in omnibus cõmendatũ, atq; ei in quibus cauſa poposcerit, Eccleſiaſticam tuitionem impendere. Cui etiam pro diſpendiorum ſuorum ſubſidio, ab hac quartadecima indictione annis ſingulis octo ſolidos dare te uolumus, quos tuis per omnia noueris rationibus imputandos. Epiſt.38

Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi. Georgium ſi emendare ſe uoluerit, commendat. Caput CXXXIX

GEorgius præſentium portitor degere, ut ait, in ciuitate ueſtra deſiderans, apud fraternitatem ueſtram noſtra ſe petijt Epiſtola cõmendari. Cui quoniam à praua ſe promiſit actione competom. 2 N 2 ſcere Epiſt.39

scere,quod petebat,pręuidimus non denegandū. Et ideo sanctitas uestra de anima eius studeat pro pter deum esse sollicita,atq; eum adhortationibus suis ad uiam deo placitam reuocare, & si adiuuan te domino,ut promisit,ab omni se prauitate suspē dens, uiuere honestè uoluerit, fraternitas uestra pro mercede sua,ut prospexerit, eius sustentatio-ni subueniat,ne forsitan ad male agendum excusa tionem sibi ex necessitate uideat assumere. Quid autem fraternitas uestra ex eius importunitate sit passura consideret, qui ad uos cum nostris Episto lis uenit,quem nos sine authoritate aliqua impor tunum ualde in prece pertulimus.

Gregorius Rufino episcopo Viuonensi.
De presbytero ordinando in Ecclesia Massa-nichoterana. Cap. CXL

Epist.40 EX habitatorum Massanichoteranæ,quorum episcopus pro quibusdam culpis in pœniten tiam deputatus est, relatione cognouimus, nullū illic esse presbyterum,qui sacra possit missarū so-lennia celebrare, intantum ut etiam filios suos si-ne baptismate asserant remansisse.Et quia hac pro causa magnopere petiuerunt sibi in eadem Eccle sia cui fraternitas uestra operā uisitationis impen-dit,debere presbyterum ordinari, eapropter scri-ptis uos præsentib⁹ adhortamur, ut de clero eiusdem Ecclesiæ requirere debeatis,cuius uita & mo res ad hoc possint officiū conuenire, & eum illic presbyterū festinetis auxiliāte domino cōsecrare. Nā ualde durū est, ut quouscq; causa episcopi eorū subtiliter requiratur, nō habeat Ecclesia illa pres-byterum,qui sacrum illic opus ualeat celebrare.

Mense Iulio. Indictione xiiij.
Gregorius Victori episcopo Panormitano.
Caput CXLI

Epist.41 VRbicus abbas monasterij sancti Hermæ,q̄d Panormi situm est,à nobis cum aggregatio ne sua magnopere postulauit in eodem monaste-rio presbyterum,qui sacra missarum solennia cele brare debeat,ordinari. Et quia huiusmodi non est differenda petitio, fraternitatem uestram scriptis præsentibus necessariò duximus adhortādam, ut eum qui ad hoc ministerium de hac congregatio-ne electus fuerit, cuius uita, mores & actio tanto possint ministerio conuenire,sine mora auxilian-te domino ualeat consecrari, quatenus nec ille de monasterio suo hac pro causa egredi, nec extra-neū sibi ad peragēdū sacrū opus cogat adducere,

Gregorius Venantio patritio exmonarcho.
De discordia inter ipsum & Ioannem episco-pum. Cap. CXLII

Epist.42 MVltum ea quam direxistis iam nos contri-statos inuenit Epistola, quòd inter uos & Ioannem fratrem et coepiscopū nostrum,de quo-rum desiderabamus gaudere concordia,scandalū prodijsse cognouimus.Quæuis enim causa fuisset non usq; ad hoc debuit furor erumpere, ut armati homines uestri,sicut audiuimus,in episcopum ir-ruerent,& diuersa hostili more mala cōmitterent, atq; uos hæc res à paterna charitate interim diui-deret. Nunquid non poterat quælibet contentio fuerit, tranquillè disponi, ut nec partium utilitas detrimentum,nec sentiret gratia lęsionem? Cuius autem grauitatis,cuius sanctitatis, cuius mansue-tudinis supradictus frater noster sit,non habemus incognitū.Ex qua re colligimus,quia nisi uis eum doloris nimia coegisset, ad hanc rem de qua uos contristatos asseritis, eius fraternitas nullo modo peruenisset. Nos tamen ut hoc eo scribente com-perimus,illico ei scripsimus, admonētes ut & ob-lationes uestras sicut antè susciperet, & missas in domo uestra non solum celebrari permitteret,sed si uelitis etiam ipse perageret, causamq; suam ser-uata charitate exequi debuisset. Et quia nullos di-scordes uel fieri uolumus uel manere,eandem ad-hortationem iterandam esse prospeximus. Vnde necesse est charissime fili,ut & uos sacerdotalē illi reuerentiam exhibere,sicut decet filios,debeatis, nec eius ad iracundiā animos prouocetis.Nam cū quo fidam estis gratiā habituri,si uobis, quod ab-sit,cū sacerdote fuerit discordia? Itaq; animarū er-rore depositio,sic agere causas quas habetis inui-cē studete,ut & charitas inter uos intemerata per-maneat,& alterutra mansuetè procuretur utilitas.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
De discordia inter ipsum & Venantium patri-tium facta. Cap. CXLIII

QVamuis causa fuerit quę fraternitatis uestrę animos ad iracūdiam non immeritò prouo-caret,ut nec oblationes domni Venantij uoluisse tis susc̄ipere,nec in domo ipsius sacra missarum si-neretis solennia celebrari, tamen quia ita terrena agi debet utilitas,ut nullum uos iurgium à charita tis ualeat connexione disiungere: proinde chari-tatem uestram, sicut dudum scripsimus, adhorta-mur, quatenus & oblationes antedicti uiri omni-no in dulcedine & deo placita debeatis sincerita-te susc̄ipere, & in domo ipsius missarū peragi my-steria permittatis, aut sicut scripsimus, si fortasse uoluerit,per uos debeatis accedere, & celebrādo apud eum missas,priorē gratiā reformare. Opor-tet nanq; filijs sacerdotalē uos amorē impendere, & in causis, prout ratio suffragatur, iurisdictionē Ecclesiæ uestræ minime præterire. Hoc ergo cōsi derans,necesse est,ut ita se circa eos fraternitas ue stra discreta moderatione exhibere studeat, ut & quod negotij qualitas exigit, salubriter peragat, & à paternæ charitatis gratia non recedat.

Gregorius Bono abbati.
De monasterio eius in melius transmutando.
Caput CXLIIII

ECclesiastica damnū non sentit utilitas, si res Epist.
alijs competentes,cognita ueritate restituan tur: atq; ideo cognouimus Ioannē quondā pres-byterum sanctæ Romanæ,cui deo authore præsi-demus,Ecclesiæ,in domo iuris sui posita in hac ur be Roma iuxta thermas Agrippinas oratorium constituxisse, ibiq; quosdam redditus legati titulo per testamenti sui seriem reliquisse. In quo etiam oratorio seruorum dei congregationem esse con-stituit, & hæc omnia ut debuissent impleri, testa-mēti sui pagina sanctæ memoriæ decessori nostro Pelagio

Pelagio dicitur deputasse. Sed quia morte occupatus, necdū hoc occurrit implere, & domus ipsa cum horto suo ab authoribus nostræ Ecclesiæ detinetur: & idcirco hactenus necdum uoluntas defuncti completa est, nostra sollicitudine piæ dispositionis uoluntatem, et hoc quod decessori nostro iniunctū est, præuidimus esse cōplendum. Ideoq; necessarium esse perspeximus, ut dedicari oratorium ipsum protegēte domino debuisset, & quia monasterium ubi prius fuisti, in ruinæ erat periculo constitutum, te illic cum cōgregatione tua consistere per omnia debere, quatenus & in suprascripta domus monasterio esse cōgregatio potuisset, & imminens res periculum euitaret. Vnde necesse est ut & nunc, & in futuris temporibus dei illic laudes per eam quæ modo est uel successura est congregationē modis omnibus celebrentur. Considerantes igitur antedicti presbyteri uolūtatem, perpetuo illic tempore monasterium esse, atq; ad eandem domum in integro cum horto suo, & rebus inferius designatis, quæ à testatore relictæ sunt, proprietatis iure constituimus pertinere, id est, massam Magulianensem cum appēdicijs suis, uia Numentana, miliario plus minus undecimo, tabernam in hac urbe, quæ est posita iuxta Palacinis, & Salgamum positum ante domum suprascripti monasterij. Oportet ergo ut ita dilectio tua diligenter inuigilet, ut dei illi, sicut præfati sumus, laudes deuote ut moris est celebrentur, & suprascriptæ res in eius ius pertinentes, nulla te negligente occasione depereant. Hanc enim sollicitudinem non solum à te, sed etiam à tuis successoribus in prædicto oratorio & rebus superius designatis constituimus nihilominus exhiberi.

Gregorius Leontio episcopo Ariminensi.
De Ecclesia sancti Stephani dedicanda. Cap. CXLV

Epist.45 BAsilicam beati Stephani martyris, quam fraternitas uestra incendio asserit cōcrematam, quam etiam nuper instauratam esse cōmemorat, facultatem tribuimus dedicandi, in qua etiam reliquiarū sanctuaria eiusdem beati Stephani martyris uolumus collocari. Et ideo frater charissime ad prædictam te Ecclesiam ire necesse est, & tam Ecclesiæ quàm etiam altaris nouiter cōstructi dedicationem solenniter exhibere, ut expectantium de eadem consecratione deuotio domino ualeat auxiliāte cōpleri. Quicquid præterea eidem loco à fundatoribꝰ olim cōcessum est, in ea qua dimissum est uolūtate ac firmitate uolumꝰ permanere.

Gregorius Felici episcopo Pisaurensi.
De decimis monasterij à Ioanne constructi.
Caput CXLVI

Epist.46 MIramur fraternitatē uestram quòd serie præcepti neglecta, quod ad uos sanctæ memoriæ decessor noster dederat, monasterium à Ioanne præsentium portitore constructū, aliter quàm antiquæ consuetudinis usus exigit consecrares. Dum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum sit, ut locum ipsum absq; missis publicis dedicares, ut ad nos peruenit, cathedra posita illic publicè missarum solennia celebrantur. Quod si uerum est, his uos hortamur affatibus, ut omni excusatione cessante, cathedram uestram exinde amoueri modis omnibus faciatis, nec denuo illic missas publicas peragatis. Sed & sicut consuetudo & præcepti tenor eloquitur, si missas ibidem sibi celebrari uoluerint, ad te presbyter dirigatur, in eodem autem monasterio congregationē seruorum dei, sicut prædictus Ioannes & petijt, & nunc est, cum dei gratia semper uolumus permanere. Calicem uero quem sibi à fraternitate uestra ablatum innotuit, ei, si ita est, restituere festinate. Hæc ergo sanctitas uestra ita studeat adimplere, ut denuo ad nos prædictus portitor pro hac causa necessitatem remeandi non habeat.

Gregorius Leoni episcopo Fanensi.
De schismaticis ad unitatem Ecclesiæ redeuntibus. Cap. CXLVII

SIcut in schismaticis prauo studio perdurātes, obiurgandi detestandiq; sunt, Epist.47
sic ad sinum matris Ecclesię redeuntes, cōsolandi ac nihilominus refouendi. Quia igitur Ioannes religiosus præsentium lator recepta ratione ad unitatem sanctę Ecclesiæ ab errore Histricorū deo miserante conuersus est, eapropter fraternitatē uestram hortari præuidimus, ut eū, salua ratione, habere debeat in omnibus cōmendatū, atq; suo fauore protegere. Cui etiam ne possit post conuersionem alicui necessitati succumbere, aliquid de Ecclesia illi præuidimus annis singulis consulendū. Quia ergo uestræ sanctitati se summopere petijt cōmendari, prouidendum uobis pro uestra mercede est, ut, sicut diximus, uestris in omnibus solatijs fulciatur.

Gregorius presbyteris, diaconibus & clero, nobilibus ac populo Laderæ consistentibus, & militibus, qui Maximo præuaricatori cōmunicauerant.
Caput CXLVIII

PEruenit ad me quosdam uestrum ignorantia uel necessitate deceptos, his qui ab Apostolica sede culpa, sicut nostis, exigente, cōmunione priuati sunt, cōmunicasse, quosdam uero se salubri discretione, protegente domino, suspendisse, & quantum de constantibus gaudeo, tantum de deuiantibus ingemisco: quoniam sacræ cōmunionis mysteria, quæ ad absolutionem nobis diuina pietate concessa sunt, in detrimentum magis suæ animæ perceperunt. Et quia sicut uobis omnipotens deus uehementer innotescat, charitati uestrę medullitus & ex toto corde compatior, paterno affectu obtestor atq; suadeo, ut ab illicita communione se quisq; suspendat, & quos Apostolica sedes in cōmunionis suæ consortiū non recipit, omnino refugiat, ne inde reus ante conspectum æterni iudicis unde poterat saluari consistat. Comperi autē quòd quidam peruersæ mentis homines illic insinuare conati sunt, quia ego contra Maximum quodam odio mouear, & non ea quæ canonica, sed ea potius quę furoris sunt, exequi concupiscā. Sed absit hoc, absit à sacerdotali animo, ut in qualibet causa priuato zelo moueatur. Ego uero populo in illis partibus consistenti, ac meæ animæ prouidens, & omnipotentis dei iudiciū pertimescens

ſcens, cauſas eiuſdē Maximi exquiri uolo, & cum omni ſinceritate reuelante domino quod eſt canonicum definiri. Cui quoniā frequēter ſcripſimus, ut non prius ſacra miſſārum ſolēnia celebraret, & cauſam potuiſſemus agnoſcere, alioquin eſſet cōmunione priuatus, ex hoc iam ſuperbiæ ipſius culpa in aperto monſtrat, & ſæpius, ſicut dixi, admonitus ut ad nos ueniret, diuerſis excuſationibus renitit, refugit, metuit. Vnde ergo trepidat, ſi eū de his quæ dicta ſunt, cōſcientia non accuſat? Hoc ergo cognoſcentes, poſt & uobis nullam de ignoran
Cā.11.q.3 tia excuſationē aſſumere poteſtis, rogo, hortor, &
Rogo moneo, ut à prohibitę uos cōmunionis conſortio per omnia ſuſpēdatis, nec cuiquā ſacerdoti ſuprascripto Maximo cōmunicanti, cōtra animā ſuam quiſquam ueſtrum cōmunicare præſumat. Quia tamen audio, ſicut præfatus ſum, quoſdā ueſtrum ignorantia lapſos, quoſdam etiam ad cōmunicandum uiolenter eſſe oppreſſos, omnipotentē domi nū deprecor, ut & eos qui huic prauitati minimè cōſenſerunt, perpetua gratiæ ſuæ protectione cuſtodiat, & optata eis largitate reſpondeat. Et illos quos aut ſtudium, aut ignorātia, aut alia quælibet cauſa traxit in culpam, ab omni reatu peccatorū, atq; ab omnibus uinculis alienæ obligationis abſoluat in omnibus, qui & in præſenti uita protectionis ſuæ gratiam tribuat, & nos de uobis in æterna patria gaudere concedat. Vt igitur hæc uobis interceſſio apud deum ſaluatorē noſtrū proficiat, adhortantibus nobis, pro animæ ueſtræ ſalute obedientiam exhibete, & ab illis ſacram com munionē percipite, quos ſe antedicti Maximi cō munione abſtinuiſſe uel abſtinere cognoſcitis.

Gregorius Vrbico abbati monaſterij Hermetis, quod in Panormo ſitum eſt. De Agathone ſuſcipiendo. Cap. CXLIX

Epiſt.49 QViſquis diuina inſpiratione compunctus, relictis ſeculi huius actionibus, ad deum conuerti feſtinat, ita cum charitate ſuſcipiendus eſt, & blandis per omnia conſolationibus refouendus, ut in ea quam elegit, deo adiuuante, delectē mo-
Cā.27.q.2 dis omnibus cōuerſatione perſiſtere. Quia igitur
Quia Aga tho Agatho præſentium lator in monaſterio dilectionis tuæ conuerti deſiderat, hortamur ut cum omni cum dulcedine dilectioneq; ſuſcipias, atque ad æternam uitam eius deſiderium continua adhortatione ſuccendas, & circa animæ ipſius ſalutem diligenter ſtudeas eſſe ſollicitus: quatenus dum in dei noſtri ſeruitio, te admonente, deuota mente perſtiterit, & illi proſit ſeculum reliquiſſe, & tibi eius conuerſio proficiat ad mercedem. Quem tamen ita ſuſcipiendum eſſe cognoſce, ſi & uxor ipſius ſimiliter conuerti uoluerit. Nam dum unum utrorumq; corpus coniugij copulatione ſit factū, incongruum eſt partem conuerti, & partem in ſeculo remanere.

Gregorius Palladio epiſcopo Sanctonis. De reliquijs Apoſtolorum Petri & Pauli ſuſcipiendis. Cap. CL

Epiſt.50 VEniens lator præſentium Leuparicus preſbyter ueſter inſinuauit nobis fraternitatem ueſtram Eccleſiam in honore beati Petri & Pauli apoſtolorū, necnon Laurentij atq; Pancratij martyrum cōſtruxiſſe, atq; illic tredecim altaria collocaſſe, ex quibus quatuor necdum dedicata cōperimus remanſiſſe, ob hoc q; ſupraſcriptorū ſancto rum reliquias illic collocare deo annuente diſponitis. Et quia reliquias ſanctorum Petri & Pauli, necnon Laurentij atq; Pancratij martyrū cum ueneratione prębuimus, hortamur ut eas cum reuerentia ſuſcipere & collocare, auxiliante domino, debeatis. Prouiſuri ante omnia, ut ſeruientibus ibidem non debeant alimoniarum deeſſe ſuffragia.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. De reliquijs Apoſtolorum Petri & Pauli. Caput CLI

Epiſt.51 EPiſtolarum ueſtrarum ſeries, quæ religioſum animum & piæ mentis ſtudium continebat, non ſolum uolūtatis ueſtræ fecit nos laudare propoſitum, ſed etiam libēter inuitauit poſtulata concedere. Nec enim nos negare decuit, quod Chriſtiana deuotio & recti cordis deſiderium flagitabat, præſertim dum illa poſtulari & tota amplecti mente cognouimus, quę credentium fidem ualde protegere, & animarū ſalutem operari nihilominus poterunt ac ſeruare. Atq; ideo congruo honore ueſtram excellentiam ſalutantes, indicamus latori præſentium Leuparico, quem uos eſſe preſbyterum ſcripſiſtis, per quem eloquia ueſtrarū ſuſcepimus literarum reliquias nos beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, iuxta excellentiæ ueſtræ petitionem cum ea ueneratione qua dignum eſt præbuiſſe. Sed ut in uobis magis magisq; laudabilis & religioſa poſſit clarere deuotio, prouidendum uobis eſt, ut ſanctorum beneficia cum reuerentia & debito honore condantur. Et ſeruientes ibidem nullis oneribus nullisq; moleſtijs affligantur, ne forſitan neceſſitate exterius imminenti, in dei ſeruitio inutiles ſegnesq; reddātur, & iniuriā, quod abſit, neglectumq; beneficia ſanctorū collata ſuſtineant. Quieti ergo eorum excellentia ueſtra proſpiciat, quatenus dum ueſtro beneficio liberi ab omni fuerint inquietudine cuſtoditi, & illi deo noſtro ſecura mente laudes exoluant, & uobis in æterna uita merces accreſcat.

Gregorius Pelagio de Turinis, & Sereno de Maſſilia, epiſcopis Galliarum aparibus. Commendat Auguſtinum. Cap. CLII

Epiſt.52 LIcet apud ſacerdotes habētes deo placitā charitatē, religioſi uiri nullius cōmēdationis indigeant, quia tamen aptū ſcribēdi tempus ingeſſit, fraternitati ueſtræ nos tranſmittere ſcripta curauimus, inſinuantes latorē præſentiū Auguſtinū ſeruū dei, de cuius certi ſumus ſtudio, cum alijs ſeruis dei illuc nos pro utilitate animarum, auxiliante domino, direxiſſe. Quem neceſſe eſt ut ſacerdotali ſtudio ſanctitas ueſtra adiuuare, & ſua ei ſolatia præbere feſtinet. Cui etiam ut promptiores ad ſuffragandū poſſitis exiſtere, cauſam uobis iniunximus ſubtiliter indicare, ſcientes q; ea cognita, tota uos propter deum deuotione ad ſolatiandum, quia res exigit, commodetis. Candidum præterea presby-

presbyterum communem filium, quem ad guber A
nationem patrimonioli Ecclesiæ nostræ transmi-
simus, charitati uestræ in omnibus cõmendamus.

Gregorius Virgilio episcopo Arelatensis Me-
tropol. Galliæ. Augustinum episcopum cõ-
mendat. Cap. CLIII.

Epist.53 QVantis fraternitatẽ uestrã bonis esse inten-
tam operibus, & sponte se in causis exhibe-
re deo placitis confidamus, ueruntamen utile esse
fraterna uos alloqui ueritate credimus, ut solatia
quæ uos ultro decet impẽdere, nostris quoq; pro
uocati Epistolis augeatis. Atque ideo indicamus
sanctitati uestræ Augustinum seruum dei præsen
tium portitorem, cuius zelus & studium bene est
nobis cognitum, cum alijs seruis dei pro animarũ
nos illuc compendio transmisisse, sicut ipse uobis B
coram positus poterit indicare. In qua re oratione
uos eum & auxilijs adiuuare necesse est, atq; ubi
opus exegerit, solatiorum uestrorum ei præbere
suffragia: & paterna ac sacerdotali illum consola-
tione, sicut conuenit, refouere: quatenus dum san
ctitatis uestræ fuerit solamina consecutus, si quid
deo nostro lucrifacere, sicut optamus, ualuerit, &
uos possitis pariter mercedem acquirere: quia ad
bona opera suffragij uestri deuotè copiam mini-
stratis. Candidum autem presbyterum, commu-
nem filium, & patrimoniolum Ecclesiæ nostræ
fraternitas uestra, quippe ut unanimis nobis, stu-
deat habere commendatum, ut aliquid inde pau-
perum alimonijs sanctitate uestra ualeat adiuuan
te proficere. Quia igitur patrimoniolũ ipsum per C
annos plurimos prædecessor uester tenuit, & col-
lectas apud se pensiones seruauit, fraternitas ue-
stra cuius sint res, uel cui erogentur consideret, at
que eas animæ suæ respectu suprascripto filio no-
stro Candido presbytero nobis restituat dirigen-
das. Nam ualde est execrabile, ut quod à regibus
gentiũ seruatũ est, ab episcopis dicatur ablatum.

Gregorius Desiderio Vienensi & Siagrio Augu
stino episcopis Galliæ aparibus. Augustinum
comendat. Cap. CLIIII

Epist.54 DE fraternitatis uestræ sincera charitate bene
confidimus, quòd amore beati Petri Apo-
stolorum principis hominibus nostris uestra de-
uota solatia commodetis, præsertim dum causæ
qualitas exigat, ubi etiam sponte concurrere, & la D
borare magis optetis. Indicamus itaq; sanctitati
uestræ Augustinum seruum dei præsentium por-
titorem, cuius zelus & studium bene nobis est co
gnitum, cum alijs seruis dei pro animarũ illic cau-
sa, disponente, domino, direxisse: cuius relatione
quid sibi iniunctum sit, subtiliter agnoscens fra-
ternitas uestra ei modis omnibus in quibus causa
poposcerit, impendat solatia, ut boni operis adiu
tores, sicut decet & conuenit, possitis existere. Ita
ergo fraternitas uestra in hac re se deuotam stude
at demonstrare, ut bona quæ de uobis opinione
narrante didicimus, uera esse opere comprobe-
mus. Dilectum uerò communem filium Candi-
dum, cui patrimoniolum Ecclesiæ nostræ cõmisi
mus in illis partibus constitutum, uobis per om-
nia commendamus.

Gregorius Protasio episcopo de aquis Galliæ.
Vt Virgilio episcopo de pensionibus Ecclesiæ in
sinuet. Cap. CLV

QVantus in uobis beati Petri Apostolorum Epist.55
principis amor excellat, non solũ officij ue-
stri prerogatiua, sed etiam deuotio quam circa uti
litates Ecclesiæ ipsius geritis patefecit. Quẽ quia
Augustino seruo dei præsentium latore cognoui
mus referente, de affectu & ueritatis studio quod
in uobis est, ualde congaudemus, & gratias agi-
mus: quia etsi corpore absentes, mente tamen &
animo nobiscum uos esse monstratis, quippe er-
ga quos charitatem fraternam, ut conuenit, exhi-
betis, Vt igitur bona quæ de uobis prædicauit opi
nio, rerum possit ueritas confirmare, Virgilio fra-
tri & coepiscopo nostro dicite, ut pensiones quas
prædecessor eius per annos plurimos de patrimo
niolo nostro percepit, & apud se retinuit, ad nos,
quia pauperum res sunt, studeat destinare. Qui si
fortè aliquo se modo, quod non credimus, excusa
re uoluerit, uos qui ueritatem ipsam subtilius no-
stis, reuera qui in Ecclesia ipsa tempore illo cu-
ram uice domini gerebatis, qualiter se habeat cau
sa disserite, & ne res sancti Petri & pauperum eius
apud se retinere debeat, admonete. Sed & si for-
tasse hominibus nostris necessarium fuerit, uestrũ
in causa testimonium non negate, ut tam pro ue-
ritatis quàm pro uoluntatis uestræ deuotione be-
atus Petrus Apostolus, cuius amore hæc facitis,
sua uobis & hic & in futura uita intercessione re
spondeat. Candidum presbyterum communem
filium cui patrimoniolũ ipsum commisimus, san-
ctitati uestræ magnopere commendamus.

Gregorius Stephano abbati à Gallijs.
Vt sollicitus sit circa congregationem sibi cõ
missam. Cap. CLVI

LÆtos nos relatio Augustini serui dei præsen Epist.56
tium portitoris effecit, quòd dilectionem tu
am, ut oportet uigilantem esse narrauit: deniq; &
presbyteros & diacones, cunctamq; congregatio
nem unanimes uiuere ac concordes affirmat. Et
quoniam præpositorum bonitas, subiectorum sa
lubris est regula, omnipotentem dominum de-
precamur, ut in bonis te semper operibus gratia
suæ pietatis accendat, & commissos tibi ab omni
diabolicæ fraudis tentatione custodiat, & tecum
cum charitate & placita sibi uiuere conuersatio-
ne concedat. Quia uerò humani generis inimicus
insidiari nostris actibus non quiescit, sed assidua
calliditate hoc nititur, ut deo seruiẽtes animas in
qualibet parte decipiat, ideo dilectissime fili hor-
tamur, ut sollicitudinem tuã uigilanter exerceas,
& ita commissos tibi oratione & cura prouidenti
custodias, ut lupus circumiẽs nullã dilaniandi oc-
casionem inueniat: quatenus dum deo nostro in-
columes quorum suscepisti curam reddideris, &
premia labori tuo gratia sua rependat, & tibi eter
næ uitæ desideria multiplicet. Cocleares uero &
circulos quos direxisti, suscepimus, & charitati
tuæ gratias agimus: quia qualiter pauperes dili-
gas ostendisti, qui ad usus eorum quę sunt necessã
ria transmisisti.

Gregorius Arigio patricio de Gallia. Auguſti
ſtinum epiſcopum, & Candidum presbyterum,
commendat. Cap. CLVII.

Epiſt. 57 QVanta in uobis bonitas, quantaq; manſuetu
do cũ Chriſto placita charitate reſplendeat,
latore præſentium Auguſtino ſeruo dei referente
comperimus: atq; omnipotenti deo gratias agi-
mus, qui hæc uobis pietatis ſuæ dona conceſſit,
per quæ inter homines ualde laudabiles, & ante
conſpectum ipſius, quod eſt ueraciter utile, glori-
oſi poſſitis exiſtere. Oramus ergo omnipotẽtem
dominum, ut hæc in uobis quæ conceſſit dona
multiplicet, & ſua uos cum omnibus ueſtris pro-
tectione cuſtodiat, & ita actionem gloriæ ueſtræ
in hoc ſeculo diſponat, ut & hic uobis & in futura B
gloria, quod magis optandum eſt, uita proficiat.
Salutantes itaq; gloriam ueſtram paterna dulcedi
ne petimus, ut lator præſentiũ, & ſerui dei qui cũ
eo ſunt, ueſtra in quibus neceſſe fuerit, ſolatia con
ſequantur: quatenus dum ueſtrum fauorem inue-
nerint, iniuncta ſibi melius, adiuuãte domino ua-
leãt adimplere. Præterea filium noſtrum Candi-
dum presbyterum, quem ad gubernationem pa-
trimonij Eccleſię noſtrę quod illic eſt trãſmiſim⁹
uobis per oĩa cõmendam⁹, cõfidentes à deo no
ſtro uos mercedis uicẽ recipere, ſi rebus pauperũ
ſolatia ſua gloria ueſtra deuota mente præſtiterit.

Gregorius Theodorico, & Theodeberto, regi
bus Francorum. De Auguſtino ſeruo dei.
Caput CLVIII.

Epiſt. 58 POſtquã deus omnipotens regnum ueſtrũ fi C
dei rectitudine decorauit, & integritate Chri
ſtianæ religionis inter gentes alias fecit eſſe con-
ſpicuum, magnam de uobis materiam præſumen
di concepimus, quòd ſubiectos ueſtros ad eam
conuerti fidem per omnia cupiatis, in qua eo-
rum nempe reges eſtis & domini. Atque ideo
peruenit ad nos, Anglorum gentem ad fidem
Chriſtianã deo miſerante deſideranter uelle con-
uerti, ſed ſacerdotes ueſtros è uicino negligere, &
deſideria eorum ceſſare ſua adhortatione ſuccen-
dere. Ob hoc igitur Auguſtinum ſeruum dei præ-
ſentiũ portitorẽ, cuius zelus & ſtudiũ bene nobis
eſt cognitum, cum alijs ſeruis dei præuidimus il-
luc dirigendum. Quibus etiam iniunximus ut ali
quos ſecum è uicino debeant presbyteros duce-
re, cum quibus eorum poſſint mentes agnoſcere, D
& uoluntatem admonitione ſua, quantum deus
donauerit, adiuuare. In qua re ut efficaces ualeant
atq; idonei apparere, excellẽtiã ueſtrã paterna ſa-
lutãtes charitate quæſumus, ut hi quos direximus
fauoris ueſtri inuenire gratiã mereanť. Et quia ani
marum cauſa eſt, ueſtra eos poteſtas tueať & adiu
uet, ut deus omnipotens qui uos in cauſa ſua de-
uota mente & toto ſtudio ſolatiari cognoſcit, cau
ſas ueſtras ſua protectione diſponat, & poſt terre
nam poteſtatem ad cœleſtia uos regna perducat.
Pręterea dilectiſſimũ filiũ noſtrũ Candidũ presby
terum, & patrimoniolũ Eccleſiæ noſtræ, quod in
illis partibus eſt conſtitutũ, ut commendatũ excel
lẽtia ueſtra habere debeat poſtulamus, quatenus
beatus Petrus Apoſtolorũ princeps ſua uobis in-

A terceſſione reſpondeat, qui mercedis intuitu, tui-
tionem in rebus pauperum eius impenditis.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.
De conuerſione Anglorum, & Auguſtino.
Caput CLIX.

EXcellentiæ ueſtræ Chriſtianitas ita nobis ue Epiſt. 59
raciter olim innotuit, ut de bonitate eius nul
latenus dubitemus, ſed magis certum modis om-
nibus teneamus: quia in cauſa fidei deuotè & ſtu-
dioſè concurrat, & religioſe ſinceritati ſua ſolatia
copioſiſſimè ſubminiſtret. Ex qua re bene confi-
dentes paterna charitate ſalutantes indicamus ad
nos peruenisſe, Anglorum gentem deo annuen-
te uelle fieri Chriſtianam, ſed ſacerdotes qui in ui
cino ſunt, paſtoralem erga eos ſollicitudinem nõ B
habere. Quorum ne animæ in æterna damnatio-
ne ualeant deperire, curæ nobis fuit præſentium
portitorem Auguſtinum ſeruum dei, cuius zelus
& ſtudium bene nobis eſt cognitum, cum alijs ſer
uis dei illuc dirigere, ut per eos potuiſſemus ipſo-
rum uoluntates addiſcere, & de eorum conuerſio-
ne uobis quoq; annitentibus, in quantum eſt poſ-
ſibile, cogitare. Quibus etiã iniunximus, ut ad agẽ
da hæc è uicino ſecũ debeant presbyteros ducere.
Excellentia ergo ueſtra, quæ prona in bonis con-
ſueuit eſſe operibus, tã pro noſtra petitiõe, quam
etiam diuini timoris conſideratione, eum digne-
tur in omnibus habere commendatum, atq; ei tui
tionis ſuæ gratiam uehementer impendat, & labo
ri eius patrocinij ſui ferat auxilium, & ut pleniſſi-
mè poſſit habere mercedẽ, ad ſupraſcriptã Anglo
rũ gentẽ ſua tuitione ſecurũ iter præuideat: quate
nus deus noſter qui in hoc ſeculo uos bonis ſibi
placitis decorauit, hic & in æterna requie cum ſu-
is uos ſanctis faciat gratulari. Præterea dilectũ fili
um noſtrũ Candidũ presbyterũ, & patrimoniolũ
Eccleſiæ noſtræ quod illic conſtitutum eſt, ueſtræ
Chriſtianitati commendantes, petimus ut tuitio-
nis ueſtræ gratiam in omnibus conſequatur.

Gregorius Eulogio epiſcopo Alexandrino.
De laude charitatis, & perſecutione Longobar-
dorum. Cap. CLX

MAter & cuſtos bonorum omnium charitas Epiſt. 60
quę multorum corda uniendo conſtringit,
abſentem non æſtimat eum quem oculis mentis
habet præſentem. In huius ergo radice cùm fra-
ter chariſſime teneamur, nihil ſibi in nobis corpo
ralis abſentia, nihil poterit regionũ uendicare lon
ginquitas: quippe quia ſcilicet longè à nobis non
ſumus qui unũ ſumus. Hanc autem eſſe nobis cũ
cæteris fratribus communem ſemper optemus.
Eſt tamen aliquid quod nos erga Alexandrinam
Eccleſiam quadam peculiaritate conſtringit, & in
eius amore proniores exiſtere ſpeciali quodam-
modo lege compellit. Nam ſicut omnibus liquet,
quia beatus euãgeliſta Marcus ſancto Petro Apo
ſtolo magiſtro ſuo Alexandriam ſit tranſmiſſus,
huius nos magiſtri & diſcipuli unitate conſtringi
mur, ut & ego ſedi diſcipuli præſidere uidear pro-
pter magiſtũ, & uos ſedi magiſtri propter diſcipu
lum. Ad hanc autem unitatem cordium etiam

ueſtræ

ueſtræ ſanctitatis meritis ligamur, quos authoris ſui ſalubriter ſequi inſtituta cognoſcimus, & ſemper ad magiſtri ſui gremium unde illi prædicatio ſalutis exorta eſt, tota ſe conferre deuotione ſentimus. Atq; ideo ſanctitatis ueſtræ ſuſceptis apicibus, quantum cor noſtrum de fraterna uiſitatione gauiſum eſt, tantum de indictis quæ ſignificaſtis oneribus mœſtitia premitur, & fraterna compaſſione nobiſcum gemimus quod doletis. Sed quia in diuerſa ſe tendit ubi concuſſio, in communi neceſſitate, minus eſt de propria dolẽdum, ſed ſtudendum magis eſt ur patienter tolerando uincamus, q̃d omnino deuitare nõ poſſumus. Quantũ autem nos à Longobardorum gladijs in quotidiana noſtrorum ciuium deprædatione uel detruncatione arq; interitu patimur, narrare recuſamus, ne dum dolores noſtros loquimur, ex compaſſione quam nobis impenditis, ueſtros augeamus. Præterea ante aliquãtum temporis communi filio Sabiniano diacono reſpõſa Eccleſiæ in urbe regia facienti, ſcripta noſtra tranſmiſimus. quæ ueſtræ fraternitati debuiſſet dirigere. Quæ ſi ſuſcepiſtis, miramur cur nobis ad ea minimè reſpondiſtis. Et ideo quia cauẽdum eſt ne cuiuslibet ſuperbia ſcandalũ Eccleſiis introducat, neceſſe eſt ut eadem ſcripta ſubtiliter relegẽtes, omni ſtudio & tota intentione quę ad honorem ueſtrum & pacem Eccleſiæ pertinẽt, cõſeruetis. Omnipotẽs aũt deus qui pietatis ſuæ gratia ſacerdoralem uobis animum & charitatẽ contulit, in ſuo uos ſeruitio protegat, atq; ab omni aduerſitate interius exteriusq; cuſtodiat, & conuerti ad ſe errantium animas ueſtra propitius prædicatione concedat. Latorẽ autem preſentium Iſidorum diaconem communem filium cum ea qua oportuit charitate ſuſcepimus, benedictionem nobis ſancti Marci euangeliſtæ deferentem. Et uos quidem bonæ uitæ merito reſplendẽtes, ea quæ paradiſo uicina ſunt bene olentia nobis ligna tranſmiſiſtis. Nos uerò quia uideli cet peccatores ſumus, ab Occidente uobis ligna tranſmiſimus, quæ conſtruendis apta nauibus, noſtræ mentis tumultum ſignantia, in marinis ſemper fluctibus agitantur, & quidẽ tranſmittere maiora uoluimus, ſed hęc nauis anguſta non recepit.

Menſe Auguſto. Indictione xiiij.

Gregorius Gennadio patricio Aphricæ.
De Paulo epiſcopo. Cap. CLXI.

Epiſt. 61 EXcellentiã ueſtrã nõ ambigimus reminiſci quia ante biennium pro Paulo fratre & coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut ei ad nos uenire deſideranti, dignitatis ueſtræ ſuffragia præberetis, ob hoc quod à Donatiſtis inſecutionis dicebatur moleſtiam ſuſtinere: quatenus poſtquam dum cõtra eos nunciatum eſt habere ſubſidium non poſſe, cognita ueritate, fraterna ei compaſſione potuiſſemus ferre cõſilium, & ſalubri diſpoſitione quid contra peſtiferæ præſumptionis inſaniam debuiſſet fieri, tractaremus. Et quantum nobis prædictus frater innotuit, non ſolum nullum meruit cuiuſquam habere ſolatiũ, ſed ne minimè ad Romanam potuiſſet urbem accedere diuerſo eſt impedimento prohibitus. Cui tamen dum ueſtrã relegi feciſſemus Epiſtolam, reſpondit ſe non quorundã odio quia Donatiſtas prohibebat laborare, ſed magis pro defenſione catholicę fidei multorũ perhibet ingratitudines ſuſtinere: multaq; alia retulit quæ quoniã aptũ dicendi tẽpus nõ extitit, ſilentio reticere præuidimus. Quia ergo nõ de rebus terrenis, ſed de animarũ ſalute tractatur, & ueſtra atq; illius diuerſa exiſtit aſſertio, nihil indiſcuſſa ueritate ſubtiliter reſpondere potuimus: quia tempore quo excellentiæ ueſtræ ſcripta ſuſcepimus, corporis ęgritudine tenebamur. Sed dũ nos omnipotẽs deus ſi ei placuerit, priſtinæ ſaluti reddiderit, ueritatem diligenti, ut poſſumus, inquiſitione rimabimur. Et ſecundum ea quæ ualuerimus addiſcere, ita cauſam deo miſerante diſponemus, ut animarum quarum uos curæ pro ueſtra mercede ſtudere dignamini, ſalus non ſolum quæ ab errantibus iam amiſſa eſt reparetur, ſed etiam quæ noſtræ fidei cultrix eſt, redemptoris noſtri gratia diſponente ſeruetur. De ſupraſcripto autem epiſcopo, quẽ communione priuatum eſſe aſſeritis, ualde mirati ſumus, cur nobis hoc non primatis eius, ſed excellentiæ ueſtræ Epiſtola indicauit.

Gregorius Dominico epiſc. Chartaginis. De laude charitatis, & cura paſtorali. Cap. CLXII.

Epiſt. 62 VEre mirabilis charitatis uirtus eſt dilecte frater, quæ aduentu ſupernæ gratiæ poſtquam ſpiritalia inclinauit ad infima, poſtquam ipſum ſibimet unumquemq; carnalibus illecebris diſcordantem pacauit hominem, ita in humanis ſe dilatauit mentibus, ut ſublimia inclinaret, humilia ſublimaret, pacaret diſcordantia, ferocia manſueta faceret, diſſociata conglutinaret, ſciſſa ſarciret, diuiſas tot aquarum terrarumq; ſpatijs climatumq; diuerſitatibus hominum nationes compaginatis ad unum mentibus ſuæ uinculo ſuauitatis adſtringeret. Huius amplitudinis præconia quando humanæ infirmitatis exponere lingua ſufficiat? Huius autem laus in cœlis perfecta eſt, in terris uerò forma eius oſtendenda potius eſt quàm dicenda: ut qualis quantaq; ſit, poſtquam ore noſtro plenè non poteſt, ex noſtra magis compaſsione monſtretur. Quã & ſi utcunq; laudamus ore, ſimul neceſſe eſt ut fateamur manu: ne ſi laudator eius tantum eſt quiſquam & non factor, ſententiã ſibi magis exacuat: quia in conſpectu iudicis hoc fauoribus exaggerat quod omiſit. Hanc nos licet locorum interuallis diſiuncti, atq; corpore longè à uobis poſiti, auxiliante dei potentia erga uos ſtudioſiſsimè conſeruamus: hanc uos non ſolum circa nos, ſed erga fratres filioſq; ueſtros paternis, fraterniſq; oportet uiſcerib. exhibere. Nam quomodo hoc non ſit ſtudioſiſsimè faciendum quando eius non tam in fratrum, filiorumq; eſt, quàm in inimicorũ quoq; dilectione perfectior? Quamobrem chariſsime, nos quos paſtoralis curæ conſtringit officium, diligamus fratres. Ipſos quoque aduerſarios noſtros propter mandatum domini cum noſtro circa nos copulemus affectu. Pacem ſequamur cum omnibus & ſanctimoniã, ſine qua

nemo

nemo uidebit deũ. In pĳs uersemur operibus uir- A tur in metu, nec principales hactenus iussiones
tutibus polleamus, fulgeat in nostro pectore rati sortirentur effectum. Hoc etiã subiũgentes, quòd
onale iudicij cum superhumeralis actione con- in præfata prouincia Donatistarum præmĳs præ
iunctum. Ita in dei conspectu procedamus, atque ualentibus, fides catholica publicè uenundetur.
totius Israel. Huiusmodi commisso nobis gregi At contra glorioſus uir Gennadius de uno eorũ
præbeamus exempla, ut uideant nostra opera bo mihi similia questus est, qui talia querebatur. Cui
na, & glorificent patrem nostrum qui in cœlis est. etiam duo alĳ in re eadẽ testimoniũ ferebant. Sed
Sit in lingua sermo, sit zeli feruor in animo ut ue- quia causa ipsa secularis iudicis intererat, eosdem
rè de illorum dicamur numero de quibus legitur: episcopos ad pietatis uestrę existimaui esse uesti-
Act.2 Apparuerunt illis dispartitæ linguæ sicut ignis, se gia dirigẽdos: ut per semetipsos sereniſſimis auri-
ditq; supra singulos eorum. Verè enim in nobis bus suggerãt, quæ se fatentẽ pro fide catholica per-
igneæ linguæ residen t, si in fraterna filiorumq; ex tulisse. Ea propter obsecro ut dominorũ christia-
hortatione diuini feruore spiritus accendamur. nitas pro salute animę & uita pĳſſimę sobolis, sua
Creditum nobis agrum dominicum exerceamus eos quos tales esse cognoscit, districta ulciſci iussi
dum licet, seminemus in timore, dum tempus est: B one præcipiat: & ruinam pereuntium ereptionis
bonum facientes non deficiamus, tempore enim manu suspendat, atq; insanis mentibus correptio
suo metemus non deficientes. Simus de illis de nis medicinam adhibeat, & errorum ab eis mor-
Psal.125 quibus Psalmista dicit: Euntes ibãt & flebant, mit bos expellat: quatenus dum piæ prouisionis ue-
tentes semina sua. Ad cuius rei fructum nos pro- stræ remedio, pestiferæ prauitatis fuerit caligo de
uocans subdidit: Venientes autem uenient cum pulsa, & uera illic fides radios suę serenitatis aſper
exultatione, portantes manipulos suos. Vigile- serit, cœlestis uos ante redemptoris sui oculos tri-
mus itaq;, & relinquentes terrena negocia cœle- umphus expectet: quia quos exterius ab hoste de
stibus anhelemus. Ea quæ retrò sunt obliuiscen- fenditis, etiam interius à diabolicæ fraudis uene-
scentes, in his quæ ante sunt, nosmetipsos enixius no, quod est glorioſius, liberatis.
extendamus. Mens nostra seculari uarietate non
diffluat, sed tota in unum currat atq; confluat finẽ Gregorius Anastasio presbytero de Isauria. De condemnatione hæretica. Cap. CLXIIII
quem mira suauitate Dauid respexerat, cùm dice
Psal.26 bat: Vnam petĳ à domino, hanc requiram, ut inha SIcut de eis quos ab unitate Ecclesiæ hæreticæ Epist.64
bitem in domo domini omnib. diebus uitæ meæ prauitatis error abscidit, affligimur & dole-
Hoc amore liquescant boni corda rectoris. In his C mus: ita his quos intra sinum suum catholicę fidei
se mẽs tota suspendat. Dum adhuc in terris sumus professio continet, congaudemus. Et ut pastora-
positi, frequens à nobis lachrymarũ imber in cœ li sollicitudine illorum nos oportet impietatibus
lo compunctionis nube fructificet. Tunc enim be obuiare: sic pĳs eorum professionibus cõgruit fa-
ne atq; uerè dilecte mi frater ad proximorum di- uorem impendere. & sincera esse quæ sapiunt de-
lectionem descendimus, si in dilectione dei ex to clarare. Atq; ideo dum tibi Athanasio presbyte-
to corde, ex tota anima tota & mente, atq; ex totis ro monasterĳ sancti Mile, cui est uocabulũ Tam-
uiribus perstitimus. Xenia uerò temporalia à uo- naco, quod in Lycaonia est prouincia constitutũ,
bis directa, licet nos talibus non egeamus tamen contraria integræ fidei fuisset orta suspitio ut pro
debita charitate suscepimus. Egemus autem debi fessiõis tuæ potuisset integritas apparere, ad Apo
ta charitate atq; commissi uobis regiminis sollici stolicã sedem cui præsidemus, elegisti recurrere,
tudine gratulari. Multò enim nobis hæc dulciſſi- asserens etiam te corporaliter uerberatum aliqua
ma fiunt, cùm sacerdotum mentes piæ conuersa- iniustè ac uiolenter feciſſe. Et quanquam ea quæ
tionis fuerint suauitate conditæ. ui impulsionis fiunt, canonum minimè censura re
cipiat, & iure habeantur infirma: quia ipse ea diſ-
Gregorius Mauricio Tiberio Augusto. De Donati soluit qui iniustum fateri compellit: sed magis il-
stis, & episcopis ad eũ trãsmissis. Cap. CLXIII D la suscipienda est & amplectenda confessio, quæ
Epist.63 INter armorm curas & innumeras sollicitudi- ex spontanea uoluntate monstratur procedere, si
nes, quas indefesso studio pro Christianæ rei- cut apud nos feciſſe dignoscaris: ne quid tamẽ no
publicæ regimine sustinetis, magna mihi cum uni bis ambiguum potuisset existere, sanctiſsimo Io-
uerso mundo lætitiæ causa est, quòd pietas uestra anni quondam fratri & coepiscopo nostro Con-
custodiæ fidei, qua dominorum fulget imperium stantinopolitanæ ciuitatis antistiti, de te præuidi-
præcipua sollicitudine semper inuigilat. Vnde o- mus scribendũ, ut suis nos quid actuum esset epi-
mnino confido quia sicut uos dei causas religiosæ stolis informaret. Qui sæpe à nobis admonitus, re
mentis amore tuemini, ita deus uestras maiestatis scribens innotuit codicem apud te fuisse inuentũ
suæ gratia tuetur & adiuuat. Qualiter autem pie- in quo plurima cõtinebantur hæretica: & ob hoc
tatis uestræ serenitas contra Donatistarum flagi- se aduersus dilectionem tuam fuisse commotum.
tiosiſſimam prauitatẽ consideratione iustitiæ & Quem quia ad nos studuit pro satisfactione trãs-
sinceriſſimæ religionis zelo commota sit, directa mittere, priores eius partes sollicita lectione per-
rum lucidiſſimè tenor insinuauit iussionum. Sed currimus. Et quoniam manifesta in eo hæreticæ
uenientes uiri reuerentiſſimi ex Aphricana pro- prauitatis uenena reperimus, ne denuo debuisset
uincia episcopi, asserunt ita esse incauta diſſimu- legi, uetuimus. Sed quia hunc te simpliciter
latione postpositas, ut nec dei illic iudiciũ habere testatus es legisse: & ad amputandam ambiguæ

suspitionis

suspitionis materiam libellū nobis manu tua porrexisti per scriptum, in quo fidem tuam exponens omnes generaliter hæreses, uel quicquid aduersus catholicæ fidei uel professionis integritatem est, apertissimè cōdemnasti: & cuncta quæ sanctæ quatuor uniuersales synodi recipiūt, te semper recepisse ac recipere, & quę cōdemnāt, cōdemnasse cōdemnarecq; professus es: eā quoq; synodū quæ Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est & suspicere & custodire promisisti, & prohibitus nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferę fraudis uirus innexum est, libentissimè consensisti: reprobans etiam atq; condemnans ea omnia quæ contra catholicę fidei integritatem in eo dicta uel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuo promisisti: hac ratione permoti, postquā etiam approbata à te libelli pagina, fides tua nobis catholica deo custodiente perclaruit, ab omni te hæreticæ peruersitatis macula, iuxta professionem tuam liberum esse decernimus, atq; catholicum, & sincerę fidei in omnibus professorem, atq; sequacem Christi Iesu saluatoris gratia claruisse pronunciamus: liberā quoq; tribuimus licentiā ad tuū monasterium in tuo te loco uel ordine nihilominus remeare. De hoc quoq; & dilecto fratri nostro Constantinopolitanę ciuitatis antistiti, qui in supradicti sancti Ioannis loco ordinatus est, nostra uolumus scripta transmittere. Sed quia consuetudo nō est ut prius quàm ad nos eius synodica deferantur debeamus scribere, idcirco distulim⁹. Sed postea ei, hæc dum impleta fuerint, indicabimus.

Finit liber quintus, secundum computationem Gratiani.

Finiunt epistolæ Indictionis xiiij.

LIBER SEXTVS

Incipiunt Epistolæ beati Gregorij papę per Indictionem quintamdecimam.

Gregorius Fortunato episc. Neapolitano. De muliere quadam uiro iungenda. Cap. CLXV

Epist. 1 C. 29. q. 2. Cuius rei causa.

CVius rei causa cum matre sua huc compulsa anno præterito præsentium uenerit latrix, fraternitas tua cautius nouit. Quia scilicet maritus suus clericus uester, ob hoc ęd de seruili fuerat conditione pulsata à suo noscit eam remouisse consortio: uosq; hic positos asserūt promisisse, quòd si liberā probare se adiuuante domino ualuisset, suo eam uos coniugi reformaretis. Fraternitas igitur uestra cognoscat, quòd reuelante deo libertatis authore approbata sit libera, nullaq; seruilis in ea macula inuenta est. His ergo cognitis, sine mora aliqua suo peruos eam uolumus marito restitui, nec ulterius idē uir eius argumenta sibi aliqua occasione exquirat quibus eam possit abijcere. Nam si à uobis, quod non credimus, minimè fuerit adimpletum, eamq; recipere fortè distulerit, nos illud cognoscatis cū districta uindicta correcturos.

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ. De Paulo episcopo. Cap. CLXVI.

EPistolam fraternitatis uestræ harū latore día cono uestro deferente suscepimus. In qua nobis de persona Pauli episcopi quæ apud uos acta sunt, indicastis. Quod tam serò factum est, ut persona ipsa hic iam ualuisset minimè reperiri. Nam & uir excellentissimus filius noster Gennadius patricius suum ad nos pro causa eadem cancellarium destinauit. Sed dum fecissemus inquiri: utrū cum eo nobis coram positis uellet inire conflictū: respondit ad hæc se minimè fuisse transmissum: sed solummodo tres quosdam huc de eius Ecclesia deduxisse, qui contra eum plurima dicere debuissent. Dum ergo neq; illum ad inferendas actiones paratum inuenimus, neq; personarum illarum nos qualitas mouit, quòd in accusatione episcopi ualuissent idonei reperiri, sæpedicto Paulo episcopo ad urbem se regiam relaxari debuisse precibus speranti, non potuimus contradictionis moras afferre, sed mox eum secūdum petitionem suam cum alijs duobus secum deductis episcopis ambulare permisimus. Si qua ergo fuere quę contra eum dici rationabiliter poterant: mox eo huc ueniente uestra debuit, quod non fecit, fraternitas cuncta subtiliter indicare. Quòd enim multorum uos inimicitias ob hoc quòd nostris uos frequentius uisitamus epistolis, pati signastis: dubiū non est reuerendissime frater bonos prauorum odia sustinere, diuinisq; intentos operibus peruersorū aduersitatibus lacerari. Sed quanto hæc quæ sunt praua circumstant, tanto in commissi uobis cura regiminis debetis constantius occupari, circa gregis Christi inuigilare custodiam: quantoq; iniquorū uos contrarietas premit, tanto alacriores, ac de promissa remuneratiōe certissimos, pastoralis sollicitudinis cura debet accēdere: quaten⁹ pastori sūmo lucrū de iniūcto uobis opere ualeatis offerre.

Epist. 2

Gregorius Gennadio patricio de Aphrica. De Ruserio, & Anastasio. Cap. CLXVII.

HIs qui se apud excellentiam uestram nostris desiderant epistolis commendari, securi de uestra benignitate facimus quod petimur. Ruserius siquidem comes, cum alijs conciuibus suis à uobis, ut cognouimus, ad Aphricanam euocati prouinciam, petiuerunt scriptorum nostrorum suffragia sibi apud uos prodesse. Qua propter excellentiam uestram paterno salutātes affectu, petimus, ut eos in nullo à quoquā patiamini apud uestros animos contra iustitiam prægrauari, sed sicut circa commissos uobis pia discretaq; uos nouimus inuigilare cautela: ita ut de his tranquillè dispone re inspirante uobis domino debeatis, atq; de insulæ ipsius sollicitius tractare cautela: ne si illuc exercitus sine persona utili, quæ hunc gubernare ualeat, & incauta dispositione transmittitur, adiumētum hostibus præbeatur. Quia autē Anastasium tribunum, quem illic excellentia uestra ordinauerat, bene secum egisse, atq; in nulla læsione eum asserūt miscuisse se puincię, quē etiā nūc esse remotū grauiter ferūt, pręcipiat excellētia uestra illic eū iterum

Epist. 3

iterum destinari, suisq; adhortationibus formari: A ut qui de bona actione iam placuit, nullius ad male agendum suasionibus inciteturne tantorum iudicium quod ex bona administratione habere meruit, deterius perdat, quod non optamus, agendo contraria. Ita ergo petimus ut uestra excellentia faciat, quatenus bonum uestrū quod testat Aphrica, etiam Corsica cognoscat.

Gregorius Cyriaco episcopo Constantinopolitano. De conseruanda pace sanctæ Ecclesiæ. Cap. CLXVII

Epist.4 DVdū dum in urbe regia respōsa sedis apostolicæ facerem, bona uestrę sanctitatis agnoui. Et quia uobis animarum nūc cura cōmissa est, valde gaudeo. Et quanuis indignus, omnipotentem B dominum quibus ualeo precibus exoro, ut in uobis suam gratiam semper augeat, uosq; ad æternā patriam faciat animarum lucra congregare. Quia uerò ad hoc opus ad quod perducti estis infirmos uos esse dicitis: scimus quia prima uirtus est cognitio infirmitatis, atq; ex eo colligimus posse uos bene susceptum ministerium implere, quia uos uidemus infirmitatem propriam ex humilitate cognoscere. Omnes enim infirmi sumus: sed ille est infirmior, qui suam considerare non ualet infirmitatē. Vos uerò beatissimi fratres ideo fortes estis, quia de fortitudine propria diffidentes, in omnipotentis dei uirtute cōfiditis. Quantum uerò mens mea charitati uestræ ligata sit, uerbis epistolaribus explere non possum. Sed oro ut omnipotens deus C eandem quæ inter nos est charitatem, ex gratiæ suæ dono multiplicet, omnemq; occasionem scandali auferat: ne sancta Ecclesia confessione ueræ fidei unita, & coniunctis fidelium cordibus constipata, detrimentum aliquod quod absit, sacerdotibus inter se discrepantibus sentiat. Quanuis ego in omne quod loquor, in omne quod superbis quorundam actibus contradico, ex omnipotentis domini largitate charitatis intimæ custodiam nunquam relinquo: sed sic ea quæ sunt iustitiæ, foris exequor: ut ea quæ intus amoris & dilectionis sunt, minimè postponam. Vos autem semper mihi amoris mei uicem reddite: & ea quæ pacis & dilectionis sunt, custodite: ut unum in mente permanentes, quo nullam dissensionem inter nos intra- D re permittimus, eo obtinere quæ petimus, apud dominum ex ipsa melius cordium nostrorum unitate ualeamus. Præter ea Ioannem Chalcedonensem presbyterum, & Athanasium Lycaoniæ, sanctitati uestræ commendo: ut nullus uobis contra eos falsidica locutione surrepat: quia eorū fidem subtiliter discussi, eosq; rectos in suis confessionibus, quæ & scripto datæ sunt, inueni. Sancta autē trinitas sua uos manu protegat, & circa animarū custodiam semper uos uigilantes & sollicitos reddat: quatenus in æterna retributione ualeatis non solum de uestro opere, sed etiam de subiectorum uestrorum melioratione coronari.

Gregorius Cyriaco episcopo Constantinopolitano. De custodienda charitate & unitate sanctæ Ecclesiæ ubi etiam inserit multa testimonia ualde utilia sacræ scripturæ. Cap. CLXIX

COmmunes filios Georgium presbyterum Epist.5 & Theodorum diaconem uestrum, ea qua decuit charitate suscepimus, uosq; ab Ecclesiasticarum rerum cura ad animarum regimen uenisse gaudemus: quia iuxta ueritatis uocem, qui in modico fidelis est, & in magnis fidelis est: & bene ministranti seruo dicitur: Quia enim in pauca fidelis Mat.25 fuisti, supra multa te constituam. Cui etiam mox de æterna retributione subiungitur: Intra in gaudium domini tui. In scriptis autem uestris uos magnopere requiem quæsisse narratis. Sed per hoc C.11.q.1 scriptis, ad pastoralem sollicitudinem uos congruè uenisse ostenditis, quia sicut locus regiminis desideran tibus negandus est, ita fugientibus offerēdus est. Et sicut scriptum est: Nec quisquam sumit sibi ho Heb.5 norem, sed qui uocatur à deo tanquam Aaron. Et rursus idem prędicator egregius dicit. Si unus pro 2.Cor.5 omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et unus pro omnibus mortuus est Christus, ut qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei qui pro eis mortuus est & resurrexit. Et pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur: Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas. Ioan.21 Ex quibus uerbis colligitur: quia si is qui ualet, omnipotentis dei oues renuit pascere, ostendit se pastorem summum minimè amare. Si enim unigenitus patris pro explenda utilitate omnium, de secreto patris egressus est ad publicū nostrum: nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus utilitati proximorum? Quies itaq; nobis ex corde appetenda est, & tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est animo subire. Quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorum unus prædicationis officium uitare conatus est, & alter appetijt. Nam mitteti se domino Hieremias respōdit dicens, A,a,a, Hier.1 domine deus nescio loqui, quia puer ego sum. Et cum omnipotens deus personam ad prædicandū quæreret, dicens, Quem mittam, & quis ibit ex Esa.6 uobis? ultro se Esaias obtulit dicēs: Ecce ego, mitte me. En ab utrisq; exterius diuersa uox prodijt sed non à diuerso fonte dilectiōis emanauit. Duo quippe sunt præcepta charitatis dei uidelicet amor, & proximi. Per actiuam igitur uitam prodesse proximis cupiens Esaias officium prædicationis appetijt: per contemplatiuam uerò Hieremias amori conditoris sui sedulo inhærere desiderans: ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter unus appetijt, hoc laudabiliter alter expauit. Iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet: ille damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum: quia & is qui recusauit, plene non restitit: & is qui mitti uoluit, ante se per altaris calculum purgatum uidit: ne aut non purgatus adire quisquam sacra ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit: sub humilitatis specie superbè contradicat. Magno autem desiderio uos in epistolis uestris inuenio serenitatē mentis quærere, & repulsa perturbatione, ad tranquillitatem cogitatio-

cogitationis anhelare. Sed qua ratione ad hoc ue
stra fraternitas pertingere possit, ignoro. Qui eñ
regendam nauem suscipit, tanto amplius necesse
est uigilet, quanto amplius littus relinquit: ut ali-
quando futuras procellas ex signo præuideat: ali
quando uenientes aut directo clauo si paruæ sint
superet, aut si uehementer intumescunt, dato in
obliquum latere irruentes declinet, & sæpe so-
lus uigilat, cùm cuncti illi quibus nulla nauis cu-
ra commissa est, quiescant. Quomodo autem su-
scepto pastorali onere habere serenitatem cogita
Iob 26 tionum poteritis, cùm scriptum sit: Ecce gigan-
tes gemunt sub aquis? Iuxta Ioānis etenim uocē,
aquæ populi sunt. Et gigantes sub aquis gemere
est, quia quisquis in hoc mūdo quasi quadam cor-
poris mole, ordine potestatis excreuerit, tanto
pondera maioris tribulationis sentit, quanto su-
per se regendorum populorum curam susceperit. Sed si sancti spiritus uirtus afflictam mentem
afflauerit: protinus hoc quod Israelitico populo
corporaliter factum est, nobis spiritaliter contin-
Exod. 15 git. Scriptum quippe est: Filij Israel ambulauerūt
per siccum & medium mare. Et per prophetam
Esa. 43 dominus pollicetur dicens: Cùm transieris per
aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Illos
enim flumina operiunt, quos actiones huius secu
li mentis perturbatione cōfundunt. Nam qui san-
cti spiritus gratiam tenet in mente, transit aquas,
& tamen fluminibus non operitur: quia etiam in-
ter medias populorum turmas sic peragit gressus
sui itineris: ut non submittat actionibus seculi ca-
put mentis. Ego quoq; qui indignus ad locum re-
giminis ueni, infirmitatis meæ conscius, secretio-
ra loca petere aliquando decreueram: sed super-
na mihi iudicia aduersari conspiciens, iugo condi
toris subdidi ceruicem cordis: hoc præcipuè per-
pendens, quia quælibet occulta loca sine dei gra-
tia animam saluare non possunt, quod aliquando
in ipsis quoq; conspicimus erratibus electorum.
Nam Loth in peruersa ciuitate iustus fuit, in mon
te peccauit. Sed ista cur dicimus, cùm maiora no-
rimus? Quid enim paradiso iocūdius? Quid cœ
lo securius? & tamen homo ex paradiso peccan-
do, & angelus cecidit è cœlo. Illius ergo nobis uir
tus quærenda est, & gratia postulanda, sine quo
nusquam absq; periculo & culpa: cum quo nus-
quam sine iusttia esse nō possumus. Curandū er-
go est, ut perturbatio cogitationum nō exuperet
animum: nam repelli funditus nullatenus potest.
Quisquis enim est in loco regiminis, aliquando
necesse est habeat etiam terrena cogitare, & exte-
riorum quoq; curā gerere, ut grex cōmissus uale-
at ad ea quæ sibi sunt explenda subsistere. Sed ma
gnopere semper prouidendum est, ne hæc eadem
cura modum transeat, ut cùm ad cor licenter ad-
mittitur, nimis excrescere nō permittatur. Vnde
Ezec. 44 rectè per Ezechielem prophetam dicitur: Sacer-
dotes caput suū non radant, neq; comam suā nu-
triant, sed tondentes attondeant capita sua. Quid
enim per significationē sunt capilli in capite, nisi
cogitationes in mente? qui dum super cerebrū in-

sensibiliter oriunt, curas uitæ præsentis designār,
quæ ex sensu negligenti quia importunè aliquan
do prodeunt, quasi nobis non sentientibus proce
dunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere qui-
dem sollicitudines exteriores debent, nec tamen
eis uehemēter incumbere: sacerdotes rectè & ca-
put prohibentur radere, & comam nutrire, ut co-
gitationes carnales de uita subditorū nec à se fun-
ditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis
relaxent. Vbi & bene dicitur: Tondentes tonde- Eze. 44
ant capita sua, ut uidelicet curæ temporalis sollici
tudines, & quantū necesse est prodeant, & tamen
recidant citius, ne immoderatius excrescāt. Dum
igitur & per administratā exteriorem prouiden-
tiam corporū uita protegitur, & rursus per immo
deratam cordis intentionē non impeditur, capilli
in capite sacordotis & seruantur ut cutem coope
riant, & resecantur ne oculos claudant. Præterea
epistolas uestras directas plenas fide suscepimus.
Atq; omnipotenti deo gratias agimus: qui incon
sutilem tunicam desuper cōtextam, uidelicet Ec-
clesiam suam, uicaria confessione fidelium in uni
tate gratiæ ab omni erroris scissione custodit, &
contra pereuntis mundi, ut ita dicam, tot culpārū
diluuiū, ex multis lignis arcam construxit, in qua
omnipotentis dei electi seruentur ad uitam. Nam
cùm uicissim nobis fidei nostræ cōfessionē trans-
mittimus, & charitatem nostram erga uos osten-
dimus: quid aliud in sancta Ecclesia agimus, nisi
arcā bitumine linimus, ne unda erroris intret, &
uel spiritales quosq; tanquam homines intret, uel
carnales tanquam animalia occidat? Sed cùm sa-
pienter à uobis recta fides prolata sit: restat ut pro
culdubio debeatis pacem cordiū prudentius cu-
stodire, propter hoc quod ueritas dicit: Habete Mar. 9
sal in uobis, & pacem habete inter uos. Et Paulus
apostolus admonet dicens: Solliciti seruare unita Ephe. 4
tem spiritus in uinculo pacis, qui rursus ait: Pacē Heb. 12
sequimini cum omnibus & sanctimoniā, sine qua
nemo uidebit deum. Quam uidelicet pacem tunc
nobiscū ueraciter habebitis, si prophani nominis
superbiam declinetis, iuxta quod idem magister
gentium dicit: O Timothee depositum custodi, 1. Tim. 6
deuitans prophanas uocū uanitates. Nimis quip-
pe iniquum est, si hi qui prædicatores humilitatis
facti sunt: de uani nominis elatione glorientur,
cùm uerus prędicator dicat: Mihi autem absit glo Gal. 6
riari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Ille
ergo uerè glorioſus est: qui non de temporali po-
tentia, sed pro Christi nomine de sua passione glo
riatur. In hoc itaq; uos medullitus amplectimur.
In hoc sacerdotes uos esse recognoscimus, si re-
pulsa uanitate uerborū, sanctitatis locum cum san
cta humilitate teneatis. Ecce enim in nephādi ap-
pellatione nominis scandalizati sumus, & nō mi-
nimas querelas seruamus in mente, & promimus
in uoce. Vestra autem fraternitas nouit quid ueri
tas dicit: Si offers munus tuum ante altare, & ibi Matt. 5
recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid
aduersum te, relinque ibi munus tuum, & uade
prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offe-

res munus tuum. Qua in re penſandum eſt, quia cùm omnis culpa oblato ſacrificio deleatur, tantum eſt malum ſcandali alieno cordi generati, ut ab eo qui peccauerit, nec ipſum ſacrificium dominus accipiat, quod delere peccatum ſolet. Curate ergo cordis ueſtri feſtinè ſcandalum detergere, ut poſsit omnipotēs deus oblationis ueſtræ ſacrificiū acceptabile habere. Præterea cùm recta à uobis fides ueraciter & ſubtiliter ſit prolata, inter eos quos per ſanctiſſimas generales ſynodos dānandos eſſe cenſuiſtis, Eudoxiū quendā uos damnaſſe cōperimus: cuius nomen in Latina lingua neq; in ſynodis, neq; in libris beatæ memoriæ epiſcoporū Epiphanij, Auguſtini, & Philaſtri, quos contra hæreticos præcipuè diſputaſſe nouimus, poſitum reperimus. Quòd ſi quis eum ueraciter de catholicis patribus damnat, eius proculdubio ſententiā ſequimur. Vos tamen ſi in ſynodica ueſtra epiſtola eos quoq; nominatim damnare uoluiſtis, qui extra ſanctas ſynodos per patrum ſcripta damnātur: multos ſcriptis ſuis ueſtra fraternitas minus poſuit: ſi autem eos quos generales ſynodi reſpuunt, hunc unū amplius. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia ut nobis liceat rectam fidem liberè fateri, & cuncta quæ agenda ſunt, concorditer in pace diſponere, pro ſereniſſimorū dominorum uita, propria quoq; ſobole inceſſanter orandum eſt, ut omnipotens deus eorū pedibus barbaras nationes ſubijciat: longa eis & felicia tempora concedat: quatenus per Chriſtianū imperium ea quæ in Chriſto eſt, fides regnet.

Gregorius Mauricio Auguſto. De ordinatione Cyriaci epiſcopi. Cap. CLXX

Epiſt.6 OMnipotens deus qui pietatem ueſtram pacis Eccleſiaſticæ fecit eſſe cuſtodem, in ipſa uos fide ſeruet, quam uos ſacerdotali unitate ſeruatis: cunq; ſupernæ pietatis iugo cor humiliter ſubditis, cœleſti gratia agitur, ut hoſtes ueſtros pede fortitudinis prematis. Non enim paruæ potuit eſſe mercedis, quòd Ioanne ſanctæ memoriæ de hac luce ſubtracto, ad ordinandum ſacerdotem pietas ueſtra diu hæſitauit, tempus paulò longius diſtulit, cùm metu omnipotentis domini conſilium quæſiuit, ut uidelicet cauſa dei cum magno debuiſſet timore diſponi. Vnde & aptū ualde exiſtere in paſtorali regimine fratrem atq; conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo: quem ad eundem ordinem pietatis ueſtræ cōſilia longa genuerunt. Qui in adminiſtrandis dudum rebus Eccleſiaſticis quàm ſollicitus, & quomodo fuerit exercitus, cuncti nouimus. Vnde & ſuperna geſtū diſpoſitione non ambigo: ut qui bene minima geſſerat, congruè maiora ſuſciperet, atq; à cura rerū, ad animarum regimina tranſiret. Pro qua re totis precibus deprecamur, ut bonum hoc omnipotēs deus ſerenitati dominorum piæq; eorum ſoboli & in præſenti ſeculo atq; in perpetua remuneratione tetribuat, & prædicto fratri & conſacerdoti meo, qui dominico gregi prælatus eſt, animarum curam plena ſollicitudine exhibere concedat, ut irreprehenſibiliter poſſit ſubiectorum ſuorum & praua corrigere, & recta ad creſcendū fouere: quatenus de eo pietatis ueſtræ iudiciū, nō ſolū ante homines, ſed etiā ante ſupernæ quoq; maieſtatis oculos conualeſcat. Venerabiles autem uiros Georgium presbyterum, & Theodorū diaconem propulſione dominorum atq; pro imminētia hyemalis tēporis in hac urbe moras perpeti nō permiſi.

Gregorius Mauricio patricio, Petro Domitiano & Elpidio epiſcopis, &c. De ordinatione Cyriaci epiſcopi: hicq; reprehendit declamationem de eius ordinatione: quia clamauerunt, hæc dies quam fecit dominus. Dicit quoq; quia non conuenit homini niſi ſolum filio dei. Sed culpam ignoſcit: quia ex charitate proceſsit. Cap. CLXXI

Epiſt.7 ORdinationē uiri ſanctiſſimi Cyriaci fratris & conſacerdotis mei cum magna uos lætitia ſuſcepiſſe uehemēter exulto: & quia Paulo apoſtolo prædicāte didicimus, ſi gaudet unū membrum, congaudent cætera membra: penſare uos neceſſe eſt, quāta uobis hac in re exultatione congaudeo, in qua non unū membrū, ſed multa Chriſti membra gauiſa ſunt. Sicut tamen ſcripta fraternitatis ueſtræ potui tranſcurrēdo perpendere: magna lætitia in immoderatā eiuſdem fratris mei laudem uos rapuit. Nam hunc ſicut ſolem in Eccleſia apparuiſſe dicitis, ita ut cūcti clamaretis: Hęc dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Et certè ſequentis uitæ promiſſio eſt, qua dicitur: Fulgebunt iuſti ſicut ſol. Nam in hac uita adhuc quiſq; poſitus quātalibet uirtute polleat: quomodo ſicut ſol fulget, in qua corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem? In qua uidemus aliam legem in membris noſtris repugnantem legi mentis noſtræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris noſtris: in qua & in nobiſmetipſis reſponſum mortis habemus, ut non ſimus fidentes in nobis. In qua etiā prophetа clamat: Timor & tremor uenerūt ſuper me, & cōtexerūt me tenebræ. Nam & quod ſcriptū eſt: Sapiens ut Sol permanet, fatuus ut luna mutatur: nō ad claritatis fulgorem, ſed ad perſeuerantiā boni operis comparatio eſt Solis deducta. Bonū uerò ordinationis eius initiū potuit uideri, ſed necdum potuit de perſeuerantia à uobis laudari. Quod autem hæc dies quam fecit dominus, clamaſſe uos dicitis, de quo hoc dictum ſit, penſare debuiſtis. Præmiſſum quippe eſt: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Atque de hoc eodem lapide protinus ſubditur: Hæc dies quam fecit dominus. Ipſe ēm qui pro fortitudine conſtructionis dicitur lapis, pro illuminationis gratia appellatus eſt dies, qui etiam factus eſt, quia incarnatus eſt. In quo exultare & lætari præcipimur, quia erroris noſtri tenebras ſuæ in nobis uirtutis luce ſuperauit. In creaturæ autē laudem uox illa dari non debuit, quæ ſoli conuenit creatori. Sed cur iſta reprehendo, qui quantum gaudia mentem rapiunt, ſcio? Charitas etenim ueſtra magnā nobis lætitiā genuit, quam uidelicet mentis lætitiā in fauore lingua ſequuta eſt.

1.Cor.12 Matth. Sapient. Rom.7 Pſal.54 Eccli.27 Pſal.117

est. Quod cùm ita sit, laus ista culpa iam dici non potest, quam charitas inuenit. Mihi uerò de sanctissimo fratre meo dici breuiter debuit, q̃d sufficienter acciperem: quia scirem quis esset qui hãc mihi præcipuè dudum suæ magnitudinis probationem dedit, quòd in tam multis dispensationis Ecclesiasticæ causis occupatus tranquillum cor inter turbas turbulentas frequentius tenuit, seq; ipsum semper sub mansuetudine restrinxit. Quod uidelicet non parua laus magni & inconcussi est animi, inter causarum turbas non fuisse turbatũ. Præterea assiduis insistere fraternitas tua precibus debet, ut omnipotens Deus in prædicto fratre & consacerdote nostro bene cœpta custodiat, & semper ad meliora perducat. Hoc sanctissimis uobis, hoc subiecto ei populo semper orandum est. Nam ita sibi regentium merita connectuntur & plebium, ut sæpe ex culpa præsidentium deterior fiat uita subiectorum, & sæpe ex merito plebium delinquat uita pastorum. Quia enim mala actio præsidentis ualde noceat subditis, testantur Matt.23 Pharisæi, de quibus scriptum est: Clauditis enim regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis introire. Et quia culpa plebium multum noceat uitæ pastorum, in 1.Reg.2 & 24 Dauid facto cognoscimus. Ille enim deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit, & tamen uindictam populus Dauid peccante suscepit. Cur hoc? quia uidelicet secundum meritum plebium disponuntur corda regentium. Iustus uerò iudex peccantis uitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Sed quia ipse sua scilicet uoluntate superbiens, à culpa alienus nõ fuit, uindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæuiens quæ corporaliter populũ perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostrauit. Hæc itaq; cõsiderate inuicẽ, & sicut is qui uobis, plebibusq; prælatus est, intercedere pro omnib. ita pro eius conuersatione & moribus orare omnes debetis, ut apud omnipotentem deum & uos illius ualeatis imitatione proficere, & ille meritis uestris adiuuetur. Cuncti autem concorditer pro sereniss. dominis, eorumq; pia sobole cum magnis inquantũ possumus assiduè fletibus oremus, ut eorum uitam gratia protegens superna custodiat, & Christiano imperio gẽtiũ colla substernat.

Gregorius Stephano episcopo. De Maria patricia conuersa, & Constantinum præfectũ commendat. Cap. CLXXII

Epist.8 SCripta uestræ sanctitatis medullata mihi charitatis uerba locuta sunt: ita ut per calamũ sic in epistolas animus transiret, ac si mihi per semetipsum loqueretur. Qua de re magnas omnipotenti deo gratias refero: quia & diuisis corporibus, nobisq; à uobis recedẽtibus longè, charitas inter nos permanet indiuisa. Et quidem multum mihi, & ultra quàm indignus audire debui, fauorem in Eccli 11 epistolis demonstratis. Et scriptũ est: Ne laudes hominem quàm diu uiuit. Tamen & si audire talia nõ dignus fui, oriationib. uestris peto, ut dignꝰ efficiar, ut si bona in me nõ ideo dixistis quia sunt, ideo sint quia dixistis. De gloriosa autem Maria patricia ualde lætatus sum: quia in sancto dei ouili aggregata est, quod ex uestra factũ assidua prædicatione non dubito: quia ex ipso fructu ostenditis quantum pro fide catholica laboratis. Multos etiam per illam uenire ad Ecclesiam suam suspicor, quod totum uestræ laudi proficit, quia scriptũ est. Vbi plurimæ segetes, ibi maxima fortitudo boum. Manifestatur enim uirtus prædicantiũ, ubi surgit seges animarum. Communem uerò filium excellentissimum uirum dominũ Constantinum præfectum quantum plus diligitis, tantum exhortari continuè debetis, ut in causis in quibus mixtus est, semper omnipotentis dei iudiciũ ante oculos cordis habeat: eiq; soli placere studeat, qui & in præsenti uita ualet protegere, & cœlestis patriæ præmia cõpensare. Prou.14

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano. Gratias agit de bonitate eleemosynarũ. Cap. CLXXIII

BEnedictionem quam pauperibus fraternitas uestra transmisit, lator præsentium homo uester Candidus nobis dispensantib. suis manibus erogauit: quod uobis secundum animum uestrum fortasse parum uisum est. Nos tamen secundum modum uestræ substantiæ esse nimiũ & ultra modum æstimamus, ut qui illic apud uos innumeros pauperes habetis, pro explenda largitate misericordiæ, etiam loca alia & longè posita requiratis. De causis uerò alijs à uobis scriptis prioribus iam respondisse memini, & nihil aliud quærere debetis, nisi ut sub consideratione solius omnipotentis dei cuncta faciatis: & nullius persona uos à uigore disciplinæ emolliat: neq; uehemens indignatio in rigore, quod absit, aliquo immoderatæ districtionis obdurer. Præterea audio q̃ aliqua de his quæ scripsisse me memini, fraternitas uestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat, quod mihi non uidetur esse faciendum: quia hoc quod uos pro charitate facitis, possunt quidã quantum ad me est, uanæ gloriæ deputare. Ideoq; coram extraneis antiquorũ dicta legite: ex quorũ authoritate ualeant qui audierint informari. Epist.9

Gregorius Agnello episcopo de Arimino. De præposito ordinando, & cura monasterij. Caput CLXXIIII

FIlio nostro Secundo seruo dei renũciante didicimus, quòd dilectio tua præpositũ non habens, omnino in regendis fratribus elaboret. Si ergo qui uos ex ordine sequitur, talis est, ut circa cellæ ordinationem fratrumq; custodiam, nec nõ & in hoc lucrandis animabus solers ualeat inueniri: is debet ad hunc locum incunctanter accedere. Si uerò talis non est, qualẽ locus exposcit, de quolibet etiam ultimo gradu si talis inter fratres, domino protegente, fuerit repertus: qui uitæ meritis dignum conuersationis suæ prębeat documentum, diuinique in eo timoris uigor inuigilet, huius profectò nõ locus, sed est utilitas profectò prouidenda, ut tali exẽplo ad bonæ imitationis normã Epist.10

cuncti ſe fratres extendant: nec eos adhuc locus A
inferior ad bene operandum tepidos reddat: dum
in illo qui profecerit, de præſenti quod imitentur
aſpiciunt. Dilectioni quapropter tuæ in hac ordi-
natione ſit nulla dubietas, quòd non locus, ſed a-
ctio apta perquiritur: quia & ante deum ille prio-
ris obtinet locū, qui in eiuſdem oculis etiam ſi hic
abiectus ſit, bonæ actionis inſtrumento placue-
rit. Circa fratres nanq; ſollicita uos, ſicut confidi-
mus, decet inuigilare cuſtodia: ne à recto conuer-
ſationis itinere per illicitas euagando cogitatio-
nes exorbitent: atq; inimico per inertem cuſtodi-
am irruptionis aditum præſtent. Sed eos orationi
decet inſtantius adhærere, quatenus pia cœpta eo
rū, ſuæ propitiationis dono perficiant: & imperfe
cta ad cumulū faciant perfectionis aſcendere. B

Gregorius Rufino epiſc. Epheſ. Cõmendat cleri
cũ quendã literas neſcientem. Cap. CLXXV.

Epiſt. 11 AMicitiarum ueſtrarum antiqua nos chari-
tas monuit fraternitatem ueſtrã ſcriptis præ
ſentibus uiſitare. Magno etenim ſumus gaudio re
leuati, quòd de ueſtrę ſalutis indicio proſpera cun
cta cognouimus: ſed in his omnipotentem domi
nũ deprecamur: ut ſicut nos in præſenti uita, quæ
quodam modo umbra futuræ eſt, de tranſitoria
præſtitit corporis incolumitate gaudere, ita in illa
cœleſti patria, in qua uita uera eſt, de perfecta ani-
mæ ſalute gratulari, communiq; faciat exultatio-
ne gaudere. Harum nanque lator noſtris ſe apud
uos deſiderans epiſtolis commendari, à nobis in- C
quiſitus, utrum, ſicut decet clericum, literas didi-
ciſſet, eas ſe ignorare reſpondit. Quid ergo com-
mendationis de eo apud fraternitatem ueſtram
amplius agam, ignoro, niſi ut de eius anima debe
atis eſſe ſolliciti, ac circa eum paſtorali inuigilare
ſtudio: ut qui neſcit legere, lingua ueſtra illi ſit co-
dex: in bono prædicatiõis ueſtræ uel operis, quod
imitetur aſpiciat. Solet enim plerũq; ſtrictius cor
uiua uox trahere, quàm lectio dicta per tranſitum
Sed dum hæc ei interius ſpiritalis à uobis magiſte
rij doctrina tribuetur, exterior quoq; ſollicitudo
non deſit: ut eius adiumento ad ſpiritalia appeten
da perueniat. Tranſitoria quoque percipiat: ne ſi
hoc deſpicitur, deſit cui prædicatio miniſtretur.

Gregorius Reſpectæ abbatiſſæ de Gallijs
Maſſiliæ. De priuilegijs monaſterij ſui.
Caput CLXXVI. D

Epiſt. 12 PIæ poſtulatio uoluntatis effectu debet proſe-
quente compleri: quatenus & deuotionis ſin
ceritas laudabiliter enitescat, & utilitas poſtulata
uires indubitanter aſſumat. Proinde monaſterio
quod in honorem ſancti Caſſiani eſt cõſecratum
in quo præeſſe dinoſceris, iuxta petitionem filio-
rum noſtrorum Dinamij atq; Aureliani, qui id re-
ligioſa deuotione domui ſui iuris iunctis unijſſe
ædificijs comprobantur, & priuilegia præuidi-
mus indulgeri. Conſtituentes, ut obeunte antedi
cti monaſterij abbatiſſa, non extranea, ſed quam
cõgregatio ſibi de ſuis elegerit ordinetur: quam
tamẽ ſi digna hoc miniſterio iudicata fuerit, eiuſ-
dẽ loci epiſcopus ordinet. In reb⁹ aũt uel in diſpo
ſitione monaſterij eiuſdem, nec epiſcopum, neq;
eccleſiaſticorum quenquam aliquam habere de-
cernimus poteſtatẽ: ſed hæc ad ſollicitudinis tuæ
curam, uel quæ poſt te in eodem loco fuerit abba
tiſſa, ſtatuimus per omnia pertinere. Die ſiquidẽ
natalis uel dedicationis ſupradicti monaſterij, epi
ſcopo illic miſſarum ſacra conueniat ſolennia ce-
lebrare: à quo tamen ita eſt hoc officium exoluẽ
dum, ut cathedra eius niſi prædictis diebus dum
illic miſſarum ſolennia celebrat, nõ ponatur. Quo
diſcedente ſimiliter etiam cathedra illius de eodẽ
oratorio auferatur. Cæteris uerò diebus per preſ-
byterum qui ab eodẽ epiſcopo fuerit deputatus,
miſſarum officia peragantur. Prẽterea erga uitam
actusq; ancillarum dei ſiue abbatiſſæ quę in ſupra
ſcripto fuerit monaſterio conſtituta, epiſcopo ſe-
cundum dei timorem, ſollicitudinem ſtatuimus
adhibere: ut ſi aliquam de illic habitantibus exi-
gente culpa oportuerit ultioni ſubmitti, ipſe iuxta
ſacrorum canonum uigorem modis omnibus de-
beat uindicare. His ergo à nobis ſtatutis atque
conceſſis, ita te in congregationis tuæ diſpoſitio-
ne cuſtodiam ſtude ſollicitiorem enixius in omni
bus exhibere, ut iniqui hoſtis malitia nihil ibi q̃d
maculari poſſit inueniat. Hæc igitur omnia quæ
huius pagina præceptionis amplectitur, monaſte
rio tuo in omnibus, & ab omnibus in perpetuum
ſeruari Chriſto protegente cẽſemus: quatenus in
dultorum priuilegiorum beneficia, in ſua ſemper
inuiolabiliter firmitate permaneant.

Menſe Nouembri. Indictione. xv
Gregorius Fortunato epiſcopo Fanenſi.
Scribit ſacra uaſa pro redemptione captiuorũ
uenundanda. Cap. CLXXVII.

Epiſt. 13 SIcut reprehenſibile & ultione dignum eſt ſa-
crata quenquam uaſa, præterquam in his quæ
lex & ſacri canones præcipiũt, uenundare: ita nul
la eſt obiurgatione uel uindicta plectendum, ſi pi
etatis cauſa pro captiuorum fuerint redemptione
diſtracta. Quia ergo fraternitate ueſtra indicante
comperimus ad redemptionem captiuorum mu-
tuam ſe feciſſe pecuniam, & eam unde ſolueret
non habere, atq; ob hoc cum noſtra uos authorita
te ſacrata uelle uaſa diſtrahere, in hac re, quia & le
gum & canonum decreta conſentiunt, noſtrũ cõ
ſenſum præbere curauimus, & in diſtrahendis ſa-
cratis uaſis uobis licẽtiam indulgemus. Sed ne eo
rum uenditio ad ueſtram poſſit inuidiam perti-
re: oportet ut in Ioannis defenſoris noſtri præſen
tia uſq; ad quantitatẽ debiti diſtrahi, & eorũ ſolui
preciũ creditoribus debeat: quatenus dũ hæc res
huiuſmodi fuerit obſeruatione cõpleta, nec credi
tores mutuæ pecuniæ damna ſentiãt, nec fraterni
tas ueſtra inuidiam nunc uel quandoq; ſuſtineat.

Gregorius Cõſtantio epiſc. Mediola. De nõ curãdis
obtrectationibus malorum. Cap. CLXXVIII.

Epiſt. 14 ANtiquus humani generis inimicus quibus
uos linguarũ iaculis, & malorũ cordiũ inſi-
dijs exiſtimauit impetẽdos, relatione multorũ iã
dudũ me audiſſe cognoſcite. Sed in cunctis quæ
in hac uita aduerſa proueniunt, ſola eſt, ſicut no-
ſtis, omnipotentis dei diſtrictio penſanda, atq; ad
cor

cor semper propriũ recurrendum, ut nullius nos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit, & inter accusationem liber est: & liber uel sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius audit conscientia accusat. De uestra igitur sanctitate absit à Christianorum iudicio, ut ea quæ maledicorum hominum rumoribus conficta sunt, credamus in qualicunq; modulo suspitiõis adduci: quia ex sacri eloquij testimonio tenemus, ut maiora mala cùm forsitan dicuntur, nisi probata credi non debeãt: sed probata citius ulciscí. Nam ipse qui omnia creauit & cũcta quæ condidit intuetur deus, malorũ gra-
Gen.18 uium ultione commotus ait: Clamor Sodomæ & Gomorræ ascendit ad me, descendam ut uideam utrum clamorem quem audiui, opere compleuerint, & ulciscar, an non est ita ut sciam? Quò enim descenderet deus, ut quæ essent facta cognosceret? Aut quid non is qui ubiq; est sciret? Sed ut nostræ ignorantiæ exemplum discretiõis daret, qua tenus deberemus mala grauia audita nõ credere, ipse se dicit ad cognoscẽdum descendere, de quo omnibus liquet: quia & non descendẽs omnia sciret. Hæc igitur dixi, ut nimiæ esse leuitatis ostenderem, si quis mala grauia credere studeat, quæ probari non possunt. Vnde sanctitas uestra debet mentem suam à maledicorum hominum rumoribus atq; obtrectatione disiungere: & sola quæ æternæ uitę sunt, atq; ad utilitatem subditorum proficiunt, cogitare: quia & ad hoc fortasse antiquus hostis tali cura implicari uos uoluit: ut dum fraternitatis uestræ animus erga ea quæ sua sunt indesinenter occũpatur, aliena minus cogitet: & nullum uerbi solatium subditis inferat, atq; peruersè agentibus nulla districtione contradicat. Sic nanque in corporali prælio fieri solet, ut is qui in certamine uexillum portat, ipsum hostis uehementer impetat: quatenus si ipse qui à cæteris attenditur, uulnus accepit, multitudo omnis citius dispersa capiatur. Hoc igitur opinionis illatæ uulnus sentire uestra fraternitas non debet: sed uitam atque meliorationem sibi commissorum curare: quatenus uenturo iudici bonam possitis & de uestra innocentia, & de subiectorũ melioratione ponere rationem. Cætera autem quæ ad utilitatem temporis congruunt, per Marianum defensorẽ uestrũ uobis uerbo intimanda mandaui. Illũ uerò episcopũ quẽ à fraternitate tua inuenimus esse depositũ, postquã sacri canones, sicut nostis, ultra tres menses Ecclesiã præcipiãt nõ uacare, si manifestũ in eo crimen apparuit, loco eius episcopũ studij uestri sit modis omnibus ordinare: quia diu sine proprio rectore esse non debet Ecclesia.

Mense Maio. Indictione. xv.

Gregorius Georgio presbytero & Theodoro diacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Quos dominus descendens ad inferos se cum assumpserit. Cap. CLXXIX

Epist.15 MEmor bonitatis uestræ atq; charitatis, me metipsum ualde reprehendo: quòd uos ad remeandum citius relaxaui: sed quia semel ac secundo importunè mihi de relaxatione uestra uos insistentes uidi, perpendi ne graue esset, si uestra apud nos dilectio moraretur. Postquam uerò cognouimus uos propter hyemis tempus iam longo tempore in itinere remansisse, fateor citius dimissos esse uos dolui. Si enim iter propositum uestra dilectio peragere non ualebat, melius fuerat ut apud me moram quàm extra me faceret. Præterea post discessum uestrũ dilectissimis filijs meis diaconibus narrantibus agnoui, quòd dilectio uestra dixisset, omnipotẽtem dominum saluatorem nostrum Iesum Christum ad inferos descendentem, omnes qui illic confiterentur eum deum, saluasse, atq; à pœnis debitis liberasse. De qua re uolo ut fraternitas uestra longè aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos per suam gratiam liberauit, qui eum & uenturum esse crediderant, & præcepta eius uiuendo tenuerant. Constat autem quia post incarnationem domini nullus ex his etiam saluari potest: qui fidem illius tenent, & uitam fidei non habent: quia scriptum est: Confitentur ad Titum.1
se nosse deum, factis autẽ negant: & Ioannes ait: Qui dicit quia nouit eum, & mandata eius non cu 1.Ioan.2
stodit, mendax est. Iacobus quoq; frater domini scribit dicẽs: Fides sine operibus mortua est. Si er Iaco.4
go fideles nunc sine operibus bonis non saluãtur, & infideles ac reprobi sine bona actione domino ad inferos descendente saluati sunt, melior illorũ sors fuit, qui incarnationem domini minimè uiderunt, quàm horum qui post incarnationis eius mysterium nati sunt. Quod quantæ fatuitatis sit dicere uel sentire, ipse dominus testatur discipulis dicens: Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere Matt.13
quæ uos uidetis, & non uiderunt. Sed ne dilectionem uestram in mea disputatione immorer: quid de hac hęresi Philaster in libro quem de hęresibus scripsit dixerit cognoscat. Cuius hæc uerba sunt: Sunt hæretici qui dicunt, dominum in infernum descendisse, & omnibus post mortem etiam ibidem se nunciasse, ut confitentes ibidem saluarentur: cùm hoc sit contrarium dicenti prophetæ Dauid: In inferno aũt quis confitebitur tibi? Et Apo- Psal.6
stolus: Quotquot sine lege peccauerũt, sine lege Rom.2
peribunt. Cuius uerbis beatus quoq; Augustinus in eo libro concordat, quem de hæresibus scripsit. Hæc itaq; omnia pertractantes, nihil aliud teneatis, nisi quod uera fides per catholicam Ecclesiam docet: quia descendens ad inferos dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos uiuentes in carne per suam gratiam in fide & bona operatione seruauit. Quod enim per Euangelium dicit, Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham Ioan.12
ad meipsum, omnia uidelicet electa: nam trahi ad deum post mortẽ nõ potuit, qui se à deo malè uiuendo separauit. Omnipotens deus sua uos protectione custodiat, ut ubicunq; estis, & in anima & in corpore gratiæ eius auxilium sentiatis.

Gregorius Agnello episcopo Terracinensi. De obitu Beccãdæ, & uisitatione Ecclesiæ eius. Caput CLXXX.

Epist.16 OBitum Beccandæ antistitis directa relatio patefecit, quapropter uisitationis Ecclesiæ

Greg.

deſtitutæ fraternitati tuæ operam ſolēniter delegamus, quam ita te cōuenit exhibere, ut nihil de prouectionibus clericorū, redditu uel ornatu miniſterijſq;, uel quicquid eſt in patrimonio eiuſdē à quoq; pręſumatur: Eccleſiā monere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno eodemq; conſenſu talem ſibi præficiendum expetat ſacerdotem, qui tanto miniſterio dignus ualeat reperiri: & à uenerandis canonibus nullatenus reſpuatur, qui dum fuerit poſtulat⁹, cum ſolēnitate decreti omniū ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio literarū ad nos ſacrandus occurrat: cōmonentes etiā fraternitatē tuam, ut nullū de altera eligi permittatis Eccleſia, niſi forte inter clericos ipſius ciuitatis in qua uiſitationis impendis officiū, nullus ad epiſcopatum dignus, quod euenire nō credimus, potuerit inueniri. Prouiſurus ante oīa ne ad hoc cuiuslibet conuerſationis ſeu meriti laicæ perſonæ aſpirare præſumant, & tu periculū ordinis tui, quod abſit, incurras.

Gregorius Sabiniano epiſcopo Iadrentin.
De non communicando Maximo præuaricatori. Cap. CLXXXI

Epiſt. 17 SI diſpenſationis Eccleſiaſticæ regulā, & antiquæ cōſuetudinis ordinē, ſollicita ſtuduiſſem cōſideratione penſare, nec tibi aliqua illicitæ præſumptiōis culpa ſurreperet, nec alij occaſione tui peccati diſcrimen incurrerent. Itaq; cognouiſſe te non eſt ambiguum, quia dum ad nos quædam de Maximo peruenirent quæ ſacerdotij prouectū non leuiter impedirent, noſtrū in eius perſona nō fuiſſe conſenſum, nec prius eum uoluiſſe ad hoc quod nitebat accedere, q̄ digna de his quæ dicta erant ſatisfactio proueniret. Quod cùm ſeruare & tu omnimodo debuiſſes, actū magis eſt ut ante dictus Maximus cæcæ mentis auiditate epiſcopatum arripiens, ad ſuā te incaute uoluntatem, contra noſtrum uetitum inclinaret. Sed ne uel tūc irrequiſita quæ ad nos perlata fuerant permanerēt, noſtris & huc ueniret epiſtolis eſt accerſitus. Quē etiam prauo ſtudio differentē, curæ nobis fuit ſub interdictione cōmunionis iteratis epiſtolis admonere, ut ad nos pro ſui purificatione uenire excuſatione poſtpoſita properaret, ſed elegit excommunicationi ſuccumbere, quàm obediētiam exhibere. Vnde contigit ut peruerſæ ipſius mentis prauitas in ſuam alios ſecū, quod dici nephas eſt, perditionem conuolueret. Nunc aūt quia ab eius te nequitia cognouimus diſſentire, deniq; ut nec ei communices, nec nominis ipſius facias inter ſacra miſſarum ſolennia mentionem, ut animę tuæ uel ſero te ab eo diſcordaſſe proficiat, ſcriptis te præſentibus adhortamur, quatenus ad nos mora ſubmota uenire non differas, ſed & alios tecū, quos tamen potueris, epiſcopos, cæterosq; religioſos feſtines adducere, ut cauſa ſubtilius examinata, & ueſtra, ſi res exegerit, congruè, decenterq; debeat abſolutio prouenire, & hi qui in peccato eiuſdem temeritatis collapſi ſunt: ad uiam ſalutis auxiliāte beato Petro apoſtolorū principe diſpoſitione deo placita reuocentur. Sciat aūt quiſquis A ad nos epiſcopus, uel religioſus uenerit, nullū ſe præiudiciū uel iniuſtitiā ſuſtinere, ſed ita interius cognita ueritate, quæ redemptori noſtro placuerit ordinari: quatenus ex ipſa noſtra diſpenſatione domino ſuffragante cunctis appareat non nos proprio odio contra aliquem, ſed dei zelo & Eccleſiaſtici ordinis libramine cōmoueri.

Gregorius Martino diacono & abbati.
De abſolutione eius. Cap. CLXXXII

Epiſt. 18 SIcut ueraciter aduerſus religioſos dicta crimina ſna digna ſunt ultione plectēda: ita abſtinentia ſunt nihilominus abſoluendi quando nullus eos culpæ reatus adſtringit. Quia igitur aliqua nobis de te fuerant nunciata, quę officij tui propoſitum B non leuiter macularent, curæ nobis fuit ea diu ac ſubtili inueſtigatione perquirere. Et quoniam nil quod tibi noceret inuenimus, ne qua de his quæ dicta fuerant, ſuſpitio remaneret, ad pleniſſimam te ſatisfactionem ſi ab eis inſons extiteris: ad ſacratiſſimum corpus beati Petri apoſtolorum principis diſtricta fecimus ſacramēta præbere. Et ideo poſtquam nobis, ut oportuit, ſatisfactum eſt: dilectionem tuam præuidimus modis omnibus abſoluendam, atque ad tuam te Eccleſiam, in eo uidelicet quo fuiſti loco & ordine per omnia ſtatui mus remeare, & nullam te à quoquam contradictionem uel inquietudinē de his quæ ad nos perlata fuerāt ſuſtinere: admonentes ut ita te de cætero cautum ſollicitumq; debeas exhibere, quatenus & officio tuo morib. & actione reſpondeas, & omnis contra te penitus aduerſæ opinionis dicendi ſubtrahatur occaſio.

Menſe Maio. Indictione xv.
Gregorius Cypriano diacono.
De conuentu epiſcoporum, & conſolatione Libertini. Cap. CLXXXIII

Epiſt. 19 NOuit dilectio tua hanc olim cōſuetudinem tenuiſſe, ut fratres & coepiſcopi noſtri Romam ſemel in triennio de Sicilia conuenirent, ſed nos eorum labori conſulentes, conſtituiſſe, ut ſuā huc ſemel in quinquennio præſentiam exhiberent. Et quia iam diu eſt quòd huc minimè conuenerunt, eos hortari te uolumus, ut natalem ſancti Petri hic deo perducente nobiſcum debeant celebrare. Sed ne forte prætori aliqua poſſit naſci ſuſpitio, ſi eos huc admonitos uenire cognouerit: D uoluntatem noſtram intelligens, ita hoc ex te facere ſtude, ut & ipſi, ſicut prædiximus, ad diem cōſtitutum huc ueniāt: & nulla de eis prætori poſſit eſſe ſuſpitio. Liparitanum uerò & Regitanū epiſcopos ut huc ueniant, pariter commonebis. Circa Libertinum uerò uirum magnificum eſto ſollicitus, ut nullus illum dolus decipiat: quia aliqua nobis de Rauennati urbe ſcripta ſunt, ipſamq; ad te epiſtolā miſimus, ut ex ea qualiter te erga eum debeas exhibere, poſſis addiſcere. Conſolare autem eum, ut ſe non affligat: quia credimus quòd nos dilectiſſimus atq; excellentiſſimus filius noſter exarchus non contriſtet. Nam de perſona ipſius ſcribere nō diſtulimus. Sed quia in Pado idem exarchus occupatus eſt, minimè ſcripta eius ſuſcepimus.

Gregorius

Gregorius Fortunato episcopo & Anthemio defensori. De desponsata conuersa. Cap. CLXXXIIII

Epist.20 CAtellus præsentium lator nobis innotuit, sororem suã quæ Stephano cuidam fuerat desponsata, diuinæ propitiationis instinctu Neapoli in monasterio esse conuersam, atq; eundem Stephanum domum & res eius aliquas indebitè detinere. Et quia decreta legalia desponsatã si conuerti uoluerit, nullo omnino censuerunt damno mulctare, fraternitas tua unà cum Anthemio subdiacono ueritatẽ diligenti curiositate studeat perscrutari. Et si ut edocti sumus, domum uel quid aliud suprascriptũ Stephanũ, iniustè tenere cognoscitis, eum adhortatio uestra instanter admoneat, ut quæ indebitè detinet, sine aliqua mora uel altercatione restituat, ne rerum alienarũ restitutionẽ sub qualibet excusationis specie differat. Quẽ si adhortationem uestram negligere fortasse cognoscitis, nobis tam hoc quàm etiã qualiter se causę ueritas habeat, subtiliter indicate, quatenus cognito negotij merito, alter cogat̃ equitate suadẽte, restituere, q̃d facere propria spõte honestatis cõsideratione cõtemnit. Latorẽ uero pręsentiũ fraternitati tuę cõmendantes hortamur ut eum illic moras pati hac pro causa diutius non permittas.

Gregorius Candido presbytero Galliæ. De redemptione captiuorum à Iudæis detentorum. Cap. CLXXXV

Epist.21 DOminicus præsentium portitor lachrymabiliter nobis innotuit quatuor fratres suos de captiuitate à Iudæis redemptos esse, atq; eos nunc Narbonæ in eorundem Iudæorum seruitio detineri. Et quia omnino graue execrandũq; est Christianos esse in seruitio Iudæorũ, dilectionẽ tuam scriptis præsentibus adhortamur, ut cũ omni subtilitate & sollicitudine studeat perscrutari. Et si reuera ita est, atq; manifesta tibi ueritate constiterit, quia nec ipsi unde se redimant, nec suprascriptus portitor habet, eos studij tui sit redimere, sciens quia quicquid in eis dederis, tuis sine dubio rationibus imputabitur.

Mense Ianuario. Indictione xv

Gregorius Gregoriæ cubiculariæ Augustæ. De eo quod scriptum est: Dimissa sunt ei peccata multa, alijsq; testimonijs multis. De misericordia dei. Cap. CLXXXVI

Epist.22 DEsiderata dulcedinis uestræ scripta suscepi, in quibus uos omnino de peccatorum multitudine studuistis accusare, sed scio quia omnipotentem dominum feruenter diligitis, atq; in eius misericordia confido, quia illa de uobis sententia ex ore ueritatis procedit, quæ de quadam sancta Luc.7 muliere dicta est: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quomodo autem fuerint dimissa, in hoc etiã monstratũ est, quod postmodum est sequutum, quia ad pedes domini sedebat, & uerbum ex ore illius audiebat. In contemplatiua enim uita suspensa, iam actiuam transcen- Mat.28 derat, quam adhuc Martha illius soror tenebat. Sepultum quoq; dominum requisiuit, studiose ad monumentũ inclinata corpus illius non inuenit. Luc.24 Sed etiã recedentibus discipulis ipsa ante ianuam

A monumenti plorans perstitit, & quem mortuum quærebat, uiuentem uidere meruit, & quia resurrexisset dominus, discipulis nunciauit. Et hoc mira dispensatione pietatis dei fuit, ut ex ore mulieris nũciaretur uita, quia ex ore mulieris mors fuerat in paradiso propinata. Quæ alio quoq; tẽpore cũ Maria altera dominũ post resurrectionẽ uidit, & accedẽs pedes eius tenuit. Duc rogo ante oculos, quæ manus, cuius tenuerũt pedes? Illa mulier quæ fuerat in ciuitate peccatrix, illæ manus quæ fuerant iniquitate pollutæ, illius tetigerũt pedes, qui ad patris dexteram super angelorũ uerticẽ sedet. Pensemus si possumus, quæ sint ista supernæ pietatis uiscera, ut mulier quæ in profundo uoraginis fuerat demersa per culpã, ex amoris penna
B sic in altũ leuaretur per gratiã. Impletũ est dulcissima filia, impletum quod de hoc sanctæ Ecclesiæ tempore prophetica nobis uoce promissum est: Et in die illo erit domus Dauid fons patens in ab- Zach.13 lutionem peccatoris & menstruatę. Domus enim Dauid nobis peccatoribus fons patens in ablutionem est, quia ab iniquitatũ nostrarũ sordibus per Dauid filiũ saluatorẽ nostrũ aperta iam misericordia lauamur. Quod uero dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunã se mihi existere, quoaduscq; scribã mihi esse reuelatũ quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem etiã & inutilem postulasti. Difficilẽ quidem, quia ego indignus sum cui reuelatio fieri debeat. Inutilem uero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in
C die uitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè ualebis. Quæ dies quousq; ueniat, semper ut specta, semper trepida metuere culpas debes, atq; eas quotidianis fletibus lauare. Certe Paulus a- 2.Cor.12 postolus iam ad tertiũ cœlũ ascenderat, in paradisum quoq; ductus fuerat, arcana uerba audiuerat, quæ homini loqui non liceret, & tamẽ adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meũ, & seruituti 1.Cor.9 subijcio, ne forte alijs prædicãs, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet qui iam ad cœlũ ducit̃, & iam timere nõ uult qui adhuc in terra cõuersat̃? Perpende dulcissima filia quia mater negligẽtiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac uita nõ debes securitatẽ, p̃ quã negligẽs reddaris. Scriptũ est em̃: Beatus uir q̃ semper est pauidus. Et rursus scriptũ Prou.28 est: Seruite dño in timore, & exultate ei cũ tremo Psal.2 re. In pauco ergo huius uitæ tẽpore mentẽ uestrã necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudiũ sine fine postmodũ exultet. Omnipotens deus sancti spiritus sui gratia mentẽ uestram repleat, & post fletus quos quotidie in oratione fundítis, ad gaudia uos æterna perducat.

Gregorius Theotisto pariter & Andreæ. De duobus generibus compunctionis. Necnon gratias agit de pecunia in redemptionẽ captiuorũ collata. Et de miraculo per clauẽ sancti Petri transpositam facto. Cap. CLXXXVII

QVòd in tanto tumultu causarũ uestra excel- Epist.23 lentia posita, sacri uerbi ubertate plena est, atq; ad ęterna inceſſanter gaudia suspirat, magnas omnipotenti deo gratias ago, quia hoc in uobis

implctũ uideo, quod de dilectis patribus scriptũ est: Filij autem Israel ambulauerũt per siccum per
Exod.15 medium mare, at contra: Ego ueni in altitudinem
Psal.68 maris, & tempestas demersit me. Vos uero ad repromissionis patriam inter undas causarum secularium siccis, ut uideo, gressibus ambulatis. Agamus ergo gratias spiritui qui corda quæ implet leuat, qui inter tumultus hominum, solitudinem in mente facit. In cuius præsentia nullus locus compunctæ animæ est secretus. Æternæ enim suauitatis odorẽ trahitis, atq; ideo sponsum animæ ardenter amatis, ita ut cum cœlesti sponsa ei dicere pos-
Cant.1 sitis: Trahe me post te: in odorem unguentorum tuorum currimus. In epistolis autem excellentiæ uestræ hoc minus reperi, quia mihi de serenissima domina indicare noluit, quæ studiose legat, uel in lectione qualiter compungatur. Prodesse quidem ei multum debet uestra prẽsentia, ut inter causarum fluctus quas assidue patitur, ex quibus uelit nolit foras trahitur, semper ad amorem cœlestis patriæ interius reuocetur: & hoc quoq; inuestigare deberis, quotiens ei pro sua anima lachrymæ dantur, utrũ adhuc ex timore, an iam ex amore compungatur. Duo quippe sunt compunctionis genera, sicut scitis. Vnum quod æternas pœnas metuit, aliud quod cœlestibus præmijs suspirat, quia deum sitiens anima prius timore cõpungit, pòst amore. Ante enim semetipsam in lachrymis afficit, quia dum malorũ suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At uero cùm longa mœroris anxietate fuerit formido cõsumpta, quædam iam de præsumptione ueniæ securitas nascitur, & in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat antecq; duceretur ad suppliciũ, postmodũ flere amarissimè incipit quia differtur à regno. Contemplatur etenim mens qui sint illi angelorũ chori, quæ ipsa societas beatorũ spirituũ, quæ uisio internæ charitatis dei. & amplius plangit quia à bonis perennibus deest, quàm flebat prius cùm mala æterna metuebat, sicq; fit ut perfecta compunctio formidinis trahat animam ad compunctionem dilectionis. Quod bene in sacra ueraciq; historia figu-
Iosue 15 rata narratione describitur, quæ ait. Axa filia Caleph sedẽs super asinam suspirauit. Cui dixit pater suus. Quid habes? At illa respõdit: Da mihi benedictionẽ. Terram Australẽ & arentẽ dedisti mihi, iunge & irriguam. Et dedit ei pater suus irriguum inferius, & irriguum superius. Axa quidem super asinam sedet, cùm irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirãs à patre terram irriguã petit, quia à creatore nostro cum magno desiderio quærenda est lachrymarum gratia. Sunt nanq; nonnulli qui iam in dono percipiunt libere pro iustitia loqui, oppressos tueri, indigentibus propria tribuere, ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lachrymarũ non habent. Hi nimirum terram Australem & arentem habẽt, sed adhuc irrigua indigent. In bonis enim operibus positi, in quibus magni atq; feruẽtes sunt, optant valde ut aut timore supplicij, aut amore regni cœlestis peccata sine quibus uiuere non possunt, quotidie plorent. Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cùm se in lachrymis regni cœlestis desiderio affligit. Irriguũ uero inferius accipit, cũ inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, & pòst irriguũ superius datur.

Sed quia compunctio amoris magna dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguũ superius, & pòst irriguũ inferius diceretur. Vos ergo quæ operante omnipotẽte domino utraq; cõpunctionis genera experimento nostis, quantũ per uerba serenissimæ dominæ uestræ prodestis, quotidie sollicitè perscrutari debetis. Peto autem ut paruulos dominos quos nutritis, præcipuè moribus instruere curetis, & glorioſos eunuchos qui eis deputati sunt admonete, ut ea illis loqui debeãt, quę eorum mentes in charitate circa se inuicem, & erga subiectos in mansuetudine compungant, ne si quid odij modo inter se conceperint, in aperto postea erumpat. Verba siquidem nutrientiũ aut lac erunt si bona sunt, aut uenenũ si mala. Talia ergo nunc eis suggerant, quæ postmodũ ostendant q; bona fuerint, quæ à nutritorũ suorũ ore suxerunt.

Præterea triginta auri libras dilectus filius meus Sabinianus diaconus ab excellentia uestra transmissas in redẽptionẽ captiuorũ dandas, atq; pauperibus erogandas detulit, de quibus uobis gaudeo, sed mihi pertimesco, quia apud tremendum iudicem non solum de sancti Petri Apostolorum principis substantia, sed etiam de uestris rebus rationem redditurus uado. Vobis autem omnipotens deus pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna restituat. Indico uero quia ex Crotonensi ciuitate quæ super Adriaticũ mare in terra Italiæ posita, transacto anno à Longobardis capta est, multi uiri ac multæ mulieres nobiles in prędã ductæ sunt, & filij à parentibus, parentes à filijs, & cõiuges à cõiugibus diuisi, ex quibus aliqui iam redempti sunt. Sed quia grauia precia eis indicunt, multi apud nephandissimos Longobardos hactenus remanserunt. Mox autem medietatẽ pecunię quam transmisistis, in eorũ redemptionẽ trãsmisi.

De medietate uero ancillis dei quas uos Græca lingua monasticas dicitis, lectisternia emere disposui, quia in lectis suis graui nuditate in huius hyemis uehementissimo rigore laborabant, quæ in hac urbe multæ sunt. Nam iuxta notitiam qua dispensantur, tria milia reperiuntur. Et quidem de sancti Petri apostolorum principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt? maxime in hac urbe, ubi omnia graui precio emuntur. Harum uero uita talis est, atq; intantum lachrymis & abstinentia districta, ut credamus quia si ipsæ non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorũ gladios potuisset. Præterea benedictionem sancti Petri apostoli clauẽ à sacratissimo eius corpore transmisi, de qua uidelicet claui hoc est gestum quod narro miraculum.

Dum

Dum eam quidam Longobardorum ciuitatē ingressus in transpadanis partibus inuenisset, quia sancti Petri clauis esset despiciēs, sed pro eo quòd eam aureā uidit, facere sibi ex illa aliquid aliud uolens, eduxit cultellum ut eam incideret: Qui mox cultellū cum quo eam per partes mittere uoluit, arreptus per spiritū, sibi in gutture defixit, eadēq; hora defunctus cecidit. Et dum illic rex Lōgobardorū Antharith atq; alij multi eius homines adessent, & is qui se percusserat, seorsum mortuus, clauis uero hęc seorsum iaceret in terra, factus est omnibus uehemētissimus timor, ut eandem clauem de terra leuare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui sciebatur orationi & eleemosynis deditus, Minulfus nomine, uocatus est, atq; ipse hāc leuauit de terra. Antharith uero pro eodem miraculo aliam clauem auream fecit, atq; cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorē meū transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo uestræ excellentiæ transmittere studui, per quā omnipotens deus superbientem & perfidum hominē peremit, ut per eam uos qui eum timetis et diligitis, & pręsentem salutem & æternam habere ualeatis.

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.
De Cyriaco episcopo & prophano uocabulo.
Caput CLXXXVIII

Epist.24 DEsideratam suauissimę uestræ sanctitatis epistolam cōmuni filio meo Sabiniano diacono deferēte suscepi, in qua non linguæ sed animæ uerba profluebant. Et non mirū si bene loquitur qui perfectè uiuit. Quia enim per magistrum spiritum in schola cordis per præcepta uitæ didicistis terrena cuncta despicere, ad cœlestem patriam festinare, quantum uos in bono profecistis, tantum bona etiam de alijs sentitis. Dum uero in scriptis uestrę beatitudinis multa de me dici laudabilia audirem, intellexi studium, quia cōmemorare uoluistis non quid sum, sed quid esse debeam. Illud uero quod me dicitis morum meorum debere reminisci, & maligno spiritui quærenti animas cribrare pro nulla causa locū dare: ego quidē malis semper me esse moribus recolo, atq; eosdē in me mores si possum uincere ac delere festino summopere. Si tamen, ut uos creditis, aliquid boni habui, in omnipotentis dei adiutorio confido, quia oblitus non sum. Sed sanctitas uestra, ut uideo, in præmissis uerbis dulcedinis, & subsequenti hoc uerbo epistolam suam api esse simílem uoluit, quæ mel simul & aculeum portat, ut me & melle satiaret, & aculeo pungeret. Sed inter hæc ego ad meditan
Prou.27 dam Salomonis uocem redeo: quia meliora sunt uulnera diligentis, quàm inimici blandientis oscula. Quod uero dicitis pro nulla causa dare nos locum scandalo debere, hæc mihi & pijssimus dominus filius uester, pro cuius uita incessanter orandum est, iam sæpius scripsit: & quod ille ex potestate, scio quia hoc uos ex amore dicitis. Nec miratus sum uos in uestris epistolis imperialia uerba posuisse, quia habent inter se maximam cognationem amor & potestas. Nam utraq; principaliter præsumunt, utraq; per authoritatē semper loquuntur. Et quidem in suscipienda fratris & cōsacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola dignum non fuit ut pro causa prophani uocabuli moras facerem, ne unitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarē, sed tamen de eodem superstitioso & superbo uocabulo eum admonere studui, dicens quia pacē nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti uerbi corrigeret, quam primus apostata inuenit. Vos tamen eandem causam nullā esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, uniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum hæretici, sed etiam hęresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et ut de honoris uestri iniuria taceam, si unus episcopus uocatur uniuersalis, uniuersa Ecclesia corruit si unus uniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis. In omnipotēte autem domino confido, quia quod promisit, citius impleturus est: Omnis qui se exaltat, humiliabit. Lucæ 14 & 18 Hæc occupatus in multis, ad epistolarum uestrarum dicta in breuitate respōdi, nam quæ modo loqui per scripta nō debeo, in animo signata manēt. Peto ut me beatitudo uestra in suis sanctis orationibus semper ad memoriam reducat, quatenus à malis me temporalibus & æternis uestrę intercessiones eripiant. Pro serenissimo autē domino imperatore studiose & feruēter orate, quia ualde est eius uita mundo necessaria. Cesso autem amplius dicere, quia & uos non dubito scire.

Gregorius Theodoro medico Constantinopolitano.
De largitate eleemosynarum eius. Cap. CLXXXIX

Epist.25 DIlectissimus filius meus Sabinianus diaconus ad me reuersus, nulla gloriæ uestræ scripta detulit, sed ea quæ transmissa sunt, captiuis & pauperibus deportauit. unde & intellexi causam, ideo enim homini loqui per epistolas noluistis, quia omnipotenti deo uerbum in bona operatione feceratis. Habet enim uestra operatio uocē propriam, quæ ad aures dei secreta clamat, sicut scriptum est, Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te orabit. Et quidem mihi (fateor) triste est aliena expēdere, & super eas quas de substantia Ecclesiastica habeo, adhuc etiam de rebus sanctissimi filij domni Theodori rationes ponere. Vestræ tamē benignitati congaudeo, quia sollicitè attenditis atq; custoditis hoc quod ueritas dicit: Date eleemosynā, & ecce omnia mūda sunt Lucæ 11 uobis. Et hoc quod scriptum est, Sicut aqua extinguit ignē, sic eleemosyna extinguit peccatū. Paulus quoq; apostolus ait, Vestra abundantia illorū 2.Cor.8 inopiam suppleat, ut & illorū abundantia uestræ sit inopiæ supplementū. Tobias filium admonet, Tob.4 dicens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si autem parum, etiam de exiguo libenter impartire. Vos itaq; hęc omnia præcepta seruatis, sed pro nobis ut oretis petimus, ne laborum nostrorū fructus indiscretè & nō sicut necesse est dispēsemus, ne unde uos peccata minuitis, nos inde cumulemus. Omnipotens autē deus sua uos protectione custodiat, sicq; uobis in terreno palatio humanam

gratiam

gratiam tribuat,ut poſt longa uos tempora ad cœ leſtis palatij gaudia æterna perducat.Benedictionem uero ſancti Petri apoſtolorũ principis,quem multum diligitis, clauem à ſacratiſſimo eius corpore uobis trãſmiſimus, in qua ferrum de catenis eius clauſum eſt, ut quod illius collum ligauit ad martyrium,ueſtrum ab omnibus peccatis ſoluat.

Gregorius Andreæ. De contemnendo hoc ſeculo. Cap. CXC

Epiſt.26 MAgnitudinis ueſtræ ſcripta ſuſcipiens,cognita ſalute ueſtra gauiſus ſum, & de benignitate pijſſimæ dominæ, quæ erga uos ſuam gratiam oſtendere dignata eſt,ualde lętatus. Et quòd domina Conſtantia clariſſima puella prius quàm nuptias faceret, ab huius mundi illecebris eſt erepta,uehementer exulto. Illud autem quòd uos in militiam ſpõſum eius intraſſe dixiſtis, & quòd ſereniſſimo domino imperatori cõmendari uoluiſtis,ut uobis aliqua iniungat, ubi uos utiles eſſe exiſtimat,mentem meam non modico mœrore tetigit: quia ego bonitatem morum ueſtrorum ad aliud tendere ſemper exiſtimaui.Multos autẽ noui qui in ſeruitio reipublicę poſiti uehementer afliguntur,quia eis non licet uacare & peccata ſua plangere,& uos quare neſcio, occupari deſideratis. Cur enim magnifice fili non conſideras, quia mundus in fine eſt? Omnia urgentur quotidie,ad reddendas rationes æterno & tremẽdo iudici ducimur.Quid ergo aliud niſi de aduentu illius cogitare debemus? Vita enim noſtra nauiganti eſt ſimilis, is nanq; qui nauigat, ſtat, ſedet, iacet, uadit: quia impulſu nauis ducitur.Ita ergo & nos ſumus, qui ſiue uigilantes, ſiue dormientes, ſiue tacentes,ſiue loquẽtes,ſiue ambulantes,ſiue uolentes,ſiue nolentes, per momenta temporum quotidie ad finẽ tendimus. Cùm igitur finis noſtri dies aduenerit, ubi nobis erit omne quod modo cum tanta cura quæritur,& cum ſollicitudine congregatur? Non ergo honor, non diuitiæ quærendæ ſunt,quæ dimittuntur. Sed ſi bona quærimus,illa diligamus quæ ſine fine habebimus. Si autem mala pertimeſcimus,illa timeamus quę à reprobis ſine fine toleranẽ.Hoc ipſum uero eſſe in obſequio pijſſimi principis,quanta eſt mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ, & quantus eſt timor ne hæc eadem gratia perdatur ſi adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna ſit,aut proſperitatis deſiderio fatigari,aut aduerſitatis timore paueſcere. Vnde magis ſuadeo ut magnitudo ueſtra in ſuo propoſito quondam, in pauco tempore delectabili receptaculo peregrinatiõis uiuere ſtudeat,et quietam ac tranquillam uitam ducere, ſacris lectionibus uacare,cœleſtia uerba meditari,in æternitatis amore ſe accendere, de terrenis rebus ſecundum uires bona opera agere,& regnum perpetuum in eorum remuneratione ſperare. Sic autem uiuere, iam in æternitatis uita partem habere eſt.Hæc magnifice fili loquor, quia multum te diligo. Et quia in procellas & fluctus cordis tendis,uerborũ meorum funibus te ad littus reuoco: & ſi trahentem ſequi uolueris,quæ pericula euaſeris, quæ gaudia inueneris,in ipſo quietis tuę littore poſitus agnoſces. Præterea gratias ago, quia me de duabus perſonis quę cum glorioſo Gallitio uenerũt, cautum reddere ſtuduiſtis, quamuis perſonæ eius quam prius magnitudo ueſtra nominauit, iam in malis non modicum experimentum tenemus.Sed quia mala ſunt tẽpora, omnia cum gemitu portamus. Omnipotens autem deus ſua uos protectione cuſtodiat, detq; uobis & hîc bene agere, & apud ſe in perpetuum in æterna uita gaudere.

Gregorius Narſæ religioſo. De perſecutione non timenda,& ſalute plurimorum amicorum. Cap. CXCI

CVm Romanũ defenſorem ad urbẽ regiam mitterẽ,diu ſcripta ueſtra requiſiui,ſed inueniri minimè potuerunt: poſtmodũ uero inter multas aliorum epiſtolas ſunt inuenta,in quibus mihi dulcedo ueſtra ſuas afflictiones & tribulationes ſpiritus indicat,& aduerſitates malorũ hominum manifeſtat. Sed rogo in his omnibus reuoca ad mentem hoc quod credo quia nunq; obliuiſceris, Quia omnes qui uolunt uiuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Qua in re ego fidenter dico, quia minus piè uiuis,ſi minus perſecutionẽ pertuleris.Idem quoq; doctor gentium quid aliud diſcipulis dicat audiamus: Ipſi ſcitis fratres introitum noſtrũ ad uos,quia non inanis fuit, ſed antè paſſi & contumelijs affecti.Ecce dulciſſime fili,prædicator ſanctus ingreſſum ſuum uacuum fuiſſe perhibuit,ſi contumelias non pertuliſſet, & tua charitas dici bona uult,ſed mala perpeti recuſat. Vnde neceſſe eſt ut inter aduerſa ſe ſtrictius accingat,ut deſiderium ad amorem dei atq; ſtudium bonæ operationis ipſa plus aduerſitas augeat. Sic ſemina meſſium gelu cooperta fertilius germinant. Sic ignis flatu premitur ut creſcat. Scio quidem quia ex tot malarum linguarum ſermonibus peruerſis tempeſtatem ualidam pateris, in mente cõtradictionũ fluctus ſuſtines. Sed redeat ad animum quod per Pſalmiſtam dominus dicit:Exaudiui te in abſcõdito tempeſtatis,probaui te ad aquas contradictionis. Si enim inter contradicentes ea quæ dei ſunt egeris,tũc uerus operator probaris. Dulciſſima autem ueſtra charitas mihi ſcripſit,ut monaſterijs quæ per orationes & magiſterium ueſtrum à filio noſtro domino Paulo inſtituta ſunt, aliquid admonendo ſcriberem.Sed ſi dei ſunt uaſa,ſcio quia per compunctionis gratiam fontem ſapientiæ intus habent, & meæ ſiccitatis guttas paruulas ſuſcipere non debent. Perfecta uero ueſtra ſapientia recolit, quia in paradiſo pluuia non fuit,ſed fons aſcendebat de medio paradiſi,qui irrigaret faciem terræ.Illæ ergo animæ quæ per cõpunctionis gratiam fontem in ſemetipſis habent, de aliena lingua pluuiam neceſſariam non habent. Per ſcripta autem ueſtra mihi tranſitũ domnæ Eſichiæ nunciaſtis, & magna exultatione gauiſus ſum, quia illa bona anima feliciter ad ſuam patriam peruenit, quæ in patria laborabat aliena. Glorioſas autem filias meas domnam Dominicam, & domnam Eudochiam mea uice ſalutate

Epiſt.27

2.Tim.3

1.Theſ.2

Pſal.80

lutate. Sed quia prædictam domnā Dominicam A iam diu est quod audio præpositā factam, hoc circa eam uestra charitas uigilet, ut quia iam seruire in labore terreni palatij non compellitur, omnes mundi huius strepitus perfectè fugiat, totā se deo cōferat, nihil de se extra se relinquat. Sed & quantas uolet animas in creatoris sui seruitiū colligat, ut earum mentes per uerbum eius gratiam compunctionis accipiant, & tanto celerius ipsa ab omnibus peccatis suis absoluta sit, quanto per eius uitam & linguam etiam aliarū animæ peccatorum suorum nexibus eruperint. Quia autem nemo hominum in hoc mūdo sine peccato est, (& quid est aliud peccare nisi à deo fugere?) fiducialiter dico etiam eandem filiam meam peccata aliqua habere. Vt ergo dominæ suæ, id est æternæ sapientiæ B perfectè satisfaciat, quæ sola fugit, cum multis redeat. Auersionis enim suæ culpa nulli imputabitur, quę reuertens lucrum reportat. Dominum autem Alexandrum & dominum Theodorum mea per uos peto uice salutari. Quod uero scribitis, ut excellentissimæ filiæ meæ domnæ Gurdiæ, & sanctissimæ filiæ eius domnæ Theotistæ, & magnificis earū hominibus domino Marino & domino Christodoro scribere debeā, eosq; aliquid de anima sua admonere, bene scit dulcissima uestra magnitudo, quia hodie in Constantinopolitana ciuitate, qui de Latino in Græcum dictata bene transferant, non sunt. Dum enim uerba custodiunt, & sensus minimè attendunt, nec uerba intelligi faciunt, & sensus frangunt. Pro qua re prædictæ filiæ C meæ domnæ Gurdiæ breuiter scripsi, nam cęteris tacui. Duas autem camisias, & quatuor oraria uobis transmisi, quæ prædictis uiris ex benedictione sancti Petri peto humiliter offerri. Præterea quidam moriens unum mihi puerulum dimisit, de cuius anima cogitans, eum dulcedini uestræ transmisi, ut in eius uiuat in hac terra seruitio, per quē ad libertatem cœli ualeat peruenire. Dilectissimum autem filium meum Anatholium diaconē, quem ad facienda responsa Ecclesiæ in urbem regiam transmisi, peto ut frequēter dulcissima uestra charitas uisitet, ut post labores quos in causis secularibus patitur, in uerbo dei uobiscum requiem inueniat, & quasi quodam candido linteo eiusdem laboris terreni sudorem detergat. Quem personis D omnibus, quæ uobis notæ sunt cōmēdate, quamuis scio quia si perfectè cognoscitur, cōmendatione non eget. Vos autem quantū sanctum Petrum apostolum, quantū me diligitis, in ipso modo mōstrate. Omnipotēs autem deus dulcissimam mihi charitatem uestram ab interioribus hostibus exterioribusq; custodiat, et quando ei placuerit, ad cœlestia uos regna perducat.

Gregorius Cyriaco episcopo Constantinopolitano. De submouendo prophano uocabulo. Cap. CXCII

Epist.28 SCripta beatitudinis uestræ suscepimus, quæ nobis non linguæ, sed animæ uerba loquebantur. Aperiebant etenim mentem, quę tamen mihi clausa non erat, quia per memetipsum suauitatis ipsius experimentū tenebam. Vnde omnipotenti deo incessanter gratias refero, quia si erga nos in corde nostro uirtutum mater charitas permanet, bonorū operum ramos nunq; amittitis, quia ipsam bonitatis radicem tenetis. Oportet ergo ut mihi atq; omnibus fratribus uestris eius charitatis pulchritudinem in hoc primùm opere monstretis, ut uerbum superbiæ, per quod graue scandalum in Ecclesiis generatur, auferre festineris, hoc modis omnibus implentes, quod scriptū est: Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Ephe.4 Et rursus, Nullam occasionē dare aduersario maledicti gratia. Tunc enim ostēsa charitas uera est, si per typum superbiæ inter nos schisma non fuerit. Ego enim Iesum testem inuoco in anima mea, 1.Tim.5 quia à summo usque ad ultimum nulli hominum dare scandali occasionem uolo. Omnes magnos esse & honorabiles cupio, quorum tamen honor honori omnipotētis dei non detrahat. Nam quisquis se contra deum honorari appetit, mihi honorabilis non est. Sed ut cognoscatis quam erga uestram beatitudinem habeam uoluntatē, dilectissimum filium meum Anatholium diaconē ad pijssimorum dominorū uestigia transmisi, qui eorum pietati ac uestræ fraternitati satisfaciat, quia nulli in hac causa nocere appeto, sed humilitatem deo placitam, & sanctæ Ecclesię concordiā custodire. Et quia hostis omnipotentis dei Antichristus iuxta est, studiosè cupio ne proprium quid inueniat non solum in moribus, sed etiam nec in uocabulo sacerdotum. Ea ergo quæ nouo modo introducta sunt, ipso ordine quo illata sunt, auferātur, & pax in domino illibata permanebit. Nam quæ erit inter nos dulcedo, quæ charitas si nosmetipsos uoce resouemus, & rebus pungimur? Hoc ergo uestra sanctitas agat, ut bona quæ dicitis, nos in cordis medulla sentiamus, quatenus dum in unanimitate corda fuerint sacerdotū, pro pijssimorū dominorū uita deprecātes tanto citius exaudiri mereamur, quanto & orationes uestras ante dei oculos pax illuminat, & discordiæ macula non obscurat.

Gregorius Anastasio presbytero. De contentione inter ipsum & Hierosolymorum episcopum. Cap. CXCIII

QVia bonus homo de bono thesauro cordis Epist.29 sui bona profert, hoc tua charitas & sem- Matt.12 per uiuendo, & modo mihi in epistola sua loquendo mōstrauit, in qua inueni duos quosdam de uirtutibus litigantes, te uidelicet pro charitate, atq; alium pro timore & humilitate contendere. Et quamuis in multis occupatus, quāuis Græcæ linguæ nescius, in contentione tamen uestra iudex resedi, sed requisita ueritate in meo iudicio contradictorem tuum ipse uicisti per apostolicam sententiam, quam uobis contendentibus protuli, quia timor non est in charitate, sed perfecta cha- 1.Ioan.4 ritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate. Tua itaque fraternitas quantum in charitate perfecta sit scio. Et quia omnipotentem deum multum diligit, oportet ut de proximo multum

multũ præſumat. Non enim loca uel ordines crea A
tori noſtro nos proximos faciunt, ſed ei nos meri
ta bona iungunt, aut mala diſiungunt. Quia ergo
adhuc incertũ eſt quis interius qualis ſit, cur non
audebas ſcribere, cùm inter me & te quis ſit ſupe-
rior ignores? Et quidẽ bene te uiuere ſcio, me au-
tem multis oneratum peccatis noui. Sed etſi ipſe
peccator es, me tamen multo melior, quia tu tua
tantummodo, ego uero & eorum qui mihi com-
miſſi ſunt peccata porto. In hoc ergo te altum, in
hoc te magnũ aſpicio, qui ante humanos oculos
in magno atq; in alto loco minimè profeciſti, in
quo ſæpe dum exterius ab hominibus honor tri-
buitur, ad ima animus mergitur, quia curis diſcer-
pentibus grauatur. Tibi autem omnipotens deus B
Pſal.83 iuxta hoc quod ſcriptũ eſt: Aſcenſus in corde diſ-
poſuit, in conualle lachrymarum. Multo autem
mihi altior, multo ſublimior uideri poteras, ſi neq;
ducatum monaſterij quod Neas dicitur ſuſcepiſ-
ſes, quia in eodem monaſterio (ſicut audio) mo-
nachorũ quidem ſpecies tenetur, multa uero ſub
ſanctitatis habitu ſecularia aguntur. Sed etiam ad
hoc te exiſtimabo cœleſti gratia peruenisſe, ſi ea
quæ in loco illo omnipotẽti deo diſplicent, te fue-
rint duce correcta. Sed quia inter patrem eiuſdem
monaſterij & paſtorem Hieroſolymorum Eccle-
ſiæ ſemper eſſe iurgia conſueuerunt, credo quòd
omnipotens deus idcirco dilectionẽ tuam & ſan-
ctiſſimum fratrem & conſacerdotem meum am-
bos eſſe uno tempore Hieroſolymis uoluit, ut ea C
quæ prædixi iurgia tollerentur. Nunc ergo oſten-
dite quantum uos prius amaſtis. Scio quia utriq;
abſtinentes, utriq; docti, utriq; humiles eſtis, unde
neceſſe eſt ut ſaluatoris noſtri gloria in uobis iux-
ta uocem Pſalmiſtæ reſonet, in tympano & choro
laudetur. In tympano etenim coriũ ex pelle ſicca
eſt, in choro uero uocum concordia. Quid igitur
per tympanum, niſi abſtinẽtia, quid per chorum,
niſi unanimitas deſignatur? Quia ergo per abſti-
nentiam dominum laudatis in tympano, peto ut
per unanimitatem laudetis in choro. Per ſemetip-
Mar.9 ſam quoq; ueritas dicit. Habete ſal in uobis, & pa
cem habete inter uos. Quid per ſal niſi ſapientia
Col.4 deſignatur? Paulo atteſtante qui ait: Sermo ueſter
in gratia ſemper ſale ſit cõditus. Quia ergo per do D
ctrinam uerbi cœleſtis ſal habere uos nouimus,
reſtat ut per charitatis gratiam etiam inter uos pa-
cem toto corde teneatis. Hęc chariſſime frater di-
co, quia utroſq; uos multum diligo, atq; omnino
pertimeſco ne orationum ueſtrarum ſacrificia ex
aliqua inter uos diſſenſione maculentur. Benedi-
ctionem uero quam & prius per exhilaratum Se-
cundicerium, & poſtmodũ per Sauinianũ diaco-
nem trãſmiſiſtis, cũ gratiarũ actione ſuſcepi, quia
de ſancto loco decuit uos ſancta tranſmittere, &
cui aſſiduè miniſtratis, ex ueſtro ipſo munere de-
monſtrare. Omnipotẽs deus ſua uos dextera pro-
tegat, atq; à malis omnibus ſeruet illæſos.

Gregorius Mauricio Auguſto.
Quòd qui uniuerſalem ſe nominat, præco ſit Antichriſti. Cap. CXCIIII

DOminorum pietas prouida ne quid fortaſſe Epiſt.30
ſcandali in unitate ſanctæ Eccleſiæ ex ſacer-
dotũ diſſenſione generari potuiſſet, ſemel ac bis
me admonere dignata eſt, ut reſponſales fratris &
conſacerdotis mei Cyriaci benignè ſuſciperem,
eoſq; ad remeandũ citius relaxarem. Et licet pĩſ-
ſime domine aptè & prouidè cuncta præcipiatis,
ego tamen inuenio quia eorum iudicio indiſcre-
tus eſſe ex hac tali admonitione reprehẽdor. Nun
quid nam ſi ex ſuperbo ac prophano uocabulo
meus non in modico eſt animus uulneratus, tan-
tæ indiſcretionis eſſe potui, ut neſcirem quid uni-
tati fidei, quid concordiæ Eccleſiaſticæ deberem,
& fratris mei reſponſales & ſynodicam epiſtolam
ſuſcipere cuiuslibet cauſę amaritudine interueni-
ente recuſarem? Abſit hoc. Nimis mihi fuerat de-
ſipuiſſe, ſic ſapere. Aliud nanq; eſt quod cõſeruan
dæ unitati fidei, atq; aliud quod debemus compri
mendæ elationi. Diſtinguenda ergo erant tempo
ra, ne prædicti fratris mei ex quolibet articulo no-
uitas turbaretur. Vnde & reſponſales eius cum
magno affectu ſuſcepi. Quicquid debui charitatis
exhibui, meliusq; eos quàm cõſuetudo priſca fue
rat honorauí, & mecum feci eos ſacra miſſarum ſo
lennia celebrare: quia ſicut meus diaconus ad ex-
hibẽda ſancta myſteria illi non debet miniſtrare,
qui elationis culpam aut cõmiſit, aut cõmiſſam ab
aliis ipſe non corrigit: ita miniſtri illius in celebra
tione miſſarum mihi adeſſe debuerunt, qui, cuſto
diente deo, in ſuperbiæ errorẽ non cecidi. Eun- C
dem uero fratrem & conſacerdotẽ meum ſtudio-
ſe admonere curaui, ut ſi habere pacem omnium
concordiamq; deſiderat, ab ſtulti uocabuli ſe ap-
pellatione compeſcat. De qua re mihi in ſuis iuſ-
ſionibus dominorũ pietas præcepit dicens, ut pro
appellatione friuoli nominis inter nos ſcandalum
generari nõ debeat. Sed rogo ut imperialis pietas
penſet, quia alia ſunt friuola ualde innoxia, atq; a-
lia uehementer nociua. Nunquid non cùm ſe An-
tichriſtus ueniẽs deum dixerit, friuolũ ualde erit,
ſed tamen nimis pernicioſum? Si quantitatem ſer
monis attendimus, duæ ſunt ſyllabæ. Si uero pon
dus iniquitatis, uniuerſa pernicies. Ego autem fi-
denter dico, quia quiſquis ſe uniuerſalem ſacerdo
tẽ uocat, uel uocari deſiderat, in elatione ſua An-
tichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris
præponit. Nec diſpari ſuperbia ad errorẽ ducitur,
quia ſicut peruerſus ille, deus uideri uult ſuper o-
mnes homines, ita quiſquis iſte eſt qui ſolus ſacer
dos appellari appetit, ſuper cæteros ſacerdotes ſe
extollit. Sed quoniam ueritas dicit, Omnis qui ſe Luc.14
exaltat, humiliabitur, ſcio quia quęlibet elatio tan &18
to citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis
ergo pietas ueſtra præcipiat, ne quod per appella-
tionem friuoli nominis ſcandalum gignãt, qui in
ſuperbiæ typhum ceciderunt. Nam peccator ego,
qui autore deo humilitatem teneo, admonendus
ad humilitatem non ſum. Omnipotens autẽ deus
ſereniſſimi domini noſtri uitam, & ad pacem ſan-
ctæ Eccleſiæ, & ad utilitatẽ reipublicæ Romanæ
per tempora lõga cuſtodiat. Certi etenim ſumus,
quia

quia si uos uiuitis, qui cœli dominũ timetis, nulla contra ueritatem superba prævalere permittitis.

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino, & Anastasio episcopo Antiocheno. De responsalibus Cyriaci episcopi, in causa fidei cõmissis. De suo diacono cum eo non processuro. De damnatione Eudoxij sibi incognita. De historia Sozomeni, ab apostolica sede reprobata. De anima Adæ, quòd in peccato mortua est. Dicit quoq; eum per pœnitentiam saluatum. Et quòd diabolus cor hominis ingreditur. Cap. CXCV

Epist. 31

CHaritas qua uobis ualde constrictus sum, tacere me minimè permittit, ut sanctitas uestra quæcunq; apud nos aguntur agnoscat, & falsis rumoribus non decepta, suæ iustitiæ atq; rectitudinis uiam, sicut perfectè cœpit, perfectius teneat. Responsales siquidem fratris & coepiscopi nostri Cyriaci uenientes, eius ad me synodicã detulerunt epistolam. Et quidem inter nos & ipsum sicut uestra beatitudo nouit, propter appellationem prophani nominis est grauis discordia, sed in causa fidei transmissos responsales eius existimaui esse suscipiẽdos, ne culpa elationis quæ in Constantinopolitana Ecclesia penè contra omnes sacerdotes exorta est, dissensionẽ fidei & rixam ecclesiasticæ faceret unitati. Eosdem uero responsales, quia hoc omnino humiliter precabantur, missarum solẽnia mecum celebrare feci, quia sicut & serenissimo domino imperatori nostro intimare studui, responsales fratris & consacerdotis nostri Cyriaci mihi cõmunicare debuerunt, quia authore deo in elationis errorem non cecidi. Meus uerò diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco missarum solènnia celebrare non debet, quia per prophanũ uocabulum culpam superbiæ aut commisit, aut sequitur: ne si, quod absit, procedit, ei in tali elatione posito, uanitatem stulti nominis confirmare uideamur. Eundem uero fratrẽ admonere studui, ut se à tali elatione corrigat, quia si hanc non correxerit, pacem nobiscum nullo modo habebit. Præterea idem frater noster omnia in suis synodicis catholicè, deo autore, locutus est. Quendam uero Eudoxium damnauit, quem neq; in synodis damnatum inuenimus, neq; à decessoribus eius in suis synodis reprobatum. Et canones quidem Constantinopolitani concilij Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum autor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones uel gesta synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem synodum accepit, quod est per eam contra Macedoniũ definitum. Reliquas uero hæreses quæ illic memoratæ sunt, ab alijs iam patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis uero nihil hactenus agnouit. In historia autẽ Sozomeni, de quodam Eudoxio qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrant. Sed ipsam quoq; historiam sedes apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorũ Monsuestiæ nimium laudat, atq; usq; ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo ut si quis illam historiam recipit, synodo quæ piæ memoriæ Iustiniani temporibus, de tribus capitulis facta est, cõtradicat. Qui uero huic contradicere non ualet, illam historiam necesse est ut repellat. In Latina uero lingua de hoc Eudoxio nũc usq;, neq; in Philastro, neq; in beato Augustino, qui multa de hæresibus conscripserunt, neq; in alijs patribus aliquid inuenimus. Charitas igitur uestra si quis apud Græcos probatorum patrum de eo sermonem fecit, suis mihi epistolis innotescat. Præterea ante trienniũ, cogente causa monachorum Isauriæ, qui hæretici accusabãtur, satisfaciens mihi quondam frater & consacerdos meus dominus Ioannes literas misit, quibus nitebatur ostendere eos Ephesinæ synodi diffinitionibus contradixisse, & uelut ex eadem synodo certa nobis quibus ipsi obsisterent capitula destinauit. Inter alia autem scriptum illic cõtinebatur, de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quòd diabolus in cor hominis non ingrediatur, & si quis hoc dixisset, anathema esset. Quæ cùm mihi relata fuissent, ualde contristatus sum. Si enim Adæ, qui primus peccauit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno uetito ei dictum est: In quacunq; die comederitis ex eo, morte moriemini? & ecce comedit Adam & Eua de ligno uetito, & tamen in carne sua ultra nongentos annos postmodum uixerunt. Constat itaq; quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, quod dici nephas est, falsam sentẽtiam de illo protulit deus qui dixit, quia qua die comederet, morereẽ. Sed absit hic error, absit à uera fide. Nos enim primum hominem qua die peccauit, anima mortuum dicimus, atq; per hunc omne genus humanum in hac mortis & corruptionis pœna damnatum. Per secundum uero hominem & modo à morte animæ, & postmodum ab omni corruptione carnis in ęterna resurrectiõe liberari nos posse confidimus. Sicut autem & prædictis responsalibus diximus, Adæ animam in peccato mortuam dicimus, non à substantia uiuendi, sed à qualitate uiuendi. Quia enim aliud est substantia, atq; aliud qualitas, non est eius anima ita mortua, ut non esset, sed ita mortua, ut beata non esset. Qui tamen Adam postmodum per pœnitẽtiam ad uitam rediit. Quod uero diabolus cor hominis ingrediatẽ, si Euangelio creditur, non negatur. ibi enim scriptum est: Et post bucellam introiuit in eum Satanas. Et rursus ibi dicitur: Cùm diabolus iam se misisset in cor Iudæ ut traderet eum Iudas. Hoc autem qui negat, in Pelagianam hęresim cadit. Quia ergo perscrutantes Ephesinam synodum, nihil in ea tale inuenimus contineri: de Rauennati quoq; Ecclesia uetustum ualde codicem eiusdem synodi ad nos deferri fecimus, & ad synodũ quã habebamus, eum ita cõcordare inuenimus, ut in nullo discreparet, & nihil aliud continet in definitione anathematis & reprobatiõis, nisi quod duodecim capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobant. Hanc autem totam rationẽ multo latius subtiliusq; prædictis responsalibus eius in præsenti positis reddidimus

Gen. 2

Ioan. 14

didimus, atq; ei pleniſſimè ſatisfecimus. Igitur ne uel hæc, uel aliqua ſimilia illic ſurrepant quæ ſanctam Eccleſiam ſcandalizent, neceſſe nobis fuit hæc ipſa ſanctitati ueſtræ indicare. Et quãuis hũc fratrem & coepiſcopum noſtrũ Cyriacum nouerimus orthodoxum, tamẽ propter alios cauti eſſe debemus, ut antequam ad publicũ prodeant errorum ſemina conculcentur. Scripta autem ueſtræ ſanctitatis cõmuni filio Sabiniano diacono uenienti ſuſcepi. Sed quia harũ lator, iam ad egredien dum paratus, retineri non potuit, ad hæc reſponſali meo diacono uenienti reſpondebo.

Gregorius Dominico epiſcopo Carthaginenſi. Ne monachi contra abbates ab epiſcopis defen dantur. Cap. CXCVI

Epiſt.32 Licet fraternitatem tuam erga monaſteriorum curam paſtorali uigilantia credamus eſſe ſollicitam, ea tamen quæ de monaſterio, in Aphrica na prouincia poſito, cognouimus, uobis neceſſariò præuidimus indicare. Queritur autem Concodeus abbas, lator præſentium, quia ſi quando monachos, quibus præeſſe dinoſcitur, ſub regulari uoluerit diſciplina reſtringere, monaſterium temerè deſerant, & licitè quocunq; uoluerint uagantes exiſtant. Quia ergo hoc & ipſis omnino perniciоſum eſt, & alijs perditionis monſtrat exemplum, hortamur fraternitatem ueſtram, ut ſi ita eſt, eccleſiaſticam in illos correptionem exerceat, & congrua eos ultione à tali proculdubio præſumptione compeſcat, atq; ita ad obediendum ſalubri proui ſione ſuperbiẽtes animos iugo diſciplinę ſubij- c ciat, ut quos ad huius prauitatis exceſſum eorum poterat imitatio prouocare, emẽdatio à culpa reuocet, & ſuis, ut dignũ eſt, doceat præpoſitis obedire. Quia uero à quibuſdam epiſcopis excedentes monachos perhibet defenſari, fraternitas ueſtra in hoc ſtudeat eſſe ſollicita, & eos à tali defenſione, ſua modis omnib. interminatione ſuſpẽdat.

Menſe Iulio. Indictione XV
Gregorius Dinamio & Aureliæ per Franciam. Vt ad meliora proficiant. Et de codice tranſmiſſo. Cap. CXCVII

Epiſt.33 SCriptorum ueſtrorũ pagina lectione percurſa, magnam nobis ſtudio ueſtro indicato contulit lætitiam, quia per hoc quòd uos ſacræ lectionis pabula quærere, & ſupernæ patriæ deſiderare D gaudia nunciauit, dilectionẽ ueſtram religioſam conuerſationem non ſolum amare nomine, ſed etiam tenere uita monſtrauit. Et quoniam deſidera ta uos adepturos eſſe confidimus, uehementi uobis cor noſtrum exultatione cõgaudet. Nam quia huiuſcemodi deſiderium gratia diuina non deſerat, ipſa nos ueritas teſtimonio ſuę uocis informat
Matt.7 dicens: Omnis qui quærit, inuenit: qui petit, accí-
Lucæ 11 pit: & pulſanti aperietur. Hac itaq; fulti certitudine, de eiuſdem redemptoris noſtri miſericordia nihil ambigere, ſed ſpe debemus indubitata præſumere. Nec enim muneris ſui largitate fruſtrabitur, ſed uires obtinendi prorſus indulget, qui uelle cõceſſit. Nam iam ipſum deſiderantes appetere, donum eſt. Quia tamen ita de gratia debemus ſuper- A na præſumere, ut non ſimus negligentes in oratio ne uel opere, uoce eiuſdem ueritatis exprimitur: Oportet ſemper orare, & non deficere. Petamus Lucæ 17 igitur orando, quæramus legendo, pulſemus operando. Sit igitur mens uigilãs, ſit undiq; ſuſpecta, ſit ubiq; ſollicita, ut inſidiantis poſſit laqueos prę cauere. Sed quia quanto hoſtis noſter cautũ contra ſe unumquenq; cognoſcit, tanto corda ſibi reſiſtentium ſubtili molitur arte ſubuertere, omnipotentem dominum aſſiduis lachrymis & deprecatione poſcamus, ut nos ueneni eius non ſinat infectione corrumpi, ſed contra certamina & latentes ſuggeſtiones quas ingerit, potẽtiæ ſuæ nos ſcuto circumtegat, in quo iacula illius illiſa frangantur, & cor noſtrum percuſſionis ipſius contactus non uulneret, ſed gratiæ ſuæ dono eius nobis inſidias & intelligere donet, & uincere. Codicem uero quem dirigeremus, talem qui uos ut petiſtis inſtrueret, minime paratum habuimus, ſed in ſubſequenti tranſmittemus. B

Gregorius Dominicæ uxori Ioannis, Vt ad uirum ſuum reuertatur. Cap. CXCVIII

LÆtos nos ueſtræ nimis epiſtolæ reddiderũt, Epiſt.34 quòd uos unitati eccleſiæ ſociatas deo protegente cognouimus. Et quidem ſicut & ipſæ ſcribitis, antè hoc facere debuiſtis, quia talis uiri coniugem, nec ad modicum eſſe decuit à cõmunionis unitate diſiunctam. Conſiderare enim debuiſti, gloriоſa filia, quãta multitudo fidelium in matris Eccleſiæ ſinu conſiſtat, quantiſq; uirtutibus facerdotes, qui in iſta fide defuncti ſunt, coruſcarunt, uel quãta adhuc corpora ſua miracula faciãt, atq; eos non diiudicare, ſed plus tantis uiris ac ſacerdotibus quàm tibi credere debuiſti. Inter hæc tamen omnipotenti deo gratias agimus, qui ita cordi ueſtro lumen ſuæ ueritatis infudit, ut erroris ſui pulſa caligine, rectam uobis uiam quam ſequi & tenere debeatis, oſtenderet. Glorioſum autem coniugem ueſtrum quouſq; uiuimus, à nobis dimittere nolumus, & ideo eum ad uos reuerti nullatenus confidatis. Et quidem ipſe ad uos uenire deſiderat, ſed poſtquam in ciuitate Romana eſt, non poteſt, non ei licet, quia amoris noſtri omnino tenetur uinculis alligatus. Melius eſt ergo ut uos ad eum uenire modis omnibus feſtinetis, quia caput ſuum potius membra & ſequi debent, & quocũq; iuerit, comitari.

Gregorius Domino epiſcopo Meſſanenſi. De uaſis ſacris pro redemptione captiuorum diſtrahendis. Cap. CXCIX

ET ſacrorum canonum, & legalia ſtatuta per- Epiſt.35 mittunt miniſteria Eccleſiæ pro captiuorum eſſe redemptione uendenda. Et ideo quoniã Fauſtinus lator præſentium ut filias ſuas de iugo potuiſſet captiuitatis exuere, trecentorum triginta ſolidorum probatur debitum contraxiſſe, ex quibus triginta redditis, ad reliquæ quantitatis reſtitutionem eum certum eſt non poſſe ſufficere, fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut de argento Merienſis Eccleſiæ, cuius miles eſſe dinoſcitur, quod apud uos eſt, quindecim ei libras accepto

cepto ab eo desuscepto dare modis omnibus debeatis, ut eo uenūdato, & restituto debito, necessitate ualeat obligationis absolui. Sed & illud fraternitas uestra debet esse sollicita, ut siquidem de prædicta Ecclesia usuale argentum est, suprascriptam quantitatē accipiat, alioquin de sacratis uasis hac in re eam quam prædiximus quantitatē præbere necesse est. Nam sicut omnino graue est frustra ecclesiastica ministeria uenundare, sic iterum culpa est imminenti huiusmodi necessitate, res maxime desolatæ Ecclesiæ captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano. De contentionibus monasteriorum terminandis. Cap. CC

Epist. 36 NE religiosorum uirorum corda secularium rerum contentio à mutua, quod absit, charitate disiungat, magna est sollicitudine studēdum, ut facillimum finem res possit in altercationē deducta percipere. Quia ergo indicante Cæsario abbate monasterij sancti Petri, quod in loco est qui Baias dicitur cōstitutum, comperimus inter eum & Ioannem abbatem monasterij sanctæ Luciæ in Syracusana ciuitate constituti, grauem esse exortam de quibusdam finibus quæstionē, ne ipsa inter eos ualeat contentio prolongari, certamina eorum agrimēsoris definitione prospeximus finienda. Et ideo scripsimus Fantino defensori, ut Ioannem agrimensorem, qui de Romana urbe Panormum profectus est, illuc ad fraternitatem uestram debeat destinare. Hortamur ergo ut cum eo ad loca, de quibus est contentio debeatis accedere, & utraq; parte cominus constituta, per loca quæ in lite sunt, uestra faciatis presentia terminari, quadraginta tamen annorum utriq; parti præscriptione seruata. Quæcunq; uero definita fuerint, ita seruari fraternitas uestra sollicitè studioseq; prouideat, ut denuo nec iurgium exinde aliquod excitari, nec querela ad nos ualeat aliqua peruenire. Cæsarius abbas uenerabilis, quia noster olim fuerit, fraternitatem uestram credimus non latere, & ideo eum uobis salua æquitate in omnibus commendamus. Et quia in secularibus causis omnino inexpertus est, uestra eum sollicitudine necesse est adiuuari, sic tamen ut in cunctis, sicut decet, rationem & iustitiam conseruetis.

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino. De tribus apostolicis sedibus, & de lignis transmissis. Cap. CCI

Epist. 37 SVauissima mihi sanctitas uestra multa in epistolis suis de sancti Petri apostolorum principis cathedra locuta est, dicens quòd ipse in ea nūc usq; in suis successoribus sedeat. Et quidē ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus est qui Petri cathedrā tenet. Et cùm me specialis honor nullo modo delectet, ualde tamē lętatus sum, quia uos sanctissimi quod mihi impēdistis, uobismetipsis destitis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiā in Apostolorum principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à petra uocaretur? Cui ueritatis uoce dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorum. Mat. 16 Cui rursus dicitur: Et tu aliquando conuersus, cōfirma fratres tuos. Luc. 22 Iterūq;: Simon Ioannis amas me? pasce oues meas. Ioan. 21 Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in authoritate conualuit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem uitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quāuis discessurus, sedit. Cùm ergo unius atq; una sit sedes cui ex authoritate diuina tres nunc episcopi præsident, quicquid ego de uobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc uestris meritis imputate, quia in illo unū sumus qui ait, Vt omnes unum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Ioan. 14 Debitū autem salutationis alloquiū persoluens, indico quia magno gaudio exulto, quòd uos contra hæreticorum latratus assiduè laborare cognoui, atq; omnipotentem dominum deprecor, ut beatitudinem uestram sua protectione adiuuet, quatenus per linguam uestram de sinu sanctæ Ecclesiæ omnem radicem amaritudinis euellat, ne rursum germinans impediat multos, & per illam coinquinētur multi. Accepto etenim talento cogitatis quod præceptum est: Negotiamini dum uenio, Ego autē etsi Luc. 19 negotiari non ualeo, lucris tamē negotij uestri cō gaudeo, hoc uidelicet sciens, quia & si me participem operatio non facit, laboris uestri me participem charitas facit: quia, sicut existimo, bonū proximi etiam otioso cōmune fit, qui de alterius actibus gaudere cōmuniter scit. Præterea ligna trāsmittere uolui, sed beatitudo uestra si essent necessaria non indicauit, & maiora multò mittere possumus, sed nequaquā talis nauis huc mittitur, quæ hæc capere ualeat. Minora autē mittere uerecundum puto. Quid tamen facere debeam, beatitudo uestra suis mihi Epistolis innotescat. Paruulā uero benedictionem de amatoris uestri sancti Petri Ecclesia sex minora Aquitanica pallia, & duo oraria transmisi, quia enim multum diligo, etiam de paruis præsumo. Habet enim ipsa dilectio authoritatē suam, & omnino certa est, quia iniuria non erit in omne quod amando præsumpserit. Suscepi autem benedictionem sancti Euangelistæ Marci, iuxtà breue uestris epistolis insertum. Sed quia collatum ac iuritheum non libenter bibo, præsumens cognidium requiro, quod in hac urbe post multa tempora uestra innotescere transacto anno sanctitas fecit. Nam nos hic à negotiatoribus nomen cognidij, & non substantiam, comparamus. Peto autem ut contra omnes amaritudines quas in hac uita patior, uestræ me sanctitatis oratio fulciat, atq; ab his apud omnipotentem dominum suis intercessionibus defendat.

Gregorius Cypriano rectori nostro per Sici-
liam. De episcopo Lucensi, Ecclesiæ ordi-
nando. Cap. CCII

Epist.38 HAbitatores Lucensis ciuitatis quendam ad nos presbyterũ adduxerunt, qui eis debuisset episcopus ordinari. Sed quia minimè dignus inuentus est, ne diu sine proprio possint consistere sacerdote, à nobis admoniti in scrinio promiserunt alium studiose quærere, & ad nos consecrandum deo adiuuãte perducere. Et ideo ad dilectionem tuam latore præsentiũ ueniente Marcianum presbyterũ dioceseos Taurianensis Ecclesiæ, qui nunc habitat in Ecclesia quę est in Massalargia cõstituta, diocesis Cathenensis Ecclesiæ, ad te facito modis omnibus euocari, atq; eum studij tui sit de criminibus quæ ad episcopatũ accedere non permittunt, cum omni subtilitate requirere. Et si eorum se expertẽ esse responderit, cum præsentium portitore eum festina dirigere, ut facto in eũ decreto ad nos ueniat deo adiuuante ordinandus. Si uero est aliquid quod ei possit obsistere, hunc qui ad dilectionem tuam uenit, cum omni cura & celeritate dimitte, ut eo ad loca sua remeante, alter secundum ea quæ præmissa sunt, requiratur.

Gregorius Mariano episcopo Rauennæ de or-
dinando episcopo in Cornelienſi Ecclesia, loco
alterius lapsi. Cap. CCIII

Epist.39 FRaternitatis uestræ epistola nunciante comperimus, Cornelienſis Ecclesiæ filios assidua supplicatione in loco lapsi quondam episcopi sui consecrandum sibi à uobis poscere sacerdotẽ, atq; uos quid de ea re fieri debeat dubitare, et nostrum euidens expectare mandatum. Postq; ergo quenquam criminaliter abscedentem in locum de quo lapsus est nulla permittit ratio reuocari, & ultra tres menses Ecclesiam uacare pontifice statuta sacrorum canonum non permittunt, ne cadente pastore dominicum gregem antiquus, quod absit, hostis insidiando dilaniet, fraternitas uestra deprecationi eorum consentire, & in loco lapsi debet episcopum ordinare. Nam dum non petentes eos etiam antè uestris ad hoc debueratis adhortationibus admonere, postulantes nulla uos oportet excusatione differre, quia Ecclesia dei diu uiduata proprio episcopo remanere non debet.

Gregorius Marinianо episcopo Rauennæ.
De submouendo clericorum dominio in mo
nasterijs. Cap. CCIIII

Epist.40 DVdum ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennæ partibus constituta omnino clericorum uestrorum dominio præ grauari, ita ut occasione quasi regiminis, ea, quod dici graue est, uelut in proprietate possideãt. Quibus non modicum condolentes decessori uestro epistolas misimus, ut hoc emẽdare per omnia debuisset. Sed quoniam uitæ est termino citius occupatus, ne hoc onus monasterijs remaneret, fraternitati uestræ hæc eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, ut comperimus, in huius rei hactenus correptione cessatum est, hæc ad uos iterum præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergo, ut omni mora, omniq; excusatione submota, ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullam deinceps in eis clerici uel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant nisi orandi tantummodo causa accedendi licentiam, aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati mysteria. Sed ne pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione aliquod onus monasteria fortasse sustineant, studendum uobis est, ut si quispiam abbatum aut monachorum ex quo cunq; monasterio ad clericatus officium uel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius, ut diximus, potestatem, ne monasteria huius occasionis uelamine, ea quæ prohibemus, sustinere onera cõpellantur. Hæc itaq; omnia uigilanti cura emendare iam secundò cõmonita sanctitas uestra non differat, ne si post hoc negligentes uos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam uobis notum sit quia tantæ necessitati seruorum dei congregationem amplius subiacere non patimur. Ne uero aliqua uobis excusatio de monachis oriatur, personam huc quam præuiderit utilem ex opere fraternitas uestra transmittat, & ei nos qui cum eo ad uos uenire possint, monachos deputabimus, quos ut prospexeritis, debeatis in monasterijs ordinare, si tamẽ talia loca sunt, ut sit ibi unde subsistere ualeant. Cã.16.q.1 Ne pro cuiuslibet

Gregorius Cypriano diacono per Siciliam.
De Paula & quodam Iudæo. Cap. CCV

Epist.41 QVesta nobis est Paula præsentiũ latrix quendam Theodorũ ex Iudæo sibi nimis frustra inimicum existere, intantum ut, quod dici nephas est, iniquitate maleficiorũ eam lædere moliatur, atq; ab hominibus Ecclesiæ Messanensis eundem Theodorum contra hoc facinus fortius uindicari. Dilectio igitur tua studeat, ut nullus Ecclesiastico rum prædictæ mulieri in hac causa tentet aduersus existere. Sed ad inuestigandum hoc ipse, ut poteris, esto sollicitus. Et si suprascriptus Theodorus tãtæ iniquitati obnoxius esse patuerit, ita hoc districta ultione per hos quorum interest facias uindicari, ut & deus placari possit, & alijs exemplum correptionis sit.

Finit liber tertius Registri beati Gregorij papæ, qui secundum aliam computationem domini Gratiani in decretis est sextus.

Incipit liber quartus secundum
aliam computationem.

LIBER SEPTIMVS.

Incipiunt epistolę beati Gregorij papæ. Indictione prima.

Gregorius Sabiniano diacono.
De causa Maximi, & præsumptione eius.
Caput I

Epist.1 DE causa Maximi præuaricatoris quid actum sit, cognouisti. Sed postq; serenissimus dominus imperator iussiones trāsmisit ut ordinari minimè debuisset, tunc ad altiorē superbiā erupit. Nam homines glorioli uiri Patricij Romani ab eo prędia acceperunt, eumq; ita ordinari fecerunt, ut Antonium subdiaconē & rectorem patrimonij nisi fugisset occiderent. Ego autem epistolas transmisi, postquam eum ordinatum contra rationem cognoui & contra consuetudinem, ut missarum solennia celebrare non præsumeret, nisi prius à serenissimis dominis cognoscerem, quid de eius persona iussissent. Quæ scripta mea publicè relecta, uel in ciuitate posita, publicè scindi fecit atq; in contemptum sedis Apostolicæ apertius exilijt. Quod ego qualiter patiar scis, qui antè paratior sum mori, quàm beati Petri apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores autem meos bene cognitos habes, quia diu porto, sed si semel deliberauero non portare, cōtra omnia pericula lætus uado. Vnde necesse est cum dei auxilio periculo succurrere, ne cogatur excedendo peccare. Vide quæ dico, & pensa ex quanto dolore sunt. Peruenit uero ad me quia transmisit nescio quem clericū, qui diceret quia Malcus episcopus in custodia pro solidis occisus sit. De qua re unum est quod breuiter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego seruus eorum in morte Longobardorum me miscere uoluissem, hodie Longobardorū gens nec regē, nec duces, nec comites haberet, atq; in summa confusione esset diuisa. Sed quia deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Quòd autem Malcus episcopus neq; in custodia fuit, neq; in aliqua afflictione, sed die qua causam dixit, & addictus est, nescięte me à Bonifacio notario in domū eius ductus est, cui & prandium factum est, ubiq; prandit & honoratus est ab eo, & nocte subitò mortuus est, iam dilectionē tuam arbitror cognouisse. Exhilaratū autem nostrum pro eare dirigere uolui. Sed quia iam eandem causam actam existimaui, idcirco me retinui. Domino autē Romano dilectio tua dicat, quia pro Felice, sicut scripsit ad uirum excellentissimum magistrum epistolas, si deus iusserit facio, & per hominem meum transmitto. Nam modo postquam nulli alteri scribo, durum mihi fuit soli magistro scribere. Cui etiam dicendū est, quia Catellus palatinus substantiam eius quantum Virigantinus dicit, male exterminat. Cui uix potui imponere, ut expensas eidem Virigantino in monasterio quo lectioni uacat, & laborare non potest, parum ali-

A quid de substantia matris suæ dare debuisset.

Gregorius Cryſanto episcopo Spolitano.
De conuertendis ab idolorum cultura. Et de quinquaginta solidis baptizandis transmissis. Cap. II

SVsceptis epistolis fraternitatis uestrę magnas Epist.2
omnipotēti deo gratias retulimus, quia de cō gregatione multarum animarum nos dignatus es releuare. Et ideo fraternitas uestra sollicitè studeat opus quod cœpit auxiliāte domino ad perfectionem deducere. Et siue eos qui aliquādo fideles fuerunt, sed ad cultum idolorum negligentia aut necessitate faciente reuersi sunt, festinet cum indicta pœnitentia aliquantorū dierum ad fidem reducere, ut reatū suum plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc ad quod deo adiuuante reuertuntur, quanto illud perfectè defleuerint unde discedūt. Siue eos qui necdum baptizati sunt admonendo, rogando, de uenturo iudicio terrendo, rationē quoq; reddendo, quia ligna & lapides colere non debent, festinet fraternitas tua omnipotenti domino congregare, ut in aduentu eius cùm districtus dies iudicij uenerit, in numero sanctorum possit tua sanctitas inueniri. Quod enim opus utilius & sublimius acturus es, quàm ut de animarum uiuificatione et collectione cogites, & tuo domino qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes? Transmisimus autē fraternitati tuæ quinquaginta solidos pro uestimentis eorū qui baptizandi sunt cōparandis: presbytero quoq; Ecclesiæ quæ in Negeugno monte sita est, possessionem quam tua fraternitas petijt, dari fecimus, ita ut quantum præstat, tantum de solidis quos accipere cōsueuerat, minus accipiat. Vestra autem fraternitas petijt, ut sibi episcopum in Ecclesia quæ non longè ab eodem monte est facere debeat, quod omnino libenter accepi quia quantum uicina fuerit, tantum prodesse animabus illic consistentibus amplius poterit. Latorē uerò præ- Cā.1.q.1
sentium per intercessionem sanctitatis uestræ acolitum fecimus, quem ad obsequia uestra transmisimus, ut si in lucrandis animabus amplius seruierit, proficere amplius possit. Latorem

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.
Consolatoriam scribit epistolam de aduersitatibus huius mundi. De Barbarorum gladijs, ac diuersis aduersitatibus. Cap. III

SVscepi epistolas suauissimæ beatitudinis ue- Epist.3
stræ, quæ pro uerbis lachrymas pluebant. Vidi nanq; in eis nubē more suo in altum uolantem, sed quandam caliginem tristitiæ ferentem, nec penetrare in ipso exordio facile ualui, unde ex quo iret, quia præ ipsa quam dixi caligine ad plenum causas non intellexi. Hoc tamen sanctissimos uos semper sicut & facitis reducere ad mentem decet, quod prædicator gentiū dicit: In nouissimis tem- 2.Tit.3
poribus instabūt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, & cętera, quæ mihi labor est dicere, & uobis nō est necessarium audire. Ecce in senectute sancta uestra beatitudo multis tribulationib. laborat, sed perpendat cuius sedem teneat. Nunquid non illius cui uoce ueri-

Ioan.21 tatis dictum est: Cùm senueris, alius te cinget, & ducet quo tu non uis? Sed hæc dicẽs recolo ꝙ sanctitas uestra in multis aduersitatibus etiã à iuuentute desudauit. Esa.38 Cum bono ergo rege dicat: Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sunt autem multi qui delectationem suam, sicut scribitis, de nostris sibi uulneribus faciũt, sed Ioan.16 scimus qui dixit: Plorabitis & flebitis uos, mũdus autẽ gaudebit, uos autẽ contristabimini. Et protinus Matt.7 adiunxit: Sed tristitia uestra uertetur in gaudium. Quia uero iam prædicta patimur, restat ut etiã promissa sperare debeamus. Hi enim de quibus dicitis, quia ipsi addunt onera qui subleuare debuerunt, scio quia illi sunt qui ueniunt in uestitu ouium, & intus sunt lupi rapaces. Sed tanto magis tolerandi sunt, quanto non solum per malitiosam mentem, sed etiam per religiosum habitum persequuntur. In hoc autem quod soli præ alijs haberi appetunt, quod dignũ non fuerat ut uel cum fratribus haberẽt, nullo modo turbamur, quia omnipotenti confidimus, quia hi qui aliena appetũt, etiam suis citius priuãtur. Scimus enim qui dixit: Lucæ14 Quia omnis qui se exaltat, humiliabit. Et rursum Prou.16 scriptum est: Ante ruinam exaltabitur cor. His autem diebus, sicut inuenio, noua hæreticorum bella consurgunt, de quibus uestræ beatitudini iam antea scripsi, ita ut prophetias, Euangelia, & dicta patrum omnia euacuare moliant. Sed permanẽte uita uestræ sanctitatis, in protectoris nostri gratia speramus, quòd eorum ora citius obmutescant, quæ contra soliditatem ueritatis aperta sunt, quia & quàmlibet acuti gladij mittantur cùm saxum feriũt, fracti resiliunt. Hoc autem magna omnipotentis dei est gratia, quòd in ipsis qui à sanctæ Ecclesiæ doctrina diuisi sunt, unitas nõ est, quoniam Lucæ11 omne regnum in se diuisum non stabit. Et sancta Ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum hæreticorum quæstionibus impugnatur, ita ut aperte impleatur quod per Psalmistam con- Psal.54 tra hæreticos de deo dictum est: Diuisi sunt ab ira uultus eius, & appropinquauit cor illius. Nã dum ipsi in suo prauo errore diuiduntur, cor nobis dei appropinquat, quia eruditi aduersitatibus intellectum eius subtilius inuenimus. Quæ autem mala à Barbarorum gladijs quæ à peruersitate iudicum patimur, beatitudini uestræ narrare refugio, ne eius gemitum augeam quem minuere consolando debueram. Sed in his omnibus authoris nostri me Ioan.16 præcepta consolantur dicentis: Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis. Pensa enim quibus dictũ est: Hæc Lucæ22 est hora uestra, & potestas tenebrarum. Si ergo potestas lucis postea erit, quia electis dictum est: Matt.5 Vos estis lux mundi, & sicut scriptum est: Obtine- Psal.48 bant eos iusti in matutino: omne quod in hora & potestate tenebrarũ patimur, lugendum non est. Indicat autem mihi suauissima sanctitas uestra ꝙ mecum, si potuisset fieri, sine charta & calamo loqui uoluisset, & dolet quòd nobis Orientis penè & Occidentis spatium interiacet. Sed hoc quod sentio, uerum dico: & in charta mihi mens uestra A sine charta loquitur, quia in uerba uestrę sanctitatis sola charitas sonat, & diuisi locis nõ sumus, qui ex dono omnipotentis domini dilectionis uinculo uniti sumus. Cur igitur accipere pennas columbæ deargentatæ quæritis, quas iam habetis? Pennæ quippe eius sunt charitas dei, & proximi. Per ipsas enim sancta Ecclesia euolat, per ipsas terrena omnia transcendit, quas si uestra sanctitas non haberet, ad me cum tanta charitate per epistolas non uenisset. Rogo autem ut pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens deus mentem meam à malis omnibus pro uestra intercessione tueatur, & citius me de tot procellis huius tempestatis eripiat, atq; in æternæ quietis littore perducat. Benedictiones uero locupletissimas omnes quæ directæ sunt suscepi quę mihi uir B dei pauper spiritu transmisisti de quibus dicitis: Quid enim det pauper nisi ea quæ pauperia sunt? Sed nisi uos per humilitatis spiritũ pauperes essetis, benedictiones uestræ locupletes non fuissent. Omnipotens deus sua uos à malis omnibus protectione defendat, & quoniã uita uestra bonis omnibus ualde est necessaria, post longa adhuc tempora uos ad cœlestis patriæ gaudia perducat.

Gregorius episcopo Messalino.
De precio pro sepultura aliqua nunquam recipiendo, & proponit exemplum Abrahæ & Sichimitarum. Cap. IIII

Epist.4 FIlius noster Faustinus uir eloquentissimus ad nos ueniens questus nobis est, quòd pater C eius quondam Peltrasius aliqua uestræ Ecclesię sepulturæ suæ gratia iuris alieni reliquerit. Et quidẽ quid de hac re seculi leges habeant, & ipsi nostis, & nos audiuimus, quia hæres ad soluendum cogitur, si author eius uel testator aliena legauerit. Sed quia fraternitatem uestram lege dei, non autem lege seculi nouimus uiuere, ualde mihi iniustum uidetur, ut calix electrinus et puer qui cuiusdam Ecclesiæ, in possessione eius positæ, dioceseos Consentinæ Ecclesiæ esse perhibetur, à tua fraternitate teneatur. Cùm enim & uir reuerendissimus Palumbus nunc episcopus, tunc uero archidiaconus ita fuisse testatus est, uos omnino eius fidei credere, & aliena restituere debuistis. Fibulam uero auream quam prædictus uir moriens D pariter reliquit considerare, ut arbitror, debuistis, quæ esset summa eius substantiæ, si quid esset unde hi quos reliquerat, sustentari debuissent, & tũc pro sepultura eius accipere, quamuis secundum nostrum institutum nouerit is nos illicitam antiquam consuetudinem à nostra Ecclesia omnino uetuisse, nec cuiquam assensum præbere, ut loca humani corporis precio possint adipisci. Nam si gẽtiles, ut arbitramur, uiri Sichimitæ Abrahę pro Sarra mortua, atq; in loco proprio humãda sepulturã gratis obtulerũt, & uix magna eius importunitate coacti sunt ut preciũ de loco sepulturę perciperent, nos qui episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa quid facere debemus. Hoc ergo fraternitatis uestræ iudicio committo. Et hæc quoq; nobis prædictus eloquẽtissimus uir

questus

questus est Sisinnium defensorem Ecclesiæ tuæ irrationabiliter iuri suo mancipia competentia detinere. De quibus etiam iudicio sanctæ memoriæ Maximiani episcopi, ut ea detentator redderet, esse asserit definitum, sed eorum restitutionem hactenus uoluntarie distulisse. Hortamur ergo fraternitatem tuam, ut si manifeste causa iam iudicata est, quæ statuta sunt, compleantur. Alioquin deputato defensore ad fratris & coepiscopi Secundini nostri partes fac iudicium conuenire, ut dum cuius sint iuris mancipia, de quibus quæstio uertitur, eius fuerit sententia declaratũ, nec hic præiudicium, nec ille uideatur iniuriam sustinere.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. De Pallio Siagrio episcopo concedendo, & sacris ordinibus præmio non concedendis, & de schismaticis. Cap. V

Epist. 5 QVanta in omnipotẽtis dei timore excellentiæ uestræ mens soliditate firmata sit, inter alia bona quæ agitis: etiam in sacerdotum eius laudabiliter dilectione mõstratis: & magna nobis fit de Christianitate uestra lætitia, quoniam quos uenerantes ut famulos reuera Christi diligitis, augere honoribus studetis. Decet enim uos excellentissima filia, decet tales existere, ut subiectæ possitis esse dominatori. In eo enim timore regnũ potestatis uestræ & subiectis gentibus confirmatis, in quo timori omnipotentis domini mentis colla subjicitis, & unde uosmetipsas seruitio creatoris subditis, inde uobis uestros subditos ad seruitium deuotius obligatis. Susceptis itaq; epistolis uestris, ualde nobis excellentiæ uestræ studium placuisse signamus, atq; fratri & coepiscopo nostro Siagrio pallium dirigere secundum postulationẽ uestrã uoluimus, propter quod & serenissimi domini Imperatoris, quantum uobis diaconus noster qui apud eum responsa Ecclesiæ faciebat, innotuit, prona uoluntas est, & concedi hæc omnino desiderat, atq; multa de prædicto fratre nostro tam uobis quàm etiam alijs testificantibus ad nos bona perlata sunt: maximè uitam eius Ioanne regionario ad nos remeante cognouimus. Et quid in fratre nostro Augustino fecerit audientes, redemptorem nostrum benedicimus, quia eum sacerdotis nomen etiam operibus implere sentimus. Sed res plurimæ restiterunt, quæ nos hoc interim facere minimè permiserunt. Primum siquidem quia is qui pallium ipsum uenerat accepturus, schismaticorum tenetur errore implicatus. Deinde quòd non id ex uestra petitione, sed ex nobis transmissum uoluistis intelligi. Extra hoc autem quia nec is qui eo uti desiderat, directa ad nos hoc sibi largiri speciali petitione poposcerat, & tantam causam nullo modo præbere sine eius Dist. 100. postulatione debuimus, maximè quia & prisca Prisca consuetudo obtinuit, ut honor pallij nisi exigentibus causarum meritis & fortiter postulanti dari non debeat. Nos tamen ne uestræ excellentiæ desiderium sub prætextu cuiusdam excusationis forsitan uideremur uelle differre, dilectissimo filio nostro Candido presbytero pallium prouidimus dirigendum, iniungentes ei ut uice nostra cõgrua id debeat obseruatione tribuere. Vnde necesse est ut ex eo opere suprascript⁹ frater & coepiscopus noster Siagrius facta cum aliquãtis suis episcopis petitione hoc sperare, atque eam prædicto debeat dare presbytero: quatenus dignè eiusdem pallij usum cum dei gratia ualeat adipisci. Vt ergo hæc uobis cura ante oculos creatoris nostri in fructu sit, christianitatis uestræ sollicitudo diligenter inuigilet, & nullum qui sub regno uestro est, ad sacrum ordinem ex datione pecuniæ, uel quarumlibet patrocinio personarum seu proximitatis iure patiatur accedere: sed ille ad episcopatum uel alterius sacri ordinis officium eligatur, quem dignũ uita & mores ostenderint, ne si, quod non optamus, honor uenalis fuerit sacerdotalis, simoniaca in illis partibus hæresis, quæ prima in ecclesia prodijt, & patrum sententia damnata est, consurgat: & regni uestri, quod absit, uires imminuat. Nam graue omnino & ultra quàm dici potest facinus est, spiritum sanctum, qui omnia redemit, uenundare. Sed & hoc curæ uobis sit, ut quia sicut nostis, Neophitum egregius prædicator ad sacerdotij regimen omnino uetat accedere, nullũ ex laico patiamini episcopũ cõsecrari. Nam qualis magister erit qui discipulus nõ fuerit? Aut quẽ admodum ducatum gregi dominico prębeat, qui disciplinæ pastoris subditus antè non fuerit? Si cuius ergo uita talis cõstiterit, ut ad hunc dignus sit ordinem promoueri, prius ministerio debet Ecclesiæ deseruire, quatenus longe exercitationis usu uideat quod imitetur, & discat quod doceat, ne fortè onus regiminis conuersionis nouitas nõ ferat, & ruinæ occasio de prouectis in maturitate consurgat. Qualiter autem se excellentia uestra erga fratrem & coepiscopum nostrum Augustinũ exhibuerit, quantamq; illi sibi deo aspirante charitatem impenderit, diuersorum fidelium relatione cognouimus, pro qua gratias referentes, diuinæ potentiæ misericordiã deprecamur, ut & hic uos sua protectione custodiat, & sicut inter homines, ita quoque & post multorum annorum tempora, in æterna faciat uita regnare. Præterea hos quos ab unitate Ecclesiæ schismaticorum error dissociat, ad unitatem studete concordiæ pro uestra mercede reuocare. Nam non ob aliud ignorantię suę hactenus cæcitate uoluumẽ, nisi ut ecclesiasticã fugiant disciplinam & peruersè habeant, ut uoluerint, uiuendi licentiam, quia nec quid defendant, nec quid sequantur intelligunt. Nos autem Chalcedonensem synodum de qua illi sibi pestiferæ nebulas excusationis assumunt, per omnia ueneramur & sequimur: & si quis de fide eius minuere aut addere aliquid præsumpserit, anathematizamus. Sed ita illos erroris labes imbibit, ut ignorantiæ suæ credentes uniuersalem Ecclesiam atq; omnes quatuor parrochias non ratione, sed malitiosa mente tantũmodo refugiãt, ita ut is qui ad nos à uestra excellẽtia missus est cũ quererer à nobis cur ab uniuersali Ecclesia separatus existeret, se ignorare professus sit. Sed neq; quid diceret

neque quid aliud audiret, ualuit ſcire. Hoc quoq; pariter hortamur, ut & cæteros ſubiectos ueſtros ſub diſciplinæ debeatis moderatione reſtringere, ut idolis non immolent, cultores arborum non exiſtant, de animalium capitibus ſacrificia ſacrilega non exhibeãt: quia peruenit ad nos quòd multi Chriſtianorũ & ad Eccleſias occurrãt, & quod dici nephas eſt, à culturis dæmonum non diſcedant: Quoniam uerò omnino deo noſtro hæc diſplicent, & diuiſas mentes non poſſidet: prouidete ut ab his debeant illicitis ſalubriter coerceri, ne quod abſit, non eis ad ereptionem, ſed ad pœnam

Cau.23.q.4 Si quos

ſacri fiat baptiſmatis ſacramentum. Si quos igitur uiolentos, ſi quos adulteros, ſi quos fures uel alijs prauis actibus ſtudere cognoſcitis, deum de eorũ correctione placare feſtinate, ut ſuper uos flagellum perfidarum gentium, quod (quantũ uidemus) ad multarũ nationũ uindictã excitatum eſt, non inducat: ne ſi, quod non credimus, diuinæ ultionis iracundia ſceleratorum fuerit actione commota, belli peſtis interimat, quos delinquentes ad rectitudinis uiam dei præcepta non reuocant. Neceſſe eſt ergo ut omni ſtudio & oratione aſſidua ad redemptoris noſtri conuerti miſericordiam feſtinemus, ubi tutus omnibus locus eſt, ubi magna ſecuritas. Nam illic quenquam ſolidè perſiſtentẽ, nec periculum conterit, nec metus exagitat. Codicem uero, ſicut ſcripſiſtis prædicto dilectiſſimo filio Candido preſbytero uobis offerendum tranſmittimus, quia boni ueſtri ſtudij eſſe participes feſtinamus. Omnipotens deus ſua uos protectione cuſtodiat, atq; à perfidis gentibus regnum ueſtrũ ſui brachij extenſione defendat, uosq; poſt longa annorum curricula ad gaudia æterna perducat.

Gregorius Venantio epiſcopo Lunenſi. De monaſterio ſuo conſecrando. Cap. VI.

Epiſt.6 FRaternitatis ueſtræ inſinuatione didicimus, quæ habetur in ſubditis, intra ciuitatem Lunenſem in domo te propria monaſterium ancillarum dei pro ueſtra deuotione fundaſſe, quod in honore beati Petri Apoſtolorum principis, & ſanctorum martyrum Ioannis & Pauli, atq; Hermæ & Sebaſtiani deſideras conſecrari. Et ideo frater chariſſime, ſi nullum corpus ibidem conſtat humatum, data primitus à fraternitate tua donatione legitima, id eſt: calicem argenteum unum habentem uncias ſex, patenam argenteam habentẽ libras duas, ſyndones duas, coopertorium ſuper altare unum, lecta ſtrata numero. x. in æramentis cap. xx. in ferramentis cap. xxx. in ceſpite fundum Faborianum, & lumbricate in integro conſtitutũ in territorio Lunenſi miliario ab urbe eadẽ plus minus ſecundo, iuxta fluuium Macrã, cum ſeruis duobus, id eſt, Mauro & Ioanne, & boũ parium ij. tantum geſtisq; municipalibus alligatis prædicti monaſterij oratorium abſq; miſſis publicis ſolenniter conſecrabis, & cætera ſecundum morem.

Menſe Nouembrio. Indictione prima.

Gregorius Amos epiſcopo Hieroſolymitano. De Petro acolito fugitiuo. Cap. VII.

Epiſt.7 CVm fraternitatem ueſtram confidamus canonum ſtatuta, & uigorem diligere diſcipli

A næ, ne clerici noſtri uobis ad euitandam diſcretionem eccleſiaſtici ordinis falſitas ſurripere ualeat, eius culpam ſanctitati ueſtræ indicare proſpeximus, ut ſollicitudine ueſtra diſciplinæ poſſit ſubmitti quam refugit. Comperimus autẽ quòd Petrus acolitus, quẽ dilectiſſimo filio noſtro Sabiniano diacono reſponſa eccleſiaſtica facienti obſeruare in urbe regia feceramus, fugiens ad ueſtram Eccleſiam uenerit. Quod ſi uerum eſt, in tuto eum facere fraternitas ueſtra, & inuenta huc ſtudeat occaſione remittere. Aut ſi fortè hoc metuens à ueſtra diſceſſerit Eccleſia et per diuerſa loca, ne comprehendi ualeat, latitet: in omnibus parrochijs ueſtris ut diligenter requiratur iniungite, & inuen-

B tũ ad nos, ſicut præfati ſumus, retranſmittite, quẽ etiam uolumus per uos quia ſit communione priuatus agnoſcere, nec dominici corporis ac ſanguinis quouſq; ad nos redeat, audeat myſteria ſumere, niſi forte uicino mortis inſiſtente periculo.

Gregorius Leoni epiſcopo Catenienſium. De portionibus clericorum. Cap. VIII.

AD hoc locorum gradus rationis ordo diſtinxit, & iudicia eſſe conſtituit, ut nec præpoſiti in opprimendos ſe fruſtra ualeant occupare ſubiectos, nec ſubiectis iterum contra ſuos præpoſitos effrenata ſit reſultandi licentia. Et ideo quia per. xv. nuper indictionem elapſam Eccleſiæ tuæ acoliti, dato contra te capitulari, quædam conqueſti ſunt, ne aut in tuæ fraternitatis inuidia remanerent, aut illos in ſuis uideremur petitionibus non

C audire, dilectiſſimo filio noſtro Cypriano diacono ea ſubtiliter inquirenda mandauimus. Qui iniuncta cognoſcẽs, quid de capitulo unoquoq; decreuerit, inquiſitioni noſtræ eſt ſubtilius pateſactum. Et quia inter alia de quarta portione clerus hoc tenendum ſtatuit, ut unam portionem hi qui in ſacro loco ſunt poſiti, & reliquas duas clerus accipiat, & latores præſentium Donatus presbyter, necnon & Theodoſianus atq; Viator diacones: aliorum quoque qui in ſacrato ſunt ordine conſtituti, relationem ad nos deferentes cõqueſti ſunt, hoc contra antiquam conſuetudinem in ſuo grauamine præiudicialiter ſtatutum: quippe quia de eadem quarta ſemper duas ſe partes, & tertiã cle-

D rũ perhibent conſecutũ, & petiuerũt ne hæc diffinitio in ſuo præiudicio permaneat, nos hoc fraternitatis tuæ diſpoſitioni oportere prouidimus commitendũ. Volumus ergo ut quicquid Eccleſiæ tuæ ex redditu uel quolibet alio titulo fortaſſis accreſcerit, quartam exinde portionem ſine diminutione aliqua debeas ſegregare, atq; eam ſecundũ dei timorẽ preſbyteris, diaconibus, ac clero ut tibi uiſum fuerit, diſcretè diuidere, ita ſanè ut unicuiq; ſicut meritũ laboris exegerit, libera tibi ſit, iuxta quod præuideris largiendi licentia: quatenus & hi qui merentur, etiam temporali ſe ſentiant commodo conſolatos, & alij adiuuante domino eorum ad melius contendant imitatione proficere.

Gregorius Vitaliano epiſcopo Sipontino. De filia Tulliani magiſtri militiæ. Cap. IX.

Si cuſtos

Epist. 9 Cl. xxvii. q. i. Si custos

SI custos religiosi habitus esses, aut esse nosses A Episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito, nec projectis religiosis uestibus ad secularem reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolã destinare. Sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad presens illicita impunè commissa est. Nam, sicut præfati sumus, si sollicitus extitisses prius ad nos ultio mulieris prauissimæ, quàm culpa debuit peruenire. Quia ergo tantum hebes, tantumq; es negligens, ut nisi canonicam in te fueris coercitionem expertus, in alijs districtionem & disciplinã nescias custodire, qualiter debeas esse sollicitus congruo tibi, si domino placuerit tempore demonstrabimus. Præsentia igitur scripta suscipiens euigila, & excitatus saltem exequere, B quod pressus nuncusq; ignauia distuliſti. Instantiæ ergo tuæ sit, prædictam mulierem unà cum Sergio defensore nostro comprehendere, & statim non solum ad malè contemptum habitum sine aliqua excusatione reuocare, sed etiam in monasterium, ubi omnino districtè ualeat custodiri, oportet detrudere: & ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere, ut quàm sit nefarium quod commisit, ex tua possit districtione cognoscere. Qua in re si quis, quod non credimus, clericorum uel laicorum aliquo tibi ingenio tentauerit obsistendũ, à sacratissimæ eum communionis participatione suspendere, nobisq; renunciare festina, ut quantũ C sit execrabile quod præsumpserit, postquam consideratione propria non aduertit, emendationis qualitate cognoscat. In his aũt omnibus ita te cautum stude ac uigilantẽ ostendere, ut culpam tuam non geminare neglectus, sed aliquantisper ualeat sollicitudo minuere.

Gregorius Sergio defensori. De filia Tullia ni magistri militiæ. Cap. X

Epist. 10 SI homo esses, aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, ut ea quæ illicitè illic committuntur, antè uindicta corrigeret, q̃ ad nos eius nuncius perueniret. Sed dum nimia te facit stultitia negligentem, non solum de illis offendimur, sed etiam ad ulciscendum desidiam tuam nihilominus prouocamur. Omni ergo dilatione omniq; excusatione D postposita, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, quæ projectis quas spontaneas assumpsit religiosis uestibus, indumentis se laicis deturpauit, unà cum fratre & coepiscopo nostro Vitaliano festina cõprehendere, atq; ad religiosum rursus habitum reuocare, ac in monasterium mittere, ubi strictè omnino ualeat custodiri. Nec eius custodiam aliquatenus releuari permittas, quousq; nostra denuo scripta susceperis. Nam si quolibet modo in hac re negligens uel lentus extiteris, ita in te noueris districtissimè uindicandum, ut quod ex te nescis, pœna possis resecante cognoscere: quia sicut diximus, si intellectum hominis habuisses, hæc quæ modo facere præciperis, antè debueram etiam cum ultione facta cognoscere.

Gregorius Eusebio Thessalonicensi, Vrbitio Diracitano, Constãtino Mediolanen. Andreæ Nicopol. Ioanni Corinthi, Ioanni primæ Iustinianæ. Ioanni Cretẽsi Coritano, Ioanni Larissæo, Mariano Rauennæ, Ian. Caral. Sard. & omnibus episcopis Siciliæ. De lege imperatoris: quòd ex militari habitu nullus ante triennium suscipiendus sit. Cap. XI

LEgem quam pijssimus Imperator dedit, ne fortasse hi qui militiæ uel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum ueniant, uel in monasterijs conuertantur, uestræ studui fraternitati transmittere: hoc maximè exhortans, quod hi qui seculi actionibus implicati sunt, in clero ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt: quia dũ in ecclesiastico habitu non dissimiliter quàm uixerant uiuunt, nequaquam student seculum fugere sed mutare. Quòd si etiam tales quoque monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius actionibus publicis absoluti fuerint. Si qui uero ex militaribus uiris in monasterijs conuerti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorum uita fuerit subtiliter inquisita. Et iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari: & tunc monachicum habitũ deo authore suscipere. Qui si ita sunt probati atq; suscepti, & pro anima sua pœnitentiam de perpetratis culpis agere studeant, pro eorum uita & lucro cœlesti, non est eorum conuersio renuenda. Qua de re etiam serenissimus & christianissimus imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorũ cõuersionẽ suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit. Epist. 11 Parte. 1. dist. lisj. Legem

Mense Decembri. Indictione prima.
Gregorius Sabiniano Episcopo Iadertino.
De pœnitentia eius & Florentino Episcopo.
Caput XII.

SIcut perseueranti culpæ debetur iure uindicta Epist. 12
sita resipiscentibus est uenia cõcedenda. Nam ut res illa contra se meritò iracundiam excitare, sic hæc in sua prorsus dilectione solet cõcordiam propagare. Et ideo quia fraternitatem tuam à cõsortio & communione Maximi, ubi te prius neglectus impulerat, intantum postea grauitas sacerdotij ad animum reducta suspendit, ut eius sola nullatenus patereris esse congregatione cõtentus, nisi & in monasterij te claustra recipiens dudum commissa defleres: eapropter in nostram te gratiam ac communionem receptum esse non dubites. nam quantum nos prius culpa tuæ charitatis offenderat, tantum pœnitentia mitigauit. Hortor igitur dilectissime frater ut gregi dominico pastoralem sollicitudinem instanter impendas, lucrum de commissis ouibus facere diligenter inuigiles, ut tanto tibi copiosæ retributio mercedis exuberet, quanto in aduentu æterni iudicis multiplices laboris fructus obtuleris. Stude itaque in culpa lapsos eruere, stude errantibus regrediendi uiam ostendere, stude communione priuatos ad communionis salubriter gratiam reuocare. Sit cæteris charitatis uestræ reuersio erreptionis officium, sit salutis exemplum: quatenus dum errantes gressus ouium ad septa summi pastoris sollicitudinis

tudinis ueſtræ cura direxerit, nec ipſę luporū den A
tibus relinquantur expoſitæ, & te in æterna uita,
quod ſummoperè petendum eſt, dignæ compen-
ſatio retributionis excipiat. De cauſa uerò quam
nobis ſcripſiſtis, ut debeam⁹ ne in urbe regia con
tra uos ſurripiatur eſſe ſollicíti, animos ueſtros
res iſta non turbet. Nam reſponſali noſtro omni-
no ſtudioſe mandauimus, ut ſollicitum cautumq;
ſe debeat exhibere. Et confidimus de dei noſtri
potentia, quia id agitur ut uos nullius cōtra ratio-
nē aut turbare quoquo modo aut premere poſſit
aduerſitas. Præterea habitatores Epitaurienſis ci-
uitatis Florentium, quem ſuū eſſe dicunt epiſco-
pum, ſibi à nobis reſtituendum ſtudioſiſſimè po-
poſcerūt, aſſerentes fruſtra eum ad ſolam tantum B
modo uoluntatem Natalis epiſcopi detruſum exi
lio. Et ideo ſi quid de eius cauſa fraternitas ueſtra
cognouit, nobis ſuis ſubtiliter epiſtolis innote-
ſcat. Si autem necdum cognouit, requirat, nobiſ-
que renunciet, ut quicquid de eo ſtatuendum ſit
certi, deliberare adiutore domino ualeamus.

Menſe Februario. Indictione prima.

Gregorius Candido Abbati monaſterij ſan-
cti Andreæ ad cliuum Scauri. De conten-
tione inter ipſum & Maurentiū. Cap. XIII

Epiſt.13 SIcut loci noſtri conſideratio prouidere nos
admonet, ut monaſteriorum negotia pacis in
tentio ſalubri fine diſtinguat, ſic iterum ratione
conſtringimur, conſenſus noſtri authoritate quæ
utiliter deciſa fuerint, roborare: ne forte cuiquam
excuſationis obiectu, quòd à religioſo propoſito
& æquitate ualde diſſentit, aliquid in dubium cō- C
tentio recidiua perducat, & gignat ex pace litigi-
um. Proinde quoniam inter te Candidum ab-
batem monaſterij ſancti Andreæ apoſtoli poſiti
in hac urbe Romana in cliuo Scauri, agentem uti
litates eiuſdem monaſterij, & Maurentium glo-
rioſum magiſtrum militiæ, cauſa ſucceſſionis hæ-
reditatisq; Ioannis fratris cōſanguinei prædicti ui
ri, qui in ſupraſcripto monaſterio conuerſus eſt,
ac defunctus, cū noſtro quoq; conſenſu commo-
dæ ſollicitæq; tranſactionis pagina interueniente
deciſa eſt: denicq; quia, cum fidei memorati glorio
ſi ſinceritas olim nobis ueraciter nota ſit & bene
cōperta, ut ad ſatisfactionē poſſet omnino ſuffice
re, etiā dato corporaliter ſacramēto firmaret nihil D
ſe in fraude uerſatum, aut aliquid occultaſſe, ſed
omnia in integro prodidiſſe: idcirco huius decre-
ti præceptiq; noſtri ſerie tranſactionē deciſionēq;
inter te & præfatū Maurentiū glorioſum habitā,
ratā habentes, per omnia cōfirmamus, nec in totū
partem' ue aliqua ratione conuelli, ſed eam habe-
re perpetuā decernimus firmitatē. Cui rei ſi quis,
quod non credimus, contrariam afferre quoquo
modo tentauerit uoluntatem: ille quidem reum ſe
ante deum eſſe nouerit, qui nititur ea quæ utiliter
ſunt finita reſcindere: nam eidem deciſioni tranſ-
actionicq; nihil ſe derogare cognoſcat. Vt ergo &
ſæpedicti glorioſi Maurentij maneret illibata ſe-
curitas, & tu nihil de his quę deciſa ſunt ualeas du
bitare, ſimile ei præceptum pro utraq; partiū mu-
nitione conceſſimus.

Gregorius Adeodato & Maurentio epiſcopis A-
phricæ aparibus. Perſeuerantiā boni operis com-
mendat, laudatq;. Cap. XIIII.

MVltum frater chariſſime ſinceritatis tuę bo Epiſt.14
no congaudeo, quòd grauitatem qua præ-
ditum te dudum audieram, præſentium portito-
ris Pauli fratris & coepiſcopi noſtri teſtificatio cō
firmauit. Qui tanto latius quanta in nobis ſollici-
tudo eccleſiaſtici ordinis, quantaq; cura ſit recti-
tudinis indicabit, quanto hoc & præſens compe-
rit, & in ſua amplius defenſione cognouit. Quia
ergo magnum, ſicut noſtis, coram deo noſtro eſt
in bonis quenquā indeſinenter operibus perma
nere, fraternitatis ueſtræ ſe ſollicitudo ad fouen-
das partes iuſtitiæ decenter exacuat, & contra ec
cleſiaſtici uigoris moderamina prout poſſibile fu
erit prouiſionis ſuæ ſollicitudine fieri nihil per-
mittat. Nec uos res aliqua ab huiuſmodi intentio
ne remoueat: ſed ſi qua ſunt quæ dilectionis ue-
ſtræ ſinceritatem offendunt, & regulas canonicæ
diſcretionis excedunt, uigilantem ſtudete curam
imponere, atque ea hortando, ſuadendo, terren-
do emendare, charitatis unitate ſeruata, inquantū
uires ſuppetunt, deo adiuuante contendite, & ex
ceſſus authorem, coerctionis freno ſacerdotali cō
ſtringite, atq; eum ab inuio itinere lingua duce &
actione reducite, & ita ueſtram in omnibus effica
ciam exhibete: ut deus omnipotens qui bonæ uo-
luntatis author, & intentionis inſpector eſt, uelle
ueſtrum & hic adiuuet, & in futura uita remune-
ret. Supradictum uerò Paulum fratrem & coepi-
ſcopum noſtrum fraternitati ueſtræ commendan
tes hortamur, ut idoneè charitatem ueſtram debe
at experiri quam prædicat.

Gregorius Victori & Columbo epiſcopis
Numidiæ. De contentione parrochia-
rum. Cap. XV

QVanto cordi noſtro lætitiam Eccleſiæ ordo Epiſt.15
inculpabiliter cuſtoditus infundit, tanto re-
ciſus tædium doloris imponit, quòd prauitatis te-
meritas in euerſionem diſciplinæ tentat, & quæ
ſunt olim laudabiliter ſtatuta diſſoluere, & quæ
fortius punienda, præſumere. Præſentium itaque
portitoris Criſonij fratris & coepiſcopi noſtri que
rela ad nos inſinuante peruenit, quòd nulla exi-
gente culpa, uel concilij definiente ſententia, Ec-
cleſiæ eius parrochiæ antiquitus deputatæ, à Va-
lentiōe fratre & coepiſcopo noſtro, ante ferè quin
decim annos ſint irrationabiliter occupatæ, atq;
eum inſuper res deceſſoris ipſius ad ſuum, quod
dici graue eſt, arbitrium abſtuliſſe. Quòd ſi ita ue-
ritas ſe habet, quàm peruerſum, quàmue ſit exe-
crandum, præcipuè religioſo præpoſito, dicere
nō ualemus. Hac igitur in re, quia nec leuitas, ne-
que aliqua debet eſſe dilatio, fraternitatem ueſtā
præſenti epiſtola commonemus, ut ſollicitius re-
quiratis. Et ſi querela eius manifeſta eſſe conſtite
rit: ablatarum rerū & occupatarū parrochiarum
reſtitutionem dilectio ueſtra ſine mora ſuccurre-
re prouideat, & ita omnia uobis ſolatiantibus
ceſſante excuſatione, iuſtitia fauente recipiat, ut
nec hunc labor obſeruationis afficiat, nec de eius

damno

damno aliquid lucri inuasor acquirat. Accendat ergo uos zelus æquitatis, accēdat iustitiæ rectitudo. Ad custodiendā in cūctis antiquā ecclesiastici ordinis dispositionē, operā instāter impēdite. Districtos sollicitosq; uos inter culpas & innocentiā exhibete: quatenus & iustitiā habentibus magna de rectitudinis uestræ sit zelo fiducia, & inquietis de futuro omnis excedendi amputetur occasio.

A

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.
Paulū episcopū commendat. Cap. XVI

Epīl.16 QValiter de fraternitatis uestræ debeamus charitate confidere, ex mentis nostræ quam circa uos habemus, qualitate colligimus. Nec aliter uos apostolicā sedem diligere, quàm ipsa uos diligit arbitramur. Vnde necesse est, ut eos quos in Ecclesia beati Petri Apostolorum principis, ut oportet, deuotos esse cognoscimus: uobis cuius uitam & actio sacerdotis ornat & dignitas, peculiarius commendemus, de cuius scilicet sinceritate firmum experimentum de præteritis iam tenemus. Frater igitur & coepiscopus noster Paulus præsentium portitor, quantis illic fluctibus, quantisue aduersitatibus quatiatur, sanctitatem uestrā memorat non latere. Qui quoniam querelas quas de eo ad uos peruenisse signastis, non ueras esse, sed instigatione aduersantium cōtra se asserit excitari, & omnia se fidit patrocinante ueritate, uobis cognoscentibus adiutore posse domino superare: hortamur dilectissime frater ut ei in quibus fuerit iustitiæ ratio manifesta, manū decenter præbere solatij, atq; sacerdotali eum compassione debeas adiuuare. Nulla ergo uos res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum. Sed innitens præceptis dominicis, omnia quæ sunt certitudini aduersa, contemne. In defendendis partib. iustitiæ, constāter insiste. Odia pro ueritate, si qua sunt, sustinere non renuas, ut tanto maiorem in aduentu redemptoris nostri fructum mercedis inuenias, quanto eius mandata non negligens, in fauorem iustitiæ & defensionem impenderis.

B

C

Mense Martio. Indictione prima.

Gregorius Bonifacio primo defensori priuil' primicerij. Defensori priuilegium primicerij concedit. Cap. XVII.

Epīl.17 ECclesiasticis utilitatibus fideliter insudantes congruæ remunerationis sunt beneficio prosequendi: ut & nos respondisse eorum dignè obsequijs uideamur, & illi ex indulta cōsolationis gratia utiliores existant. Quia igitur defensorum officium in causis Ecclesiæ & obsequijs noscitur laborare pontificum, hac eos concessa prospeximus recompensationis prærogatiua gaudere: constituentes sicut in schola notariorum atq; subdiaconorum per indultam longè retro pontificum largitatem sunt regionarij constituti: ita quoque in defensoribus septem qui ostensa suæ experientiæ utilitate placuerint, honore regionario decorentur. Quos quolibet per absentiam pontificis & sedendi in conuentu clericorum habere licentiam, & honoris sui priuilegia in omnib. statuimus obtinere. Præterea si quis ad prioris locum ueniens, in alia fortasse prouincia propter utilitatem propriam degit, hunc necesse est primatus loco per omnia curare, ut ille prior defensorum omnium possit existere, qui & antè prioratus locū in ecclesiasticis utilitatibus obsequijs pontificis non desistit per sedulam præsentiam permanere. Hæc itaque constitutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum sunt priuilegijs & ordinatiōe dispositā per petua stabilitate & sine aliqua constituimus refragatione seruari: siue que scripto decreuimus, seu quæ in eis in nostra præsentia uidentur esse dispositā: nec à quoquam pontificum in totum partem ue ea qualibet occasione cōuelli decernimus uel mutari. Nam nimis est asperū & præcipuè bonis sacerdotū moribus inimicū, niti quempiā quacunq; rationis excusatione, & quæ bene sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere, cæteros sua quandoq; post se constituta dissoluere.

D

Mense Aprili. Indictione prima.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennati. Priuilegium dat monasterio sanctorum Ioannis & Stephani. Cap. XVIII.

QVàm sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum uos officium, quod in regimine monasterij exhibuistis, informat. Et ideo quia monasterium beatorum Ioannis & Stephani, quod in Classitana est ciuitate constitutū, cui communis filius Claudius abbas præesse dinoscitur, multa à prædecessoribus uestris præiudicia atque grauamina pertulisse cognouimus, oportet ut fraternitatis uestræ prouisio eorum de futuro quietem salubri ordinatione disponat, quatenus conuersantes illic in dei seruitio ipsius quoq; gratia sufragante mente libera perseuerent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine quisquam illic quolibet tempore quicquam molestiæ præsumat inferre: necesse est ut hæc quæ inferius numeranda curauimus, ita fraternitatis uestræ studio debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur, ut nullus episcoporum aut secularium ultra præsumat de redditibus, de rebus uel chartis prædicti monasterij, uel de loco aliquo qui ad id pertinet, quocunque modo qualibet occasione minuere, nec immissiones uel dolos aliquos facere. Sed si qua forte causa inter Rauennatem Ecclesiam & præfatum monasterium euenerit, & pacificè non potuerit ordinari, apud electos à partibus, timentes deum, sine uoluntaria dilatione, medijs sacrosanctis euangelijs, finiatur. Defuncto uero abbate, cuiuscunque congregationis nō extraneus nisi de eadem conuersatione, quem sibi propria uoluntate concors fratrum societas elegerit: & qui electus fuerit sine dolo uel uenalitate aliqua ordinetur: quòd si aptam inter se personam inuenire nequierint, solerter de alijs monasterijs sibi similiter eligant ordinandum. Neque uenienti abbati quæcunque persona qualibet occasione in suo monasterio præponatur, nisi forte extantibus, quod absit, criminibus, quæ sacri canones punire monstrant.

Epist.18 Cā.18.q.2 Quàm sit

Eadem cā. & capto

Ead.q.& ca.

Partes

Pariter autẽ cuſtodiendum eſt ut inuito eiuſdem A
monaſterij abbate ad ordinanda alia monaſteria,
aut ad ordinis uel clericatus officium tolli exinde
monachi non debeant. Sed ſi abundãtes fuerint,
& ad celebrandas deo laudes uel utilitates mona-
ſteriorum complendas ſufficiant: abbas cum de-
uotione de his qui ſuperfuerint offerat, quos di-
gnos corã deo putauerit. Quòd ſi ſufficienter ha-
bens dare noluerit, tunc Rauennas epiſcopus ad
ordinãdã alia monaſteria de his qui ſuperſunt tol
Vbi ſupra lat. Ad eccleſiaſticũ tamen officiũ nullus exinde
producatur, niſi quem abbas loci admonitus pro-
pria uolũtate obtulerit. Quiſquis aũt ex prædicto
monaſterio ad eccleſiaſticum ordinem peruene-
rit, ulterius illic nec aliquã poteſtatem, nec licen- B
tiam habeat habitandi. Obſeruandum quoque
eſt ut deſcriptio rerum aut chartarũ eiuſdem mo-
naſterij ab eccleſiaſticis fieri non debeat, ſi quan-
do res exigit, ſed abbas loci cum abbatibus alijs
rerum inuentarum atteſtationem faciat. Quoties
autem pro utilitate monaſterij ſui ad Romanum
pontificẽ abbas uenire uel tranſmittere forte uo-
luerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cùm epi
ſcoporum aduentus deſideranter à monaſterijs
debeant expectari, quia tamen hoſpitandi occa-
ſione prædictum monaſterium temporibus de-
Cau.18.q. ceſſoris ueſtri nobis fuiſſe nunciatum eſt prægra-
2.Viſitãdi tia ad monaſterium, quotiens placuerit, ab eiuſ- C
dem ciuitatis antiſtite accedatur. Sed ſic charita-
tis officium illic epiſcopus impleat, ut grauamen
aliquod monaſterium non incurrat. Veſtram quo
que fraternitatem prędictus abbas nõ ſolum non
metuat ad monaſterium frequenter accedere, ſed
etiam deſiderabiliter cõcupiſcat: ſciens quòd per
uos ſubſtantia monaſterij omnino grauari non
poſſit.

Gregorius Mariniano epiſcopo Rauennæ.
De Claudio abbate. Cap. XIX

Epiſt.19 QVòd communem filium Claudium abba-
tem latorem præſentiũ longa apud nos ha-
ctenus mora retinuit, res illa fecit quod magnum
nobis, ſicut noſtis, erat in uerbo dei ſolatium: quẽ
etiam hic adhuc uolueramus diutius retinere, niſi D
& ipſe ad ſuum monaſteriũ feſtinaſſet, & non con
gregationi fratrum eius præſentiam eſſe omnino
neceſſariam ſciremus. Et ideo quia illum ſicut pe-
tijt & exigebat utilitas, relaxandum eſſe proſpexi
mus: commendantes eum hortamur, ut ſanctitas
ueſtra ſacerdotali illum affectione ſuſcipiat, pater
nam illi monaſterijs q; ipſius charitatem, ſicut de-
cet, impendat: benignitatis ſuæ eum conſolatio-
ne refoueat, in eius ſe tuitionem inſtanter accom-
modet, & præſidij ſui beneficio liberum ab omni
inquietudine redditum, quieti & utilitatibus fra-
trum uacare permittat, atq; peculiariter ſicut à no
bis eum ſcit diligi, diligat: quatenus & charitatis
ueſtræ affectum, quem olim expertus eſt, in ſe
multiplicius recognoſcat, & nos in uobis inue-
niſſe ſe gaudeat.

Gregorius Agnello epiſcopo Terratinæ.
De his qui idola colebãt & arbores. Cap. XX

PEruenit ad nos quoſdam illic, quod dici ne- Epiſt.20
phas eſt, arbores colere, & multa alia contra
Chriſtianã fidem illicita perpetrare. Et miramur
cur hoc fraternitas ueſtra diſtricta emendare ul-
tione diſtulerit. Eapropter ſcriptis uos præſenti-
bus adhortamur, ut hos diligenti inueſtigatione
perquiratis, & ueritate cognita, talem in eis facia-
tis exerceri uindictam, quatenus & deus placari
poſſit, & alijs eorũ ultio correptionis exemplum
ſit. Scripſimus autem & Mauro nunc uicecomiti,
ut fraternitati ueſtræ in hac re debeat adhibere ſo
latia, dummodo ad cõprehendendos eos inueni-
re excuſationem aliquam nõ poſſitis. Quia uerò
comperimus multos ſe à murorum uigilijs excu-
ſare, ſit fraternitas ueſtra ſollicita, ut nullũ nec per
noſtræ uel Eccleſiæ ſuæ nomen, aut quolibet alio
modo defendi à uigilijs patiatur, ſed omnes gene
raliter compellantur, quatenus cunctis uigilanti-
bus, melius auxiliante domino ciuitatis ualeat cu
ſtodia procurari.

Gregorius Mariano epiſcopo Rauennæ.
De moleſtia uxoris cuiuſdam Ioannis.
Caput XXI

IOannes præſentium portitor queritur uxorem Epiſt.21
ſuam moleſtias Georgij cuiuſdã refugientem
diu in ſeptis uenerabilibus reſidere, & nullum ha
ctenus inuenire ſolatium. Cuius quia de conditio
ne eſſe controuerſiam aſſerit, & ueſtræ eam frater
nitati petijt commendandam, his uos hortamur
affatibus, ut eidem mulieri, ſeruata æquitate, tui-
tionem debeatis impendere, & à nullo eam con-
tra rationis ordinem grauari aliquo modo permit
tatis: Sed ſi de ſtatu eius quæſtio perſeuerat, ſtudij
ueſtri ſit, ut ſine oppreſſione aliqua, legali modo
ad iudicium ueniatur, quatenus dum ueritate co-
gnita quod iuris ordo ſuaſerit, fuerit definitũ, neu
tra ſe pars aliquod doleat præiudicium pertuliſſe.

Gregorius Ioanni epiſcopo Syracuſano.
De Felice quodã Samaræo donato. Cap. XXII

FElix præſentium portitor queſtus nobis eſt, Epiſt.22
cùm ſit de Chriſtianis natus parẽtibus, à quo
dam Chriſtiano Samaræo ſe, quod dici ſcelus eſt,
eſſe donatũ. Et dum huiuſmodi ſuperſtitionis ho-
mines Chriſtiana quolibet modo mancipia poſſi-
dere, nec ratio legis, nec reuerentia religionis ad-
mittat: ſe tamen per decem & octo annos in eius
aſſerit ſeruitio permanſiſſe. Sed cognoſcente hoc
ſanctæ memoriæ deceſſore ueſtro Maximiano ab
eo ſe zelo, ſicut decuit, ſacerdotali commoto, de
Samaræi ſeruitio nefario dicit liberatũ. Sed quia
eiuſdem Samaræi filius poſt quinq; annos factus
dicitur Chriſtianus, & ſupradictũ Felicem in eius
ſeruitium, quantum ipſe dicit, quidam nitũtur re-
digere, ſanctitas ueſtra hæc quæ edocti ſumus, di-
ligenter inquirat, & ſi ita ei eſſe cõſtiterit, eum tue
ri ſtudeat, & à nullo ſuo qualibet occaſione gra-
uari permittat: quia dum ſuperſtitioſæ ſectæ man-
cipia dominos ſuos ad fidem præcedentia ſerui-
tio eorum apertè redigi iura prohibeant: quanto
magis hic de Chriſtianis parentibus natus, & fa-

ctus

ctus à paruulo Christianus, hanc non debet quæ- A
stionem aliquo modo sustinere: maximè quia nec
patris eius esse seruus potuit, quem liquet ex pra-
ua potius præsumptione pœnã posse uenientem
de legibus sustinere. Et ideo, sicut diximus, ita eũ
sanctitatis uestræ defensio rationabiliter tueatur,
ut nulli eum sub quolibet argumento sit aliquate
nus affligendi licentia.

Gregorius Rusticianæ patriciæ.
Vt Romam ueniat. Et de precio in captiuos
expenso. Cap. XXIII

Epist.23 IAmdudum uestræ excellentiæ me scripsisse,& sæpius monuisse reminiscor, ut beati Petri apostolorũ principis limina festinet reuidere. Et quæ tanta sit Constantinopolitanæ ciuitatis delectatio, quæue Romanæ urbis obliuio, ignoro: obti- B
nere apud uos hac ex re nuncusq; nil merui. Quã-
tum enim ad colligendas æternæ uitæ mercedes
uestræ animæ expedire possit, quantum etiã glo-
riosæ filiæ uestræ dominæ Eusebiæ in omnibus
congruat, & nos subtiliter attendimus, & uos cõ-
siderare subtilius potestis. Filium meum Petrum
hominem uestrum, quem ultra ætatem suam sape
re, & maturitati studere cognoui: si requiritis, in-
uenietis quantus hic omnium habitantium circa
excellentiã uestrã amor sit, quantumq; desideriũ
ut uos reuidere mereamur. Et si præcipiente deo,
sanctis eloquijs admonemur, ut etiam inimicos
diligere debeamus, pensandum nobis est quante
culpæ sit etiam amantes minimè amare. At si for- C
te dicitur quòd amamur, nos certissimè scimus,
quia nemo potest diligere quos non uult uidere.
Sin uerò gladios Italiæ ac bella formidatis, solli-
citè debetis aspicere quanta beati Petri Apostolo-
rum principis in hac urbe protectio est: in qua
sine magnitudine populi, & sine adiutorijs mili-
tum tot annis inter gladios illæsi, deo authore, ser
uamur. Hæc nos, quia amamus uos, dicimus. Sed
omnipotens deus quicquid animæ uestræ in per-
petuũ, quicquid opinioni domus in præsenti con
spicit expedire, concedat. Decem uerò auri libras
quas in captiuorũ redemptionem excellentia ue-
stra transmisit, præfato filio meo deferente susce-
pi. Sed peto ut superna gratia, quæ uobis conces-
sit eas pro animæ uestræ mercede tribuere, mihi
etiam concedat sine aliquo peccati contagio di- D
spensare: ne unde uos peccata detergitis, nos in-
de maculemur. Omnipotens deus qui debilitatẽ
corporis uestri, & peregrinationem uestrã conspi
cit, de sua semper gratia, & dulcissimi filij mei dñi
Strategij, uos uita & salute consoletur: quatenus
eum & uobis per longa tempora, & sibi ad æter-
nitatem nutriat: uosq; cum omni domo uestra, &
bonis præsentibus repleat, & supernã gloriam ha
bere concedat. Glorioſum uero domnum Eudo-
xium nostra petimus uice salutari.

Gregorius Faustino defensori. De conuersione
Iudæorũ in Agrigentino territorio. Cap. XXIIII

Epist.24 DOmina abbatissa monasterij sancti Stepha-
ni, quod in Agrigentino est territorio con-
stitutum, indicante comperimus, multos Iudæo-
rum ad Christianã fidem diuina gratia inspirante
uelle cõuerti, sed esse necessariũ ut aliquis illuc ex
nostro mandato debeat proficisci. Proinde huius
tibi authoritatis tenore præcipimus, ut omni ex-
cusatione submota, ad prædictum locum perge-
re, & desiderium eorum tuis, deo propitio, adhor
tationibus adiuuare festines. Quibus tamen si lon
gum uel triste uidetur solennitatem sustinere pa-
schalem, & eos nunc ad baptisma festinare cogno
scis: ne quod absit, longa dilatio eorum retro pos- De cõsec.
sit animos reuocare: cum fratre nostro episcopo di.4.Ne
loci ipsius loquere, ut pœnitentia ac abstinentia quod
quadraginta dierũ indicta, aut die dominico, aut
si celeberrima festiuitas fortassis occurrerit, eos
omnipotentis dei misericordia protegente bapti-
zes: quia & temporis qualitas propter eam quæ
sibi imminet cladem, impellit ut desideria eorum
nulla debeant dilatione differri. Quoscunq; uerò
ex eis pauperes, & ad uestem sibi emendam non
sufficere posse cognoscis, te eis uestem quam ad
baptisma habeant cõparare uolumus ac præbere:
in quibus precium quod dederis, tuis noueris ra-
tionibus imputandum. Si uerò sanctum Pascha
elegerint expectare, iterum cum episcopo loque-
re, ut modo quidem catechumeni fiãt: atq; ad eos
frequenter accedat, geratq; sollicitudinem, & ani
mos eorũ admonitione suæ adhortationis accen-
dat, ut quãto quæ expectatur est longa festiuitas,
tanto se præparent, ut eam desiderio feruenti de-
beant sustinere. Præterea cum omni studio ac di-
ligentia studij tui sit perscrutari, utrum supradi-
ctum monasterium cui antedicta domina præest:
sufficiens sibi sit, an necessitatem aliquam patiat.
Et quicquid in ueritate cognoueris, uel quid de
his qui baptizari desiderant, actum fuerit, nobis
subtiliter indicare festina.

Mense Iunio. Indictione prima.
Gregorius Sauiniano episc. Iadertino. De obe-
dientia eius, & contumacia Maximi. Cap. XXV

SAtis frater charissime de sinceritate tua lætifi Epist.25
cor, quòd eam solliciti discretione iudicij, &
ubi obediendum est obedire, & ubi resistendum
est resistere studio sacerdotali cognosco. Cũ quan
ta nanque te deuotionis alacritate submiseris his
quæ ob culpam præteriti excessus indiximus, lite
rarum tuarum quas per latorem præsentiũ direxi
sti, pagina reserauit. Nec enim poterat aliter à di-
lecto fratre suscipi, quam à diligente mandatum
est. Vnde in omnipotentis dei miseratione confi-
do, quia ita eius te gratia protegit, ut per hoc etiã
ab alijs absolutus, salubriter paruisse gaudeas. De
hoc uerò quòd se contristari charitas tua Maximi
præuaricatoris & excõmunicati æmulatione si-
gnificauit, turbari non debet, sed decet ut ad mo-
dicum tumentes inaniter fluctus patienter tole-
rando sustineas, & undarum spumas perseueran-
tiæ uirtute substernas. Nouit enim patientia leui-
gare quod graue est, & constantia superare quod
sæuit. Animos ergo tuos aduersitas non deijciat,
sed accendat. Audaciorem te in omnibus uigor sa
cerdotalis ostendat. Nam uera documenta uerita
tis sunt, promptiorẽ in duris, & fortiorem se quen

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam quandoq; in contrarijs exhibere. Vtigit̃ rectitudinis robur à bono deliberationis ſuæ nulla ualeat impulſione conuelli, mentis greſſus in eius petrę ſoliditate, ſicut cępiſtis, dirigite, in qua redemptorem noſtrum per totum mundum fundaſſe noſtis Eccleſiam: quatenus certa ſinceri cordis ueſtigia in deuio itinere non offendant. Ea uero quæ nobis ſcripſiſtis, uel præſentium lator coràm poſitus explicauit, nõ nos credatis negligenter omittere, ſed de his omnino ſollicitè cogitamus. Dilectiſſimo aũt filio noſtro Anatholio diacono iam & prius & nũc iterum omnia ſubtiliter indicauimus: hortantes ut quicquid ad utilitatem ac quietem charitatis ueſtræ uel filiorum ueſtrorum pertinet, creatoris noſtri auxilio ſuffragante agere diſtrictè ac ſtudioſe feſtinet. Et ideo fraterni tatem ueſtrã nec mœror afficiat, nec inimicitia cuiuslibet affligat. Nam diuinitatis gratia opitulante, in proximo adeſſe confidimus, ut & prędicti prę uaricatoris & excõmunicati præſumptio diſtrictius reprimatur, & ueſtra quies, ſicut deſideratis, ad ueniat. Excellentiſsimo quoq; filio noſtro Exarcho, qui nobis eum ſtudet cõmendare, de prauitate ipſius ſcribere nequaquã omiſimus. Presbyterum uerò de quo nos fraternitas tua latoris præſentium legatione cõſuluit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum aut permanere, aut reuocari poſſe cognoſcas. Circa quem tamen mitius agendum eſt: propterea quòd commiſſum facinus facili dicitur profeſſione confeſſus. Præterea pariter hic portitor quædam eccleſiæ ueſtræ priuilegia à noſtris conceſſa prædeceſſoribus intimauit. De quibus ſcriptis charitatis ueſtræ nos ſubtilius uolumus informari, uel ſi qua ex eis ſcripta in eccleſiæ ueſtræ ſcrinio reiacent, eorum huc exemplaria tranſmitti neceſſe eſt, ut quicquid ad honoris ueſtri reuerentiam uel gentium præfatæ Eccleſiæ pertinet, libenti animo præparare poſſimus. Glorioſo autem communi filio domino Marcello, ſi huc uenire uoluerit, inſtantius ſuadete, quia omnino eum uidere deſidero. Si uerò illic ſtare elegerit, ita uos ei in charitate qua conuenit exhibete, ut affectui ipſius quem circa uos habet, reſpondere, ſicut cõdecet, ualeatis. Omnipotens deus gratiæ ſuæ dono uos cuſtodiens protegat, & cor ueſtrum in ea quæ ei ſunt placita ſemper accendat.

Parte.1.di. 50. Presbyterum

Gregorius Victori epiſcopo Panormitano. De Iudæis non opprimendis iniuſtè. Cap. XXVI

Epiſt.26 SIcut Iudæis non debet eſſe licentia quicquam in ſynagogis ſuis ultra quàm permiſſum eſt lege præſumere: ita in his quæ eis cõceſſa ſunt, nullum debent præiudicium ſuſtinere. Quæ autem nobis in hac urbe Romana habitantes Hebræi pro his qui Panormi degunt, conqueſti ſunt, data uos ab eis petitio quæ in ſubditis tenetur, informat. Si igitur querimonia eorũ ueritate fulcitur, oportet ꝙ paternitas ueſtra, legis ſerie diligenter inſpecta, ita eis quicquid hac de re decretum eſt, cuſtodire debeat ac ſeruare, ut nec ipſa aliquid iniuſtum facere, nec illi pati præiudicium uideãtur. Si uerò eſt aliquid quod ad reſtituendum ea quæ ſunt expoſtulata rationabiliter poſſit obſiſtere, iudices à partibus eligãtur: qui ea quæ æquitati conueniant, ualeant definire. Quòd ſi forte illic contentio ipſa finiri nequiuerit, ad nos uenire cauſam neceſſe eſt: quatenus ſine ueſtra inuidia, quæ amica iuſtitiæ uiſa fuerint decernãtur. Quouſq; ergo cauſa ipſa finem accipiat, à conſecratione locorũ quæ ablata dicunt̃, fraternitas ueſtra ſe ſuſpẽdat.

Gregorius Ioanni epiſcopo Syracuſano. De clericis ſacra uaſa uendentib. Cap. XXVII

QVia peruenit ad nos, quòd quidam ex Italię Eccleſia clerici uaſa in Sicilia uenundarent: Epiſt. 27 idcirco Panthaleonem notarium noſtrum direximus, ut eadem uaſa ſollicita inquiſitione requireret. Qui poſtquã in ueſtrę ſanctitatis eſt obſequio occupatus: eandem cauſam eum cognouimus neglexiſſe. Oportet ergo ut fraternitas tua congrua debeat ſollicitudine prouidere, ut tẽpore quo utile eſſe crediderit, eum ad peragenda ea ipſa debeat relaxare: quatenus & ipſa de illo poſsit habere ſolatium, & ipſe ſalubriter ualeat quæ ſibi mandata ſunt deo adiuuante peragere; quia neceſſe eſt ut indictione ſubſequenti huc ueniat, & ſubtiliter nos coràm poſitus de cunctis informet.

Gregorius epiſc. Syracuſano. De præſumptione clericorum Cathinenſium. Cap. XXVIII

ECcleſiaſtici uigoris ordo confundit̃, ſi aut temerè illicita præſumantur, aut impunè non Epiſt. ad Parm. di. 32. Peruenit. conceſſa tententur. Peruenit itaque ad nos diacones Eccleſiæ Cathinenſis calciatos cõpagis procedere præſumpſiſſe: quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, niſi ſolis tantummodo diaconibus Eccleſiæ Meſſanenſis, quibus olim à prædeceſſoribus noſtris non dubitatur eſſe conceſſum, bene recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis auſus non eſt leuiter attendendus, cum omni hoc fraternitas ueſtra ſubtilitate perquirat, & ſi ita ſicut ad nos peruenit inuenerit uerum eſſe, utrum uel per ſe, uel alicuius hoc authoritate præſumpſerint, nobis ſubtiliter innoteſcat, ut cognita ueritate, quid fieri debeat, diſponamus. Nã ſi negligenter ea quæ malè uſurpantur omittimus, exceſſus uiam alijs aperimus.

Menſe Iunio Indictione prima.

Gregorius Eulogio epiſcopo Alexandrino. De libris Euſebij, & lignis tranſmiſsis. Cap. XXIX

VTilis ſemper eſt docti uiri allocutio: qa aut diſcit audiẽs quod neſcire ſe nouerat, aut cognoſcit, quod eſt amplius, id quod ſe & neſciſſe neſciebat. Qua in re ex audientiũ numero ego nunc factus ſum, cui ſanctiſsima ueſtra beatitudo ſcribere ſtuduit, ut cunctorum martyrum geſta, quæ piæ memoriæ Conſtantini temporibus ab Euſebio Cæſarienſi collecta ſunt, tranſmittere debeamus. Sed hæc neq; ſi collecta ſunt, neq; ſi ſint, ante ueſtræ beatitudinis ſcripta cognoui. Ago ergo gratias, quia ſanctiſsimæ ueſtræ doctrinæ ſcriptis eruditus cœpi ſcire quod neſciebam. Præter illa enim quæ in eiuſdem Euſebij libris de geſtis ſanctorum martyrum continentur, nulla in archiuo huius noſtræ Eccleſiæ, uel in Romanæ urbis bi-

Epiſt. 29

bliothe-

bliothecis esse cognoui, nisi pauca quædam in uni A
us codicis uolumine collecta: Nos autem penè o-
mnium martyrũ distinctis per dies singulos pas-
sionib. collecta in uno codice nomina habemus,
atq; quotidianis diebus in eorũ ueneratione mis-
sarum solennia agimus. Non tamen in eodem uo
lumine quis qualiter sit passus indicat, sed tantum
modo nomen, locus, & dies passionis ponitur.
Vnde fit ut multi ex diuersis terris atque prouin-
cijs per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur
martyrio coronati. Sed hæc habere uos beatissi-
mos credimus. Ea uerò quæ transmitti uoluistis,
quærentes quidem nõ inuenimus, sed adhuc non
inuenientes quærimus, & si potuerint inueniri,
transmittemus. De lignis autem, quòd scribitis, B
quia breuia fuerint, nauis per quã transmissa sunt,
qualitas fecit, quia si maior nauis uenisset, potui-
mus ligna etiam maiora transmittere. Quòd au-
tem dicitis, quia si maiora transmittimus, preci-
um datis, largitati quidem gratias agimus, sed ac-
cipere precium, Euangelio interdicente, prohibe
mur. Nos enim ea quæ transmittimus ligna non
emimus, & quomodo possumus precium accipe
Matt.10 re, cùm scriptum sit: Gratis accepistis, gratis da-
te? Nunc ergo iuxta modum nauis per nauclerũ
parua ligna transmisimus, quorum notitia subter
annexa est. Sequenti uero anno, si omnipotenti
deo placuerit, maiora præparamus. Benedictio-
nem autem sancti Marci Euangelistæ, imò quod
est uerius, sancti Petri Apostoli in ea dulcedine C
qua est transmissa suscepimus, & salutationis allo
quium persoluentes petimus ut beatitudo uestra
pro nobis orare dignetur: quatenus & à malis pre-
sentibus mereamur citius eripi, & à futuris gau-
dijs non excludi.

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino. Vbi commemorat in sancta Chalcedonensi sy-nodo papam Romanum uniuersalem appella-tum. Cap. XXX

Epist.30 COmmunis filius præsentium lator sanctita-
tis uestræ scripta deferens, ægrum me repe-
rit, ægrum reliquit: qua ex re cõtigit ut ad largum
uestræ beatitudinis fontem breuis epistolæ me
uix parua potuisset aqua reseruare. Superni autẽ
muneris fuit, ut in dolore corporis positus, sua- D
uissimæ uestræ sanctitatis scripta susciperem, quæ
me de doctrina Alexandrinę Ecclesiæ, de conuer
sione hæreticorum, de cõcordia fidelium sublimi
ter lætificaret: quatenus ipsa mentis lætitia imma
nitatem mihi molestiæ temperaret. Et quidem de
bonis uestris noua semper exultatiõe gaudemus,
sed tamen ita nos perfectè agere, noua esse nullo
modo deputamus. Quòd enim crescit sanctæ Ec-
clesiæ populus, quòd ad cœleste horreum spirita-
les segetes multiplicantur, hoc de omnipotentis
dei gratia quæ in beatissimis uobis largè influit,
nunquam habuimus incertũ. Gratias itaq; omni-
potẽti deo soluimus, quia impletũ uidemus in no
Prou.14 bis esse, quod scriptũ est: Vbi plurimæ segetes, ibi
manifesta fortitudo boum. Si enim bos fortis ara-
trum linguæ in terrã cordis audientiũ non transfi-
xisset, tanta fidelitũ seges minimè surrexisset. Sed
quoniã uerè in bonis quæ agitis, scio quòd & alijs
congaudetis, uestræ uobis gratiæ uicem reddo, &
non dissimilia nuncio: quia dum gens Anglorum
in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac la-
pidum perfida nũcusq; remaneret, ex uestræ mihi
orationis adiutorio placuit, ut ad eam monasterij
mei monachum in prædicationem transmittere
deo authore debuissem. Qui data à me licentia, à
Germaniarum episcopis, episcopus factus, cum
eorum quoq; solatijs ad prædictam gentem in fi-
ne mũdi perductus est, & iam nunc de eius salute
& opere ad nos scripta peruenerũt, quia tantis mi
raculis uel ipse, uel hi qui cum eo transmissi sunt,
in gente eadem coruscant, ut Apostolorum uirtu
tes in signis quæ exhibent, imitari uideantur. In
solennitate autem dominicæ natiuitatis quæ hac
prima indictione transacta est, plusquàm decem
milia Angli ab eodem nunciati sunt fratre & co-
episcopo nostro baptizati. Quod idcirco narraui,
ut cognoscatis quid in Alexandrino populo lo-
quendo, & quid in mundi finibus agitis orando.
Vestræ em̃ orationes sunt in eo loco ubi nõ estis,
quorũ operatiões sanctæ monstrant in eo loco in
quo estis. Præterea de Eudoxij hæretici persona,
de cuius errore in Latina lingua nihil reperi, mihi
à uestra beatitudine largissimè gaudeo satisfa-
ctum. Virorum quippe fortissimorũ Basilij, Gre-
gorij, atque Epiphanij testimonia protulistis, &
manifestè peremptũ cognoscimus eum in quem
heroes nostri tot iacula dederunt. De his uerõ
erroribus qui nunc in Constantinopolitana Ec-
clesia probantur exorti, doctissimè omnia, & ut
iudicium tantæ sedis proferre decuit, respondi-
stis. Vnde omnipotenti deo gratias agimus, quia
adhuc arcæ dei insunt tabulæ testamenti. Quid
est enim sacerdotale cor, nisi arca testamamenti?
in qua quia spiritalis doctrina uiget: proculdu-
bio tabulæ legis iacent. Indicare quoque uestra
beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribe-
re superba uocabula, quæ ex uanitatis radice pro-
dierunt, & mihi loquitur dicens: Sicut iussistis,
quod uerbum iussionis peto à meo auditu remo-
uete: quia scio quis sum, qui estis. Loco em̃ mihi
fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi, sed
quæ utilia uisa sunt, indicare curaui. Nõ tamen in-
uenio uestrã beatitudinem, hoc ipsum quod me-
moriæ uestræ intuli, perfectè retinere uoluisse.
Nam dixi nec mihi uos, nec cuiquam alteri tale Parte.1.dist.
aliquid scribere debere: & ecce in præfatione epi 99.Ecce.
stolæ, quam ad meipsum qui prohibui direxistis,
superbæ appellationis uerbum, uniuersalem me
papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto
dulcissima mihi sanctitas uestra ultra non faciat,
quia uobis subtrahit quod alteri plusquã ratio exi
git præbetur. Ego enim non uerbis quæro prospe
rari, sed moribus. Nec honorem esse deputo in
quo fratres meos honorem suum perdere cogno
sco. Meus nanq; honor est, honor uniuersalis Ec-
clesiæ. Meus honor est, fratrum meorum solidus
uigor. Tunc ego uerè honoratus sum, cùm sin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim uniuerſalē me papam ueſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe quod me fatetur uniuerſum. Sed abſit hoc. Recedant uerba quæ unitatem inflant, & charitatem uulnerant. Et quidē in ſancta Chalcedonenſi ſynodo atq; poſt à ſubſequentibus patribus hoc deceſſoribus meis oblatum ueſtra ſanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam uocabulo uoluit, ut dum in hoc mundo honorem ſacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem deum cuſtodirent ſuum. Proinde debitum ſalutationis alloquium ſoluens, peto ut in ſanctis orationibus ueſtris mei memores eſſe dignemini, quatenus à peccatorum meorum nexibus, quia meis meritis uon ualeo, ueſtris interceſſionibus me dominus abſoluat.

Gregorius Secundo epiſcopo Taurom.
De querimonia monachorum monaſterij Caſtellien. Cap. XXXI

Epiſt. 31 QVerimoniam monachorum monaſterij Caſtellienſis oblata ab eis petitio quæ tenetur in ſubditis, patefecit. Proinde fraternitas ueſtra hæc quæ aſſerunt, ſollicita perſcrutari cura ſtudeat. Et ſi ea inuenerit in ueritate ſubſiſtere, rationē tuitionis illis impendat, & monaſteriū quod monaſterio eorū unitū eſt, ſecundū conſuetudinē deputatis de congregatione eorū illic monachis prouideat ordinari: quia rationis ordo non patitur, ut monaſterium ipſum, & maximè contra uoluntatem fundatorum, ab eorum diſpoſitione, ad arbitrium ſuum, preſertim laica perſona ſubducat: aut aliquod ſibi in id ius debeat uendicare.

Gregorius Dominico epiſcopo Carthaginis.
De laude charitatis. Cap, XXXII

Epiſt. 32 SCripta ſanctitatis ueſtræ, quæ latore præſenti Sum deferente ſuſcepimus, ita ſacerdotalē modeſtiam loquebantur, ut authoris ſui corporalem nobis quodammodo præſentiam blandirentur. Nec enim ſermo rarus aliquid officit: ubi manet in animis continuus dilectionis affectus. Magna autem charitatis uirtus eſt dilecte frater, quæ ſinceritatis ſuæ uinculo alterna mutuo affectu corda conſtringit: & ea à gratiæ non ſinit compage diſſolui: diſiuncta coniungit, unita cuſtodit, & ignotos ſibi imagine reddit cognitos per amorem. Quiſquis igitur in huius cardine mentem figit, eū de ſupernæ patriæ habitaculo cuiuslibet aduerſitatis impulſio non euellit: quoniam quocunque ſe uerterit, à mandatorum limine non excedit. Vnde & in eiuſdem charitatis laude per egregiū præ
Cor. 3 dicatorem dicitur, Quæ eſt uinculum perfectionis. Quantæ itaq; ſit laudis aſpicimus, quæ perfectionem non ſolum in mente generat, ſed etiam ligat. Quia igitur huius uirtutis igne ſuccenſum tuarum te prodit locutio literarum, uberi in domino exultatione lætificor, atq; opto ut hęc in te magis magiſq; reſplendeat, quia lux gregis flamma eſt paſtoris. Decet enim decet dominicum ſacerdotem moribus & uita clareſcere, quatenus in eo tanquam in uitæ ſuæ ſpeculo plebs commiſſa & eligere quod ſequatur, & uidere poſſit quod corrigat. Scientes præterea unde in Aphricanis partibus ſumpſerit ordinatio ſacerdotalis exordium laudabiliter agitis quòd ſedem Apoſtolicam diligendo, ad officij ueſtri originem prudenti recordatione recurritis: & probabili in eius affectu conſtantia permanetis. Certum quippe eſt: quia ueſtro honori additis, quicquid reuerentiæ ac deuotiōis ordini ſacerdotali exhibetis: quia per hoc ut uicaria erga uos dilectione adſtringi debeat, in uitatis. Quod ſupereſt chariſſime frater omnipotentem dominū aſſidua oratione poſcamus, quatenus cordis noſtri greſſus in ueritatis ſuæ tramitem dirigat, & ut ad cœleſtia regna perducat, nominis officium protectionis ſuæ gratia operibus nos exhibere concedat.

Gregorius Ioanni Schillitano.
De oppreſsione monachorum Caſtellien. monaſterij. Cap. XXXIII

Epiſt. 33 GRaue nimis & contra ſacerdotale cōſtat eſſe propoſitum, uelle cuiuſquam monaſterij priuilegia olim indulta confundere, & ad irritum quæ ſunt pro quiete diſpoſita niti deducere. Que ſti itaq; nobis ſunt monachi Caſtellienſis monaſterij, q̄d in fraternitatis ueſtræ ciuitate eſt conſtitutum, quia eidem monaſterio quędam contra ea quæ à prædeceſſoribus noſtris permiſſa, ac cōſuetudine longa ſeruata ſunt, feſtinetis ſuperinducere, & antiquam ordinationem quadam præiudicij nouitate turbare. Proinde his fraternitatem ueſtram hortamur affatibus, ut ſi ita eſt, ab eius moleſtia ſe ſine aliqua excuſatione contineat: & quæ ei ſunt diutius cuſtodita: nullius occaſionis tentet uſurpatione conuellere: ſed cuncta illibatè, & ſine aliqua ſtudeat refragatione ſeruare, & plus ſibi in eodem monaſterio q̄ prædeceſſoribus ſuis licuit, nouerit nō licere. Quia uerò pariter queſti ſunt fraternitatem tuam quædam de monaſterio ſub xenij quaſi ſpecie abſtuliſſe, neceſſe eſt ut ſi quid te indecenter recolis accepiſſe, ſine dilatione reſtituas, ne auaritiæ te grauiter culpa redarguat, quem largum erga monaſteria ſacerdotalis magis debuerat munificentia demonſtrare. Seruatis itaque omnibus, quæ à tuis, ſicut diximus, prædeceſſoribus permiſſa ſunt ac ſeruata, curæ tuæ ſit circa actus ac uitam conſiſtentium illic monachorum uigilantem inſiſtere, & ſi quempiam illic prauè conuerſari, aut in aliquam immunditiæ, quod abſit, culpam inueneris incidiſſe, diſtricta ac regulari emendatione corrigere. Nam ſicut ab iis quæ incongruè uſurpantur, fraternitatem ueſtram uolumus abſtinere, ita in his quæ ad diſciplinæ rectitudinem uel animarum cuſtodiam pertinent, eſſe ſollicitam modis omnibus admonemus. Indicauerunt etiam prædicti monaſterij monachi caſtrum quod Schillatinum dicitur, in ſolo iuris monaſterij eorum eſſe fundatum, atque ob hoc habitantes illic factis libellis ſolatium annis ſingulis ſpopondiſſe perſoluere, ſed poſtea contempſiſſe, & ab eadem ſe præſtatione ſuperuacuè ſuſpendiſſe. Fraternitas ergo ueſtra ſubtiliter ueritatem curet addiſcere, & ſi ita repererit, inſtāter ſtudeat ut ea quę promiſerunt (quia & ratio exigit) præbere non differant,

differant, quatenus & illi quietè quod tenent, possideant, & monasterij iura præiudicium non incurrant. Præterea questi nobis sunt prædicti monasterij monachi abbatem suum terram intra Schillitanum castrum, quæ in sexcētos pedes extenditur, sub prætextu fabricandæ Ecclesiæ fraternitati tuę donationis titulo concessisse, & ideo uolumus quantum parietes possunt ædificatæ ecclesiæ circundare, iuri ecclesiæ uendicari. Quicquid uerò extra parietes eiusdem ecclesiæ esse poterit, ad iura monasterij sine difficultate aliqua reuertatur, quia nec mundanarū legum nec sacrorū canonum statuta permittunt res monasterij de iure eius quolibet titulo segregari. Eapropter donationem eiusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua dilatione restitue.

Gregorius Leontio exconsuli. De cœlesti Hierusalem & Babylone. Cap. XXXIIII

Epist.34 QVia in magna domo non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honore, quædam autem in contumelia: quis ignoret quòd & in uniuersæ Ecclesiæ sinu, alij uelut uasa contumeliæ rebus deputantur infimis, alij uerò ut honoris uasa rebus deputantur mundis? Et tamen plerunq; contingit, ut & ciues Babyloniæ in angaria seruiant Hierusalem, & ciues Hierusalem, id est, cœlestis patriæ, in angaria deputentur Babyloniæ. Cùm enim electi dei magnis moribus prædíti, modestia ornati, lucra propria non quærentes, terrenis deputantur rebus, quid aliud quàm sanctæ Hierusalem ciues in Babylonię opere seruiunt? Et cùm quidam in prauis moribus effrenati, locum sancti honoris tenent, atq; in ipsis quæ benefacere uidentur, propriam laudem quærūt, quid aliud quàm ciues Babylonię supernæ Hierusalem angarias exoluunt? Sic enim Iudas Apostolis admixtus diu redemptorem humani generis prædicauit: signa cum cæteris fecit. Sed quia Babyloniæ ciuis fuit, Hierusalem cœlesti opus suum in angaria persoluit. At contra Ioseph in Ægyptum ductus, terreno palatio seruiuit, curam ministerij in rebus temporalibus gessit, quicquid iustè regno transitorio debebatur exhibuit. Sed quia sanctę Hierusalem ciuis extitit, seruitium Babyloniæ in sola, ut dictū est, angaria ministrauit. Huius ergo bone uir esse te sequacem credo, quem terrenis actibus implicatū, mansuetudo spiritu agere, humilitatis arcem per omnia custodire, & singulis quæ iusta sunt tribuere cognosco. Tanta enim de uestra gloria à multis bona referuntur, ut mihi hæc non libeat audire, sed cernere: eius tamen quem uidere non licet, bona
Luc.7 me pascit opinio. Sanctæ autem Ecclesiæ, id est omniū electorū typum tenens mulier, quæ alabastrū fudit, domū repleuit unguento. Et nos quotiens de bonis aliquid audimus, suauitatis aurā quasi per narem trahimus. Et Paulus Apostolus cùm
1.Cor.2 dicebat, Christi bonus odor sumus deo, patenter datur intelligi qua saporem se quidem præsentibus, sed odorem absentibus exhibebat. Nos itaq; qui per præsentiæ saporē non possumus, per odo

A rē uestræ absentiæ nutrimur. Hoc etiā ualde gaudemus quòd munera quæ trāsmisistis, uestris moribus dissimilia nō fuerint. Oleum quippe sanctæ crucis, & aloes lignum susceptmus. Vnū quod tactum benedicat, aliud quod incensum redoleat. Decebat igitur ut bonus uir ea transmitteret, quæ iram nobis domini placare potuissent. Alia quoque in cellarijs multa misistis, quia sicut mente & carne subsistimus, necessarium fuit ut à uobis nūc in utroq; contineri deberemus. De quibus transmissis cur dulcissima mens uestra ualde se erubescere fatetur, atq; eidem uerecundiæ scutum charitatis opponere? Sed in his ego uerbis omnímodo gaudeo, quia in tali eius attestatione cognosco
B quòd nunquam possit aliena tollere, & hoc ipsum erubescit, quòd propria largiť. Parua uerò appellatis munera uestra, quæ magna sunt, sed credo ut adhuc amplius ex ipsa gloriæ uestræ humilitate proficiant. Et petitis ut hæc bona mente suscipiā. Sed inter ista ad memoriam cuiusdam uiduæ duo Lucæ 21 minuta reducite. Si enim illa deo placuit, quæ bono animo pauca obtulit, cur non hominibus placeat, qui mente humili multa dedit? Præterea benedictionem uobis sancti Petri Apostolorū principis, clauem sanctissimi sepulchri eius, in qua benedictio de catenis illius est inserta trāsmisimus, ut quod eius collum ligauit ad martyrium, hoc uestrum ab omnibus peccatis absoluat.

Finiunt epistolæ Indictionis primæ.

C

Incipiunt epistolæ indictionis secundæ ex Registro beati Gregorij papæ.

Mense septembri. Indictione secunda. Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De exarata messe cuiusdam ante missarum solennia dominicorū die, & terminis eradicatis post missarum solennia. Cap. I

PRædicator omnipotentis domini Apostolus dicit: Seniorem ne Epist.1 Causa.2.q. increpaueris. Sed hæc eius regu- 7.Paulus la tunc obseruanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus
D est, nam scriptum est: Laqueus iuuenum omnes Esa.42 uos. Et rursus propheta dicit: Et puer centum an- Esa.65. norum maledictus est. Tanta autem nequitia ad Parte.1.dist. aures meas de tua senectute peruenit, ut eam nisi 86.Tanta adhuc humanitus pensaremus, fixa iam maledicti one feriremus. Dictum quippe mihi est, quòd dominico die priusquam missarum solennia celebra res, ad exarandam messem latoris præsentiū perexisti, & post exarationem eius missarum solennia celebrasti. Post missarum solennia etiam termi nos possessionis illius eradicare minimè timuisti. Quod factū quę pœna debeat insequi, omnes qui audiunt sciunt. Dubij autem de tanta hac peruersitate fueramus, sed filius noster Cyriacus abbas à nobis requisitus, dum esset Caralis, ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parci-

mus,hortamur ut aliquando resipiscas miser senex,atque à tanta te leuitate morum, & operum peruersitate compescas. Quanto morti uicinior efficeris,tanto fieri sollicitior atq; timidior debes. Et quidem pœnæ sententia in te fuerat iaculanda sed quia simplicitatem tuam cum senectute noui mus,interim tacemus.Eos uerò quorum consilio hæc egisti,in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus,ita tamen ut si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus euenerit, bene dictione uiatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum consilijs cautus existe,te quoque sollicitè custodi,ne si eis in malo discipulus fueris, quibus in bono magister esse debuisti,nec simplicitati tuæ ulterius, nec senectuti parcamus.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De pace facta cũ rege Longobardorum. Cap. II

Epist.2 QVod in Sardinia hostes nostri fuerunt operati,priusquam fraternitatis uestræ epistola ad nos peueniret, agnouimus.Et quia hoc futurum dudum metuimus,euenisse quod præuidimus nobiscum nunc gemimus.Quod si secũdum ea quæ ram uobis,quam excellẽtissimo filio nostro Gennadio hoc fore nunciantes scripsimus, sollicitudo fuisset adhibita, inimici illuc aut non accederent, aut accedentes periculum quod fecerunt mererent. Vel nunc ergo ea quæ contigerunt,uigilantiam uestram in futura exacuãr.Nam & nos quicquid prodesse possumus,facere domino auxiliante nequaquam omittimus.Cognoscatis autem abbatem quem ad Agilulphum ante multum iam tempus transmisimus,pacem cum eo, deo propitio, quantum uobis ab excellentissimo exarcho scriptum est,ordinasse. Et ideo quousq; pacta de confirmatione pacis ipsius conscribantur,ne forte hostes nostri in hac dilatione ad partes illas iterum uelint accedere,murorum uigilias,& sollicitudinem in locis facite omnibus adhiberi. Et confidimus in redemptoris nostri potentia, quia aduersariorum nobis incursus uel insidiæ denuo nõ nocebunt.Hoc uerò quod scripsistis, multos contra uos nobis querelas deponere,uerũ est: sed inter diuersa non nos sic res alia contristauit quomodo id quod nobis dilectissimus filius noster Cyriacus abbas retulit, quia die dominico ante missas messem de agro quẽ Donatus possidebat, feceris exarari.Quod ne parum esset, expleto sacrificio,per temetipsum illuc accedens terminos effodisses.Ob quam rem hortor ut officiũ quod geris,sollicita mente consideres, & quicquid grauare potest aut opinionem tuam aut animam,omnino refugias,& te committere illud nullius suasione consentias. Nam non terrenarum rerum curam,sed animarum te ducatum suscepisse cognoscas.Ibi ergo cor figere, ibi sollicitudinẽ, ibi totũ debes studiũ adhibere,atq; de earũ lucro diligentius cogitare,ut dũ ueniẽti domino multiplicata quę tradidit talẽta reddideris,retributionis ab eo fructũ cõsequi,& inter fideles famulos in æterna merearis gloria exaltari. Hoc aũt quod obiurgo uel increpo,non ex asperitate sed ex fraterna scito dilectione descendere, quia sacerdotem te apud omnipotentem deum non nomine,quod solũ ad pœnam est,sed etiam meritis,quod ad mercedem respicit,inueniri desidero.Nam dum unum in redemptoris nostri corpore membrum sumus,sicut in culpa tua dilaceror,ita quoq; in bona actione lætificor.Illud præterea quod uultis,ut personam à nostro latere deputemus,cui causas uestras insinuare nobis referẽdas subtiliter debeatis,dilectissimo filio nostro Petro, & Theodoro consiliario quæcunque uultis scribite, ut per eos nobis insinuata,quicquid de his ratio suaserit domino uale at reuelante disponi.De fratre autem & coepisco po nostro Mariniano dum pax cũ prædicto Agilulfo perfectè fuerit consummata, erit cognitio, & fiet quicquid rationis ordo dictauerit.

Gregorius Marcellino proconsuli Dalmatiæ. Scribit redarguens de fauore Maximo præuaricatori præstito. Cap. III.

EPistolam magnitudinis uestræ suscepimus Epist.3 in qua uos nostram incurrisse ingratitudinẽ indicastis,atq; ob hoc per directam satisfactionẽ habere nostram uelle uos gratiam.Et quidem tanta ad nos de uestra magnitudine peruenerũt,quãta à fideli uiro minime committi debuerant. Vos enim tanti mali de causa Maximi omnes astruunt authores existere,per quos spoliatio illius ecclesiæ uel tantarum animarum perditio, atq; inauditæ præsumptionis audacia sumplit initiũ. Et quidem quòd nostrã uos uelle gratiã habere petitis: conuenit ut redemptori nostro pro his talibus satisfacere tota intentione mentis, ut dignum est, cum lachrymis debeatis:quia si illi satisfactũ non fuerit:quid nostra relaxatio uel gratia poterit certe conferre? Dum tamen adhuc in præsumptorũ ruinis uel errantium defensionibus inesse uos cernimus,qualis uel deo, uel hominibus uestra sit satisfactio,non uidemus. Tunc enim deo & hominibus se satisfacere magnitudo uestra patẽter euidenterq; cognoscat, si & deuia ad rectitudinem, & præsumptiua ad humilitatis normam reducat. Quod si factum fuerit,per hoc uos & dei percepturos & hominum gratiam cognoscatis.

Gregorius Andreæ scholastico. Castoriũ chartularium commendat. Cap. IIII

QValiter de gloriæ uestræ debeamus sinceri- Epist.4 tate præsumere, cognitæ deuotionis qualitas,quam beato Petro Apostolorũ principi olim exhibuistis,ostendit.Cuius licet causis mente uos adesse promptissima confidamus, non tamen abre est,si ea quæ sponte egistis,nostra exabundanti epistola deposcamus.Atq; ideo salutãtes paternæ charitatis affectu petimus,ut quia latorẽ præsentium Castorium chartularium nostrum pro necessarijs illic causis direximus, uestra eum ope in omnibus adiuuetis,atq; illi bonitatis uestræ cõsilio quocunque necesse fuerit concurratis, quatenus fultus Christianitatis uestræ solatio,ad explenda quæ sibi iniuncta sunt, solers & idoneus possit inueniri.Sic etenim & uos quæ uestra sunt facitis,& nos pro uobis enixius orare compellitis. Omnipotens deus gratiæ suæ uos tuitione præmuniat,

muniat,& ita actus uestros in suo sicut desideratis propitius timore disponat, ut & à malis omnibus hic exuat,& ad gaudia uos æterna perducat.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. Scribit de excessu Petri neophiti contra Iudæos. Cap. V

Epist.5 IVdæi de ciuitate uestra huc ueniẽtes questi nobis sunt, quòd synagogã eorũ quæ Caralis sita est, Petrus qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum deo uolente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est dominico in ipsa festiuitate paschali, cum graui scandalo sine uestra occupauerit uoluntate, atq; imaginem illic genitricis dei dominíq; nostri,& uenerandam crucem, uel birrum album quo de fonte surgens indutus fuerat, posuisset. De qua re & filiorum nostrorum Eupatery glorioſi magistri militum, atq; magnifici pij in domino præsidis, aliorumq; nobilium ciuitatis uestræ ad nos hęc eadem scripta attestantia cucurrerunt. Qui etiam adiecerunt à uobis hoc præsensum,& prædictum Petrum ne hoc auderet fuisse prohibitum. Quod cognoscentes, omnino laudauimus: quia sicut reuera bonum decuit sacerdotẽ, nil fieri unde iusta esset reprehensio uoluistis. Sed quia per hoc quod minimè uos in his quæ praua sunt miscuistis, displicere uobis quod factũ est demonstrastis, considerantes hac de re uestræ uoluntatis intentum, ac magis iudicium, his hortamur affatibus, ut sublata exinde cum ea qua dignũ est ueneratione imagine atq; cruce, debeatis quod uiolenter ablatum est reformare, quia sicut legalis diffinitio Iudæos nouas non patitur erigere synagogas, ita quoq; eos sine inquietudine ueteres habere permittit. Ne ergo supradictus Petrus, uel alij qui ei in hac indisciplinationis prauitate præbuere solatium, sine consensu hoc zelo fidei se fecisse respondeant, ut per hoc quasi eis necessitas fieret conuertendi, admonendi sunt, atq; scire debent, quia hac circa eos temperantia magis utendum est, ut trahatur ab eis uelle non reniti, non ut Psal.53 adducantur inuiti, quia scriptum est: Voluntariè sacrificabo tibi, id est ex uoluntate mea cõfitebor tibi. Sanctitas ergo uestra gratiã inter ciuitatis suę habitatores adhibitis sibi filijs suis, quibus unà uobis hæc displicent, sacerdotali adhortatione, sicut condecet, studeat facere, quia in hoc maximè tempore quando de hoste formido est, diuisum habere populum non debetis. Quia uero nõ minorem de uobis, quàm de nobis sollicitudinem gerimus, hoc quoq; pariter indicandum curauimus, quòd finita hac pace, Agilulfus Longobardorũ rex pacem non faciat. Vnde necesse est ut fraternitas uestra, dum licet, ciuitatem suam uel alia loca fortius muniri prouideat, atq; immineat ut abundanter in eis condita procurentur, quatenus dum hostis illuc, deo sibi irato, accesserit, non inueniat quod lædat, sed cõfusus abscedat. Sed & nos pro uobis quantum possumus cogitamus, & ijs quorum interest, ut se ad obsistendum deo adiutore præparare debeant, imminemus, quia sicut uos nostras tribulationes uestras attẽditis, ita quoq; nos uestras afflictiones nostras similiter reputamus.

Gregorius Eusebio archiepiscopo Thessal. De pace,& Luca presbytero hæretico. Cap. VI

SI quàm magna sit frater charissime pacis uirtus attendimus, quo à nobis studio sit colenda agnoscimus. Hanc quippe dominus & redemptor noster in magno munere discipulis suis relinquere ac dare dignatus est, ut eos qui firmitate ei fidei cohærebant, per hanc sibi pia faceret participatione consortes. Scriptum nanq; est: Beati pacifici, quoniam filij dei uocabuntur. Quisquis ergo patris hæres esse desiderat, filius existere hanc custodiendo non renuat. Nam qui locum præbet discordiæ, ipse profecto tanti se muneris exortẽ esse constituit. Cùm igitur fidei tuæ sinceritas catholica nobis, ut oportuit, deo propitio sit rectitudine declarata, magna nimis admiratione suspẽdimur, ut eos quos bene credere & recte sentire cognoscis, frustra quondam scandalizari uitio patiaris, ut aliorũ culpa, fraternitatis tuæ fuscetur opinio. Nam quomodo sine erroris suspitione sit, qui patientiam præstat errantib⁹? Aut quam de se æstimationem præbeat, si ea quæ feruor fidei postulat, aperta purgari satisfactione non præuidet? Fertur liquidem Lucam presbyterum tuum, & Petrum Chalcedonensem synodum nolle suscipere, atq; ex hoc filiorum tuorum orthodoxorũ corda non leui scãdalo perturbari. Quorũ quia zelus non solum laudandus, uerum etiam omnino fouendus est, hortamur ut cum omni uiuacitate ac sollicitudine fraternitatis hoc uestrę rimari cura non desinat. Et si ab hac eos insontes prauitate repererit, scandalum de filiorũ suorũ mentibus habita eorũ satisfactione remoueat, atq; inter omnes hæreses Seuerũ ac Nestoriũ anathematizent, ut quibus siniſtra de eis suspitio discessionem amore fidei genuit, gignat purificatio charitatẽ. Et salubriter unus cõcordiæ nectat affectus, quos catholicæ sincera & una tenet confessio ueritatis. Nec satisfactio dubitãtibus existimetẽ indigna, quia dominica uoce præcipit: Ne contemnatis unũ ex his minimis. Matt.18 Qui ergo non despici à præcipiente desiderat, præceptoris uerba nõ renuat, quia & is quem uas electionis redemptor sibi noster testatus est esse, seruare nos unitatẽ spiritus in uinculo pacis admonuit. Vnde quisquis hoc se teneri salutis uinculo non recusat, quę sunt pacis studeat,& locum hosti non præbeat, ut facta fortius ualeat unitate calcari, qui in fratrũ sæua poterat diuisione grassari. Si uero, q̃d nõ optamus, erroris huius deprehẽ dunt iaculo uulnerati: Ecclesiasticę adhortationis est adhibẽda curatio, ut aut inter oues dominicas, si sanati fuerint, permaneãt, aut ab unitate Ecclesiastici corporis excidant, quatenus & magnũ ex dãno modico lucrũ fiat, & totũ faciat liberũ pars amissa. Nã & prouidi sollicitudo pastoris ouẽ languidã quæ curationẽ nõ recipit, ne alias lãguoris sui labe cõtaminet, à sanarũ consortio non differt eijcere, sciens cæterarum se sanitatem non aliter nisi huius posse electione seruare. Proinde iterum

fraterna charitate cõmoneo, ut summa hoc uigilantia perscrutari,& summo quæ scripsimus seruare studio debeatis, nec rectam fidem quam geritis, aliorum dubiam consortio faciatis. Nam qui non corrigit resecanda, cõmittit. Itaq; magna uobis sollicitudine, magna omnino prouisione pensandum est, ut nec alijs eorum persona scãdalum, nec uobis opinio sit nociua, quatenus tanto fraternitati uestræ de commissis ouibus pastoris lucra proficiant, quanto uos ad earum custodiam & sincera dilectio,& credita fecerit cura sollicitos.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De Grauiniæ abbatissæ sacramento. Cap. VII

Epist.7 Cã.19.q.3 Quia ingredientibus

QVia ingredientibus monasterium cõuerten di gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterij iuris fiant, aperta legis definitione decretum est. Quod cùm penè omnibus notũ sit, in magna nos Grauiniæ abbatissæ monasterij sanctorum Gauini & Luxorij insinuatio admiratione perduxit. Quę Siricã monasterij sui abbatissam postquam regendi suscepit officium, condito testamento legata quibusdam asseruit reliquisse. Et dum de sanctitatis uestræ sollicitudine quæreremus, cur res monasterio competẽtes ab alijs pertulerit detineri, cõmunis filius Epiphanius archipresbyter uester prẽsens inuentus respondit memoratã abbatissam usq; ad diem obitus indui se monachica ueste noluisse, sed in uestibus quibus loci illius utũtur presbyteræ permansisse. Ad hæc replicabat prædicta Grauinia hoc penè ex consuetudine licuisse, adeo ut abbatissam quæ ante suprascriptam Siricam fuerat, talibus usam fuisse uestibus allegaret. Cùm ergo de qualitate uestiũ nec nos mediocriter cœpissemus ambigere, necessarium uisum est, ut tam cum consiliarijs nostris, quàm cum alijs huius ciuitatis doctis uiris quid esset de lege tractarẽ. Qui tractantes responderunt: Postquam solenni more abbatissa ab episcopo ordinata est, & in monasterij regimine per annos plurimos usq; ad uitæ suæ transitum præfuit, uestis qualitatẽ ad culpam forte episcopi respicere, qui eam sic permiserit, non tamen potuisse monasterio prẽiudicium irrogare, sed res ipsius eidem loco ex eo quòd illuc ingressa abbatissa constituta est, manifesto iure competere. Et ideo quia ex dimissis illicitè rebus xenodochium possessionẽ asserit indebitè retinere, his uos hortamur affatibus, ut quia & monasterium & xenodochium ipsum in uestra est ciuitate positum, omni cura ac studio prouidere debeat, quatenus si possessio ipsa ex nullo præcedenti contractu, sed ex memoratæ Siricæ legato descendit, antedicto monasterio postposito strepitu uel excusatione reddat. Si uero ex alio fortè dicitur obuenisse contractu, aut fraternitas uestra inter partes cognita ueritate quod legalis suaserit ordo definiat, aut mutuo sibi consensu arbitros eligant, qui earum ualeant allegationes discindere. A quibus quicquid fuerit statutũ, ita uestra prouisione seruetur, ut nullum inter uenerabilia loca iurgium remaneat, quæ magnopere altera pacis sunt fouenda concordia. Alia igitur omnia quæ ex testamento prænominatæ Siricæ detinent, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur, necesse est ut iuri monasterij fraternitatis uestrę sollicitudine sacerdotali per omnia studio reparentur, quia imperiali constitutione apertè sancitũ est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiã pro infectis habenda sint.

Gregorius Vincentio, atq; quàm plurimis episcopis. De tempore paschæ requirendo. Caput VIII

Epist.8

COgnouimus q̃ mos uestrę sit insulæ post paschalem festiuitatem uobis euntibus aut directis responsalibus uestris ad metropolitanũ uestrum, utrum sciatis, an minimè, ipse uobis de uenturo pascha scripta debeat denunciatione manda re. Et quantum dicitur quidam uestrum hoc facere secundum cõsuetudinẽ postponentes, aliorum quoq; ad non obediendũ corda peruertunt. Addi tur etiã q̃ ex uobis aliqui pro Ecclesiæ suæ emergentibus causis transmarina petẽres, sine prędicti metropolitani sui cognitione uel epistolis, sicut canonũ ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatẽ uestrã, ut antiquam Ecclesiarũ uestrarũ consuetudinẽ exequẽtes, tam de suscipienda paschali denũciatione, q̃ etiã si quenq; uestrũ pro causis proprijs ubicunq; cõpulerit ambulare necessitas, ab eodẽ metropolitano uestro secundum indictam uobis regulam petere cessionem debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, cõtra eundem metropolitanũ uestrum habere uos aliquid causæ contingat, ut ob hoc sedis Apostolicę iudiciũ requiratis. Nam ijs qui petere festinant licentiam, quod scitis, per canones etiam antiquorum patrum institutione habere permissum est.

Gregorius Basilio de schismaticis, & de peruerso consilio Iustini. Cap. IX

Epist.9

INter hæc q̃ mihi de Sclauis uictorias nuncistis, magna me lætitia releuatum esse cognoscite, q̃ latores præsentiũ de Capritana insula unitati sanctæ Ecclesiæ cõiungi festinantes, ad beatum Petrũ Apostolorũ principẽ ab excellentia uestra transmissi sunt. In hoc enim contra hostes uestros amplius præualetis, si eos quos dei hostes agnoscitis, sub iugo ueri domini reuocatis, tantoq; uestras causas apud homines fortiter agitis, quanto dei causas in hominibus sincera ac deuota mente feceritis. Quod autẽ exemplar iussionis quę ad uos pro schismaticorũ defensione transmissa est, mihi ostẽdi uoluistis, pensare sollicitè dulcissima mihi uestra excellentia debuit, quia quamuis iussio ipsa subrepta est, non tamen in ea uobis præceptum est, ut uenientes ad unitatẽ Ecclesiæ repellatis, sed ut uenire nolentes hoc incerto tempore non compellatis. Vnde necesse est ut hæc ipsa pijssimis imperatoribus nostris suggerere festinè debeatis, quatenus cognoscant q̃ eorum temporibus schismatici cum omnipotentis dei solatio & labore nostro sua sponte reuerti festinãt. Quę autẽ de insulę Capritanæ ordinatione decreuerim, per reuerendissimum

dissimum fratrem & coepiscopum meum Mari- A
nianum uestra excellentia agnoscat. Illud uero co
gnoscite, quia me non modicè contristauit, quòd
maior domus uestræ qui petitionem episcopi uo-
lentis reuerti suscepit, eam se perdidisse profess-
est, & postmodum ab aduersarijs Ecclesiæ teneba
tur. Quod non negligentia sed uenalitate eius fa-
ctum arbitror. Vndè miror quia in eo culpam hãc
minimè uestra excellentia uindicauit. Sed tamen
quia hoc miratus sum, memetipsum citius repre-
hendi. Nam ubi dominus Iustinus consilium præ-
bet, qui pacem cum catholica Ecclesia non habet,
ibi non possunt hæretici adduci. Præterea sancti
Petri Apostolorum principis natalitium diem in
Romana ciuitate uos facere uelle perhibetis. Et
oramus omnipotentem dominum ut sua uos mi- B
sericordia protegat, & uota uestra uos implere cõ
cedat. Sed prædictus uir eloquentissimus peto ut
simul ueniat, qui si non uenerit, à uestris obsequijs
recedat. Vel certè si uestra excellentia fortasse e-
mergẽtibus causis uenire nequiuerit, ipse aut san-
ctæ Ecclesię unitati cõmunicet, aut peto ut uestro
rum consiliorum particeps non sit. Bonum enim
uirum audio, si pessimi non esset erroris. De causa
uero Maximi, quia importunitatẽ dulcedinis ue-
stræ iam ferre non possumus, quid decreuimus
Castorio notario suggerente cognoscetis.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.
De episcopis Hystriæ, scilicet Nouano & Ca-
prulensi. Cap. X

Epist.10 LAtores presentium ad nos uiri clarissimi atq; C
defensores uenerunt, asserentes quòd in ca-
stello quod Nouas dicitur, episcopus quidam Io-
annes nomine, de Pannonijs ueniens fuerit con-
stitutus, cui castello eorum insula quæ Capritana
dicitur, erat quasi per diocesim coniuncta. Adiun
guntautem quòd eodem episcopo uiolenter ex-
pulso, alius illic fuerit ordinatus. De quo tamen
hoc placuisse referunt, ut non in prædicto castro,
sed in sua insula habitare debuisset. Qui cùm illic
cũ eis degeret, in errore se schismatis detinere no-
luit, atq; cum omni plebe sua excellentissimo filio
nostro Callinico exarcho petitionem dedit ut ca-
tholicæ Ecclesiæ cũ omnibus qui cum ipso erant,
sicut prædiximus, uniri debuisset. Qui, ut aiunt, à
schismaticis persuasus post semetipsum redijt, & D
nunc omnis ille populus qui in prædicta insula cõ
sistit, sacerdotis protectiõe priuatus est, quia dum
sanctæ Ecclesiæ uniri desiderat, illum iam recipe-
re non potest qui ad schismaticorum errorẽ reuer
sus est, & petunt sibi ordinari aliũ debere. Sed nos
quia cuncta necesse est districtè & subtiliter per-
scrutari, hoc ordinandum esse præuidimus, ut fra-
ternitas tua ad eundem episcopum mittat, eumq;
reuerti ad Ecclesiæ unitatem & ad propriam ple-
bem admoneat. Qui si iam monitus redire cõtem
pserit, grex dei decipi non debet in errore pasto-
ris. Et idcirco sanctitas tua illic episcopũ ordinet,
eandemq; insulam in sua dioceси habeat, quousq;
ad fidem catholicam Hystrici episcopi reuertant,
ut & unicuiq; Ecclesiæ suæ dioceseos iura serue-
mus, & destituto à pastore populo non desit pro-
tectio & cura regiminis. In his tamẽ omnibus fra-
ternitatem tuam decet sollicitè uigilare, ut plebs
eadem quæ ad Ecclesiam uenit, studiosius admo-
neatur, quatenus cõstanter in sua reuersione fixa
sit, ne uagis cogitationibus in erroris iterum fo-
ueam relabatur. Excellentissimũ uero exarchũ pe
tere studeat, ut hæc ipsa suis suggestionibus pijssi
mis imperatorũ auribus innotescat: quia quamuis
iussio quæ ad eum delata est, subrepta esse uideat,
non tamẽ in ea iussione ei præceptũ est, ut uolen-
tes ad Ecclesiã redire nõ permittat, sed ut inuitos
hoc interim tẽpore minimè cõpellat. Huius ergo
causæ ordinationẽ in suã curã prędictus filius no-
ster suscipiat, quatenus suis respõsis agat, ut quic-
quid ordinauerit, dubiũ non fiat. Quod tamen &
nos communi filio Anatholio scripsimus, ut hæc
pijssimis principibus subtiliter innotescat. Excel-
lentissimi filij mei domni Callicini exarchi assi-
duè & importunè pro persona Maximi scripta su
scepi. Cuius importunitate uictus, nihil habui ąd
amplius facere debuissem, nisi eiusdẽ Maximi cau
sam tuæ fraternitati cõmitterẽ. Si igit ad fraterni-
tatẽ uestrã uenerit idẽ Maximus, deducat & Ho-
noratus eius Ecclesiæ archidiaconus, & cogno-
scat sanctitas tua si recte ordinatus est, si in Simo-
niacã hæresim lapsus non est, si ei de criminibus
corporalibus nihil obuiauit, si se non cognouit ex
cõmunicatũ quando missas facere præsumpsit, &
quicquid sub timore dei tibi uisum fuerit, decer-
ne: ut nos dispositioni tuæ cõsensum deo authore
præbeamus. Si autẽ tuã fraternitatẽ suspectã præ-
dictus filius noster habuerit, etiã reuerendissimus
uir frater noster Constantius Mediolanensis epi-
scopus Rauennã ueniat, tecũ resideat, & de eadẽ
causa pariter decernite, & quod utrisq; uobis pla-
cuerit, mihi placiturum esse certum tenete. Sicut
enim obstinati esse humilibus non debemus, ita
districti existere superbis debemus. Vestra ergo
fraternitas sicut in scripturę sacræ paginis didicit,
quicqd iustũ ꝓpẽderit, in eius negotio decernat.

Gregorius Serentino episcopo & pluribus alijs.
De reliquijs concedendis Gregorio expræfecto.
Caput XI

GLoriosus filius noster Gregorius expræfe- Epist.11
ctus, sanctuaria beatorum martyrum in dio
cesis uestræ locis quiescentium, sibi postulat debe
re concedi, in quorum honorem Basilicã proprijs
sumptibus ædificari desiderat. Et ideo fratres cha
rissimi præfati uiri desiderijs ex nostra uos præce-
ptione cõuenit obedire, ut deuotionis suæ in cõ-
secratione quam postulat potiatur effectum.

Gregorius episcopo Chrisanto.
De reliquijs collocandis in Ecclesia sanctæ
Mariæ Cap. XII

PAulus Ecclesiæ Reatinæ diaconus, petitoria Epist.12
nobis insinuatione popposcit, ut ad fontes in
basilica beatæ Mariæ semper uirginis genitricis
dei & domini nostri Iesu Christi, quæ est intra ci-
uitatẽ Reatinã posita, reliquiæ beatorum marty-
rum Hermetis & Hyacinthi & Maximi debeant
collocari

collocari. Et ideo frater chariſſime ſi in eodem loco nullum corpus conſtat humatũ, ſanctuaria prædictorum martyrũ cum reuerentia ſine ambiguitate ſuſcepta diligenter conſecrabis.

Gregorius Seuero epiſcopo Anconitanenſi. De argento Eccleſiæ, apud Serenum diaconem depoſito, requirendo. Cap. XIII

Epiſt. 13 VIr reuerendiſſimus Paſſiuus frater & coepiſcopus noſter, ad nos ueniens, indicauit argentum Eccleſiæ ſuæ à deceſſore ſuo Fabio apud Serenum diaconem tuum pro temporis qualitate eſſe depoſitũ. Cuius parte aliqua reſtituta, partem apud eum aſſerit iacere, & reſtituere eam quadam excuſatione differre. Proinde his fraternitatẽ tuã hortamur affatibus, ut eũ admonere ſtudeat, quatenus quę accepit, ſine contentione reſtituat. Aut ſi forte ab eius reſtitutione aliqua ſe excuſari ratione confidit, neceſſe eſt ut inter eũ & authores Firmanæ Eccleſiæ unà cum Armenio fratre & coepiſcopo noſtro cognoſcere debeatis, & ſubtiliter ueritate diſcuſſa ita huic cauſæ finẽ imponere, ut nec antedictus diaconus pati præiudicium, nec præfata iniuſtè damnum uideatur Eccleſia ſuſtinere.

Gregorius Demetrio & Valeriano clericis firmanis. De pecunia expenſa ab Eccleſia pro eorum redemptione. Cap. XIIII

Epiſt. 14 ET ſacrorum canonum ſtatuta, & legalis permittit autoritas licitè res Eccleſiaſticas in redemptionem captiuorum impendi. Et ideo quia edocti à uobis ſumus, ante annos ferè decem & octo, uirum reuerendiſſimum quendam Fabium epiſcopũ Eccleſiæ Firmanę pro redemptione ueſtra, ac patris ueſtri Paſſiui fratris et coepiſcopi noſtri, tunc uero clerici, necnon matris ueſtræ libras undecim argenti de eadem Eccleſia hoſtibus impendiſſe, atq; uos ex hoc quandã habere formidinẽ, ne hoc quod datũ eſt, à uobis quolibet tẽpore repetatur: huius præcepti autoritate ſuſpitionẽ ueſtrã prędimus auferendã, cõſtituentes nullã uos exinde hæredesq; ueſtros quolibet tẽpore repetitionis moleſtiã ſuſtinere, nec à quoq; uobis aliquã obijci quęſtionẽ, quia ratio æquitatis expoſcit, ut quod ſtudio pietatis impenſum eſt, ad redemptorum onus uel afflictionem non debeat pertinere.

Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano. Quòd cõſecret Eccleſiam ſancti Petri apoſtoli, & ſancti Michaelis archangeli. Cap. XV

Epiſt. 15 THeodoſius abbas monaſterij ſancti Martini petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quæ habetur in ſubditis, in domo quondam Martini, ex eius uoluntate deceſſorem ſuum Andream abbatem monaſterium in quo monachi habitare debeant, conſtruxiſſe. Et quia id in honorẽ beati Petri apoſtolorum principis, & ſancti archangeli, poſtulat dedicari, dilectionem tuam prẹſentibus apicibus duximus adhortandam, quatenus ad prædictum locum cùm poſtulauerit ingrauanter accedas, uenerandæ ſolennia dedicationis impendẽs. Et quotiens neceſſe fuerit, à presbyteris Eccleſiæ tuæ in loco ſancto deſeruientibus celebrentur ſacrificia ueneranda miſſarum, ita ut in eodem monaſterio nec fraternitas tua, nec presbyteri præter diligentiam diſciplinæ aliquid moleſtiarum inferant, aut ſi quid illic pro diuerſorũ deuotione cõmoditatis acceſſerit, ſibi exiſtimẽt uendicari, cum monachis in eodem loco deſeruientibus debeat proficere, quicquid à fidelibus offerri contigerit.

Gregorius Romano defenſori. De monaſterio in Sicilia conſtruendo. Cap. XVI

FIlius noſter Theodoſius abbas monaſterij à Epiſt. 16
Liberio quondam patricio in Campaniæ parte conſtructi, nobis noſcitur intimaſſe Ruſticam quondam illuſtrem fœminam ante nos ferè uigenti & uno annis condito teſtamento Felicem iugalem ſuum hæredem inſtituiſſe, eiq; de conſtruendo illic in Sicilia monaſterio hac cõditione interpoſita delegaſſe, ut ſi intra anni ſpatium omnia liberis dimiſſa legata non ſolueret, uel prædictum monaſterium ita, ut uoluit, minimè ordinaret, tũc ſancta Romana Eccleſia portionem quam in fundo Comas habere uiſa eſt, ſibi deberet ſine dubio uendicare, & ipſa ad perſoluenda eadẽ legata uel conſtructionẽ ipſius monaſterij ſolatia cõmodaret. Vnde quia, quantũ dicitur, dimiſſa res hactenus minimè ipſi monaſterio eſt completa, atq; ab eius nuncuſq; hæredibus poſſeſſionis pars aliqua detinetur, cũ omni ſubtilitate experientia tua cauſam exquirat atq; diſcutiat. Et primùm quidem ſi in conditione teſtamenti hæres incidit, per quod noſtra habeat cauſas Eccleſia, inueſtigare te uolumus atq; euidenter addiſcere, & utilitatem pauperum, ſicut rei ordo poposcerit, exequi: & tunc pro ordinatione cellæ illius, uel redintegratione dimiſſæ rei inſtãter eſſe ſollicitũ, quatenus pia teſtatricis uolũtas in utroq; ualeat adimpleri, & detentores iniuſti culpam retentionis indebitæ exiuſta amiſſione cognoſcãt. Cum omni ergo uiuacitate te cauſam hanc & exquirere, & ad effectum uolumus, domino auxiliãte, perducere, ut pia ordinantis deuotio tandem ſortiatur effectũ. Sed & monaſterio ipſi in omnibus, ſalua iuſtitia ſolatiari te uolumus, ut laicæ perſonæ quaſi ex conditoris nomine quæ iuuaminis debuerũt ferre ſolatium, læden di non habeant, ſicut aſſeritur, facultatem.

Gregorius Romano defenſori. Patrimonium Eccleſiæ in Sicilia commendat. Caput XVII

PRopoſiti noſtri cura nos admonet Eccleſiaſticas utilitates ſtrenuis agẽdas mãdare perſonis. Et ideo quia te Romanũ defenſorẽ fidelem ſollicitũq; probauimus extitiſſe, patrimoniũ ſanctæ Romanæ, cui deo miſerante deſeruimus Eccleſiæ, in partibus Syracuſanis, Cathinenſibus, Agrigẽtinis uel Milenſibus cõſtitutũ, à præſenti ſecunda indictione gubernationi tuæ prædimus cõmittendũ. Vnde neceſſe eſt te illic indifferẽter accedere, ut diuini conſideratione iudicij, noſtræ quoq; admonitionis memoria te efficaciter ac fideliter ſtudeas exhibere, ut nullius neglectus uel fraudis, quod abſit, inueniaris ſuſtinere periculũ. Magis autẽ id agas, quatenus de fide & induſtria tua diuinæ poſſis gratiæ cõmendari. Ad familiam

Epiſt. 17

uerã

uero eiusdem patrimonij secundum morem præ- A
cepta direximus, ut nihil sit quod te ad peragenda ea quæ ubi iniuncta sunt, ualeat impedire.

Gregorius colonis patrimonij Syracusani.
Vt obediant Romano defensori. Cap. XVIII

Epist.18 COgnoscatis uolo quia ad sollicitudinē uos defensoris nostri dispositio nostra pertinere cōstituit. Et ideo precipimus ut ea quę uobis peragenda pro utilitatibus Ecclesiasticis præuiderit & iniunxerit, sine aliqua debeatis difficultate obedire. Cui talem dedimus potestatē, ut eos qui inobedientes uel attentauerint contumaces existere, districta ultione corripiat. Pariterq; illi demandauimus, ut mancipia quæ foris latitant, uel à quoquam aliqui fines inuasi sunt, sollicitudinis suę in- B
stantia iure Ecclesiastico reuocare nō differat. Noueritis etenim periculo suo fuisse cōmonitum, ut nullam aliquando uiolentiam rebus alienis, uel raptum aliqua excusatione facere præsumat.

Gregorius Petro Siciliensi.
Quòd Romano patrimonium Ecclesiæ commendasset. Cap. XIX

Epist.19 SCientes deuotionis affectum paternis cōmendationibus ampliari, necesse est ut ea quæ agere uos sponte confidimus, gloriæ uestræ in his fauorem nostris augere epistolis festinemus. Indicamus itaq; Romano defensori latori præsentium, patrimonium Ecclesiæ quod in Syracusanis, Cathinensibus, & uicinis locis noscitur esse constitutum, dei protegente gratia credidisse. Et propterea salutantes paterno affectu petimus ut uestra C
eum fouere prouidentia debeatis, atq; ei in omnibus uestrum, sicut de uobis confidimus, auxilium cōmodetis, ut dum in gloriæ uestro solatio uel fauore subsidiū consolationis habuerit, & uos qualem circa nos charitatē geritis manifestius ostendatis, & nos uoluntati uestræ respondere, dum necesse fuerit, per omnia festinemus.

Gregorius Libertino expræfecto.
De patrimonio in Sicilia Romano cōmendato.
Caput XX

Epist.20 GLoriæ uestræ & experta & cognita nos deuotio prouocat epistolari uos alloquio causis Ecclesiasticis exhibere adiutores. Et ideo quia Romano defensori præsentium portitori causam patrimonij Ecclesiæ nostræ quod in Syracusano D
atq; Cathinensi territorio situm est, deo authore cōmisimus, salutantes gloriam uestram petimus, ut cōcurrere illi ac ferre solatium in omnibus debeatis. Et ne forsan de nouitate minus aliqua quæ sunt utilia cōprehendat, uestris eum subtiliter consilijs informate, atq; ad agenda hæc uestram illi sicut cōsueuistis, operam adhibete, quatenus dum uobis opitulantibus utiliter quæ iniūcta sunt peregerit, & uos de bono uestro mercedem recipere ualeatis, & nos pro gloriæ uestræ uita omnipotentis dei misericordiam exorare enixius inuitemur. De capitulo autem de quo mihi lator præsentium est locutus, uel reuerēdissimus frater noster Ioannes episcopus scripsit, interim uel tentari uel agi nil potuit, quia persona apud quam agi poterat, necdum est in potestate aliqua confirmata.

Gregorius Libertino Ciridano.
Romanum defensorem commendat. Cap. XXI

GLoriæ uestræ bonitas nuncio ueraci diffusa, Epist.21
tantam nobis de se certitudinem præbet, ut nihil de ea diffidere, sed magis sicut reuera sapienti filio Ecclesiæ nostræ debeamus specialiter causam cōmendare. Et ideo Romanum defensorem nostrum præsentium portitorem ad gubernationem patrimonij Ecclesiæ nostræ in Cathinēsibus ac Syracusanis partibus constituti, deo protegente transmisimus. Salutātes igitur paterna dilectione gloriā uestram, petimus ut in cunctis affectum uestræ charitatis inueniat, & fauoris uestri solatijs quocunq; necesse fuerit potiatur, ut uobis præsentibus nos absentes esse non sentiat, quatenus cùm iniuncta sibi salubriter uestra ope expleuerit, & nos uobis gratiarum possimus existere debitores, & beatus Petrus apostolorum princeps, in cuius causis uos impenditis, hìc uobis & in futuro compensет.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
De querimonia Leontij contra Leonem episcopum. Cap. XXII

FIlius noster gloriosus uir Leontius ex consu- Epist.22
latu de fratre et coepiscopo nostro Leone grauiter est questus, noscq; eius querela omnimodo turbauit, quia ita præcipitanter & leuiter ab episcopo agi non debuit. Quā causam subtiliter exequendam ueniēti Romano defensori cōmisimus. De uestra autem fraternitate is qui ab eo directus est queritur quòd Marchilai uiri clarissimi medici defensione fratris & coepiscopi nostri Domitiani metropolitæ utilitas grauetur. Et quidē tueri iustè filios suos, uel sicut est fortè sanctæ Ecclesiæ negotia fraternitas uestra debet, & nullam occasionem dare aduersarijs maledicti gratia. Quod tamen uos per omnia custodire, etiam ista loquendo non ambigo, eidem tamen Romano uenienti etiam de hac causa iniunximus, ut uobiscum debeat quæ sunt recta disponere.

Gregorius Romano defensori.
De Stephania & Calixeno filio eius. Cap. XXIII

QVanquam ea quæ ad Ecclesiæ iura perue- Epist.23
niunt, alienari legis ratio nō permittat, temperanda tamē interdum est censura districtionis, ubi misericordiæ respectus inuitat, maximè quando tanta est quantitas, quæ nec dantem onerat, & accipientis pauperiem iuxta aliquid consolatur. Et ideo quia Stephania præsentiū latrix cum Calixeno filio suo paruulo, quē de Petro quondam uiro suo se suscepisse, & nimia asserit pauperie laborasse, huc ueniens assidua obsecratione & lachrymis à nobis exigit, ut domum possessionis in ciuitate Cathenensium, quam Ammonia quondam socrus eius, Ecclesiæ nostræ titulo donationis obtulerat, eidem Calixeno restitui faceremus, memoratā Ammoniā asserens alienandi eam non habere licentiam, sed antefati Calixeni per omnia iuris esse. Cui rei filius noster Cyprianꝰ diaconus, qui causam cognitā habuit, contradictor extitit, inquiēs quòd prędictæ mulieris querimonia non haberet

haberet iuſtitiam, nec poſſe rationabiliter ad filij ſui nomen domum ipſam uendicare, ſiue repetere. Sed ne ſupraſcriptæ mulieris lachrymas inanes relinquere, & plus ſequi rigoris uiam quàm cauſas uideamur pietatis complecti, hac tibi præceptione mandamus, ut memoratam domum ſæpefato Calixeno ſimul & donationem ab Ammonia factã de domo ipſa, quia illic in Sicilia eſſe noſcitur, reddere debeas: quia, ſicut diximus, melius eſt in dubijs non diſtrictionem exequi, ſed ad benignas potius partes inflecti, præſertim dum ex paruæ rei ceſſione nec Eccleſia grauatur, & orphano atq; pauperi miſericorditer ſubuenitur.

Gregorius Romano defenſori.
Laicis non temerè tuitionem Eccleſiaſticam impendendam. Cap. XXIIII

Epiſt.24 PEruenit ad nos quía quídam homines minorem omnimodo diſcretionẽ tenentes, in ſuis nos periculis implicari deſiderant, atq; ita uolunt ab Eccleſiaſticis perſonis defendi, ut ipſæ quoq; perſonæ Eccleſiaſticæ ex eorum culpa teneantur. Idcirco præſenti te præceptione admoneo, & per te fratrem & coepiſcopum noſtrum domnum Ioannem uel cęteros qui intereſſe poſſunt, ut patrocinia Eccleſiaſtica, ſiue mea ſuſcipiatis ſcripta, ſiue etiam minimè fuerint directa, ſub tanto mode
Cã. 14. q. 6 Hi qui ramine debeatis impẽdere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati ſunt, à nobis non uideantur iniuſtè defendi, ne opinionem male agentium ex indiſcretę defenſionis auſu in nos ullo modo trãſferamus, ſed quantum decet Eccleſiam, admonendo, & uerbum interceſſionis adhibendo, quibus ualetis ſuccurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ Eccleſiæ non inquinetis.

Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.
Viſitationem Meſſenatenſis Eccleſiæ iniungit. Caput XXV

Epiſt.25 COgnoſcentes Meſſenatem Eccleſiam ſacerdotis regimine deſtitutam, uiſitationis eiuſdem Eccleſiæ fraternitati tuæ operam ſolenniter delegamus. Quã ita te conuenit exhibere, ut nihil de prouectionibus clericorũ, reddítu, ornatu, miniſterijſq;, uel quicquid aliud eſt in patrimonio eiuſdem à quoquam præſumatur Eccleſiæ. Et ídeo charitas tua ad prędictam Eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhortationibus plebem, clerumq; eiuſdem Eccleſiæ admonere feſtinet, ut remoto contentionis diuerſo ſtudio, uno eodemq; cõſenſu talem ſibi præficiendum expetant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus ualeat reperiri, & uenerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Quí dum fuerit poſtulatus, & cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roboratus, dilectionis tuæ teſtimonio literarum ad nos ſacrandus occurrat. Cõmonentes etiam fraternitatẽ tuam, ut nullum de altera eligi permittas Eccleſia, niſi fortè inter clericos ipſius ciuitatis, in qua uiſitationis impendis officium, nullus ad epiſcopatũ dignus, quod euenire nõ credímus, potuerit inueniri. Prouiſurus ante omnia ne huc cuiuslibet cõuerſationis uel meriti laicæ perſonæ aſpirare præſumant, & tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras.

Gregorius clero, ordini, & plebi conſiſtenti Meſſanæ. De eligendo epiſcopo. Cap. XXVI

COgnoſcentes Eccleſiam ueſtram ſacerdotis Epiſt. regimine deſtitutam, curæ noſtræ fuit uiſitationem eiuſdem Eccleſiæ, fratri & coepiſcopo noſtro Fortunato ſolenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, miniſterijſq; à quoq; uſurpari patiat. Cuius uos aſſiduis adhortationibus conuenit obedire, & remoto ſtrepitu, uno eodẽq; conſenſu talem uobis præficiendũ expetere ſacerdotem, qui & à uenerandis canonibus nulla diſcrepet ratione, & tanto miniſterio dignus ualeat reperiri. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roboratí, & uiſitatoris pagina proſequente, ad nos ueniat ordinandus. Prouiſuri ante omnia, ne cuiuslibet uitæ uel meriti laicam perſonam præſumatis eligere. Et non ſolum ille ad epiſcopatus apicem nulla ratione prouehetur, uerumetiam uos nullis interceſſionibus ueniam promereri poſſe cognoſcite, ſed omnes quos ex uobis de laica perſona aſpiraſſe conſtiterit, ab officio & à cõmunione alienos faciendos proculdubio noueritis.

Gregorius Antonio ſubdiacono, & Dominico abbati atq; presbytero aparibus. De concordia facta inter Eccleſias & monaſteria. Cap. XXVII

SIcut graue & plenum uituperationis eſt, inter Epiſt. perſonas omnipotenti deo militantes, de ſecularibus negotijs ortam diu controuerſiam permanere, ita laudabile & ſtudio eſt religioſo conueniens, terrenis gratam deo pacem præferre compendijs, & ex rebus tranſitorijs manſura ſuper charitatis lucra mercari. Et ídeo quía de poſſeſſionibus Faiani, Naſuniani, & Labiniani, poſitis in prouincia Sicilia territorio Panormitano, de quibus inter præpoſitos monaſterij ſanctorũ Maximi & Agathæ quod Lucuſianum dicitur, & è diuerſo adminiſtratores xenodochij in hac urbe conſtituti, ꝺd Valerij nuncupatur, longa ſe traxit cõtentio, nũc uero inter te Antoniũ ſubdiaconẽ noſtrũ memorati xenodochij præpoſitum, & è diuerſo dilectiſſimum filium noſtrum Dominicũ abbatem atq; presbyterum dicti monaſterij pactis interuenientibus ſalubris proceſſit, deo autore, deciſio: igitur neceſſe eſt, ut omnis diſcordię poſſit occaſio prę-ueniri, ea quæ geſta ſunt, interueniente autoritate firmari. Proinde per hũius præcepti ſeriem hoc decernendum eſſe perſpeximus, ut omnia inſtrumẽta, uel quicquid eſt aliud quod partibus, quod abſit, ad inuicẽ contra ſe uenire cupientibus quoquo modo uel ex temporis pręſcriptione, ſeu aliter opem de lege, aut quocũq; priuilegio poterat miniſtrare, ſit, ſicut & uos poſcitis, uacuũ, & omni uirtute caſſatum, & ſola pactorum inter uos nunc habitorum pagina ualidum perpetuumq; robur obtineat. Cui ſi quid forte incuria uel imperitia minus firmitatis inſertũ eſt, uires pleniſſimæ munitionis & ſoliditatis ex hac noſtra authoritate ſuſcipiat, nec ſupereſſe aliquid ualeat, unde ea quæ

religioſo

religioso studio prouidè, ut oportuit, ac pacificè A
terminata sunt, ne quocunq; tempore quicq; dubietatis incurrant, sed omnia quę in eisdem pactis tenenī adscripta, firma, illibata, & sine aliqua refragatione persistāt, quatenus amota penitus totius altercationis materia, inter quos charitatis immutabiliter decet manere concordia, nulla queat deinceps litigiosæ contentionis occasio generari. Pro munitione uero suprascripti monasterij memorato Dominico abbati atq; presbytero præceptum simile dedimus.

Gregorius Venantio episcopo Lunensi. De contentione Adeotatæ & matris eius. Cap. XXVIII

Epist.28 QVæ sit Adeodatæ ancillæ dei latricis prę sen B
tium, aduersus Fidentiam matrē suam querimonia, ex pagina petitionis oblatæ quæ tenetur in subditis, fraternitas uestra cognoscit. Et quoniā æquitatis censura admonet, ut maximum conuersis, salua ratione, episcopale debeat esse solatium, idcirco his fraternitatem uestram epistolis adhortamur, ut prædictam matrem ipsius ad se faciat euocari, & tranquilla ei adhortatione suadeat, ut facere spōte nō desinat, ad quod legali potest ratione compelli, quatenus nec illa affligi, nec ista uideatur præiudicium sustinere. Quæ si, quod non credimus, admonitionem uestram differre uoluerit, prædictæ Adeodatæ religiosæ contra eam tuitionem impendite, atq; uestris eam solatijs apud iudicem, uel quocunq; usus exegerit, instantius adiuuate. Et ita in exequendam uos hanc causam C
impendite, ut legali ratione constricta, inuita urgeatur facere quod sponte postponit. Memoratam uero latricem fraternitas uestra ita seruata æquitate habeat in omnibus cōmendatam, ut uobis ei tuitionem impendentibus, in eo quem assumpsit habitu sine aliqua, deo protegente, concussione permaneat.

Gregorius Antonio subdiacono Campaniæ. De massa Veneris Stephano abbati restituenda. Cap. XXIX

Epist.29 AEquitatis ius exigit, ut hoc quod à prædecessoribus nostris cognita ueritate est redditum, nostra indebitè denuo Ecclesia tenere non debeat: ne, quod omnino contra religiosum constat esse propositum, non uera, sed imaginaria ac D
magis dolosa fuisse restitutio uideat. Et ideo quoniam Stephanus abbas monasterij sancti Marci, quod constitutum iuxta muros Spoletanæ ciuitatis esse dinoscitur, questus est nobis massam Veneris in prouincia Campania sitam, territorio Minturnensi, quam ei beatæ memoriæ decessoris nostri Benedicti reddità præceptione cognouimus, ab Ecclesia nostra nunc indebitè detineri, idcirco hac tibi authoritate pręcipimus, ut si manifestè ab Ecclesiæ nostræ hominibus detinetur, in iura eam prædicti monasterij sine aliqua mora uel altercatione restituas. Si uero non à nostris, sed à quibusdam forsitan extraneis detinetur, strenua te agere sollicitudine uolumus, ut in iure modis omnibus memorati debeat monasterij reformari, quatenus & ipse quod suum est, te solatiante sine aliqua fatigatione recipiat, & alter de dispendio monasterij iniustè lucrum non habeat.

Gregorius Fausto. De ministerijs Ecclesiasticis à filio Constantij recipiendis. Cap. XXX

SIcut res Ecclesiasticæ competētibus personis Epist.30
sine aliqua sunt dilatione reddendæ, ita restituendis adhibēda cautela, ut nulla possit postmodū ex ipsa nasci restitutione molestia. Et ideo quoniam tempore quo quondam Consentius defensor paternæ gloriæ uestræ, cōmissi sibi patrimonij Campanię curam gessit, ministeria Ecclesiæ Vulternæ, quæ erat pro peccatis clero & pontifice destituta, apud se propter iniunctam sibi sollicitudinem tulisse dignoscitur, quæ uos nunc reddere sine nostro consensu dubitare cognouimus, eapropter his uos hortamur epistolis, ut ea Antonio subdiacono sub depositi emissione restituere sine aliqua difficultate debeatis, quatenus & res Ecclesiæ in tuto apud eos quos conuenit habeantur, & gloria uestra ab omni dubitatione sit libera.

Gregorius Anthemio subdiacono. De ministerijs Ecclesiæ Vulternæ. Cap. XXXI

COmperimus ministeria Ecclesię Vulternæ, Epist.31
quæ Consentius defensor propter iniunctā sibi sollicitudinem deficiente clero uel episcopo eiusdem Ecclesiæ tulerat, apud hæredē ipsius remansisse. Et quia glorioſum uirū Faustum filium ipsius ea reddere sine nostro cōsensu dubitare cognouimus, nostris eum hortati sumus epistolis, ut experientiæ tuæ ministeria eiusdem Ecclesiæ reddere sine dubietate aliqua debuisset. Et ideo experientia tua ministeria ipsa sub depositi emissione suscipiat, atq; in tuto habere studeat, & modum ac qualitatem ipsorum nobis facta notitia omni subtilitate innotescat.

Gregorius Andreæ. De infirmitate eius, & & quòd flagellat deus omnem filium quem recipit. Cap. XXXII

AVdiens quòd gloriam uestram uehemēter Epist.32
afflixerit luctus & ægritudo, ualde condolui. Sed protinus agnoscens quòd te morbus perfectè reliquerit, dolorem mox in lætitiam uerti, magnasq; omnipotenti deo gratias retuli, quia percussit, ut sanaret, afflixit, ut ad gaudia uera perduceret. Hinc enim scriptum est: Quem diligit do Hebr.12
minus castigat, flagellat autem omnē filiū quem recipit. Hinc per semetipsam ueritas dicit: Pater Ioan.15
meus agricola est, & omnem palmitē in me non ferentem fructum tollet eum: & eum qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Palmes enim infructuosus tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes uero fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarū grana tribulis attrita, aristis & paleis nudantur. Sic oliuæ prælo pressæ, in olei pinguedinem defluunt. Sic botri uinearum tunsi calcibus, in uinum liquescunt. Gaude igitur bone uir quia in hoc flagello tuo & prouectu conspicis quòd ab æterno iudice amaris. Præterea filiā meam glorioſam coniugem uestram mea peto uice salutari. Omnipotens autem deus cœlesti uos protectiōe custodiat, uosq;

& modo conſoletur de largitate donorũ, & poſt- A
modum de retributione præmiorum.

Gregorius Venantio epiſcopo Lunenſi.
De presbyteris & diaconibus Aldioni ordi-
nandis. Cap. XXXIII

Epiſt.33 QVotiens ea quę hortari nos conuenit poſtu
lamur, moras ad concedendum facere non
debemus, ne differre bona deſideria, quæ magis
fouenda ſunt, uideamur. Et ideo quia glorioſus
Aldio magiſter militum in ciuitate ipſius presby
teros uel diacones omnino, ſicut ſuis nobis epiſto
lis indicauit, deſiderat ordinari, eos qui ad conſe-
crandum eliguntur, fraternitas ueſtra diligenter
inquirat. Et ſi nihil eſt quod canonicè eorum ordi
nationem impediat, deo illos propitio ſtudeat or-
dinare. Cum quibus nos etiam loqui conuenit, ut
adhortationis ſuæ ſollicitudine degentem illic po
pulum ab infidelitate reuocare, ac contendant à
gentilium cultu ſuſpendere, atq; eos in omnipo-
tentis dei doceant timore perſiſtere, & præmia æ-
ternæ uitæ diligere, quatenus hæc conſecratio &
illis ante deum ad gloriam, & habitanti illic popu
lo proficiat ad ſalutem.

Gregorius Conſtantio Mediolanenſi.
De pecunia Virgilio præſtita. Cap. XXXIIII

Epiſt.34 QVamuis ita fraternitas ueſtra conuenienti ſi
bi grauitate diſcreta ſit, ut nõ admonita, ſed
ex ſe quid cui ſit impendendum intelligat, tamen
quia lator præſentium Ioannes uir memorandus,
qui præfecturæ uices illic acturus aduenit, noſtra
ſe petijt epiſtola commendari, ſanctitas ei ueſtra, C
dum neceſſe fuerit, ſalua ratione præſidium ſui fa-
uoris impendat, & ita eum ſacerdotaliter ſtudeat
ſuis ſolatijs adiuuare, quatenus uobis preſentibus
nec aliorum debeat iniuſtè oppreſſionibus labo-
rare, nec ipſe alijs contra rationem grauis exiſtat.
Quia uero peruenit ad nos ꝙ Virgilius qui uices
illic ante hunc præfecturæ geſſit, per ſcriptorũ no
ſtrorum occaſionem, quibus eum petitione eius
compulſi cõmendauimus, mutuas à uobis, ut ita
dicamus, pecunias exegiſſet, ægrè, ſi uerum eſt ſu-
ſtinemus, ut hoc non ex ſe, ſed quaſi per noſtram
epiſtolam obtineret. Et ideo fraternitatem tuam
ſcire neceſſe eſt ita ſibi à nobis eos qui hoc exigãt
cõmendari, ut eis adeſſe inquantũ poſſibile & iu-
ſtum eſt debeat, non tamen ut Eccleſiæ ſuæ huius D
rei occaſione aliquod grauamen imponat.

Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.
De Iudæis & Chriſtianis mancipijs. Cap. XXXV

Epiſt.35 COgnoſcentes qualis fraternitatem ueſtram
zelus pro Chriſtianis mancipijs, quæ Iudæi
de Galliarum finibus emunt accenderit, adeo no-
bis ſollicitudinem ueſtram placuiſſe ſignamus, ut
inhibendos eos ab huiuſmodi negociatione no-
ſtra etiam deliberatio iudicaret. Sed Baſilio Iudęo
cum alijs Hebræis ueniente cõperimus hanc illis
à diuerſis iudicibus reipublicæ emptionem iniun
gi, atq; euenire ut inter paganos & Chriſtiani pari
ter comparentur. Vnde neceſſe fuit ita cauſam or
dinatione cauta diſponi, ut nec mãdantes fruſtra-
ri, nec hi qui contra uoluntatem ſuam ſe inquiunt

obedire, aliqua ſuſtineant iniuſtè diſpendia. Pro- A
inde fraternitas ueſtra hoc uigilanti ſollicitudine
obſeruari ac cuſtodiri prouideat, ut reuertentibus
eis de prefata prouincia Chriſtiana mancipia quę
ab ipſis adduci contigerit, aut mandatoribus con
tradantur, aut certè Chriſtianis emptoribus intra
diem quadrageſimũ uenundent. Et tranſacto hoc
dierum numero, nullus apud eos quolibet modo
remaneat. Si autem quædam ex eiſdem mancipijs
talem ægritudinẽ fortaſſe incurrerint, ut intra ſta-
tutos dies uendi non ualeant, adhibenda ſollicitu
do eſt, ut dum ſaluti fuerint priſtinæ reſtituta, ſimi
liter modis omnibus diſtrahantur, quia rem quæ
culpa caret, ad damnũ uocari non conuenit. Quo
niam uero quotiens nouum quid ſtatuitur, ita ſo- B
let futuris formam imponere, ut multis diſpendijs
præterita non cõmodent, ſi qua apud eos manci-
pia de emptione anni præteriti remanſerunt, uel à
uobis nuper ablata ſunt, dum apud uos ſunt poſi-
ta, ea habeant alienandi licentiã, ne detrimentum
ante prohibitionẽ poſſint ignorantes incurrere,
quod eos dignum eſt poſtmodum uetitos ſuſtine
re. Nunciatũ pręterea nobis eſt ſupraſcriptũ Baſi-
lium filijs ſuis deo propitio Chriſtianis quædam
mancipia ad hoc uelle titulo donationis concede
re, ut ei huius occaſionis obtentu, domini ſolũmo
do nomine ablato deſeruiãt, & poſt hoc ſi ad Ec-
cleſiam confugiendũ fore crediderint, ut fieri de-
beant Chriſtiana, non in libertatem, ſed eorũ do-
minio, quibus antea donata ſunt, uendicentur. In
qua re fraternitatem ueſtram decenter conuenit C
uigilare. Et ſi qua filijs ſuis mãcipia donare uolue-
rit, ut cuncta fraudis tollatur occaſio, fiant modis
omnibus Chriſtiana, & in domo eius nõ maneãt,
ſed cũ res exegerit, ut eorũ debeat uti ſolatijs, hoc
illi iubeantur impendere, quod etiam à ſuis filijs
ei decet, & propter deum conuenit exhiberi.

Gregorius Chriſanto epiſcopo Spoletano.
De monachis ab eo non defenſis. Cap. XXXVI

CVm ſit proprium diſciplinæ ab illicitis pro- Epiſt.36
hibere, & exceſſus culpas ſalubriter reſeca-
re, ſtudioſe eius ſeruanda cenſura eſt. Nam ſi ne-
gligitur, cuncta in confuſionem deueniunt, dum
alter deſtruit, quicquid ea cuſtodiendo alter ædi-
ficat. Valẽtinus itaq; presbyter queſtus eſt nobis,
quia ſi monachus monaſterij ipſius exigente cul- D
pa fuerit communione priuatus, ad loca ueſtra ſe
conferat, & cõmunionem ſine aliqua reſeruatio-
ne percipiat. Quòd ſi ita ſe res habet, quoniã non
ſolum regularis ordo diſſoluitur, ſed etiam perdi-
tionis ex hoc materia miniſtratur, qui ſub uobis
ſunt presbyteris diſtrictè ac ſollicitius interdice-
re uos neceſſe eſt, ut hoc facere de cætero non pre
ſumant. Sed ſi fortè iniuſtè ſe excõmunicatũ quis
queritur, fraternitas ueſtra & ſubtili indagatione
cognoſcat, & ita cauſam cognita ueritate diſpo-
nat, ut nec iniuſtitia diu inſontis afflictione præua
leat, nec diſciplinæ uigor aut frãgi, aut ex indiſcre
ta ualeat præſumptione diſſolui. Et pariter ſupra-
ſcriptus presbyter nobis queſtus eſt diaconem
quendam duo iuris ſui ſub hac conditione manu-
miſiſſe

misisse mancipia, ut monachi fieri, & in eodē monasterio debuissent, ubi ipse fuerat, permanere, adijcientem ut si quis cōtra facere præsumpsisset, fugo iterum seruitutis per omnia subderetur, atq; unum ex eis hanc omnino cōditionem despexisse, & monasterium temerario ausu deseruisse, atq; se inter clericos sociasse. Fraternitas igitur uestra & hoc subtili indagatione discutiat, & si ita reperit, sic sacerdotali se zelo hac in re decenter exhibeat, ut nec illi monasteriū deserendi facultas sit, & manumittentis uoluntas nihilominus conseruata, aliqua præteriri excusatione non ualeat.

Gregorius Anthemio subdiacono.
De Mauro multis debitis obligato. Cap. XXXVII

Epist.37 MAurus præsentium portitor in quadringentis solidis quasdā merces à Felice uiro memorādo se asserit suscepisse, atq; promisisse sex siliquas per solidum lucri causa persoluere precij. Qua lucri quantitate in unū congesta, duas se cautiones, id est unam de quadringentis quinquaginta, & alterā de quinquaginta solidis emisse, spondens certo tempore quod debeat exsoluere. Sed quia, ut perhibet, in eisdē mercibus passus est non leue dispendium, & restitutis quadringentis decē solidis quod reliquum lucri est implere compellitur, atq; ex hoc maiori se necessitati ac potius desperationi ingemit subiacere, & propterea aliquo sibi subueniri petit auxilio: experientia tua, si ita est, apud magnificū filium nostrum unà cum reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Fortunato, ac glorioso filio nostro Maurētio magistro militū, quia & ipsi scribimus, agere studeat, ut hac in re, sicut Christianū decet & nobilem, plus benignus q̄; rigidus, plus misericors esse debeat q̄; districtus, et lucrū de damno alterius non expectet, sed recepta precij sit sorte contentus, quatenus quicquid pauperi cesserit, omnipotens ei deus multiplicata, sicut promisit, restitutione compensēt. Ita ergo studiose experiētia tua agat, ut illi modis omnibus hoc pro mercede ipsius imponere, & hunc ab afflictione possit obligationis exuere.

Gregorius Romano defensori Siciliæ.
De Gaudiosi penuria sustentanda. Cap. XXXVIII

Epist.38 DIuinorum nos admonent eloquia præceptorum, necessitatem patientibus, Ecclesiasticū præbere subsidium. Quia ergo dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus Gaudiosum defensorem sedis nostræ, qui Syracusis degere comprobatur, paupertatis asseruit inopia constringi: idcirco experientiæ tuæ præsentium authoritate mandamus, ut à præsenti secunda indictione sex solidos annis singulis ei dare non differas, ut & ille huius remedij solatio potiatur, & tu quod dederis tuis sine dubio noueris rationibus imputandum.

Gregorius Romano defensori, Fantino defensori, Sabino subdiacono, Adriano notario, Felici subdiacono, Sergio defensori, Bonifacio defensori, aparibus & sex patronis. Vt episcopi cum mulieribus non habitent. Cap. XXXIX

Epist.39 QVia sicut cauta prouisio culparum uias obstruere, & nouit quæ sunt noxia declinare, ita neglectus patet excessibus, & quæ sunt cauenda solet incurrere, magnam sollicitudinis oportet curam impendere, & fratrum sacerdotūq; nostrorum opinioni pariter & cautelę prospicere. Peruenit autem ad nos quosdam episcoporum sub prętextu quasi solatij in una domo cum mulieribus cōuersari. Et ideo ne per hoc aut subsannatoribus iusta obtrectationis detur occasio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis assumat, huius tibi serie præceptionis injungimus, ut strenuum te studeas ac sollicitum exhibere. Et si qui episcoporū, quos cōmissi tibi patrimonij finis includit, cū mulieribus degunt, hoc omnino compescas, & de cętero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis quas sacrorum canonum censura permittit, id est matre, amita germana, & alijs huiusmodi, de quibus praua non possit esse suspitio. Melius tamē faciunt, si etiam à talium se cohabitatione contineant. Nam legitur q̄ beatus Augustinus nec cum sorore habitare consueuerit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo uiri cautela magna nobis debet esse instructio. Nam incautæ prę sumptionis est, quod fortis pauet, minus ualidum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis. Et quidem nos nullos in hoc nolētes adstringimus, sed sicut facere solent medici, & si ad tempus tristē curam, tamen pro salute dictamus. Et idcirco necessitatē non imponimus, sed si imitari doctum sanctumq; uirum elegerint, ipsorum uoluntati relinquimus. Tua igitur experientia, ut seruari debeāt quæ prohibenda mandauimus, studium & sollicitudinem gerat. Nam si aliter postmodum inueniri contigerit, non leue se apud nos nouerit periculum incursuram. Præterea curæ tuæ sit eosdem fratres nostros episcopos adhortari, ut subiectos sibi in sacris uidelicet ordinibus constitutos, quod ipsi seruant, ad similitudinem sui modis omnibus seruare cōmoneant. Hoc tantummodo adiecto, ut hi, sicut canonica decreuit authoritas, uxores quas castè debent regere, non relinquant.

Gregorius Romano defensori.
De Calixeno filio Stephaniæ. Cap. XL

MEnse Nouembrio præsentis secundæ indictionis, experientiæ tuæ præceptione nostra mandauimus, ut Calixeno filio Stephanię domum Catinæ possessionis, quam Ammonia auia eiusdem Calixeni Ecclesiæ nostræ facta donatione contulerat, reddere ei donationē eandem tandem debuisses. Quod hac, ut dicitur, excusatione facere distulisti, quia notitia eiusdem donationis non esset de pollicitis caraxata. Quod incongruè te dixisse cognoscas, dum ad munitionē tuam prę cepti nostri pagina posset ualde sufficere. Proinde præsenti autoritate suscepta, prædictā domū & donationē antefato Calixeno orphano sine mora restitue. Nam quod iustum & ipse sentias nouimus, & nos tamē prędicto eidem orphano supradictam domum ex benignitate largimur. Epist.40

Gregorius Agilulpho regi Longobardorum.
Gratias agit de pace facta. Cap. XLI

Epist. 41 GRatias excellentiæ uestrę referimus, quia petitionem nostram audientes, pacem quæ utrisq; esset partibus profutura, sicut de uobis confidentiam habuimus, ordinastis. Ex qua re excellentiæ uestræ prudentiam & bonitatem ualde laudauimus, quia pacem diligẽdo, deum uos, qui author est ipsius, amare mõstrastis. Nam si, quod absit, facta non fuisset, quid aliud agi habuit, nisi ut cum peccato & periculo partium, miserorum rusticorum sanguis, quorum labor utrisq; proficit, funderetur? Sed ut prodesse nobis eandẽ pacẽ sentiamus, quemadmodum à uobis facta est, paterna charitate salutantes petimus, ut quotiens se occasio dederit, ducibus uestris per diuersa loca, & maximè in his partibus constitutis, uestris præcipiatis epistolis, ut hanc pacem, sicut promissum est, purè custodiant, & occasiones sibi aliquas non quærant, unde aut contentio quædam, aut ingratitudo nascatur, quatenus uoluntati uestræ amplius agere gratias ualeamus. Latores uero præsentium, sicut re uera homines uestros, in eo quo decuit affectu suscepimus, quia iustum fuit ut uiros sapientes, & qui pacem factam deo propitio nunciauerunt, cum charitate & suscipere & dimittere deberemus.

Gregorius Theodelindæ Longobardorum reginæ. Gratias refert de pace facta. Cap. XLII

Epist. 42 QVia excellentia uestra ad faciendam se pacem studiosius et benignè, sicut solet, impenderit, renunciante filio nostro Probo abbate cognouimus. Neq; enim aliter de Christianitate uestra fuerat confidendum, nisi quia in causa pacis laborem & bonitatẽ uestram modis omnibus monstraretis. Vnde omnipotenti deo gratias agimus, qui ita cor uestrũ sua pietate regit, ut sicut rectam fidem tribuit, ita quoq; placita sibi uos semper operari cõcedit. Non enim excellentissima filia de sanguine qui ab utraq; parte fundẽdus fuerat, parua te credas acquisisse mercedem. Ex qua re uoluntati uestrę gratias referentes, dei nostri misericordiam deprecamur, ut bonorũ uobis uicem in corpore & in anima hic & in futuro compenset. Salutãtes præterea paterna dilectione hortamur, ut apud excellentissimum coniugem uestrum illa agatis, quatenus Christianæ reipublicæ societatẽ non renuat. Nam sicut & uos scire credimus, multis modis est utile si se ad eius amicitias cõferre uoluerit. Vos ergo more uestro, quę ad gratiam partium pertinent, semper studete, atq; ubi causa mercedis se dederit laborate, ut bona uestra amplius ante omnipotentis dei oculos commendetis.

Gregorius Felici in Sicilia.
De reuerentia & iustitia Ioannis episcopi.
Caput XLIII

Epist. 43 CVm reuerendissimi fratris nostri Ioannis episcopi bene nobis nota sit grauitas, mirari nos gloriæ uestræ ualde fecit epistola, quòd nihil eum secundum admonitionẽ nostram facere uoluisse significabat. Et quidem durum nobis uidebatur, aut uobis non credere, aut de illo talia suspicari, quippe cuius cogniti nobis mores & actio tale non permittebant habere iudicium. Cùm ergo noster animus dubius in utroq; penderet, comperimus eum inter uos & Ecclesiã suam uoluisse esse iudicium, sed uestrã magis gloriã distulisse. Quod negare neq; homo uester lator præsentium potuit. Et contristati sumus cur gloria uestra quæ iudiciũ refugit, contra eum queri uoluerit, postquam constat quia quod ratiõis fuit, uel ultro, ut scripsimus, obediuit. Nec ei scribere iterum necessarium erat, ne distulisse prius secundum animum uideretur. Sed ne uos cõtristare forsitan uideremur, exabundanti rursus præuidimus scribẽdum. Et quoniam certi sumus quia quicquid æquitas ordinauerit, facere non recuset, oportet ut gloria uestra animos suos contra eius inuidiam non accendat, sed studeat inire iudicium, in quo una eademq; cognitione & momenti & proprietatis causa ualeat distingui. Nam nos uenire ad iudicium cupienti, præiudicialiter scribere quędam non possumus, quia ita nos uni parti accõmodare decet auditum, ut tamẽ alteri, præsertim inauditæ allegationis, sine dubio rem integram reseruemus. Et ideo agite, sicut diximus, ut negotiorũ uestrorũ merita ueritate cognita iudicij censura definiat. Nam dum nullum uelimus præiudiciũ sustinere, multo magis uobis, sicut reuera filijs, uolumus seruari quod iustum est.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
De possessionibus iniustè peruasis. Cap. XLIIII

Epist. 44 ANte aliquantum temporis filius noster uir gloriosus Felix, suis nobis epistolis questus est, quarundam possessionum suarum fines abhominibus Ecclesiæ uestræ uiolenter esse peruasos, & nullam se apud uos inuenire iustitiam. Sed nobis incredibile uisum est, hoc aut uobis esse præsentibus perpetratum, aut certè si ad aures uestras peruenit, non fuisse correctũ. Ne tamen eius prætermittere querimoniam uideremur, fraternitati uestrę scripsimus, ut aut ea si uera essent compesci, aut certè actores Ecclesiæ suæ cũ eo facere iubire iudicium. Post hæc uero hominem cum epistola ad nos dirigens, indicauit nihil uos facere uoluisse. De qua re, scientes sanctitatis uestræ discretionem, dum noster animus dubitaret, comperimus illum magis distulisse. Nam uos paratos extitisse, ut debuisset esse iudicium. Et quamuis hac de causa denuo uobis non fuerat scribendũ, quippe quia ea quæ rationis sunt, antè uos manifestum est facere uoluisse, tamen ne querelam ipsius neglexisse forsitan uideamur, hanc ad uos idcirco epistolam dedimus, hortantes ut cum eo etiam nunc mora postposita, uestros ad iudicium homines transmittatis, in quo & monẽti & proprietatis ualeat quęstio terminari, ut posthac nec ille habeat ꝗd queratur, nec Ecclesia uestra tenere aliquid præiudicialiter uideatur. Quia uero homo quem ad nos misit, schedam compromissi ac iudicati protulit, ubi legebatur possessionẽ eam quæ Asinaria dicitur, quam ab hominibus uestris inuasam nuper asseruit, decessoris uestri recordandæ memoriæ Maximiani temporibus esse ex iudicio restitutã, necessarium esse præuidimus eius exemplar transmittere

mittere, & ideo si ita actũ manifestè cognoscitis, si possessio ipsa decessore uestro consentiente restituta est, & à dicto uiro possessa, sine aliqua eam facite contentione restitui, manente scilicet proprietatis, sicut in eodem iudicio cõstitutũ est quæstione. Si uero aliter est, & hoc pariter iudicij necesse est diffinitione distingui. Hæc igitur omnia ita fraternitas uestra indita sibi tranquillitate sine aliqua mora fieri prouideat, quatenus nec contra uos murmur excitetur inuidiæ, nec uobis prædictus uir importunus denuo cogatur existere.

Gregorius Sergio defensori.
De Panthaleone notario, & substantia auunculi eius. Cap. XLV

Epist.45 QVia Panthaleo notarius sit in Ecclesiasticis utilitatibus occupatus, experientia tua non habet incertum. Et ideo quia Ioannes auunculus Megalis socrus ipsius nullo alio proximiore existẽte obisse intestatus, & sine filijs memoratur, ne per absentiam generi sui illa damnum possit incurrere: quia, si ita est, lex prædictam mulierem ad intestati auunculi successionem uocare dinoscitur, hac tibi præceptione iniungimus, ut reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum Vitalianum atq; Bonifacium notarium in solatio tuo adhibeas, & quascunq; res eum qui defunctus est cõstiterit reliquisse, sub breui annotari, quousq; prædictus Panthaleo redeat, in totum studiose facere debeas. Quod ut melius possis implere, filium nostrum Ioannẽ uirum memorandum tribunum in tuo pariter stude adhibere solatio. De quo omnino confidimus, quia si ei uoluntatem nostram prodideris, deuotè se tibi accõmodare non deneget. Pariter etiam studij tui sit, quoniam quædam apud se sacrata prædictus Ioannes habuisse ministeria perhibet, & ea diligenter inquirere, & cum omni cautela in tutum facere, nobisq; subtiliter quicquid inuentum fuerit indicare. Ita ergo experientia tua, hæc quæ scripsimus facere sollicitè ac urbanè festinet, ut non possit esse culpabilis. Nam si negligendum esse putaueris, ita te nostros noueris motus incurrere, ut nulla te postmodũ possis excusatione defendere.

Gregorius Sabino subdiacono.
De Bonifacio episcopo à clero suo accusato.
Caput XLVI

Epist.46 CLerus Ecclesiæ Regitanæ multa contra reuerendissimũ fratrem nostrum Bonifacium episcopum suum data nobis petitione cõquestus est, petens ut ad nos debuisset habere ueniendi licentiam, quatenus causæ ipsæ hìc subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum hìc modo non præuidimus deducẽdum, uisum nobis est illic deputare causam eandem cognoscendam. Et ideo medijs sacrosanctis euangelijs experientia tua, unà cum Paulino, Proculo, Palumbo uel Venerio, atq; Martiano reuerendissimis fratribus coepiscopisq; nostris sine cuiusquã personæ respectu, tam clericorum querela, quam aduersus suum, sicut diximus, habent episcopum, uel si quam fortè ille contra eos habuerit, cum omni æquitate ac sollicitudine perscrutetur. Et quic-

A quid in ueritate cognouerit, nobis unà cum prædictis fratribus nostris subtiliter diligenterq; significet, ut renũciatione uestra reddìti certiores, quid fieri debeat decernamus.

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.
De cura pastorali. De eo quòd non rectæ fidei homines ad sacros ordines minimè prouehi debeant. Et de obseruatione quatuor conciliorum. Et de damnatione Pelagij & Celestini.
Caput XLVII

FRaternitatis tuæ scripta suscepi, professionẽ fidei rectæ seruantia: magnasq; omnipotenti deo gratias retuli, qui & immutatis gregis sui pastoribus, fidem quam semel sanctis patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit. Prædicator autẽ egregius dicit: Fundamentũ aliud ne- 1.Cor.3
B mo potest ponere præter id quod positũ est, quod est Christus Iesus. Quisquis ergo cum dilectione dei & proximi, fidei quæ in Christo est, firmitatẽ tenet, eundem Iesum Christum dei & hominis filium apud se posuit fundamentũ. Sperandũ ergo est, q; ubi Christus fundamentũ est, bonorũ quoq; operum sequatur ædificium. Ipsa quoq; per se ueritas dicit: Qui non intrat per ostium in ouile o- Ioan.10
uium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem per ostium intrat, pastor est ouiũ. Qui paulopost subijcit dicẽs: Ego sum ostium. Ille ergo ad ouile ouium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christũ ingreditur, qui de eodem creatore ac redemptore humani generis uera sentit & prædicat, & prædicata custodit. Cul-
C men regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorij honoris. Curę quoq; suscepti ouilis solerter inuigilat, ne oues dei aut peruersi homines praua loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta uitiorum suadentes deuastẽt. Certe beatum Iacob qui pro uxoribus suis diu seruierat, dixisse meminimus: Viginti annis fui tecũ, oues tuæ & capræ tuæ ste- Gen.31
riles non fuerunt. Arietes tui gregis non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi. Ego damnũ omne reddebam, quicquid furto perierat, à me exigebas. Die noctuq; æstu urebar et gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat & uigilat qui pascit oues Laban, quanto labori, quantisq; uigilijs debet intendere, qui pascit oues dei? Sed in
D his omnibus ipse nos instruat, qui propter nos homo factus est, qui dignatus est fieri quod fecit. Ipse & infirmitati meæ, & tuæ charitati spiritum sui amoris infundat, atq; in omni sollicitudine custodiat, circumspectionis oculum nostri cordis aperiat. Quòd uero ad sacros ordines rectæ fidei uiri perducantur, eidem omnipotenti deo gratiæ sine cessatione soluendæ sunt, & pro uita pijssimi & Christianissimi domini nostri Imperatoris, & tranquillissima eius coniuge, & mansuetissima sobole semper orandũ est, quorũ temporibus hęretico rum ora conticescunt, quia etsi eorũ corda in insania peruersi sensus ebulliunt, Catholici tamen Imperatoris tempore praua quæ sentiũt, eloqui non præsumunt. Pręterea dum de sanctorũ conciliorũ custodia tua fraternitas loqueretur, sanctã Ephe-

ſinam ſynodū primā ſe cuſtodire profeſſa eſt. Sed quia ex annotatione hæretici codicis, qui ad me ex regia urbe tranſmiſſus eſt, agnoui hoc ꝙ quædam capitula catholica cum hæreticis fuerant reprehenſa, quia quidam illam Epheſinam primam ſynodū in eadem urbe exiſtimant, quæ quondam ab hæreticis traditur eſſe cōpoſita, omnino neceſſe eſt ut charitas ueſtra eandem ſynodū apud ſanctam Alexandrinā atq; Antiochenā Eccleſiam requirat, & qualiter in ueritate ſe habeat, inueniat. Vel ſi placet, hinc dirigimus quæ ab antiquitate ſeruata in ſcrinijs habemus. Illa enim ſynodus quę ſub primæ Epheſinæ imagine facta eſt, quædam in ſe oblata capitula aſſerit approbata, quæ ſunt Celeſtini atq; Pelagij prædicamenta. Et cùm Celeſtinus atq; Pelagius in ea ſynodo ſint dānati, quomodo poterant illa capitula recipi, quorū damnabantur autores? Quia uero peruenit ad nos in Orientis Eccleſiis nullū ad ſacrū ordinē niſi ex præmiorū datione peruenire, ſi ita eſſe ueſtra fraternitas agnoſcat, hanc primam oblationem omnipotenti deo offerat, ut à ſubiectis ſibi Eccleſiis errorem ſimoniacæ hæreſeos compeſcat. Nam, ut alia taceam, quales eſſe in ſacris ordinibus poterunt, qui ad hoc non merito, ſed præmijs euehuntur? Omnipotens deus dilectionem tuam gratia cœleſti cuſtodiat, et de ijs qui ſibi cōmiſſi ſunt, fructum multiplicem ac menſuram ſuperaffluentem ad æterna gaudia reportare concedat.

Gregorius Bonæ abbatiſſæ. De monaſterio eius in melius tranſmutando. Cap. XLVIII

Epiſt. 48 Eccleſiaſtica damnū non ſentit utilitas, ſi res alijs competentes cognita ueritate reſtituantur. Cognouimus itaq; Ioannem quondam preſbyterum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui authore deo deſeruimus, in domo iuris ſui poſita in hac urbe Roma iuxta thermas Agrippinas oratoriū cōſtruxiſſe, atq; illic quoſdam redditus legati titulo reliquiſſe, in quo etiam oratorio ſeruorū dei congregationem eſſe conſtituit. Et hæc omnia ut debuiſſent impleri, teſtamēti ſui pagina ſanctæ memoriæ Pelagio deceſſori noſtro mandauerat. Sed quia morte occupatus hoc non occurrit implere, & domus ipſa cum horto ſuo ab actoribus noſtræ Eccleſiæ detinetur, iuſtitiæ nos ratio uehementer incitat, huiuſmodi piæ diſpoſitionis arbitrium adimplere. Sed quoniam illic pro difficultate temporis noua ſeruorum dei congregatio adhiberi non potuit, fœminarum ſaltem ibi congregationē conſtituendam eſſe decernimus, atq; ideo & locum ipſum ſolenniter dedicare. Et quia monaſterium tuum, ubi prius fuiſti, in ruinæ erat periculo conſtitutum, te illic cum congregatione tua conſiſtere deo annuente perſpeximus, quatenus & in ſuprascriptæ domus monaſterio iuxta uoluntatem defuncti, domino redemptori noſtro ſeruiens habitare cōgregatio debuiſſet, & imminens potuiſſet periculū euitare. Præterea conſiderantes antedicti presbyteri uoluntatē, perpetuo illic tempore monaſteriū eſſe, atq; ad eandem domū in integro cum horto ſuo & rebus inferius deſignatis, quæ à teſtatore relictæ ſunt, proprietatis iure conſtituimus pertinere, id eſt, maſſam Magulianēſem cū appendicijs ſuis uia Numentana miliario plus minus. xi. tabernam in hac urbe quæ eſt poſita iuxta Palatiniſios, & Salgamū poſitū ante domum ſu pradicti monaſterij. His igit̄ ita cōceſſis atq; diſpoſitis, dilectio tua diligenter inuigilet, ut & dei illic laudes ſalubri ſtudio deuotiſſimè, ut moris eſt, celebrentur, & ſupradictæ res ad ius ipſius pertinentes, nulla te negligēte occaſione depereant. Hanc enim ſollicitudinē non ſolum te, ſed etiam eas quæ loco tuo ſucceſſerint, in prædicto monaſterio & rebus ſuperius deſignatis conſtituimus nihilominus exhibere.

Gregorius Mariniano archiepiſcopo Rauennæ. De Ariminenſi Eccleſia propter infirmitatem epiſcopi deſtituta. Atq; hortatur ciues alium eligere. Cap. XLIX

Epiſt. 49 Qualiter ordinati à nobis ſacerdotis, corporis qua noſtis impediente moleſtia, Ariminēſis Eccleſia paſtorali hactenus ſit regimine deſtituta, dudum fraternitas ueſtra cognouit. Quem dum habitatorū loci illius precibus permoti ſæpius hortaremur, ut ſi de eadem capitis qua detinebatur moleſtia, melioratum ſe eſſe ſentiret, ad ſuam auxiliāte domino, reuerteretur Eccleſiam, datis inducijs in hoc quadriennio expectatus eſt. Quem dum monitu cleri ciuiumq; illinc uenientium, noſq; precibus arguentium, inſtantius hortaremur, ut ſi ualeret, cum eis auxiliante domino remearet, data in ſcriptis ſupplicatione nos petijt, ut quia ad eiuſdem Eccleſię regimen uel ſuſceptū officiū pro eadē qua detinetur moleſtia aſſurgere nullatenus poſſit, Eccleſiæ ipſi ordinare epiſcopū deberemus. Vnde quia cunctarū Eccleſiarum iniuncta nos ſollicitudinis cura conſtringit, ne diutius gregi fideliū deſit cuſtodia paſtoralis, illorum precibus huiuſq; ex ſui impoſſibilitate renunciatione cōpulſi, uiſum nobis eſt eidē Ariminēſi Eccleſiæ debere epiſcopū ordinari, & datis ex more præceptis, clerū plebemq; eiuſdem Eccleſiæ non deſtitimus admonere, quatenus ad eligendū ſibi antiſtitem concordi prouiſione concurrant. Hortamur igitur ut fraternitas ueſtra eum quem uno conſenſu omnes elegerint, ſicut & ipſi à nobis poſciſſe noſcuntur, ad ſe faciat euocari, quem cauta ex omnibus examinatione diſcutite. Et ſi ea in eo quæ in textu heptatici morte mulctati ſunt, minimè domino fuerint opitulante reperta, atq; fidelium perſonarū relatione eius nobis quidem uita placuerit, ad nos eum cum decreti pagina ueſtræ quoq; addita teſtificatiōis epiſtola deſtinate, quatenus eiuſdem à nobis Eccleſiæ diſponente domino conſacretur antiſtes.

Gregorius Leoni epiſcopo in Corſica. Propter infirmitatem epiſcopi ſui præcipit alium eligendum. Cap. L

Epiſt. 50 Paſtoralis nos cura cōſtringit, Eccleſiis ſacerdotis moderamine deſtitutis, ſollicita conſideratiōe cōcurrere. Et ideo qa Eccleſia ueſtra diu ſacerdotis proprij, corporis qua noſtis impediēte moleſtia, paſtorali eſt regimine deſtituta, ueſtris precibus

precibus permoti, eundem episcopum non destimus admonere, ut si ex eadem molestia se melioratū esse sentiret, ad suscepti sacerdotij debuisset remeare ministeriū. Qui semel à nobis sæpius ue cōmonitus, eadem urgēte molestia, nūc in scriptis nobis supplicatiōe porrecta noscit intimasse nullatenus se ad regimen eiusdem Ecclesiæ uel susceptum officium, impediente molestia assurgere posse. Qua personę eius desperatione cōpulsi, necessarium duximus de ordinatione nos eiusdem Ecclesiæ cogitare. Hortamur ergo ut uno omnes eodemq; consensu, remoto strepitu, talem uobis præficiendum eligatis auxiliante domino sacerdotem: qui & à uenerādis canonibus nullatenus respuatur, & tanto ministerio dignus ualeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cū solennitate decreti, omnium subscriptionib. roborati, & uisitatoris pagina prosequente, ad nos ueniat ordinandus: quatenus Ecclesia uestra, disponente domino propriū ualeat habere sacerdotem. Volumus autem ut eum quem unanimitas uestra elegerit, ad fratrem & coepiscopum nostrum Marinianū Rauennā sine dilatione aliqua perducatis, ut abro subtiliter inquisitus atq; perspect⁹, ipsius quoque ad nos ueniens testimonio roboretur.

Gregorius Leoni episcopo in Corsica. De eligendo episcopo in Arimino. Cap. LI

Epist.51 PAstoralis nos cura constringit, ecclesiis sacerdotis moderamine destitutis, sollicita cōsideratione cō currere. Et ideo, quia Ariminensis Ecclesia cui fraternitas uestra uisitationis impendit officium, diu sacerdotis proprij, corporis qua nostis, impediēte molestia pastorali est regimine destituta, cleri uel ciuiū precibus permoti, eundem episcopum non destitimus admonere, ut si ex eadem molestia se melioratum esse sentiret, ad suscepti sacerdotij debuisset ministerium remeare. Qui semel à nobis sæpius ue cōmonitus, eadē urgente molestia nunc in scriptis nobis supplicatione porrecta noscitur intimasse, nullatenus se ad regimen eiusdem Ecclesię uel susceptum officiū impediente molestia assurgere posse. Qua personæ eius desperatione compulsi, necessariū duximus de ordinatione nos eiusdē ecclesiæ cogitare. Hortamur ergo ut clerū, plebemq; ecclesiæ eiusdē sollicita debeatis admonitione cōpellere, ut sibi cū domini auxilio talem præficiendum eligant sacerdotem, qui & aptus tanto ministerio ualeat inueniri, & à uenerādis canonib. nullo modo respuat. Qui dum fuerit postulatus, cū solennitate decreti, omniū subscriptionib. roborati, uestrarū quoq; testimonio literarū huc sacrandus occurrat, quatenus Ecclesia ipsa proprium, auxiliante domino, habere ualeat sacerdotem.

Gregorius Anthemio Campano subdiacono. De testamento Importuni Attellanæ ciuitatis episcopi. Cap. LII

Epist.52 QVorundam ad nos relatiōe peruenit, quòd Importunus Attellanæ ciuitatis episcopus, dum de hac luce migraret, condito testamento in octo uncijs totius substātiæ suæ nurū suā hæredē instituerit, & ecclesiam suam in residuis quatuor.

A Hortamur ergo experientiam tuā, ut sollicita inquisitiōe discutias, & quicquid Ecclesię ipsius esse patuerit, à qualibet persona detineri nullaten⁹ patiaris, nisi hoc solum quod eum ante episcopatus ordinem proprium habuisse cōstiterit. Quicquid uerò uel antè Ecclesiæ ipsius esse cognoueris, uel in episcopatus ordine prædictum episcopū acquisisse, in eiusdem Ecclesię cōseruetur dominio, nec quisquam exinde aliquid usurpare qualibet occasione præsumat. Clerū uerò plebemq; eiusdē Ecclesię cum omni te uolumus instantia cōmonere, quatenus præficiendum sibi sine dilatione aliqua eligant sacerdotē, qui clerū plebemq;, uel res Ecclesiæ ipsius, cauta regulariq; ualeat obseruatione B disponere. Pariter etiam clerum, plebemq; ipsius Ecclesiæ, uel aliarum quæ ei unitæ sunt coràm instantius cōmoneto: quatenus & ipsi omni mora dilationeq; postposita, aptū sibi eligere debeant sacerdotem, ne diu, & tali præsertim tempore, pastoris proprij sint regimine destitutæ.

Gregorius Secundino seruo dei incluso. De insidijs antiqui hostis. De Chalcedonēsi synodo omnimodè recipienda. De Iba & Cyrillo. De ordinatione apostolicæ sedis. De sacerdotali officio post lapsum, si pœnitentia secuta fuerit, in pristinū gradum restituendo. De munerib. ab eo transmissis. De paruulorū animabus, quæ sine baptismo moriuntur. Et de imaginib. transmissis. Cap. LIII

DIlectiōis tuæ scripta suscepi, quæ in meo sen Epist.53
su, amoris melle condita sapuerūt. O quanC ta aspiratione uitæ plena sunt, quæ per gratiā spiritus proferuntur? Non in eis cultus eloquentiæ, non uerborum typhus apparebat, sed solam ueritatis atque charitatis radicem tenentia, per omne quod locuta sunt, cœlestis patriæ amorem flagrabant. In eis uerò tua à me dilectio petere studuit, ut ad hanc libellum exhortatorium scribere deberem. Sed scire te necesse est, fili charissime quia tantis podagræ doloribus, tantisq; curarum tumultibus premor, ut quamuis nunquam me aliquid fuisse reminiscar, ualde tamen me uideā non esse qui fuerim. Quòd autem tua se charitas & ultra ætatem quinquagenariam adhuc iuuenilibus desiderijs asserit subiacere, in hoc quoq; diuini oraculi implet præceptum, quo scriptum est. Iustus Prou.18
D in principio accusator est sui. Nec tamen dubito maiores te insidias hostis callidi perpeti, qui maiora contra eū bella præparasti. Tanto quippe ille deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto te cœlesti patriæ feuentius inhiare cognoscit. Et nos quidem qui uitam cum pluribus ducimus: & si formidolosi ac timidi, tamen quia contra antiquum hostem bella proposuimus, quasi in acie stamus. Vos autem qui solitariam uitam ducitis, quid aliud quàm monachos dixerim, qui feruore uirtutis etiam ante aciem exire festinatis? Cur ergo eum non singulariter hostis impetat, à quo se impeti singulariter spectat? Et nos quidē qui inter homines uiuimus, sæpe per homines à callido hoste tentamur. Vos autē qui uiam uitæ præsentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto maiora certamina pati necesse est, quāto ad uos ipse

tentationum magister accedit. Neq; enim uacare orationibus ac laudib. dei sine aliqua interruptione temporis potestis: quia & si intentio continuè prompta est, ipsa tamẽ humanitatis infirmitas ad semetipsam relabitur, ut aliquãdo fessa iaceat, atque ab studij exercitatione torpescat. Antiquus uerò hostis mox ut ociosam mentẽ inuenerit, ad eam sub quibusdam occasionib. locuturus uenit, & quædam ei de gestis præteritis ad memoriam reducit, audita quondam uerba indecenter cogitationi resonat, & si qua dudum turpiter acta sunt, eorum species oculis cordis apponit, ut quem de præsentibus non ualet inquinare, de malis transactis uiolet. Et decepta mens sæpe inde delectationem reparat, unde diu iam se per pœnitentiã afflixit: ita ut uerè cum Psalmista dicat: Computruerunt & deterioratæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Cicatrix quippe figura est uulneris, sed sanati. Cicatrix ergo ad putredinem redit, quãdo peccati uulnus, quod iam per pœnitentiã sanatum est, in delectatione sui animum concutit. Sæpe quod nunquam fecimus, per hostis callidi insidias cordis oculis uidemus. Cunq; insensibiliter in hoc delectatio surripit, quãuis iam plangat quæ fecerat, tædet tamen infelicem animũ quædam nõ fecisse quę plangat. Hę sunt cordis nostri tenebrę, quas in hac uita uolẽtes nolẽtesq; sustinemus. Quis cõtra hæc quærẽdus est, nisi adiutor in opportunitatib. in tribulatione? Valde aũt libenter accepi q̃ tua me charitas de sua dubitatione requisiuit, an Orientales Ecclesiæ, fidem atque doctrinam sanctæ memoriæ Leonis sequantur, ne fortasse earum sensus inter semetipsas pro trium capitulorum defensione diuisus sit. Vnde certam dilectionem tuam esse desidero, quia prædictæ sanctissimæ Orientales ecclesię uno sensu, una doctrina, fidem eiusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent, sanctamq; Chalcedonensem synodum ita nobiscum custodiunt atque uenerantur, ut nullus esse episcopus reputetur, qui eiusdẽ synodi defensor sectatorq; non fuerit. Hinc est etiã quòd quotiens in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas uicissim mittant, in quibus se sanctã Chalcedonensem synodum cum alijs generalibus synodis custodire fateantur: sicut & nos auersamur, atq; anathemate plectendos ducimus, qui de fide eiusdem synodi aliquid minuere, uel aliquid in ea addere præsumunt. Nã synodus quæ post eam generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia eiusdem synodi in omnibus sequax, honorem illius authoritatemq; custodit. Vnde necesse est ut dulcissima mihi tua dilectio in hoc quod præcipuè in bonis moribus uiuit, quòd se per abstinentiam affligit, q̃ doctrinæ dei uehementius insistit, hoc studiosius cogitet, ne errorem schismaticorum sequens, à sancta uniuersali Ecclesia diuisa possit inueniri. Et quid tot labores proderunt, si in unitate fidei inuenta non fuerint, quæ ante dei omnipotentis oculos in bonis actionib. animã præcipuè custodit? Hinc eñ dicitur: Vna est columba mea, perfecta mea. Hinc ad Moysen dominus dicit: Est locus penes me, & stabis super petram. Quis est locus qui non sit in deo, dum cũcta ab ipso per quem creata sunt continentur? Sed tamen est locus apud eum, uidelicet sanctæ Ecclesiæ unitas, in qua super petrã statur, dum cõfessionis eius humiliter soliditas tenetur. De quo loco subiungit. Tunc uidebis posteriora mea. In petra enim, id est, in sancta Ecclesia stãtes, dei posteriora uidebimus: quando iam ea quæ in fine promissa sunt cœlestis patriæ gaudia contemplabimur. Peruersi autem homines qui triũ capitulorum occasione reperta, Ecclesiasticã disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus reprehendi pertimescunt, subesse sedis apostolicæ præceptis nolunt, & nos quasi de fide reprehendũt, quã ipsi nesciunt. Et dum neq; in fide recti sunt, neq; in bonis operibus intenti, studeant ut certare pro fide uideanẽ. Sicq; fit ut quotidie deteriores fiãt, dum in eis culpa grossescit, quæ quasi de zelo feruoris uideri etiam laudabilis appetit. Sed iuxta hoc quod scriptum est: Ex operibus eorũ cognoscetis eos, uitam eorum tua charitas attendat, & meritum intentionis aspiciat. Vt enim dilectioni tuæ de eadem re breuiter loquar, sancta Chalcedonensis synodus usq; ad definitionẽ fidei, & prolationem canonum, de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem canonũ specialia episcoporum certamina sopire curauit. Epistola uerò quam in ea reuerentissimus Ibas denegat suã: q̃ in extrema parte synodi iaceat, agnoscis. Quæ uidelicet epistola Nestoriũ inauditũ, & inquisitione non facta damnatũ asserit. Cyrillũ uerò in Apollinaris dogma cecidisse suspicat. Et si totus superius textus prædictæ synodi legitur, quantum hæc epistola eidem synodo aduersetur, inuenitur: quia scilicet sancta synodus & Nestoriũ, sicut est, hæreticum denunciat, & beatum Cyrillum patrem catholicum ueneratur. Epistola ergo quæ illum defendit qui à synodo damnatus est, & illũ accusat qui à synodo ueneratur, proculdubio definitioni sanctæ synodi probatur aduersa. Sed quia eius defensores solent dicere quòd hanc Ibas eo tẽpore scripsit quo adhuc Cyrillus, ppter duodecim capitula quæ necdũ exposuerat, dubius habebatur, in ipsa hac epistola perpende: quia legit̃ q̃ inter Orientales episcopos, & beatũ Cyrillũ pax fuerit celebrata. Si ergo post concordiam pacis, post satisfactionẽ amotæ dubitationis, hæc eadẽ epistola scripta est, constat quia non est catholica, quę patrẽ catholicũ, atq; in toto synodi uolumine laudatũ, hæreticũ appellat. Hæc paucis dixi, quia ex quibus præcipuè causis hac in re dubitationẽ tua charitas habet, in epistolis nõ inueni. Et quia tua sanctitas hoc à nobis requisiuit, ut sibi de sacerdotali officio post lapsum resurgendi authoritates scriberemus, dum se dicit de hoc canonũ diuersorum diuersas sententias inuenisse: alias resurgendi, alias nequaquã posse. Ideo sanctas nos generales synodos à Nicena incipientes, hãc cũ reliquis quatuor ueneramur: quia ipsam sequẽtes, cæteræ in canonicis sentẽtijs unanimiter cõcordãt.

Exod.33

Mat.7

Primus per te dicit quia sanctitas

Cant.6

Nam

Nam & nos præcedẽtes patres sequi debem⁹, qui
authore deo, à sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaq; incipientes, usque ad quartum altaris ministrum, hanc formã seruandam cognoscimus, ut sicut minorem maior præcedit honore, ita & crimine. Et quem maior sequitur culpa, maiori plectat uindicta, & sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, & fructũ illius nõ colligere? Aut domum construere, & non illic habitare? Post dignam igitur satisfactionem credimus posse rediri
Psal.40 ad honorem, dicente propheta: Nunquid qui cadit, nõ adiiciet ut resurgat? &, Qui auersus est, nõ reuertetur? Et peccatori ait: In quacunq; die conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Vnde & Psal
Psal.50 mista ait: Cor mundum crea in me deus, & spiritũ ctum innoua in uisceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum ne auferas à me. Dum eñ petijt, ne à domino proiiceretur pro culpa sua, alienam rex propheta simul rapuisse uxorem tremefactus expauit, & propheta indicante flagitium suum, pœnitentiã agens addebat: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Si enim condignam deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam alijs prædicaret. Ait enim: Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertent. Dum enim peccata prospexit propheta mundatus per pœnitentiam, non dubitauit prædicando curare aliena, & sacrificiũ de semetipso deo offerre studuit, quum dicebat: Sacrificiũ deo spiritus contribulatus. Ad hoc ista sufficerẽt, sed omnis sententia quò plus sacræ scripturæ testimonijs confirmatur, facilius creditur. De hoc eñ
Ezec.18 propheta dicit: Nolo mortẽ peccatoris, sed ut cõuertatur & uiuat. De hoc peccãtibus dicitur: Peccator in quacunq; die conuersus ingemuerit, saluus erit: omnes iniquitates eius obliuioni tradentur. Si enim redemptor noster, qui peccatores nõ perdere, sed iustificare uenit, in obliuione peccantium delicta dereliquit, quis hominũ cõdemnan-
Rom.8 da reseruat, quum apostolus dicat: Si deus iustificat, quis est qui cõdemnet? Ad fontem misericordiæ recurrentes, euangelij proferamus sententiã.
Luc.15 Gaudeo, inquit, super uno peccatore pœnitentiam agẽte, magis quàm super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia. Et ouem perditam, nonagintanouem non errantibus relictis, humero pij pastoris ad ouile reportatã dominus ipse testatur. Si ouis perdita errans post inuentionem ad ouile humero reportatur, cur iste post pœnitentiam ad Ecclesiæ ministerium lapsus non reuocetur? Sicut in Apocalipsi dicitur, de ministerio ecclesiæ: memento unde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Quid enim est grauius, aut carnale delictum admittere, sine quo pauci inueniuntur, aut dei filium iureiurando negare? In quo uerbo hunc ipsum beatum Petrum Apostolorum principem, ad cuius sacrum corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus. Sed post negationẽ pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia data est; quia postea ab Apostolatu eum nõ expulit, qui ante quidem ipsum se negare prædixit. Tibi hæc fili charissime dicta sufficiant, ut illum quẽ conspicis delicta fletu delere, in conspectu diuinitatis nõ dubites misericordiam consequi: quia ille peccatorem reuersum non despicit, qui peccatores sanguine suo redimere uenit. De ordinationib. uerò apostolicę sedis pontificũ, utrũ post beatissimũ uirũ Hormisdã aliqua sint addita, uestra charitas requirit. Sed usq; ad Vigilij papæ tempora, expositas ordinationes præsulum esse cognoscas. Aloem uerò, thymiama, styracem & balsamum, sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præsentium deferendum transmisimus. In extremo uerò epistolæ quæsisti quid eis respondendũ sit, qui dilectionem tuã de paruulorum animabus requirunt, qui sine gratia baptismatis moriuntur, dicens: si corpus originali tenetur culpa, unde anima quę à deo datur, rea erit, quæ adhuc in actuali delicto corpori non consensit? Sed hac de re dulcissima mihi tua charitas sciat, quia de origine animæ inter sanctos patres requisitio non parua uersata est, sed utrũ ipsa ab Adã descẽderit, an certè singulis detur, incertũ remansit. Eamq; in hac uita insolubilem fassi sunt esse quæstionẽ. Grauis enim est quęstio, nec ualet ab homine cõprehendi: quia si de Adã substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si uerò cum carne non nascitur, cur in ea carne quę de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cùm hoc sit incertum, illud incertũ non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati uinculis est obstricta. Hinc enim scriptum est: Non est mundus in cõspectu eius, nec unius diei infans super terram. Hinc Dauid ait: In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Hinc ipsa ueritas dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorũ. Hinc Paulus ait: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Cur ergo infans qui nihil egit, in conspectu omnipotentis dei non ualet esse mũdus? Cur Psalmista ex legitimo coniugio prolatus, in iniquitate cõceptus est? Cur nisi qui mundatus aqua baptismatis fuerit, mundus non est? Cur in Adam omnis homo moriẽ, si originalis peccati uinculis non tenetur? Sed quia genus humanũ in parente primo uelut in radice putruit, & ariditatem traxit in ramis. Et inde omnis homo cum peccato nascitur, unde prim⁹ homo permanere noluit sine peccato. De his autem subtilius & latius loqui debueram, sed dum me & curarum tumultus premũt, & harũ portitor ut laxari debuisset importunus extitit: unde multa debui, pauca locut⁹ sum. Rogo aũt omnipotentẽ deũ, ut sua te gratia protegat, & beati Petri apostolorũ principis intercessione à malis omnibus illæsum seruet, quatenus feruor cœlestis desiderij in tua mente quotidie ardentius excrescat, ut semper nouus, & semper seipso robustior ad cœlestia præmia multiplicius percipienda pertingas. Transmisi autem duos homiliarum codices,
Psal.50
Ioan.3
1.Cor.15

dices: quas dixi in Ecclesia dum adhuc loqui præ A
ualerem: ut quia ipse te uidere, tibiq; sedulè col-
loqui non possum, charitati tuæ uel per ea quæ
scribere ualui, absens non sim. Exiguum quoque
uestimentum transmittere studui, per quod tua
charitas, quia Australi in animo calore feruet,
foris à corpore Arcturi frigus repellat. Peto au-
tem ut pro me orare enixius debeas, ut tuæ inter-
cessionis ope, & à malis præsentibus eripi, & æ-
ternis merear gaudijs præsentari. Imagines quas
tibi dirigendas per Dulcidum diaconem rogasti,
misimus. Vnde ualde nobis tua postulatio placu
it, quia illum toto corde, tota intentione diligis cu
ius imaginem præ oculis habere desideras. Ab re
non facimus, si per uisibilia inuisibilia demonstra B
mus. Sic homo qui alium ardenter uidere desi-
derat, aut sponsam amans uidere conatur, si con-
tigerit eam ad balneum, aut ad Ecclesiam ire, sta-
tim per uiam incedenti se præparat, ut de uisione
eius hilaris recedat. Scio quidem quòd imaginẽ
saluatoris nostri nõ ideo petis, ut quasi deũ colas,
sed ob recordationem filij dei in eius amore reca-
lescas, cuius te imaginẽ uidere consideras. Et nos
quidẽ non quasi ante diuinitatẽ ante illã prosterni-
mur, sed illum adoramus quẽ per imaginẽ, aut
natum, aut passum, sed & in throno sedentẽ recor
damur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura
ad memoriam filium dei reducit, animum nostrũ
aut de resurrectione lætificat, aut de passione de-
mulcet. Ideoq; direximus tibi surtarias duas, ima C
ginem dei saluatoris, & sanctæ dei genitricis Ma-
riæ, beatorumq; Apostolorum Petri & Pauli con
tinentes, per supradictũ filiũ nostrũ, & unã crucẽ,
clauim etiam pro benedictione à sanctissimo cor
pore Petri Apostolorum principis: ut per ipsum à
maligno sis defensus, per cuius signum munitum
te esse credis: & ex eo te ꝓtegat, qui iuuenilia sem
per suggerit recordari, ut in bonis actibus perse-
uerans, alios in eius amore accendas, propter quẽ
te feciſti haberi, ut uitæ huius mala quæq; inimic⁹
suggerit retroacta mẽtis prouentib. quasi facilius
inardescas, pro cuius amore uitã etiã uelis finire.
Ipse quoq; te protegat usq; in finẽ, qui cunctũ mũ
dum dignatus est redimere Iesus Christus dñs no
ster qui uiuit & regnat in secula seculorũ. Amen. D

Gregorius Adeodatæ illustri. Eam ad superna
meditanda corroborat. Cap. LIIII.

Epist. 54 MAgnam nobis lætitiam gloriæ uestræ in-
gessit epistola, quæ æternę uitę desiderium
uos habere signauit: sed quia huiusmodi studium
fugitiua solet mundi gloria præpedire: hortamur
ut mentis uestræ saluberrimam deliberationem
res quælibet transitura non reuocet, nec ab ince-
pto eam tramite deuiet. Sed magis supernæ pa-
triæ amor accendat, præmia mansura sollicitent,
& ad uenturi iudicis promissionem certa semper
aspiret, atq; ex tẽporalibus æterna mercet: ut ex
hoc & in uera gloria esse, & inter matronas possi-
tis cœlestes adscribi. Reducite ad animos prospe-
ritates temporũ, multitudinẽ hominũ, dignitatũ
pompas, matronarum gloriam, diuitiarum abun-
dantiam. Attendite hæc omnia ubi uel quid facta
sunt, & ex hoc pensate quòd nulla sint, & quia qui
ista diligit somnium uigilans uidet. Hæc itaq; re-
cordatio magna uobis debet esse iustructio, quo-
niam pro magno diligi non debet quicquid fine
concluditur. Illa ergo petenda, illa summopere di
ligenda sunt, quæ nec inuenta transeunt nec ade-
pta deficiunt. Sed quia ad horum desiderium an-
helare sine diuinæ misericordiæ gratia nullus ua
let, oramus omnipotentem dominum, ut hæc uo
bis & eligendi uelle, & posse tribuat, obtinen-
di: quatenus & hic uos in suo uiuere timore con-
cedat, & postea in sanctarum matronarum sorte
recipiat. Paterna itaq; charitate gloriam uestram
salutantes indicamus de causa fratris & coepisco
pi nostri Decij hoc nobis uisum fuisse, ut eam au-
diendã fratri & coepiscopo nostro Ioanni, & Le-
ontio uiro glorioso, quia bonus & iustus uir dici-
tur, committere deberemus: securi maximè quia
ubi prædicti fratris & coepiscopi nostri iudicio
charitas interest, nec eis surripiatur, nec pars Ec-
clesiæ possit præiudicium sustinere.

Gregorius Ianuario episcopo Sardiniæ. Quòd
nihil pro sepultura exigendum est. Cap. LV

QVesta nobis est Nereida clarissima fœmina Epist.55
quòd ab ea centum solidos pro filiæ suæ se- Cap.44.
pultura fraternitas uestra non erubescat exigere; Quòd
atq; ei super doloris gemitum, maiorem dispen-
dij studeat inferre molestiam. Quòd, si ita se ueri-
tas habet, quia graue nimis est, & procul nimis est
à sacerdotis officio, precium de terra concessa pu
tredini quærere, & de alieno uelle facere luctu cõ
pendium, ab hac se patratione fraternitas uestra
contineat, & molesta ei de cætero non existat. Ma
ximè quia & hortulanum quendam de quo se
ipsam asserit filiam suscepisse, Ecclesiæ uestræ nõ
in parua quantitate munificum memorat extitis-
se. Hoc autẽ uitium & nos postquam, deo autho
re, ad episcopatus honorem accessimus, de Eccle
sia nostra omnino uetuimus, & per prauam de-
nuo consuetudinẽ nequaquam usurpari permisi-
mus: memores quia dum Abraham à filijs Emor,
hoc est Ephron, filio Seor, sepulchri terram pre-
cio ad humandũ corpus coniugis postularet, præ
mium accipere renuit, ne commodũ uideretur de
cadauere cõsecutus. Si ergo tantæ cõsiderationis
paganus uir fuit, quanto magis nos qui sacerdo-
tes dicimur, hoc facere non debemus? Vnde ne
hoc auaritiæ uitiũ, ne uel in alienis denuo tentari
præsumat, admoneo. Sed si quãdo aliquẽ in Eccle
sia uestra sepeliri cõceditis, siquidẽ parẽtes ipsius,
proximi uel hæredes pro luminarib. sponte quid
offerre uoluerint, accipere nõ uetamus. Peti uerò
aut aliquid exigi omino ꝓhibemus. Ne ꝗd ualde
irreligiosum est, aut uenalis fortasse, quod absit, di
cat Ecclesia, aut uos de humanis uideamini morti
bus gratulari: si ex eorũ cadauerib. studeatis quæ
rere quolibet modo compendium. Alias uerò
causas quas prædictæ Nereidæ est complexa pe-
titio, hortamur ut aut pacifica si fieri potest, ordi-
natione desinias: aut certè in deputatum à nobis

iudicium

iudicium personam instructam dirigere nō omit A tas: quia ad hoc Redemptū defensorem nostrum præsentiū portitorē illuc direximus, ut & partes in iudicio obseruare cōpellat, & executionis suæ instātia ad effectū quæ fuerint iudicata perducat.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanen. De clericis Cumanis ad unitatem Ecclesiæ reducendis. Cap. LVI

Epist.16 LAtore præsentium cōmuni filio Euentio diacono, qui fraternitatis uestrę nobis scripta detulit referente cognouimus, clericos Ecclesiæ Cumensis quos sacerdotali studio reuerti ad unitatē Ecclesiæ monuistis, respondisse, non sibi talem à uobis affectum impendi, ut ad hoc redire charitate suadente præualeant: asserentes res diuersas suas iniustè ab alijs, inter quos & à nostra Ecclesia possessionem quæ uilla Auriana dicitur, detineri. Nos quidem sanctitatis uestræ sollicitudinē omnino laudauimus, quia quod uos oportuit facere, minimè neglexistis. Sed nec nos prædictam possessionem, si eis iure competit, etiam si ad cōmunionem fortè reuerti distulerint, cōtra rationis ordinem patimur detineri, sed eā cognita uolumus ueritate restitui. Si uerò ad unitatē Ecclesię, quod optamus, deo se inspirante conuerterint, etiam si nihil illis competat, eam illis parati sumus concedere. Nam nulla occasione excusare uolumus, quod ad matris Ecclesiæ sinum redire desiderabiliter expectamus. De hortis uerò quos in capitulare transmisso ex substantia, & Italiæ Ecclesiæ cō C petere signastis, uel prędictus uobis portitor indicauit, in subsequēti illuc personā transmittemus, cui inter alia curabimus euidenter iniungere, ut ueritatem congrua indagatione cognoscat, & quicquid iustum fuerit faciat. Nam nos qui alios contristare contra æquitatem non patimur, multo magis uos quos multū diligimus tristes relinquere non ualemus. De alijs aūt causis, quale nostrum ad singula sit responsum, supradicti cōmunis filij relatione cognoscetis. Scripta uerò ad dilectissimum filium nostrū Anatholium diaconem, pro commendatione hominum uestrorum, sicut uoluistis, fecimus.

Gregorius Anatholio diacono Constan. Homines Constantij episcopi commendat. Cap. LVII

Epist.17 D RUerentissimus frater & coepiscopus noster Constantius suos homines illuc pro Ecclesiæ suæ utilitatibus festinans transmittere, tuę eos dilectioni uoluit cōmendari. Proinde inquantū, deo iubēte, potueris, eis salua ratione, ubi necesse fuerit, concurras atq; feras solatiū: quatenus dum tua fuerint, sicut dignū est, opitulatione suffulti, & ipsi illic minus ualeant laborare, & prædictus frater noster Ecclesię suæ utilitates adiutas, te suffragante, cognoscat.

Gregorius Fātino defensori. De synagogis Iudæorum irrationabiliter occupatis. Cap. LVIII

Epist.18 ANte aliquantū tempus Victori fratri & coepiscopo nostro scripsimus, ut quoniā quidam Iudæorū data nobis petitione questi fuerūt, synagogas in ciuitate Panormitana positas, cum hospitijs suis fuisse ab eo irrationabiliter occupatas, quousq; causa utrū iustè factū esset potuisset agnosci, ab eorū suspenderet se cōgregatione: ne forte in eorū sola uoluntate uersari iudiciū uidere tur. Et quidē nos prædictū fratrem nostrū incongruè aliquid egisse, sacerdotij eius respect⁹ facilè credere non permisit. Sed quia Salerio notario nostro, qui illic præsens postea inuētus est, renunciante cōperimus, nullā extitisse causam pro qua potuissent rationabiliter occupari, atq; eas esse in cōsultè ac temerè cōsecratas: idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut quia q̄d semel consecratū est, Iudæis ultra non ualet restitui, quantū à filijs gloriosо Venantio Patricio, & Vrbicio abbate, synagogæ ipsæ cum his hospitijs quę sub ipsis sunt, uel earū parietibus cohęrent, atq; hortis sibi coniunctis æstimatæ fuerint, studij tui sit ut præfatus frater & coepiscopus noster dare precium debeat: quatenus hoc quod occupari fecit, in ius ecclesiæ ipsi⁹ ualeat permanere, & illi opprimi, aut aliquā pati iniustitiā nullo modo uideant. Codices uerò uel ornamēta pariter ablata quærant. Quæ si manifestè culta sunt, & ipsā sine ambiguitate aliqua uolumus restitui: quia sicut illis quicquā in synagogis suis facere, ut & ipsi prius scripsimus, ultra quam lege decretū est, non debet esse licentia: ita eis contra iustitiā & æquitatem, nec præiudiciū, nec aliquod debet inferri dispendium.

Gregorius Fantino defensori. De Tamno Iudæo. Cap. LIX

INdicauit nobis Tamnus Iudæus presentiū portitor, nauem suā atq; res suas Candidum defensorem nostrum cum alijs creditoribus occupasse, atq; eas pro credita quam dederāt pecunia uenundedisse, & à cunctis debitis cautionib. restitutis solum apud se præfatū defensorē obligationis chirographū tenuisse, & sæpius se supplicātem ideo reddere contempsisse: Et quia, ut cum omni subtilitate curet addiscere, & si ita repererit, districta compulsione perurge, quatenus omni mora post posita, cautionē prædicti portitoris restituat. Ita ergo sollicitudo tua studeat, ut denuo ad nos hac de causa querela non redeat. Epist.59

Gregorius Prærecti illustri. Gesta inter ipsum & Fantinū defensorem approbat. Cap. LX

QVotiens in conuentionibus quibusdam nostер expectatur assensus, ne in dubium ueniant quæ geruntur, ratio ea pro securitate partium debet habita solidare. Proinde cognoscentes quid inter dilectionem tuam & Fantinū defensorem ac rectorem patrimonij partium Panormitanarum conuenerit de portionibus tibi competentibus in Massalenas & Samanteria, in prouincia Sicilia, & in territorio Panormitano, & domo in Panormitana ciuitate sita, quā Ecclesiæ nostræ dudum titulo donationis obtuleras, nostrum his accōmodamus assensum, atq; omnia sicuti inter uos gesta sunt, per huius rationis paginā confirmamus, nec quicquam eorum à nobis, successoribusq; nostris deduci in irritum profitemur: quia ualde Ecclesiasticæ est moderationi conueniens, Epist.60

ut quæcq;

ut quæq; ordinata fuerint uel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari.

Gregorius Martino ſcholaſtico.
Quòd epiſcoporũ cauſę magna cum diligentia ſunt perſcrutandæ. Cap. LXI

Epiſt. 61 CVm de negotijs cuiuslibet exorta occaſio maioris, ut magnitudini tuæ notũ eſt, requiſitionis indigeat, quanta cura, quantaq; uigilantia epiſcoporum cauſę debeant perſcrutari, ſapientia tua conſideret. In ea uerò epiſtola, quam per latorem præſentium tranſmiſiſtis, pro quibus ad nos cauſis à Cremẽtio fratre & coepiſcopo noſtro trãſmiſſus fueris, ſuperficietenus indicaſti, & earum radicem penitus tacuiſti. Quarum ſi nobis origo, uel fuiſſet qualitas interius manifeſta, quid de eis diffiniendum eſſet, prædicti fratris ueſtri animos reſponſione uticq; patenti ac cõgrua firmaremus. Illud tamen nobis omnino diſplicuit, quòd aliquos epiſcoporum ſine primatis ſui epiſtolis ad comitatum profectos eſſe, uel conuentus ſignificas illicitos celebrare. Sed quia, ſicut præfati ſumus, cauſarum origo uel qualitas omnino nobis ignota eſt, pronunciare aliquid definitiuè non licet, nec poſſumus, ut ne quod reprehenſibile nimis eſt, de rebus nõ bene cognitis proferre ſententiam uideamur. Vnde ualde neceſſarium fuerat, ſi hic pro pleniſſima inſtructione noſtra, magnitudo tua noſtris interrogationibus reſponſura, tẽpore quo in Sicilia dilata eſt, perrexiſſet. Sed tamen poſtquam fratrem & coepiſcopum noſtrũ Ioannem uidiſtis, in eo & uos uidiſſe nos credimus. Et ideo quia de eiſdem nobis & ipſe cauſis ſcribere ſtuduit, ei quæ nobis ſunt uiſa reſcripſimus. Qui quoniam maturi prouidiq; cõſilij ſacerdos eſt, ſi cum ipſo cauſas pro quibus miſſus eſt tractare uoluerís, certi ſumus quia in ea, & quod utile eſt, & quod rationem habet, inuenies.

Gregorius Ioanni epiſcopo Syracuſano. De deponendo Lucillo epiſcopo. Cap. LXII

Epiſt. 62 QVæ aduerſus Lucillum Miletinæ ciuitatis epiſcopum querela commota ſit, ex epiſtolarum ueſtrarum, & geſtorum quæ ad nos direxiſtis pagina declaratum eſt. Et ideo quia tanti faci noris ultio nulla debet dilatione differri, fraternitas ueſtra tres uel quatuor de fratribus ac conſacerdotibus ſibi noſtris adhibeat, ut ipſis quoque præſentibus prædicta ac ſatisfacta ueritate prædictum Lucillum de epiſcopatus ordine quẽ huius ſceleris contagio maculauit, ſtudeat ſine ambiguitate deponere. Quia uerò presbyteri uel diacones quidam proditæ iniquitatis fuiſſe cõſcij ac participes memorantur, ſanctitas ueſtra ſubtili indagatione diſcutiat. Et ſi ita repererit, ab honoris ſui & ipſos ſimiliter gradu deijciat, & in monaſterijs ubi dignè ualeant pœnitentiam agere, deputet. Sed quia per hos multi in huius labem peccati perhibentur eſſe collapſi, cunctos qui rei eſſe claruerint, dominici corporis ac ſanguinis participatione priuare uos conuenit, atq; eos ueſtris epiſtolis ſtrictius admonere, ut letanijs & orationibus operam dent, & peccati quam contraxerunt maculam flendo tergant. Quibus quando ſit ſecundum modum pœnitentiæ reddenda cõmunio, iudicio ueſtro cõmittimus. Hoc tamen ſollicitè uos prouidere neceſſe eſt, ut ijs qui mortis urgẽti periculo, uiaticum non negetur. Curæ præterea ſit uobis, clerum & populum Miletinæ ciuitatis hortari, ut quia ſine proprio paſtore eſſe non poterũt, ordinandum ſibi eligant deo propitio ſacerdotẽ. Cauſam uerò presbyterorum ac diaconorũ, qui in lapſu accuſati ſunt, ſollicitè omnino rimamini. Et ſi rei criminis eſſe patuerint, ſeueram in eis ultionem & canonicam exhibet, ut quanto illorum iniquitas deum potuit ad iracundiam prouocare, tanto eum uos placare emendatione diſtrictiſſima ualeatis.

Gregorius Ioanni epiſcopo Syracuſano.
Contra aliquorum murmurationem rationẽ reddit de miſſæ ordinatione. Cap. LXIII

Epiſt. 63 VEniens quidam de Sicilia, mihi dixit quòd aliqui amici eius uel Græci uel Latini, neſcio quid quaſi ſub zelo ſanctæ Romanæ Eccleſię de meis diſpoſitionibus murmurarent, dicentes: Quomodo Eccleſiam Conſtantinopolitanam diſpoſuit cõprimere, qui eius cõſuetudines per omnia ſequit? Cùm ẽm dicerem quas cõſuetudines ſequimur, reſpondit: Quia halleluia dici ad miſſas extra pentecoſtes tempora feciſtis: quia ſubdiacones ſpoliatos procedere: quia kyrie eleiſon dici: quia orationem dominicam mox poſt canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſpondi, quia in nullo eorum ſecuti aliam Eccleſiam ſumus. Nam ut halleluia hic diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex beati Hieronymi traditione, tẽpore beatę memoriæ Damaſi papæ traditur tractum: & ideo magis in hac ſede illam cõſuetudinẽ amputauimus, quæ hic à Græcis fuerat tradita. Subdiacones autem ut ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit. Sed placuit cuidam noſtro pontifici, neſcio cui, qui eos ueſtitos procedere præcepit. Nam ueſtræ Eccleſiæ, nunquid traditionem à Græcis acceperunt? Vnde habent ergo hodie ut ſubdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi quia hoc à matre ſua Romana Eccleſia perceperunt? Kyrie eleiſon autem nos neq; diximus, neq; dicimus, ſicut à Græcis dicitur: quia in Græcis ſimul omnes dicunt: apud nos autem à clericis dicitur: à populo reſpondetur: & totidem uicibus etiã Chriſte eleiſon dicitur: quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autẽ miſſis alia quæ dici ſolent tacemus: tantummodo kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon dicimus, ut in his deprecatiõis uoci. paulò diutius occupemur. Orationem autem dominicam idcirco mox poſt precem dicimus: quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Et ualde mihi inconueniens uiſum eſt, ut precem quam ſcholaſticus cõpoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem quam redemptor noſter cõpoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem non diceremus. Sed & dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos autem à ſolo ſacerdote. In quo ergo Græcorũ conſue-

consuetudines secuti sumus, qui aut ueteres nostras reparauimus, aut nouas & utiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari. Ergo uestra charitas cùm occasio dederit, ut ad Cathenensem ciuitatem pergat, uel in Syracusana Ecclesia eos quos credat atq; intelligit quia dehacre murmurare potuerunt, facta collocutione doceat, & quasi alia ex occasione eos instruere nō desistat. Nam de Constantinopolitana Ecclesia, quod dicunt, quis eam dubitet sedi apostolicę esse subiectam? Quod & dominus pijssimus imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis episcopus assiduę ꝓfitenť. Tamē si quid boni uel ipsa uel altera Ecclesia habet: ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primū existimat, ut bona quæ uiderit, discere contemnat.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
De episcopo Constantinopolitano, de crimine accusato. Cap. LXIIII.

Epist. 64 FRaternitatis uestræ scripta suscepi, in quibus indicastis Martinum uirum eloquentissimū de Aphricana prouincia Syracusas uenisse, uobisq; aliquid secretum locutum fuisse. Et quidem fraternitas uestra quotiens occasionem reperit, amorem suum circa beatū Petrum Apostolū nō cessat ostendere. Vnde omnipotenti deo gratias agimus, quia ubi illa est, ibi nos absentes non inuenimur. Causam tamen de qua agitur, necdum sanctitas uestra subtiliter agnouit. In quodā enim crimine Byzancenus primas fuerat accusatus: & pijssimus imperator eum iuxta statuta canonica per nos uoluit iudicari. Sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus magister obstitit ut minimè fieret. Tamen pijssimus imperator admonuit ut transmitteremus, & quicquid esset canonicum faceremus. Sed uidentes contrarietates hominū, eandem causam inire uoluimus. Nunc autē idem primas aliqua de consilio suo loquitur. Et ualde dubium est utrum purè an certè: quia à coepiscopis suis impetiť, nobis modo talia loquatur. Nam quòd se dicit sedi apostolicæ subijci: si qua culpa in episcopis inuenitur, nescio quis ei episcopus subiectus non sit. Cùm uerò culpa non exigit, omnes secūdum rationem humilitatis æquales sunt. Tamen quod uestræ fraternitati placet, cùm prædicto eloquentissimo Martino loquimini. Vos enim tractate quid agere debeat. Cui nos de causa breuiter rescripsimus, quia & hominibus incognitis passim nos credere non debemus. Si tamen uos qui eum in præsenti conspicitis, ei loquendū fixius aliquid iudicatis, uestræ hoc charitati committimus, de cuius amore in omnipotētis dei causa certi sumus. Quæ autem uos agitis, nos egisse non dubitetis.

Gregorius Vitali defensori. Quòd præsidium defensionis non præstet clericis ab episcopis suis punitis pro corum excessibus. Cap. LXV.

Epist. 65 INdicatum est nobis quòd quidam Caralitanæ Ecclesiæ clerici disciplinam sui refugientes episcopi, contra eum solatium tuæ defensionis exquirunt, atq; per hoc illi quod dici graue est, contumaces existant. Quam rem, si ita est, omnino durè suscepimus. Dicitur etiam quòd suæ actus deserentes Ecclesiæ, in aliarum se obsequijs ac laboribus occupantes, ubi nomen dederunt militiæ inueniantur extranei. Experientiæ ergo tuæ denunciamus ut nō deinceps tale aliquid facere præsumāt: sed si cuiusquā clerici, ut assolet, culpæ casus emerserit, in qua te sibi petere debeāt adiutorē, ad eundē episcopū reuerenter accede, & sicut causæ meritū cognoueris, apud eū non defensor culpæ, sed potiꝰ intercessor existe, ut hac prouisiōe & poscenti feras auxiliū, & iura præpositi non turbentur. Si qui uerò sunt qui iusta popoſcerint, eis per te auxiliū sedis apostolicæ nō est negandum. Sed tamen ita seruandū est, ut uniuscuiusq; episcopi reuerentia, & clericorū disciplina per defensionis tuæ experientiā minimè soluatur. Dictū est nobis etiam quòd rustici possessionis eiusdem Caralitanæ Ecclesiæ iura propria deserentes, in priuatorū possessionibus culturā laboris exhibeant. Ex qua re agiť ut possessiones Ecclesiæ proprio in alios occupato cultore depereāt, atq; ad tributa sua persoluēda idoneæ nō existant: in qua re experientiā tuā uolumus omino esse sollicitā, ne tale quicquā fieri post hac nostra authoritate data tibi permittere debeas, sciturus quòd si neglexeris, nostros exinde de minorī cōtra se sollicitudine animos cō moueri. Cognouimus etiā quòd monasteria seruorū dei, uel etiā fœminarū pro suo quisq; libito & diuersarū causarū executione perturbat, quod omnino nō gratè susciꝑimus, tuamq; experientiā ex hoc commonemus, ne quenquā hoc usurpare denuo accepta nostra authoritate permittas, sed ut episcopis loci ipsius sub cuius degunt moderamine, curæ sit eorum causas utilitatesq; disponere. Valde enim est incongruū ut omisso eo, alius quilibet eorū se causis admisceat. Sed ille eorū ui tam competenti regulariq; debet moderatione disponere, qui pro commissis eorum sibi animabus compellitur reddere rationem.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano.
De clericis suis ei non obedientibus, & alijs multis. Cap. LXVI.

PEruenit ad nos quòd quidam de uestris clericis spiritu elatiōis inflati quod dici graue est fraternitatis uestræ iussionibus obedire postponant, atq; in aliorum se magis obsequijs ac laboribus occupantes, suæ deserant, ubi sunt necessarij actus Ecclesię. Ex qua re nimium admiramur, cur in eis Ecclesiasticæ non teneatis regulam disciplinę, nec eos dissolutè uagantes in deuijs ad normā susceptī officij districti moderaminis freno restringatis. Dicitur etiam quòd aliqui ex eisdē contumacibus clericis, ut defendi contra uos ualeāt, ad Vitalis defensoris nostri patrocinia confugerint. Vnde ad eū scripta nostra direximus, ne quē quam clericorum uestrorum contra uos irrationabiliter denuo audeat defensare, sed si culpæ casus emerserit, & grauis non est, sed ueniam meretur, intercessor apud uos magis accedere debeat, quàm defensor. Ne ergo tale ad nos deinceps de

Epist. 66

subiectorum uestrorum contemptu quicquã proueniat, præcauete. Cognouimus etiam quòd monasterio sancti Iuliani quædã uidua suam substantiam derelinquens, à clerico uestro, qui eiusdem defunctę mulieris actus, dũ adhuc uiueret, gubernabat, ipsa sit direpta substantia, nuncq; callidum ad reddendum existere. Hortamur ergo ut eum, si ut dicitur, ita uerum esse patuerit, districta facias executione constringi, quatenus res monasterio derelictas restituere sine imminutione festinet, & quod adire seruata fidei suæ puritate non debuit, uel cum pudoris sui damno reddere cõpellatur. Quàm uerò uerecundum sit, ut fraternitatem uestram nos admonere uideamur, quatenus clericũ suũ sub disciplinæ uigore constringat credo quod eadem fraternitas uestra tacita etiam ipsa considere. Contra idolorum nanque cultores uel aruspicum atque sortilegorum, fraternitatem uestram uehementius pastorali hortamur inuigilare custodia, atque publicè in populo contra huius rei uiros sermonem facere, eosq; à tanti labe sacrilegij, & diuini intentione iudicij, & præsentis uitæ paruulo, adhortatione suasoria reuocare. Quos tamẽ si emendare se à talibus atque corrigere nolle repereris, feruenti comprehendere zelo te uolumus, & si quidem serui sunt, uerberibus cruciatibusq;, quibus ad emendationem peruenire ualeant, castigare. Si uerò sunt liberi, inclusione digna districtaq; sunt in pœnitentiam dirigendi: ut qui salubria, & à mortis periculo reuocantia audire uerba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desiderandã mentis ualeat reducere sanitatem. Indicatum etiam nobis est quòd laicis quibusdam curam uestri patrimonij committentes, postmodum in rusticorum uestrorũ deprędatiõibus, atq; per hoc & fatigationibus fuerint deprehensi, & reddere res, quas indecenter retinent habitas quasi suæ ditionis, quippe uestræ non suppositi curationi postponant, uobisq; despiciant actuum suorum reddere rationem. Quod si ita est, districtè à uobis discuti conuenit, atq; inter eos Ecclesiæq; uestræ rusticos causam examinare subtilius. Et quicquid in eis fuerit fraudis inuentum, cum pœna legibus statuta reddere compellantur. De cætero uerò cauendum à fraternitate uestra est, ne secularibus uiris, atq; non sub regula nostra degentibus, res Ecclesiasticæ comittantur, sed probatis de uestro officio clericis. In quibus si quid reperiri poterit prauitatis, ut in subditis, emẽdare quod illicite gestum fuerit ualeatis, quos apud uos habitus sui magis officium commendet, quàm excuset.

Gregorius Anatholio diacono Constan.
De his qui ex Hystriæ partibus ad unitatem fidei uenerunt. Cap. LXVII

Epist.67 LAtores præsentiũ, qui de Hystricorũ schismate ad unitatem Ecclesiæ deo miserãte reuersi sunt, multa de prauitate episcoporũ qui in illis partibus sunt, conquerunt. Et quia ea pro re Cõstantinopolim festinãtes tua sibi petũt adesse debere solatia, dilectionem tuã his hortamur affatibus, ut eis salua ratiõe solatiari debeat atq; cõcurrere, quatenus te opitulãte & minus illic fatigari, & quod iustum est facilius ualeant adipisci.

Gregorius Constantino episcopo Mediolanen.
De Maximo Salonitano episcopo. Ca.LXVIII

Epist.68 MAximus Salonitanæ Ecclesiæ præuaricator, postquã per potestates maiores seculi obtinere nihil ualuit, ad minores sese contulit. Nobisq; tam nimietate precũ, quam attestatione bonorũ operũ pręualere contẽdit. Ex qua re inhumanũ credidi, si is qui se quasi multũ timere me dicit, in aliquo temperatiorem minimè inuenire potuisset. Et ideo decreui ut reuerendissimus frater & coepiscopus noster Marinianus eius causam debeat in Rauennati urbe cognoscere. Si aũt persona eius suspecta forsitan habeẽ, uolumus ut uestra quoq; fraternitas, si ei laboriosum non est, ad eandem ciuitatem fatigare se debeat, & cũ prædicto fratre in eodẽ iudicio pariter sedere. Quicquid autem uestræ utrorumq; sanctitati placuerit, scitote mihi modis omnibus placiturum, & uestrum ego iudicium meum deputo, & quæ utriq; uos relaxãda esse censetis, me relaxare certũ tenete. Hoc tamen solliciti pẽsantes, ne aut cum peccato remissi aut cum iniuria sanctæ Ecclesiæ esse uideamur asteri. Huius aũt causę executionẽ Castorio chartulario iniunximus, ut ipse nobis debeat cũcta quæ acta fuerint, subtiliter renunciare.

Gregorius Eusebio Thessalonicensi, alijsq; cõpluribus episcopis. De superbia Ioannis episcopi Cõstantinopolitani, & Cyriaci Cap. LXIX

Epist.69 SVscepti regiminis cura constringimur officij nostri sollicitudinem uigilanter extendere, & & fratrum nostrorum animos sermone admonitionis instruere, ut nec ignorantes præsumptio prauа decipere, nec scientes dissimulatio quædã ualeat excusare. Cognoscat siquidem fraternitas uestra Ioannem quondam Constantinopolitanæ ciuitatis antistitem, contra deum, contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectum & iniuriam sacerdotum, modestię ac mensurę suę terminos excessisse, & illicitè in synodo superbum ac pestiferum Icomenicõ, hoc est uniuersalis sibi uocabulũ usurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta eiusdem synodi, præter illa quę illic de causa uenerandæ memoriæ Gregorij episcopi Antiocheni sunt habita, ualida omnino districtione cassauit, districtissima illum increpatione corripiens, ut se à nouo & temerario superstitionis nomine cohiberet: adeo ut suum illi diaconem nisi tantum nephas emendaret, procedere prohiberet. Cuius nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione deo protegente seruamus, quia dignum est ut rectã decessoris sui uiã gressibus inoffensis incedat, quẽ de eodẽ loco ad reddendam rationẽ æterni iudicis tribunal expectat. In qua re ne quid omittere quod ad pacem Ecclesiæ pertinet uideremur, nostris eundem sanctissimum Ioannẽ scriptis semel iterumq; conuenimus, ut amoto superbiæ uocabulo, cordis sui elationẽ ad humilitatem

quam

quã magister & dñs noster docuit, inclinaret. Quẽ A quoniam neglexisse comperimus, hæc eadem & beatissimum fratrem & consacerdotem nostrum Cyriacum successorem ipsius cõcordiæ studio nõ destitimus admonere. Sed quia iam ut uidemus, mundi huius termino propinquante, in præcursione sua apparuit humani generis inimic⁹, ut ipsos qui ei contradicere bene atque humiliter uiuendo debuerunt, per hoc superbiæ uocabulum præcursores habeat sacerdotes, hortor atq; suadeo ut nullus uestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus id consentiat, nullus scribat, nullus ubi fuerit scriptum admittat, uel subscriptionem suam adijciat. Sed sicut omnipotentis dei ministros decet, integrum se ab huiuscemodi uenenata infectione B custodiat, & callido insidiatori in se locũ non præbeat, quoniam hoc in totius Ecclesiæ iniuriam ac discissionem, & sicut diximus, in omnium uestrũ despectum fit. Nam si unus, ut putat, uniuersalis est, restat ut uos episcopi non sitis. Præterea peruenit ad nos, quòd fraternitas uestra ad urbem Constantinopolim sit cõuocata. Et quanuis pijssimus noster imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne peruersi homines conuentus uestri occasione percepta, aut per huius nominis superstitionem locum subreptionis requirant, aut ob aliam rem facere synodum cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamuis sine apostolicæ sedis authoritate atq; consensu nullas quęcunq; acta fuerint uires habeant, ueruntamen C coram omnipotẽte deo contestor & admoneo, ut nullius uestrum illic quibuslibet prẽmijs, quibuslibet terroribus teneatur assensus, sed pro æterni iudicij consideratione, aduersos uos prauis desiderijs salubriter ac unanimiter exhibete, & pastorali constantia atq; apostolica authoritate suffulti prædonem, irruentemq; lupum excludite, & in dissipationem Ecclesiæ sæuienti nõ cedite: ne de hac re quacunq; surreptione synodum patiamini, quę neq; legitima quidem, nec synodus dicenda est, celebrari. Hoc quoque pariter admonemus, ut si forte nil actum de huius peruersi nominis mentione fuerit, sed de alia re synodus fortè colligitur, omnino sitis cauti, circumspecti, uigilantes atque solliciti, ne quid illic circa locum aliquem uel per D sonam præiudicialiter siue illicitè, uel aduersus canones censeatur. Sed si quid incidentis utilitatis causa tractandum est, sic causa de qua agitur formas accipiat ut statuta uetera nulla conuellat. Vnde iterum coram deo & sanctis ipsius admonemus: ut hæc omnia summo studio, & tota mentis intentione seruetis. Nam si quis, quod non credimus, scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, à beati Petri Apostolorum principis pace se nouerit segregatum. Ita ergo fraternitas uestra agat, ut cùm pastor pastorum in iudicio uenerit, de loco regiminis quem accepit, reatum habere non possit.

Gregorius Maurentio, magistro militum. Theodorum commendat oppressum. Caput. LXX.

VAlde mirati sumus quòd uobis in Neapoli Epist. 70
tana ciuitate positis, uenire ad nos pro quibusdam causis Theodorus uir memorandus præsentium portitor cogeretur, maximè dum in illa se re contra antiquum morem à fratre & coepisco po nostro Fortunato queratur præiudicium pertulisse: quam ad curam dispositionemq; patroni ciuitatis eiusdẽ gloria uestra teste asserit sine dubio pertinere. Quòd si ita se res habet, omnino contristamur, cur in eius uos defensione ueritas non permouit, ut & liberè quod esset ratio diceretis, & reseruari quod longa sibi consuetudo iure uendicat faceretis. Quia ergò graue nimis est contra uetere rem usum sacerdotes sibi quicquam arripere: unde in laicorũ uidentur actus incidere: prędicto fratri coepiscopoq; nostro scribere quæ nobis iuncta uisa curauimus, ipsorumq; ad uos scriptorũ exemplar transmisimus, ut ex eis quid debeat scrutari gloria uestra cognoscat. Præterea indicauit nobis supradictus portitor, Vectano qui comes fuit in Missinati castello, propterea quod eum nobilem fuisse nouerat, & paupertate nimia laborabat, uiginti urnas uini per duos annos de insula Prochita, quæ ei uicina erat, misericordiæ intuitu se fuisse largitum, & nunc eas de eadem insula successorem ipsius tanquam debitas uiolenter exigere. Et quoniam hoc ne de cætero tentari debeat, postulat prohiberi, gloria uestra curat addiscere. Et si hoc quod queritur, ueritate subsistit, & hæc antè consuetudo non fuit, huiusmodi grauamen iustitia suadente compescat, & studeat ut pietatis administratio in præfata insula onus præiudicij non imponat. Quia uerò priuilegia ciuitatis suæ, uel causas insulę illius, à nobis glorię uestrę petit commendandas: hortamur ut uestram ei tuitionẽ impendere seruata æquitate quocunq; necesse fuerit debeatis, & si qua in re utilitas populi cui præest contra rationis, sicut ait, ordinem prægrauatur imposita onera usq; ad modum iustitiæ uobis suffragantibus releuentur: nec priuilegia eorũ quolibet modo calcentur: sed omnia quæ usus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata seruentur. Ita ergo in his gloria uestra se decenter exhibeat, ut & ipsa partes fouere iustitiæ cõprobetur: & ij qui commendati sunt, bona nobis uestra quæ de uobis cupimus semper audire, renuncient.

Gregorius Pasiuo episcopo Firmano. Mandat consecrare oratorium sancti Sauini. Cap. LXXI

VAlerianus notarius Ecclesiæ Firmanæ fra- Epist. 71
ternitatis tuæ petitoria nobis insinuatione suggessit, quę habetur in subditis, in fundo Visiano iuris sui iuxta muros ciuitatis Firmanæ oratorium se pro sua deuotione fundasse. Quod in honorẽ beati martyris Sauini desiderat consecrari. Et ideo frater charissime si in tuæ parochiæ memorata constructio iure consistit, & nullũ corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est in redditu solidos tres liberos à tributis fiscalibus, gestisq; municipalibus alligata, prædictũ oratorium absq; missis publicis

ſolenniter conſecrabis:ita ut in eodem loco nec temporibusfuturis baptiſterium conſtruatur,nec presbyterum conſtituas cardinalem. Et ſi miſſas ibi fieri forte maluerit, à dilectiõe tua presbyterũ nouerit poſtulandum,quatenus nihil tale à quoli bet alio ſacerdote ullatenus præſumatur.Sanctua ria uerò recepta ſui cũ reuerentia collocabis.

Gregorius Criſanto epiſcopo Spoletano.
Mãdat ſanctuaria ſancti Sauini Valeriano no tario Firmano dari. Cap. LXXII

Epiſt.72 VAlerianus notarius Eccleſiæ Firmanæ ſanctuaria beati martyris Sauini oblata petitío ne ſibi poſtulat debere concedi, quatenus in eius nomine oratorium proprijs conſtructum ſumpti bus poſſit ſolenniter conſecrari.Et ideo frater cha riſſime præfati deſiderijs ex noſtro te mandato conuenit obedire:ut deuotionis ſuæ in conſeruatione quam poſtulat,potiatur effectu.

Gregorius Conſtantio epiſcopo Panormitano. Eccleſiæ Terracinenſis uiſitationem cõ mittit. Cap. LXXIII.

Epiſt.73 FRaternitati ueſtræ Eccleſię Terracinenſis uiſitationis operam nos olim mandaſſe recolimus.Sed quia peruenit ad nos quòd peccatis faci entibus nec clerus illic,nec plebs tanta remanſerit,quibus debeat interim epiſcopus ordinari, uti le eſſe perſpeximus eandem Eccleſiam,uel quicquid ipſius eſt,quouſq; illam ut domino placuerit ordinemus,ueſtræ deo authore diſpoſitioni committere.Et ideo ſollicitudinem uos conuenit adhibere ut quicquid poſſeſſionibus Eccleſię ipſius in qualibet re accedere potuerit,uobis in reparationem eiuſdem Eccleſiæ ſiue cleri ipſius ſubuentionem proficiat:quatenus & nos remedium proueſtro labore capere,&illi aliquod ualeant ſuſtentationis habere ſolatium.Mobilia uerò prædictæ Eccleſię facta ſubtiliter uolumus deſcribi notitia, nobiſq; tranſmitti,ut ex hoc quod fieri debeat,authore domino diſponamus. Circa actus autẽ uel diſciplinam cleri uel filiorum Eccleſiæ ipſius magnam te habere curã neceſſe eſt,atq; ita ſuper paſtorali ſtudio uigilare:ut de animabus eorum non culpabilis ſis, ſed apud omnipotentem deũ mercedem potius poſſis acquirere.

Gregorius Mauricio magiſtro militũ. Theodoſiũ abbatem commendat. Cap. LXXIIII

Epiſt.74 FIlius noſter Theodoſius abbas monaſterij q̃ à Liberio quondam patricio in Campaniæ partibus noſcitur eſſe conſtructum, à nobis precibus impetrauit,ut eum cum congregatione ſua ueſtrę deberemus gloriæ commendare. Aſſerit enim ſe in murorum uigilijs ultra uires ſuas uehementer affligi.Petimus ergo gloriam ueſtram, ut ſiquidẽ eſt poſſibile de eodem per uos onere releuetur.Si uerò ex toto ut non fiat hoc eſt omnino difficile, uel ita illi ex noſtra commendatione ipſum leuigantes pondus ſollicitudinis temperetis, ut dum in dei laudibus liberior uacare uoluerit,pro uobis cuius opere ut leuationem aliquam habeat factũ eſt, ſecurior ualeat dominum exorare, ſed & noſtram ſibi apud gloriam ueſtram ſentiat epiſtolã profuiſſe:

Gregorius Criſanto epiſcopo Spoletano.
De ordinatione clericorum Viuanenſis Eccleſiæ. Cap. LXXV

ANte hoc biennium fraternitati tuæ Viua- Epiſt.75
nenſis Eccleſiæ uiſitationis deputauimus officium,in quo de amore Scrinij noſtri nihil uos de prouectionibus facere uoluimus clericorum. Nunc uero uenientes huc præſentium portitores prædictæ Eccleſiæ clerici, dixerunt ſacerdotes ſe nec in eadem Eccleſia,nec in eius parochijs habere.Hortamur igitur fraternitatem tuam, ut ſi quidem talem potuerint reperire perſonã,quæ digna ad epiſcopalis officij apicẽ ualeat promoueri:huc eam cum ſolennitate decreti,ueſtrarum q̃ teſtimonio literarum celerius dirigatis.Sin uerò hoc inueniri nõ poteſt,cum omni ſtudio ac uiuacitate perſonas exquirite,quæ illic in presbyterij ordine ualeant cõſecrari.Quarum uitam actus q̃ ſubtili prius inquiſitione diſcutite ut in nullo eis uel ſacri canones,uel Eccleſiaſticæ regulæ ualeant obuiare: ut hac prouiſione populus illic degens communione qua ſe priuatos ob ſacerdotum neceſſitatem flebiliter conqueruntur,recepiſſe ſe gaudeant, & in Eccleſiis illis ſacra miſſarum ſolennia deeſſe nõ debeant.Sed & pro cõſignandis infantibus fraternitas tua illuc curet accedere ut nihil ſit q̃d paſtoralis ſollicitudinis neglecta uos cura remordeat.

Gregorius Caſtorio notario Rauennæ.
De legitimo uſu pallij. Cap. LXXVI

DVm Florentinus Rauennatis Eccleſiæ dia- Epiſt.76
conus apud nos pro reuerẽtiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Mariniano de uſu pallij ageret requiſitus à nobis quæ eſſet antiqua conſuetudo, reſpõdit quòd in omnibus letanijs pallio Rauennatis Eccleſiæ epiſcopus uteretur. Quod ita non eſſe & ab alijs didicimus, & ex epiſtolis Ioannis quondam epiſcopi quas ei oſtendi fecimus, euidenter apparuit.Sed hoc aſſeruit quod dicere iuſſus eſt.Nam tempore quo à te idem Ioannes quõdam epiſcopus eſt inhibitus ne pallio inordinatè ac temerè uti præſumeret,ſcripſit nobis hanc fuiſſe priſcam conſuetudinem,ut ciuitatis ipſius epiſcopus pallio in letanijs ſolennibus uteretur.Quarum tibi literarum exemplaria pro tua informatione tranſmiſimus. Adeodatus uerò prædictæ Eccleſiæ diaconus,dum apud nos tempore quo hic fuit ſimiliter de eiuſdem uſu pallij agere enixius ſtuderet,uolentes cognoſcere ueritatem, eum ſimiliter quæ eſſet conſuetudo curauimus requirendũ. Qui ut credi ſibimet ſuaderet,atq; à nobis ualeret quod petebat exigere ſub iureiurando teſtatus eſt,antiquam conſuetudinem fuiſſe: ut in quatuor aut quinq; ſolennibus letanijs pallio ciuitatis ſuæ epiſcopus uteretur. Experientia ergo tua diligenter inuigilet, & cum omni ſollicitudine quot letaniæ ſolennes ab antiquitate fuerint,requirat. Nec eas ſolennes nominando requirere ſtudeat,ſed maiores:ut per hoc quod nobis præfatus Adeodatus diaconus teſtatus eſt, & prædicti Ioannis epiſcopi fatetur epiſtola, dum conſtiterit quantæ letaniæ ſolennes fuerint, quotiens indui ſolebat in letanijs pallium cognoſcentes, libentiſſimè

tissimè cõcedamus. Sed hoc nõ ab illis perquirat, qui ab Ecclesiasticis exhibentẽ, sed ab alijs quos sine fauore partis esse cognoscit, & quæcp sollicita indagatione repererit, nobis subtiliter indicet, ut ueritate, sicut diximus, cognita fratris coepiscopi nostri reuerẽtissimi Mariniani animos releuem⁹.

Gregorius Tonello episcopo Erogatori. De eo quòd anima amat amantem se. Cap. LXXVII

Epist.77 IN nostra mente uestra magnitudo quantæ sit dulcedinis, ex uestra, ut suspicor, mente pensatis: quia, sicut scriptum est, amat anima amantem se. In eo ergo quod me diligitis, uos quoq; à me diligi scitis. Et quod prius illue Castorio chartulario nostro ueniente, uobis minimè scripsi, non torporis fuisse credite, sed ægritudinis & occupationis. Nam nos & præsentes uos uidere cupimus, & absentibus colloqui saltem per epistolam desideramus. Vnde & optamus ut uos beatus Petrus Apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat, quatenus in omnipotentis dei gratia perfrui præsentia uestra mereamur.

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino. De possessione Ecclesiæ, & lignis. Cap. LXXVIII

Epist.78 SCripta dulcissimę uestrę sanctitatis latore prę sentium deferente suscepi, quæ mihi de eius causa citius terminanda locuta sunt. Sed mox ut uenit, qualiter possessio quam quærebat, ab Ecclesia nostra tenebatur agnouit, sibiq; ipsi citius rationem reddidit. Ea autem quæ cum alijs habuit, sine strepitu decidit. De causa uerò de qua mihi omnino scribendum fuerat, nihil uestra sanctitas scripsit, in qua me & tardum esse iudicauit, quę ne fortasse in scãdalo diuisionis erumperet, eiusdem diuisionis nolui author existere. Elegi enim ut ea quæ secutura sunt, per alios exirent. Sed subsequenti tempore, deo authore probabitis: quia in causa in qua deo placere cupio, homines non formido. De qua uobis iam etiam in Constantinopolitanam urbem ueniẽtibus scribere curaui. Ligna uerò, sicut beatitudo uestra scripserat, maiora paraueram: sed ita parua nauis huc transmissa est, ut nisi rescissa essent, ferre non posset. Quæ rescindi nolui, sed uestro iudicio quid de his fieri debeat reseruari. Si aũt non sunt necessaria hic, ea in alijs usibus aptamus. Peto autem ut pro me enixius uestra sanctitas orare debeat, quia & podagræ doloribus, & Barbarorum gladijs, & curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis uestræ opem impenditis, credo quòd me contra aduersa omnia fortiter iuuetis.

Gregorius Mariniano episcopo Rauẽnæ. Quid de Maximo agendum sit. Cap. LXXIX.

Epist.79 QVæ de causa Maximi sint agenda, ex epistolis quas ad uos antè trãsmisimus, agnouistis. Sed qa qualis hac de re fraternitatis uestræ uoluntas sit, ac magis petitio, præsente latore Castorio chartulario nostro renunciãte cognouimus: ideo si idem Maximus coram uobis & prædicto chartulario nostro de simoniaca hæresi præstito se sacramento purgauerit, atque de alijs ante corpus sancti Apollinaris, sicut scripsimus, tantummodo requisitus, liberum se esse responderit, causam ipsius, fraternitatis uestræ, de eo quòd excommunicatus missàrum solennia agere præsumpsit, iudicio committimus: qua debeat pœnitẽtia talis culpa purgari. Et ideo quicquid uobis secundum deum placet, securi disponite: nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam si quid à uobis hac de causa fuerit ordinatum, nos & gratè susc ipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen ut debeatis esse solliciti, & ita quæ fienda prospicitis temperetis, quatenus & illi quod uidebit benignè præstetis, & uigoris Ecclesiastici genium, ut oportet, congrua dispensatione seruetis. Suprascriptũ uerò portitorem in præsenti quid uobiscum ei sit agendum instruximus. A quo cuncta subtiliter ad discẽtes, sic uos in omnibus exhibete, ut in uestra sollicitudine nostrã fuisse præsentiam sentiamus.

Gregorius Castorio notario. Post pœnitentiam consolatoriam Maximo da re iubet epistolam. Cap. LXXX

QVanto credi tibi à nobis, & necessarias ui- Epist.80
des causas iniungi, tanto te strenuum debes & sollicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus præstito sacramento firmauerit simoniaca se hæresi nõ teneri: atq; de alijs ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, innoxium se esse responderit: & de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputauimus, egerit: uolumus ut ad consolandum illum epistolam quam ad eum scripsimus, ubi ei & gratiam nostram, & communionem nos reddidisse signauimus, experiẽtia tua dare debeat: quia sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit, sic iterum humiliatis & pœnitentibus negare locum ueniæ non debemus. Præterea de fratre nostro Sauiniano episcopo Iadertino, atq; Honorato archidiacono Salonitano, uel alijs qui se ad sedem Apostolicã contulerũt, cũ eodẽ Maximo omnino studiosè agendũ est, ut illos in ea qua decet charitate suscipiat & dolorẽ cõtra eos nullo mõ in corde retineat, sed pura cũ eis gratia & sincera dilectione uiuat.

Gregorius Maximo Salonitanensi episcopo. De usu pallij concesso. Cap. LXXXI

QVanuis culpabilibus ordinationis tuæ pri- Epist.81
mordijs graue malum per inobedientiæ culpam addideris: nos tamẽ sedis Apostolicæ authoritatem eo quo decuit moderamine temperantes nunquã contra te usq; adhuc, ut causa poscebat, exarsimus. Sed ut longius se ingratitudo nostra quam tu tibi excitasti produceret, credita nos sollicitudo uehementer angebat: ne quædam illicita quæ de te audieramus, negligenter omittere uideremur. Quæ si bene consideres ipse per te satisfacere differendo firmabas, atq; ex hoc aduersum te zelum nostrum acrius incitabas. At ubi tandem salubri consilio usus, iugo te obedientiæ humiliter submisisti, & tua dilectio pœnitentiam agens, digna se, ut deputauimus, satisfactione purgauit, redditam tibi gratiam fraternæ charitatis intellige, atque in nostro te receptum consortio gratula re: quia sicut perseuerantibus in culpa districtos,

ita resipiscentibus nos benignos esse decet ad ueniam. Postquam ergo fraternitas tua Apostolicæ sedis communionem se reparasse cognouit, personam ad nos transmittat, quæ pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodū illicita perpetrari nō patimur, sic quę sunt consuetudinis non negamus. Licet autem ad hæc concedenda dispensatio nos loci nostri uocauerit, multum tamē à nobis petitio dulcissimi atq; excellentissimi filij nostri domni Galinici exarchi ut temperantius erga te ageremus, exegit. Cuius charissimam uoluntatem nec pertulimus nec potuimus contristare.

Gregorius Anatholio diacono Marcellinū commendat. Cap. LXXXII.

Epist.82 BOnis deuotisq; filijs ita nos opere dignū est respōdere, ut quia debitū reddimus, id quod ultro nos conuenit impendere duplicemus. Quia igitur lator præsentium filius noster magnificus Marcellinus sic in causa se fratris & coepiscopi Maximi atq; Hystricorū exhibuit, & in Ecclesiæ nostræ utilitates festinat impendere, ut sinceritatis suæ affectum non solum uerbis sed etiam opere magis magisq; ualeat demonstrare, idcirco dilectionem tuā his hortamur affatibus, ut ei in urbe regia uenienti toto studio, totaq; intentione concurras, atq; eum ita in omnibus tuis studeas solatijs adiuuare, ut omnipotentis dei ac tuis fultus auxilijs, minus illic debeat laborare. Quem etiā ita si cut reuera nostrum proprium attēdere, atq; ei affectum tuæ charitatis in omnibus studebis impendere, quatenus & de præteritis sibi uicem redditā recognoscat, & magnā de futuro deuotionis suæ, quam se Ecclesiasticis exhibere utilitatibus pollicetur, spem possit retributionis assumere. Quoniam uerò, quantum didicimus, prædictum magnificum filium nostrum serenissimus dominus imperator ad sua sub festinatiōe iusserat uestigia properare, quæsita opportunitate inferre te conuenit: quia non inobedientiæ culpa, sed fratris & coepiscopi nostri Maximi eum causa retinuit. Quæ etsi tardè finem tamen eo studente percepit. Hoc autem dilectionem tuam uolumus sollicitè attendere, ne se in quacunq; causa ubi grauamē est paulum, misceri consentiat: ne fortè potentia personarū aliquatenus pressius, cogatur agere quod animæ illius non possit expedire. Cuncta ergo cū dei timore tractantes, æternam maximè mercedē perpendite.

Gregorius Fantino defensori. De molestia Ianuariæ ab Anastasio. Cap. LXXXIII.

Epist.83 IAnuaria præsentium latrix maximam se molestiam ab ingenuo Anastasio atq; Bonifacio cōtra iustitiam pati commemorat, adeo ut possessione quam per plurimos annos asseritur possedisse, eam, sicut ipsa ait nitantur expellere. Et quia contra eos se Ecclesiastica debere petijt tuitione defendi, experientia tua prædictos uiros ad se euocet, eosq; admoneat, ut illi mali facere nihil præsumant. Sed si quid sibi contra suprascriptam mulierem credunt iustè posse competere, iudices cū ea eligant, & quæ inter eos fuerint diffinita, tuo pro A quiete partium solatio compleantur. Si uerò eos differre cognoueris, antefatę mulieri, salua æquitate tuitionem impendas, & eam contra rationis ordinem nullo modo grauari permittas.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano, Ianuariæ reliquias sanctorum Seuerini & Iulianæ dare iubet. Cap. LXXXIIII.

IAnuaria religiosa fœmina, petitoria nobis insi- Epist.84
nuatione suggessit, quod habetur in subditis in massa Furiana iuris sui oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem sanctorum Seuerini confessoris, & Iulianæ martyris desiderat consecrari. Et ideo frater charissime si in tuæ parochiæ memorata constructio iure cōsistit, & nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatiōe legitima, id est, in redditu præstantes liberos à tributis fiscalibus solidos decem gestisq; municipalibus alligata, prædictum oratorium absq; missis publicis solenniter consecrabis: ita ut in eodem loco, nec futuris temporibus baptisterium constituatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed si missas ibi fieri suprascripta conditrix forte maluerit, à dilectione tua presbyterum nouerit postulandum: quatenus nihil tale à quolibet alio sacerdote ullatenus pręsumat. Sanctuaria uerò suscepta sui cū reuerentia collocabis.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. Ianuariæ reliquias sanctorum Seuerini & Iulianæ dare iubet. Cap. LXXXV.

C IAnuaria religiosa fœmina sanctuaria beatorū Epist.85
Seuerini confessoris, & Iulianæ martyris oblata petitione sibi postulat debere concedi: quatenus in eorum nomine oratorium proprijs sumptibus constructum possit solenniter consecrari. Et ideo frater charissime præfatę Ianuariæ desiderijs ex nostra te præceptione conuenit obedire: ut deuotionis suę in consecratione quam postulat potiatur effectum.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanen. De reliquijs sanctorū Ioannis & Pancratij martyrum. Cap. LXXXVI.

LAtor præsentium Euentius diaconus frater- Epist.86
nitatis uestræ nobis talia intimat, sibi à uobis iniuncta, ut reliquias beati Pauli Apostoli, sed & beatorum Ioannis & Pancratij per eum ad uos dirigere deberemus. Quam petitionem uestram curauimus effectui mancipandam. Fraternitas ergo uestra solito studio perscrutari non differat, quatenus in locis quibus condendæ sunt, luminaria uel alimonia ibidem seruientium ante dedicationem loci ipsius debeant profligari, & tunc in eisdem locis directa, sanctuaria sui cum reuerentia collocentur: ne loca deo dicata si prædicta prouisio omissa nunc fuerit, futuris temporibus destituta, quod absit, seruientium reperiantur obsequijs.

Gregorius Fortunato episcopo Mediolanensi. De uisitatione Cadinensis Ecclesiæ. Ca. LXXXVII.

COgnoscentes Ecclesiā Cadinensem diu sa- Epist.87
cerdotis proprij regimine destitutam, fraternitati tuæ eiusdem Ecclesiæ uisitationis operā solenniter delegamus. Quam ita te conuenit exhibere, ut nihil de prouectionibus clericorū, redditu, ornatu,

tu,ornatu,ministerijsq; uel quicquid illud est in patrimonio eiusdem, à quoq; præsumatur Ecclesiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictã Ecclesiam ire properet,& assiduis adhortationibus clerum, plebemq; eiusdem Ecclesiæ admonere festinet,ut remoto studio,uno eodemq; consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus ualeat reperiri, & à uenerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus,cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati,& dilectionis tuę testimonio literarum ad nos sacrandus occurrat. Cõmonentes etiam fraternitatẽ tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius ciuitatis,in qua uisitationis impendis officium,nullus ad episcopatũ dignus, quod euenire non credimus,potuerit inueniri. Prouisurus ante omnia ne cuiuslibet conuersationis seu meriti laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui,quod absit,incurras.

Gregorius clero,ordini,& plebi consistenti Tadinas. De episcopo eligendo.Cap.LXXXVIII

Epist.88 COgnoscentes Ecclesiam uestram diu sacerdotali regimine destitutam, curæ nobis fuit eiusdem Ecclesiæ uisitationem fratri & coepiscopo nostro Gaudioso Egabinæ Ecclesię solenniter delegare. Cui dedimus in mãdatis, ut nihil de prouectionibus clericorum,redditu,ornatu,ministerijsq; à quoq; usurpari patiatur. Cuius uos assiduis adhortationibus cõuenit obedire,& remoto strepitu,uno eodemq; cõsensu talem uobis præficiendum expetere sacerdotem, qui & à uenerandis canonibus nulla discrepet ratione,& tanto ministerio dignus ualeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus,cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati,& uisitatoris pagina prosequente ad nos ueniat ordinandus. Prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet uitæ uel meriti laicam personã præsumatis eligere. Et non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehatur, uerumetiã uos nullis intercessionibus ueniam promereri posse cognoscite.Sed omnes quos ex uobis de laica persona aspirasse constiterit,ab officio & à cõmunione alienos faciendos proculdubio noueritis.

Gregorius Seuero episcopo Anconitano. Visitationem iniungit Ausinæ ciuitatis. Cap.LXXXIX

Epist.89 POstquam ciuitas Ausina deo iuuante recuperata est,atq; à republica teneri dinoscitur,magna de Ecclesia ipsa sollicitudo habenda est,maxime quia glorioſus filius noster Bahan magister militum à nobis pro hac re auxilium speraſſe dinoscitur,atq; ideo ad fraternitatẽ tuam præsentia curauimus scripta dirigere,ut eidem Ecclesiæ ex more uisitator accedas.Quam ita te conuenit exhibere, ut nihil de prouectionibus clericorum &c. ut supra epistola.lxxxvij.

Gregorius clero,ordini & plebi Ausinæ ciuitatis. De eligendo episcopo. Cap. XC

Epist.90 COgnoscentes Ecclesiam uestram diu pastorali sollicitudine destitutam, postq; ciuitatẽ uestram recuperatam,& in iure reipublicæ, auxiliante domino,cognouimus restitutam, curæ nobis fuit Ecclesiæ uestræ uisitationem fratri & coepiscopo nostro Seuero Anconitanæ ciuitatis episcopo solenniter delegare. Cui etiam dedimus in mandatis &c. ut supra epistola lxxxviij.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De abbate instituendo. Cap. XCI

QVia seruorum dei pater quem in Neapolita Epist.91
na ciuitate trãsmiseram, deo,sicut ei placuit, disponente defunctus est, uisum mihi est latorem præsentium Barbatianum monachum pro eorundem monachorũ gubernatione trãsmittere. Quẽ ad præsens præpositum esse decernimus,ut si eius uita tuæ fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis eorũ patrem debeas ordinare.Sunt enim bona quæ in eo placeant. Sed hoc est in illo uehemẽs uitium,quia ualde sibi esse sapiens uidetur.Ex qua radice quanti rami peccati ualeãt prodire,patenter agnoscitur.Tua itaq; sanctitas circa eum sollicitè inuigilet, & si hunc cautum in regimine, & humilem in suo sensu fieri cognouerit, tunc eum ad abbatis honorem, deo authore, perducat.Si uerò minus in humilitate proficit, eius ordinationem differat,mihiq; renunciet.

Gregorius Victori episcopo Panormitano. De ordinando sacerdote in monasterio Præcoritano. Cap. XCII

DEsideriũ quod ad religiosum propositũ, & Epist.92
animarum salutem pertinere monstratur,sine aliqua,deo authore, est dilatione cõplendum, Et ideo quia monachorum congregatio quæ in monasterio Præcoritano cõsistit,pro sacris missarum solennibus peragendis presbyteri indigere probatur officio,atq; de sua sibi cõgregatione in hoc ordine postulant cõsecrandũ,fraternitatẽ uestrã scriptis præsentibus adhortamur, ut eum quẽ sibi de congregatione sua unanimes duxerint eligendum,in prędicto monasterio sine mora uel excusatione aliqua presbyterũ debeat ordinare,atq; eũ nec in Ecclesia,nec in loco alio obseruare, sed illic iugiter permanere ex nostra quoq; autoritate cõstituat:quatenus & ille dũ alibi non fuerit occupatus,in officio suo assiduus possit & utilis inueniri,& cõgregatio quæ sibi eum postulat ordinari,quotiens necesse fuerit,ipso sacrificij solennitatẽ uenerationedebita celebrante,ualeat refoueri.

Gregorius Basilio. De schismaticis. Caput XCIII

MVltum cor nostrũ uestræ magnitudini con Epist.93
gaudet,q; sic uos studioſos in uestris actionibus inuenimus, ut uobis & apud homines gloriam,& apud omnipotentẽ deum prędia mercedis acquiratis.Inter alia igitur laudanda quæ agitis,qualiter uos cõtra Hystricorũ schisma pro unitate Ecclesiæ amoris olim feruor accenderit,& multorũ testificatione,& nostrorũ modo plenè relatiõe cognouimus. Vnde redẽptoris nostri misericordiã exoramus, ut sua uobis in omnib⁹ gratia suffragẽ,& effectu uos implere tribuat, q̃d uelle cõcessit. Quia ergo hac in re tanto cõmoda retributionis accrescunt, quanto & studiũ laboris augetur, paterna dilectione salutantes,hortamur ut opportunitate occasionis inuenta, efficaciam ue-

ſtrā exercere enixius debeatis. Atq; id modis quibus poſſibile fuerit omni ſtudio agere contendatis, quatenus prædicabile deſiderium ueſtrum de reuerſione errantium adiuuante domino cōpleatis. Preſentium uero portitorem Caſtorium chartularium noſtrum, quem pro quibuſdam illic cauſis trāſmiſimus, magnitudo ueſtra ut bona ſua multiplicet, ſuis in omnibus ſtudeat ſolatijs adiuuare. Omnipotens deus ſua uos protectione cum filijs & omni domo ueſtra ab omni aduerſitate tueatur atq; cuſtodiat, uobiſq; & præſentis uitæ proſperitatem, & lætitiam futuræ concedat.

Gregorius Maſtaloni. De zelo eius iuſto pro domino. Cap. XCIIII

Epiſt. 94 RE ſponſalium noſtrorum relatione comperimus, quòd pro amore unitatis Eccleſiæ tantus uos diuini zeli ardor accenderit, ut quoſcunq; ualueritis non deſinatis ad ſinum matris Eccleſiæ reuocare, atq; ut bonus fideliſq; famulus lucrum quotidie de accepto dono, domino & redemptori noſtro cū ſumma mentis intentione facere non deſiſtatis. Et quidē uenientē ad nos ut potuimus ex corporalis uiſus oſtenſione didicimus, bonum uerò quod ex diuina inſpiratione in mentis tuæ charitate manebat occultum, deſiderabilius nunc operis atteſtatione cognoſcimus. Vnde diuinæ miſericordiæ gratias ineffabili laude reddentes, hortamur dilectionē tuam, atq; quibus ualemus admonitionibus confortamus, ut quantum te acceptū talentū occultātis pœna perturbat, tantū lucrum facientiū, atq; per hoc de cœleſtis regni perceptione lętantiū, dominicæ uocis imitatio te deſiderabiliter ad petēda corroboret. Scire te nanq; dilectiſſime fili conuenit, q; fructus huius quē apprehendiſti ſtudij, retributionis ſuæ non careat fine. Et ideo præpedientiū te nulla, uel ſi eſt, debet contrarietas perturbare, quia quanto ex difficultate cauſæ bonum perfici domino cooperante ualuerit, tāto tibi erit & glorioſius retributiōis ſpes. Excellentior nanq; naſcit ex deſperatione uictoria, quæcunq; fuerit laboris nimij adepta ſudoribus. Cognouimus etiam quòd Theodoſius filius noſter tui ſequax, boniq; cooperator ſtudij, pariter tecum in ſollicitudine lucrandarū animarum ſolerter inuigilet. Cui omnipotentē deum interceſſione beati Petri apoſtolorum principis retributorem citius eſſe confidimus.

Gregorius Gulfari magiſtro militum. Vt melius quotidie proficiat. Cap. XCV

Epiſt. 95 LAtores præſentiū de Hiſtriæ ad nos partibus uenientes, tanta nobis bona gloriæ ueſtræ retulerunt, ut in reddendā nos uobis gratiarū actionem uehemēter accenderent. Cognouimus nanq; q; inter curas iniunctæ uobis gubernationis illarum partium præcipuam de animarū lucris ſollicitudinem habeatis, & ita errantiū corda ad unitatem feſtinare uos Eccleſiæ reuocare, ut quantum ad deſiderium ueſtrum pertinet, nullum illic ab Apoſtolica ſegregatū remanere uelitis Eccleſia, tātusq; uos beati Petri apoſtolorū principis amor accēderit, ut ouile ipſius cui à domino omnes creaturæ ſunt traditæ, ſummo reintegrare cum deſiderio cupiatis. Habe glorioſe fili ex tanto taliq; opere præfixam de diuina retributione fiduciam, in qua uos non ſolum noſtra adhortatio, ſed apoſtolicus quoq; ſermo confirmat, quia is qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Quantalibet enim ſit temporalis affluentia uel certè proſperitas, habet finem ſuum terminum mortis. Hoc uerò quod de animarū lucris apprehendiſtis ſtudium, tenet fixam ſpei ſuæ certitudinem, æternæ ſcilicet uitæ retributionem. Qua propter paterno ſalutatiōis affectu hortamur gloriam ueſtram, ut pro unitate ſanctæ fidei zelum quem uobis ipſe unitatis autor tribuit, ſtudioſius peragatis, & quouſq; potuerītis, in ſinum matris Eccleſiæ ab ſchiſmatis ſui reuocantes errore, adhortatione cōtinua foueatis. Hoc etiam peragentes, ut & quos per uos dominus ſuo ouili redintegrari cōceſſerit, ita defenſionis ueſtrę ſolatijs protegatis, ut non ſit quo hi qui adhuc in errore ſunt poſiti, reuertentes ad ſalubre conſiliū ualeant applicare. Dum enim uos cauſas dei in terra agitis, ipſe & hic actus ueſtros protectionis ſuæ feliciter ope diſponit, & in æterna uobis uita quam cupitis, pro tanto bono ueſtro retributio exiſtet.

Gregorius Romano defenſori. De Hiſtrianis ad unitatem Eccleſiæ reuerſis. Caput XCVI

Epiſt. 96 PRæſentium portitores huc de Hiſtriæ partibus uenientes, ad epiſcopum ſuum, qui nunc in Siciliæ degit partibus, cum noſtro ſe perrexiſſe ſolatio popoſcerunt. Quos hinc ordinantes fecimus ambulare. Suſcipiens ergo eos experientia tua ordinet qualiter ad prædictū epiſcopū ſuum uelocius ualeant peruenire, ne ſicut aſtruūt, ſchiſmaticorū illarū partiū eos alij ad perſuadendum præueniant. Quantum enim indicant, ipſe epiſcopus pro unitate fidei ad nos habet deſiderium ueniendi. Concurrendum ergo illis eſt, ut bona quæ cupiunt, domino adiuuāte ualeant perficere. Sed experientia tua aut per ſe ſi in uicino eſt, aut ſuis epiſtolis eundem epiſcopū adhortetur, ut propitiante domino, ad Apoſtolorū limina properare feſtinet, ſciturus q; à nobis cum omni ſuſcipiatur affectu. Cui expenſam itineris qualiter ad nos ueniat, præbere te uolumus. Sin uero oneroſum illi eſt huc uenire, & Siciliam habitare diſponit, atq; in unitate Eccleſiæ apud ſcripturarū peruerſores cū cautela permanere conſentit, & hoc nobis tua ſuggeſtione indicare non differas, ut qualiter illic cōſultū habeat, expēſare auxiliāte domino diſponamus. Sed & harū latores quē admodū ad eundē epiſcopū ſuū ueniant, tuæ concurſionis ſit atq; ſolatij, ut uenientes à nobis nihil minus ſentiant.

Gregorius Gallinico exarcho Italiæ. De ſchiſmaticis ad Eccleſiam redeuntibus. Caput XCVII

Epiſt. 97 APud excellentiam ueſtram tanto nobis quę petimus, uelut impetrata iam credimus, quāto & hoc quod petitur, ab officio noſtro non diſcrepat

discrepat,& uos inter curas fluctuationum secula rium æternæ quoq; ex hoc cumulus retributionis expectat. Harum siquidem latores de Histriæ ad nos partibus uenientes,schismaticorũ,inter quos erãt positi,uitantes errorem,unitati Ecclesiæ subdi salubriter cupierunt. Quorũ boni intentionem operis perpendentes,in sinum matris Ecclesiæ cõ petenti cum exhortatione suscepimus, eosq; nostræ desiderantes Ecclesiæ militare gratè concessi mus.Præmisso quapropter excellentiæ uestrę paternæ salutationis affectu,petimus ut eos pro bono desiderij sui quo ad Apostolorũ principis petram solidam concurrerunt,ne fluctuantiũ adhuc erroribus mixti naufragium desperatæ salutis incurrerent,habere dignemini cõmendatos,quatenus ad propria remeantes,nullis propter hoc bonum quod appetisse noscunt,peruersorũ inquietudinibus perturbentur,sed magis in omnibus auxilium uestræ tuitionis inueniant,ut ex eorũ quiete,aliorum adhuc in schismate positorũ corda flectantur,atq; horum per bonum uestri patrocinij prouocati sequaces existant. Ad augmentũ nanq; mercedis uestræ pertinet,si inter curas bellicas sicut corpus ab exteriori hoste,sic animã ab interni insidiatoris impugnatione protegatis,

A tantes,coadunari ouili dominico mẽte promptissima ipsa rei operatione monstratis. Quibus enim scissura displicet,sanos uelle se esse testãtur, & reprobantes errorẽ, ostenditis uos amare quod rectum est, uitare quod deuium. Hinc est q; nos & uestra dudũ directa petitio,& latorũ præsentiũ responsaliũ uestrorũ salubria postulantiũ lætificauit aduentus, per quos significastis uos & deuios reprobare gressus errantiũ,& rectũ salutis iter quærere,per quod unitati uos sanctæ Ecclesiæ reformãtes,ad retributionẽ bene operantiũ, quæ intra eius sinũ cõstituta est debitã, tenderetis. Vnde sic laudabilẽ,uestræq; in æternũ animæ profuturã uoluntatẽ uestrã cũ omni gaudio sumus libenter amplexi. Hoc cum domini auxilio disponentes,ut si-
B quidẽ episcopus quẽ uobis in uestra reformari petiueratis Ecclesia, à schismaticorũ lapsu se segregans,Ecclesiæ uoluerit unitati coniungi, fratri & coepiscopo nostro Mariniano euidenter scripsimus,qualiter petitionẽ uestrã ex nostra authoritate debeat cõfirmare. Sin uerò, quod optandũ à nobis non est,ab illorũ se noluerit schismate separare,idem quomodo uestra Ecclesia propriũ habere ualeat sacerdotẽ, prædicto fratri & coepiscopo nostro scripsimus,quatenus in utroq; & pia mentis uestræ deuotio sortiatur effectũ,& grex dominicus contra insidiantis inimici iacula sit securus.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.
De schismaticis ad Ecclesiæ unitatem reuersis.
Caput XCVIII

Epist.48 LAtores præsentium ad nos de Histriæ partibus uenientes,unitati se Ecclesiæ subdi auxiliante domino cupierunt. Quos pro sui laude desi-
C derij cum affectu suscepimus, eosq; de conseruatione adeptæ unitatis præmissa exhortatione,nostræ quoq;,sicut eorum desiderium erat, Ecclesiæ fecimus militare. Quos fraternitas uestra gratanter excipiat, eisq; opem ut exegerint libenter impendat, quatenus ad propria reuertentes, nullis, ut boni operis sui pœniteant, peruersorum inquietudinibus fatigẽtur. Magis autem apud excellentissimum filium nostrum Exarchum id studiosius peragite,ut suis illos iussionibus apud eos,quorũ illic interest,securos in omnibus reddat,ut horum quiete aliorum quoq; adhuc in schismate positorum animi ad cõuersionis gratiam prouocentur.

Gregorius habitatoribus Capreæ insulæ.
De episcopo eis constituendo. Cap. XCIX

Epist.99 REdemptor noster dei hominumq; mediator conditionis humanę non immemor,sic imis summa cõiungit,ut ipse in unitate permanens,ita temporalia occulto instinctu pia consulens moderatiõe disponat,quatenus de eius manu antiquus hostis nullatenus rapiat, quos ante secula intra sinum matris Ecclesiæ coadunandos esse præsciuit. Nam etsi quisq; eorũ inter quos corporaliter degit,flatibus motus ad tempus ut palmes titubet, radix tamen rectæ fidei,quæ ex occulto prodit,diuino iudicio uirens manet,quæ accepto tempore fructũ de se ostentare ualeat qui latebat. Quod in uobis nunc ex desiderio uestro gestum esse superni respectus illustratione cognoscimus, qui schismaticorum inter quos habitatis pertinaciam resu

Gregorius Felici in Sicilia.
Conqueritur ab Ecclesia suas possessiones fuisse occupatas. Cap. C

Epist.100 C SVsceptis magnitudinis uestræ epistolis cõtristati sumus,q; ab actoribus Ecclesiæ Syracusanæ quasdam possessiones, quas uos tenuisse dicitis,occupatas irrationabiliter indicastis. Sed credimus quia hoc ad fratris & coepiscopi nostri Ioannis notitiam non peruenit. Nam absolutè poterat cognita ueritate si quid illicitè factum est, emendare. Et ideo quia legali prouisione decretum est tam momenti quàm proprietatis causam in uno eodemq; iudicio debere cognosci,nec nos contra inaudita aliquid possumus definire,prædicto fratri nostro scripsimus,ut actores Ecclesię suæ deputare debeat, qui nobiscum sine mora electorum possint subire iudicium, ne aut uos res uestras sine cognitione,sicut querelam facitis,amittere:aut
D pars altera uideat præiudiciũ sustinere. Gloria ergo uestra nullas ad eligẽdos iudices moras interserat aut difficultates,uel differat ad causam accedere. Nam omnino de supradicti fratris & coepiscopi nostri moribꝰ certi sumus, quia facere quicquid rationis ordo exegerit,non recuset.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
Quòd cum Felice iudicium subeat. Cap. CI

Epist.101 FElix uir memorãdus suis nobis epistolis questus est, fraternitatis uestræ actionarios possessiones quas tenuerat, illicitè & contra iuris ordinem peruasisse, petens ablata sibi restitui, & se cum eis, si tamen causam uoluerint dicere, paratum esse in iudicio sine aliqua dilatione cõsistere. Quod si ita est,quia quid legalis ratio habeat non nescitis,oportet ut omni mora postposita,actores

uestræ

ueſtræ Eccleſiæ deputetis, ut cum eo debeant eligere cognitores, qui tam momenti quàm principalis rei quęſtiones cognoſcere ualeant & finire, ne ſi qualibet occaſione dilatum fuerit, & ipſe pati præiudicium, & partes Eccleſiæ non habere iuſtitiam uideantur. Ita ergo agite, ut ſub omni celeritate iudicium eligatur. Nam nos ſic cauſas Eccleſiæ ueſtræ fieri uolumus, ut nec diſpendiũ contra æquitatem ſuſtineat, nec ad ueſtram poſſit aliquã inuidiam ſuſtinere.

Gregorius Theodoro curatori Rauennæ. De pace facta cum Longobardis. Cap. CII

Epiſt. 102 Licet multa de uobis ad nos olim, refer ẽtibus reſponſalibus noſtris, quæ animos noſtros lętificarent peruenerint, nunc autem remeans filius noſter Probus abbas, tanta de gloriæ ueſtræ amplius charitate retulit, quanta de bono reuera & Chriſtinaniſſimo decet filio prædicari. Et quoniã tantum ſibi affectum impẽſum, ac tale ſtudium in ordinanda pace uos habuiſſe narrauit, quale nec in noſtris ciuibus, qui illic antè inuenti ſunt extitit, ſupernæ protectionis miſericordiam poſtulamus, ut hanc uobis uicem in corpore & in anima hìc & in futuro retribuat, qui pro multorum ſalute uigilanter agere quæ erant utilia non ceſſaſtis. Indicamus itaq; Arnulphũ de ſeruanda pace, non ut rex ipſius iurauit, ſed ſub conditione ſi ſibi in quoquã exceſſum non fuerit, aut ſi nullus contra Arogis exercitũ ambulauerit, ſacramenta præſtitiſſe. Quod quia omnino iniquum et doloſum eſt, nos tanq; ſi non iuraſſet putamus, quia in aliquid parũ facilẽ ſibi exercendi occaſionẽ inueniet, & plus nos ſi de eo ſuſpecti non fuerimus, decipiet. Vnarnilfrida uero ad cuius conſiliũ idem Arnulfus cuncta agit, omnino iurare deſpexit. Et id contingit ut ex pace quam multũ deſiderauimus, nos in his partibus nullũ penè remediũ habere poſſimus, quia de eiſdem hoſtibus de quibus ſuſpecti nuncuſq; fuimus, adhuc & in poſterum ſuſpecti ſumus. Cognoſcat præterea gloria ueſtra homines regis qui huc tranſmiſſi ſunt, imminere, ut in pacto debeamus ſubſcribere. Sed recordantes eorum quæ Agilulphus Baſilio uiro clariſſimo contitia ſuper nos in beati Petri dixiſſe fertur iniuriã, quamuis hoc penitus idem Agilulphus negauerit, à ſubſcriptione tamen abſtinere præuidimus, ne nos qui inter eum & excellentiſſimũ filiũ noſtrũ domnũ Exarchũ petitores ſumus & mediį, ſi quid forte clam ſublatũ fuerit, falli in aliquo uideamur, & noſtra ei promiſſio in dubium ueniat, & ſi qua de futuro, quod abſit, neceſſitas fuerit, occaſionẽ inueniat qualiter noſtræ petitioni cõſentire non debeat. Et ideo petimus ut ſicut & à prędicto filio noſtro excellẽtiſſimo popoſcimus, gloria ueſtra ea qua nobis charitate unita eſt peragat, quatenus anteq; homines ipſi ab Arogis reuertantur, rex eis ſub feſtinatione ſcripta tranſmittat, quæ tamen ad nos deferantur, in quibus eis præcipiat ut nos ſubſcribere non petant. Sed ſi tantũ eſt, glorioſum fratrẽ noſtrũ, uel de epiſcopis unũ, aut certè archidiaconem ſubſcribere faciemus. De perſona uero Auguſti gratias agimus, atq; ſtudemus, ut eũ aduerſario ſuo cauſam ſuam ſecundũ ęquitatẽ definiat, quia ita illi ne illuc exhiberet laborẽ imponi uoluimus, ut tamen aduerſario ipſius iuſtitiam non negemus. De alijs autẽ quia dignè uobis gratias agere necdũ occurrimus, in ſubſequẽti reſpõſalẽ dirigimus, per quẽ in charitate qua ad alterutrũ nexi ſumus, amplius miſerante domino conſtringamur. Prętera gloriæ ueſtræ mœror nos uehementer afficit. Sed quia uir ſapiens ea quæ per conſolationẽ dicenda ſunt, cuncta nouit, uerbis conſolari ceſſamus, ſed oratione proſequimur, petentes ut omnipotẽs deus uitã & ſalutẽ ueſtrã ueſtrorũq; omniũ pietatis ſuæ protectiõe cuſtodiat, & cor ueſtrum in afflictione poſitum conſoletur.

Gregorius Occiliano tribuno. De ordinatione eius, & de Sauino epiſcopo. Cap. CIII

Epiſt. 103 COgnoſcẽtes magnitudinẽ ueſtrã de Rauennatis partibus cum ordinatione excellẽtiſſimi filij noſtri domini Exarchi Hydrontinã ciuitatem feliciter remeaſſe, gratè ſuſcepimus, & dominum exoramus quo actus ueſtros ſuę propiciationis opitulatione diſponat. Sauinus ſiquidẽ frater & coepiſcopus noſter ad nos ueniens, graues nobis ciuiũ ſuorũ querelas innotuit, aſſerens à uiatore ex tribuno Hydrontinæ ciuitatis multa ſe hactenus illicita pertuliſſe. Magnitudinem ergo ueſtrã paterno ſalutantes affectu hortamur, ut quicquid pridẽ malè geſtũ eſſe cognoſcitis, iudiciaria debeatis emendatione corrigere. Scitis etenim q; locus ipſe Eccleſiæ noſtræ ſit propriùs, & ipſi pauci qui illic ruſtici remanſerunt, ſi in aliquibus incõpetẽtibus angarijs uel oppreſſionibus affligunt, locũ ipſum deſerunt: &, quod non optamus, hoſtibus datur illum occaſio peruadendi. Prædictũ ergo epiſcopũ, omnesq; habitatores loci ipſius uobis peculiariter cõmendamus, ut non ſolũ nullis illicitis iniunctionibus onerent, ſed magis excõmendatione noſtra ueſtra ſibi in omnibus ſentiãt adeſſe ſolatia, ut & beatus Petrus apoſtolorũ princeps, cuius res ipſa eſt, uobis retributor exiſtat, & nos in ueſtris prõptius utilitatibus cõmodemus.

Gregorius Sauiniano epiſcopo Calliopoli. De hominibus ſuis ab aduerſarijs defendendis. Cap. CIIII

Epiſt. 104 INdicatum nobis eſt q; homines Calliopolitani caſtri, in quo te propiciante domino eſſe conſtituimus ſacerdotem, grauibus diuerſorũ moleſtijs affligantur, atq; in longinquis angarijs multisq; diſpendijs conterantur. Hortamur ergo fraternitatem tuam, ut quia & locus ipſe noſtræ, ſicut cunctis notũ eſt, Eccleſiæ eſſe dinoſcit, ſollicitudinẽ tuã rectę defenſionis zelo ſuccẽdas, eosq; nõ permittas illicitis prægrauari, quia & exemplaria tibi priuilegiorũ Eccleſię de ſcrinio noſtro ob hoc fecimus dari, quatenus informatus ex omnibus qualiter habitatores loci illi⁹ defenſare ualeas, nõ ignores. Volum⁹ etiã ut maſſæ ipſius Callipolitanę homines ſub ſollicitudinis tuæ cura, à futura tertia indictiõe habere debeas, atq; de eorũ releuãdis moleſtijs eſſe cautiſſimum, & adhibita ſollicitudinis

cura

cura, uniuscuiusq; uires quid præstare de sua pen- A
sione Ecclesiæ utilitatibus ualeant, cautè cognoscere, ac secundū uires suas ad persoluendū quēq; disponere. De qua ordinatiõe fraternitas tua subtiliter facta notitia quid dare ipsi homines totius Callipolitanæ massæ possunt, indicare non differat, ut sciamus quid exinde disponere auxiliante domino ualeamus. Ad Sergium uero defensorē præcepta direximus, ut in hac uobis re nō solū nō audeat esse contrarius, sed uobis magis ubi ualuerit solatia subministret.

Gregorius Sergio defensori. De Fruniscendo obnoxio Ecclesiæ Hydrontinæ. Cap. CV

Epist.105 REuerēdissimus frater noster Petrus Hydrontinæ ciuitatis episcopus, questus est nobis B
per Vincentium diaconem suum, Fruniscendum Ecclesiæ suæ in multis existere debitorem, & non solum nolle satisfacere de his quibus tenetur obstrictus, sed etiam cõtemnere subire iudicium. Inde experientiæ tuæ præsenti authoritate præcipimus, ut eum admonere studeat, quatenus si quid de obstrictu Ecclesię se redhibere cognoscit, satisfacere dilatione postposita non desistat. Alioquin mora cessante ad electorū te cõpellente accedat iudicium. Et quicquid ueritate cognita medijs sacrosanctis Euangelijs fuerit statutum, ita ad effectum executionis tua instantia perducatur, ut huius rei querela ad nos denuo non redeat.

Gregorius Sergio defensori. De Petro puero fuga lapso. Cap. CVI

Epist.106 FIllius noster uir magnificus Occilla tribunus C
Sirontinæ ciuitatis ad nos ueniens puerum unum Petrum nomine, artis pistoriæ ex iure germani nostri ad eum noscitur perduxisse. Quē nūc fuga lapsum ad partes illas reuerti cognouimus. Experientia ergo tua anteq; ad Reatinam ciuitatem ualeat isipse contingere, sub qua ualueris celeritate, uel ad episcopum Hydrontinæ ciuitatis, uel ad prędictum tribunum, uel ad alium quem in loco tuo te habere cognoscis, scripta dirigas, ut uxorem uel filios prædicti mancipij sub omni habere debeant cautela, atq; de ipso sollicitudinem gerere, ut perueniens ualeat detineri, & mox cum rebus suis omnia quęq; ad eos pertineant, naui impositis per fidelem personā huc modis omnibus destinari. Experientia itaq; tua cum omni hoc studeat efficacia solertiaq; pficere, ne de neglectu uel mora nostros, q̄d non optamus, animos offendas. D

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. Ne milites in monasterio uirginum hospitentur. Cap. CVII

Epist.107 INsinuauit nobis latrix præsentium Angela abbatissa quòd intra monasterium ipsius milites hospitentur. Et omnino de fraternitatis uestræ sollicitudine mirati sumus, cur hoc patienter tulerit, & non illud cum omni celeritate fecerit emendari. Vnde hortamur ut uel nunc studij uestri sit instanter eis quorum interest imminere, quatenus sine aliqua exinde excusatione tollātur, & nullus illic ulterius hospitium accipiat, ne callidus hostis occasionem inueniens deceptione religiosi habitus, quod absit, ualeat exultare.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De diuisione populi Neapolitani. Cap. CVIII

QVorundam in Neapolitana consistentiū ci- Epist.108
uitate relatione de quibusdam capitulis Stephano deferente suscepimus. De quibus Theodorus uir magnificus maior populi ad nos ueniens, antè questus iam fuerat, à fraternitate tua in eis fuisse præiudicia irrogata. Sed & alterā quorundam relationem in prędicta urbe degentium, qui prædicti maioris populi partem sequunt̄, accepimus. Ex quibus liquidò comperimus in duas se partes populum diuisisse. Et quia nobis triste & tibi graue est inter habitatores memoratæ ciuitatis prodisse discordiam, quorum unitati studere debueras ac concordiæ, ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinatione transmittas, quæ aut in electorū, aut certè in deputatorum à nobis iudicio, si qua pro tuis partibus sunt agenda, aduersariorum intentionibus ac obiectis per omnia ualeat respondere, ut ueritate cognita, salubrem hic finem causa suscipiat, quatenus rationabiliter omnibus capitulis quæ in altercationē uenerant terminatis, nullas in hac cõtentione ingrauedo uires accipiat, sed sola inter te & filios tuos pax, sicut decet, & charitas perseueret. Quia ergo exortæ contentiones nulla illic possunt ratione distingui, quippe ubi tanta in habitatoribus est nata dissensio, ut nullus sit qui possit in iudicio respondere, siue defendendæ alternæ partis studio remanere, ita fraternitas tua agat ut in transmittenda persona, sicut diximus, nullam tarditatem qualibet excusatione subiungat.

Gregorius Sereno episcopo Massilienſi. De imaginibus in Ecclesiis non confringendis. Caput CIX

QVòd fraternitati uestræ tam serò transmitti- Epist.109
mus, non hoc torpori, sed occupationi deputate. Latorem uero præsentium dilectissimum filium nostrum Cyriacum monasterij nostri patrē uobis in omnibus cõmendamus, ut nulla hunc in Massilienſi ciuitate mora detineat, sed ad fratrē & coepiscopum nostrum Syagrium cum sanctitatis uestræ solatio deo protegente proficiscat. Præterea indico dudum ad nos peruenisse quòd fraternitas uestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit atq; proiecit. Et quidem zelum uos, ne quid manu factū adorari possit, habuisse laudauimus, sed frangere easdem imagines non debuisse iudicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus uidendo legant quæ legere in codicibus non ualent. Tua ergo fraternitas & illas seruare, & ab earū adoratu populū prohibere debuit, quatenus & literarū nescij haberēt unde scientiā historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.

Gregorius Syagrio, Betherio, Virgilio, & Desiderio, episcopis aparibus. De simoniaca hæresi, & quòd neophitus non ordinetur, nec episcopi cum mulieribus maneant. Cap. CX

Caput

Epist.110 CAput nostrũ, quod Christus est, ad hoc sua esse membra nos uoluit, ut per compagem charitatis & fidei, unũ nos in se corpus efficeret. Cui ita corde adhærere nos conuenit, ut quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus esse quod dicimur. Ab arce capitis nostri res nulla nos diuidat, ne ab ea, si eius esse membra refugimus, relinquamur, & uelut eiecti de uite palmites arescamus. Vt ergo redemptoris nostri esse habitaculum mereamur, in dilectione ipsius toto mẽtis stu
Ioan.14 dio maneamus. Ipse nanq; ait: Qui diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sed quoniam bonorũ authori hærere aliter non ualemus, nisi cupiditatẽ à nobis, quæ omnium malorũ radix est, abscindamus, per scripta præsentia quæ alterno adinuicem desideratę uisitationis sermone nos sociant, fraternitatẽ uestram institutis Apostolicis cõmonemus, ut patrum regulis & præceptis dominicis innitentes, de templo fidei auaritiam, quæ idolorum est seruitus, excludamus, ut in domo domini nil noxiũ, nilq; debeat esse confusum. Nuncio siquidem apud nos olim discurrente uulgatum est quòd in Galliarum partibus sacri ordines per simoniacam hæresim conferantur. Et uehementi tædio mœroris afficimur, si in Ecclesiasticis officijs quenq; habeat lo-
Cã.1.q.1 cum pecunia, & fit seculare quod sacrum est. Qui
Quicunq; cũq; uero hoc precij studet datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse sed dici tantũmodo inaniter cõcupiscit. Quid scilicet? quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de uita discussio, sed ille solũmodo dignus, qui dare precium sufficerit, æstimetur? Ex qua re si recti libraminis examinatione pensẽ, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis quòd honorem quærit, indignus est. Sicut autem is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admonendus, sic qui ultro ambit, uel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat & ascendendo exterius, interius ad profunda descendat? Itaq; fratres chariſſimi in sacerdotibus ordinandis sinceritas uigeat, sit simplex sine uenalitate consensus, pura præferatẽ electio, ut ad summa sacerdotij non suffragio uenditorũ prouectus, sed dei credatur esse iudicio. Nam quia graue omnino sit facinus, dei donum uelle precio comparare, uel uendere, Euangelica est testis authoritas.
Matt.21 Templum enim dominus & redemptor noster ingressus, cathedras uendentium columbas euertit. Quid est aũt colũbas uendere, nisi preciũ de manus impositione percipere, & sanctum spiritum quẽ omnipotens deus hominibus tribuit, uenundare? Quorum sacerdotium ante oculos dei cadere, cathedrarum utiq; patẽter euersione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitię prauitas uires suas. Nam cogit uendere quos decipit ut emerẽt. Et dum non attenditur quod diuina uoce præcipitur: Gratis accepistis, gratis date, agitur ut crescat, Matt.10
& geminata fiat in uno eodemq; delicti cõtagio, mentis scilicet & uendentis. Et cùm liqueat hãc Cã.1.q.1
hæresim ante omnes radice pestifera surrepsisse, Cũ iiq;
atq; in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam, cur non cauetur, cur non perpendi tur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus, promouetur? Plerunq; ergo aduersarius animarũ dum non potest in his quæ ad faciem sunt praua surrepere, callidè specie quasi pietatis iniecta, nititur supplantare. Suadetq; forsitan debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodo uel sic uenena mortifera eleemosynæ eçlata obumbratione transfundat. Nam nec uenator feram, aut auem auceps deciperet, uel piscem piscator caperet, si aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum in esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda & cauenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subuertere, latente telo fœuius ualeat trucidare. Neq; Cã.1.q.1
enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus di- Non ẽ
spensetur, quod ex illicitis rebus accipitur, quia putanda
qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispensęt, grauatur potius quàm iuuatur. Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur. Vnde etiam illud certum est, quia et si monasteria aut xenodochia uel quid aliud de pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, construantur, mercedi non proficit, quoniam dum peruersus & emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad sui similitudinem sub cõmodi datione constituit, plura malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare qui ab eo pecuniã ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, aperte sacra scriptura nos prohibet dicens: Hostiæ impiorum ab- Prou.21
ominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Quicquid enim in dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursus scriptum est: Honora dominum de tuis iu- Prou.3
stis laboribus. Qui ergo malè tollit, ut quasi bene præbeat, constat sine dubio quia dominũ non honorat. Hinc quoq; per Salomonem dicitur: Qui Eccli.34
offert sacrificium de substantia pauperum, quasi uictimat filiũ in conspectu patris. Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in eius conspectu filius uictimeẽ. Et hinc facilè cognoscimus, quantum apud deum dolor exasperatur, quando ei sacrificiũ ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est dilectissimi fratres sub obtentu eleemosynæ, peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nã aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud ꝓpter eleemosynas peccata perpetrare. Hoc quoq; ad nos peruenisse non dissimili dignũ detestatione cõplectimur, quòd quidam desiderio honoris inflati, defunctis episcopis consurrantur, & fiunt repente ex laicis sacerdotes, atq; inuerecundè religiosi præpositi ducatum arripiunt, qui nec esse

esse adhuc milites didicerũt. Quid putamus quod A
isti subiectis præstaturi sunt, qui anteqũ discipulatus limen attingant, tenere locum magisterij non formidant? Qua de re necesse est, ut quamuis inculpati quisq; sit meriti, antè tamen per distinctos ordines Ecclesiasticis exerceatur officijs. Videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat: ut postea non debeat errare qui eligitur uiam erranti demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur ut placeat, & sic lucerna super candelabrum posita luceat, ut aduersa uentorum uis irruens, cõceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat. Nam cùm scriptum sit, ut prius quis probetur, & sic ministret, multo amplius antè probandus est, qui populi intercessor B
assumitur, ne fiant causa ruinæ populi sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio, quia cunctis liquidò notum est quę sit in huius rei negligentia egregij sollicitudo doctoris, qui neophitum ad ordines uetat sacros
Prima pars. dist. 48. c. Sicut neophitus accedere. Sicut autem tunc neophitus dicebatur, qui in sanctæ fidei erat eruditione plãtatus, sic modo neophitus habẽdus est, qui repente in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinatè ergo ad ordines ascẽdendum est. nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit a-
1. Tim. 5 scensum. Et cùm idem Apostolus doceat inter alia sacri ordinis instituta discipulum, manum non esse cuiq; citius imponendam, quid hoc celerius, C
quidue præcipitantius, quàm ut exoriatur à summitate principium, & antè esse incipiat episcopus
Cl. 1. q. 1 Nondum quàm minister? Quisquis ergo sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatẽ adipisci desiderat, prius uires suas cũ hoc quod est subiturus onere metiatur, ut si impar est, abstineat, & ad id cum metu etiã cui se sufficere existimat accedat. Abre autem non facimus, si ad argumentũ rationabile, usum rerum irrationabilium colligamus. Apta nanq; ædificationibus de siluis ligna succiduntur, nec tamen adhuc uiridibus ædificij pondus imponitur, nisi eorum uiriditatem multorum dierum mora siccauerit, & apta ad necessarium usum effecerit. Quæ obseruantia si forte negligitur, citius superimposita mole franguntur, & D
gignit ruinam ad auxiliũ res prouisa. Hinc enim & medici, qui curam gerũt de corpore, quædam adiutoria recenti adhuc confectione formata, indigenti non offerunt, sed maceranda temporibus derelinquunt. Nam si immaturè quis dederit, dubium non est quia sit causa periculi, res salutis. Discant itaq;, discãt in officio suo sacerdotes quibus animarum credita est cura, seruare quod diuersarum artium homines docẽte ratione custodiunt, & à præcipiti se ambitione si non metu, saltem pudore cõtineant. Sed ne forsan adhuc prauæ se consuetudinis quisq; uelit obiectu defendere, fraternitatis uestræ discretio rationis eos freno coerceat, & labi in illicitis non permittat: quia quicquid ultione dignum est, non ad imitationis, sed in exemplum potius debet correptionis adduci. Neq; au-

tem hoc quod similiter corrigendum est, patimur negligenter omittere. Nam quid prodest cuncta munijsse, si per unum locũ pernicioſus hosti præbeatur accessus? Cum his itaq; qui in sacro sunt ordine constituti, habitare mulieres prohibentur. De quibus ne antiquus humani generis inimicus exultet, omnium definiendũ consensu est, ut præter eas quas sacri canones complectũtur, alias secum mulieres habere non debeant. Quæ interdictio & si fortè aliquibus ad tempus amara est, certum est quia postmodum ex ipsa animæ utilitate dulcescit, si unde inimicus superare potuit, superetur. Nec hoc quoq; in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias cõcilijs patrum prouidentia utilitatis causa sancitum est. Vnde nequa inter fratres dissensio, nequa inter præpositos & subiectos sint fomenta discordiæ, in unum cõuenire sacerdotes necesse est, ut & de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatiõe collatio, quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omniporens dominus fratrũ cõcordia collaudetur. Cuius uobis adesse præsentiam, si
hæc obseruabitis, scitote, quia scriptũ est: Vbi sue Mat. 18
rint congregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo adesse dignatur ubi duo uel tres fuerint, quanto magis non deerit, ubi plures conuenerint sacerdotes? Et quidem quia de habendo bis in anno concilio patrũ sit regulis statutũ, non latet. Sed ne forte aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamẽ sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut expectatione concilij nihil prauũ, nihil præsumatur illicitum. Nam plerunq; etsi non amore iustitiæ, metu tamen examinis abstinetur ab hoc quod omnium notũ est posse displicere iudicio. Hanc frater charissime obseruantiam nostris relinquendam posteris teneamus, & omnia quæ ad eruditionẽ nostram sacris apicibus scripta sunt, meditemur: atq; ad ea quoscunq; possumus incitemus. Certũ quippe est, quia si toto corde præceptis nos salutaribus occupamus, omniũ uitiorũ labẽ effugimus, quia dum in his quibus ædificamur innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus. De his itaq; quæ superius dicta sunt, fraternitatem uestram, authore deo, uolumus synodum congregare, atq; in ea reuerendissimo fratre nostro Aregio coepiscopo, & dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnentur, id est, ut nullus pro adipiscẽdis Ecclesiasticis ordinibus dare aliquod cõmodum præsumat, uel pro datis accipere, nec ex laico habitu quisq; repẽte audeat ad locũ sacri regiminis peruenire. Neq; ut aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi quæ sacris, ut prædictũ est, canonibus sunt permissæ. De quibus cunctis reuerẽdissimus frater noster Syagrius episcopus cum omni synodo dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate remeante, nobis quæ acta sunt, studeat renunciare, ut subtiliter agnoscentes quid, & cum

qua cautela,uel qualiter ſit decretum, omnipoten A ſit,ut nec ipſe mœror incumbens diutius, ut dig-
ti deo de uita ueſtra ac moribus gratias inceſſabi- num erat, & res deſiderata poſcebat, ſineret per-
liter perſoluamus. manere,& nos in multis implicitos ut Eccleſiaſti-
cæ rationis eſt, conſideratio nouũ hoc inconſultè
Gregorius Aregio epiſcopo. Conſolatoriã ſcri- & ſubitò nõ permitteret indulgere,idcirco poſtu-
bit epiſtolam,de interitu hominũ ſuorum,& uſum latæ rei prolongatus effectus eſt. Nunc uerò cha-
dalmaticarum cõcedit,& de ſynodo facienda hor- ritatis tuæ bona reuocantes ad animum, huius au
tatur. Cap. CXI thoritatis noſtræ ſerie petita concedimus, atq; te
& archidiaconem tuum dalmaticarũ uſu decoran
Epiſt.111 FRaternitatis ueſtræ afflictio quam de amiſſio dos eſſe conceſſimus,eaſdẽq; dalmaticas dilectiſ-
ne ueſtrorum uos hominum habuiſſe cogno ſimo filio noſtro Cyriaco abbate deferente tranſ-
uimus,tantam nobis cauſam mœroris iniecit, ut miſimus. Præterea in ea ſynodo quã contra ſimo-
quia nos de duobus charitas unum fecit, cor no- niacam hæreſim per fratrem & coepiſcopum no-
ſtrum in ueſtris ſpecialiter uri tribulationibus ſen ſtrum Syagrium decreuimus congregari, ſanctita
tiremus.Sed in hoc dolore multum me conſolata tem ueſtrã uolumus intereſſe, atq; eidem fratri ita
eſt ſanctitatis tuæ ad animum reducta diſcretio, B pallium quod tranſmiſimus tribui, ſi prius ſe pro-
quam & patienter ferre triſtitiã, & decet de mor- miſerit illicita quæ prohibuimus, per definitionẽ
te, ſpe uitæ alterius, longam non habere mœſti- ſynodicam à ſancta Eccleſia remoueri. De qua ſy
tiam. Ne tamen aliqua adhuc tribulatio in ueſtra nodo omnem nobis ſubtiliter ordinem tuam fra-
mente ſe teneat,horror quieſce dolere, deſine tri- ternitatem uolumus ſcriptis diſcurrentibus nun-
ſtis eſſe.Nam indecens eſt de illis tædio afflictio- ciare,ut ipſe cuius nobis ſanctitas ualde experta
nis addici,quos credendũ eſt ad ueram uitam mo eſt,nos reddas de omnibus certiores.
riendo peruenisſe. Habent forſitan illi iuſtam lon
gi doloris excuſationem,qui uitam alterã neſciũt, Gregorius Syagrio epiſcopo Auguſtudunenſi.
qui de hoc ſeculo ad melius eſſe tranſitũ non con De conuerſione gentis Anglorum, & Auguſti-
fidunt.Nos autẽ qui nouimus, qui hoc credimus no epiſcopo,& de ſynodo. Cap. CXII
& docemus,contriſtari nimiũ de obeuntibus non
debemus, ne quod apud alios pietatis tenet ſpe- MAgiſtra bonorũ omnium charitas, quæ nil Epiſt.112
ciem,hoc magis nobis in culpa ſit. Nam diffiden- ſapit extraneum,nil aſperum, nil cõtuſum,
tiæ quodãmodo genus eſt, cõtra hoc quod quiſq; ita exercet corda & corroborat, ut nihil graue,nil
1.Theſſ.4 prædicat,torqueri mœſtitia,dicẽte Apoſtolo:No difficile exiſtimet,ſed fiat totũ dulce quod agitur.
lumus autem uos ignorare fratres de dormienti- Huius igitur cùm ſit propriũ nutrire cõcordiam,
bus,ut non cõtriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem C ſeruare coniuncta,diſſociata cõiungere,praua di-
non habẽt.Hac itaq; frater chariſſime ratione per rigere,& uirtutes ceteras perfectionis ſuæ muni-
ſpecta,ſtudendum nobis eſt: ut, ſicut diximus,de mine ſolidare, quiſquis in eius radices ſe inſerit,
mortuis non affligamur,ſed affectũ uiuẽtibus im- nec à uiriditate deficit, nec à fructibus inaneſcit,
pendamus,quibus et pietas ad utilitatem,& ſit ad quia humorem fœcunditatis opus efficax non a-
fructũ dilectio. Proinde obiurgando, hortando, mittit. Atq; ideo multũ tibi condelector atq; con-
ſuadendo,blandiendo,conſolando prodeſſe qui- gaudeo quòd ſic eadem charitate te præditũ mul-
bus poſſumus feſtinemus.Lingua noſtra bonis fo torum teſtificatione comperio, ut & ipſe quæ ſa-
mentum ſit,prauis aculeus, tumidos retundat,ira cerdotis ſunt decenter exhibeas, & alijs te lauda-
tos mitiget, pigros exacuat, deſides hortatu ſuc- biliter imitandum oſtendas.Quia igitur in prędi-
cendat,refugientibus ſuadeat,aſperis blandiatur, cationis opere,quam diu cogitans Anglorũ gen-
deſperatos conſoletur.Et quia ductores dicimur, ti per Auguſtinum quondam monaſterij mei præ
uiam ſalutis gradientibus oſtẽdamus. Simus in cu poſitum,nunc fratrem & coepiſcopum noſtrũ im
ſtodia uigilantes, aditus contra hoſtis inſidias ſol- pendere ſtudui,ita ſollicitum atq; deuotum,adiu-
liciti muniamus. Et ſi quando per deuia ouem de toremq; in omnibus te,ut oportuit, fuiſſe cogno-
cõmiſſis gregibus error abduxerit, toto illam ad- D uimus, ut magnum me ſibi fraternitas tua hac de
niſu ad caulas reuocare dominicas contendamus, re faceret debitorẽ,tantę rei conſideratione com-
ut de paſtoris nomine,quod habemus,non ſuppli monitus,ne infructuoſus erga te uiderer exiſte-
cium, ſed præmium conſequamur. Quia ergo in re,fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratio
his omnibus diuinę gratiæ adiutorio opus eſt,om ne poſtponere. Proinde ſecundum poſtulationis
nipotentis dei aſſiduis precibus clementiam exo tuæ deſiderium pallij te uſu,quod intra Eccleſiam
remus, quatenus ad hæc nobis operanda & uelle tuam habere debeas,ad ſacra tantum miſſarum ſo
tribuat, & poſſe concedat, atq; in ea nos uia cum lennia celebranda,deo autore, præuidimus hono
fructu boni operis, quam ſe paſtor paſtorum eſſe randum. Quod tamen ita tibi dandum eſſe decre-
teſtatus eſt,dirigat:ut ſine quo facere nihil aſſurgi uimus,ſi prius per ſynodi definitionem emenda-
Parte 1 mus,per ipſum implere omnia ualeamus. Præte- ri promiſeris quæ corrigenda mandauimus: quia
diſt.23 rea communis filius Petrus diaconus nobis inno- dignũ profecto eſſe credimus,ut cum mentis gra-
Cõmunis tuit,q; fraternitas ueſtra tempore quo hic fuit po- uitate qua deo te propitio pollere didicimus, ha-
poſcerit ut ſibi & archidiacono ſuo utendi dalma bitus quoq; exterioris clarior in te cultus accreſce
ticis licentiã præberemus. Sed quia ita hominum ret: præſertim cùm te hunc non ad ſuperfluæ ela-
ſuorum infirmitate compulſus feſtinanter abſceſ- tionis pompam, ſed pro genio & honore tuæ ar-
bitramur

bitramur Ecclesiæ petiuisse. Cuius ne indumenti munificentiam nudam uideamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendū, ut metropolitæ suo per omnia loco & honore seruato, Ecclesia ciuitatis Augustudunæ, cui omnipotens deus præesse te uoluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum & ordinem ex nostræ authoritatis indulgētia uendicare. Cęteros uero episcopos secundum ordinationis suæ tempus, siue ad consedendum in concilio, siue ad subscribendum, uel in qualibet alia re sua attendere loca decreuimus, & suorū sibi prærogatiuam ordinum uendicare, quia omnino rationis ordo nos admonet ut cum usu pallij aliqua simul, sicut diximus; largiri priuilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento, cura quoque sollicitudinis debet accrescere, ut cultui uestium actionis quoq; ornamenta cōueniant, oportet ut enixius in cunctis se studijs uestra fraternitas exerceat. Et circa subiectorū actus sit cura uigilans, ut uestrū illis exemplum instructio & uita magistra sit. Linguæ uestræ exhortatione discant quod metuant, & doceant quod diligant, ut dum talēta credita lucro multiplicata reddideris, in die retributionis audire sis meritus: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui. Curā præterea congregandæ synodi, quam uobis atq; alijs fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione fiendam scripsimus, uestræ specialiter sollicitudini noueritis incumbere. Vnde quia præcellentissimos filios nostros Francorum reges magnam uobis nouimus dilectionē impendere, omni uos studio omniq; agere annisu necesse est, ut quod de synodo congreganda mandauimus, fraternitatis uestræ uigilantia compleatur, atq; omnia illic quę pro animarum salute scripsimus censeantur: quatenus per hoc & uos zelum uestrū, & qualiter uobis illicita displiceant ostēdatis, & nos utiliter prouidisse, qui uestram ad hoc præ cæteris personam eligimus, uideamur.

Parte 1 dis. 17. ca. Episcopos

Parte 1 dis. 100. ca. Ranonis

Matt. 25 & Luc. 19

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. De laicis ad episcopatum non adhibendis. De simoniaca hæresi. De synodo. De Iudæis Christiana mancipia possidentibus. Caput CXIII

Epist. 113

POstquam excellētiæ uestræ sollicitudo, regia est ubiq; gubernatione laudabilis, ad augmētum gloriæ suæ uigilantiorē se debet & prouidam exhibere, ut quos cōsilio regit exterius, perire interius non permittat, quatenus per fructū piæ sollicitudinis post huius, quod geritis, tēporalis regni fastigium, ad æterna, deo autore, possitis regna pertingere. Quod quidem hac uobis confidimus posse ratione contingere, si inter alia bona de ordinandis curam sacerdotibus gesseritis. Quorum officium in tantam illic, sicut didicimus, ambitionem perductū est, ut sacerdotes subitò, quod graue nimis est, ex laicis ordinent. Sed quid isti acturi, quid populo præstaturi sunt, qui non ad utilitatem, sed fieri ad honorem episcopi concupiscunt? Hi ergo qui necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agunt nisi ut paucorum prouectus illicitus, fiat multis interitus, & in confusionem Ecclesiasticæ moderationis obseruantia deducatur? quippe ubi nullus regularis ordo obseruatur. Nam qui ad eius regimē improuidus, & ob hoc præcipitatus magis accedit, qua admonitiōe subiectos ædificet, cuius exemplū non rationem docuit, sed errorem? Pudet profectò, pudet alijs tales imperare, quod ipsi nesciunt custodire. Nec illud quidem quod simili emendationi tradēdum est, præterimus, sed omnino execrabile & esse grauissimum detestamur, quòd sacri illi ordines per simoniacam hæresim, quæ prima cōtra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conserantur. Hinc igitur agitur, ut sacerdotij dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit utiq; reuerētia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare, cōmittit: & nefaria ambitione honorabilis sacerdotij ducit in deprauatione censura. Nam quis denuo ueneretur quod uenditur, aut quis non uile putet esse quod emit? Vnde ualde contristor, & terræ illi condoleo, quia dum sanctum spiritum, quem per manus impositionē omnipotens deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed præmijs assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernæ gratiæ uenalia iudicantur, ad dei seruitium non uita quæritur, sed magis contra deum pecuniæ uenerātur. Quia igitur tantum facinus non solum illis periculum, uerum etiam uestro regno satis est noxium, salutantes excellētiam uestram paterno affectu, petimus ut de huius prauitatis emendatione deum uobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps ualeat occasione cōmitti, synodum fieri iussio uestra constituat, ubi presente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub districta anathematis interpositione debeat interdici, ne ullus ex laico habitu subitò ad episcopatus audeat gradū accedere, neq; pro Ecclesiasticis ordinibus cuilibēt quicq; dare, uel ausus sit accipere: ut dominus & redēptor noster sic quæ uestra sunt faciat, sicut excellētiā uestrā in ijs quę sua sunt, pia esse uiderit deuotiōe sollicitā. Curā uero & sollicitudinē eiusdē synodi quā fiēdam decreuimus, fratri coepiscopoq; nostro Syagrio, quem uestrum nouimus specialiter delegare curauimus, quem petimus ut & supplicantem libēter audire, & opere iuuare digneminí: quatenꝰ quod ad mercedem uestram respiciat, remoto huius mali contagio in cunctis finibus iuri uestro subiectis, pia & deo placita procedat ordinatio sacerdotū. Cui fratri nostro pro eo quòd se in ea prædicatione quæ Anglorum genti, authore domino, facta est, deuotum uehementer exhibuit, palliū ad missarum solennia utendum transmisimus, ut quia iuuare spiritalia studuit, apostolorum principis solatio in ipso quoq; inueniatur spiritali ordine processisse. Omnino præterea admirati sumus, quòd in regno uestro Iudæos Christiana mācipia possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes nisi membra Christi? Quorum uidelicet membro-

Parte 1 dis. 61. ca. Sacerdotale

rum caput cuncti nouimus quia fideliter honoratis. Sed quàm diuersum sit, excellentia uestra perpendat, caput honorare, & mẽbra ipsius hostibus calcanda submittere. Atq; ideo petimus ut excellentiæ uestræ constitutio de regno suo huius prauitatis mala remoueat, ut in hoc uos amplius dignas cultrices omnipotentis domini demonstretis quòd fideles illius ab inimicis eius absoluitis.

Gregorius Theodertco & Theoberto regibus Francorum aparibus. De simoniaca hæresi. Et ut ex laicali habitu nullus fiat episcopus. Caput CXIIII

Epist.114

CVm regni uestri nomen inter cæteras gentes gratia olim Christianæ religionis effulserit, ualde studendum est, ut unde gloriosiores cæteris gentibus eminetis, inde omnipotenti domino qui dat salutem regibus, perfectius placeatis, & fidem quam colitis, adiutricem in omnibus habeatis. Optaueramus quidem præcellentissimi filij nostrũ ad uos solita dirigere uisitatione sermonem, ut charitatis officijs paternũ monstraremus affectum. Sed quia animum res contristat illicita, sic unum nos conuenit exhibere, ut aliud sub silentio, quod emendatione indiget, minimè relinquamus. Quod si diligenter attenditis, pro salutis uestræ nos loqui prorsus incolumitate cognoscetis.

Cã.1.q.1 ca.Fertur

Fertur autem simoniaca hęresis, quæ prima cõtra dei Ecclesiam diabolica plantatione surrepsit, & in ipso ortu suo, zelo Apostolicæ ultionis percussa atq; damnata est, in regni uestri finibus domina ri, cùm in sacerdotibus fides sit eligẽda cum uita. Si enim uita deest, fides meritum non habet, beato Iacobo attestante, qui ait:

Iacobi 2

Fides sine operibus mortua est. Quę enim opera esse ualeant sacerdotis, qui honorẽ tanti sacramenti conuincitur obtinere per præmium? ex qua re agitur ut ipsi quoq; qui sacros ordines appetunt, non uitam corrigere, non mores cõponere studeant, sed diuitias quibus honor sacer emitur, satagant cõgregare. Hinc fit etiã ut insontes & pauperes à sacris ordinibus prohibiti, despectiq; resiliant. Et dum innocentia displicet, dubium non est q; præmium illic delicta cõmendent, quia ubi aurum placet, ibi & uitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris & ordinati animam letale uulnus infligitur, uerum etiam excellentiæ uestræ regimẽ uestrorum episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus iuuari debuerat, prægrauatur. Si enim dignus is sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi in honoribus Ecclesiasticis grauitas, nil defendat industria, sed totum auri prophanus amor obtineat. Et dum uitia remunerantur honore, in locum ultoris is qui fortasse fuerat ulciscendus adducitur, atq; hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius iudicantur. Vulnerato nanq; pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? Aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostilibus feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cuius graui peste radix infecta est? Maior ergo metuenda est locis illis cala

A mitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui dei in se magis iracundiam prouocant, quam per semetipsos placare debuerant. Audiuimus autem quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxẽtur. Nec hoc quoq; malũ sollicitudo nostra patitur negligenter omittere, q; quidam instinctu gloriæ inanis electi, ex laico repente habitu sacerdotij honorem arripiũt: &, quod dicere pudet, & graue tacere est, regendi rectores, & qui docendi sunt doctores nec erubescunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus uia omnis ignota doctoris est, & quo uel ipsi gradiantur, ignari sunt.

B Quod q; prauum, quamũe sit temerarium, seculari etiam ordine & disciplina mõstratur. Nam dum dux exercitus non nisi labore & sollicitudine expertus eligitur, quales animarũ duces esse debeãt, qui ad episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere, huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repente inexpertos labores abstineant, ne cæca honoris ambitio & ipsis in pœnam sit, & alijs pestifera erroris semina iaciat: quippe qui non didicerunt, quod ipsi doceãt. Proinde paterno salutantes affectu petimus excellẽtissimi filij, ut hoc tam detestabile malum de regni uestri studeatis finibus prohibere, & nulla apud uos excusatio, nulla cõtra animam uestram suggestio locum inueniat, quia facientis proculdubio culpã habet, qui quod potest corrigere, neglígit emendare. Qua de re ut magnum omnipotenti domino munus ualeatis offerre, synodũ congregari præcipite. In qua sicut fratribus, coepiscopisq; nostris mandauimus, præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub anathematis debeat obligatione constitui, nullum pro Ecclesiastico ordine aliquid unq; dare, nullum accipere, nec quenq; ex laicis ad sacerdotium repente transire, quatenus hanc uobis mercedem, & hic, & in futura uita redemptor noster cuius sacerdotes interius ab hoste perire non sinitis, recõpenset. Omnino præterea admirati sumus, q; in regno uestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes, nisi mẽbra Christi? Quorum uidelicet membrorũ caput cuncti nouimus, quia fideliter honoratis, sed quàm diuersum sit excellentia uestra perpendat, caput honorare, & membra ipsius hostibus calcanda permittere. Atq; ideo petimus ut excellentiæ uestræ constitutio de regno suo huius prauitatis mala remoueat, ut in hoc uos amplius dignos cultores omnipotentis domini demonstretis, quòd fideles illius ab inimicis eius absoluitis.

C

D

Gregorius Virgilio episcopo Arelatensi. De priuilegio monasterij Arelatensis. Cap. CXV

Epist.111 Cã.16.q.1 c.Cũpse

CVm piæ desiderium uoluntatis, & laudandæ deuotionis intentio sacerdotalib. sit semper studijs adiuuanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete monachorum religio sæq; cõuersationis fuerint ordinata, nec dissimulatio

latio negligere, nec quædam ualeat præsumptio perturbare. Sed sicut hoc quod ratio exigebat utilitatis, oportuit definiri, ita quod definitum est, (nisi forte ubi maior est autoritas) non debet uiolari. Igitur gloriosæ memorię Childebertus Francorum rex catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatēsis ciuitatis, monasteriū uirorum, ut scripto reperimus, pro sua mercede cōstituens, quædā ibidē pro habitantiū sustētatione cō cessit. Cuius ne uoluntas unq̄ duceretur in irritū, & ea quæ pro quiete monachorū dispositа fuerāt, turbarent, quæq̄ contulit in iure monasterij, Epistolis suis Apostolica petijt authoritate firmari. Hoc quoq̄ suæ petitioni subiungens, ut eidē monasterio tam in dispositione rerū, q̄ in ordinatione abbatis, quædā pariter priuilegia largirentur. Sciens quippe eam Apostolicæ sedi reuerentiam à fidelibus exhiberi, ut quæ eius fuissent decreto dispositа, nullius deinceps illicitæ usurpatiōis molestia quaterentur. Vnde quia effectū & regia uoluntas, & res ualde desiderata poscebat, à prædecessore nostro Vigilio Romanæ sedis antistite ad prædecessorē uestrū Aurelium scripta transmissa sunt, ubi omnia quæ amplectendæ uoluntatis studium deposcebat, Apostolicæ authoritatis libenter annisu firmata sunt, quia difficultatē pati non potuit huiusmodi res petita. Sed ut fraternitas uestra, quæ fuerant tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his præuidimus scriptis adiungi: Quibus lectione percursis hortamur ut omnia sacerdotali, sicut decet, studio inuiolata conserues, nihilq̄ illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam patiaris usurpatione cōuelli. Nam licet ea quæ semel Apostolicæ sedis authoritate sancita sunt, nil egeant firmitatis, ex abundantia tamen nostra cuncta quæ pro huius rei quiete à prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterū autoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo uestra ita se in custodiendis eis exhibeat, quatenus & omnem occasionē inquietudinis excludat, & alijs hæc operari studeat, dum se in custodienda defuncti pijssima uoluntate sollicitā, ut decet, exhibuerit & deuotam.

Gregorius Desiderio episcopo.
De priuilegijs Ecclesiæ suæ. Cap. CXVI

Epist.116 FRaternitatis uestrę desiderium Ioannis regionarij relatione cognouimus: quod quidem libenter parati sumus implere, si diligēter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem à uestra sibi relatū dilectione q̄ Ecclesiæ uestræ quædam olim priuilegia ab Apostolica sede concessa sunt, atq̄ usum pallij eius sacerdotes antiquitus habuisse. Quod quia uobis magnopere poscitis reformari, in Ecclesiæ nostrę scrinio requiri fecimus, & inueniri nil potuit. Sed quoniā quanto studiosius ista cupitis adipisci, tanto uos arbitramur esse sollicitos, in requirendis chartis Ecclesiæ uestræ uigilantius curam impēdite, & si qua exinde scripta inueniri potuerint quæ nos ualeāt informare, huc curæ uestræ sit transmittere. Nam qui noua concedimus, uetera libentissimè reparamus.

Greg. Gregorius Syagrio episcopo Augustudunensi. De Menate & Theodoro episcopis malè uiuentibus. Cap. CXVII

CVm sacerdotalis dignitas alijs uideatur dignitatib. eminere, ita quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandū debet ostendere, ut exemplo sui nulli nocere, sed uitam potius ualeat cōponere subiectorū. Nā si actus dissentiat à nomine, quanto pontificatus ipse plus erigit, tanto magis addicit. Itaq̄ Menatē quendā episcopū, qui illic de dioceſi Romanæ Ecclesiæ nostra ordinatione profectus est, in tantam se leuitatem didicimus exhibere, ut & nobis de eo maior sit uerecundia, & illi episcopatus nomen non sit in honore, sed onere. Quod quia pudoris nobis est de eo illa cognoscere, quæ in aliarum prouinciarū omnino reprehendimus sacerdotibus, fraternitas uestra eum illic imorari amplius non permittat, sed ad nos quanto cyus reuerti compellat, ac magis inuenta per omnia occasione transmittat, ut sub ea qua dignū est obseruantia refrenatus, seculares mores ad sacerdotalem studeat conuertere grauitatē. Nam satis noxiū atq̄ pernicioſum est, ut imitatione ipsius, quæ ædificari debuerant, destruant. In qua re non solū ille culpabilis, sed etiā qui non restiterit inuenitur. Quia uerò Theodorus quidā episcopus de dioceſi reuerendissimi fratris nostri Cōstantij Mediolanēsis Ecclesiæ episcopi disciplinā, ut dicit, euitans, illic uenisse firmatur, hortamur ut & isto diligētius requisito, ad episcopū suū uestra fraternitas transmittat. Et quia sicut legitur: Qui abijcit disciplinā, infelix est, nulla eum illic se excusatione patiamini retinere, quatenus ipsi qui leuitatis eorum uitio possunt decipi, liberentur, & de ipsis habere mercedē ne in hac stultitia pereant ualeatis. Epist.117 Sapien.3

Gregorius Virgilio & Syagrio episcopis Galliæ.
De Syagria defendenda. Cap. CXVIII

COmmissi officij qualitas me fratres charissimi in uocem cogit doloris erumpere, & dilectionē uestrā anxietate charitatis exasperare, q̄ illic uos nimiū negligentes & remissos dicitur extitisse, ubi studiū uestrū acriter iustitiæ rectitudo, & zelus debuit castitatis accēdere. Peruenit enim ad nos Syagriā quondam uitā religioſam, mutatis etiā uestibus assecutā, postea marito uiolēter esse, quod dici iniquū est, sociatā, & nullo uos in eius defensione dolore permotos. Quod si ita est, uehementius ingemisco, ne apud omnipotentē dominū, quod absit, mercenarij officiū, & non pastoris meritū habeatis. Quippe qui in ore lupi ouem laniandā sine certamine reliquistis. Quid enim dicturi, quamúe rationē futuro estis iudici reddituri, quos stupri scortatio non cōmouit, quos ad defendendū fauor nequaq̄ religioſi habitus excitauit, quos ad tutandā pudicitiæ integritatē sacerdotalis consideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriā redeat, huius recordatio culpæ sollicitet, & officij uestri consideratio ad prædictæ mulieris uos adhortationē impellat. Et nē forte per tempus trāsisset in uoluntatē necessitas, lingua illi uestra medela sit, atq̄ admonentibus Epist.118

uobis, orationibus operā det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, redēptori noſtro cor pœnitens exhibeat, & caſtitatis damna quam ei corpore ſeruare non licuit, fletu reſarciat. Quia ergo prædicta mulier res ſuas etiam nunc pijs, ut fertur, deſiderat cauſis impēdere, hortamur ut frater nitatis ueſtræ hac in re fauorē inueniat, ſolatijs potiatur, & ſeruata cōpetēti filijs portione, fas illi ſit de ſubſtātia ſua iudicare quod uelit. Veſtrū enim ſine dubio bonū facitis, ſi bona uolentibus opem fertis. Hæc igitur dilectiſſimi fratres quæ loquimur, ex quanto procedant amore penſate, & omnia cum ea qua dicuntur charitate ſuſcipite. Nam dum unum in redemptoris noſtri corpore corpus ſumus, in his quæ uobis nocere ſentio, ſimul uror. Qua autem intentione, quóue affectu hanc uobis Epiſtolā miſerim, cordi ueſtro ueritatis author aperiat. Et ideo hęc fraterna uos admonitio non cōtriſtet, quia & aſperū poculum libenter accipitur, quod intentione ſalutis offertur. Quod ſupereſt, chariſſimi fratres, iunctis dei noſtri miſericordiā precibus exoremus, ut uitam noſtram in ſuo propitius timore diſponat, quatenus & hìc illi ſacerdotaliter deſeruire, & in conſpectu ipſius in futuro ſecuri aſſiſtere, & ſine metu ualeamus.

Gregorius Syagrio epiſcopo Auguſtudunenſi. De Vrſicino Tauritanæ ciuitatis epiſcopo. Caput CXIX

Epiſt.119 SI in rebus ſeculariḃ ſuū cuiq; ius & proprius ordo ſeruandus eſt, quanto magis in Eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci cōfuſio, ne ibi diſcordia locū inueniat, unde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione ſeruabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totū æquitati tribuitur. Perlatum ſiquidē ad nos eſt, dilectiſſimū fratrē noſtrū Vrſicinū Tauritanæ ciuitatis epiſcopū, poſt captiuitatē & deprædationē quā pertulit, graue in parochijs ſuis, quæ in Francorū ſitæ terminis perhibentur, præiudiciū pertuliſſe, deniq; ut alter illic cōtra Eccleſiaſtica ſtatuta nullo eius crimine depoſcente conſtitueret antiſtes. Et ne leue forſitan uideretur huius rei præiudiciale cōmiſſum, etiam aliquid doloris eſt additum, ut res ei Eccleſiæ ſuæ quas habere potuit, tollerentur. Quòd ſi hæc ueritate ſubſiſtunt, quia crudele nimis eſt, & apertè ſacris canonibus inimicū, ut ab altari proprio inſontem ambitio remoueat ſacerdotē, qui nō meretur ex crimine ſucceſſorē, ſuam in huius prę̄iudicium cuncti cauſam attendant, et quod nolunt perpeti, nec alijs imponāt. Nam ſi prauæ rei aditus anteq; diu pateſcat non clauditur, uſu fit latior: & erit cōſuetudine licitū, quod ratione conſtat eſſe prohibitum. Sed præ cęteris fraternitatis ueſtræ ſollicitudo pro noſtra cōmendatione, ac diuinæ conſiderationis intuitu, in eius ſe enixius defenſione impendat, et à ſuis illum amplius contra rationem remotū eſſe parochijs nō permittat. Sed tam per ſe, q̄ ſupplicando præcellentiſſimis regibus, quos uos in nullo credimus cōtriſtare, id peragat, ut & hoc q̄d malefactū eſt corrigat, & quę uiolēter ablata ſunt, ueritate patrocināte reddant: quia cū ſeri

A ptū ſit: Frater fratrē adiuuās exaltabit, tanto ſe ab Prou.18
omnipotente deo charitas ueſtra nouerit receptu
ram, quanto præcepta ipſius in adiuuando fratre
libenter atq; conſtanter fuerit executa.

Gregorius Theoderico & Theoberto regibus Francorum. De Vrſicino epiſcopo. Cap. CXX

SVmmum in regibus bonum eſt, iuſtitiam co- Epiſt.120
lere, ac ſua cuiq; iura ſeruare, & ſubiectis non
ſinere quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquū eſt
cuſtodire. Quod quia uos & diligere & omnino
confidimus cuſtodire, excellentiæ ueſtræ indica-
re ea quæ emendationē expetūt inuitamur, ut per
hoc oppreſſis ſuccurrere, & uobis mercedē acqui
rere noſtris epiſtolis ualeamus. Fratrē itaq; & co-
epiſcopū noſtrū Vrſicinū Tauritanæ ciuitatis an-
B tiſtitē in parochijs ſuis quæ intra regni ueſtri ſunt
terminū conſtitutæ, omnino dicitur præiudicium
ſuſtinere, adeo ut contra Eccleſiaſticā obſeruan-
tiam, cōtra ſacerdotalē grauitatē, & contra ſacro-
rum canonum definita, nullo eius exigente crimi
ne, alter illic non metuerit epiſcopus ordinari. Et
quia parum uiſum eſt ſi illicitis non iungerentur
illicita, etiā res Eccleſię ſuæ, ut fertur, ablatæ ſunt.
Quòd ſi ita ſe ueritas habet, quoniā intolerabile
nimis eſt, ut ui opprimeretur cui culpa nō nocuit,
præmiſſo paterna charitate ſalutationis alloquio,
petimus ut quod excellentia ueſtra amore Eccle-
ſiaſticæ reuerentiæ, & æquitatis contemplatione
ſponte poteſt impēdere, noſtra ſtudeat benignius
interceſſione concedere, & iuſtitiam illi, ſicut de
C æquitatis eius bono cōfidimus, faciat in omnibus
cuſtodiri, atq; patefacta ueritate, & quod illicitè
actum eſt corrigi, & res ei uiolenter ablatas æqui-
tate iubeat fauente reſtitui. Nec quod ad tempus
eius ab hoſtibus detinetur, debet illi aliquid offi-
cere, ſed hoc ad ſubueniendum Chriſtianitatis ue
ſtræ magis ac magis debet animos permouere, ut
largitatis ueſtræ munere conſolatus, captiuitatis
quā pertulit, non poſſit damna ſentire. Pro utilita
te ergo animæ ueſtræ, hęc apud uos exhortatio lo
cum inueniat, ut ad mercedē ueſtrā deiectionē ip
ſius porrecta manu iuſtitiæ releuetis, quatenus
per hoc quod æquitatem ſacerdotibus cuſtoditis,
eorum precibus ante dei ſemper oculos floreatis.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. Hilarium commendat. Cap. CXXI

CVm in regni regimine uirtus iuſtitia, & po- Epiſt.121
teſtas egeat æquitate, nec ad hoc alterū ſine
altero poſſit ſufficere, quanto in uobis amore ho-
rum cura præfulgeat, ex hoc utiq; oſtenditur pa-
tenter, dum turbas gentium laudabiliter guberna
tis. Quis ergo hæc conſiderans, de excellentiæ ue
ſtræ bonitate diffidat? aut de impetratione ſit du-
bius, quādo illa à uobis quæ ſubiectis uos libēter
poſſe nouit impēdere, duxerit poſtulanda? Lator
itaq; præſentiū Hilarius excellentiæ ueſtræ famu
lus, noſtra ſe interuentione apud poteſtatē ueſtrā
æſtimās adiuuari, cōmēdationis noſtræ ſibi popo
ſcit epiſtolas ſuffragari, certū tenēs ſibi uberius, ſi-
cut cæteris conceditis, promereri, ſi noſtra pro eo
interceſsio loqueret. Proinde paternæ charitatis
affectu

affectu salutatiõis persoluẽtes alloquia, petimus ut quia quorundam se perhibet nequitia aduersitatibus laborare, excellentię uestræ eũ tuitio muniat, & ne contra rationem ualeat prægrauari, sua illum iussione tutum esse præcipiat: quatenus dũ uobis subentibus atq; propitijs nullius aduersitas iniustè & pro sola tantummodo uoluntate locum habuerit, & nos de impetratis quę pro uestra magis mercede poscimus gratias referamus, & excellentiæ uestræ beatus Petrus Apostolorum princeps, quem in omnibus cõcedendo quæ petimus Christiana deuotione ueneramini, recompenset.

Gregorius Vantilono & Aregio. Hilarium commendat. Cap. CXXII.

Epist.122 AD magnam gloriæ uestræ laudem accedit quòd Hilarius præsentium lator ualido se fidit prælidio releuari, si assequi fauorem tuitionis uestræ meruerit. Quod adeo, sicut est, magnũ existimat, ut ad hoc obtinendum etiam nostram sui commendationem adhibere studuerit adiutricẽ. Hunc igitur quoniam ad uestrum patrocinium uidemus desideranter uelle confugere, scribere pro eo non iudicauimus differendum, confidentes tanto uos defensionem petentibus libẽter impartiri, quanto eam in tristitia & in stricto positos cognoscitis suppliciter expectare. Ea de re gloriã uestram paterna dulcedine salutantes: petimus ut quia prædictus portitor aliquorum inimicitijs se contra rationem asserit subiacere, patrocinijũ uestrum quod magnopere cupit, inueniat, & nullã illum contra æquitatem molestiam, nullam uexationem patiamini sustinere, sed ab omni eũ afflictione, quam non ratio, sed aduersantium uoluntas ingesserit, patrocinij uestri gratia tueatur: ut & hic optatum se in uobis, ut sperat, lętetur inuenisse refugium, & aliquid uobis ad mercedem proficiat, ac uestrum quidem in nobis alij similiter quærere discant in tribulatione solatium.

Gregorius Asclipiadoto. Hilarium commendat. Cap. CXXIII

Epist.123 QVi terrenis rebus adhærent, quantũ eis præstandi locus conceditur, tanto proniores in cautis debent mercedis existere, ut fructu boni operis & hic eorum quibus seruiunt gratia perfruantur, & cœlestis regni aulam introire postea mereantur. Vnde licet hoc diligere, & in hoc uos esse confidamus intentos: ueruntamen quia paternum alloquium aliquid bonis mentibus semper addit, hortamur ut quoties congruum iuuãdi tempus astiterit, nequaquã quod operandũ uobis est differatis. Nam qui fratrẽ relictum releuat, apprehensum eripit, mentem consolatur, ab illo sibi retribui, cui totũ impẽdit nõ dubitet, qui ait: Quod Mat.25 uni ex minimis istis fecistis mihi fecistis. Quia igitur Hilarius præsentium portitor pro eo quòd frustra contra se quorundam perhibet inimicitias exarsisse, uestræ se tuitioni nostra petijt Epistola commendari, certus quòd patrocinantibus uobis cuiquam contra rationem aduersitas ei nocere non ualeat: idcirco paterno gloriam uestram salutantes affectu, petimus ut fauoris uestri gratia A muniatur, & quod cæteris iusta petentibus indulgetis, huic quoq; pro nostra intercessione largius impendatis, atq; eum contra æquitatem opprimi non sinatis, sed manum illi auxilij ubi rationis ordo uocauerit, porrigatis: quatenus ad mercedem gloriæ uestræ, & ipse in uobis q̃d omnino arduè quęsiuit inueniat, & uos afflicto & humiliter supplicanti uideamini, quod ualde gloriosum est, subueniisse.

Gregorius Claudio in Hispanijs. De familiaritate regis Gothorum. Cap. CXXIIII.

QVia unguenti more bonorum fragrat opinio, uestræ gloriæ de occidentibus partibus hucusq; odor tetendit. Cuius profectò auræ suauitate respersus, multum fateor quem nesciebam dilexi, atq; intra sinũ cordis amoris manu te rapui: nec iam eum nescies diligebã, cuius bona cognoueram. Qui enim mihi magna intentione notus, sed corporis uisione manet incognitus, de eo proculdubio ueraciter dicere possum: quia personam illius scio, sed domum nescio. Magna autem uestræ laudis datur assertio, quòd excellenti Gothorũ regi uestra gloria sedulè adhærere perhibetur: quia dum malis boni semper displiceant, bonos uos esse certũ est, qui bono placuistis. Propterea debitum salutationis alloquium soluẽs, opto uos in his quæ cœpistis exerceri, ut in uobis compleatur ueridica Salomonis illa sententia quæ ait: Iu- Prou.4 storum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usq; ad perfectum diem. Nunc enim cùm lux nobis ueritatis infulget, cùm sese regni cœlestis suauitas mentibus aperit, iam quidem dies est, sed adhuc perfectus non est. Tunc autem dies perfectus erit, quando iam quicquam de nocte peccati in mente nostra non erit. Vos aũt usq; ad perfectum diem crescite: ut quousq; patria æterna uideatur, bonorum hic operum augmenta dilatentur: quatenus tanto post in retributione maior sit fructus muneris, quanto nũc studiũ creuerit laboris. Propterea dilectissimũ filiũ nostrũ Cyriacũ monasterij nostri patrẽ uestræ gloriæ commẽdamus, ut peractis quæ ei iniuncta sunt, nulla illũ remeandi mora præpediat. Omnipotens deus cœlestis uos brachij protectione tueatur, & nunc gloriosos inter homines, & post longa annorum curricula inter angelos esse concedat.

Gregorius Leandro episcopo Hispaniarum. De laude charitatis. De honore suæ prælationis. De pallio ad sacra tantum missarũ solennia transmisso. Cap. CXXV

SAnctitatis tuæ suscepi Epistolam, solius charitatis calamo scriptã. Ex corde enim lingua tinxerat, quod in chartæ pagina refundebat. Boni autem sapientesq; uiri cùm legeretur affuerũt, quorum statim uiscera in compunctione commota sunt. Cœpit quisq; amoris manu in suo corde rapere: quia in illa Epistola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur & mirabant singuli, atq; ipse ignis audientiũ demõstrabat qui fuerit ardor dicẽtis. Nisi eñ prius in se faces ardeant, aliũ nõ succendunt. Ibi ergo uidimus, quãta charitate tua mens arserit, quæ sic

Epist.124

Epist.125

& alios accendit. Vitam uerò uestram, cuius ego semper cum magna uenerationè reminiscor, minimè nouerat, sed eis altitudo uestri cordis patuit ex humilitate sermonis. Vitam autem meam cunctis esse imitabilem illa uestra Epistola loquitur. Sed quod non est ita ut dicitur, sit ita quia dicit, ne qui non solet, mentiatur. Ad hæc autem breui
Ruth.1 ter cuiusdam bonæ mulieris uerba loquor: Nolite me uocare Noemi, id est pulchrã, sed uocate me Mara: quia amaritudine plena sum. Neq; enim bone uir hodie ego sum ille quem nosti. Multum fateor exterius proficiendo, interius cecidi: neq; de eorũ numero esse pertimesco, de quibus scriptum
Psal.72 est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Cùm alleuatur enim deijcitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit. Ego enim uias mei capitis sequẽs, sum mopere esse decreuerã opprobrium hominum, & abiectio plebis: atq; in eius sortem currere, de
Psal.83 quo rursus per Psalmistam dicitur: Ascẽsus in corde suo disposuit in ualle lachrymarum: ut uidelicet tanto uerius intus ascenderem, quanto per cõ uallem lachrymarum foris humilius iacerem. At me multum nunc deprimit honor onerosus, curæ innumeræ perstrepunt, & cùm sese ad deum animus colligit, hunc suis impulsibus, quasi quibusdam gladijs scindunt. Nulla cordis quies est, Prostratum in infimis iacet suæ cogitationis pondere depressum. Aut rara ualde aut nulla hoc in sublimia penna contemplationis leuat. Torpet ignaua mens, & circumlatrantibus curis temporalibus iam penè ad stuporem deducta, cogitur modo terrena agere, modo etiam quæ sunt carnalia dispensare. Aliquando uerò fastidio exigente compellitur, quædam etiam cum culpa disponere. Quid multa loquar? Victa suo pondere sanguinem sudat. Nisi enim sanguinis nomine culpa censeret,
Psal.50 Psalmista non diceret: Libera me de sanguinibus. Cùm uerò culpam culpis iungimus, hoc quoque quod per aliũ prophetã dictũ est implemus: San-
Osee.4 guis sanguinem tetigit. Sanguis enim sanguinem tangere dicitur, cùm culpa culpæ adiungit, ut iniquitatis cumulus multiplicetur. Sed inter hæc per omnipotentem deũ deprecor, in perturbationis fluctibus lapsum tuæ orationis manu me teneas. Quasi enim prospero flatu nauigabam, cum tranquillam uitam in monasterio ducerem. Sed procellosis subitò motibus tempestas exorta, in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi: quia quiete perdita mentis naufragium pertuli. Ecce nũc in undis uersor, & tuæ intercessionis tabulam quæro, ut qui in naui integra diues peruenire nõ merui, saltẽ post damna ad littus per tabulam reducar. De podagræ uerò molestia sanctitas uestra ut scribit affligitur, cuius dolore assiduo et ipse uehemẽter attritus sum. Sed facilis erit cõsolatio, si inter flagella quæ patimur, quæcunq; fecimus ad memoriã delicta reuocemus, atq; hæc nõ iã flagella sed dona esse cõspicimus, si quia carnis delectatione peccauimus, carnis dolore purgamur. Præterea ex benedictione Beatri Petri Apostolorũ principis pallíũ uobis transmisimus ad sola missarum solennia utendum. Quo transmisso, ualde debui qualiter uobis esset uiuendum admonere. Sed locutionẽ supprimo, quia uerba moribus anteitis. Omnipotens deus sua uos protectione custodiat, atq; ad cœlestis remunerationẽ patriæ cum multiplici animarũ fructu perducat. Ego autem quanta occupatione deprimar & debilitate, breuis attestatur Epistola, in qua ei quem multum diligo, parum loquor.

Gregorius Recharedo regi Visigothorum. De muneribus sancto Petro transmissis. Factum Dauid ad memoriã reducit, qui aquã noluit bibere. Crucem transmittit in qua de ligno domini erat, & de capillis sancti Ioannis Baptistæ. Cap. CXXVI.

EXplere uerbis excellentissime fili nõ ualeo, quantum tuo opere, tua uita delector. Audita quippe noui diebus nostris uirtute miraculi, quòd per excellentiam tuã cuncta Gothorũ gens ab errore Arianæ hæresis in fidei rectæ soliditatẽ translata est, exclamare cum propheta libet: Hæc
Psal.76 est immutatio dexteræ excelsi. Cuius enim uel saxeum pectus tanto hoc opere cognito nõ statim in omnipotentis dei laudibus, atq; in tuę excellentiæ amore mollescat? Hæc me fateor quæ per uos acta sunt sæpe conuenientibus filijs meis dicere, sæpe cum eis pariter admirari delectat. Hæc me plerunq; etiã contra me excitant, quòd piger ego & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum congregationibus pro lucro cœlestis patriæ reges elaborãt. Quid itaq; ego in illo tremendo examine iudici uenienti dicturus sum, si tunc illuc uacuus uenero, ubi tua excellentia greges post se fidelium ducet, quos modo ad ueræ fidei gratiam per studiosam & continuam prædicationem traxit? Sed est mihi bone uir hoc ex dei munere in magna consolatione: quia opus sanctum quod in me non habeo diligo in te. Cunq; de tuis actibus magna exhortatione gaudeo, ea quæ per laborem tua sunt, per charitatẽ mea fiunt. De conuersione igitur Gothorum in uestro opere, & in nostra exultatione libet cum angelis exclamare:
Luc.2 Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Nos enim, ut existimo, gratiarũ amplius omnipotenti domino debitores sumus, qui etsi uobiscum nihil egimus, uestro tamen operi congaudendo participes sumus. Beatus uerò Petrus Apostolorũ princeps quàm libenter munera excellentiæ uestræ susceperit, ipsa cunctis liquidò uita uestra testatur. Scriptũ quippe est: Vo
Prou.15 ta iustorum placabilia. Neq; enim in omnipotentis dei iudicio quid datur, sed à quo datur aspicitur. Hinc est enim quod scriptum est: Respexit do
Gen.4 minus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Dicturus quippe quia dominus respexit ad munera, præmisit sollicitè quia respexit ad Abel. Ex qua re patẽter ostẽditur, quia nõ offerẽs à muneribꝰ, sed munera offerẽte placuerũt. Vestra itaq; oblatio cũ sit grata ostẽditis, qui daturi aurũ, prius ex cõuersione gẽtis subditæ animarũ munera dedistis. Quòd uerò

transmissos

transmissos abbates, qui oblationem uestram bea
to Petro Apostolo deferebant, ui maris dicitis fa-
tigatos ex ipso itinere ad Hispanias remeasse, non
munera uestra repulsa sunt quæ postmodum per-
uenerunt, sed eorum qui transmissi fuerant con-
stantia est probata, an scirent sancto desiderio ob-
iecta pericula uincere, & in fatigatione corporis
mente minimè lassari. Aduersitas enim quæ bo-
nis uotis obijcitur, probatio uirtutis est, non iudi-
cium reprobationis. Quis enim nesciat quàm pro
sperũ fuit quòd beatus Paulus Apostolus prædi-
caturus ad Italiam ueniebat, & tamẽ uentens nau
fragiũ pertulit? Sed nauis cordis in marinis fluctu
bus integra stetit. Præterea indico, quia creuit de
uestro opere in laudibus dei hoc quod dilectissi-
mo filio meo Probino presbytero narrãte cogno
ui: quia cùm uestra excellẽtia cõstitutionẽ quan-
dam contra Iudæorum perfidiã dedisset, hi de qui
bus prolata fuerat, rectitudinem uestrę mentis in
flectere pecuniarũ summã offerendo moliti sunt,
quam excellẽtia uestra cõtempsit, & omnipoten-
tis dei placere iudicio requirens, auro innocentiã
prætulit. Qua in re mihi Dauid regis factũ ad me-
moriam uenit, cui dum concupita aqua de cister-
na Bethleemitica quæ inter hostiles cuneos habe
batur ab obsequẽtibus militibus fuisset allata, pro
tinus dixit: Absit à me ut sanguinẽ iustorũ homi-
num bibã. Quam quia fudit & bibere noluit, scri-
ptũ est: Libauit eã domino. Si igitur ab armato re-
ge in sacrificium dei uersa est aqua cõrempta, pen
semus quale sacrificium omnipotenti deo rex ob
tulit, qui pro amore illius non aquam sed aurum
accipere contempsit? Itaq; fili excellentissime fi-
denter dicam, quia libasti aurum domino, quod
contra eũ habere noluisti. Magna sunt hæc & om
nipotentis dei laudi tribuenda. Sed inter hæc uigi
lanti sunt studio antiqui hostis insidiæ cauendæ,
qui quanto maiora in hominibus dona conspicit,
tanto hæc auferre subtilioribus insidijs exquirit.
Neq; enim latrunculi in uia capere uiatores uacu-
os expetũt, sed eos qui auri uascula uel argenti fe-
runt. Via quippe est uita præsens. Et tanto quisq;
necesse est ut insidiantes spiritus caueat, quanto
maiora sunt dona quę portat. Oportet ergo excel
lentiam uestram in tanto hoc de conuersione gen
tis subditæ munere quod accepit, summopere cu
stodire prius humilitatem cordis, ac deinde mun-
Luc.14 ditiam corporis. Cùm enim scriptum sit: Omnis
& 18 qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, ex-
altabitur, profecto liquet quia ille ueraciter alta
amat, qui mentem suam ab humilitatis radice nõ
desecat. Sępe nanq; malignus spiritus ut bona de
struat quibus prius aduersari non ualuit, ad ope-
rantis mentem post peractam operationẽ uenit,
eamq; tacitis cogitationibus in quibusdã suis lau-
dibus excutit, ita ut decepta mens admiretur ipsa
quàm sint magna quę fecit. Quæ dum per occul-
tũ tumorẽ apud semetipsam extollit, eius qui do-
num tribuit, gratia priuatur. Hinc est enim quòd
per prophetæ uocem contra superbientẽ animã
Ezec.16 dicitur: Habens fiduciã in pulchritudine tua, for-

A nicata es in nomine tuo. Fiduciam quippe animã
in pulchritudine sua habere, est in semetipsa de iu
sta actione præsumere. Quæ in suo nomine forni
catur, quando in hoc quod rectè egit, non condi-
toris laudẽ dilatari appetit, sed suæ opinionis glo-
riam requirit. Hinc rursum per prophetã scriptũ
est: Quo pulchrior es, descẽde. Anima etenim un- Ezec.32
de est pulchrior, inde descendit, quãdo ex uirtutis
decore quo exaltari apud deũ debuit, ab eius gra-
tia per suam elationẽ cadit. Quid ergo in his agen
dum est, nisi ut malignus spiritus cum nobis ad e-
leuandam mentem reducit bona quę egimus nos
semper ad memoriã mala nostra reuocemus? qua
tenus & nostra cognoscamus esse quæ peccando
B fecimus, & solius omnipotentis dei munera, cùm
peccata declinamus. Custodienda est quoq; mun
ditia corporis in studijs bonæ actionis, quia iuxta
uocem prædicantis Apostoli: Templum dei san- 1.Cor.3
ctum est, quod estis uos. Qui rursus ait: Hæc est e- 1.Thes.4
nim uoluntas dei, sanctificatio uestra. Quam san-
ctificationem quid dixerit ostendens protinus ad
iunxit: Vt abstineatis uos à fornicatione, ut sciat
unusquisq; uestrum suum uas possidere in sancti-
ficatione & honore, & non in passionibus deside
rij. Ipsa quoq; regni gubernacula erga subiectos
magno sunt moderamine temperanda, ne pote-
stas mentem surripiat. Tunc enim regnum bene
regitur, cùm regnandi gloria animo non domina
tur. Curandum quoq; est ne ira surrepat. Ne fiat
C citius omne quod licet. Ira quippe etiam cum de-
linquentium culpas exequitur, non debet menti
quasi domina præire, sed post rationis tergum ue-
lut ancilla famulari, ut ad faciẽ iussa ueniat. Nam
si semel mentem possidens cœperit, iustum esse
deputat etiam quod crudeliter facit. Hinc enim
scriptum est: Ira uiri iustitiã dei nõ operatur. Hinc Iaco.1
rursus dicitur: Sit omnis homo uelox ad audien Iaco.1
dum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad i-
ram. Hæc autem uos authore deo omnia seruare
non ambigo. Sed occasione admonitionis exor-
ta, bonis uestris actibus me furtiuè subiungo, ut
cùm non admoniti facitis, quando uobis admo-
nens additur, iam non soli faciatis. Omnipotens
aũt deus in cũctis actibus uestris, cœlestis brachij
D extentione uos protegat, uobisq; & præsentis ui-
tæ prospera, & post multa annorũ curricula gau-
dia concedat æterna. Clauim uerò paruulam à sa-
cratissimo beati Petri Apostoli corpore pro eius
benedictione transmisimus, in qua inest ferrũ de
catenis eius inclusum, ut quod collũ illius ad mar
tyrium ligauerat, uestrũ ab omnibus peccatis sol-
uat. Crucem quoq; dedi latori præsentium uobis
offerendam, in qua lignũ dominicæ crucis inest,
& capilli beati Ioannis baptistæ. Ex qua semper
solatium nostri saluatoris per intercessionem præ
cursoris eius habeatis. Reuerentissimo autẽ fratri
& coepiscopo nostro Leandro palliũ à beati Petri
Apostoli sede transmisimus, quod & antiquæ cõ
suetudini & nostris moribus, & eius bonitati atq;
grauitati debeam⁹. Item in anagnostico ante lon-
gum tempus dulcissima mihi uestra excellentia

Neapolitano

Neapolitano quodam iuuene ueniente mandare curauerat, ut pijſſimo imperatori ſcriberem, quatenus pacta in chartophylacio requireret, quæ dudum inter pię memoriæ Iuſtinianū principem & iura regni ueſtri fuerant emiſſa, ut ex his colligeret quid uobis ſeruare debuiſſet. Sed ad hoc faciēdum duæ res mihi uehementer obſtiterunt. Vna quia chartophylacium prædicti piæ memoriæ Iuſtiniani principis tempore, ita ſurripiente ſubitò flamma incenſum eſt, ut omnino ex eius temporibus penè nulla charta remaneret. Alia autē, quia, quod nulli dicendū eſt, ea quæ cōtra te ſunt, apud temetipſum debes documēta requirere, atq; hæc pro me in medium proferre. Ex qua re hortor ut ueſtra excellentia ſuis moribus cōgrua diſponat, & quæcq; ad pacem pertinent, ſtudioſe peragat, ut regni ueſtri tempora per longa ſint annorum curricula in magna laude memorāda. Præterea tranſmiſimus clauim aliam à ſacratiſſimo beati Petri Apoſtoli corpore, quæ cum digno honore repoſita, quæque apud uos inuenerit benedicendo multiplicet.

Gregorius Italiæ patriciæ & Venantio. Conqueritur de doloribus eius. Cap. CXXVII

Epiſt. 127

QVoſdā de Sicilia uenientes affectu quo debui de ſoſpitate ueſtræ excellentiæ requirere curaui. Sed de aſſiduitate ęgritudinum mihi triſtia reſponderunt. Hæc autem dicens nec ego uobis de meipſo inuenio aliud quod debeā nunciare, niſi quòd peccatis meis exigentibus ecce iam undecim menſes ſunt quòd ualde rarum eſt ſi de lecto ſurgere aliquādo potuero. Tantis enim podagræ tantiſcq; moleſtiarum doloribus premor, ut uita mea mihi grauiſſima pœna ſit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando ſuſpiro. In clero uerò huius urbis & populo tanti febrium languores irruerunt, ut penè nullus liber, nullus ſeruus remanſerit, qui eſſe idoneus ad aliquod officium uel miniſteriū poſſit. De uicinis autem urbibus ſtrages quotidie mortalitatis nobis nunciantur. Aphrica autē qualiter mortalitate & languoribus uaſtetur, quanto uiciniores eſtis, tanto credo quòd ſubtilius cognouiſtis. De Oriente uerò qui ueniunt, grauiores deſolationes nunciant. In his itaq; omnibus quia appropinquante fine mundi generalem percuſſionem eſſe cognoſcitis, affligi nimis de propriis moleſtijs non debetis. Sed ſicut ſapientes nobiles decet, omne cor ad animarum curam reducite, diſtrictum iudicium quanto ſit uicinius, plus timete. Studijs pietatis intendite, de qua ſcriptū eſt, quòd promiſſionem habeat uitæ præſentis & futuræ. Potens eſt autem omnipotens deus uitam ueſtræ excellentiæ & hic in longo tempore conſeruare, & poſt multa annorum curricula ad gaudia æterna perducere. Dulciſſimas filias meas domnam Barbaram & domnam Antoninam mea peto uice ſalutari. Quas oro ut ſuperna gratia protegat, eiſq; proſperari in omnibus concedat.

Gregorius Donello erogatori. De prouiſione Romanæ ciuitatis. Cap. CXXVIII

EPiſtolam gloriæ ueſtræ plenā, boni filij, charitate ſuſcepimus, ex qua quidem de moleſtia corporis ueſtri noſter eſt animus contriſtatus. De diuina tamen miſeratione confidimus, quòd qui uos miſeram & deiectam diligere fecit Italiam, ipſe uobis & corporis ſalutem reſtituat, & in æterna retributione compenſet. De militari enim toga, quam uos contra uoluntatem ueſtram principali ſignificaſtis iuſſione iterum ſuſcepiſſe, omnino ſumus libenter cōplexi, ſcientes quia magnitudo ueſtra cautiori ſalubrioriq; prouiſiōe militari neceſsitati concurrat. De ſex uerò centenarijs, qui in cimiliarcho Rauennati Eccleſiæ fuerāt commendati, ſicut ueſtra teſtatur Epiſtola, ab excellentiſsimo Exarcho in quotidiana militū præfectura ſunt mutati, qui ut hacten⁹ minimè reſtaurentur, cuius ſit cauſa cognoſcitis. Quod em̄ ſcripſiſtis, hoc prædicto filio noſtro Exarcho uiſum eſſe, ut quia pax ad concluſionem tenuit de pecunijs hinc competentibus, primum ut togam illarum partium faciatis, gloria ueſtra caute proſpiciat ſi uel fieri debet, uel ſit quoquo modo præſumendum, ut ſi præfectura illarū partium acceptas pecunias recuperare negligit, hæ partes ob hoc periculū de militis nuditate ſuſtineant. Sed ij quibus mutuatæ ipſæ dicunt̄ pecuniæ, debent à mutuante conſtringi, quatenus ſicut nouerūt expenſa centenaria ipſi reſtituant, & pecuniæ quæ ſine erogantis non poſſunt tangi periculo, ſubtractæ quibus debentur, admiſſo quod nobis imminet periculo, minimè alijs diſpergantur indebitè. Et hoc quidem nos nec cum nouo in cauſa uiro Romanarum partiū ignaro agimus. Cui quippe conſtat quòd ſi pax reparata minimè fuerit, belli tempore in his locis niſi ſolius diuinæ potentia maieſtatis, humanum non prævalet ſubuenire remedium. Sciens ergo magnitudo ueſtra uoluntatē dominorum principum quanta de Romanæ ciuitatis cura præcipuè ſubuentione ſit prouida, quod ex donis eorum euidenter agnoſcitur, ſed & partium iſtarum imminens periculum, omnino curæ tuæ eſt & ciuitatis cū pecunijs huc uenire. Quod ſi omiſſum fuerit, & aduerſi aliquid, quod non optamus, euenerit, neq; apud deum, nec apud rerū dominos cuiuslibet obtentu perſonæ uos excuſare quoquo modo ualeatis. Romana enim ciuitas peccatis noſtris facientibus diuerſis eſt attrita lan goribus, ut nec qui in murorum cuſtodia ſint, idonei perſiſtant.

Epiſt. 128

Gregorius Maximo Epiſc. Salonitano. De uſu pallij, & ratione eius. CXXIX

SVſceptis fratris & coepiſcopi noſtri Marinia ni epiſtolis, ſed & Caſtorio chartulario noſtro remeāte fraternitatem ueſtram pleniſſimè de his quibus dubietas fuerat, ſatisfeciſſe cognouimus, magnasq; omnipotenti deo gratias agimus: quia de meo corde medullitus omnis rancor ſiniſtræ ſuſpitionis euulſus eſt. Pro qua re Stephanum communem filium diaconem ueſtrum cum ſumma uolui celeritate laxare. Sed hunc apud me uel paucis diebus immorari, dolores crebri mearum

ægritu-

ægritudinum compulerunt. At postquam melio- A
rari uel modicum cœpi, eum protinus cum gau-
dio transmittere curaui. Itaq; palliũ ad sacra missa-
rum solennia utendum exmore transmisimus, cu
ius uos uolumus per omnia genium uendicare.
Huius enim indumenti honor humilitas atq; iu-
stitia est. Tota ergo mente fraternitas uestra se ex
hibere festinet in prosperis humilem, & in aduer-
sis si quando euenìunt, cum iustitia erectam: amí-
cam bonis, peruersis contrariam. Nullius unquã
faciem pro ueritate loquentem premens, miseri-
cordiæ operibus iuxta uirtutem substantiæ insi-
stens, & tamen insistere etiam supra uirtutem cu-
piens, infirmis compatiens, bene ualentibus con-
gaudens, aliena damna propria deputans, de alie- B
nis gaudijs tanquam de proprijs exultans, in cor-
rigendis autem uitijs sæuiens, in fouendis uirtuti-
bus auditorum animos demulcens, in ira iudici-
um sine ira tenens, in tranquillitate autem seueri-
tatis suæ censuram non deserens. Hæc est frater
charissime pallij accepti ratio, quam si sollicitè ob
seruaueris, quod foris accepisse ostenderis, intus
habes. Præterea fratrem & coepiscopum nostrum
Sauinianum fraternitati uestræ in omnibus com-
mendo, & si quæ causæ sint, interim postponan-
tur. Charitas inter uos fixa permaneat, ut sic de ex
terioribus, si quando contentio uertitur, examen
ueniat, quatenus mentem charitas non relinquat.
Communẽ quoq; filium Honoratũ archidiaconũ
commendamus. De quo: si ita est, sicut per Casto- C
rium chartularium nostrum didicimus: quia per
eum iam tres antea archidiaconi seruare consue-
tudinem Ecclesiasticam, qui quinquennio exple-
to exeundo compulsi sunt, tuæ quidem uolumus
ut charitatem sanctitatis inueniat. Nam flagitari
iudicium non debet de causa quã ipse iudicauit.
Sin uerò ita non est, omni mentis tumore depres-
so, omnicq; odio postposito, debet in charitate re-
cipi, & nullatenus à loco in quo inuentus est, amo
ueri. Mesianeñ. quoq; clericũ, qui ad nos confuge
rat, cõmuni filio Stephano diacono fiducialiter
dedim⁹, certi quia quẽ nos uestrę fraternitati trãs-
mittimus, uos in eo nõ odium, sed gratiã potestis
ostendere. Omnipotens deus sua uos protectio-
ne custodiat, detq; nobis ita agere, ut post huius
temporalitatis fluctus, ad æterna ualeamus simul D
gaudia peruenire.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.
De Philagrio. Cap. CXXX

Epist.130 Licet multum fraternitatem uestram ad ser-
uandam sibi iustitiã Philagrij portitoris præ
sentium flagellum cæcitatis inuitet, ueruntamen
quia ad restauranda quæ sibi præiudicialiter asse-
rit detineri, per nos uos uoluit fieri promptiores,
præsentia ad uos scripta præuidimus dirigenda.
Questus autem est campum cum uinea sua ab Ec
clesiæ uestræ hominibus irrationabiliter occupa-
tum. Quod si ita est, quanquam ante iudiciũ pos-
sessio ei debuerat uiolẽter ablata restitui, tamen
quia peruenit communis filius Euentius diaco-
nus uester, consentiente præfato latore constí-
tuit per quinque testes partem Ecclesiæ uestræ sa
tisfacere posse, eiusdem Ecclesiæ iuris illum esse.
Ideoq; fraternitas uestra prædictum Philagrium
contra iustitiã laborare non faciat, sed modis qui-
bus potuerit, ueritatem diligenter inquirat. Et si
manifestè sicut hic constituit, probari potuerit
uestri iuris esse, huic propter deum citius satisfa
ciendum est, ut à sua intentione sine labore dísce-
dat. Alioquin ante omnem cõtentionem res eius
tuta uestra prouisione reddatur, ut sua cuiq; parti
integra post hoc maneat de proprietate cogni-
tio. Quia uerò pro eo quòd uobis nescientibus,
inde decessit, uestros se existimat animos offen-
disse, fraternitas uestra ei dulcedinem suæ chari-
tatis ostendat, ut cognoscat se longè aliter quàm
debuit de sacerdote credidisse. Sed quoniam &
sanctorum Apostolorum liminibus se, ut ait, pre-
sentare desiderat: quoties uenire uoluerit, nulli-
us impedimento auertatur, sed uestrum magis ha
beat in hac parte solatium. Indicauit præterea præ
dictus portitor quòd collecta facta inter alios ci-
uitatis Ianuensis habitatores, ipse dare pariter cõ-
pellat. Et miramur quòd qui magis misericordia
dignus est uobis præsentibus pregrauetur. Quod
si ita est, denuo ab eo per quemlibet exigi uestra
sanctitas non permittat: quia eum quem cæcitas
sua grauat, inhumanum nimis est in collatione af-
fligere, cui si esset magna necessitas, debuit ex col
latione misereri. Quia uerò ab Ecclesia Derto-
nensi puerum suum iniustè queritur detineri, fra
ternitas tua prædictæ ciuitatis episcopo curet scri
bere, ut si ita est, sine aliqua illum contentione re-
stituat. Qui si aliter esse fortè respõderit, aut apud
uos, aut apud arbitros causa hæc cognoscenda si-
ne excusatione est aliqua faciẽda. Nam idem Phi
lagrius puellam suam cum filijs & nepotibus, de
qua, ut ait, nulla est quæstio, eundem puerũ suum
nomine Maurum maritum suum secutam inno-
tuit. Ex qua re actũ est ut per eum de quo est con-
tentio, etiam alij de quibus nulla est quæstio, te-
neantur. Quod si ueritate subsistit, puella illi cum
filijs & nepotibus sine aliqua altercatione red-
denda est, & tunc de suprascripto Mauro quæstio
ne uentilata, quod ratio suaserit, terminet. Quòd
si fortè & de uxore ipsius aliqua dicitur esse con-
tentio, & hoc quoque ita interuentu iudicij finia-
tur, ut uobis illic præsentibus ad nos de
memoratis causis denuo præ-
dictus portitor necessi
tatem remeandi
nõ habeat.

Finiunt Epistolæ Indictionis secundæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Incipiunt Epistolæ Indictionis tertiæ ex registro beati Gregorij papæ.

LIBER OCTAVVS.

Gregorius Romano defensori.
De Lucillo episcopo qui ministeria Ecclesiastica iniustè abstulit. Cap. I

Epist. 1

NIHIL proficit sacerdotũ culpas ulcisci, & cõmissa digna deiectione crimina uindicare, si eis qui conuicti facinore deponuntur, amissio honoris solatiũ, & casus sui cœperint esse compendiũ. Questus itaque nobis est frater & coepiscopus noster Traianus Lucillum quondam insulæ Melitensis episcopũ, flagitij sui iniquitate perterritum, non solum res Ecclesiæ cuius nõ rector, sed inimicus potius extitit, abstulisse, uerumetiam plurima eum eidem Ecclesiæ cõpetentia de præteritis retinere. Quippe qui in fabricã, uel sartatecta ipsius nihil pertulit expendere, sed mente sacrilega suis totũ studuit compendijs applicare. Et quia graue nimis ac contra deum est, ut sua illi deiectio non sit pœna, sed commodum, experientia tua eum districtè cõmoneat, ut quicquid abstulit, uel apud se de præteritis retinet, sine mora restituat. Qui si indita sibi nequitia negare fortè uoluerit, quia facilè dicitur posse conuinci, unà cum reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Ioanne Syracusano residẽs, subtili inquisitione huius rei ueritatẽ rimamini, quatenus probatione habita, quicquid eum tulisse uel surripuisse claruerit, palã uerecundia confusus restituat, quod inuerecũdè clam abstulit. Petrum aũt prædicti Lucilli filium, similiter tui studij sit admonere, ut quia & ipse supradictæ Ecclesiæ tulisse plurima perhibetur, honesta ea consideratione restituat: alioquin uestro & ipse est iudicio præsentãdus, ut precedente subtili inquisitione, utrorumq; causa ualeat uno fine cõcludi. Præterea petijt à nobis suprascriptus Traianus frater noster, ut de monasterio suo, quod in ciuitate Syracusana situm est, ei quatuor uel quinque dari monachi debuissent. Quod pro eius solatio nequaquã existimauimus denegandum: quia ad locum proficiscens incognitũ, si proprios quorum consolatione utatur nõ habeat, mens affecta tristitia minus se ad ea quæ utilitatis sunt erigit, & antè incipit succumbere q; laborare. In qua re ne suprascripti reuerendissimi fratris & coepiscopi nostri Ioannis priuilegiorum uideremur prerogatiuam minuere, ita hoc illi noueris esse cõcessum, ut tamen fratris & coepiscopi nostri Ioannis sit arbitrio per omnia reseruatum. Quia ergo petitioni suæ prædictus frater noster adiecit, ut pueros quos de pecunia sua comparauit, ac suos patrisq; sui codices, aut res alias proprias quas in eodem monasterio habet, ei sit tollendi licentia, ratio nos hoc negare non pertulit. Sed ne postulata uideamur indiscretè concedere, hanc tenendam obser uantiam scito, id est, ut quicquid postq; ab abbatis remotus est officio, cõparauit, uel quolibet titulo acquisiuit, libera illi tollendi facultas sit. Sed & hoc quod de monasterio illo in quo conuersus est, quod in prouincia Valeria in possessione iuris sui patrem eius manifestũ est construxisse, pellente hostilitate discedens abstulit, secumq; detulit, sine aliqua dubitatiõe ei reddendũ est: quia alterius inquisitionis ius effugit, quod semel monasterij fuerit dominio sociatũ. Siquid aũt dum adhuc illic abbatis fungeretur officio acquisiuit, nõ suum sed monasterij ipsius esse cognoscat. Et ideo de iure illud eiusdem monasterij auferri ulterius quolibet modo non patimur. Legatum autem quod antedictum fratrem nostrum illud capitulans conditrix supradicti monasterij singulis annis de eodem monasterio per ultimã uoluntatem suã habere cõstituit, experiẽtia tua solatiante, iustitia faciente, sine aliqua faciat dilatione percipere.

Gregorius Mauricio Augusto.
De denarijs sancto Petro transmissis. Cap. II

Epist. 2

DOminorum pietas, quæ suos consueuit misericorditer famulos cõtinere, ita benigna hic subuentione resplenduit, ut cunctorum debilium inopia, largitatis eius sit consolatione subleuata. Pro qua re lachrymabili prece oẽs deposcimus, ut omnipotens deus qui clementiæ uestrę ad hoc corda compunxit, incolume in amoris sui cõstantia dominorũ seruet imperium, & uictorias eorũ in cunctis gentibus auxilio suæ maiestatis extendat. Triginta itaq; libras auri quas cõfamulus meus Eusa detulit, Scribo sacerdotibus egenisq; & alijs fideliter erogauit. Et quia quædã in hanc urbem sanctimoniales fœminæ ex diuersis prouincijs fugientes, post captiuitatem uenerunt, ex quibus quantum locorum possibilitas recipit, aliquę in monasterijs datæ sunt: quæ uerò in eis minimè capi potuerunt, singulariter degentes inopem uitam ducunt, placuit ut hoc quod cæcis, truncis, alijsq; debilibus superesse posset, eis erogari debuisset: dummodo non solum dominorum misericordiã indigentes indigenæ, sed aduenientes etiã peregrini susciperent. Vnde actum est ut simul omnes pro uita dominorum concorditer orarent, quatenus omnipotẽs deus longa uobis & quieta tempora tribuat, & pietatis uestræ felicissimã sobolem diu in Romana republica florere cõcedat. Togæ quoq; militum ita per prædictum confamulum meum Scribonem, præsente quoq; glorioso Rasco factæ sunt, ut dona dominorũ cuncti sub disciplina debita gratias agendo susciperent, & hoc quod eis prius dominari cõsueuerat, omne murmur auerterent.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De monasterio Romani consecrando. Cap. III

Epist. 3

FRaternitati uestræ esse non putamus incognitum: quia Romanus clarissimæ memorię uir, per ultimæ suæ uoluntatis arbitrium, in domo iuris sui Ecclesiam quæ in ciuitate uestra sita est, ædificari deputauit. Et quia, deo miserante, defuncti nosci uolũtas impleta, sanctitas uestra illic ingra-

uanter

uanter accedat, & si nullum ibidem corpus constat humatum, locum ipsum in honorem sanctorum Hermetis, Sebastiani, atq; Cyriaci, necnon & Pancratij solenniter studeat absq; missis publicis cum ueneratione debita cõsecrare, ita ut in eodem loco baptisterium nunquã constituatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed quoties missas ibi degentes illic monachi fieri uoluerint, à dilectione uestra presbyterum nouerint postulandum, quatenus nihil tale à quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur.

Gregorius Fantino defensori. De mancipijs Romani spectabilis uiri. Cap. IIII

Epist.4 MAncipia iuris Romani spectabilis memoriæ uiri, qui in domo sua quæ in Neapoli sita est, monasterium ordinari cõstituit, habitare in Sicilia perhibentur. Et quia monasterium ipsum iuxta uoluntatem eius noscitur ordinatum, experientia tua præsentium portitoribus qui ad recolligenda mancipia ipsa illuc directi sunt, omni studio solatiari festinet. Et recollectis eis possessiones illis ubi laborare debeant, te solatiante conducat. Et quicquid eorum labore accesserit, reseruato unde ipsi possint subsistere, reliquum ad prædictũ monasteriũ experientiæ tuæ cura annis singulis auxiliante domino transmittatur.

Gregorius Sauino subdiacono Regionario. De Sisinnio presbytero culturę idolorũ dedito. Ca. V

Epist.5 CVm plerunq; quod in laicis culpa non est, hoc crimen in sacro sit ordine constitutis, quanta in eis districtione puniendum sit piacularе flagitium, qui zelo rectitudinis uritur, nõ ignorat. Quorundam siquidem relatione perlatum est quia Sisinnius Regitanæ ciuitatis presbyter, q̃d auditu ipso intolerabile nimis est, idolorum uenerator ac cultor est, adeo ut in domo sua quoddam idolum positum habere præsumeret. Sed & quod non dissimile nephas est, sodomitico illum scelere maculatum. Et ideo quia tanti facinoris iniquitas districta atq; subtili inuestigatione quærenda atq; plectẽda est, hac tibi autoritate præcipimus, ut uigilanti studio, & diligenti omnino cura perquiras. Et si qua indicia apprehẽdere huius rei potueris, eum in custodia districta, quousque nobis renuncies redigas, ut qualiter immanissimum facinus discuti debeat ac puniri, deliberare possimus. Scito autem quia studium, zelusq; tuus qualis contra nefandissima sit crimina, hæc causa est sine dubio monstratura, per quam te apud nos, aut multum de sollicitudine commendari, aut periculose de neglectu noueris accusari. Vnde necesse est, ut ita te uigilantẽ in hac requisitione studeas exhibere, quatenus & nos de sollicitudine tua lætifices, & deum tibi facias esse placabilem. Hoc quoq; nobis de prædicto presbytero nũciatum est, quòd Victorianus presbyter ei cum diuersis rebus uel ornamentis authoritati suæ pecuniam cõmendasset, qui dum depositum abnegaret, iudicio habito conuictus est, & unde reddere debuisset, addictus sit. Et quia eo restituere id q̃d condemnatus est differente, is qui deposuisse dicitur obijt, & necessitate eius perhibentur filij laborare, & hoc experientia tua diligẽter inquirat, atque ita, salua ratione, ad finem hanc causam perducat: dummodo, si ita est, nec ille res alienas perfida mente retineat, & orphani quod suum est uel amisso patre recipiant

Gregorius Sauino subdiacono. De iniustitia Stopaulo & Marcello facta. Cap. VI

LAtores præsentium Stopaulus atq; Marcellus liberti quondam Comicioli excubitoris, questi nobis sunt, asserentes duas substantiæ suæ uncias quas libertis suis idem dominus eorum per paginam testamenti sui legauerat, ab hærede filia ipsius Maria uxore Pardi clerici necdum sibi esse completas. Et ut legatum ipsum differre ualeat, ab hærede eadem ipsius status sui sibi fieri terrorem insinuant. Et quoniam ea quæ relicta sunt, tua postulant instantia adimpleri, idcirco tibi hac authoritate præcipimus, ut prædictã Mariã commoneas, quatenus uoluntatem patris, authorisq; sui implere nõ differat, studijq; tui sit, ut nullis cõtra rationem dispendijs debeant subiacere. Quod si fortè ab hac se solutione aliqua nititur excusatione defendere, medijs sacrosanctis Euangelijs causam subtiliter perscrutari, & ita quæ legis ac iustitiæ ordo postulauerit diffinire conuenit, atque diffinita effectui mancipare, ut hæc ad nos denuo querela non redeat. Quia uerò comperimus duas uncias substantiæ suæ prædictum testatorem sanctæ Ecclesiæ sancti Georgij ubi se sepeliri uoluit legauisse, curæ tuæ sit ut easdem duas uncias substantiæ suæ, si tamen necdum completæ sunt, præ dicto loco modis omnibus uendicare debeas, ut piæ uoluntatis intentio, etiam inuita hærede ad effectum per omnia perducatur, nec in hac re amplius differri quæ relata sunt patiaris. Nam sacrilegum & contra leges est, si quis quod uenerabilibus locis relinquitur, prauæ uoluntatis studijs, suis tentauerit compendijs retinere.

Gregorius Theodoro curatori. Ioannem præfectum cõmendat. Cap. VII

Epist.7 QVanuis gloriæ uestrę bonitas semel sibi cõmendatos nesciat obliuioni mãdare, uerumtamen scientes hæc eadem iterata charissimum filium non onerose suscipere, scribere nos quę iam dudum scripsimus, non piget. Quia ergo Ioannes glorioſissimus filius noster prefectus urbis ad deducendam huc coniugem suam latorem præsentium Ioannem clarissimũ uirũ illic noscitur transmisisse, hunc paterna dilectione salutantes petimus, ut quia memoratus glorioſissimus filius diuus hic consistere non potest, uenienti coniugi ipsius gloriæ uestrę sinceritas patrocinij sui opem ferat. Et ut securius iter suũ, deo custodiente, peragere ualeat, ad Perusinam ciuitatem militari eam solatio fulciri disponat, quatenꝰ & antedictus gloriosus uir amplius patrocinijs uestris sit deditꝰ, & nos dulcissimę gloriæ uestræ gratias referamus.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ. Ioannem præfectum commendat. Cap. VIII

Epist.8 GLorioſissimus filius noster Ioannes præfectus urbis ad hoc illuc latorem præsentium

Ioannem uirũ clarissimũ destinauit, ut gloriosam coniugem ipsius deo debeat protegente huc perducere. Quã & nos hic uolumus per omnia adue nire, ut prædictũ glorioſissimũ filiũ nostrũ non diuisum, sed totũ habere possimus. Fraternitas itaq; uestra sollicitudinem gerat, ne quod impedimentum ad ueniendum sustineat, atq; ut hic citius adesse ualeat, studiose concurrat. Et ita se circa eam quocũq; exegerit usus exhibeat, ut nec suũ abesse coniugem sentiat, & nos in uobis modis omnib. præsentes esse cognoscat.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ. De sanctimoniali de monasterio egressa, mari to sociata. Cap. IX

Epist. 9 SIlatoris præsentium Stephani uiri clarissimi querela ueritate subsistit, omnino nos fraternitas uestra contristatos intelligat, cur tam pigra uel deses extiterit, ut ante ad nos facti prauitas & correctio perueniret. Questus itaq; est quòd cognatam eius, cui aliquando Petrus quidã nequissimus diabolico instinctu de monasterio exire suaserat, atq; à Gratioso notario nostro fuerat mutato habitu unde exierat reuocata, nequissimus uir iniqua suasiõe de monasterio rursus eijciẽs, apud se nuncusque impeditè retineat. Ex qua re ualde nos, sicut diximus, tua desidia cõtristauit, cur nec dum in monasterium reuocata sit ac retrusa. Vel nunc ergo propositi tui cõsideratio & zelus te castitatis accendat, id summopere modis quibus potueris studere, ut asperitatem quam de tantæ iniquitatis perpetratiõe concepimus, eius citius ualeas correctione mollire. Nam & Vitali defensori præcipimus, ut uobis hac in causa solatiari non differat. Sed quia memoratus Petrus ab homine filij nostri magnifici Filoxeni dicit defensari, apd eum uobis cum omni studio & charitate instãter agendũ est, ut eam sine aliqua faciat dilatione restitui, quẽ credimus hoc, quia bonus omnino uir esse dicit, sine mora facturũ. Quòd si fortè, quod non credimus, aliqua hoc fuerit excusatione dilatum, tunc etiam publicè cõtestandus est. Atq; fraternitas nobis uestra renunciet, ut exinde in urbẽ regiam scribamus, quatenus quod fieri honestè negligitur, ea qua dignum est ultione plectatur.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano. De decem auri libris Basilio Capuano episco po transmissis. Cap. X

Epist. 10 GLoriosi filij nostri, Cethegus atq; Flora iugales, pro certis causis suis Maximum uirũ clarissimũ Palatinũ priuatarum ad Siciliã transmittentes, decẽ libras auri à reuerendissimo filio nostro Basilio Capuanæ ciuitatis episcopo, qui illic iam esse dinoscit, suis utilitatibus profuturas dari de pensionibus ecclesiastici patrimonij uoluerũt. In quarũ restitutione ne qua mora fieret, aut difficultas fortè cõtingeret, quantitatem ipsi dilectissimo filio nostro Bonifacio diacono tradiderũt. Et ideo quia nostros nos filios, & præsertim ubi damnum minimè sentit Ecclesia, non conuenit contristare, his fraternitati tuæ mandamus apicibus, ut suprascripto fratri, coepiscopoq; nostro Basilio, & Maximo uiro clarissimo secũdum uoluntatem prędictorũ filiorum nostrorũ Cethegi atq; Florę, gloriosarũ personarũ, decem libras auri sine tarditate post subditã de suscepto paginã dare debeatis, quatenus dũ nulla in accipiendo eis mora proueneris, & illi mãdata sibi, ut nouerint, utiliter exequant, & pars ecclesiæ rationabiliter sit munita.

Gregorius Romano defensori. De Basilio episc. in causis forensibus occupato. Cap. XI

PErlatum ad nos est reuerendissimũ fratrẽ nostrum Basilium episcopũ uelut unum de laicis in causis secularibus occupari, & prætorijs inutiliter deseruire. Quæ res quoniã & ipsum uilem reddit, & reuerentiam sacerdotalem annihilat, statim ut experientia tua hoc præceptum susceperit eum ita ad reuertendum districta executione cõpellat, quatenus ei illic te insistente quinq; diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: ne si quolibet modo eum ibidem amplius morã habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis. Epist. ut Parte 1. Dist. 88. c. Perlatum

Gregorius Gudiscalco duci Campaniæ. De infractione monasterij sancti Archangeli. Caput XII.

ILla præpositorum sollicitudo utilis est, illa est cautela laudabilis in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil uendicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quicquam agendum priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore iustum omne putat quod fecerit. Peruenit itaq; ad nos magnitudinẽ tuam usq; ad hoc esse impetu furoris impulsam, ut non solum frangi ianuas monasterij sancti archangeli, uerùm etiã diripi exinde quod ibi inuentum est feceris. Insuper aũt sic contra abbatem eiusdẽ monasterij diceris exarsisse, ut nisi occultãs se, iracundiæ tuæ tempore latuisset, non leue discrimen incurrisset: denicq; ut metu tuo perterritus, de domo in qua se olim receperat, exire nuncusq; non audeat. Quod ne frustra feciſſe forsitan uidereris, fugam monachi ipsius, qui ad hostes abijt, ad eius quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quòd ipsius uolũtate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & ualde uestram sapientiam miramur. Nam si licitũ putaris, ut aliorum culpa alijs sit nociua, multi huic possunt crimini subiacere. Diuersorum enim nobilium serui, multarum Ecclesiarum clerici, diuersorum monasteriorum monachi, multorum iudicum homines, sæpe se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, seruorum utiq; domini, clericorum episcopi, monachorum abbates, diuersorum fugaciũ iudices, omnes sub culpa sunt & crimine constituti. Nunquid & diebus magnitudinis tuę multi de ciuitate in qua cõsistis, ad Longobardos milites fuga nõ lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantæq; possit stultitiæ reperiri, ut eorum iniquitatem tibi extimet applicandam? Hæc itaq; sollicitè pensa, atq; ex te aliorum causas æstima, & in quorundam aduersitates falsis suspicionibus non ducaris. Si uerò est aliquis qui de prædicti monasterij abbate possit aliquid Epist. ut Cau. 11. q. 3. Illa præpositorum

quid dicere, quod ad culpam reatumq; eius pertineat: nos hoc non negligi, sed magis unà quidem cum eis quorum interest, causam omnino districtè & sollicitè uolumus perscrutari, ut aut feriat uindicta culpabilē, aut absoluat ueritas innocentem. Si autem nullus inueniri potuerit, qui contra eum hoc quod solus ipse perhibes asserat: hortamur magnifice fili, ut à memorati monasterij abbatisq; ipsius te aduersitate contineas, & potius tuitionē illis & propter deum charitatem impendas. Et si quid est unde animi uestri fortassis offensi sunt, pro nostra eis interuētione remittite, & ita uos, sicut Christianos cōuenit & prudentes, in eorum magis iuuamine cōmodate, quatenus & nos uobis gratias referamus, & ante omnipotentem dominum mercedem pro impensis seruis eius beneficijs ac solatijs acquiratis.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. Fuscum abbatem & monasterium eius commendat. Cap. XIII

Epist. 13 QVanuis & ratio & loci sui qualitas fraternitatem uestram cōmoneat, tuitionem monasterijs & maximè sub se constitutis impendere: ueruntamen quia lator præsentiū Fuscus abbas suū à nobis uoluit & ex abundanti monasteriū cōmendari: his uos hortamur affatib. ut quia frustra monasteriū ipsum inquietudine dicitur laborare, sanctitatis uestræ illud defensio tueatur, & ab aliquo illud grauari contra rationis ordinem non permittat: quatenus dum nullum id iniustæ rei pondus afflixerit, & uos uideamini quod sacerdotis est salubriter impendisse, & degens illic congregatio queat in dei laudibus occupari, & nullus irrationabiliter molestijs ualeat subiacere.

Gregorius Romano defensori. De Fusco abbate, & xenodochio sancti Theodori. Cap. XIIII

Epist. 14 FVscus abbas monasterij sanctorū Herasmi, Maximi, atq; Iulianæ, q̄d Neapoli ab Alexandra clarissimę memorię fœmina, sicut nosti, fundatum est: quę etiā & hæredem instituit, massam Papyrianensem quæ illic in Sicilia sita est, cum xenodochio sancti Theodori suprascriptū monasteriū suum asserit habere cōmunem. Sed ut ad diuidendam eam cum his quorū interest, dilationem non debeat sustinere, experientiæ tuæ sibi petit adesse solatiū. Proinde huius tibi serie præceptiōis iniungimus, ut ei concurrere, atq; in omnib. solatiari festines, quatenus massa ipsa secundum portiones competentes sine mora aliqua diuidatur. Sed ne fortè dicat: quia à prædicto monasterio possessiones quæ hic cōmunes sunt, detinent: esse ex hoc excusatio non debet: quia & ipsas paratus est sine difficultate diuidere. Quia uerò legatū quod prædictæ Alexādræ à Pompeio relictū dicitur, ab eodem xenodochio, quippe quod ei in octo uncijs iure perhibetur hæreditario successisse, memoratus abbas suo faciat monasterio redhiberi, & hoc quoq; experiētia tua curet addiscere, & si ita est, agere studeat, ut q̄d relictū est, modis omnib. exoluat. Ita ergo sollicitudo tua in hac se re exhibeat, ut suffragante iustitia, prædicti abbatis labor quē ut ad nos ueniret assumpsit, uacuꝰ esse nō debeat.

Gregorius Fantino defensori. De Fusco abbate & Constantino cellæ suæ presbytero. Cap. XV

Epist. 15 FVscus abbas monasteriorū sancti archangeli quod Macharis dicit, atq; sanctorū Maximi, Herasmi, & Iulianæ, asserit Constantinū cellæ suæ presbyterum, ob temporis qualitatem se in Siciliam transmigrasse, & codices monasterij sui atq; uela secum deportasse. Quem quoniam defunctū perhibet, & ea quę cellæ suæ esse cōmemorat, sibi postulat debere restitui: experiētia tua ueritatem curet addiscere, & si ita est, omnia quæ monasterij ipsius sunt, sine aliqua faciat dilatione restitui. Nā contra rationem est, ut quod de monasterio pro temporis, sicut dictum est, qualitate sublatū est, ab eius debeat iure separari. Ita ergo experientia tua agat, ut ueritatem addiscens, prædictum illic abbatem uel quem uice sua transmiserit, dilationem frustra sustinere minimè patiatur.

Gregorius Clementinæ patriciæ. De malis hominibus discordiam seminantibus. Cap. XVI

Epist. 16 ABbate quodam ad nos referente peruenit, quòd gloriæ uestræ à quibusdam sit maledicis nunciatum: quia aliquem, quod absit, contra uos stimulum habeamus. Quod si ita est, quicunque hoc fallaciter cōfinxerūt sub puritatis uobis specie duplices extiterūt, ut se quasi fideles ostenderent, ut uos de nobis prauè facerent dubitare. Ego aūt glorioſa filia, bona tua olim cognoscens, & præcipuè castitatē quæ tibi ab adolescentia comes fuit, in magna semper ueneratiōe & dilectione te habui. Sed ne uel nunc aliud cor meum esse gloria uestra suspicetur, nullum mihi odij uel iracundiæ circa uos scrupulū inesse significo, sed paternā me uobis dilectionē exhibere cognoscite. Vnum tamen quod ad me perlatum est, reticere non debeo, ne minus esse charitatis incipiat, si silentio premat̄, quod ad emendationem dicendū est. Nunciatum siquidem mihi est, quòd si quādo uos quisquā offenderit, dolorem irremissibiliter retinetis. Quod si uerum est, quia quantum uos diligo, tantum contristor, peto ut hoc à uobis uitiū nobiliter excludatis, & secundum boni operis segetem, inimici semen crescere non sinatis. Dominicæ orationis uerba ad memoriam reducantur, & nō apud uos plus ualeat culpa quàm uenia. Excessus gloriæ uestræ bonitas superet, & magis salubriter ignoscendo deuotum faciat quem potest persistens facere asperitas indeuotum. Relinquatur illi unde uerecundiam habeat, & non seruetur quod doleat. Nam plerunque plus uirium habet discreta in coerctione remissio, quàm in exequenda ultione districtio, adeo ut nonnunquam hæc fideliorem atq; subiectum, illa uerò obstinatum faciat & æmulum. Et quidem hæc nō ad hoc dicimus ut zelo uos rectitudinis subtrahatis, sed ne tales sitis in minimis, quales esse debetis in maximis. Nam si quādo seueritatē excessus qualitas exigit, agendū est ut & culpā ultio corrigat, & correctis post gratia nō negeť. Hæc igit̄ quia paterna

ſuadente dilectione ꝓ uestra uos anima cõmonemus, cum ea qua dicuntur charitate ſuſcipite, atq; ea ad gloriæ uestræ utilitatẽ aſſumite, ut bona uestra & apud homines clariora, & apud omnipotentem dominum poſſint eſſe puriſſima. De nobis autem ſicut reuera chariſſima filia fiducialiter in cunctis præſumite. Et quia de uestra cupimus proſperitate ſemper audire, diſcurrentibus nos ſæpius Epiſtolis releuate.

Gregorius Clementinæ patriciæ. De Amando á Surentinis electo. Cap. XVII

Epiſt.17 AMandum presbyterum á Surentinis ad epiſcopatum gloriosa filia electum eſſe cognoſcas. Quem quia huc ſcripſimus debere tranſmitti, contriſtari de eius abſentia nõ debetis: quia nec abſcedere creditur, qui mente uobiſcũ eſt. Et quoniam paſtorem quæritis, is qui uobis olim placuit, gratus eſt, omnipotentem deum benedicentes Chriſtiana magis in hoc deuotione gaudete. Et ut ad nos celerius alijs profuturus uenire debeat, hilariter ſtudete: quia ſincerę charitatis eſt exultare quãdo is qui diligit̃, ad hoc uocat̃ ut creſcat.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. De Amando presbytero ad ſe dirigendo. Ca. XVIII

Epiſt.18 POſtquam is qui ad epiſcopatum Surentinæ ciuitatis electus fuerat, aptus nobis uiſus non eſt, Amandum presbyterum oratorij ſancti Seuerini, quod in caſtro Luculano ſitum eſt, elegerũt. Ea propter experientiæ tuæ præcipimus: ut eundem presbyterum excuſatione poſtpoſita ſub omni ad nos ſtudeat feſtinatione tranſmittere, quatenus petentium deſideria cum Chriſti auxilio, ſi nihil eſt quod eum impediat, impleant̃. Cuius uita uel actus quia melius poſſunt illic ubi diu eſt cõuerſatus agnoſci, curæ tuæ ſit cum fratre & coepiſcopo noſtro Fortunato de eo diligenter inquirere. Et ſi nulla ſunt quæ ad ſacrum ordinem obſiſtere ualeant, ad nos debet omni poſtpoſita tarditate tranſmitti. Ne autem gloriosa filia noſtra Clementina hoc moleſtè ſuſcipiat, ad eam experientia tua pergat, & cũ eius uoluntate hoc faciat. Sin uerò reniti forteſſe uoluerit, huc eũ, ſicut diximus ſine mora experientia tua tranſmittat: quia ita animi filiorum noſtrorũ á nobis pacandi ſunt, ut tamẽ animarũ utilitas á nobis nõ debeat præpediri.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. De monachis Surentinis. Cap. XIX

Epiſt.19 PEruenit ad nos quòd monachi quos in Surẽtina ciuitate pro complenda, ſicut noſti, Antonini quondam defenſoris uoluntate tranſmiſimus, pecuniam quam acceperãt, ad emendas poſſeſſiones expendant. Quæ res quoniam non leuem eis neceſſitatem in breui indicat imminere: ideo experientia tua hac authoritate commonita prouideat atq; diſpenſet: ut ſolidos ipſos incautè uitioſeq; erogare non debeant. In qua re ut ſollicitudo tua poſſit eſſe laudabilis, cum omni eis ſtudio ac uigilantia poſſeſſiones ad comparandum exquire. Ex quarum fructibus ſerui dei alimoniam conſequentes, nec acceptos ſolidos incaſſum expendere, nec ipſi ualeant uictus neceſſitatẽ incurrere. Ita ergo omni uigilantia, omniq; intentione ne in hoc te exhibere feſtina, ut efficacia tua & ab illis periculum, & á nobis omnem poſſit curã ſollicitudinis amouere.

Gregorius Ioanni proconſuli Italiæ. De annona Neapolitana ſubtracta. Cap. XX.

Epiſt.20 QVicquid tribuitur pauperi, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum, ſed mutuum: quia quod datur, multiplicato ſine dubio fructu recipitur. Scripſiſtis autem nobis ut Dulcitio agenti uices ueſtras dicere deberemus, ne quid ſuperbiæ typho auderet expendere. Et quanquam ſit laudabile futura proſpicere, quia tamen infirma omnino cautela eſt quæ pietatis adiutorio nõ munitur, in hac ſollicitudine ueſtra quod nos pro uobis contriſtaret, inuenimus. Fertur itaq; quòd annonas atq; conſuetudines diaconiæ quæ Neapoli exhibet̃, eminentia ueſtra ſubtraxerit. Quod minus fortaſſe fuerat obſtupendum, ſi Ioannis deceſſoris ueſtri non fuiſſent tempore miniſtratæ. Si igitur hæc ille cuius cunctis notũ eſt quàm fuerit grauis actio, non negauit, quale ſit ſapiẽtia ueſtra conſideret, ſi uel in aliquo bono opere malus homo uos ſuperet. Nulla enim occaſione hoc ſubtrahere uos decuit. Quod etſi forte nullus ueſtris uoluiſſet ratiõibus imputare, hoc de proprio uos impendere non debuit grauare precatio: ut huius pietas in ueſtro eſſet patrona iuuamine, quæ miniſtra fuiſſet in opere. Hęc itaq; eminentia ueſtra potentia qua pollet inſpicere, atq; hoc quod á prædeceſſoribus eius non eſt ademptum, ut ſolite ualeat miniſtrari, largitatem bonitatis ſuæ debeat magis oſtendere, quatenus nec in his quæ ſecundum iuſſionem agitis, aduerſitatem aliquã incurratis, & huius uobis officij adminiſtratio, & corã hominibus laudem parare, & coram omnipotenti deo poſſit prouidere mercedem.

Gregorius Leoni epiſcopo Cathinenſi. Quòd monachi monaſterij ſancti Viti tam nequiter uiuant, ut mulieribus ſe coniungere ſine metu audeant. Cap. XXI

Epiſt.21 MArtianus monachus monaſterij ſancti Viti quod in Ætna monte eſt poſitum, conſenſu, ut ait, congregationis eiuſdem monaſterij ad nos ueniens, queſtus eſt multas monaſterium ipſum á quibuſdam moleſtias ac præiudicia ſuſtinere. Inter quæ illud nos quoq; uehementiſſima exacerbatione commouit, quòd intantum monaſterium ipſum innotuit calcari ac deſpici, ut etiam monachis ibidem degentibus mulieribus ſe iungi ſine metu ſit licitum. Quod ſi ita eſt, fraternitatem tuam quàm graue & apud deum peccatum, & apud homines culpa reſpiciat, ipſe poteris iudicare: quippe quia nulla te præuales excuſatione defendere. Aut enim hæc fieri neſciſti, et culpa neglectus uehementer argueris. Aut certe factũ recognouiſti, & grauiorem erga te uideris indignationem exigere, cur tantum facinus ultione diſtrictiſſima non puniſti. Itaq; ſcriptis fraternitatẽ ueſtram præſentibus admonemus, ut cũ omni hoc uigilantia inueſtigare feſtinet. Et ſi huiuſmodi iniquitatem á quibuſdam perpetratam inuenerit, ita huius peruerſitatis facinus digna ſtudeat emendatione

datione corrigere, quatenus & deum placare, & alijs ne de cætero quid simile perpetretur, custodiæ possit disciplinam ostendere. Molestias uerò quas prædictum monasterium pati, uel ea quanta eius perhibentur inuasa, sanctitas uestra cognoscat: & ita se in quantum iustum est, in protectione eiusdem exhibeat, ut in nullo contra æquitatis ordinem ualeat aliquo modo prægrauari. Præceptũ uerò beatæ recordationis prædecessoris nostri Pelagij datum ad Lapidium prædecessorem uestrũ cuius subtus exemplaria fecimus ascribi, sine aliqua uolumus refragatione seruari.

Gregorius Hadriano notario. De supradictis monachis. Cap. XXII

Epist.22 RES ad nos omnino detestabilis & nephanda peruenit, & miramur cur si ueritate subsistit, eam minimè cognouisti. Veniens autem ad nos Martianus monachus monasterij sancti Viti, qui in monte Æthna est positum, oblata nobis petitione questus est inter alia, ita monachos eiusdem monasterij peruerse ac nequiter uiuere, ut etiam mulieres sibi sociare, quod dici nephas est, audeant. De qua re quia fratri et coepiscopo nostro Leoni scripsimus, requisita ueritate, si ita reperierit, districtissima hoc studeat seueritate corrigere, ne cesse est ut in hac re tua quoq; se experientia ad inuestigandam ueritatem, & puniendum tantũ scelus omnimodo sollicitè debeat exhibere, ut neq; remissè, neq; negligenter agi aliquid uideatur. In alijs uerò utilitatibus memorati monasterij solatia tua inquantum ratio poposcerit æquitatis, impende, quatenus & si quid ei, sicut dicit, inuasum est, secundum iustitiam reformetur, & de cætero præiudicium illic aliquod contra dei timorem, & legum ordinem nullo modo generetur.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De Mauricio monacho cum alijs fuga lapso. Cap. XXIII.

Epist.23 CVm fraternitas uestra minus erga monasteria sibi subiecta studet esse sollicita, & ipsa culpam reprehensionis incurrit, & nos de sua leuitate contristat. Peruenit autem ad nos Mauricium quendã qui nuper in monasterio Barbaciani conuersus est, ablatis secum alijs monachis, fuga de eodem monasterio discessisse. Qua in re prędictũ nobis Barbacianum præcipitatio sua uehemẽter accusat, qui temere secularem hominem & non antè probatum tonsurauit. Nunquid uobis scripsimus ut prius probaretis, & tunc si aptus esset abbatem facere deberetis? Vel nunc ergo circa eum quem elegistis, estote solliciti. Nam uos illo delinquente delinquitis, si ita cœperit se exhibere ut se ad fratrum regimen ostendat indignũ. Præterea monasterijs omnibus fraternitas uestra districtius interdicat, ut eos quos ad conuertendum susceperint, priusquam biennium in conuersatione compleant, nullo modo audeant tonsurare. Sed hoc spatio uita moresq; eorum sollicitè comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus quod uoluit, aut ratum non habeat quod elegit. Nam dũ graue sit inexpertos hominum sociari obsequijs,

A quis possit dicere quàm sit grauius ad dei seruitiũ improbatos applicari? Miles uerò si conuerti uoluerit, prius quàm nobis renuncietur, nullus eum sine nostro consensu qualicunq; præsumat ratione suscipere. Quod nisi diligenter fuerit custoditum, omnem subiectorum in te culpam inexcusabiliter noueris redundare, qui minus te erga eos rebus ipsis testaris esse sollicitum.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De restituendis iniustè ablatis. Caput XXIIII.

SI scriptorum nostrorum seriem uoluisses diligenter aduertere, aut sponte restituere quę tu listi, aut certè personam secundum admonitionẽ Epist.24
B nostram in causa transmittere debuisti. Et dum te modo quodam excusare contendis, asserens in his quæ contra fraternitatem tuam à parte contraria gesta sunt, non uoluntariè, sed magnis te constrictum coniurationibus miscuisse, ea quæ scripsimus, quasi intelligere distulisti, & magnificos uiros Faustum atq; Dominicium non à te, sed à quibusdam filijs tuis indicasti esse transmissos: ac per hoc, ut alijs litigãtibus ipse quæ tuleras retineres. Pars uerò altera epistolæ tuæ textum addiscens crebra nobis allegatiõe cœpit insistere: ut ea quæ abstuleras, redderentur, paratã se inquiens si quid contra eam magnifici uiri prædicti suorum uel aliorum nomine mouere uoluerunt, respondere. Quod quia nec nobis à rationis uisum est ordine
C dissentire, præsertim postquam admonitus instructam personam ad dicendam causam transmittere neglexisti, idcirco fraternitatem tuã hortamur, ilicò ut præsentia scripta susceperit, Theodorico uiro magnifico maiori populi portas & Rustico uiro clarissimo seniori aqueductũ sine aliqua contentione restituat, ne in hac re moram, uel aliquã excusationem interserat, ne culpam indiscretionis incurrat, si quod ultro facere debuerat, ad monita differendũ qualibet sorte putauerit. Hac itaq; memoratis uiris primitus reformata, liberum tibi sit si quam contra eos postea apud nos hic causam mouere uolueris. Sin uerò nõ ipse, sed filij tui, ut asseris, causam se habere querantur, unde eos publico debeant pulsare iudicio, eis est liberum in quolibet loco uoluerint, causę suæ negotium contra eos legaliter propositum terminare.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De Petro è pueris falsè accusato. Cap. XXV

VAlde nos uestra mirari fecit fraternitas ut causam clerici sui, aut noluisset, aut non as- Epist.25
surgeret definire. Petrus itaq; præsentium portitor ad nos ueniens, questus est, pueros à quibus de tentatione sceleris falso se asserit criminatum, non ut oportuit esse discussos, sed tantummodo uerbotenus inquisitos, & sibi hoc solum ne uobiscum procedere audeat, interdictũ. Aut enim uera fuere quæ dicta sunt, & iuxta causæ qualitatem canonicæ fuit coerctioni subdendus: aut falsa, & diu non debuit in crimine remanere. Quia ergo & ratio indixit, & hic pro sui purificatione sollicitus, quæ aduersum se dicta sunt, apostolicã sedem

adijt,& iusta examinatiõe finiri perquirit, necesse est ut una cum Anthemio subdiacono nostro subtili ac districta discussione à pueris illis ueritatem exigere debeatis. Et si prædictus portitor attenta facinoris reus esse patuerit, canonica modis omnibus ultione plectatur. Si uerò insons fuerit declaratus, celeri absolutione respiret, & uobiscum habeat procedendi licentiam: quia sicut reis competens exercenda uindicta est, ita innocentibus non est absolutio differenda. Sic ergo huic causæ sollicitè fraternitas uestra finem studeat imponere, quatenus nullam de neglectu ualeat reprehensionem incurrere.

Gregorius Anthemio subdiacono. De Petro à pueris falsè accusato. Cap. XXVI.

Epist.26 PEtrus clericus lator præsentium questus est nobis, à quibusdam se pueris fallaciter criminatũ, & causam suam non ut oportuit districta examinatione discussam, nec se ab ab aliquo condemnatum, sed solum ab episcopo suo, ne cum eo procedere auderet inhibitum. Quod audientes omnino ęgrè tulimus, quia ueritate subtiliter perquisita, aut reum, ut causæ exigebat qualitas condemnare, aut certe debuit innocẽtem absoluere. Quia igitur & causa exigit, & memoratus portitor magnopere postũlat ut hac de re subtilis debeat haberi discussio, præsenti tibi authoritate præcipimus, ut unà cum reuerentissimo fratre nostro Fortunato coepiscopo atq; si uisum tibi fuerit, glorioso filio nostro Maurentino attentati criminis ueritatem subtili nimis indagatione ac discussione studeatis addiscere, & ira aut culpam ulcisci, aut festinetis innocentiam releuare: ut nec uos uideamini negligentes in aliquo extitisse, nec hæc amplius sine definitione causa remaneat.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. De Saponarijs ciuitatis suæ. Cap. XXVII

Epist.27 AVgustinus præsentiũ portitor, qui reliquorum Saponariorum ciuitatis uestræ uice se se dixit esse transmissum, questus nobis est quòd Ioannes uir clarissimus Palatinus multis eos frustra affligat incommodis, atq; noua plurima eorũ corpori præiudicialiter nitatur impendere. Denique ut, sicut ait, eos promittere sibi compellat, ut si quis arti eorum sociari uoluerit, quicquid commodi de introitu eius accesserit, ipsi proficiat. Adijciens quoq; pactum inter se de quibusdam rationabilibus artis suæ capitulis iuxta priscam cõsuetudinem omnium consensu interposita esse pœna confectum, atq; id sacramento interueniente firmatum, & ab eo nunc uelle quosdã ex suis, eius scilicet patrocinio fretos, abscedere: atq; ita contrauenire tuitionem cupientibus impendere, ut, quod dici graue est, plus in defensione eius præsumptionem habeant, quam de pœna penuriam, uel de sacramento præstito possint habere formidinem. Quòd si ita se res habet, quia etiã ipsi quod ait aduersum est, quippe qui alieno se peccato sua defensione constituit esse participem, fraternitas uestra paterna eum adhortatione conueniat, ut ab huiusmodi se actu cohibeat, & præiudicialiter illis nihil imponat, nec eos dispendijs contra rationem affligat. Pariter etiam prouidendum est, ut & pactum ubi sacramenta sunt præstita conseruetur, & cum dispendio animæ suæ temporalia lucra contraueniendo nõ appetat: ne & periurij crimen incurrat, & commoda prauè desiderata non capiat. Et si, quod non credimus, admonitionem uestram prædictũ Ioannem uirũ clarissimum uidetis forte differre, cum eminentissimo filio nostro Præfecto stricte loquimini, ut ipse hoc sicut in præsenti dici fecimus quomodo præuiderit, rationabiliter faciat emendari: quatenus & eos qui tuitionis uestræ suffragia quæsiuerunt, quorundam uoluntas iniustè non opprimat, & ille ab opere se indecenti prohibitum, pro suæ magis animæ utilitate cognoscat.

Gregorius Zizasimæ militi. De rebus Ecclesiasticis im publico competentibus. Cap. XXVIII.

Epist.28 EPistolas uestras Græco sermone dictatas me indico suscepisse, in quibus dicitis quòd quædam religiosa loca responsum iuri publico de rebus ei competentibus reddere contemnant. Quæ res me omnino contristauit, quia non solum præiudicia minimè facere, sed etiam facta æquanimiter portare, nisi forte quia res pauperum defendere rationabiliter cogimur, ne apud omnipotentem deum culpabiles inueniri ualeamus. Proinde Fantino defensori quæ scripserunt gloriæ uestræ transmisi: ut ipse religiosos quosq; in Panormitanis partibus apud electos iudices uenire compellat, & suorum actuum rationem reddant. Omnipotens deus cœlestis uobis misericordiæ largitatem præbeat, ut per cuncta quæ agitis, eius gratię seruiatis.

Gregorius Fantino defensori. De redditibus Ecclesiæ hospitibus dandis. Cap. XXIX.

Epist.29 SAbinus uir clarissimus præsentium lator nobis indicauit, hanc olim ibi consuetudinẽ conuenisse, ut diuersis superuenientibus, ciues eiusdem ciuitatis de proprio expensas expenderent. De qua re dum se quererentur affligi, hoc illis cũ Theodoro quondam episcopo conuenisse, ut in Ecclesia eius certæ portiones substantiæ suæ donatione conscriberentur, & hoc in se onus susciperet, atq; securis eis redditus, ipse de Ecclesia quicquid esset necessarium erogaret. Si uerò per tertiamdecimam & primam indictiones, quibus prædictæ ciuitati defensoris officium absente episcopo de proprio expendisset, quod de Ecclesia poterat erogari. Et quia sibi quod expendit, postulat debere restitui, idcirco experientiæ tuæ præcipimus: ut reuerentissimo fratri & coepiscopo nostro Decio studeat imminere, quatenus aut pacifica, si ita est, cum eo ordinatione decidat: aut certè si qua se ratione à restitutione expensarum credit defendere posse, in iudicio tuo partes assistãt: & exquisita diligentius ueritate, ita quicquid tibi æquitatis ordo suaserit, mora postposita definito, ut & rationabiliter causa finem accipiat, & partes apud te nulla fatiget in obseruatione dilatio. Si autem donationes, de quibus dictum est, Ecclesiæ

suæ

ſuæ eſſe oneroſas exiſtimat, & reddere eas donatoribus fortaſſe uoluerit, ſi qui ex eis qui eas recipiunt, clerici ſunt, à te ſimiliter moneantur, ut aut ſecundū portiones ſuas quæ erant ſoliti dare perſoluant, aut certe ſi cauſari uoluerint, cōtentiones partium, tua neceſſe eſt cognitione diſtingui, ut nulla ſe pars inaudita queratur præiudicium ſuſtinere. Alias uero cauſas quę cum memorato reuerendiſſimo uiro fratre noſtro ſupraſcriptus portitor habere ſe aſſerit, tuo ſimiliter uolumus, mediis ſacris euangelijs, iudicio definiri.

Gregorius Conſtantino epiſcopo Mediolanenſi. De Pompeio epiſcopo innocenter condemnato. Caput XXX

Epiſt.30 RElectis epiſtolis quas ad nos per Marianum latorem prẽſentium tranſmiſiſtis, gratam nobis ſollicitudinẽ ueſtrā fuiſſe reſcripſimus, quòd ea quæ ad uos de fratre & coepiſcopo noſtro Pōpeio, qui adhuc ita à nobis nominandus eſt, peruenerunt, diſſimulare minimè pertuliſtis. Sed ſi qualis fuit in requiſitione cura, talis fuiſſet in diſcuſſione ſubtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum eſt, fuiſſet ambiguum. Sed utrum uerum an eſſe cōpoſitum patuiſſet, iam contra ipſum dudum in Sicilia apud reuerendæ memorię fratrem noſtrū Maximianū epiſcopū talis quæſtio, ut cognouimus, mota eſt. Sed quia cauſa ipſius ſubtili omnino inueſtigatione quæſita eſt, inuentus eſt innocẽs, qui fuerat accuſatus in crimine. Nunc ergo quoniam illa quæ contra eū dicta ſunt, non ſub illa qua decuit diſtrictione quęſita ſunt, & geſta quæ exinde apud fraternitatẽ ueſtram confecta ſunt, neq; ad condemnationẽ, nec ad abſolutionẽ eius probantur poſſe ſufficere, non leuis res agitur, ut incautè uel in tranſcurſu debeat definiri. Nam graue eſt ſatis & indecens, ut in re dubia certa dicatur ſententia. Et hæc quidem geſta eſſe poterant ad definiendum ſatis idonea, ſi accuſati ea confeſſio ſequeretur: ſi tamen eandem confeſſionẽ ſubtilitas examinis ex occultis eiiceret, & non afflictio uehemens extorqueret, quæ frequenter agit, ut noxios ſeſe fateri etiam cogantur innoxij. Nam poſtq; præfatus epiſcopus, ut dicitur, cruciari cuſtodia, cremariq; fame ſe aſſerit, ſcire debetis ſi ita eſt, ut non noceat ſi ſic fuerit exorta confeſſio. Nunquid quando ſententiam tales cauſæ ſuſcipiunt, & ad ſedem apoſtolicā appellat, nónne & perſona quę iudicatur prẽſens eſt, ut diſtrictiſſimè atq; ab omni latere ueritas quęratur, ut tūc ſi debeat nécne manere ſententia decernatur? Necnon & ſi prædictus epiſcopus ad ſedẽ apoſtolicā appellare uoluerit, cauſa ipſius interius & cum omni diligentia eſt perſcrutanda. Et ideo poſtq; & perſona abſens eſt, & geſta quæ ad nos tranſmiſiſtis, nobis, ſicut præfati ſumus, ſatisfeciſſe idoneè non uidentur, temerè aliquid de epiſcopi perſona decernere nec poſſumus, nec debemus, ne quod abſit, reprehenſibiles inueniamur in noſtris, quibus aliorum iure competit retractare ſententias. De Alemanis aūt quod uobis indicatum eſt, nos et longius quàm uos poſiti ſcimus. Et quia uerum non ſit, minimè dubitamus. Veſtra tamen fraternitas bene fecit pro informatione noſtra ſcribere quod audiuit.

Gregorius Libertino expræfecto. De aduerſitatibus patiẽter tolerandis. Cap. XXXI

QVanta uos ſeculi huius premat anguſtia incognitū non habemus. Sed quia in ſumma tribulatione poſitis ſola eſt conſolatio miſericordia creatoris, in eum ſpem ueſtrā ponite, ad ipſum tota uos mente conuertite, qui & iuſtè quem uult permittit affligi, & cōfidentẽ in ſe miſericorditer liberabit. Ipſi ergo gratias agite, & patiẽter quæq; illata ſunt ſuſtinete. Nam rectæ mentis eſt, deum non ſolum in proſperis benedicere, ſed etiā in aduerſitatibus collaudare. In his ergo quæ patimini, nullum contra deum murmur cordi ueſtro ſurrepat, quia ad quid hoc creator noſter operetur, ignotū eſt. Forſitan enim magnifice fili aliquid illū in proſperis poſitus offendiſti, unde te clementi amaritudine uult purgare. Et ideo nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna diſcrucient: quia ſi in aduerſis gratias referens deū tibi patientia feceris eſſe placabilẽ, & quæ amiſſa ſunt, multiplicata reddunt, & ſuper hoc gaudia æterna præſtantur. Peto autẽ ne iniurioſum ducatis q; uiginti annuos ueſtitus ad pueros ueſtros per Romanum defenſorẽ ſcripſimus præberi: quia de beati Petri apoſtoli rebus quamuis parua ſint quæ offeruntur, pro magna ſemper benedictione ſuſcipiẽda ſūt: quoniā et hìc uobis ualebit maiora impẽdere, & apud omnipotẽtẽ deū beneficia æterna pſtare.

Epiſt.31

Gregorius Secundino Tauromitanenſi. De uxore Leonis Cartharij. Cap. XXXII

PRæſentiū portitor Leo Cartharius ad nos ueniens indicauit uxoris ſuæ cauſam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine quo uehemẽtius ſtimulatā aiebat, atq; ob hoc religioſam ueſtẽ induerat, ſe culpabilẽ nullatenus extitiſſe, adeo ut, ſicut ait, requirẽte fraternitate ueſtra, cui huius rei cognitionẽ ante hoc ferè triennium mandauerāmus, in nullo claruerit eum poſt initū coniugiū in fornicationis culpam collapſum: adijciens quoq; q; eidẽ uxori ſuæ diſtrictiſſima ſacramẽta præbuerit, inſontẽ ſe ea de re, unde etiam illam mordebat ſuſpitio, permanſiſſe: & ideirco propria eam ſponte ad ſe reuerſam, Sed quia cōmunione illam cum familia ſua pro hoc ſolummodo à fraternitate ueueſtra priuatam aſſerit, q; ad eum clam poſtpoſitis uobis redierit, uolumus familia quidẽ ipſius ut ſacram cōmunionẽ recipiat, & dominæ ea culpa in huius afflictionis pœna familiā diu nō teneat. De ipſa uero hoc eſt de uxore prædicti portitoris hoc uos obſeruare neceſſe eſt, ut ſi manifeſtè conſtat, quia contra coniugẽ ſuum dicere nihil potuit, ſed inſuper ſuſpitio ipſius præſtito, ut edocti ſumus, ſacramento amputata eſt, & utiq; poſt hoc ſua ad eū ſpōte reuerſa eſt, & in ea quoq; temperanda eſt cēſura iudicij, ut lōgo iā tēpore minimè cōmunione priuet. Si autẽ aliter ſe ueritas q; uobis inſinuatū eſt fortaſſis habuerit, fraternitatis ueſtræ ſubtiliter ſcripta nos inſtruant, ut quid fiendum ſit, noſtris iterum diſcurrentibus epiſtolis agnoſcatis.

Gregorius Secundino episcopo Tauromitanensi.
De mendacio Marciani episcopi nescienter dicto.
Caput XXXIII

Epist.33 SCripta fraternitatis uestrę suscepimus, in quibus indicastis reuerēdissimū fratrem nostrum Marcianum Lucensis ciuitatis episcopū aliter nobis de causa Ecclesiæ contra monasterium sancti Christophori, quod in uestra dioceſi est constitutum, intimasse: non quidem fallendi uolūtate, sed quia à clericis suis non fuerat ueritatis naturā diligēter instructus. Et quoniā scribitis Dulcinū decessorē ipsius nihil de rebus Ecclesiæ suę fuisse testatum, sed de proprijs ac magis quæ in prædicto monasterio fidelium oblatione collata sunt, eulogiū condidisse, atq; sex uncias Ecclesiæ, & sex eidē monasterio iure hæreditario reliquisse, necesse est, ut si ita esse nō ex opinione sed absolutè in ueritate recolitis, nullā prædicto monasterio sinatis molestiam irrogari, præcipuè dum eandē causam iam temporibus reuerendæ memoriæ Maximiani episcopi uos atq; fratrem nostrū coepiscopum Ruffinum ex eius deputatione audisse ac decidisse testemini, adeo ut inter partes ea quæ inueniri poterant, partirentur, & quod Ecclesiæ fuit intrinsecus redderetur. Volumus ergo ut pars utraque conticeat, & ea quæ à fraternitate tua unà cū prædicto Ruffino quondā episcopo statuta sunt, incō uulsa persistant, quatenus nec pars Ecclesiæ denuo iniustè quæstionē inferre, nec monasterium irrationabiliter uideatur, post uestrā maxime definitionem controuersiam sustinere.

Gregorius Eulogio episcopo Elusino.
De Ioanne episcopo ordinando. Cap. XXXIIII

Epist.34 GLoriosus filius noster Anfidus ad nos scripta transmisit, indicans quòd in castro balneum regis dicto, unà cum habitatoribus loci ipsius sibi Ioannem diaconem elegerit episcopum ordinandum, de cuius omnino uita bona testatus est. Sed quia quæ sunt canonica nesciunt, & nos inexpertis uel incognitis manus temerè non audemus imponere, fraternitas uestra cum omni sollicitudine ac uigilantia diuersis quibus potuerit modis de uita actibusq; ipsius requirere studeat. Et si nihil est quod ei canonicè possit obsistere, requirendum quoq; est si in opere dei studium habuit, uel psalmos nouit. Et si talis fuerit, eum ad nos cum testificationis suę epistola dirigat. Si uero aliter fuerit, uestris nobis similiter epistolis indicate, & habitatores loci ipsius adhortamini, ut si iste aptus non fuerit, sicut & suprascripto Anfido filio nostro scripsimus, alium sibi eligant qui ad hoc officiū cum gratia dei aptus ualeat inueniri.

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.
De hæresi Agnoitarum. Cap. XXXV

Epist.35 TRansacto anno suauissima sanctitatis uestrę scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respondere nuncusque non ualui. Ecce enim iam biennij pene expletur quo lectulo teneor, tantisq; podagræ doloribus affligor, ut uix in diebus festis usq; ad horarū trium spatium surgere ualeam missarū solennia celebrare. Mox autem cum graui compellor dolore decumbere, ut A cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdū mihi lentus est, interdum nimius. Sed neq; ita lentus ut recedat, neque nimius ut interficiat. Vnde fit ut qui quotidie in morte sum, quotidie repellar à morte. Nec mirū, quia peccator grauis talis corruptiōis carcere diu teneor inclusus. Vnde cōpellor clamare: Educ de Psal.141 carcere animā meā, ad cōfitendū nomini tuo. Sed quia meis hoc precibus obtinere non mereor, rogo ut uestrę sanctitatis oratio suę mihi intercessionis adiutorium præbeat, meq; à peccati & corruptionis pondere liberū reddat in illam quam bene nostis libertatē gloriæ filiorū dei. Scripsit autē mihi dulcissima & semper honoranda beatitudo uestra, q; ei cōmunis filius Anatholius diaconus B de Constantinopolitana urbe scripserat, ad me quosdam monachos de Hierosolymorū partibus uenisse, qui me aliquid de Agnoitarū errore requirerent: & dicitis quia petijt ut uestra sanctitas scriberet quid de eadem debuissem inquisitione sentire. Sed neq; ad me de Hierosolymorū partibus requirentes aliqui monachi uenerunt, neq; eundem cōmunem filiū nobis potuisse aliquid aliud q; erat scribere, sed interpretē suspicor in eius epistolis errauisse. Nam idem diaconus mihi iam ante biennium scripsit, quia à prædictis partibus ad Constantinopolitanā urbē talia requirentes monachi uenerunt, meq; studuit requirere quid sentirem. Cui ego ante longū tempus q; uestra scripta susciperem, respōdi: quæ postmodū in epistola uestræ sanctitatis inueni, atq; omnipotenti deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorū atq; Grecorū partes, quorū nos sequaces sumus, uno spiritu sunt locuti. In multis enim eandem uestram epistolam ita reperi, ac si contra prædictā hæresim scripta Latinorū patrū legerē. Et quantum potui de sanctissimo fratre meo amare bonum & laudare, perpendite: in cuius ore uenerādos patres, quos multum diligo, recognoui. Sic ergo illi laus sit in excelsis & gloria, cuius dono adhuc in sede Petri clamat uox Marci, de cuius effusione spiritus cùm sacerdos ad perscrutanda mysteria, scilicet ad sancta sanctorum intrat, in sancta ecclesia uelut in tabernaculo ex uerbis prę dicationis spiritalia tintinabula resonant. Recta itaq; & ualde laudabilis est uestra prædicatio. Sed D omnipotentē dominū deprecamur, ut diu uos etiam in hac uita custodiat, ut de dei organo quod estis, in mundo latius uox ueritatis sonet. Pro me autem peto intercedite, ut huius peregrinationis uia quæ mihi asperior facta est, cum celeritate finiatur: quatenus qui ex meis non ualeo, ex uestris meritis possim ad æternæ patrię promissa pertingere, & cum cœli ciuibus gaudere.

Gregorius Maximo episcopo Salonitano.
De Iuliano Scribone, & de Frontinianistis.
Caput XXXVI

AD Romanā ueniens urbem cōmunis filius Epist.36
presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilē reperit, ut fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenus ualuissem. Et quidem

dem de Sclauorum gente quæ uobis ualde immi- A
net,& affligor uehementer & cõturbor. Affligor
in his quæ iam in uobis patior: cõturbor, quia per
Hystriæ aditum iam ad Italiam intrare cœperunt.
De Iuliano autem Scribone quid dicam, quando
ubiq; uideo, quia nobis peccata nostra respondeant, ut & foris à gentibus, & intus à iudicibus con
turbemur? Sed nolite de talibus omnimodo contristari, quia qui post nos uixerint, deteriora tempora uidebunt, ita ut in comparatione sui temporis, felices non existiment dies habuisse. Inquantũ uerò prævalet fraternitas tua, opponere se pro
pauperibus & oppressis debet. Quæ etiam si prodesse minimè ualuerit, ipsa omnipotenti deo men
tis deuotio sufficit quam dedit. Scriptũ est enim:
Prou.24 Eripe eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahun B
tur ad interitũ liberare ne cesses. Quòd si dixeris,
uires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse
intelligit. In omni ergo quod agis, inspectorẽ cordis appete habere placatũ. Quicquid uero est unde illi placeas, facere non omittas. Nã humani terrores & gratiæ fumo sunt similes, qui leui aura raptus euanescit. Hoc certissimè scito, quia placere deo et prauis hominibus nullus potest. In tanto se
ergo existimet fraternitas tua omnipotẽti deo placuisse, quanto se peruersis hominibus displicuisse cognouerit. Ipsa tamẽ defensio pauperũ moderata & grauis sit, ne si quid nimis rigidè agitis, ex iuuentute uos arbitrentur homines superbire. Sed
talis necesse est ut inueniatur pro oppressis uestra
defensio, quatenus & humiles ꝓtectionẽ sentiãt, C
& oppressores non facile inueniant quod ex maleuola mente reprehẽdant. Attẽde ergo quod ad
Ezechia Ezechielẽ dicit: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecũ, & cũ scorpionibus habitas. Et beaIob 30 tus Iob ait: Frater fui draconũ, & socius struthionum. Et Paulus discipulis dicit: In medio nationis
Philip.2 prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Tanto ergo debemus cautius ambulare, quanto nos scimus inter dei inimicos uiuere. De Frontinianistis autẽ fraternitas tua sit omnino sollicita, & sicut cœpit, studeat, quatenus ad sinũ sanctæ Ecclesiæ reuocentur. Si qui uerò ad me
uenire uoluerint, & rationẽ recipere, prius iusiurandũ præbeãt quia nõ permittãt suis ꝙ in eorũ er
rore, etiã ratione recepta, persistant. Et postmodũ D
eis tua sanctitas promittat, quia à me nullã uiolentiã patientur, sed rationẽ reddo. Si ueritatẽ cognouerint, suscipiant. Si non cognouerint, illæsos dimitto. Si qui uero contra uos ex eis ad nos uenire uoluerint, minimè eos fraternitas tua retineat, quia
uenientes aut rationẽ recipient, aut scito: quia aliter profecto terram illam ulterius non uidebunt.

Gregorius Innocentio episcopo.
De libris Iob transmittendis, & de libris sancti Augustini. Cap. XXXVII

Epist.37 LVculenta eminentiæ uestræ, & condita cordis melle facundia, ita sui nobis saporem medullitus infudit, & in suo amore nos rapuit, ut nobis & dulcè sonet quod scribitis, & sapiat suaue quod agitis, nec immeritò, quia qui bonis studijs comptus est, iudicio magnus est, non fauore. Præfecturæ autem uos suscepisse cingula cognoscentes, lætitiæ se miscuit nostræ tristitia. Nam ex una parte lætati de profectu dulcissimi filij contristati sumus ab altera, quia ẽt graue sit confusis temporibus locis maioribus esse præpositos, ex nostro prorsus dolore sentimus. Vnde omnino studendum est, ut res aspera fiat mercedis occasio. Nam, sicut nostis, de terra plena tardius frumentũ egreditur, & de spinis rosa producit. Dum ergo seminandi uobis cõgruũ tempus est, bonorũ operũ serere semina nõ cessetis, ut maiores in die messis lætitiæ manipulos reportetis, atq; ad æternã gloriã ex trãsitorij honoris merito ueniatis. Cognoscentes quale studiũ in præparandis drumonibus gessistis, sollicitudinem uestram, desiderato nuncio, releuamus: indicantes cum Longobardorũ rege usq; ad mensem Martium futuræ quartæ Indictionis, de pace, propitiante domino, cõuenisse. Quæ si retineatur ignoramus, quia idem rex obijsse postea nunciatus est, licet adhuc habeatur incertum. De Anamundaro autem quæ scripsistis fecimus, sed uoluntatẽ utinã sequatur effectus, quia quantum ad nos pertinet, afflictis intercessionis nostræ solatium non negamus. Quod uero in expositione sancti Iob transmitti uobis codicem uoluistis, de uestro omnino studio gaudemus, quoniam illi rei eminentiam uestram studere conspicimus quę nec totos foras uos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ uestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis. Quale prẽterea patrocinijũ qualemq; affectum in utilitatibus pauperũ beati Petri Apostolorum principis amatoris sui gloria uestra præbuerit, Hilario chartulario nostro testificante didicimus. Ex qua re uberes gratias exoluentes omnipotẽtis dei misericordiam exoramus, ut gratiæ suæ protectione uos muniat, & nec malos contra uos homines exterius, nec malignos spiritus interius præualere permittat. Sed ita actiones uestras in suo propitius timore disponat, ut sicut fecit inter homines, ita quoq; post longæuæ ætatis discursus, in sanctorum suorum uos esse faciat numero gloriosos.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano.
De oppressionibus minorum à maioribus in Sardinia. Cap. XXXVIII

Epist.38 QValiter in Sardinia minores uel pauperes ab eis qui illis maiores sunt opprimantur, reuerendissimi fratris nostri Carthaginensis episcopi atq; eminentissimi filij nostri Innocentij præfecti epistolæ testantur, à quibus ut quæ nobis scripta sunt noueritis, ipsarum uobis epistolarum exemplaria pręuidimus transmittenda. Et ideo quia ea quæ nobis petenda sunt, offeruntur: studiosè agendũ est, ut ea quæ promittunt, opere cõpleant. Si qui eorũ de quibus est quæstio, in Ecclesiã fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi uiolentiã patiantur, nec ij qui dicũtur oppressi, damna sustineant. Curæ ergo uestræ sit, ut eis sacramentum

cramentum ab ijs quorum interest, de seruanda le ge & iustitia promittatur, & per omnia cõmoneantur exire, atq; suorum actuũ reddere rationem, quibus etiam Ecclesiæ uestræ defensorem deputare uos cõuenit. Cuius sollicitudine ea quæ illis fuerint promissa seruentur, quatenus nec alijs noxia sint, et ipsis Ecclesiastica, salua ratiõe, possint prodesse suffragia. Ita ergo fraternitas uestra faciat ut hæc quæ eius studio emendanda sunt, mora per eam uel impedimentum aliquod non contingat.

Gregorius Adeodato abbati Neapolitano. De unitate monasterij Gazarensis ad Neapolitanum. Cæp. XXXIX

Epist.39 QVorundam monachorũ eiusdem monasterij ad nos relatione peruenit, monachos monasterij Gazarensis quod situ in Plagia est, & monachos sancti Sebastiani monasterij, quod Neapoli in domo quondam Romani constructũ est, ubi deo miserante, sicut dictum est, abbatis geris officium, se monasterium q; suum uniri magnopere popposcisse, adeo ut chartas omnes eiusdẽ monasterij tuo monasterio, ut dicit, tradidissent. Sed quia monasterium ipsum in Neapolitana est diocesi constitutũ, ne quid cõstituere, quod absit, præiudicialiter uideamur, uolumus ut quousq; Neapoli ordinet antistes, tuo interim monasterio antefatum Gazarense monasteriũ cum omnibus ad se pertinentibus sit unitũ. Cum uerò propitiante domino Neapoli fuerit episcopus ordinatus, utrum in perpetuũ hæc unitio extendi, an temporalis esse debeat, maturius ac solidius cum dei gratia pertractabimus. Quia uerò monasteriũ Puteolis constitutũ, quod Falcidis dicitur, ita esse destitutum à monachis perhibetur, ut non solum dei illic opus minimè celebretur, sed etiam penè pro derelicto, quod dici graue est, habeatur, idcirco illud monasterio tuo cum omnibus ad se pertinentibus in perpetuũ duximus uniendum, admonentes: ut monachos in prædicta utraq; monasteria debeas deputare, qui & curam illic diligenter habeant, & opus dei regulari studeant institutione peragere, atq; ita se in his sicut conuenit, exhibere: ut nec illos de neglectu, nec te de minori sollicitudine culpa confundat. Quicquid uero ad eadem monasteria pertinere cognoscis, si ab aliquibus irrationabiliter detinent, ex hac nostra autoritate repetendi, exigẽdiq;, atq; tuo monasterio uendicandi habebis per omnia, deo iuuante, licentiã: quia dignũ est ut quorũ curam geris, rebus nullo modo defraudaris. Monachos autẽ quos in monasterio Puteolis sito deputaueris, sub tua quidẽ disciplina, sed tamen Puteolano episcopò, cuius dioceſis est, non Neapolitano noueris subiacere.

Gregorius clero, & nobilibus ciuibus Neapolitanis. De eligendo eis episcopo. Cap. XL

Epist.40 Cã.8.q.1 ca. Nec nouum. Parte 1 di.28.ca Priusq; NEc nouum, nec reprehensibile est in eligendo episcopo populi se uota in duas partes diuidere, sed graue est quando in huiusmodi causa non ex iudicio, sed ex solo fauore uenit electio. Prius enim q; scripta ad nos uestra discurrissent: Ioannem diaconẽ qui ab altera parte electus est, paruulam habere filiam quorundam relatione cognouimus. Vnde si rationẽ uoluissent attendere, nec illi eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad episcopatũ audet accedere, qui adhuc longam sui corporis continentiam, filiola teste, conuincitur non habere? Petrus autem idem diaconus quem à uobis electum esse asseritis, omnino, quantum dicitur, simplex est. Et nostis, quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce constitui, qui non solum de salute animarum uerumetiam de extrinseca subiectorũ utilitate & cautela sciat esse sollicitus. Nam de eo insuper ad nos peruenisse cognoscite, q; solidos dederit ad usuram, quod uos oportet cum omni subtilitate perquirere, & si ita constiterit alium eligite, & ab huiusmodi uos persona sine mora suspẽdite. Nam nos amatoribus usurarũ nulla ratione manus imponimus. Si uero subtili habita inquisitione hoc falsum esse patuerit, quia persona eius nobis ignota est, & utrum ita sit de simplicitate eius quod ad nos perlatum est ignoramus, cum decreto à uobis facto ad nos uenire necesse est, ut uitam moresq; ipsius sollicitius inquirẽtes, sensum quoq; pariter agnoscamus, ut si huic iudicio aptus extiterit, uestra in eo, adiuuante domino, desideria compleamus. Studij præterea uestri sit, etiã aliũ qui aptus sit prouidere, ut si forte huic ordini hic non uideatur idoneus, sit in quo se uestra declinare possit electio. Nam graue cleri illius erit opprobrium, ut si hic fortasse approbatus non fuerit, aliũ se dicant qui eligi debeat, non habere.

Parte 1 dist.39.c. Petrus

Parte 1 dist.47.c. De Petro

Parte 1 dist.61.c. Studij

Gregorius Dominico episcopo Carthaginensi. De pestilentia Aphricana. Cap. XLI

Epist.41 QVanta in Aphricanis partibus lues irruerit, iam dudum cognouimus, & quia necdum à tali percussione est libera, geminati in nobis dolorum sunt gemitus. Sed inter hæc mala, & alias calamitates innumeras desperata cor nostrum charissime frater tribulatione deficeret, nisi fragilitatem nostram uox dominica prẽmunisset. Olim enim fidelibus euangelicæ tuba lectionis insonuit, appropinquante fine mundi pestilentiam, bella, & alia multa quę adhuc, sicut nostis, in metu sunt, euentura. Quæ ergo præscientes patimur, affligi ex his nimium tanq; de incognitis non habemus. Nam plerunq; & genus mortis in alterius mortis cõsideratione leuamẽ est. Quantas ergo detruncationes, quãtasq; crudelitates uidimus, quib⁹ mors sola remediũ, & erat uita tormentũ? Nónne cùm Dauid optio esset mortis oblata, recusatis fame & gladio, populũ suũ elegit dei manu succumbere? Ex qua re colligite, in his qui diuina percussione intereunt, quanta sit gratia, quando ea uocatione obeunt quam prophetæ sancto pro munere constat oblatã. Itaq; creatori nostro in cunctis aduersitatib⁹ gratias referamus, atq; de eius misericordia cõfidẽtes, patiẽter omnia toleremus, quia satis minus patimur, q; meremur. Quoniã tamẽ ita tẽporaliter flagellamur, ut sine æternæ uitæ consolatione minimè relinquamur, necesse est ut quanto his signis nunciantibus uenturũ iudicem in proximo

non

non nescimus, tanto rationes nostras quas in eius
A sumus examine posituri, bonæ actionis studio & fletu pœnitentiæ muniamus, ut tantæ nobis percussiones sauente eius gratia nō damnationis initium, sed beneficiū purgationis existant. Quia uerò ea infirmitatis nostræ natura est, ut non possimus de obeuntibus nō dolere, fraternitatis uestræ doctrina tribulatis sit solamen. Mansura illis bona quę promittuntur, insinuet: ut spe certissima roborati in comparatione futuri muneris discant de amissione temporaliū non dolere. Vestra eos lingua, sicut & credimus, magis ac magis à praui operis perpetratione coerceat, bonorum præmia, malorū pœnas edisserat, ut qui bona minus diligunt,
B saltem mala pertimescāt, & ab his se quæ sunt plectenda cōtineant. Nam in flagellis positos, flagellis digna cōmittere, contra ferientem est specialiter superbire, & sæuientis acrius iracundiam irritare. Atq; est primū genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis iustè quiescere, & deum iniustè à sua uelle ultione cessare. Sed quoniam in his diuino adiutorio opus est, in cunctis dilecte frater precibus omnipotentis clementiam exoremus, ut & nos dignè ista tribuat exhibere, & populorū ad hæc operanda misericorditer corda compungat, quatenus in timore ipsius actus nostros salubriter ordinantes, & ab ingruentibus malis erui, & ad superna uenire gaudia eius duce gratia, sine qua nihil possumus, mereamur.

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino. De hæreticis Agnoitis, & expositione Euāgelij de ficulnea, sub testimonio scilicet Augustini.

De eo quod scriptum est: Nemo scit diem iudicij, nec filius, nisi pater solus. De eo quod dicitur: Adā ubi es? Et ad Cain: Vbi est frater tuus? Et de Lazaro: Vbi posuistis eū? quæ omnia utiliter exponit. Cap. XLII

Isa.42 Isa.25 Sicut aqua frigida animæ sitienti, sic nūcius bonus de terra longinqua. Quis uerò mihi esse nuncius bonus quantum ad sanctæ Ecclesiæ adiutoriū potest, nisi uita atq; incolumitas suauissimæ mihi uestræ sanctitatis, quę ex percepta luce ueritatis, & eandem Ecclesiā prædicationis uerbo illuminat, & ad meliorem uiam morum suorū exemplis conformat? Quotiens autem in corde meo unanimitatem uestram relego, atq; in corde uestro
D fixum me permanere cognosco, ago omnipotenti deo gratias, quia diuidi locis charitas nō potest. Nā etsi corpore longè disiungimur, mente tamen indiuisibiles sumus. Cōmunis autem filius Anatholius diaconus suis mihi scriptis innotuit, in urbe regia nonnulla Ecclesiastica quædam de causis terrenis mota. Sed credo q; prius hoc mihi nunciauerit, quàm de causa Ecclesiæ beatitudo uestra loqueretur. Et gaudeo, quia ubi uos adesse cōtingit, me non arbitror defuisse. Nam ueritatis minister Petri sequax, & sanctæ Ecclesiæ prædicator scit, quia illa loqui potuisti, quæ de sede Petri apostoli per os doctoris sonare debuerunt. Ante hos autem dies Abramio Alexandrino ueniente sanctitati uestræ rescripseram, uel quid de scriptis uestris quæ contra hæreticos Agnoitas edidistis sen
A serim, uel cur tarde responderim. Sed Abramius nauigij necessitate compulsus, diu perhibetur in Neapolitana ciuitate demoratus, atq; in eo sensu quod dudū scripseram, ita rescribo, quia de doctrina uestra cōtra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit ualde quod admiraremur, quod autem displiceret, non fuit. In eodem autem sensu iam dudum cōmuni filio nostro Anatholio diacono plurima scripseram. Ita autem doctrina uestra per omnia Latinis patribus concordauit, ut mirum mihi non esset quòd in diuersis linguis spiritus non fuerit diuersus. Nā hoc quod de ficulnea dixistis, in eo sensu propriè beatus Augustinus loquitur, quia cùm Euangelista subiungit: Nondum enim erat tem- Mar.11
B pus ficorum, aperte cognoscitur quòd per ficum dominus in synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat creator omnium nescire, quia fructū ficus non habuit, quod dum tempus ficorū non esset, omnes poterant scire. De eo uero quod scriptum est: Quia diem & horam neq; filius neq; Mar.13
angeli sciūt, omnino recte uestra sanctitas sensit, quoniā non ad eundem filium, iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius nos quod sumus, est certissimè referendū. Qua de re multis locis idem beatus Augustinus eo sensu utitur. Dicit quoq; aliud quod de eodē filio possit intelligi, quia deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraham dicit: Nunc cognoui quia times Gen.22
C deum. Non quia se deus tunc timeri cognouerit, sed quia tunc eundē Abrahā fecit agnoscere quia deum timeret. Sicut enim nos diem lętū dicimus, non q; ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit, sic dictū est non q; ipse nesciat diem, sed quia hūc sciri minimè permittat. Vnde & pater solus dicit scire, quia consubstantialis ei filius, ex eius natura qua est super angelos, habet ut hoc sciat quod angeli ignorant. Vnde & hoc intelligi subtilius potest, quia incarnatus unigenitus, factusq; pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem & horam iudicij, sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit, quia deus & homo factus, diem & horā iudicij non nisi per deitatis suæ
D potentiā nouit, sicut cùm ei in nuptijs mater uirgo diceret uinum deesse, respondit: Quid mihi & Ioan.2
tibi mulier? Nondum uenit hora mea. Neq; enim Iesus angelorū dominus horæ subiectus erat, qui inter cuncta quæ creauerat, horas & tempora fecerat: sed quia mater uirgo cùm uinum defuit, per eum miraculū fieri uolebat, statim ei responsum est: Quid mihi & tibi mulier? Ac si aperte diceret: Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex patre, nō ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura patris miracula faciebat. Vnde et in cruce positus, eandem matrē moriens recognouit, quā discipulo cōmendauit, dicēs: Ecce mater Ioan.19
tua: Ait ergo: Quid mihi et tibi est mulier? Nondū Ioan.2
uenit hora mea. Quod est dicere, In miraculo q̄d ex tua natura non habeo, te minimè recognosco: sed cū hora mortis uenerit, cognosco te matrē, qa

unde

Universidad de Deusto
Biblioteca

unde mori possum, hoc ex te habeo. Itaq; sciẽtiam quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hãc se cum angelis, qui creaturæ sunt, habere denegauit. Diẽ ergo & horam iudicij scit deus & homo. Res autẽ ualde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente ualet dicere esse aliquid quod dei sapientia ignoret? Scri-
Ioan.1 ptum est: In principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbũ. Omnia per ipsum facta sunt. Si omnia, proculdubio etiam dies iudicij, & hora. Quis ergo desipiat ut dicere præsumat quia uerbum patris fecit quod ignorat? Scriptum
Luc.10 quippe est: Sciens Iesus quia omnia dedit ei pater in manus. Si omnia, profecto diem iudicij & horam. Quis ergo ita stultus est, ut dicat quia accepit filius in manibus quod nescit? De eo uerò loco in
Ioan.11 quo mulieribus de Lazaro dicit: Vbi posuistis eum? ipsa specialiter sensimus quæ sensistis, quia si negant scisse dominũ ubi fuerat Lazarus sepultus, atq; ideo requisisse, proculdubio compellentur fateri, quia nesciuit dominus in quibus locis se Adam & Eua post culpam absconderant, cùm in
Gen.3 paradiso dixerat: Adam, ubi es? aut cùm Cain cor-
Gen.4 ripuit, dicens: ubi est Abel frater tuus? Qui si nesciebat, cur protinus adiunxit: Sanguis fratris tui de terra clamat ad me? Quamuis hoc in loco Seuerianus Gaualensis aliud loquitur, dicens: quia hoc mulieribus dominus per increpationẽ quasi dixerit, quòd mortuum Lazarum ubi posuerunt requisiuit. Ac si apertè Euæ culpã memorans mulieribus diceret: Ego uirũ in paradiso posui, quem uos posuistis in sepulchro. Ad hoc uerò mihi idẽ cõmunis filius Anatholius diaconus respondit aliam quæstionem dicens: Quid si obijciatur mihi, quia sicut immortalis mori dignatus est, ut nos liberaret à morte, & æternus ante tempora fieri uoluit temporalis, ita dei sapientiam ignorantiã nostram suscipere dignatam esse, ut nos ab ignorantia liberaret? Sed ad hoc ei necdum respondi, quia graui nuncusq; infirmitate detentus sum. Iam nũc autem uestra cœpi oratione conualescere: & ei, si ita perfectè cõualuero ut dictare ualeam, adiuuante domino respondebo. Ex quibus uobis mihi nihil dicendũ est, ne uidear docere quæ nostis, quia
≠ & medicamina uim medendi perdunt, quæ membris sanis & fortibus apponuntur. Indicamus præterea quia grauem hic difficultatem interpretũ patimur. Dũ enim non sunt qui sensum de sensu exprimant, sed transferre semper proprietatem uolunt, omnem dictorum sensum cõfundunt. Vnde agitur ut ea quæ translata fuerint, nisi cum graui labore intelligere nullo modo ualeamus. Benedictionem uerò sancti Marci Euangelistæ, & uestrę beatitudinis accepi. Ligna autem transmittere uolui, sed quia nauis parua fuit quæ uenit, ea portare non potuit. Quamuis hæc ipsa qui uiderunt Alexandrini uenientes dixerunt q̃ parua sunt. Nam alia omnino uobis maiora paraueram, quæ necdum ad Romanam ciuitatem tracta sunt, quia expectaui ut ueniente Alexandrina naui trahi debuissent, & in loco ubi incisa fuerunt remanserũt. Omnipotens deus uitam uestram ad ędificationẽ sanctæ Ecclesiæ per longa tempora custodiat, uobisq; aspiret ut pro me enixius oretis, ut quẽ propria peccata deprimunt, uestræ apud omnipotentem deum preces leuent.

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.
De abbatissa ordinanda. Cap. XLIII

Epist.43 FRaternitatis uestræ adeo nobis sollicitudinẽ placuisse scribim⁹, ut nostri studij esset ea quæ uoluistis effectu cõplere. Quia ergo scripsistis ut personam transmittere deberemus, quæ in monasterio quod in ciuitate nostra situm est, abbatissæ regere possit officium, quam diuina misericordia suffragante, in regimine eiusdem monasterij strenuam posse existere arbitramur, illuc pręuidimus dirigendam, ut à uobis deo protegente abbatissa debeat ordinari. Nam ad nos huc tantummodo causa orationis uenit. Quia ergo memoratam ancillam dei ad uestram uoluntatem & scripta transmisimus, hortamur ut circa eam monasteriumq; ipsius sollicitudinem gerat fraternitas uestra, atq; degentem illic cõgregationem in Iesu Christi dei & redemptoris nostri seruitio adhortationis suæ uoce, & bonorum operum exhibitione corroboret, & ita se erga exteriores utilitates eius, ubicunque necesse fuerit, & causas exhibeat, ut conuersantes ibidem magnum in uobis subsidium, sicut decet, inueniant, & nullius rei eas necessitas deprimat: quatenus dum uobis prouidentibus omnis eius fuerit amota necessitas, in oratione dei & laudibus assiduè secura ualeant mente persistere. Sic etenim agetur ut & illis electa conuersatio ad salutem, & uobis proficiat ad mercedem. Nam gratia prorsus maior acquiritur, si de cõmissis ouibus lucrum offerat domino sollicitudo pastoris.

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.
De petitionibus Agrippini & Seruandi.
Caput XLIIII

Epist.44 QVid petitio Agrippini presbyteri uel Seruandi diaconi contineat Ecclesię Fesulanæ, subiecta uobis pagina patefacit. Et ideo si ea quæ illic cõtinentur, ueritate subsistunt, atq; tales personæ ad uos uenerint quibus credi aliquid debeat, usq; ad uiginti solidos, aut si plus uobis uisum fuerit, in reparationem Ecclesiarum, quæ in ruinis esse perhibentur, sub testamẽti pagina dare uos cõuenit, quatenus & illic remedium sit, & uestra debeat esse monitio. De cæteris uerò rebus quæ apud nos sunt, pro memoria futuri temporis ex eisdem susceptũ emittite, ut dum deus pacem donauerit, res ipsæ iuri Ecclesiæ cuius sunt, sine aliqua ualeant dilatione uel cõtrouersia reparari.

Gregorius Palladio presbytero de monte Syna.
De detractionibus non curandis. Cap. XLV

Epist.45 EPistolis dilectionis tuæ susceptis, filiũ meum Simplicium requirere curaui, & qua tentatione tua charitas urgeretur, inueni: de qua tamẽ uerbi mei consolatione non indiget, cùm ipsa ueritas dicat: Si patremfamilias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Qui iterum
Matt.10
dicit

Ioan.15 dicit: Si de hoc mũdo essetis, mundus quod suum A
erat diligeret. Sed quia de hoc mundo non estis,
sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos
mundus. Mundum uidelicet corda carnalia desig
nans, quæ diligunt mundum. Hęc igitur cùm per-
fecte te scire audiam, miror dilectionẽ tuam uer-
bis hominum contristatam. Inter uerba enim lau-
dantium siue uituperantium, ad mentem semper
recurrendum est, & si in ea non inuenitur bonum
quod de uobis dicitur, magna tristitia generari de
bet. Et rursum si in ea non inuenitur malum quod
de uobis homines loquuntur, in magnã debemus
lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudant,
& conscientia accusetur? Aut quę debet esse tristitia
si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos B
1.Cor.1 demonstret? Habemus Paulum dicẽtem: Gloria
nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. Iob
Iob 16 quoq; dicit: Ecce in cœlo testis meus. Si ergo no-
bis est testis in cœlo, testis in corde, dimitte stul-
tos foris loqui quod uolunt. Quid aliud detrahen
tes faciũt, nisi in puluerem sufflant, atq; in oculos
suos terram excitant, ut unde plus detractiones
perflant, inde magis nihil ueritatis uideant? Vo-
candi tamen sunt etiã ipsi, & tranquillè admonen
di, eisq; satisfieri modis omnibus debet, scientes
quid de Iudæis ueritas dicit: Ne forte scandalize-
mus eos. Si autem satisfieri sibi ex ueritate nolue-
rint, habes consolationem quam in sancto Euan-
gelio conspicias, quia cùm domino dictũ fuisset:
Matt.15 Scis quia Pharisæi audito hoc uerbo scandalizati C
sunt? respondit: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæ-
corum. Paulus quoq; apostolus admonet dicens:
Si fieri potest, quod ex uobis est, cũ omnibus ho-
minibus pacem habentes. Dicturus quippe cum
omnibus pacem habentes, quia hoc difficilè esse
prospexit, præmisit, si fieri potest. Sed tamẽ adiun
xit quod possit fieri, cùm dixit, quod ex uobis est:
quia si nos in mente charitatẽ contra odientes ser
uare cupimus, etsi illi nobiscũ pacem non habent,
nos tamen cum illis sine dubio habemus. In omni
bus ergo fili dilectissime cor custodi, sicut scriptũ
Prou.4 est: Omni custodia serua cor tuũ, quia ex ipso uita
procedit. Hæc breuiter pro charitatis cõmemora-
tione rescripsi. Sed peto ut pro me orare debeas,
quatenus omnipotens deus, & à malis me spiriti- D
bus, & à peruersis hominibus custodire dignetur,
quia in hac uitæ meæ peregrinatione mala me si-
mul & multa circumdant, ita ut cum Psalmista iu-
Psal.87 re dicam: In me pertransierunt iræ tuæ, & terrores
tui conturbauerunt me. Circumdederũt me sicut
aqua tota die, circumdederũt me simul. Cœlestis
gratia & nos in urbibus, & uos in eremo prote-
gat, quia antiquus hostis terrarum locis à tentatio
ne non excluditur: quia si in paradiso hominẽ stra
uit, quis locus extra paradisum esse potest, in quo
mentes hominum penetrare non ualeat? In sola
ergo creatoris nostri protectione fidẽdum est, cui
Psal.70 ex intimo corde clamemus: Esto mihi in deũ pro-
tectorem, & in locum munitum, ut saluum me fa-
cias. Transmisimus uobis de benedictione sancti
Petri apostoli cucullã & tunicã, quas ea petimus

Greg.

charitate suscipi, qua à nobis transmissæ sunt.

Gregorius Ecclesio episcopo Elusino.
De episcopo caurè eligendo. Cap. XLVI

Scripta fraternitatis uestræ suscipientes, cõtri- Epist.46
stati sumus q̃ uos per ea & grauiter infirma-
tos, & adhuc debiles esse cognouimus. Et licet
sanctitatem uestram uidendi desiderium habere-
mus, bene tamẽ fecistis isto uos illic tempore con
tinere, ne uenientes huc de ægritudinis uestrę mo
lestia recidiuam nobis tristitiam faceretis. De epi
scopatu autem laudauimus quòd personam non
temerè elegistis, sed cauti, sicut decuit, extitistis.
Venientibus enim uobis, si deo placuerit, cõmu-
ni deliberatione tractabimus, & quod utile uisum
fuerit, deo auxiliante disponemus. Vnum autem
caballũ uobis qualem inuenire potuimus, de be-
nedictione sancti Petri transmisimus, ut habeatis
eum quo post infirmitatẽ uectari possitis. De cau
sis uero pro quibus latores præsentium huc uene
runt, quid actum sit, ipsorũ omnia renunciatione
cognoscetis. Præterea Ecclesiis ad quas sine labo-
re potestis accedere, fraternitas uestra officiũ uisi
tationis impendat, ut ij qui illic deo propitio bap-
tizantur, inconsignati non debeant remanere.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
Crescentium uicarium commendat. Cap. XLVII

CVm lator præsentium Crescentius, uicarius Epist.47
noster, quẽ ad se filius noster gloriosissimus
dominus Leontius exconsulatu præcepit occur-
rere, exire de septis uenerabilib. dubitaret, ne qua
per eum excusatio alijs fortasse nasceretur, aut pu
blica diceretur utilitas impediri, ei ut egredi de-
buisset, æquitatẽ seruari promitti fecimus. Et ideo
quia hęc illi res sicut iussus fuerat, illic suasit occur
rere, fraternitas uestra ei salua ratione concurrat,
atq; apud prædictũ glorioſissimũ dominũ uestrũ
agere cum ea qua consueuit charitate studeat, ut
in nullo eum cõtra leges aut rationẽ patiat aliquo
modo prægrauari, sed iustitiã ei sicut Christianita
ti eius cõuenit, in omnibus faciat custodiri, quate
nus & ipse ad mercedẽ suã, quod æquitatis ordo
exigit uideatur salubriter seruasse, & hic se contra
ea quæ promitti fecimus, grauari non sentiat.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
Apollonium magistrum militum cõmendat.
Caput XLVIII

QVamuis glorioso Apollonio magistro mili Epist.48
tum cõmuni filio paternam uos pietatẽ no-
uerimus impendere, quia tamẽ eundem dilectio-
nis modũ quẽ circa eum sacerdotaliter exhibetis,
nostris credidit apicibus augmentandũ, idcirco
eum fraternitati uestræ his epistolis cõmẽdamus,
hortantes ut paternam in uobis, sicut decet, cõso-
lationẽ inueniat, & solatijs uestris, sicut usus exe-
gerit, comitante iustitia potiatur, quatenus dum
uestram erga se amplius fuerit dilectionem exper
tus, & ipse quod de uobis confidit agnoscat, & no
stram sentiat epistolam profuisse.

Gregorius Leontio exconsuli.
Apollonium commendat. Cap. XLIX

SCientes gratia paterna uos scripta suscipere, Epist.49
si illud peragere studeamus, gloriam uestram

Universidad de Deusto
Biblioteca

ultro non est dubium operari, ut filiorum nostrorum desideria non patiamur contristari. Et ideo quia glorioſus filius noſter Apollonius magiſter militum, lator pręſentium, noſtris ſe apud uos uoluit apicibus cõmendari, ſalutãtes gloriã ueſtram paterna dilectione petimus, ut ſalua ratione, gratiam ueſtri fauoris inueniat, & patrocinij opem in quocunq; neceſſe fuerit, conſequatur: quatenus dum gloria ueſtra ea quæ ſponte cõſueuit impendere, noſtræ quoq; cõmendationi præſtiterit, & ipſe ſe optatum in uobis gaudeat inuenire ſubſidium, & nos uberes ſinceriſſimæ bonitati ueſtræ gratias referamus.

Gregorius Domitiano epiſcopo Metropolitano. De Leontio & ſubſtantia Theodori epiſcopi. Cap. L

Epiſt.50 QVàm magnæ charitatis ſit in mẽte ueſtra ſin ceritas, etiam res ipſa teſtatur, quòd dilectionis affectum quem coràm poſitis exhibetis, ſeruare abſentibus non ceſſatis. Proinde multũ nos ad diligendum glorioſum Leontiũ cõmunem filium epiſtolarũ ueſtrarum teſtificatio prouocauit, quia dum illum ſanctitati ueſtræ in amicitijs indicaſtis eſſe coniunctum, qualis iam ſit oſtenditur, ſcilicet quia bono uiro niſi bonus placere non potuit. Et ideo non immeritò diligendus eſt, qui uobis inuenitur familiariter coniunctus. Idem autem glorioſus uir in Sicilia ſe retinuit, & ad Romanã urbem necdum uenit. In his tamen quæ ei pro publica utilitate ſereniſſimorũ dominorum iuſſione mandata ſunt, inquantum ratio ſiuit, minimè ſuffragari diſtulimus. Glorioſum enim Gregorium expręfecto uel alios qui in ſeptis Eccleſiaſticis reſidebant, hortari ſtudioſe curauimus, ut exire, & rationes ſuas exponere debuiſſent. Qui egredientes cum Marco uiro magnifico ſcribone, qui ad exhibitionem eorum uenerat, accepto uerbo ad Siciliam ire parati ſunt. Præterea de ſubſtantia Theodori epiſcopi quem Eccleſiæ ueſtrę iuri ſcripſiſtis fuiſſe ſuperpoſitam, plus amplius aliud quod fieri poſſet non fuit, quàm ut antefato glorioſiſſimo Leontio de quo tanta teſtificamini, cui & cauſam ipſam aſſeritis cõmendatam, atq; Ioanni fratri & coepiſcopo noſtro, de cuius ſanctitate & ſollicitudine certi ſumus, huius negotij audientiam mandaremus, hortantes ut & ueritatem cum omni ſtudeant ſubtilitate perquirere, & ita cõtentionibus partium ſecundum iuſtitiam citius finem impone re, quatenus nec homines ſanctæ fraternitatis ueſtræ longa ualeat illic dilatio retinere, nec pars altera inauditam ſe pati præiudicium conqueratur. Quicquid enim alteri hac de re fuerit ſtatutũ, certi eſtote quia ſine mora complebit. Nam ſicut ſine iudicio quenq; nolumus condemnari, ita quæ diffinita fuerint, nulla patimur excuſatione differri. Omnipotẽs autem deus ſua uos protectione atq; propitiatione circumtegat, greſſuſq; ueſtros in timoris ſui tramite conſeruet, uosq; pro me ad orandum excitet, ut et ueſtris interceſſionibus mea ſtudia in uiam uitæ dirigantur.

Gregorius Leontio exconſuli. De cauſa Liberti/ ni, & quia ira uiri cauta eſſe debeat. Cap. LI

A CAutionis exemplar Libertini ad me ſtuduit Epiſt.51
gloria ueſtra tranſmittere, quatenus mihi oſtenderet cum qua obligatione uel mente ad præturæ dignitatẽ idem Libertinus acceſſerit. Quæ à glorioſo fratre meo Paleſtino patricio uel conſiliario meo uiro magnifico Theodoro relecta, mihi ſubtiliter inſinuata eſt, atq; execrabilis & mihi & cunctis apparuit, qui cognoſcere ualuerunt. Sed debet gloria ueſtra meminiſſe, quia nunq; epiſtolas meas pro cõmendatione alicuius accepit, niſi ut protectionem ueſtram fauente iuſtitia præſtaretis. Et quia de eodẽ Libertino tota ſimul prouincia gratias referebat, iudicaui. Nam uel quis eſſet, uel quales cauſas habuerit, neq; unq; profeſſus ſum, nec hactenus ſimpliciter ſcio. Nam licet
B in iſta cauſa cautionis culpabilis inuenitur, & de alijs cauſis quid pro ſe alleget neſcio, unum tamen bene atq; conſtanter noui, quia ſi quam rebus publicis fraudem fecit, ſubſtantia eius cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cęduntur, ut taceam quòd omnipotens deus offenditur, ut taceam quòd opinio ueſtra uehementer grauatur, pijſſimi tamen imperatoris noſtri omnino tempora fuſcantur. Hoc enim inter reges gentium & imperatores Romanorũ diſtat, quia reges gentium domini ſeruorum ſunt, imperator uero Romanorum, dominus liberorũ. Vnde & uos quidẽ quicquid agitis, prius quidem ſeruata iuſtitia, deinde cuſtodita per omnia libertate debetis. Scriptũ eſt:
Quod tibi non uis fieri, alteri non feceris. Et perſe Tob.4
C metipſam ueritas dicit: Quæ uultis ut faciant uo- Mat.7
bis homines, & uos facite eadem illis. Libertatem ergo eorum qui uobis in diſcuſsionẽ cõmiſſi ſunt ueſtram, ſpecialiter attendere debetis, & ſi ipſi à maioribus ueſtris iniuriari libertatẽ ueſtram non uultis, ſubiectorum ueſtrorum honorando libertatem cuſtodire debetis. Scimus enim qui dixit: Cœlum et terra tranſibunt, uerba autem mea non Mat.24
tranſibunt. Cuius quia uerba non tranſeunt, ſed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit: In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur Mat.7
uobis. Quid autem gloria ueſtra exiſtimat, quia ſi ſuperbè, ſi crudeliter agimus, deſpecto deo nobis hominem placamus? Nullo modo. Nam ipſe qui deſpicitur, eum contra nos cui deſpecto deo pla-
D cere uolumus, irritat. Curemus ergo per omnia placere deo, qui potens eſt etiam iratos homines ad manſuetudinẽ reducere. Nam, ſicut dixi, etiam manſueti homines indignãte deo ad iracundiam prouocantur. Si autẽ dicitur quia ſine uerberibus atq; terroribus fraudes publicę inueniri non poſſunt, hoc admittere poteram, ſi in ratiociniorum cauſa dominus Leontius non ueniſſet. Nã uerum eſt, quia illi ſolent manibus excedere, qui in ſenſu & lingua deficiunt, de quo ſe mihi ueſtra gloria non ualet excuſare. Nam quæ auditis, uel quæ dicitis, ſubtiliter exquirens, inueni quia homines ſine cauſa cæditis, qui auxiliante deo uerbis agere omnia poteſtis. De cauſis uero eorum quos diſcutitis, uerum fateor quia multa audiens quæ nunq; antè cognoui, uehemẽter erubeſco. Vnde & uobis

bis & pijſſimo domino imperatori taceo. Nam ſi mihi conſtare potuiſſet, quia iuſtas cauſas de ſuis rationibus haberent, prius per epiſtolas uos pulſare habui, & ſi auditus minimè fuiſſem, ſereniſſimo domino imperatori ſuggererē. Sed quia mihi de ſuorum rationibus nihil cōſtat, ideo ſicut dixi, & uobis & pijſſimo principi hactenus nihil dico. Turpe eſt enim hoc defendere, quod mihi non cō ſtiterit iuſtum eſſe, quia ego homines propter iuſtitiam diligo, non autem iuſtitiam propter homines poſtpono. Ita ergo age glorioſe fili, ut in actione cōmiſſa prius illum habeas placatum, qui continet omnia, ac deinde ſereniſſimi principis utilitatem cum omni ſollicitudine impleas. Nam & in eius actione à quo tibi cōmiſſa eſt, eſſe negligentem non ſine peccato exiſtimo. Sed quia omnipotente deo largiente, idonea eſt ueſtra ſapientia & rationes uigilanter ac ſubtiliter exquirere, & creatoris uobis iudicium per manſuetudinē placare, quotiens ira animū inuadit, mentem edoma, uince teipſum. Differ tēpus furoris, & cùm tranquillamēs fuerit, quod placet uindica. Ira enim in uindicta malorum ſequi debet rationem animi, non præire, ut quaſi ancilla iuſtitiæ poſt tergū ueniat, & non laſciua ante faciem prorumpat. Aliquando uero oſtēdenda eſt, & non exhibēda. Aliquando exhibenda eſt, ſed nunq; ſequenda. Quando enim in executione iuſtitiæ placata mente iraſcimur, iracundiam & non ſequimur & exhibemus. Ira enim quæ animum perturbat, quanta conſideratione cauenda eſt, monſtratur. De qua ſcriptum
Eccli. 1 eſt: Sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiri iuſtitiam dei non operatur. Hinc rurſum ſcri-
Prou. 18 ptū eſt: Quis poteſt habitare cum homine, cuius
Prou. 22 ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum? Hinc iterum dicitur: Noli eſſe cum homine iracundo, neq; ambules cum uiro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Contra hanc in laude patientiæ dictum eſt: Melior eſt uir qui uincit iram, q; qui capit ciuitatem magnam. Hinc Da
Pſal. 30 uid perſonam in ſe infirmorū ſumens, ait: Turbatus eſt præ ira oculus meus. Atq; ex ipſa perturbatione quid ſequatur, adiunxit dicens: Inueteraui inter omnes inimicos meos. Ex ira quippe cū turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos noſtros ad uetuſtatem reducimur, quia inter malignos ſpiritus ad uetuſti hominis ſimilitudinē reuocamur. Cùm igitur ira quæ cor permouet, ſacra eloquia tot teſtimonijs deteſtentur, perpendamus qua intentione debemus hoc uitium fugere, quod deo iudice, in teſtimonio illius totiēs reprobatur. Alia quoq; occurrit opinio, quia alij pro alijs grauant. Ex quibuſdam quæ ex principali iuſſione expenſa ſunt, minimè reputantur. Quod ſi uerum ſit, neſcio. Si tamen ita eſt, hoc omnino facere & pro timore æterni iudicij, & pro ipſius humanæ conſiderationis ratione minimè debetis. Ecce glorioſe fili amore dei tuoq; prouocatus, cuncta quæ ſenſi, quæ audiui, breuiter indicaui. Sapientis autē uiri eſt, & breuiter audita latius penſare, & quæq; deo

diſplicent, in celeritate corrigere. Omnipotens deus cœleſtis uos gratiæ protectione circumdet, & hic uos & à prauis actibus, & à peruerſis hominibus tueatur, & apud ſe poſtmodum in æterna patria pia remuneratione lætificet.

Gregorius Amantino domeſtico.
De cautionibus Ioannis palatini. De perſona Libertini. Cap. LII

EA quæ per Paulum latorem præſentium, & Epiſt. 52
Timarchū excubitorē gloria ueſtra tranſmiſit, eo quo uoluiſtis modo ſuſcepta ſunt. Sed & excellentiſſimo filio noſtro Exarcho per ſupraſcriptum excubitorē qui ad eum profectus eſt, ſcripſimus ut cautiones agentiū uices Ioannis præfecti ſimul & palatini huc tranſmittere debeat. Indicantes ei, quia niſi illas direxerit, uſq; ad aduentus ueſtros ea quæ à gloria ueſtra trāſmiſſa ſunt, non tangantur, ſed uobis remeantibus conſeruentur. De perſona autē glorioſi Libertini quædā ad nos antè peruenerant, & neceſſe fuit ut ea uobis ſicut reuera filijs quos diligimus, minimè taceremus. Et quantū in gloriæ ueſtræ epiſtolis inuenimus, moleſtè illa, quod non decuit, ſuſcepiſtis: dum quando nihil aſperū ſcripſiſſe meminimus, ſed hortati ſumus ut cum eo charitatē & gratiam haberetis. Sed quia ad hæc aſpera uobis reſcribentibus, ne ipſam ad nos epiſtolam mitteretis, per ſomnium uos ſcripſiſtis eſſe prohibitos, omnipotēti deo gratias agimus, qui ſic uos uigilantes cuſtodit ut etiā dormiētes admoneat. Sed quia in eodem ſomnio & à me uos de eadem cauſa reprehenſos ſcribitis, qualis ſim, uel ex hoc colligite. Et quando uos paterna adhortatione conuenio, moleſtè ſuſcipere non debetis, quia qui dormientibus purus ſum, uigilantibus duplex eſſe non patior.

Gregorius Romano defenſori.
De inſulis Neapolitanis. Cap. LIII

PEruenit ad nos q; quidam prauæ uoluntatis Epiſt. 53
ſtudio, contra ſeniores & ciues Neapolitanæ ciuitatis de inſulis iuris eorum Leontio glorioſo filio noſtro nitantur ſurripere, ut eos iniuſtè damnis poſſint afficere atq; affligere. Idcirco tibi hac præceptione iniūgimus, ut debeas eſſe ſollicitus, quamuis apud eum nullus locus ſurreptionis hac de cauſa inueniatur, ubi fortè aliquid dictum fuerit, uel epiſcopum præiudicialiter quid, quod non credimus, facere fortè cognoueris, ex noſtro illi mandato dicere te uolumus, ut malorū hominum uerbis aſſenſum præbere, & in hoc peccato ſe miſcere non debeat: quia licet retro principū iuſſionibus omnino de eiſdem inſulis ſint muniti, nobis tamen cū in regia urbe fuimus ſuffragantibus, ita ſereniſſimi domini Mauricij principis elicita iuſſione, eorum ſtrictè iura munita ſunt, ut non habeāt unde iuſtè debeāt formidare. Pro qua re ut & tu diligentius informari, & antedicto glorioſo filio noſtro, ſi cauſa ſe dederit, liquidò ſatisfacere ualeas, earū tibi iuſſionū exēplaria p̄uidim⁹ trāſmittēda. Sed ſi neceſſariū fuerit, ipſas facimus authenticas deſtinari. Tantū eſt, ut diximus, ſtudeas eſſe ſollicitus, ut ſurripiēdi cuiq; illic locus nō pateat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gregorius Bono episcopo Messanensi.
Gregorium præfectum cõmendat. Cap. LIIII

Epist.54 Licet glorioſus filius noſter Gregorius expręfecto magnam de fraternitate ueſtra certitudinem habeat, ut ſacerdotalem ſibi à uobis impendi affectum non dubiter, quia tamen charitatis ueſtræ modum noſtra rogante cõmendatione fidit augeri, his uos epiſtolis præuidimus adhortãdos, ut utilitati ipſius cõcurrere, atq; in eius iuuamine impendere uos quæcunq; ſuaſerit ratio debeatis. Et quia aliqua apud fraternitatẽ ueſtrã pro ſua, ut ait, cautela agere deſiderat, locum apud uos, ſicut reuera decet ſacerdotes, inueniat, & paterna ſibi cõpati dilectione uos cognoſcat, quatenus dũ ſollicitudinis cura ipſius ueſtræ charitatis ſtudio fuerit releuata, & ipſe confidentiã quã de uobis gerit operib⁹ ualeat experiri, & fraternitas ueſtra poſtulantiũ deſiderijs ſe uideatur ſalubriter impẽdiſſe.

Gregorius Leontio exconſuli.
De Gregorio expræfecto. Cap. LV

Epist.55 CVm iuſtitiæ uigor in cognitione ueſtra, & ueritas iuuare ſufficiat quos tuetur, cuiuſcũq; apud uos cõmendatione opus non fuerat, quippe qui ea quæ pro æquitate petẽda ſunt, ex uobis impenditis. Sed ne poſtulantiũ deſideria, qui bonorum filiorum ſtudium paterna creſcere adhortatione confidunt, poſtponere uideamur, idcirco illa apud gloriã ueſtrã agere quæ ultro exhibetis, omnibus modis inuitamur. Eapropter paterna dilectione uos ſalutantes petimus, ut glorioſo uiro filio noſtro Gregorio expræfecto charitatis gratiam, qua eſtis prædĩti, largius tribuatis, quatenus & ille quicquid æquitatis in ueſtra benignitate cõfidit, ueris poſſit effectibus experiri, & nos bona quæ de uobis multipliciter prædicantur addiſcentes, aſſiduè pro gloriæ ueſtræ incolumitate omnipotentem ualeamus dominum deprecari.

Gregorius Amantino domeſtico.
Gregorium expræfecto cõmendat. Cap. LVI

Epist.56 COnfidentes q̃ gloria ueſtra ſe in amicorum ſuorum ſolatijs deuotã ſemper exhibeat, eorum uobis cauſas cõmendare quos diligitis, ſtudemus. Atq; ideo ſalutantes petimus, ut glorioſus filius noſter Gregorius, quales nos hic habuit, illic uos tales inueniat, & tam apud glorioſum filiũ noſtrum Leontiũ, q̃ alibi quocunq; neceſſe fuerit, gloriæ ueſtræ ſolatia conſequatur, ac magnã in uobis conſolationẽ inueniat, & inquantũ poſſibile eſt, ne cuiq̃ iniuſtæ poſſit afflictioni uel grauamini ſubiacere. gloriæ ueſtræ ſollicitudo ſtudio uigilanti prouideat, & tranquillo maturoq; hoc ſtudeat conſilio declinare: quatenus dum uos, ſicut decet, adiutores habuerit, & ipſe & nos amplius cognoſcere ualeamus, quia, ſicut de gloria ueſtra præſumimus, non ad faciẽ, ſed quod eſt ualde laudabile, puras noſtis amicitias exhibere.

Gregorius Secundino & Ioanni epiſcopis Siciliæ.
Gregorium commendat. Cap. LVII

Epist.57 BOnorum nos hortatur dilectio filiorum, utilitatibus eorum ſtudioſe cõcurrere, & eos inquantum ratio ſuppetit, adiuuare. Et ideo quia quantum ſe glorioſus filius noſter Gregorius expræfecto benignè cunctis exhibuit, tanto omniũ debet uti ſolatijs, fraternitatẽ ueſtrã his hortamur affatibus, ut illic ueniẽti tam apud Leontium glorioſum exconſulẽ in diſponendis rationibus ſuis, quàm apud alios ubi cauſa popoſcerit, opem ferre, & partes illius ſubleuare fauente iuſtitia feſtinetis, ut uobis ſacerdotaliter concurrentibus, nullam moleſtiam uel diſpendium cõtra ordinẽ poſſit æquitatis incurrere. Quem ſi, quod non credimus, grauari fruſtra in aliquo ſenſeritis, apud prædictum glorioſum uirũ agere uos epiſcopali modeſtia ſeruata neceſſe eſt, ut uerbum quod ei per Alimarcum uirum magnificum ſcribonem præbuit, cuſtodire debeat ac ſeruare, atq; illum irrationabiliter affligi uel ſuſtinere diſpendium minimè patiatur. Ita ergo fraternitas ueſtra ſe erga eum ſollicitã curet oſtẽdere, & in eius ſe cauſis ſecundum deum ſtudeat exhibere, ut & ſacerdotale in uobis ſubſidium, & paternam inueniat charitatem.

Gregorius Bonifacio epiſcopo regio.
De querimonia Gregorij aduerſus eũ. Cap. LVIII

Epist.58 SAcerdotali proculdubio conuenit grauitati, ut ſi quas Eccleſiæ ſuæ cauſas habuerit, aut pacifica eas ordinatione, ſi fieri poteſt, aut certè iudicio interueniente ſine mora diffiniat, ut ſublata è medio cõtentionis materia, ſola illi cum filijs ſuis pacis poſſit remanere concordia. Indicauit itaq; nobis glorioſus filius noſter Gregorius expræfecto, quòd inter ſe & Eccleſiã ueſtram de locis quę competũt, aliqua ſit orta cõtentio. Ob quam rem hortamur ut eam aut ceſſante iurgio finiatis, aut certè dilatione ſubmota Eccleſiæ ueſtræ actores ad electorum ire iudicium faciatis, ut eorum diffinitione præcedente, nec ille contra iuſtitiam grauari, nec ueſtra præiudicium uideatur Eccleſia ſuſtinere. Quia uero homines ſuos & poſſeſſiones quas illic habet, uobis uoluit cõmendari, oportet ut ueſtra ſe fraternitas in eius cauſis quodcũq; ratio inuitauerit, non omittat impendere. Atq; ita eum in quibuſcũq; ualuerit iuuare feſtinet, ut concurrentibus uobis, abſentem ſe à ſuis utilitatibus eſſe non agnoſcat.

Gregorius Ioanni & Fortunato epiſcopis, & Anthemio ſubdiacono. Homines Gregorij commendat Cap. LIX

Epist.59 EA quæ filijs noſtris ultro nos decet impendere, negare eis petentibus non debemus. Et ideo quoniam filius noſter glorioſus Gregorius expræfecto poſſeſſiones quas illic habet, uel homines ſuos fraternitati ueſtrę à nobis ſtuduit commẽdandos, ſcriptis uos præſentibus adhortamur, ut utilitatibus eius ſalua ratione concurrere, & poſſeſſiones eius atq; homines tueri, ſicut deſiderat, debeatis, nec eos cõtra iuſtitiam à quibuslibet uexari, aut patiamini prægrauari. Sed id agite, ut tuitione ueſtra prędicti filij noſtri ſupplere preſentiam ualeatis, quia ita ſe, ſicut noſtis, exhibuit cunctis, ut omnium ſolatia habere mereatur.

Gregorius Azimarco ſcriboni.
De infirmitate Gregorij. Cap. LX

Epist.60 QVòd præſentiũ portitor glorioſus filius noſter Gregorius tardè ad Siciliam uenit, non uoluntate

uoluntate distulit, sed ita infirmitate corporis debilis factus est, ut uix in multis diebus reparari potuerit. Cuius debilitatis indicia etiam ipsi adhuc in eo cognoscetis. Mox autem ut aliquantum conualuit, uenire illuc sicut magnitudini uestræ promiserat, nō neglexit. Quod ideo his apicibus scribendū pręuidimus, ne eū distulisse spōte credētes, hanc morā eius forsitan studio factam reputetis.

Gregorius Romano defensori.
De Gentione uiro magnifico. Cap. LXI

Epist. 61 QVoniam filius noster Gētio uir magnificus scribo tantæ, deo propitio, bonitatis est, ut ualde sit diligendus, si quid ei potuissemus conferre, debuimus. Voluerat enim possessionem iuris Ecclesiastici sub specie libellorum tenere. Sed propter malos scribones iudicauimus in hac nos causa, nec bono cōmittere. Proinde excepta de possessione quæ potuerunt in eius utilitatē uerti, eadē uolumus eius magnitudini singulis annis offerri, id est porcos uiginti qualiter ipse pręuideris, berbices uiginti, & gallinas quadraginta. Quæ omnia uolumus in exceptis reputari.

Gregorius Adeodatæ illustri fœminæ.
De reliquijs ei conceisis. Cap. LXI

Epist. 62 VT morā in dandis reliquijs, quas gloria uestra petit faceremus, non uoluntate distulimus, sed præcedentis rei nos casus fecit ambigere. Deus autem omnipotēs cordis uestri deuotionem intuens, miraculorum signis admonentibus à uestra uos intentione fraudari non pertulit. Sed ideo desiderium modica uoluit dilatione differri, ut docētibus miraculis & amor uobis crescceret in ueneratione sanctorū, & maior fieret exultatio gaudiorū. Quia ergo in affectu postulatæ rei, gloriæ uestræ uota cōpleta sunt, hortamur ut cuius prædicatores colitis, eius sollicitè mandata seruetis. Et sicut religiosa deuotione terrena sanctorū honoribus loca cōstruitis, sic quoq; cum eis mansionē uobis procurare in cœlestibus festinetis, quatenus & hic illos in omnibus adiutores, & in futura mereamini habere uita consortes.

Gregorius Decio episcopo Lillabitano.
De consecratione Ecclesiæ. Cap. LXIII

Epist. 63 ADeodata gloriosa fœmina petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis. In domo siquidē iuris sui intra ciuitatē Lillabitanam monasterium ancillarū dei à solo se pro sua deuotione fundasse, quod in honorē beati Petri principis Apostolorum, & sanctorum Christi martyrum Laurentij, Hermetis, Pancratij, Sebastiani, & Agnetis desiderat consecrari. Et ideo frater charissime, quia in tuo memorata constructio iure consistit, si nullum corpus ibidem constat humatum, percepta prius donatione legitima, id est, in redditu præstantes liberos à tributis fiscalibus solidos decem, pueros tres, boum paria tria, mancipia alia quę seruiant in ipso monasterio numero quinq;, equas numero decem, uaccas decē, iastulas uinearum numero quatuor, oues numero quadraginta, & cætera secundum morem.

Gregorius Hilario notario. De naui Adeodatæ abbatissæ data. Cap. LXIIII

NAuem in qua Vitalis præsentium portitor nauigat, ad dilectissimā filiam nostrā Adeodatā abbatissam pro sustentatione monasterij sui emissam cognoscas. Qua illuc ueniente, hac tibi authoritate præcipimus, ut ita eam in cunctis tuearis, atq; ab omni angaria uel onere exuere excusareq; festines, ac si specialiter nostra sit. Nā nostri causa in eodem monasterio tanta cōgregatio deo propitio degere comprobatur, ut plus illi solatiari atq; concurrere quàm nostrę in omnibus festinemus Ecclesiæ. Et ideo postq; uoluntatem nostram experientia tua circa prædictum monasterium talem esse cognoscit, ita se in tuitione supradictæ, ut dixímus, nauis impendat, ut te illic posito, nullam moram uel impedimentum ab aliquo ualeat sustinere. Nam si, quod non credimus, in aliquo negligens esse tentaueris, uehemēter te nostram noueris offensam incurrere. Epist. 64

Gregorius populo, presbyteris, diaconibus, & clero Mediolanensi. De obitu Constantij episcopi, & alio episcopo eligēdo. Ca. LXV

QVantus nos de obitu fratris & coepiscopi nostri Cōstantij mœror afficiat, paginali explere locutione non possumus. Sed quàm multa bona partes illæ in uno homine perdiderunt, utinam uicinæ repentina calamitate non sentiant. Nam quemadmodum sollicitus in Ecclesiasticæ regula disciplinæ, uel quàm fuerit uigilans in tuitione ciuitatis uestræ, non habemus incognitum. Sed quoniam obeunte pastore sine proprio uos esse nō decet antistite, omnino gratè suscepimus, quòd Deus dedit diaconem uestrum ad episcopatus officium uos unanimes elegisse, deo authore, signastis. Vnde quia bonorum studiorum desideria nulla debet tarditas impedire, uota in eo uestra complere cum dei gratia festinamus. Et quia prędictus uir nobis non moribus sed solum specie tenus notus est, oportet ut quanto in hac electione non solum uestram utilitatē, sed etiam causam dei agi cognoscitis, tāto debeatis esse solliciti. Et si subtiliter requirentes, nihil est quod ei ex anteacta uita criminis per sacros possit canones obuiare, aut si ad tenendam disciplinam, uel exhibendum regimen idoneus reperitur, atq; cunctorum in eius, sicut scribitis, electione concordet assensus, diuinitatis gratia suffragante eum præsentium scriptorum authoritate solenniter decernimus ordinari. Illud autem quod uobis ab Agilulpho indicastis scriptum, dilectionē uestram non moueat. Nam nos in hominem qui non à catholicis, & maximè à Longobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum. Nec si alicuius pręsumptionis usurpatione factus fuerit, in locum uel ordinem illum sacerdotis suscipimus, quia uicarius sancti Ambrosii indignus euidenter ostenditur, si electus à talibus ordinatur. Nec enim est quod uos hac ex causa deterreat, uel aliquam uobis necessitatem incutiat, quia unde possunt alimēta sancto Ambrosio seruientibus clericis ministrari, nihil in hostiū locis, sed in Sicilia, & in alijs reipublicæ partibus, deo protegente, consistit. Vt igitur in ordinando Epist. 65

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo qui à uobis electus est, nulla possit mora cõtin A gere, Panthaleonem notarium nostrum transmi-
simus, qui eum, ut moris est, annuente consensus
nostri authoritate faciat consecrari. Cui etiã quia
de possessiunculis, quas Magnus presbyter com-
missas habuerat, uel de alijs Ecclesiæ nostræ utili-
tatibus curã gerere, uel quid aliud agere debeat,
in præsenti mandauimus, uestra se ei dilectio in
omnibus deuota, ut decet, studeat exhibere.

Finiunt epistolæ Indictionis tertiæ.

LIBER NONVS

Incipiunt epistolæ Indictionis quartæ, ex regiſtro beati Gregorij papæ.

Gregorius seruus seruorum dei Innocentio Aphri
cæ præfecto. De Victore Fausianensi episcopo.
Caput I

Epist.1 QVi prauorũ actuum eminentiam uestrã iudicẽ esse desiderat, quid de æquitatis eius bono sentiat æ-
stimatis. Proinde reuerendissimi fratris & coepiscopi nostri Victo
ris Fausianensis episcopi plenam uobis doloribus querelam deferimus, ut & malos ab actione propera corrigatis, & ab iniustitia, quã sustinent, bonos eruatis. Queritur siquidem supra dictus frater noster multas in illis locis uiolentias, multaq; alia contra dei timorem Aphricanos iudi ces exercere. Denicq; ut duplicia illic tributa, quod auditu ipso intolerandum est, exigantur. Et quia C huius mali emendatio uestræ specialiter authori-
tatem dignitatis expectat, petimus ut subtili inda
gatione perquirere, & ita hoc deo uobis imperan
te debeatis corrigere, quatenus afflictis pro mer-
cede animæ uestræ protectione iustitiæ succurra-
tis, & huius emendationis exemplo alios in futu-
ro à prauis actionibus arceatis.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.
De persona quadam ad sacrum ordinem pro-
mouenda. Cap.II

Epist.2 FRaternitatis uestræ scripta suscepimus, in qui bus indicastis Florentinũ diaconem uestrum pro utilitatibus Ecclesiæ uestræ ad urbem regiam uos uelle transmittere. Et quia uoluistis ut eum di lectissimo filio nostro Anatholio diacono super-
scriptis debuissemus apicibus cõmendare, scribe- D re ei curauimus, ut illi in quibus necesse fuerit & ualuerit adesse non differat, ipsaq; scripta ad uos transmisimus, ut secum ea, quam direxeritis, per-
sona debeat deportare. De persona uero quam in sacro uos dicitis uelle ordine promouere, uidetur nobis ut si nihil est quod uitæ eius obsistat, & ei à nullo res quã indicastis obijcitur, quod uisum uo-
bis fuerit, faciatis. De alijs uero causis uolumus uobis ut sollicitudinẽ gereretis, scribere. Sed post quàm unã uobis cõmisimus, quæ per neglectum uestrum deperijt, de alijs tacere elegimus, ne & ip
sas similiter perderemus.

Gregorius Anatholio diacono Constantino
politano. Diaconem Marini episcopi com
mendat. Cap.III

FRater & coepiscopus noster Marinianus ad Epist.3
urbem regiam pro Ecclesiæ suæ utilitatibus
diaconum suum scripsit se uelle transmittere. Et
quia illum dilectioni tuæ magnopere uoluit com
mendari, scriptis præsentibus adhortamur, ut ubi-
cunq; necesse fuerit, salua ei ratione concurras, &
ita in cunctis illi opitulari festines, ut charitatem
tuam de qua prædictus frater noster ualde confi-
dit, cognoscat in opere.

Gregorius Alexandrino præfecto.
De patrimonio Ecclesiæ Rauennæ. Cap.IIII

QVi de filij charitate non dubitat, cõmenda- Epist.4
re ei quos diligit, nõ recusat. Et ideo quia pa
trimonium Ecclesiæ Rauennatis quod in Sicilia
cõstitutum est, ita dicitur diminutum, ac si nullus
esset qui utilitates ipsius agere potuisset, necesse B
fuit reuerendissimum fratrem & coepiscopũ no-
strum Marinianum de ordinando patrimonio ip-
so ne ampliusdecresceret, cogitare. Ad cuius quia
gubernationem Ioannem diaconem suum trans-
misit, paterno salutantes affectu petimus, ut ei tan
quam à nobis misso, sicut de uobis cõfidimus, cha
ritatem in omnibus impendatis.

Gregorius Leoni episcopo Cathenensi.
Seuerum commendat. Cap. V

FIlius noster Seuerus uir magnificus præsen- Epist.5
tium lator ad Siciliam uenire desiderans, no-
stris se apud fraternitatem uestram petijt epistolis
cõmendari. Venientẽ ergo eum sacerdotali qua
decet charitate suscipite, eiq; in quo usus exegerit
uestra solatia ministrate, quatenus uobis corã po-
sitis in nullo se contra iustitiam sentiat laborare, C
sed magis auxilij uestri ope suffultus, quiete sua
quam studiose diligit, securus perfruatur, nosq;
de eius tranquillitate quæ illi per uos fuerit procu
rata, lætificari possimus.

Gregorius Talitano. Patrimonium Eccle-
siæ commendat. Cap. VI

CVm tanta nos de uobis oporteat charitate Epist.6
præsumere, ut si Ecclesię nostræ utilitates a-
pud alios agerentur, uestram illic gloriam adhibe
remus adiutricem, satis debemus, quoniam in uo-
bis est causa, gaudere quia uos non oportet negli-
gere, quod amore beati Petri apostolorum princi
pis præstare ipsi apud alios poteratis. Quia igitur
comperimus publici patrimonij curam uestræ or
dinationi esse cõmissam, idcirco paterna dulcedi- D
ne salutantes, patrimonium uobis nostrę Ecclesię
secundum iustitiam cõmendamus. In quo si forte,
ut fieri assolet, occasione inuenta homines publi-
ci aliquam uelint inferre molestiam, hoc magnitu
dinis uestræ bonitas fieri nõ permittat, sed ab om
nium illud hominum inquietudine tueatur. Sicq;
salua ratione pauperũ partes attendat, ut eleemo-
synæ uicẽ impleat seruata iustitia, & uobis ex hoc
ante dei oculos maior merces accrescat. Horta-
mur ergo dilectissime fili, ut uos benignos exhi-
bere tam circa Ecclesiæ nostræ quam diligitis uti-
litates, quàm etiã in omnibus curis Ecclesiarũ de-
beatis, quatenus & iniuncta salubriter expleatis,
& omnipotentem deum uobis, quod summope-
re studendum est, placabilem faciatis.

Gregorius

Gregorius Romano defensori. De Tecla abbatissa defendenda. Cap. VII

Epist.7 QVia Tecla abbatissa monasterij sanctæ Mariæ, quod Neapoli in domo quondam Felicis scholastici constitutũ est: contra Alexandrum uirum magnificum generũ ipsius de quibusdam rebus causam habere dinoscitur, & ad hoc præsentium portitorem transmisit, ut causa ipsa illic cum eo si potest fieri pacificè decidatur, hac experientiæ tuæ authoritate præcipimus, ut ei quocunque usus exegerit, salua ratione, solatiari ac concurrere non omittat. Sed & prædictum uirum magnificum hortari studeat, ut omni cõtentione cessante, ad decisionem causæ ipsius, pacis & ipse intentione perueniat: ne si negligendũ putauerit, cum B strepitu postea & dispẽdio cogatur efficere, quod bona uoluntate implere postponit: quia sicut edocti sumus, frequenter iam prædictæ abbatissæ per epistolas suas promisit ipsam decidere, & facere hoc hactenus supersedit. Tua ergo experientia ita agat, ut aut ipsa causa, sicut diximus, decidat, aut si certè differre ualuerit, & uideris quia facere quæ pacis sunt, non uolet, subtiliter nobis ea ipsa renuncia, ut quid pro utilitate monasterij memorati agi debeat, sciamus.

Gregorius Bono abbati monasterij Lirinensis. De cauta prouisione monasterij. Cap. VIII

Epist.8 PRæpositorum sollicitudo subiectorũ est cautela, quia qui super rem creditam uigilat, hostis insidias declinat. Quàm aũt solers sis in regen C dis fratribus, quantoq; studio in eorũ sis custodia uigilans, reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Menna referẽte cognouimus. Et sicut nos audita decessoris tui incauta remissio sæpius contristauit, ita prouisionis tuę sollicitudo lætificat, quia studij tui cautelam & tibi ad remunerationem, & alijs ad utilitatis exemplum prodesse nõ dubium est. Sed quia quantũ se aduersarius noster ex omni parte præcaueri cognoscit, tanto per occulta quærit irrumpere, & repugnantem sibi callida artenititur decipere, dilectionis tuæ uigilãtia ardentiori se semper cura succendat, & ita cuncta, deo adiuuante, præmuniat, ut lupus sæuiẽs huc illucq; discurrens, in oues dominicas ingrediendi locum nõ habeat. Eos ergo qui tibi cõmissi sunt, à gula, à D superbia, ab auaritia, à maliloquio, & ab omni immunditia, redẽptoris nostri suffragante gratia prohibere, ac studij tui sit per omnia custodire, ut tanto tibi maior de cõmissa gubernatione merces accrescat, quãto subiecti tui contra aduersarij nequitias te fuerint uigilante uictores. Itaq; boni te dulcem, praui sentiant correctorem. In qua uidelicet correctione hunc esse ordinem noueris obseruandum, ut personas diligas, & uitia persequaris, ne si aliter agere fortasse uolueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare desideras. Sic enim uulnus debes abscindere, ut nõ possis ulcerare quod sanũ est, ne si plus quàm res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas. Ipsa enim in te dulcedo cauta, non remissa sit: correctio uerò diligens sit, non seuera. Sed sic alterum condiatur ex altero, ut & boni habeãt amando quod caueant, & praui metuendo quod diligant. Hęc dilectissime fili sollicitè attende, studio se custodi, ut dum tali moderatione deo nostro incolumes quos suscepisti reddideris, in die æternæ retributionis eo dicente audire sis meritus: Euge Lucæ 19 serue bone & fidelis: quia in pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Filium præterea nostrum Columbum presbyterum qui charitati tuæ suis est meritis commendatus: in tua dilectione proficere optamus, & ex nostra commendatione.

Gregorius Sereno episcopo Massilienſi. De sanctorum imaginibus non confringendis, & malis hominibus non admittendis in societatem. Cap. IX

LIterarum tuarũ primordia ita sacerdotalem Epist.9 in te esse beneuolentiam demonstrabant, ut maior nobis fieret de fraternitate tua lætitia. Sed tantum earũ finis à suis dissensit initijs, ut non unius, sed diuersarum esse mentium talis crederetur epistola. Ex illo autẽ quod de scriptis nostris quę ad te misimus dubitasti, quàm sis incautus apparuit. Nam si diligenter ea quæ fraterno amore monuimus attendisses, nõ solum minimè dubitasses, quinimmo quid sacerdotalem grauitatem oporteret agere, cognouisses. Neq; em̃ Cyriacus quondam abbas, qui scriptorum nostrorũ portitor extitit, istius disciplinæ uel eruditionis fuit, ut uel ipse C aliud facere, sicut putas, auderet, uel istam de eius tibi persona suspitionem falsitatis assumeres. Sed quia monita salubria pensare postponis, cõtingit ut iam non solum actu, uerum etiam esses interrogatione culpabilis. Perlatum siquidem ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, sanctorũ imagines sub hac quasi excusatiõe, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari uetuisses, omnino laudauim⁹, fregisse uerò reprehendimus. Dic frater à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod feceris? Si nõ aliud, uel illud te non debuit reuocare, ne despectis alijs fratribus, solum te sanctum, & esse crederes sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes uident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te qui inter gentes habitas, attendi debuerat, ne dũ recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi uerò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis uenerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione uetustas admisit, si zelum discretione condijsses, sine dubio & ea quæ intẽdebas salubriter obtinere, & collectũ gregem nõ dispergere, sed potius dispersum poteras cõgregare, ut pastoris in te meritũ nomen excelleret, nõ culpa dispersoris incumberet.

Hinc autem dum in hoc animi tui incautè nimis A motus exequeris, ita tuos scandalizasse filios per hiberis, ut maxima eorum pars à tua se communi one suspenderit. Quando uerò ad ouile dominicum errantes oues adducas, qui quas habet retinere non præuales? Proinde hortamur ut uel nũc studeas esse sollicitus, atque ab hac te præsumptio ne compescas, & eorum animos quos à tua diuiun ctos unitate cognoscis paterna ad te dulcedine, omni adnisu, omnique studio reuocare festines. Cõ uocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filij, eisq; scripturæ sacræ est testimonijs ostendendum, quia o-
mne manufactum adorare non liceat: quoniã scri
Luce 4 ptum est, Dominum deum tuum adorabis: & illi B soli seruies. Ac deinde subiungendum est: quia pi cturas imaginum quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes literas, ipsam historiam attendentes discerent quid actum sit, quia transisse in adorationem uideras, idcirco cõmotus es ut eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si hãc instructionem ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere uultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri haberi permitto. Atq; indica quòd non tibi ipsa uisio historiæ, quæ pictura teste pandebatur displicuerit, sed illa adoratio quæ picturis fuerat incompeten ter exhibita. Atq; in his uerbis eorum mentes de mulcens, eos ad concordiã tuam reuoca. Et si quis imagines facere uoluerit, minime prohibe, adora re uerò imagines, omnib. modis deuita. Sed hoc C sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex uisiõe rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ trinitatis humiliter prosternantur. Cuncta uerò hæc amore sanctæ Ecclesiæ & tuæ fraternitatis loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur à zelo rectitudinis, sed magis adiuuetur in studio pię dispensationis. Præterea peruenit ad nos quòd dilectio tua libenter malos homines in societate sua recipiat, adeo ut presbyterum quendam qui post quam lapsus est, & in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione uersari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus: quia qui talẽ recipit, scelera non corrigit, sed magis alijs talia perpetrandi uidetur dare licentiam. Sed ne fortè D aliqua tibi surreptione uel dissimulatione ut à te reciperetur, atq; adhuc haberetur gratus suaserit, non solum hunc longius à te expellere, uerumetiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus conuenit resecare. Alios uerò qui praui esse memorantur, paterna adhortatione à sua praui tate compesce, & ad uiam stude rectitudinis reuocare. Quòd si, quod absit, salubri monitione eos uideris in nullo proficere, & hos quoq; curabis à te procul abijcere, ne prauitates eorũ ex eo quòd recipiuntur, displicere minimè uideantur. Et non solum ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorũ receptiõe alij corrumpantur. Et considerate quã & hominibus execrabile & periculosum ante dei sit oculos, si per eum à quo plectenda sunt crimina, nutriri uitia uideantur. Hæc igitur dilectissime frater diligẽter attẽde, & ita agere stude ut pra uos salubriter corrigas, & scandalũ de malorũ societate filiorum tuorum animis non inducas.

Gregorius populo, presbyteris, diaconibus, & cle ro Ecclesiæ Mediolanen. De Arethusa. Ca. X

Epist. 10 LAtrix præsentium Arethusa clarissima fœmina, propter causam legati quod ei coniugiq; uel filijs ipsius Laurentius reuerendæ memorię episcopus uester reliquerat, diu apũd nos est, ut recolitis, demorata. Vnde recordãdæ memoriæ fratri & coepiscopo nostro Constantio miseramus, ut cum ea sacerdotali studio causam ipsam definire iurgiorum cessante strepitu debuisser. Quod si cut scire uos credimus, se & olim facere uoluisse, & adhuc facere tunc uelle responderat. Sed quia latrix harum diu est in hac urbe demorata, atq; illuc distulit remeare, nuncusq; decidi non potuit. Idcirco dilectionem uestram scriptis præsentibus adhortamur, ut memoratæ mulieri illuc uenienti charitatem quam decet Ecclesiæ filijs impendatis. Et cum authore deo Ecclesia fuerit ordinata, id agatis, quatenus causa ipsa quæ tempore diuturno dilata est, ita sine mora, æquitate seruata, debeat terminari, ut nec antedicta fœmina amplius fatigari, nec uos uideamini contra Ecclesiasticum propositum, petentibus negasse quod iustum est.

Gregorius Anthemio subdiacono Campan. Theodoram relictam Sabini commendat. Caput. XI.

Epist. 11 THeodora relicta Sabini defensoris, missohuc homine suo questa est nobis, à filio suo & Aligerno quodam cuius filiam idem filius eius in coniugio suo sortitus est, deceptam esse, ut omnes res suas tempore nuptiarum eidem filio donationis titulo legaret, & nunc se ab eis ualde despici atq; cõtemni, adeo ut ablatis rebus ipsius, nihil ei unde possit nutriri remanserit. A quibus insuper etiam tantam se aduersitatem asserit sustinere ut nec seruum iuris sui ei deseruire, nec in aliquo solatiari permittant. Et quia, si ita se res habet, graue nimis & contra deum est, huius tibi authoritatis tenore præcipimus, ut ueritatem cures addiscere. Et si ita repereris, Ecclesiasticam tuitionem impendere, atq; eam salua in omnibus ratione adiuuare festines, quatenus te illic posito nullũ denuo grauamen uel oppressionẽ à prædictis uiris quolibet modo sustineat, sed prouidere studij tui sit ut in id quo se deceptam queritur, legaliter ualeat subueniri: quia omnino crudele est ut mulier quæ ex filij persona debet sperare solatiũ, per eum magis necessitati cogat uel inopiæ subiacere. Quòd si fortè quies uel solatium ipsius te procurante nõ potuerit ordinari, nobis renũciare festina: ut quid post hæc facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas.

Gregorius Anthemio subdiacono. De Helenæ hominibus ab Ecclesia iniustè detentis. Cap. XII.

Epist. 12 GLoriosa filia Helena per suos nobis homines indicauit quosdã de suis ab Ecclesiæ nostræ actorib. irrationabiliter detineri. Et quia eos petit sibi restitui, idcirco hac tibi authoritate præcipimus

cipimus, ut cum omni diligentia ueritatem ſtude A
as perſcrutari. Et ſi ita eſt, nec eſt quod in eis ad no
ſtræ nomen Eccleſiæ poſſit uendicari, omni mo
ra poſtpoſita, aut ipſos reſtitue, aut ſi fortè manci
pijs Eccleſiæ noſtræ conuenti ſunt, dando pro eis
uicarios recompenſa. Si uerò aliquid noſtræ dicũ
tur Eccleſiæ competere, ſit ſine aliqua dilatione
compendium, & quæ iudicata fuerint, ita experi
entia tua ad effectum ſine aliqua difficultate per
ducat, ut prædictæ filiæ noſtræ denuo non ſit huc
neceſſitas tranſmittendi.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. Donatum commendat. Cap. XIII

Epiſt.13 DOnatus lator præſentium diuerſis ſe illic op
preſſionibus grauari commemorans, Eccle B
ſiaſtica ſe petijt tuitione fulciri. Quapropter hac
tuæ experientiæ authoritate mandamus, ut eun
dem Donatum ſeruata æquitate defendas, & nul
lis eum grauaminibus uel damnis contra iuſtiti
am ſubdi permittas, quatenꝰ te ſibi opitulãte nul
la ei ſit huc remeandi neceſſitas.

Gregorius Scholaſtico defenſori. De condu mia Calumnioſo danda. Cap. XIIII

Epiſt.14 ANte aliquantum temporis experientiæ tuæ
nos præcepiſſe recolimus: ut quia reueren
tiſſimus frater & coepiſcopus noſter Calumnio
ſus neceſſitatẽ ſe de ſolatijs aſſeruit ſuſtinere, unã
illi de iure Eccleſiæ deputare condumiam debu
iſſes. Sed quia condumiam ipſam uineolam par
uulam iuris eiuſdem Eccleſiæ noſtræ tenere dici C
tur, & ipſe ſibi pariter uineolam petit debere loca
ri, hac tibi authoritate præcipimus, ut ad tres ſili
quas aureas factis libellis ei uineolam ipſam loca
re debeas, quatenus & ipſe exinde aliquod reme
dium conſequatur: & ius Eccleſiæ ſine diminutio
ne aliqua conſeruetur. Præterea queſtus nobis
eſt ſupraſcriptus reuerentiſſimus frater noſter: ꝙ
& epiſcopium Eccleſiæ ipſius hactenus detineas,
& occaſione blandiaris, ut epiſcopi patris tui ue
ſtes tibi, uel alia quæ in epiſcopio inuenta ſunt, ap
plices. Et ideo ſi ita eſt: & ab epiſcopio te præcipi
mus ſine mora recedere, & quicquid prædictus
pater tuus epiſcopatus ſui tempore Eccleſiæ de
proprio conſtiterit conquiſiſſe, ne tollas: quia & D
ſacris canonum legibus eſſe noſcitur definitũ, ut
in his quæ antiſtes epiſcopatus tempore acquiſi
uerit, non alius, niſi ſola ſuccedat Eccleſia. Aſſerit
etiam Ferocinatum quendam condito teſtamen
to hæredem noſtram inſtituiſſe Eccleſiam: atque
Eccleſiæ ſancti Ioannis quæ ante portam Horto
nenſis ciuitatis ſita eſt, duos caſalis fundi campos
per Auſinianum legati titulo reliquiſſe: & à no
ſtra eos nunc Eccleſia detineri. Quos quia ſecun
dum uoluntatem defuncti ſibi petit debere con
tradi, experientia tua lecta ſerie teſtamenti, ſi ita
eſſe repererit, nec eſt quod rationabiliter apertè
noſtræ poſſit opponi Eccleſiæ, prædictos caſales
tradere ſupraſcripto fratri noſtro nõ differat: quia
dum talibus nos etiam de proprio conueniat im
partiri, ea quæ illis competunt, nullo modo à no
ſtris irrationabiliter patimur detineri.

Gregorius Scholaſtico defenſori. De Alexan dro Friſiſto. Cap. XV

ALexander Friſiſtus præſentium portitor co Epiſt.15
lonus Eccleſiæ noſtræ queſtus eſt nobis in
domo, id eſt Eccleſia, quę Cathinę à dilecto filio
noſtro Cypriano diacono fabricata eſt, trienniꝭ
ſe tempore laboraſſe, & mercedem non ut dignũ
eſt accepiſſe. Et quanquam per tempora ipſa dica
tur apud plurimos laboraſſe, unde etiam dum hic
eſſes notitiam accepiſti, hac tibi tamen authori
tate præcipimus, ut diligenter inſpicias: & ſi plus
in eadem domo quã mercedes acceperit opera
tus eſt, uolumus ut ſecundum laboris modum ſi
quid ſuper quatuor ſolidos & tremiſſes duos q̃s
à memorato diacono accepiſſe dictus eſt meritus
ſit, addere ei quod iuſtum uideris debeas, ſciens
tuis rationibus imputandum.

Gregorius Romano defenſori. Vt Argentio co lono terram Eccleſiæ concedat. Cap. XVI

QVia præſentium portitorem Argentiũ co- Epiſt.16
lonum Eccleſiæ noſtrę curam hoſpitalitatis
habere cognouimus, neceſſè eſt ut in parte aliqua
eius ſtudium adiuuemus. Idcirco huius tibi præce
ptionis authoritate mandamus, ut terrulam mo
diorum plus minus, ſicut aſſerit, decem poſſeſſio
nis diſterianæ quam tenuit, reddere ei ſine mora
aliqua uel excuſatione feſtines, ut eam diebus ui
tæ ſuæ habeat, atq; ex ipſa rationibus Eccleſiaſti
cis nihil impendat, ſed in ea ille quam exhibet ho
ſpitalitate proficiat: quia dignum eſt, ut bono lau
dandoq; operi concurrere ac ferre conſultũ mo
dis omnibus debeamus.

Gregorius Spes de Ropes præſidi Sardiniæ. De Barbaricinis conuertendis. Cap. XVII

PArticeps proculdubio mercedis exiſtit, qui Epiſt.17
bonorum ſe operum exhibet adiutorẽ. Quia
ergo multi de Barbaris prouincialibus Sardiniæ
ad Chriſtianam fidem dicuntur deo propitio de
uotiſſimè feſtinare: magnitudo ueſtra ſtudium ſu
um hac in cauſa decenter accõmodet: & fratri &
coepiſcopo noſtro Victori in conuertendis ba
ptizandisq; eis ſtudioſe concurrat, quatenus dũ
de interitu multorum animæ per baptiſmatis gra
tiam uobis fuerint ſollicitãtibus liberatæ: & apud
homines laudem habere, & apud omnipotentem
dominum, quod ſummopere ſtudendum, eſt ma
gnam mercedem poſſitis acquirere, atq; nos uo
bis gratias referentes, magnitudini ueſtræ poſſi
mus modis omnibus exiſtere debitores.

Gregorius Vitali defenſori. De Barbaricinis mancipijs comparandis. Cap. XVIII

BOnifacium præſentium portitorem, notariũ Epiſt.18
ſcilicet noſtrum, ad hoc nos experientia tua
illuc tranſmiſiſſe cognoſcat, ut in utilitatem paro
chiæ Barbaricina debeat mancipia comparare. Et
ideo experiẽtia tua omnino ei ſtudioſè ſollicitèq;
concurrat, ut & bono precio, & talia debeat com
parare, quæ in miniſterio parochiæ utilia ualeant
inueniri, atq; emptis eis huc deo protegẽte is ipſe
celerius poſſit remeare. Ita ergo te in hac re exhi
bere feſtina, ut te quaſi ſeruientium amatorẽ, quo
rum uſibus emuntur oſtendas, & nobis te ipſi de
tua ualeant ſollicitudine commendare.

Gregorius

Gregorius Ioanni Tribuno Sipontino. De uiolentia Bonifacij notarij. Cap. XIX

Epist. 19 LAtor præsentium de status sui cõditione nobis sæpius cõquestus est à Bonifacio nostro notario sibi uiolentiam irrogari. Cuius rei cognitionẽ in fratris & coepiscopi nostri Vitaliani notitiam præuidimus perducendã. Cuius causæ meritum se examinasse professus est. Sed quia ad proferendum iudicium se assurgere nullatenus dicit, hortamur magnitudinem uestram, ut pro causa mercedis æternæ, cum prædicto resideatis episcopo, & rei meritum euidentius perscrutantes, quic quid uobis suadente iustitia uisum fuerit, scripto decernite, & si de eius uobis certius libertate constiterit, nullis deinceps quorumlibet inquietudinibus ad rei decisæ meritum prouetur, sed in ea qua uobis uisum fuerit libertate declaratus securè permaneat.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano. De monasterio construendo. Cap. XX

Epist. 20 GRatam nobis fraternitatis uestræ sollicitudinem fuisse cognoscite, quòd pastorali se uigilantia pro tutamine animarũ ut oportebat exhibuit. Nunciatũ siquidem nobis est, quòd in domo quondam Epiphanij lectoris ecclesiæ uestrę, idcirco secundum uoluntatem ipsius monasteriũ construi uetuistis, ne pro eo quòd domus ipsa ancillarum dei monasterio cohærebat, deceptio exinde contingeret animarũ. Et ualde laudauimus, quia antiqui hostis insidias prouisione congrua, ut decuit, præcauistis. Sed quia perlatũ ad nos est Pompeianam religiosam fœminam uelle de eodem monasterio ancillas dei tollere, & per sua unde acceptæ fuerant monasteria reuocare, atq; illic congregationem construere monachorũ, necesse est ut si impletũ hoc fuerit, defuncti depositio modis omnibus conseruetur. Si uerò factum hoc nõ fuerit, ne testatoris uoluntas in totũ uideatur esse frustrata, uolumus ut quia monasterium Vrbani quondam abbatis positum foris extra ciuitatem Caralitanam ita dicitur destitutũ, ut nec unus illic monachus remaneret, Ioannes, quem memorat? Epiphanius in monasterio quod sicut dictũ est, in domo sua fiendum decreuerat, abbatem esse constituit, si tamen nihil est quod eum impediat, abbas debeat ordinari. Atq; reliquiæ quæ in domo antedicti Epiphanij condendæ fuerant, ibi recondantur, & ei modis omnibus applicetur quicquid idem Epiphanius in monasterio quod deputauerat ædificari cõtulerat: quatenus & si de loco propter supradictam cautelam uoluntas eius non disponitur, merces nihilominus illibata seruetur. Et hæc quidem omnia fraternitas uestra una cum Vitali defensore disponat, & ita ea utiliter studeat ordinare, ut sicut de laudabili prohibitione, ita quoque de bona habere possit cõstructione mercedem. Ipsum uerò monasterium licet fraternitati uestræ sit superuacuum commendari, hortamur tamen ex abundanti ut id salua iustitia, sicut uos decet, habeatis commendatum.

Gregorius Panthaleoni notario. De Deusdedit diacono ad episcopatum Mediolani ordinando. Cap. XXI

Epist. 21 EXperientia tua præsenti authoritate suffulta, ad Ianuensem urbem, auxiliãte domino, profiscens, Deusdedit diaconem Ecclesiæ Mediolanensis, si tamen à cũctis electus est, & nihil est q̃d ei ex anteacta uita possint canones obuiare, episcopum solenniter faciat ordinari. Præterea quia multæ illic ecclesiæ nostrę utilitates sunt, quę deo propitio peragantur, sollicitũ esse te necesse est, & ita omnia secundum capitularem subter annexũ requirere, utiliterq; disponere, ut in nullo te neglectus culpa respicere, sed magis uigilantia deo & hominibus ualeat commendare.

Gregorius de Probo abbate monasterij sancti Andreæ. De Probo ac testamẽto eius. Cap. XXII

Epist. 22 IN nomine domini saluatoris nostri Iesu Christi. Imperantibus domno Mauricio & Tiberio Augustis, anno incarnationis dominicæ sexcentesimo primo, eodemq; domno undecies consule, sub die tertio nonarum octobriũ, præsidente beatissimo & Apostolico papa Gregorio: atq; considentibus reuerendissimis Menna episcopo Telesino, Basilio Capuano, Constantio Numentano, Montano Sauonense, Victore Fausanẽse, Ioanne presbytero tituli sanctorũ Gerualii & Prothasii, Deusdedit rustico presbytero tituli sanctæ Susannæ, Iubilo presbytero tituli S. Marcelli, Probino presbytero tituli sancti Cyriaci, Ioanne presbytero tituli sanctorũ Ioãnis & Pauli, Agapito presbytero tituli Eudoxiæ, Felice presbytero tituli sanctæ Sabinæ, Gratioso presbytero tituli sanctorum Nerei & Achillei, Bonifacio presbytero tituli sancti Sixti: astantibus etiam diaconibus & clero, Paterius secundicerius dixit: Probus abbas monasterij sanctorum Andreæ & Luciæ uestris, si præcipitis, desiderat aspectibus pręsentari. Gregorius episcopus sanctæ Ecclesiæ catholicæ urbis Romę dixit: Veniat. Cunq; ingressus fuisset dixit: Cur adesse uolueris, fateri te conuenit. Probus abbas dixit: Petitionem præ manibus habeo. Postulo à beatitudine domini mei, ut eam suscipi, & uobis relegi iubeatis. Gregorius dixit, fiat. Quę cùm suscepta fuisset, Paterius in his recitauit: In nomine dei nostri Iesu Christi die tertio kalen. octobris, Indictione quarta. Ea quæ nunc beatitudini uestræ intimare desidero, olim dño meo bene comperta sunt, uestramq; mihi conscientiã testem esse scio quæ suggero, quoniã dum ante hos annos ex laico ad religiosum migrassem officiũ, dispoueram in cella super me solitarius habitare, ibiq; ipsis paucis diebus qui supersunt, uitã transigere, propter quod nec aliquid de substantiola mea ante ordinaui siue dispoui, sciens tam abintestato quàm ex testato filium mihi posse succedere. Quadam autẽ die dum inter alios ad obsequia dñi mei fuissem ingressus, subitò atq; inopinanti, introire in monasterium, atque onera abbatis debuissem suscipere, pręcepistis. Statimq; surgentes, non indulto ad deliberandum uel tractandũ mihi spatio

spatio, ad monasterium iam cum monachis ambu
lare coact⁹ sum. Vnde quia nihil antea de substan
tiola mea occurrit, uel potui ordinare, idcirco la-
chrymabiliter supplico, ut concessa per constitu-
tionem uestri decreti licētia, fas mihi sit de omni-
bus rebus meis uoluntatem meā disponere, qua-
tenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio
pauperi possit esse damnosa. Nam cunctis notum
est, quia illos legalis sanctio quicquam de substan
tia sua prohibet postquam monasterium ingressi
fuerint ordinare, quibus disponendarum rerū sua
rum suppetit antè licentia, non autē eos quos ad-
huc quod nunquam tractauerant præpositorum
suorum parere cogit instantia. Quia sicut legis uo
luntas hoc ex deliberatione facientibus contradi
cit, ita eis qui compelluntur, maiore prouidentia
succurrit. Hanc autem suggestionem supplicatio
nemq; meam Æmiliano notario sanctæ Ecclesiæ
Romanæ noto meo scribendā dictaui, eiq; ꝓpria
manu ego Probus seruus uester subscripsi, & uo-
bis beatissimo domino meo Gregorio papæ por-
rexi. Ego Probus seruus uester huic petitiōi à me
oblatæ subscripsi. Gregorius dixit: Postquam
textus oblatæ petitionis nobis innotuit: Probus
abbas paulisper abscedat, ut de his quæ petit, cū
fratribus filijsq; nostris quid statuendum sit deli-
berare possimus. Quo recedente, postquam diu
de eius petitione tractatum est, dixit Papa Grego
rius: Probus abbas quem abesse paululum fecera
mus, rursus adueniat, ut ea quæ nobis cum fratri-
bus filijsq; nostris in cōmune usa sunt, censeam⁹.
Cunq; præsentatus fuisset, dixit: Vbi ueritas cum
ratione cōcordat, desideria petentis implere non
minus iustum est quàm benignum. Perpensa igi-
tur serie à te petitionis oblatę, omnia quæ in ea lo
cutus es, ita esse recolimus. Neq; enim uel in no-
stram unquam antea cogitationem ascenderat, ut
in quocunque monasterio abbatis tibi curam de-
buissemus iniungere. Sed quodam die dum de or
dinando monasterio cui præesse dinoscēris, cum
nostris filijs tractaremus, atq; diu aptā personam
huic officio quæreremus, ex improuiso te ingre-
diente, cordi nostro & eorum qui nobiscū ad tra-
ctandum aderant, subitò natum est, ut te illic abba
tem deo propitio constituere deberemus. Quod
quia renitenti tibi constat impositum, & uolunta
tis tuæ rigorem uix nostræ potuerunt adhortatio
nes inflectere, necesse fuit ne forte habere debuis-
ses post te spatium redeundi, ut iam ordinatū ab-
batem ad ipsum te monasterium cuius nec mona
chus fuisti, antea mitteremus. Ne ergo hæc obe-
dientia uel dilectioni tuæ tristitiam, uel alijs pos-
sit inferre iacturam, uniuersas res tuas alienandi,
uel ut uolueris disponendi liberam tibi per huius
constituti nostri tribuimus statuta licentiam. Per
quam eam te in disponendis eis ut tibi placuerit,
habere noueris facultatē: quam habere poteras,
antequam monasterium introires. Nec quicquā
tibi abbatis officiū, quod sicut dictum est, repen-
te ac inuitus noscēris suscepisse, formides obsiste-
re: quia ut in ordinandis disponendisq; rebus tuis
A non haberes licentiam, dilectionem tuam ne post
se rediret, nostra, ut diximus, coegit instātia. Pro-
inde ne qua te dubium faciat de his quæ uolueris
ordinare suspitio, nullum unquā Ecclesiæ nostræ
uel monasterij tui, siue quolibet nomine alio ex
monachicæ conuersationis statu uel abbatis offi-
cio, quocunq; ingenio uel cuiuslibet excusatio-
nis specie contra præsentis seriem constituti ueni
re decreuimus: sed tanquam si ingressus monaste-
rium non fuisses, ita omnia quæ de uniuersa facul
tate tua ordine disposueris, illibata & sine aliqua
deo authore statuimus refragatione seruanda.

Gregorius Ioanni subdiacono Rauennæ.
De Ioanne argentario & fide eius. Cap. XXIII

B QValiter Ioannes argentarius indigētibus si- Epist. 23
dei usione fuit sæpe remedium, experientia
tua bene nouit. Vnde contingit ut nunc Importu
no cuidam palatino fideiussor accedens, necessi-
tatem non modicam patiatur, adeo ut in Ecclesia
diu iam residens uehemētius affligatur. Sed quia
quibusdam erat suspitio quòd prædicto Importu
no nō simpliciter sed compendij causa fideiussor
accesserit, ad sacratissimum corpus beati Petri A-
postolorum principis districta omnino sacramen
ta, quantum nobis renunciatum est, præbuit, non
solum nullum se ab eo commodum ex toto rece-
pisse, uerumetiā nec aliquid promissum habuisse,
sed ei ut cæteris simpliciter accessisse. Et quia tam
longo tempore innocentis hominis simplicitas
C non debet affligi, apud eminentissimū filium no-
strum præfectum modis quibus ualueris age, ut
una ipsa statio quæ in Romana ciuitate remansit,
eius temporibus claudi nō debeat, sed ei pro mer
cede sua in hac afflictione subueniat, atq; eum di-
recta iussione dignetur absoluere, & amplius illū
in hac esse necessitate minimè patiat: quia quem-
admodum simplex benignusq; sit, uel diuersis sue
rit sæpè in tribulatione remedium, nec ipsi habe-
tur incognitum. Et ideo, sicut diximus, cum omni
dulcedine apud eū stude agere, ut in huius ab-
solutione multis possit ferre consilium, & hæc uia
remedij eius temporibus non claudatur.

Gregorius Ioanni religioso. Quem mensis
pauperum pręponit. Cap. XXIIII

D LIcet eos qui pia intentione sollicitudinis cu- Epist. 24
ram egenis ac debilibus impendūt, sua apud
omnes ualeat tueri deuotio, melius tamen est si
per quietem suam de his muniti fuerint quæ ges-
serint, ne inde eis inquietudinis occasio unde ma
gis laudandi sunt oriatur. Quia igitur te Ioannem
religioso intentionis tuæ studio prouocati, men-
sis pauperū & exhibendę diaconiæ eligimus præ
ponendū, ne qua tibi ex hac administratione na-
scatur dubietas, hac te munitione prospeximus
fulciendum: cōstituentes ut de hoc quod ad men
sas pauperum uel diaconiæ exhibitione percepi-
sti, siue subinde perceperis erogandum, nulli un-
quam hominū quolibet modo seu ingenio coga-
ris ponere rationē, uel aliquam debeas molestiā
sustinere. Sed quia ita ab humanis te omnib. uolu
mus rationibus esse absolutū, ut deo nostro de his
quæ

quæ tibi commissimus, rationem te noueris posi-
turum: hortamur ut fidei in te integritas uigeat, sit
mens in rebus intensior, cura propensior, uolun-
tas pronior, studium uigilantius, deuotio clarior,
exhibitio efficacior: quatenus dum diuino intus
auxilio hoc opus solerter impleueris, & illi pro
quibus sollicitudinem geris, studij tui solatio utili
ter consolent, & tu mercedis tuæ bonū in æterna
uita redēptoris nostri gratia cōpensante recipias.

Gregorius Venantio episc. Syracusano. De infir
mitate sua, & de dei misericordia. Cap. XXV

Epist. 25 DEbitū salutationis alloquiū soluens, ea uolui
loqui, quę patior. Sed incongruū puto narra
re quæ nostis. Podagrę enim doloribus torqueor,
qui & mihi & uobis non dispariliter nociui, dum
apud nos uehementer excrescunt, nos decrescere
à uita fecerūt. Inter quos quid aliud debemus nisi
semper delicta nostra ad memoriam reuocare, at-
que omnipotenti deo gratias agere? Quoniā qui
ex carnis blandimento multa peccauimus, ex car
nis afflictione purgamur. Sciendum quoq; est no
bis, quia pœna præsens si animum afflicti conuer
tit, finis est culpæ præcedentis. Si autem ad timo-
rem domini minimè conuertit, initium est pœnæ
sequentis. Curandum igitur nobis est, & summo-
pere in fletibus tota mentis conuersione uigilan-
dum, ne de tormento ad tormēta transeamus. Cō
siderandum quoq; est quanta erga nos dispensa-
tione pietatis agit conditor noster, quòd morte
dignos assiduè percutit, & tamen adhuc minimè
occidit. Minatur enim quod facturus est, & tamen
non facit, ut dolores nos præcurrentes terreant,
& conuersos ad timorem districti iudicis ab eius
nos animaduersione inæternū abscondant. Quis
enim dicat, quis enumerare sufficiat quanti in sua
luxuria dimissi, in blasphemijs quoq; & superbia
proruentes, in rapinis & iniquitatibus permanen
tes usque ad diem obitus sui ita in hoc seculo uixe
runt, ut nunquam dolorem uel capitis paterent,
& subitò percussi ignib. inferni sunt traditi? Nos
ergo habemus indiciū quia derelicti non sumus:
qui assiduè flagellamur, teste scriptura, quæ dicit:
Heb. 12 Quem diligit dominus castigat, flagellat autem
omnem filium quem recipit. In ipsis itaq; uerberi
bus dei reuocemus ad memoriam & eius mune-
ra, & nostri reatus damna. Pensemus quanta bo-
na super nostram malitiam fecerit, & quanta ma-
la sub eius bonitate cōmisimus. Impleamus quod
Esa. 43 per prophetam dominus dicit: Reduc me in me-
moriam, ut iudicemur simul. Iudicemur modo in
nostra cogitatione cum deo, ne districtè postmo-
dum iudicemur à deo. Quid etenim Paulus dicit?
1. Cor. 11 Si nosmetipsos iudicaremus, non utiq; iudicare-
mur. Quisquis ergo festinat euadere districtio-
nem iudicij sequentis, per amaritudinem pœni-
tentiæ omnem sibi dulcedinem interimat uitæ
præsentis. Quæcunq; autem huius mundi bona
sunt, cuius dona sunt nisi conditoris? Sed libere
nobis non debet donum dei, quod per delecta-
tionē sui separat ab amore dei: ne data danti præ-
feramus, & dum bona percipimus etiam mali,
unde crescere in eius timore debuimus, inde à ti-
more illius disiūgamur. Creator autem omnium,
id est omnipotens deus, hæc quæ uobis in epistо-
lis loquimur, menti uestræ aspiratione sui spiritus
infundat, uosq; ab omnibus culpę inquinationib.
tergat, & hic uobis cōsolationis suæ gaudium, &
apud se quandoq; præmia æterna concedat. Dul
cissimas filias meas domnā Barbatā & domnam
Antoniam mea peto uice salutari.

Gregorius Pascasio episcopo Neapolitano.
De Pecunia sanctuarijs sancti Seuerini conce-
denda. Cap. XXVI

Epist. 26 IOannes seruꝰ & actor domini Venātij sanctua-
ria beati Seuerini confessoris, oblata petitione,
suprascripto domino suo postulat debere conce-
di, quatenus in eius nomine oratorium, proprijs
constructum sumptibus, possit solenniter conse-
crari: & ideo frater charissime præfatis desiderijs
ex nostra te præceptione conuenit obedire, ut de
uotionis suæ in consecratione quam postulat po-
tiatur effectu.

Gregorius Maximiano episcopo Arabiæ.
De laude Candidi abbatis. Cap. XXVII

Epist. 27 LAtore huc præsentium Candido abbate pro
petendis reliquijs ueniente, quæ & concessę
sunt, quanto de fraternitatis tuæ nutrimento læta
tus sum, quòd in eo studium tuæ fraternitatis ap-
paruit, tanto contristatus sum quòd eius, ut uolui,
præsentia uti non potui. Propter quod me ægro-
tum reperit, & discedēs in infirmitate adhuc posi
tum dereliquit. Multum enim iam tempus est q
surgere de lectulo non ualeo. Nam modo poda-
græ dolor cruciat, modo nescio quis in toto cor-
pore cum dolore se ignis expandit, & fit plerum-
que, ut uno me tempore ardor cum dolore affli-
gat, & corpus in me animusq; deficiat. Quātis au-
tem alijs necessitatibus extra hæc quæ retuli infir
mitatis afficiar, enumerare non ualeo. Sed breui-
ter dico, quia sic me infectio noxij humoris imbi-
bit, ut uiuere mihi pœna sit, & mortem desideran
ter expectem, quam gemitib. meis solam esse cre-
do posse remedium. Proinde frater sanctissime di
uinæ pro me pietatis misericordiam deprecare, ut
percussionis suæ erga me flagella propitius miti-
get, & patientiam tolerandi concedat: ne nimio,
quod absit, tędio in impatientiam cor erumpat, &
ea quæ curari per plagam poterat culpa, crescat
ex murmure.

Gregorius Mariniano episc. Rauennæ. De infir
mitate eius, & uomitu sanguinis. Cap. XXVIII

Epist. 28 VEnientes quidā Rauennates homines, gra-
uissimo mœrore me percusserunt, qui fra-
ternitatem tuam de uomitu sanguinis retulerunt
egrotare. Ex qua re sollicitè & sigillatim eos quos
hic doctos lectione nouimus medicos fecimus in
quiri, & quid singuli senserint, quid ue dictaue-
rint, sanctitati uestræ scriptum transmisimus. Qui
tamen quietem & silentium præ omnibus dictāt.
Quam si tua fraternitas in sua ecclesia, unde ualde
sum dubius, non habet, ideo uidetur mihi ut ordi
nata illic Ecclesia, uel qui missarum solennia cele-
brent, uel qui episcopij curā gerere ualeant, hospi
talitatēq;

talitatēq; & ſuſceptiones poſſint exhibere, quíue monaſterijs cuſtodiendis præeſſe norint, tua fraternitas ad me ante æſtiuū tempus debeat uenire. Ægritudinis enim tuæ ego ſpecialiter inquantū ualeo curam geram, quietem tuam cuſtodiā, quia huic ægritudini æſtiuū tempus medici uehementer dicunt periculoſum, & ualde pertimeſco, ne ſi curas aliquas cum aduerſitate temporis habueris, amplius ex eadem moleſtia pericliteris. Ego ēm ipſe ualde ſum debilis, & omnino ualde eſt utile ut cum dei gratia ſanus ad tuam redeas eccleſiam: aut certe ſi uocandus es, inter tuorum manus uoceris. Et ego qui me proximū morti uideo, ſi me ante te uocare omnipotēs uoluerit, inter tuas manus tranſire debeam. Si autem qualitas temporis ad ueniendū præpedit, aliquo paruo remedio dato, apud Agonem agi poteſt, ut ipſe uobiſcum hominem ſuū uſq; Romam trāſmittat. Si igit̄ eadem ægritudine grauari te ſentis, & uenire diſponis, cum paucis tibi ueniendū eſt: quia mecū manens in epiſcopio, quotidiana obſequia de hac Eccleſia habebis. Propterea nec hortor nec admoneo, ſed diſtrictè præcipio, ut ieiunare minimè præſumas: quia dicūt medici huic moleſtiæ ualde eſſe cōtrarium, niſi fortè ſi grandis ſolennitas exigit, quinq; in anno uicibus concedo. Sed & à uigilijs quoq; temperandum eſt, & preces quæ ſuper cæreū in Rauennati ciuitate dici ſolent, uel expoſitiones euangelij quæ circa paſchalem ſolennitatem à ſacerdotibus fiunt, per aliū dicant̄. Et tua dilectio contra uirtutē ſibi laborē minimè imponat. Hæc aūt dixi ut ſi te meli⁹ ſenſeris, & uenire diſtuleris, ſcias quid debeas ex meo mandato cuſtodire.

A

B

C

Gregorius Paſcaſio epiſc. Neapolitano. De pecunia Eccleſiaſtica concedenda. Cap. XXIX

Epiſt. 29

TEmpore quo fraternitas tua ad epiſcopatus officium deo autore prouecta eſt, cōſtituiſſe nos recolit, ut ex pecunijs Eccleſiæ ueſtræ portio cleri uel pauperum quam minimè deceſſor ueſter prębuerat, id eſt quadringenti ſolidi ſeorſum fieri debuiſſent, qui eiuſdem cleri atq; pauperum erogationi proficerent: quod quia diutius nō eſt differendum, uolumus ut ſecundum diſtributionem præſentib. ſcriptis inſertā coram Anthemio ſubdiacono noſtro ſine difficultate aliqua debeat erogare. Præbendi itaq; ſunt clericis ueſtris per ſingulos, ſicut conſpexeritis, ſimul omnis ſumma ſolidi centum: præiacentibus, quos centum uiginti ſex eſſe cognouimus, dandi ſunt ſolidi ſexaginta duo, id eſt medius ſolidus per ſingulos: presbyteris ac diaconib. & clericis peregrinis ſolidi quinquaginta: hominibus honeſtis ac egenis, quos publicè petere uerecundia non permittit, ſolidi. cl. ita ut quilibet eorum ad ſingulos tremiſſes, quidam ad binos, quidam ad ſingulos ſolidos, uel ſi uiſum fuerit amplius dimittantur. Reliquis uerò pauperum qui eleemoſynam publicè petere conſueuerunt, ſolidos trigintaſex. Ecce nos quantum uel quibus dare debeat̄ diſtribuimus. Sed quia ſicut præuidimus, non omnibus æqualiter eſt præbendū, neceſſe eſt ut unà cum prædicto ſubdiaco-

D

no prout præuideritis, dare ſingulis debeatis, atq; id modis omnibus ſtudeatis, quatenus quod alter iniuſtè detinuit, uos deuotè ac celeri⁹ impendendo, ad ueſtram poſſitis applicare mercedem.

Gregorius Barbaræ & Antoniæ. De infirmitate patris eorum. Cap. XXX

SVſceptis gloriæ ueſtræ epiſtolis, quæ pro uer Epiſt. 30
bis lachrymas loquebantur, nō minor nos de dilectiſſimi filij noſtri ꝙ uos de patris ægritudine mœror afficit. Nec enim extraneam poſſumus reputare triſtitiam, quippe quæ nobis charitatis lege ſit propria. Sed quia in nulla deſperatione de redemptoris noſtri eſt miſericordia diffidendum, animos ueſtros ad conſolationem patris erigite, ſpem ueſtram in omnipotentis dei manu ponite, & in ipſius protectione confidimus, quia & ab omni uos aduerſitate cuſtodiat, atq; tribulationem ueſtram exhilaret, & ſecundum paterna deſideria propitius uos ordinari concedat. Si uerò debitum humanæ ſortis impleuerit, nec tūc deſperatio aliqua uos cōprimat, uel quorundā uobis uerba terrorem incutiant. Nam poſt deum, qui orphanorum gubernator ac protector eſt, ſic de dulciſſima gloria erimus ueſtra ſolliciti, atq; utilitati ueſtræ prouidere ut poſſumus adiuuante domino feſtinabimus, ut nec uos iniuſtorum hominum conſuſſio ulla perturbet, & nos debitum quod de parentum ueſtrorum benignitate contraximus, uobis per omnia repenſemus. Gratia itaq; cœleſtis uos ſuo fauore nutriat, ſua protectione à malis omnibus defendat, ut uitæ ueſtræ incolumitas gaudium noſtrum fiat.

Gregorius Ioanni epiſc. Syracuſano. De infirmitate Venantij & filiabus eius. Cap. XXXI

FRaternitatis ueſtræ ſcripta ſuſcepi, quæ mihi Epiſt. 31
de dulciſſimi filij mei domni Venantij ægritudine loquebantur, & cuncta circa eum qualiter acta ſunt enarrabant. Sed uno tempore auditis & illum deſperatè ac grauiter ægrotare, & in rebus orphanorum homines iniquos inſiſtere, uix ſe dolor in corde meo capere poterat. Sed in hoc fuit ſolatium quòd lachrymæ mihi per gemitus erumpebant. Veſtra igitur ſanctitas, primam quam decet curam negligere non debet, ut de anima eius cogitare debeat, exhortando, rogando, dei terribile iudicium proponendo, ineffabilem eius miſericordiam promittendo, ut ad habitum ſuum redire uel in extremis debeat, ne ei tanti culpa reatus in æterno iudicio obſiſtat: ac deinde ueſtrum eſt cogitare quomodo filię eius Barbara & Antonia debeant ordinari, ut nulla occaſio malis hominibus prębeatur. Nam poſtquam me de eis ſollicitudinis curam gerere cōiurauit, addens ut earum debeam ordinationi proſpicere, aliud in epiſtola ſua ſecutum eſt quod hoc mihi ſtudenti dubium non eſt, quia poſſit obſiſtere. Ait enim ut ſereniſſimo domno Imperatori ſępius ſupplicē, quatenus ipſe faciat ut præuiderit eas ordinari. Quod ꝙ ſit contrariū priori uoluntati, perpenditis. Ex qua re dubito ne hominib. in Sicilia poſitis & quærētib. occaſionē in rebus ipſius apta deſ occaſio. Nam

ex hoc cognoscite, quid facturi sunt qui nulla exi A
stente causa, iam sigillum in substantia ipsius, quã
tum dicitur nitebantur imponere. Nunquid non
tum dicitur nitebantur imponere. Nunquid non
illos uidetur ratio ad faciem adiuuare: & ad hoc
illis iustam quasi præbere materiam? Si dixerint
domno imperatori commendatæ sunt, negligere
re non possumus, periculi nostri interest, res in tu
tũ facimus, quousq; domnus imperator Constan
tinopolim duci præceperit. Dic rogo quid ad hęc
facturus sum, quando homini habenti potestatẽ
paterna uidetur commendatio concordare? Me
enim coniurat, ut ita eas ordinari prouideam, qua
tenus aut in Romana ciuitate sint, aut de Sicilia
non tollantur, & ille id agit ut eas nulla nec dedu- B
cendi nec illic sit ratio retinendi. Vos autem in
quantum potestis, malis hominibus obuiate. Ea-
rum substantiam propter deum omnipotentem
uelut propriam defendite: & si adhuc licet, quo-
modo occasio remoueatur uiolentiæ, in prædicti
uiri domini Venãtij testamento prouidete. Si au-
tem ita placet ut palatio commendentur, mihi nõ
debet imponere pondus, ut in anima mea curam
ordinationis earum uelit impingere, de quarum
ordinatione qualiter cogitem, omnipotentem de
um sufficiat scire. Vnde statim filio meo Anatho-
lio dilectissimo diacono ut cum gloriosa Patricia
Rusticana loqui studeat, & qualiter de personis
quarũ mihi nomina transmissa sunt, debeat exqui
rere & iudicare, scribere curaui, ut nobis omnia
sub celeritate indicet: & quæ fienda sunt, deo ordi C
nante disponãtur. Præterea in scriptis quæ ad nos
misistis, fraternitatem uestram contristatam inue
nimus, eo quòd huc eam quasi pro ingratitudine
aliqua uenire uoluissemus, dum non illud ob a-
liud nisi sola utilitatis causa fecimus, scientes pro-
pter personas ibidem consistentes ualde necessa-
riam illic uestrã fuisse præsentiam. Sed ne fortè ex
hoc ingratũ erga uos animũ nostrum credatis, q̃d
absit, existere, si ueniendi uobis uoluntas est, apto
uos tempore Apostolorũ liminibus præsentate.
Nam quantũ ad nos pertinet, ita charitatẽ uestrã
diligimus ut uidere uos sæpius cupiamus.

Gregorius Romano, defensori Siciliæ.
De nõ defendendis clericis contra episcopos su
os. Cap. XXXII

Epist.32 Cau.11.q.1 Peruenit. PEruenit ad nos quòd si quis contra clericos D
quoslibet causam habeat, despectis eorũ epi
scopis eosdem clericos in tuo facias iudicio exhi-
beri, quod si ita est, quia ualde constat esse incon-
gruum, hac tibi authoritate præcipimus ut hoc de
nuo facere non præsumas. Sed si quis contra quẽ-
libet clericum causam habuerit, episcopum ipsius
adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo iudi-
ces deputentur: aut si forte ad arbitros eundũ est,
partes ad eligendum iudicem ab ipso executio de
putata compellat. Si quis uero clericus uel laicus
contra episcopum causam habuerit, tunc te inter-
ponere debes, ut inter eos aut ipse cognoscas, aut
certè te admonente sibi iudices eligãt. Nam si sua
unicuiq; episcopo iurisdictio non seruatur, quid
aliud agitur, nisi ut per nos per quos Ecclesiasti-
cus custodiri debuit ordo confundatur? Item nun
ciatum est nobis quia quosdam clericos qui à re-
uerentissimo fratre nostro Ioanne episcopo exi-
gente culpa in pœnitentiam missi sunt, nesciente
illo tua illos exinde authoritate eieceris: quod si
uerum est, rem te omnino inhonestam, & non le-
uiter culpandam fecisse cognoscas. Eosdem ergo
clericos episcopo suo sine mora restitue. Et hoc
de cætero caue committere: quia si neglexeris, no
stros te noueris nõ mediocriter motus incurrere.

Gregorius Vito defensori. Iniungit officium
Ecclesiæ defensoris. Cap. XXXIII.

Epist.33 ECclesiasticæ utilitatis intuitu id nostro sedit
arbitrio, ut officium Ecclesiæ defensoris ac-
cipias: & quicquid pro pauperum commodis tibi
à nobis iniunctum fuerit, incorruptè & gnauiter
exequaris. Vsurus hoc priuilegio, quod in te, ha-
bita deliberatione, contulimus: ut omnibus quæ
tibi à nobis iniuncta fuerint complendis operam
tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis
sub dei nostri iudicio rationem. Hanc autem epi-
stolam Paterio Secundicerio nostro scribendam
dictauimus, cuiq; subscripsimus.

Gregorius Romano defensori. De Vito defen
sore constituto. Cap. XXXIIII

Epist.34 VItum præsentium portitorem experientia
tua olim nostrum fuisse cognoscat. Cuius
quoniam bene fidem & solertiam nouimus, in de
fensorum illi schola data ei solenniter epistola mi
litandum esse præuidimus. Et ideo si quid ei pro
Ecclesiasticis utilitatibus iniungere fortè uolue-
ris, nullam de eo dubietatem habeas, sed omnino
de puritate ipsius certus esto, nec eum fraudulen
ter uel dupliciter aliquid acturũ existimes. Vnũ
est, tu ei charitatẽ, quæ fidelibus debeẽ, impendas.

Gregorius Romano defensori. De possessio
nibus Fausti iniustè peruasis. Cap. XXXV

Epist.35 GLoriosissimus filius noster Faustus epistola
directa nos petijt, asserẽs ab actionarijs Sy-
racusanę Ecclesiæ fines possessionis suę illic intra
Siciliam positos nuper uiolenter ablatos. Vnde
quia à cognitione fratris, & coepiscopi nostri Io-
annis hoc omnino credimus alienum, eum uide-
re te uolumus. Et si quidem res nuper, ut asseritur
à possidente sublata est, & hoc apud te manifesta
satisfactione claruerit, eius cui subtracta est domi
nio reformetur. Et tunc si quid actores prædictæ
Ecclesiæ rationabiliter sibi in finibus suis credunt
posse competere, electorum subeant sine dilatio-
ne iudicium: ut cuius sit proprietas, iudicantium
sententia decernatur: quatenus per hoc episcopa
lis de illicita, quæ prætenditur, inuasione, aufera-
tur inuidia, & causa legali ualeat ordine finiri.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.
De finibus possessionis cuiusdam iniustè per-
uasis. Cap. XXXVI.

Epist.36 GLoriosissimus filius noster Faustus directa
petitione nos adijt, asserens fines possessio-
nis suæ illic intra Siciliam positos, à uestris nuper
hominibus occupatos, atq; ob hoc rem uiolenter
ablatam sibi per præceptionis nostræ seriem de-
bere petijt reformari. Quod quia si ita, ut asserit, fa
ctum est, à

ctũ eſt,à fraternitatis ueſtræ cognitione omnino credimus alienum,diligẽter inquirite. Et ſi, ut aſſerit,contra iuris ordinem fines ipſius à poſſidente ſublati ſunt,in poſſeſſoris redeat res peruaſa dominium. Et tunc ſi quid eſt,quod à ueſtra eccleſia proprietatis iure utiliter opponatur, electorũ debet iudicium prouenire,eorumq; indicio terminari,dummodo indecenter poſſeſſoris ius minimè perturbetur. Sed cauſa iudiciali termino diffinita ſine ſacerdotali inuidia dominum atq; iuſtitiam res manifeſta cognoſcat.

Gregorius Ioanni epiſcopo Syracuſano. Super eiſdem poſſeſſionibus. Cap. XXXVII.

Epiſt.37 PEtrus uir clariſſimus uicedomin⁹ gloriosæ filiæ noſtræ Ruſticianę patriciæ ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, aſſerens poſtquã fraternitas ueſtra de Romana ciuitate reuerſa eſt,fines cuiuſdã poſſeſſionis prædictæ patriciæ ab hominibus Eccleſiæ ueſtræ ui eſſe peruaſos. De qua re ſæpius de uobis querelam depoſuiſſe ſignificauit:& aliquãdo ad dicendam uobis cauſam Martianum tabularium deputaſſe,quem aſſerit diuerſis dilationibus diſtuliſſe,ut nuncuſq; ad cauſę dictionem partes accedere minime potuiſſent. Et quia quanto fraterna uos charitate diligimus,tanto audire aliquid quod ad ueſtram pertineat inuidiam contriſtamur:idcirco ſcriptis uos præſentibus adhortamur,ut omni mora uel excuſatione ceſſante,de finibus qui dicuntur inuaſi,ſubire homines ueſtros iudiciũ cum parte altera faciatis:quatenus & peruaſionis quæſtio,& ſi qua eſt proprietatis contentio finiatur. Hæc igitur fraternitas ueſtra fieri ſine dilatione prouideat, ut nec uos inuidia tangere, nec nos denuo exinde ualeat querela pulſare.

Gregorius Ruſticianæ patriciæ. De infirmitate eius. Et de miraculis monaſterij ſancti Andreæ. Et de donarijs eidem monaſterio ab ipſa conceſsis. Cap. XXXVIII

Epiſt.38 EXcellentiæ ueſtræ ſcripta ſuſcepi,quę me in grauiſſima ægritudine poſitum,de ſalute, de deuotiõe,ac de dulcedine tua omnino releuarũt. Vnum uerò ęgrè ſuſcepi,quia in eiſdem epiſtolis ad me,quod ſemel eſſe poterat, ſæpius dicebatur: ancilla ueſtra,ancilla ueſtra. Ego enim qui per epiſcopatus onera ſeruus ſum omniũ factus, qua ratione mihi ſe ancillam dicit, cuius ante ſuſceptum epiſcopatum proprius fuit? Et ideo rogo per omnipotentem deum ne hoc uerbum in ſcriptis ueſtris aliquando ad me inueniam. Ea autem quæ ex puriſſimo,ſinceriſſimoq; corde beato Petro Apoſtolorum principi munera tranſmiſiſtis, præſente omni clero ſuſcepta,atq; illic ſuſpenſa ſunt. Filius enim meus uir memorandus dominus Symmachus,quia ægrotum me ex dolore podagræ,& penè deſperatum reperit,ſcripta ueſtra mihi dare diſtulit,& poſt multum temporis quàm uela ſuſcepta ſunt dedit. Poſtmodum uerò in ſcriptis excellentiæ ueſtræ inuenimus,ut cùm lætania ad beati Petri Eccleſiã portari debuiſſent. Quòd ideo minimè factum eſt:quia,ſicut prædixi,antè uela quã ſcripta ſuſcepimus. Tamen prædictus uir cum omni familia domus ueſtræ hoc fecit, quod nos cũ clero facere uoluiſtis. Sed & ſi uoces defuerũt hominum,habet ipſa ueſtra oblatio apud omnipotentem deum uocem ſuam. In eius pietate confido: quia cuius corpus uos cooperuiſtis in terra, eius uos interceſſio ab omnibus peccatis proteget in cœlo. Omnemq; domum ueſtram ſua prouiſione reget,ſua uigilantia cuſtodiet. De podagræ autem moleſtia quam uobis eueniſſe dixiſtis, & contriſtatus uehementer ſum,& lætatus. Lætatus,quia humor noxius inferiora petens,ſuperiora perfectè deſeruit. Contriſtatus uerò, quia in tã tenuiſſimo corpore dolores uos nimios perpeti pertimeſco. Vbi enim caro deeſt, quæ uirtus eſſe poterit doloribus reſiſtens? Me etenim quẽ qualis fuerim noſtis, ita amaritudo animi & aſſidua exacerbatio atq; præter hoc podagrę moleſtia afficit,ut corpus meum tanquam in ſepultura ita ſiccatum ſit. Vnde fit,ut iam de lectulo raro ſurgere ualeam. Si ergo mei molem corporis in tantã ariditatẽ podagræ dolor redegit,quid de ueſtro corpore ſentiam,quod nimis ſiccum ante dolores fuit? De eleemoſyna uerò quam beati apoſtoli Andreæ monaſterio feciſtis,quid neceſſe eſt me aliquid dicere,cùm ſcriptum ſit:Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis,& hæc pro te orabit? Si ergo apud ſecretas aures dei habet ipſa bona operatio uocem ſuam:ſiue nos clamemus,ſiue nos taceamus,hoc ipſum quod bene egiſtis, clamat. Indico autem,quia tanta miracula,tanta cura,tanta cuſtodia monachorum in eodem monaſterio eiuſdem Apoſtoli eſt,ac ſi ſpecialiter abbas monaſterij ipſe ſit. Nam ut pauca de multis loquar,quæ ab bate ac præpoſito monaſterij narrantibus agnoui edicam. Quadam die duo exinde fratres tranſmiſſi ſunt,qui aliquid emere pro monaſterij utilitate debuiſſent:unus iunior qui prudẽtior uidebatur, alter ſenior,qui cuſtos iunioris eſſet. Perrexerunt utriq;, & de precio quod acceperunt,ipſe qui cuſtos miſſus fuerat,neſciente altero de eodem precio furtũ fecit. Qui mox,ut ad monaſteriũ ſunt reuerſi,atq; ad oratorij limẽ uenerũt,arreptus à dæmone is qui furtum fecerat cecidit, & uexari cœpit. Dimiſſus aũt à dæmonio,concurrentibus monachis requiſitus eſt num forſitan de eo quod acceperat furtum feciſſet:negauit, iterũ uexatus eſt. Dimiſſus atq; iterum requiſitus: negauit, atque iterum uexatus eſt. Octo itaq; uicibus negauit, octo uicibus eſt uexatus. Poſt octauam uerò negationem,nec non uexationem confeſſus eſt,quãtos nummos furto abſtulerat. Et agens pœnitentiam,proſtratus,ſe peccaſſe teſtatus eſt. Vlterius uerò ad eum dæmonium non acceſſit. Alio quoque tempore dum in die natalitio eiuſdem Apoſtoli iam meridianis horis fratres quieſcerent: ſubitò quidã frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere,uoces ingentes emittere,quibus uocibus teſtabatur ferre ſe non poſſe quod patiebatur. Concurrentes fratres uiderunt cæcum apertis oculis trementẽ & clamantẽ,& à præſentibus alienũ nihil q̃d foris agi poterat ſentientẽ. Eumq; in manibus leuauerũt,atq; ante altare ſancti Andreæ apoſtoli pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stoli prosecerũt, ipsiq; pro eo in oratione prostrati A sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est: quia senex quidã ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit dicens: Quare fugere uoluisti de monasterio? Cunq; euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, uenerunt quidam monachi, & eundem senem pro me rogauerunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam cõfessus est: quia eo die quo ista pertulit, consilium habuerat de eodem monasterio fugere. Alius quoq; monachus discedere de eodem monasterio latenter uoluit. Cunq; hoc mente tractasset, uoluit oratorium ingredi, sed statim dæmonio traditus uehementissimè uexatus est. Relinquebatur uerò à de- B monio, si extra oratorium stetisset, & nihil patiebatur aduersi. Si uerò conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus uexabatur. Cunq; hoc sæpius fieret, culpam suam confessus est, quia egredi de monasterio cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres, sese per triduum in precibus astrinxerunt, atq; ita curatus est, ut ad eum postmodum nunquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eundem beatum Apostolum dum uexaretur uidisse, seque ab eo increpatum esse cur uoluisset abscedere. Alij quoque duo fratres de eodem monasterio fugerunt, atq; aliqua prius colloquendo fratribus signa dederunt, quòd per uiam Appiam descendentes Hierosolymam tenderẽt. Qui exeũtes diuerterũt ab itinere. Et ut à sequen- C tibus inueniri minimè potuissent, retrusas cryptas iuxta flamineam portam inuenientes, in eis sese occultauerunt. Cùm uerò uespertinis horis requisiti minimè in cõgregatione inuenti essent, ascensis caballis eos quidam fratres secuti sunt per Metroni portam exeuntes, ut eos in Latinam uel Appiam uiam sequerentur. Subitò autem eis consilium ortum est, ut eos in Salariam uiam sequerentur. Extra ciuitatem igitur pergentes deflexerunt in Salariã. Eos uerò minimè inuenientes per portam flamineam decreuerunt reuerti. Cunq; reuerterentur, mox ut equi eorum ante cryptas illas uenerunt, in quibus se absconderant: fixerunt gradum, pulsi & compulsi passum mouere nõ potuerunt. Cõsiderauerũt monachi rem talem sine my- D sterio esse non posse. Attenderunt ad cryptas, uiderunt earum aditus missa maceria damnatos, sed caballis eorum nusquam euntibus descenderunt. Depositi fuerant lapides qui in ore cryptarum positi fuerant, ingressi sunt, eosq; in eisdem tenebrosis latibulis consternatos terræ inuenerũt. Qui ad monasteriũ reducti, ex eodem miraculo ita sunt meliorati, ut eis multum profuerit, ad parum temporis de monasterio fugisse. Hæc dixi, ut excellentiæ uestræ innotescerem cuius oratorio eleemosynam fecistis. Omnipotens autem deus, & in anima, & in corpore, & in omni dono cœlesti uos, protectione custodiat, & ad consolationem uestram diu uos uiuere concedat. Dilectissimum filiũ meum Strategiũ cum gloriosis parentibus suis filijs uestris, mea peto uice salutari.

Gregorius Theotistæ patriciæ. De detractionib. multorum non curandis, quibus etiam satisfaciendum: unde plurima exempla proponit, & quòd religionis gratia cõiugia non soluantur. De his qui dicunt in baptismo omnia peccata non dimitti. Et his qui asserunt post pœnitentiam triennio factam licentiam esse peccandi, quos omnes anathematizat.

Cap. XXXIX

MAgnas omnipotenti deo gratias agere debemus, quòd pijssimi & benignissimi imperatores nostri tales de suo genere iuxta se propinquos habent, de quorum cõuersatione nobis omnibus grande sit gaudiũ. Vnde & pro eisdem dominis quotidie nobis orandum est, ut eorũ uita cum suis omnibus, protegente cœlesti gratia, per longa tẽpora & tranquilla seruet. Indico aũt, quòd leuitate populi tumultum contra uos detractionis exortum nunciantib. quibusdam agnoui. Qua ex re excellentiã uestrã audio fuisse non modicè contristatam. Quod si ita est, ualde miror cur uos quæ cor fixistis in cœlo, uerba hominum agitant in terra? Beatus enim Iob cùm amici eius qui Iob.16 ad cõsolandum eum uenerant, in increpationem prosilijssent, ait: Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Qui eĩm uitæ suæ in cœlo testem habet, iudicia hominũ in terra pertimescere non debet. Dux quoq; bonorum Paulus di- 2.Cor.1 cit: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Qui iterũ dicit: Opus suũ probet unusquisq;, & sic in semetipso gloriã habebit, & non in Gal.6 altero. Si enim laudibus lætamur, & uituperationibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. Et fatuæ uirgines in Mat.25 uasis suis oleum nõ sumpserunt, sapientes autem sumpserunt oleũ in uasis suis cum lampadib. Lampades quippe nostræ, bona sunt opera. De quibus scriptũ est: Luceat lux uestra coram hominibus, Mat.5 ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrẽ uestrum qui est in cœlis. Tunc autem oleum in uasis cum lampadibus sumimus, quando de bonis actibus nitorẽ gloriæ non laudantibus proximis quærimus, sed hunc in testimonio conscientiæ seruamus. In omne aũt quod agimus, uel quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Et si omnes uituperẽt, liber est tamen quem conscientia nõ accusat. Quia si oẽs laudent, liber esse non potest si hunc conscientia accusat. Vnde de Ioanne ueritas dicit: Quid existis in desertũ ui- Matth dere? arundinem uento agitatã? Quod uidelicet per negationem dicitur, non per cõfirmationem, cùm subditur: Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitũ? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regũ sunt. Quanuis enim iuxta ueritatem Euangelij, Ioannes uestimento aspero fuerit indutus: per significationem tamen mollibus uestiti sunt, qui adulationibus ac laudibus delectantur. Negatur aũt, quia Ioannes arundo uento agitata fuerit, quoniã mentis eius fortitudinem nulla humani oris aura flectebat. Nos enim si laudibus erigimur, uituperationibus humiliamur, arundo uento agitata sumus. Sed absit hoc, absit à corde excellẽtiæ uestræ. Scio, quia magistrum gentium

studiose

Galat.1 studiosè legitis, qui ait: Ego si hominib. adhuc pla
cerem, Christi seruus non essem. Si qua tamen uel
parua tristitia hac ex re menti uestræ exorta est,
credo quòd hoc fieri omnipotens deus benignè
permisit. Neq; enim electis suis in hac uita promi
sit gaudia delectationis, sed amaritudinem tribu-
lationis: ut medicinæ more, per amarum p̃oculũ
ad dulcedinem æternæ salutis redeant. Quid nan-
Ioan.16 que dicit? Mundus gaudebit, & uos lugebitis. Su
per quam promissionem paulo post additur: Iterũ
uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium
uestrum nemo tollet à uobis. Hinc iterum discipu
Luc.21 lis dicit: In patientia uestra possidebitis animas ue
stras. Pensate quæso ubi erit patiẽtia, si deest quod
toleretur? Ego Abel esse non suspicor, qui Cain B
non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, per
fecti esse boni non possunt, quia minime purgan-
tur. Ipsa autem malorum societas purgatio bono-
rum est. Tres in arca filij Noe fuerunt: Vnus irri-
sor patris extitit, qui etsi in se benedictus fuit, ma-
ledictionis tamẽ sententiã in filio suscepit. Duos
Abraham priusquam uxorem Cethuram accipe-
ret, filios habuit: sed tamen carnalis eius filius est
repromissionis filium persecutus. Quod magnus
Gala.4 doctor exponit, dicens: Sicut is qui secundum car
nem est, persequebatur eum qui secundum spiri-
tum, ita & nũc. Duos Isaac filios habuit, sed unus
qui spiritalis extitit, ante minas carnalis fratris fu
git. Duodecim Iacob filios habuit: sed unum qui
rectius uiuebat undecim in Ægypto uendiderũt. C
In Dauid propheta, quia fuit quod purgari debu-
isset, actum est ut persecutionem per filium pate-
retur: Beatus Iob de societate reproborum dicit:
Iob.30 Frater fui draconum, & socius struthionum. Ad
Ezech.2 Ezechielem dominus ait: Fili hominis, increduli
& subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus
habitas. In duodecim Apostolis unus reprobus
mixtus est, ut esset cuius persecutione undecim tẽ
tarentur. Apostolorum princeps discipulis loqui
1.Pet.2 tur, dicens: Iustum Loth oppressum à nephando-
rum iniuria & conuersatione eripuit. Aspectu e-
nim & auditu iustus erat, habitans inter eos, qui
de die in diem animam iusti iniquis operibus cru
ciabant. Paulus quoq; apostolus discipulis scribit
Philip.2 dicens: In medio nationis prauæ & peruersæ, in- D
ter quos lucetis sicut luminaria in mundo, uerbũ
uitæ cõtinentes. Quia ergo scriptura teste cogno
scimus in hac uita bonos sine malis esse non pos-
se: de stultorum uocibus excellentia uestra turba-
ri nullatenus debet: maximè quia in omnipoten-
tis dei misericordia tunc certa fiducia est, quando
pro bono opere aduersitatis aliquid in hoc mun-
do recipitur, ut plena merces in æterna retributio
ne seruetur. Vnde in sancto Euangelio ueritas di
Mat.5 cit: Beati eritis cùm aduersum uos omnia mala di
xerint homines, mentientes propter nomen meu-
um. Qui in consolatione nostra sua in exemplum
Mat.10 adducere opprobria dignatus est, dicens. Si pa-
tremfamilias Beelzebub uocauerunt, quanto ma
gis domesticos eius? Sunt autem plurimi qui uitã
bonorũ amplius quàm debent, laudant: & ne qua

A elatio de laude surrepat, permittit omnipotens de
us malos in obtrectationem & obiurgationẽ pro
rumpere: ut si qua culpa ab ore laudantium in cor
de nascitur, ab ore uituperãtium suffocetur. Hinc 2.Cor.6
est ergo quod doctor gentium se in prædicatio-
ne currere testatur per infamiã & bonã famã. Qui
etiam dicit: Vt seductores & ueraces. Si ergo fue-
runt qui malã famam Paulo imponerẽt, qui hunc
seductorem uocarent, quis nunc Christianus de-
bet indignũ ducere, pro Christo iniurias audire?
Quantæ autem uirtutis præcursor nostri redem-
ptoris fuit, nouimus, qui per sacrum eloquiũ non
solũ plus quã propheta, sed etiam angelus uoca-
tur, & tamen sicut mortis huius historia testatur,
B post mortem à persecutoribus eius corpus incen-
sum est. Sed quid ista de sanctis hominibus dici-
mus? De ipso sancto sanctorum, id est, de deo qui
p nobis homo factus est, loquamur: qui ante mor Ioan.6
tem iniuriã, quia dæmoniũ haberet, audiuit. Post
mortem uerò à persecutoribus suis seductor ap-
pellatus est, cùm dicerent: Scimus quia seductor Mat.27
ille dixit, post tres dies resurgã. Quanta ergo nos
peccatores à lingua uel manib. iniquorũ hominũ
portare necesse est, qui in aduentu æterni iudicis
iudicandi sumus, si & ipse tanta post mortẽ pertu
lit, qui & iudex uenit? Hęc dulcissima & excellen
tissima filia breuiter dixi, ne quotiens stultos ho-
mines tibi derogare cognoscis, qualibet uel par-
uula mentis tristitia tangaris. Sed quia sedari hoc
C ipsum stultorum hominum murmur tranquilla ra
tione potest: peccatum credo, si bonum quod ua-
let fieri, negligitur ut fiat. Nam cùm placare insa-
nas mentes, atq; ad salutem reducere possumus,
scandalizare eos minimè debemus. Sunt eñ quæ
dam scandala quæ omnino despicienda sunt: quæ
dam uerò cùm uitari sine culpa possunt, despicien
da non sunt, ne cum culpa seruentur. Quod sacro
Euangelio testante cognouimus, quia cùm ueri-
tas diceret: Non quod intrat in os, coinquinat ho Marc.7
minem: sed quod procedit ex ore hoc coinquinat
hominem: & discipuli responderent, dicẽtes: Scis Matt.15
quia Pharisęi audito hoc uerbo, scandalizati sunt,
protinus respondit: Omnis plantatio quam non
plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sini-
te illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et tamen cũ
tributum peteretur, prius rationem reddidit per
quam tributum soluere non deberet, atq; illico
subiunxit: Vt autem non scandalizemus eos, ua- Mat.17
de ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui
primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inueni
es staterem. Illum sumẽs da eis pro me & te. Quid
est quòd de scandalizatis dicitur? Sinite illos cæci
sunt, & duces cæcorum! & alijs ne scandalizentur
à domino tributum soluitur, quod etiam non de-
betur? Quid est quod alijs scandalum esse permi-
sit, alijs uerò uenire prohibuit? nisi ut nos doceret
& illa scandala quæ nos ad peccata implicãt, con-
temnere: & ea quæ placare sine peccato possu-
mus, modis omnibus mitigare. Vestra itaq; excel
lentia potest, protegente domino prauorũ homi-
num scandala cũ magna tranquillitate declinare.

Priores enim eorum uobis secretò uocandi sunt, atq; ipsis ratio reddenda: & peruersa quædam capitula quæ teneri existimant, coram ipsis sunt anathematizanda. Quòd si etiam, sicut dicitur, dari à uobis anathema ficte suspicantur: etiam iureiurando firmandum est uos nunquam eadem capitula tenere, nunquam tenuisse. Nec uobis indignum uideatur tali eis modo satisfacere, ne de imperiali genere sit contra eos aliquod in uestra mente fastidium. Omnes etenim fratres sumus, unius imperatoris potestate conditi, & sanguine redempti. Et ideo fratres nostros quantumlibet pauperes et abiectos in nullo despicere debemus. Certè etenim Petrus potestatem regni cœlestis acceperat, ut quæq; in terra ligaret uel solueret, essent in cœlo ligata uel soluta, supra mare ambulauit, ęgrotãtes umbra curabat, peccantes uerbo occidebat, mortuos oratione suscitabat. Et quia ex admonitõe spiritus ad Cornelĩũ gentilẽ fuerat ingressus, contra eum quęstio à fidelib. facta est cur ad gentiles intrasset, & comedisset cum eis, cur eos in baptismate suscepisset. Et tamẽ idem apostolorũ primus tanta donorũ gratia repletus, tanta miraculorum potestate suffultus: querelę fidelĩũ nõ ex po-
Acto.10 testate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exposuit: quomodo uas quoddam uelut linteum in quo quadrupedia terræ & bestiæ reptilia atq; uolatilia inerant, de cœlo submitti uiderit, uocẽq; audierit: Surge Petre, occide & maduca: qua-
Acto.10 &.11. liter tres uiri uenerint eum ad Cornelĩũ uocantes, qualiter spiritussanctus hunc cum eis ire præcepe rit. Qualiter idem spiritussanctus qui uenire in baptizatos in Iudæa post baptismum cõsueuerat, in gentibus ante baptismum uenit. Si enim cùm à fidelibus culparetur, authoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset, respõdere poterat ut pastorem suum oues quæ ei commissæ fuerant reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placauit, atq; in causa reprehensionis suæ,
Acto.10 etiam testes exhibuit, dicens: Venerunt autem mecum sex fratres isti. Si ergo pastor Ecclesiæ, Apostolorum princeps signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quãto magis nos peccatores cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debem°? Ad me etenim, sicut nostis, cùm apud uestigia dominorũ in regia urbe demorarer, multi ex eis uenire consueuerant, qui de prædictis capitulis accusabantur. Sed teste conscientia fateor nunquã in eis aliquid erroris, aliquid prauitatis, aliquid de his quæ contra eos dicebantur, inueni. Vnde & eos opinione contempta familiariter susA ceret. Et quia si compulsi aliquid de quibus reprehendebantur anathematizare se dicerent, anathematis uinculo nullo modo teneri. Et si sunt qui Cau.27.q.1 certissimè talia sentiunt uel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est. Eosq; & ego & omnes catholici episcopi, atq; uniuersa Ecclesia anathematizamus: quia ueritati cõtraria sentiunt, cõtraria loquuntur. Si enim dicunt religionis causa coniugia debere dissolui: sciendũ est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex diuina tamẽ prohibuit. Per se enim ueritas dicit: Quos deus cõiunxit, ho Mat.19 mo non separet. Quæ etiam ait: Non licet dimitte Marc.10 re uxorem, excepta causa fornicationis. Quis ergo huic cœlesti legislatori contradicat? Scimus Luc.16 quia scriptũ est: Erũt duo in carne una. Si ergo uir 1.Cor.6 B & uxor una caro sunt, & religionis causa uir uxorem dimittit, uel mulier uirũ in hoc mundo remanentem, uel etiã fortasse ad illicita uota migrantẽ, quæ est ista migratio uel conuersio, in qua una eademq; caro, & ex parte trãsit ad continentiã, & ex parte remanet in pollutione? Si uerò utrisq; conueniat continentẽ uitã ducere, hoc quis audeat accusare, quãdo certũ est quòd omnipotẽs deus qui minora concessit, maiora nõ prohibuit? Et quidẽ multos sanctorum nouimus cum suis coniugibus & prius continentem uitam duxisse, et postmodũ ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse. Duobus enim modis sancti uiri, etiam à licitis solent abstinere. Aliquando ut merita sibi apud omnipotentem C deũ augeãt: aliquãdo uerò ut anteactę uitæ culpas detergãt. Tres enim pueri in regis Babylonici obsequium deducti, legumina ad uescendum petentes, cibis regĩs uti noluerunt: nõ quia culpa esset, si ea quæ deus creauerat ederent. Noluerunt ergo ea sumere quæ licebat, ut per continentiam uirtus excresceret. Dauid uerò qui alienam uxorem tulerat, & pro sua culpa ualde fuerat flagellatus, aquam bibere longè pòst de Bethlemitica cisterna uoluit. Quam cum ei fortissimi milites detulissent bibere noluit, eamq; fundendo domino libauit. Licebat enim bibere si uoluisset: sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter à licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodũ D si aquã biberet, etiam uiuentiũ militũ sanguinem se fudisse indicauit, dicens: Num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt, & animarum pe- 1.Para.11 riculum bibam? Proinde cùm boni coniuges, aut meritum augere desiderant, aut anteactę uitæ culpas delere: ut se ad continentiam adstringant, & meliorem uitam appetant, licet. Si uerò continen- Cau.27.q. tiam quam uir appetit uxor non sequitur: aut quã Sunt qu. uxor appetit, uir recusat: diuidi coniugium non licet, quia scriptum est: Mulier sui corporis potesta- 1.Cor.7 tem non habet, sed uir: & uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Si qui uerò sunt qui dicunt peccata in baptismate superficietenus dimitti: quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant soluere? in quo principaliter ad cœlestis munditiæ mysteriũ anima ligatur, ut absoluta radicitus à peccatis omnibus, soli

Psal.72 nibus soli illi inhæreat, de quo Psalmista ait: Mihi autem adhærere deo bonum est. Certè enim maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alij contra faciem in eremo sunt inuēti. Sic quippe omnes qui in sancto baptismate tinguntur; eorū peccata præterita omnia laxantur, quia eis uelut Ægyptij hostes à tergo moriuntur. Sed in eremo alios hostes inuenimus, quia dum in hac uita uiuimus, priusq; ad promissionis patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram uiuentium tendentibus iter intercludere festinant. Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non ueraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios ueraciter mortuos, fateat necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus ualet in absolutione nostra ueritas, quàm umbra ueritatis. In Euan-
Ioan.13 gelio dominus dicit: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptismate funditus minimè dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit uoci ueritatis, quæ ait: qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundū ipse qui redemit. Si qui autem sunt qui dicunt, quia de peccato quolibet triennio pœnitētia agenda est, & post triennium in uoluptatibus uiuendum, isti adhuc nec prædicamenta ueræ fidei, nec sacræ scripturæ testimonia nouerunt. Contra hos prædicator egregius dicit:
Galat.6 Qui seminat in carne sua, de carne & metet corru-
Rom.8 ptionem. Cōtra hos item dicit: Qui in carne sunt, deo placere non possunt. Vbi discipulis subiūgit: Vos autē non estis in carne, sed in spiritu. Hi quippe in carne sunt, qui in carnalibus uoluptatibus uiuunt. Contra hos dicitur:
1.Cor.15 Neq; corruptio incorruptionem possidebit. Si autem dicūt pauci temporis contra pœnitentiā peccatum debere sufficere, ut iterū liceat ad peccatum redire, recte eos pastoris primi
1.Pet.2 percutit sententia, qui ait: Contingit illis illud ueri prouerbij, Canis reuersus ad suū uomitū, et sus lota in uolutabro luti. Magna est enim contra peccatum uirtus pœnitentiæ, sed si quis in eadem pœnitentia perseueret. Nam scriptum est:
Matt.10 Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit.
& 24 Hinc rursum scriptum est: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? Mortuum quippe est omne opus peruersum, quod pertrahit ad mortem, quod uita iustitię non uiuit. Baptizatur ergo à mortuo, & iterū tangit mortuum, qui praua opera quæ se meminit egisse deplorat, sed in eisdem se iterum post lachrymas implicat. Anima itaq; quælibet eiusdem mortui lauatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem iustitiæ exurgit. Pœnitentiam enim uerè agere, est cōmissa flere, sed iterū plangenda declinare. Si uero sunt qui dicūt, quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizatus fuerit, anathematis uinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ uarijs se existimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, ueram putant, si ligaturas eius ueras esse atq; ualere non æstimant. Contra quos diutius disputandū non est, quia despiciendi per omnia & anathematizādi sunt, ut unde ueritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis ueraciter ligentur. Si qui sunt igitur qui sub nomine Christiano hæc quæ diximus errorū capitula aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, hos proculdubio & anathematizauimus. Ex omnibus tamen capitulis in eis, sicut dixi, qui ad me in urbe regia uenire cōsueuerunt, nullum omnino errorē cuiuslibet prædicti capituli agnoui, sed neq; fuisse existimo. Nā si fuisset, agnouissem. Quia uero sunt multi fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & sæpe dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt, eorum infirmitati consulendum est: &, sicut prædixi, ratione & mansuetudine placandi sunt. Illis quippe sunt similes de quibus scriptum est: Testimonium illis Rom.10
perhibeo, quòd æmulationē dei habent, sed non secundum scientiam. Vestra itaq; excellentia quæ in lectione, in lachrymis, atq; in eleemosynis incessabiliter uiuit eorum, sicut petij, imperitiā placare mansuetis exhortationibus ac responsionibus debet, ut non solum de semetipsa, sed etiā de illis gloriam æternæ retributionis inueniat. Hæc me uobis dicere nimius ardor suasit, quia & in uestra lætitia me crescere, & in uestra tristitia me existimo minorari. Omnipotēs deus gratia uos cœlesti custodiat, & salua domini nostri pietate, & pijssimi domini tranquillitate, pro dominorū paruulorum nutrimento uitā uestrā longius extendat.

Gregorius Isicio episcopo Hierosolymorum. De cura pastorali, & de simoniaca hæresi. Caput XL

Epist.40 SEruata ueritate historiæ, quid aliud est q̄ diluuij tempore humanū genus extra arcā mori, ad uitā uero in arca seruari, nisi hoc q̄ apertè nunc cernimus, quia infideles quosq; extra Ecclesiam peccati sui unda perimit, & fideles suos in fide atque in charitate sanctæ Ecclesiæ unitas, quasi arcæ compago custodit? Quæ arca uidelicet de imputribilibus lignis cōpingitur, quia de omnibus fortibus atq; in bono suo perseuerantibus ædificatur. Et cùm à seculari uita unusquisq; conuertitur, quasi adhuc ligna de montibus succidūtur. Cùm uero ad sanctæ Ecclesię ordinē, ad aliorū custodiā deducitur, quasi de excisis atq; cōpositis lignis ad seruandā uitā hominū arca ædificatur. Quæ profecto arca cessante diluuio in monte requieuit, quia huius uitæ corruptione cessante, cùm malorū operū fluctus trāsierint, in cœlesti patria sancta Ecclesia in monte requiesceret excelso. In huius itaq; arcę ædificatione uos currere relecta fraternitatis uestræ epistola rectæ fidei cōpage gaudemus. Magnasq; omnipotenti deo gratias exoluimus, qui & immutatis gregis sui pastoribus, fidem quam se-

mel sanctis patribus tradidit,etiã post eos immu-
tabilem custodit.Prædicator egregius dicit: Fun-
damentum autem aliud nemo potest ponere præ
ter id quod positum est, quod est Christus Iesus.
Quisquis igitur cum dilectione dei & proximi fi-
dei quæ est in Christo firmitatem tenet, eundem
Iesum Christum dei & hominis filium apud se po
suit fundamentum.Sperandum ergo est, quia ubi
Christus fundamentum est,bonorum quoq; ope-
rum sequatur ædificium. Ipsa quoq; ueritas per se
dicit: Qui non intrat per ostium in ouile ouiũ,sed
ascẽdit aliunde,ille fur est & latro. Qui autẽ intrat
per ostium,pastor est ouium. Et paulopost subji-
cit dicẽs: Ego sum ostiũ. Ille uero ad ouile ouium
intrat per ostium, qui intrat per Christum. Intrat
ipse per Christũ qui de eodem creatore & redem-
ptore humani generis uera sentit & prædicat,præ
dicata custodit, culmen regiminis ad officiũ por-
tandi oneris suscipit,non ad appetitũ gloriæ tran-
sitorij honoris.Curæ quoq; suscepti ouilis solerter
inuigilat,ne oues dei,aut peruersi homines praua
loquentes dilanient,aut maligni spiritus oblecta-
menta uitiorũ suadentes deuastent. Sed in his om
nibus ipse nos instruat, qui propter nos homo fa-
ctus est. Qui dignatus est fieri quod fecit ipse, &
infirmitati meæ, & tuæ charitati spiritum sui amo
ris infundat,atq; sollicitudine & custodia circum-
spectionis oculum nostri cordis aperiat.Quod ue
ro ad sacros ordines rectæ fidei uiri perducuntur,
eidem omnipotenti deo sine cessatione gratiæ sol
uendæ sunt, & pro uita pijssimi & Christianissimi
Imperatoris domini nostri,& tranquillissima eius
cõiuge,& mansuetissima sobole semper orandũ,
quorum temporibus ora hæreticorũ conticescũt,
quia etsi eorum corda in insania peruersi sensus e-
bulliunt,orthodoxi tamen imperatoris tempore
praua quæ sentiunt,eloqui non præsumunt,ita ut
aperte uideamus impleri quod scriptum est:Con-
gregans sicut in utre aquas maris. Aqua enim ma
ris sicut in utre congregata est, quia amara hære-
ticorum scientia quicquid odit, prauum sentit,in
pectore cõprimit, & aperte dicere non præsumit.
Tua ergo fraternitas rectam per omnia fidem per
colit spiritaliter edocta,quæ quærenda erant,sub-
tiliter enarrauit.Fides itaq; uestra, fides est nostra.
Ea tenemus quæ dicitis, ea dicimus quæ tenetis.
Quia uero peruenit ad nos in Orientis Ecclesiis
nullum ad sacrum ordinem nisi præmiorũ datio-
ne peruenire,si ita esse uestra fraternitas agnoscit,
hanc primam oblationem omnipotenti deo offe-
rat,ut à subiectis sibi Ecclesiis errorem simoniacæ
hæreseos compescat.Nam,ut alia taceam, quales
esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hos non
merito,sed præmio prouehuntur? Scimus autem
quanta animaduersione hanc Apostolorum prin
ceps insecutus est, qui primam damnationis sen-
tentiam contra Simonem protulit,dicens: Pecu-
nia tua tecum sit in perditionem, quia donum dei
pecunia existimasti possideri. Ipse quoq; creator
ac redemptor humani generis dominus deus no-
ster cùm flagellũ de resticulis fecisset, de templo

1.Cor.3

Ioan.10

Psal.32

Actor.8

Matt.21

cathedras uendentiũ columbas euertit. Quid est
enim aliud in templo columbas uendere, nisi in
sancta Ecclesia eam per quam spiritus sanctus da
tur,ad precium manus impositionem dare? Sed
cathedræ uendentiũ columbas euersæ sunt, quia
talium sacerdotium in sacerdotio non deputatur.
Præterea peruenit ad me, quia in ea Ecclesia quæ
Æ nea dicitur,sæpe in Hierosolymorum urbe ue-
stræ Ecclesiæ iurgia nascuntur. Vnde sanctitas ue
stra debet sollicitè cuncta pensare, & quædã man
suetè corrigere,quædam uero quæ corrigi neque-
unt,æquanimiter tolerare. Aperte enim uidemus
quod per Psalmistæ uocem à sancta Ecclesia dici-
tur:Supra dorsum meum fabricauerunt peccato- Psal.128
res. In dorso quippe onera portantur. Supra dor-
sum ergo nostrum fabricant peccatores, quando
eos quos corrigere non possumus, patiendo por-
tamus. Nauis etenim gubernator cùm aduersari
sibi uentum considerat,quosdam fluctus directo
clauo exuperat,quosdam uero quos superari non
posse præuidet,inflexo cursu prudenter declinat.
Sic itaq; sanctitas uestra quædam compescendo,
quædam tolerando mitiget,ut in sancta Hieroso-
lymorum Ecclesia pacem cohabitantium conser-
uet.Scriptum quippe est: Pacem sequimini cum Hebr.12
omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo uide-
bit deum.In rixa etenim mentis ipsum lumẽ clau-
ditur bonæ intentionis. Vnde Psalmista dicit:Tur Psal.6
batus est præ ira oculus meus. Et quid iam in no-
bis boni operis remanet,si pacem ex corde perdi-
mus,sine qua dominũ uidere non ualemus? Vos
itaq; agite, ut de his quoq; qui per iurgium perire
poterant,mercedis uestræ lucra colligatis.Omni-
potens deus dilectionem tuam gratia cœlesti cu-
stodiat,& de his qui tibi cõmissi sunt, fructũ mul-
tiplicet, ac mensuram supereffluentem ad æterna
gaudia reportare concedat.

Gregorius Anatholio diacono Constantino-
politano. De Ioanne episcopo primæ Iusti-
nianæ, quòd nec ipse nec alius quis propter
infirmitatem sit deponendus. Cap. XLI

SCripsit mihi tua dilectio, pijssimũ domnũ no- Epist.41
strũ reuerendissimo fratri meo Ioanni primæ Cã.7.91
Iustinianę episcopo pro ægritudine capitis quam Scriptũ
patitur,præcipere succedi, ne fortè dum episcopi
ura eadem ciuitas non habet,quod absit,ab hosti
bus pereat.Et quidẽ nusquã canones præcipiunt,
ut pro ægritudine episcopo succedat. Et ideo in-
iustũ est,ut si molestia corporis irruat, honore suo
priuetur ægrotus.Atq; ideo hoc per nos fieri nul-
latenus potest,ne peccatum in mea anima ex eius
depositione ueniat. Sed suggerẽdũ est, ut si is qui
est in regimine,ægrotat: dispẽsator illi requiratur
talis qui possit eius curam omnẽ agere, & locum
illius in regimine Ecclesiæ,ipso non deposito cõ-
seruare,ac in custodia ciuitatis implere,ut nec om
nipotens deus offendatur,neq; ciuitas inueniatur
neglecta esse. Si uero idem reuerendissimus Ioan
nes fortasse pro molestia sua petierit,ut ab episco-
pi honore debeat uacare, eo petitionem scripto
dante concedendũ est. Aliter autem nos id facere

pro

pro omnipotẽtis dei timore omnimodo nõ audemus. Quod si hoc petere ille noluerit, quod pijssimo imperatori placet, quicquid iubet facere, in eius potestate est. Sicut nouit, ipse prouideat. Nos tantummodo in depositione talis uiri, non faciat permisceri. Quod uero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur. Si uero canonicum non est, inquantum sine peccato nostro ualemus, portamus.

Gregorius Vrbico abbati. De dissensione congregationis eius, & abbate ordinando. Cap. XLII

Epist.42 VAlde me contristatum dilectio tua cognoscat, quòd tantam in congregatione monasterij uestri confusionem euenisse cognoui, quòd dum de ordinando abbate aliquid in Lucusiano monasterio disposueris, non unum, sed duos penè abbates fecisti. Manè, sicut audio, Domitiũ presbyterum, uespere uero latorem præsentiũ Bonum seruum dei. Ex qua re aspicio quàm dissoluta sit regula monasterij, dum nec monachi eiusdem monasterij tibi ad obediendum parati extiterint, nec tu constanter aliquid disponere potuisti. Vnde uehemẽter ingemisco, quia aliter esse monasterium uestrum quàm putabam inuenio. Quod ex nulla alia re euenire ualuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est, nec cũ grauitate aliquid ualet disponere, sed modo studet peccantibus leniter blandiri, modo inordinatè, & extra modum nimiè irasci. Nam si semetipsam in mentis suæ ratione tenere potuisset, ipsa eius maturitas haberi in reuerentia potuit, & disciplinæ in monasterio ordo seruari. Hoc autem factum deterius puto, q prædictum Bonũ monachũ de monasterio quod construxit, sine iussione mea tollere præsumpsisti, maximè, quia nec ætati eius expedire suspicor, ut possit in regimine præesse. Ideoq; uolumus ut Domitius presbyter abbas esse Lucusiani monasterij debeat, eiq; præpositus Lucifer monachus fiat, in cuius requiescere solatio ualeat. Ex nostra itaq; authoritate hæc te disponere deo adiuuante præcipimus. Cui dispositioni si quis præsumpserit ingratus existere, ad nos sine dubio transmittatur. Acceptis ergo scriptis nostris, fratrem, & coepiscopum nostrum Victorem ad Lucusianum monasteriũ dilectio tua inuitet, quatenus ipse illic missarum solennia celebrare, & prædictũ Domitiũ authore deo abbatẽ ordinare debeat, ne dum tuum consilium sequimur, in errorem sicut cæci ducamur. Nam Catellum monachũ in Lucusiano monasterio præpositum dilectio tua fieri uoluerat. Quod postq; fieri mandauimus, quia monachus non sit, agnouimus. Ex parua enim eulogia quam Bonus monachus accepit, partem petendo contentionem facere in itinere minimè timuit. Quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, poterit tua dilectio scire, si regulam monachorũ nosse uoluisset. Ex discipulo aũt tuo cognouimus, quia tu qui abbas diceris esse, adhuc monachus nõ sis. Et credo, quòd non disparis mentis sit in hac diuisione cellarius etiam Lucifer, quem prepositũ fieri diximus. Sed tolerabilius est antiquiorem fratrem, quàm nouum & puerum tolerare.

Gregorius Vrbico abbati. De xl. solidis Petro Trocalitano dandis. Cap. XLIII

Dilectio tua præsentia scripta suscipiens, de so Epist.43
lidis Lucusiani monasterij quos apud eũ Salerius notarius noster esse renunciauit, sine mora uel excusatione aliqua xl. solidos fratri nostro Petro Trocalitano episcopo dare studeat. Sed & monachis quos apud se pro eorũ salute de eodẽ monasterio præfatus frater noster abstulit, studij tui sit abbati antefati Lucusiani monasterij districtius imminere, ut alimoniam & uestimenta annis singulis exinde præbere modis omnibus debeat.

Gregorius Adriano notario Panormitano. De Agathosa, cui præcipit maritum suum iam tonsuratum & monachum factum reddere. Caput XLIIII

AGathosa latrix præsentium questa est mari- Epist.44
tum suum contra uoluntatem suam in mo- Cã.27.q.2
nasterio Vrbici abbatis esse conuersum. Quod Agathosa
quia ad eiusdem abbatis culpam & inuidiam non est dubiũ pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne fortè cum eius uoluntate conuersus sit, uel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, & illum in monasterio remanere prouideat, & hanc sicut promisit, mutare compellat. Si uero horũ nihil est, nec quondam fornicationis crimẽ, propter quod uiro licet uxorem relinquere, prædictam mulierem commisisse cognoueris, ne illius cõuersio uxori relictæ in seculo fieri possit perditionis occasio, uolumus ut maritum suum illi, etiam si iam tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante: quia etsi mundana lex præcipit, conuersionis gratia, utrolibet inuito posse solui coniugium, diuina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis causa, uir uxorẽ dimittere nulla ratione cõceditur: quia postq; copulatione coniugij uiri atq; mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in seculo remanere.

Gregorius uniuersis episcopis Siciliæ. De inuasione hostium, & lætanijs faciendis. Caput XLV

SVper afflictiones & gemitus quos annosa hic Epist.45
continuatione de hostibus sustinemus, maior nos metus excruciat, quòd inimicos nostros omni adnisu ad Siciliæ inuasionem cognoscimus festinare. Sed ne hæc illis molientibus, prosperitatẽ multitudo nostrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad redemptoris nostri remedia conferamus, & quibus resistere uirtute non possumus, lachrymis obuiemus. Nam quid uobis cauẽdum, quidue sit uehementius formidandum, ex istius prouincię debetis desolatione colligere. Itaq; hortor fratres chariſſimi, ut omni hebdomada quarta & sexta feria lætaniam inexcusabiliter indicatis, & contra Barbaricę crudelitatis incursus supernę protectionis auxilium imploretis. Sed ut ad aures dei uiam precibus faciatis, uigilantius studendum est, ut uoces actibus adiuuentur. Nã inanis fit oratio ubi praua est actio. Quia igitur quanto immane cernitis imminere periculum, tanto simul omnes in fletu debetis, & gemitu occupari, filios ue-

stros

strosà seculari peruersitate sacerdotali quàmprimum adhortatione cõpescite. Discant iniusta contemnere, & quæ deo placita sunt amare, ut illos possitis habere ad impetrãdam diuinæ misericordię gratiam adiutores, ne si neglexeritis, actio eorum preces orationum superet, & sæuientis inimici gladius, quod absit, resecet, quod monentis uerba non corrigunt. Deus autẽ noster iustus & pius est, & sicut perseuerantibus in prauitate districtus est, ita est conuersis misericors. Ad ipsum ergo tota mente cõtriti cordis euigilatione curramus, ab ipso ereptionis nostræ solatia postulemus. Et quoniam benignus & mitis est, si nos à malis nostris emendatos sua uiderit mandata diligere, & hìc nos potens est ab hoste defendere, & in futuro æterna nobis gaudia præparare.

Gregorius Dono episcopo Massanensi.
De contentione inter Placidum & Ecclesiam eius. Cap. XLVI

Epist.46 NVllus unquam contentionibus finis imponitur, si impleri ea quæ iudicata fuerint, differantur. Filius itaq; noster Placidus, uir memorandus, questus est nobis ea quæ inter eũ & actores Ecclesiæ uestræ definita sunt, fraternitatem uestram nolle complere. Quod si ita est, miramur: ut dum quieti uestræ uos deceat studere, contentionis uobis scrupulum reseruetis. Proinde scriptis uos præsentibus adhortamur, ut subtiliter requirere debeatis. Et si quid minus impletum est, si tamen nihil est quod iustè possit obsistere, sine discordia cõpleatur, quatenus nec supradictus magnificus uir se queratur irrationabiliter fatigari, nec uos contra ordinis uestri propositum uideamini despexisse quod iustum est.

Gregorius Adriano notario. De incantationibus & sortilegijs insequendis. Cap. XLVII

Epist.47 PEruenit ad nos, q̃ quosdã incantatores ac sortilegos fueris insecutus. Et omnino nobis sollicitudinem zelumq; tuum gratum fuisse cognoscas, sed molestè tulimus, quòd te dubitare ne ab eis nobis contra experientiam tuam surrepi potuisset didicimus, quum certus esse ac scire debueris, hoc tibi apud nos ad cõmendationem magis proficere, non ad culpam adscribi. Et ideo studij tui sit, sollicitè quærere, & quoscunq; huiusmodi inimicos Christi inueneris, ita districta ultione corrigere, ut & nos de experientia tua melius debeamus habere iudicium, & deo nostro te, quod maximè studendum est, ualeas commendare.

Gregorius Desiderio episcopo Galliæ.
De eo quòd ipse grammaticam artem docere non debeat. Cap. XLVIII

Epist.48 Parte 1. distin. 86. ca. Cũ multa CVm multa nobis bona de uestris fuissent studijs nunciata, ita cordi nostro nata est lætitia, ut negare ea quæ sibi fraternitas uestra concedenda popposcit, minimè ualeremus. Sed post hoc peruenit ad nos quod sine uerecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus uehementius aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerunt, in gemitum & tristitiam uerteremus, quia in uno se ore cũ Iouis laudibus Christi laudes nõ capiũt. Et quàm graue nephandumq; sit episcopis canere, quod nec laico religioso conueniat, ipse considera. Et quamuis dilectissimus filius noster Candidus presbyter postmodum ueniens, hac de re subtiliter requisitus negauerit, atq; conatus uos fuerit excusare, de nostris tamẽ adhuc animis non recessit, quia quanto execrabile sit hoc de sacerdote enarrari, tanto utrum ita necne sit, districta & ueraci oportet satisfactione cognosci. Vnde si post hoc euidẽter ea quæ ad nos perlata sunt, falsa esse claruerint, nec uos nugis & secularibus literis studere contigerit deo nostro gratias agimus, qui cor uestrũ maculari blasphemis nephandorum laudibus non permisit, & de cõcedendis quæ poscitis, securè iam & sine aliqua dubitatiõe tractamus. Monachos uero quos unà cum dilectissimo filio nostro Laurentio presbytero, & Melito abbate ad reuerendissimum fratrem, & coepiscopum nostrum Augustinũ transmisimus, uobis in omnibus cõmendamus, ut fraternitate uestra sollicitante, nulla illos ad proficiscendum mora ualeat impedire.

Gregorius Virgilio episcopo Arelatensi.
Quòd auaritia sit idolorum seruitus. Cap. XLIX

CVm diuinæ lectionis testimonio, idolorum seruitus auaritia nuncupetur, quo studio de domo dei sit pellẽda cognoscitur, & à quibusdam sacerdotibus, quod gementes dicimus, non cauetur. Tenet enim captiuum cor sæua cupiditas, & licitum esse suadet malum quod imperat, atque id agit, ut uno eodemq; gladio, & dantem & accipientem interimat. Quis igitur post hoc locus cõtra auaritiam tutus esse prævaleat, si dei illi à prauis sacerdotibus aperiatur Ecclesiæ? Quãdo ouiũ septa inuiolata custodiet, qui intrare lupũ inuitat? Proh nephas. Illicito manus munere polluit, & alios se benedictione credit erigere, cùm ipse iam sit propria iniquitate substratus, & sua nihilominus ambitione captiuus. Huius ergo mali rapacitas, quia arcẽ uestræ mẽtis nunc̃p intrauerit, & innoxias habere uos manus de ordinationibus perhibetis, omnipotẽti deo gratias agite, & tanto uos dei debitores esse cognoscite, quãto illæsi ab huius morbi cõtagione eo custodiẽte manssistis. Sed hæc uobis minus q̃ poterant bona proficiũt, si hæc & in alijs sollicitè non uetatis. Sicut autẽ in te illud tibi malum displicuit, ita hoc et in fratre zelare debueras. Nam cùm diuina præcepta moneãt proximos nostros sicut nosipsos diligere debere, nõ paruæ culpæ est despicere, & quod sibi quisq; metuit, alijs non timere. Vel nunc ergo dilectissime frater da operam, ut quod à correptione quiescẽdo in alijs perdidisti, resarcias, & ab hac quos potueris prauitate cõpescas, atq; ut synodus ad eradẽdã ipsã hæresim cõgregari possit insiste: quatenꝰ cũ dilectionis uestræ mercede melius ab omnib. caueaꝫ, q̃d autore deo omniũ fuerit cõstitutiõe dãnatũ. Peruenit p̃terea ad nos fratrẽ, et coepiscopũ nostrũ Sebenũ prauos homines omnino in societate sua recipere, ita deniq; ut p̃sbyterũ quẽdã q̃ post lapsũ in

suis

Universidad de Deusto

suis adhuc dicitur iniquitatibus uolutari, familiarem habeat. Quod à uobis subtiliter requirēdum est. Et si ita constiterit, curæ uobis sit nostra hoc sic uice corrigere, ut & qui talem recipit, non familiaritate foueat, sed discat potius ultione cōprimere, & qui receptus est, idē discat cum lachrymis peccata diluere, non iniquitatem in immunditijs cumulare. Monachos uero quos ad reuerendissimū fratrem, & coepiscopū nostrū Augustinum transmisimus, fraternitas uestra habeat in omnibus cōmendatos, & ita eis ad proficiscendum solatiari studeat, atq; concurrere, ut uobis sibi opitulantibus celeriter deo protegente quo directi sunt, ualeant peruenire.

Gregorius Aetherio episcopo Galliæ.
De cura pastorali, & synodo congreganda. Cap. L

Epist. 50

EPistolarum uestrarum plena uenerabili grauitate locutio, ita sibi cordis nostri iunxit affectum, ut mutuū semper libeat miscere sermonem, quatenus & si corporali uestri non ualemus frui præsentia, nil sibi cōtra nos absentia hoc intercurrente ualeat cōmercio uendicare. Quantus aūt in uobis Ecclesiastici ordinis amor eniteat, quanta sit dilectio disciplinæ, quantum obseruantiæ studium salubrium decretorū, ex illo quòd nostram submisse & omnino libenter adhortationē accipitis, & seruandam inuiolabiliter prædicatis, ostenditis. Quia igitur ad aliorum emendationē promptum cor geritis, & uetustatis malum libera, sicut decet, uoce damnatis, postq; & alijs fratribus & coepiscopis nostris ipsa uoluntas est, oportet una nimes contra dominicos hostes insurgere. Et ut auaritiam de domo dei synodali debeatis definitione proijcere, nihil in dandis Ecclesiasticis ordinibus auri sæua fames inueniat, nil blandimenta surripiant, nil gratia conferat, honoris prēmium, uitę sit prouectus, sapientiæ incrementū, modestia morum, ut obtinente huiusmodi obseruantia, & indignus qui præmijs quęrit ascendere iudicetur, & digne cui bonum testimonium actio perhibet, honoret. Hæc uobis dilectissime frater cura sit, hæc animis uestris sollicitudo semper inuigilet, ut & zelum quem literis ostēditis, cordis uestri testem esse opere demonstretis. Itaq; assiduè instanterq; ad congregandam synodum imminete, & ita enixius exhibete, ut nominis dignitatē officij administratione compleatis. De eo uero quod Ecclesię uestræ concedendū ex antiqua consuetudine deposcitis, requiri in scrinio fecimus, & nihil inuenimus. Vnde nobis Epistolas ipsas quas uos dicitis habere transmittite, ut ex eis quid concedendum est colligamus. Gesta uero uel scripta beati Irenæi iamdiu est quòd sollicitè quæsiuimus, sed hactenus ex eis inueniri aliquid nō ualuit. Prēterea fraternitas uestra monachos quos ad reuerēdissimū fratrem & coepiscopum nostrum Augustinū direximus, habere studeat cōmēdatos in omnibus, suamq; illis charitatem propter deum exhibeat, atq; illis ita studio sacerdotali enixè concurrat, & suo eos solatio ad agēdū iter adiuuare festinet, ut dum nulla eis illic res morandi causas intulerit, & hi celerius pergere, & uos mercedem de præstitis inuenire possitis.

Gregorius Aregio episcopo Galliæ.
De Simoniaca hæresi, & monachis Augustino transmissis. Cap. LI

CVm in fraterna dilectione unū cor, unus sit animus, sicut in alterius prosperis mens lætatur, ita in aduersis affligitur, quia in utroq; particeps esse lege charitatis adstringit. Atq; ideo maior nos de tristitia uestra mœror inuaserat, ne fortasse prolixi luctus afflictio assiduo cor uestrū dolore pulsaret, & uitam gemitibus oneraret. Sed susceptis charitatis uestræ epistolis, optato sumus gaudio consolati, atq; omnipotenti deo gratias egimus, quia & humanitatē uestram incolumē, & animum ad consolationem redijsse cognouimus. Nec enim aliter de uobis fuerat existimandū, nisi quia quicquid aduersitatis esset, sacerdotali sine dubio patientia uinceretis. Qualiter prætereà in abscindenda Simoniaca hæresi olim fraternitatis uestræ zelus exarserit, bene recolimus. Vnde hortamur ut operam studiosius impendentes, districta inter alia quæ scripsimus, concilij definitione damnetur: quatenus dum uoluntatis nostrę intentio sollicitudinis uestræ fuerit ope cōpleta, & omnipotēti deo oblationē pleniſſimā de uitiorū correptionibus offeratis, & ad aliorū ædificationem, qualiter in uobis pastoralis officij cura fulgeat, ostendatis. Experientia autē uitæ uestrę nos prouocat, quā ualde multis præminere cognouimus, ut de uobis hac in re grande solatium præsumamus. Et ideo feruorē uestrū sicut deo authore cœpistis, explete, ut bona quæ in uobis recta intētione cœpta sunt, iuuante deo, creatore omniū rectius impleant. Præterea monachis quos ad reuerendissimū fratrē & coepiscopū nostrū transmisimus, charitatē suā fraternitas uestra, ut cōsueuit, impēdat, & ita eis tam per se q̄ per alios quos potuerit ad proficiscendū solatiari studeat, ut dū uobis prouidētibus nullas illic difficultates uel moras habuerint, & nos q̄d de uobis confidimus sentiamus, & deus uobis omnipotens pro cōuersione animarū pro quibus transmissi sunt, suā gratiā recōpenset.

Gregorius Mennæ Tolosano & alijs compluribus episcopis per Galliam. De Augustino episcopo Anglorum, & conuersione gentis ipsius. Cap. LII

Epist. 52

LIcet fraternitatē uestram susceptī officij cura cōmoneat ut religiosis uiris, & præcipuè in causa animarū laborantibus, omni debeat adnisu concurrere, non tamen abre est si sollicitudinem uestram epistolarum nostrarū sermo pulsauerit, quia sicut ignis aura flante fit grandior, ita bonæ mentis studia cōmendatione proficiunt. Quia igitur redemptoris nostri gratia cooperante tanta de Anglorū gente ad Christianæ fidei gratiā multitudo cōuertit, ut reuerendissimus cōmunis frater & coepiscopus noster Augustinus eos qui secum sunt, ad hoc opus exequendū per diuersa loca asse rat nō posse sufficere, aliquātos ad eos monachos cū dilectissimis & cōmunib. filijs Laurētio p̄sbytero, & Mellito abbate præuidimus trāsmittēdos.

Et ideo

Et ideo fraternitas uestra eis charitatē quam decet exhibeat, atq; ita illis ubicunq; necesse fuerit auxiliari festinet, quatenus dum uobis opitulantibus nullas illic remorandi causas habuerint, & ipsi uestra se releuatos consolatione cōgaudeant, & uos solatiorum exhibitione in causa pro qua directi sunt, possitis participes inueniri.

Gregorius Theodorico regi Francorum.
De simoniaca hæresi eradicanda. Cap. LIII

Epist. 53 EXcellētię uestrę index cordis Epistola, quanta in uobis fulgeat cum regia potestate prudentia ita luculenti copia sermonis edocuit, ut dubium esse non ualeat, quicquid laudabile de uobis fama narrauerit. Et quoniam adhortationē nostram adeo regijs animis uestris per laudis prædicamenta placuisse signastis, ut quicquid ad dei nostri cultum, quicquid ad Ecclesiarum reuerētiam, quicquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, & studiose statui, & uelitis in omnibus custodiri, iterata uos pro uestra magna mercede adhortatione pulsamus, ut congregari synodum iubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus uitia, & simoniacæ hæreseos prauitatem omnium episcoporum definitione damnari, atq; de regno uestro amputari faciatis, nec plus illic pecuniam obtinere quàm præcepta dominica permittatis. Nam cùm omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc, & maximè in dandis ecclesiasticis honoribus, uigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni subijcitur, etiam si tenere fidem quam negligit uideatur. Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoq; contra interiores animarū aduersarios studete esse solliciti, ut per hoc quod dei nostri inimicis fideliter repugnatis, & hic feliciter ipsius protectione regnetis, et ad æterna postmodum gaudia eius duce gratia ueniatis. Quanta præterea bona reuerendissimo fratri & coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem proficiscenti excellentia uestra præbuerit, reuertentes ab eo quidam monachi retulerunt. Vnde uberes referentes gratias petimus ut his quoq; monachis qui ad eum directi sunt, suffragia uestra copiosius prębere, atq; eos ad proficiscendum iuuare digneminī: ut quanto beneficia uestra eis amplius exhibetis, tanto maiorem uicissitudinem ab omnipotenti deo, cui seruiunt, expectetis.

Gregorius Theodorico regi Francorum.
De simoniaca hæresi confutanda. Cap. LIIII

Epist. 54 QVi paternæ adhortationis uerba libenti animo suscipit, & sinu cordis amplectit, emendatorem se uitiorū fore proculdubio profitetur. Ex qua re satis nos excellentiæ uestræ certos reddit absoluta promissio. Nam eius quem idoneum ad soluendum esse cognoscimus, uerba pro pignore tenemus. Itaq; excellentia uestra dei nostri mandatis inhærens, studium ad congregandam synodum pro sua mercede adhibere dignetur, ut omne à sacerdotibus corporale uitium, & simoniaca hæresis, quæ prima in Ecclesiis iniqua ambitione surrexit, potestatis uestræ imminēte censura, concilij definitione tollatur, & abscissa à radicibus amputetur, ne si plus illic aurū quàm deus diligitur, qui modo trāquillus in suis præceptis despicitur, iratus in uindicta postmodū sentiatur. Et hoc qui dem quia pro uobis loquimur, ideirco innuere sæpius non cessamus, ut prodesse excellētissimis ac dulcissimis filijs nostris uel ex importunitate possimus. Nam regno uestro per omnia proficit, si quod contra deum in illis partibus geritur, emendatione uestræ excellentiæ corrigat. Quanta præterea bona proficiscenti ad Anglorum gentem reuerendissimo fratri & coepiscopo nostro Augustino excellentia uestra impenderit, referentibus quibusdam monachis, qui ab eo reuersi sunt cognouimus. De qua re maximas gratias exoluentes petimus ut & monachis præsentium portitoribus quos ad eundem fratrē direximus, uestra uberius beneficia ministretis, quatenus dum uobis patrocinantibus nullas illic difficultates inuenerint, sed cœptum iter, Christo adiuuante, peregerint, uberiorem mercedis uestræ fructum ante dei nostri oculos faciatis.

Gregorius Clothario regi Francorum.
De socijs Augustini suscipiendis, & simoniaca hæresi. Cap. LV

INter tot curas & sollicitudines quas pro subiectarum uobis gentium regimine sustinetis, existere uos in causa dei laborantibus adiutores, eximiæ laudis, & magnæ mercedis est. Et quia tales uos præcedentibus bonis ostenditis, ut præsumere de uobis meliora possimus, ad ea quæ pro mercede uestra sunt, libentissimè prouocamus. Quidam igitur qui cum reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem perrexerant, remeantes, quanta eundem fratrem nostrum excellentia uestra in præsentia positum, charitate receperit, quātisq; suffragijs proficiscentem adiuuerit, narrauerunt. Sed quia illa deo nostro opera grata sunt semper, quæ à uobis cùm cœperint, non recedunt, paterno affectu salutātes petimus, ut monachos præsentium portitores quos ad prædictum fratrem nostrum unà cum dilectissimis filijs nostris Laurentio presbytero, & Melito abbate transmisimus, habeatis peculiariter cōmendatos. Et quicquid illi antè exhibuistis, his quoq; ad laudis uestræ cumulum uberius impendatis, quatenus dum uobis prouidentibus cœptū sine mora iter expleuerint, bonorum uestrorum omnipotens deus recompensator existat, atq; uobis & in prosperis custos, & in aduersitatibus sit adiutor. Præterea peruenit ad nos quòd sacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et uehemēter affligimur, si ad dei dona non meritis acceditur, sed præmijs prosilitur. Et quia hæc simoniaca hæresis prima in Ecclesia surgens Apostolorum est authoritate damnata, petimus ut pro mercede uestra congregari synodū faciatis, quatenus omnium sacerdotum definitionibus compressa, & radicitus amputata, nullas illic uires de cætero in periculo animarum inueniat, nec ulterius sub qualibet excusatione permittat exurgere, ut tanto uos omnipotens deus contra aduersarios uestros

ſtros exaltet, quanto uos in ſuis mandatis zelum habere, & pro animarum ſalute quę huius fuerant ſceleris gladio perituræ, uiderit cogitare.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. De Auguſtino & monachis ad eam directis ſuſcipiendis. Cap. LVI

Epiſt.56 GRatias omnipotēti deo referimus, qui inter cætera pietatis ſuæ dona quæ excellentię ueſtræ largitus eſt, ita uos amore Chriſtianę religionis impleuit, ut quicquid ad animarū lucrū, quicquid ad propagationem fidei pertinere cognoſcitis, deuota mente, & pio operari ſtudio non ceſſetis. Quanto autem fauore, quantaq; opitulatione excellentia ueſtra reuerendiſſimū fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum proficiſcentē ad Anglorum gentem adiuuerit, nec antè ſilentio fama conticuit, & poſtea quidam ab eo ad nos monachi redeuntes ſubtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Chriſtianitate ueſtra mirentur alij, quibus adhuc beneficia ueſtra minus ſunt cognita: nam nobis, quibus experimētis iam nota ſunt, non mirandum eſt ſed gaudendum, quia per hoc quod aliis impenditis, uos iuuatis. Quæ autem, quantaq; in conuerſione ſuprafcriptę gentis redemptor noſter fuerit miracula operatus, excellentiæ ueſtræ iam notum eſt. Ex qua re magnam uos oportet habere lætitiam, quia maiorem ſibi partem hac in re præſtitorū ueſtrorum ſolatia uendicāt, cuius poſt deum auxilijs uerbū illic prædicationis innotuit. Nam qui alterius bonum adiuuat, ſuum facit. Sed ut mercedis ueſtræ magis magisq; ſit fructus uberior, petimus ut monachis præſentium portitoribus, quos cum dilectiſſimis filijs noſtris Laurentio presbytero, & Mellito abbate ad prædictū reuerendiſſimū fratrem & coepiſcopum noſtrū pro eo q; illos qui ſecum ſunt, ſufficere ſibi dicit non poſſe, tranſmiſimus, patrocinij ueſtri ſuffragia benignius miniſtretis, atq; ita eis in omnibus adeſſe dignemini, quatenus dum bonis excellentiæ ueſtræ initijs meliora ſucceſſerint, & nullas illic moras uel difficultates inuenerint, tanto erga uos, ac dulciſſimos nobis nepotes ueſtros dei noſtri miſericordiam prouocetis, quanto pro eius amore uos in huiuſmodi cauſis miſericorditer exhibetis.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. De præceptis domini cuſtodiendis. Cap. LVII

Epiſt.57 QVāta in uobis bona diuino munere ſint collata, quantaq; uos ſupernæ gratiæ pietas impleuerit, inter cætera ueſtrorum teſtimonia meritorum illud etiam patenter inſinuat, quia & effera corda gentilium prouidi gubernatis aſtu conſilij, & regiam, quod maioris adhuc laudis eſt, ornatis ſapientia pōteſtatem. Et quoniam ſicut multis in utroq; gentibus eminetis, ita quoq; eis fidei ſinceritate præcellitis, magnā de uobis in emendandis illicitis fiduciā capimus. Nam qualiter adhortationem noſtram excellentia ueſtra amplexa ſit, quantaq; eam deuotione geſtiat adimplere, ſcriptorum ueſtrorū emiſſa dudum pagina teſtis eſt. Sed quia ipſe bonarū mentium conſueuit eſſe adiutor, qui etiam largitor eſt, confidimus q; tanto prōptius cauſas ueſtras ſua pietate diſponat, quanto ipſe de ſua uos uidet eſſe cauſa ſollicitos. Facite quod dei eſt, & deus faciet quod ueſtrum eſt. Itaq; ſynodum congregari præcipite, & peccatū ſimoniacæ hęreſis de regno ueſtro inter alia, ſicut diximus, definitione concilij ſtudioſius prohibete. Sacrificiū deo deuicto interiori hoſte offerte, ut exteriores aduerſarios, ipſo adiuuante uincatis, ut quale uos contra inimicos ipſius ſtudium geſſeritis, talem illum in ueſtro iuuamine ſentiatis. Mihi autem credite, quia ſicut experimento multorum didicimus, in damno expenditur, quicquid cum peccato congregatur. Si uultis igitur nihil iniuſtè perdere, ſummopere ſtudete de iniuſtitia nihil habere. In terrenis etenim rebus ſemper cauſa damni eſt origo peccati. Vos itaq; ſi eminere aduerſantibus gentibus uultis, ſi earum, autore deo, uictrices exiſtere deſideratis, eiuſdē omnipotentis domini cum timore præcepta ſuſcipite, ut ipſe pro uobis contra aduerſarios ueſtros pugnare dignetur, qui per ſacrum eloquium pollicitus eſt dicēs: Dominus pugnabit pro uobis, & uos tacebitis. Exod. 14

Gregorius Auguſtino epiſcopo Anglorum. De conuerſione gentis ipſius, & ut non glorietur in operationum uirtute quas plerunq; faciunt & mali. Cap. LVIII

GLoria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, quia granum frumenti mortuum cadens in terram, multum fructū attulit, ne ſolū regnaret in cœlo, cuius morte uiuimus, cuius infirmitate roboramur, cuius paſſiōe à paſſione eripimur, cuius amore in Britannia fratres quærim⁹ quos ignorabamus, cuius munere quos neſcientes quærebamus inuenimus. Quis autem narrare hic ſufficiat quanta lætitia in omniū corde fidelium fuerit exorta, quòd gens Anglorū operante omnipotentis dei gratia, & tua fraternitate laborante, expulſis errorum tenebris, ſanctæ fidei luce perfuſa eſt, quòd deuotione integerrima iam calcat idola, quibus priùs uęſano timore ſubiacebat, quòd omnipotenti deo puro cordę ſubſternitur, quòd à praui operis lapſibus ſanctæ prædicationis regulis ligatur, quòd præceptis diuinis ſubiacet, & intellectu ſubleuatur, quòd uſq; ad terram ſe in oratione humiliat, ne mente iaceat in terra? Cuius hoc opus eſt, niſi eius qui ait: Pater meus uſq; nunc operatur, & ego operor? Qui ut mundum oſtenderet non ſapientia hominum, ſed ſua ſe uirtute conuertere, prædicatores ſuos quos in mundo miſit, ſine literis elegit, hoc etiam modo faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus eſt per infirmos operari. Sed eſt in iſto dono cœleſti frater chariſſime, quod cum magno gaudio uehementiſſimè debeat formidari. Scio enim quia omnipotens deus per dilectionem tuam in gente quam eligi uoluit, magna miracula oſtendit. Vnde neceſſe eſt ut de eodē dono cœleſti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimeſcas. Gaudeas uidelicet, quia Anglorū animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimeſcas uero, ne inter ſigna quæ fiūt, infirmus animus

mus in ſui præſumptione ſe eleuet, & unde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Méminiſſe etenim debemus quòd diſcipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes, dum Lucæ 10 cœleſti magiſtro dicerẽt: Domine in nomine tuo dæmonia nobis ſubiecta fuerunt, protinus audierunt: Nolite gaudere ſuper hoc, ſed potius gaudete quia nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis. In priuata enim & temporali lætitia mentem poſuerãt, qui de miraculis gaudebant. Sed de priuata ad cõmunem, de temporali ad æternam lætitiam reuocantur, quibus dicitur: In hoc gaudete, quia nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlo. Non enim omnes electi miracula faciunt, ſed tamẽ nomina omniũ in cœlo retinentur adſcripta. Veritatis enim diſcipulis eſſe gaudium non debet, niſi de eo bono quod cõmune cum omnibus habent, & in quo finẽ lætitiæ non habent. Reſtat itaq; frater chariſſime, ut inter ea quæ, operante deo exterius facis, ſemper te interius ſubtiliter iudices, ac ſubtiliter intelligas & temetipſum qui ſis, & quanta ſit in eadem gente gratia, pro cuius conuerſione etiam faciendorum ſignorũ dona percepiſti. Et ſi quando creatori noſtro ſeu per linguam, ſiue per opera remini ſceris deliquiſſe, ſemper hæc ad memoriam reuoces, ut ſurgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis ſignis acceperis uel accepiſti, hæc non tibi, ſed illis reputes donata, pro quorum tibi ſalute collata ſunt. Occurrit autem menti iſta cogitanti, quid de uno dei famulo actum ſit, etiã egregiè electo. Certè Moyſes cùm dei populum ex Ægypto educeret, mira, ſicut tua fraternitas nouit, ſigna in Ægypto operatus eſt. In Sina monte quadraginta diebus & noctibus ieiunans legis tabulas accepit, inter coruſcos tonitruos pertimeſcente omni populo omnipotentis dei ſeruitio ſolus familiari etiam collocutione cõiunctus eſt, rubrũ mare aperuit, in itinere ducem habuit nubis columnam, eſurienti populo manna de cœlo pluit, carnem deſiderãtibus uſq; ad ſatietatem nimiam in eremo per miraculum miniſtrauit. Sed cùm iam ſitis tempore ad petram uentum fuiſſet, diffiſus eſt, ſeq; de eadem aquam educere poſſe dubitauit: quam, iubẽte domino, percuſſit, atq; aquas effluentes aperuit. Quanta autem poſt hæc per triginta & octo annos in deſerto miracula fecerit, quis enumerare, quis inueſtigare ualeat? Quotiens res dubia animũ pulſaſſet, recurrens ad tabernaculum, ſecretò dominum requirebat, atq; de ea protinus, deo loquente, docebatur. Iratum populo dominum placabat ſuæ precis interuentione, ſurgentes in ſuperbia atq; in diſcordia diſſidentes dehiſcẽtis terræ hiatibus abſorbebat, uictorijs premebat hoſtes, ſigna monſtrabat ciuibus. Sed cùm iam ad repromiſſionis terram uentum fuiſſet, uocatus in montem eſt, & quam culpam ante annos triginta, ut dixi, & octo fecerat, audiuit, quia de educenda aqua dubitauit. Et propter hoc quia terram repromiſſionis intrare non poſſet, agnouit. Qua in re conſiderandũ nobis eſt quàm timendum ſit omnipotentis dei iudicium, qui per illum famulum ſuum tot ſigna faciebat, cuius culpam longo tempore adhuc ſeruabat in cogitatione. Igitur frater chariſſime ſi & illum agno ſcimus poſt ſigna pro culpa mortuum, quem omnipotenti deo nouimus præcipuè electum, quanto nos debemus motu cõtremiſcere, qui necdum adhuc nouimus ſi electi ſumus? De reproborum uero miraculis quid dicere debeo? cùm tua fraternitas nouerit quid in Euãgelio ueritas dicit: Multi uenient in illa die dicentes mihi, Domine in nomine tuo prophetauimus, & in tuo nomine dæmonia eiecimus, & in tuo nomine uirtutes multas fecimus. Sed dicam illis, quia neſcio qui eſtis. Recedite à me operarij iniquitatis. Valde ergo premendus eſt animus inter ſigna & miracula, ne fortaſſis in his propriam gloriam quærat, & priuato ſuæ exultationis gaudio exulter. Per ſigna enim, animarum lucra quærenda ſunt, & illius gloria, cuius uirtute illa eadem ſigna geruntur. Vnum uero dominus nobis ſignum dedit, de quo & uehementer gaudere, & electionis gloriam in nobis poſſimus agnoſcere, dicens: In hoc ſcietur quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem. Quod ſignum propheta requirebat, cùm diceret: Fac mecum domine ſignũ in bonũ, ut uideant qui oderunt me, & non cõfundantur. Hæc autẽ dico, quia auditoris mei animum in humilitate ſternere cupio. Sed ipſa tua humilitas habeat fiduciam ſuam. Nam peccator ego ſpem certiſſimã teneo, quia per omnipotentis creatoris ac redemptoris noſtri dei & domini Ieſu Chriſti gratiam iam peccata tua dimiſſa ſunt, & idcirco electus es ut per te dimittantur aliena. Nec habebis luctũ de quolibet reatu in poſterum, qui de multorum conuerſione gaudium conaris facere in cœlo. Idem uero conditor & redemptor noſter cùm de pœnitentia hominis loqueretur, ait: Ita dico uobis, maius gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis, quibus non opus eſt pœnitentia. Et ſi de uno pœnitente grande ſit gaudiũ in cœlo, quale gaudium factum credimus de tanto populo à ſuo errore conuerſo, qui ad fidem ueniens, mala quæ egit pœnitendo damnauit? In hoc itaq; cœli & angelorum gaudio repetamus ipſas quas prædiximus uoces angelorum. Dicamus igitur, dicamus omnes, Gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

Matt. 7

Luc. 13

Ioan. 13

Pſal. 85

Luc. 15

Luc. 2

Gregorius Aldibergæ reginæ Anglorum.
De coniuge eius ad meliora exhortando. Cap. LIX

QVi poſt terrenã poteſtatẽ regni cœleſtis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum creatori ſuo debet enixius laborare, ut ad ea quæ deſiderat, operationis ſuæ gradibus poſſit aſcendere, ſicut uos feciſſe gaudemus. Remeantes igitur dilectiſsimus filius noſter Laurentius presbyter, & Petrus monachus, qualis erga reuerendiſsimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum gloria ueſtra extiterit, quantaq; illis ſolatia ueſtra charitas impenderit, retulerũt. Et omnipotentẽ deum benediximus, qui conuerſionẽ gentis

Epiſt. 59

Anglorum

Anglorum mercedi uestrę dignatus est propitius reseruare. Nā sicut per recordandæ memoriæ Helenam matrem pijssimi Constantini imperatoris ad Christianam fidem corda Romanorum accendit, ita & per gloriæ uestræ studium in Anglorum gente ei misericordia confidimus operari. Et quidem iamdudum glorioſi filij nostri cōiugis uestri animos prudentiæ uestræ bono, sicut reuera Christianę, debuistis inflectere, ut p regni et animę suę salute fidem quam colitis, sequeretur: quatenus & de eo & per eum de totius gentis conuersione digna uobis in cœlestibus gaudijs retributio nasceretur. Nam postq̄, sicut diximus, & recta fide gloria uestra munita, & literis docta est, hoc uobis nec tardum, nec debuit esse difficile. Et quoniam, deo uolente, aptum nunc tempus est, agite ut diui na gratia cooperante cum augmēto possitis quod neglectum est reparare. Itaq; mentem glorioſi cōiugis uestri in dilectione Christianæ fidei adhortatione assidua roborate, uestra illi sollicitudo augmentum in dei amore infundat, atq; ita animos eius, etiam pro subiectæ sibi gentis plenissima conuersione succendat, ut & magnū omnipotenti domino de deuotionis suæ studio sacrificium offeratis, & ea quæ de uobis narrata sunt, crescant, & uera esse modis omnibus approbētur, quia bona uestra non solum iam apud Romanos, qui pro uita uestra fortius orauerint, sed etiam per diuersa loca, & usq; Constantinopolim ad serenissimū principem peruenerunt. Vnde sicut nobis de Christianitatis iustè solatijs lætitia facta est, ita quoque de perfecta operatione uestra angelis fiat gaudiū in cœlis. Sic uos in adiutorio supradicti reuerendissimi fratris & coepiscopi nostri, & seruorum dei quos illuc misimus in conuersione gentis uestræ deuotè ac totis uiribus exhibete, ut & hic feliciter cum glorioso filio nostro coniuge uestro regnetis, & post longa annorum tempora futuræ quoq; uitæ gaudia quæ finem habere nesciunt capiatis. Oramus autem omnipotentē deum ut gloriæ uestræ cor ad operanda quæ diximus, gratiæ suæ igne succendat, & æternæ mercedis fructum uobis de placita sibi operatione concedat.

Gregorius Aldiberto regi Anglorum.
Congratulatur de conuersione gentis ipsius.
Caput LX

Epist. 60

PRopter hoc omnipotens deus bonos quosq; ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat. Quod in Anglorum gente factum cognouimus, cui uestra gloria idcirco præposita est, ut per bona quæ uobis concessa sunt, etiā subiectæ uobis genti superna beneficia prestarentur. Et ideo glorioſe fili eam quam accepisti diuinitus gratiam sollicita mente custodi. Christianā fidem in populis tibi subiectis extendere festina. Zelum rectitudinis tuæ in eorum conuersione multiplica, idolorum cultus insequere, fanorum ædificia euerte, subditorum mentes in magna uitæ mundi tia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monstrando ædifica, ut illum retributorem habeas in cœlo, cuius nomen atq; cognitionem dilataueris in terra. Ipse enim uestræ quoq; gloriæ nomen etiā posteris glorioſius reddet, cuius uos honorem quæritis & seruatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam pijssimus imperator Romanam rempublicā à peruersis idolorum cultibus reuocans, omnipotenti domino deo nostro Iesu Christo secum subdidit, secq; cum subiectis populis tota ad deū mente conuertit. Vnde factum est ut antiquorum nomen principum suis uir ille laudibus uinceret, & tanto in opinione prædecessores suos, quanto & in bono opere superaret. Et nunc itaq; uestra gloria cognitionem unius dei patris & filij & spiritus sancti regibus ac populis sibimet subiectis festinet infundere, ut & antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, & quanto in subiectis suis aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis propris ante omnipotentis dei terribile examen securior fiat. Reuerendissimus autem frater noster Augustinus episcopus in monasterij regula doctus, sacræ scripturæ scientia repletus, bonis, authore deo, operibus præditus, quæq; uos admonet, libenter audite, deuotè peragite, studioſe in memoria reseruate, quia si uos eum qui pro omni potente deo loquitur auditis, idem omnipotens deus hunc pro uobis orantem celerius exaudiet. Si enim, quod absit, uerba eius postponitis, quando eum omnipotens deus poterit audire pro uobis, quem uos negligitis audire pro deo? Tota igitur mente cum eo uos in feruore fidei stringite, atque adnisum illius uirtute quā uobis diuinitas tribuit adiuuate, ut regni sui uos ipse faciat esse participes, cuius uos fidem in regno uestro recipitis, & facitis custodiri. Præterea scire uestram gloriam uolumus, quia sicut in scriptura sacra ex uerbis domini omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi iam terminus iuxtà est, & sanctorum regnum uenturum est, quod nullo unquam poterit fine terminari. Appropinquante autē eodem mundi termino, multa imminēt quæ antè non fuerūt, uidelicet immutationes aeris, terroresq; de cœlo, & contra ordinem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terremotus per loca. Quæ tamen non omnia nostris diebus uentura sunt, sed post nostros dies omnia subsequentur. Vos itaq; si qua ex his euenire in terra uestra cognoscitis, nullo modo uestrū animum perturbetis, quia idcirco hæc signa de fine seculi præmittuntur, ut de animabus nostris debeamus esse solliciti, de mortis hora suspecti, ut uēturo iudici in bonis actibus inueniamur præparati. Hęc nunc glorioſe fili paucis locutus sum, ut cùm Christiana fides in regno uestro excreuerit, nostra quoq; apud uos locutio latior excrescat, & tanto plus loqui libeat, quanto se in mente uestra gaudia de gētis uestræ perfecta conuersione multiplicant. Parua autē xenia trāsmisi, quæ uobis parua non erūt, cùm à uobis beati Petri apostoli fuerint benedictiōe suscepta. Omnipotens itaq; deus in uobis gratiā suā quam cœpit perficiat, atq; & hic uitam uestram per multo-

rum annorũ curricula extendat,& poſt longa tem pora in cœleſtis patriæ congregatione recipiat.

Gregorius Quirino epiſcopo & cæteris epiſcopis in Hybernia catholicis. De his qui ab hæreticis in trinitatis nomine baptizãtur non rebaptizandis,qui in Occidente per manus impoſitionem, criſmate uero in Oriente, ſanctæ Eccleſiæ reconciliantur. De his uero qui in trinitatis nomine non baptizãtur rebaptizandis. Scribit etiam de ſancta Maria quare dicatur mater & ancilla. Et de hæreticis reuerſis quid promittere debeant. Cap. LXI

Epiſt.61 QVia charitati nil longè eſt,quos diuidunt loca, iungat epiſtola. Lator itaq; præſentium ad beati Petri apoſtolorum principis Eccleſiã ueniens,fraternitatis ueſtræ ſe aſſeruit ad nos epiſtolas accepiſſe, easq; in Hieroſolymorum urbe cum rebus quoq; alijs perdidiſſe. In quibus , ſicut ipſe ait,ſtuduiſtis inquirere, ſacerdotes ac plebes quæ Neſtorianæ hæreſeos errore confuſæ ſunt,cùm ad matrem electorum omnium catholicã Eccleſiam reuertuntur,utrum baptizari debeant, an certe ſolius ueræ fidei confeſſione eiũſdem matris Eccle-
De conſe. diſt.4.ca. Ab antiqua ſiæ uiſceribus adiungi. Et quidem ab antiqua patrum inſtitutione didicimus,ut qui apud hæreſim in trinitatis nomine baptizantur,cùm ad ſanctam Eccleſiam redeunt,aut unctione criſmatis,aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris Eccleſiæ reuocentur. Vnde Arianos per impoſitionem manus Occidens, per unctionem uero ſancti criſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ catholicæ Oriens reformat. Monophiſitas uero & alios ex ſola uera confeſſione recipit,quia ſanctum baptiſma quod ſunt apud hæreticos conſecuti,tunc in eis uires emũdationis recipit, cùm uel illi per impoſitionẽ manus ſpiritum ſanctum acceperint,uel iſti propter profeſſionem ueræ fidei ſanctæ & uniuerſalis Eccleſiæ uiſceribus fue-
De conſe. diſt.4.ca. Hi uero rint uniti. Hi uero hæretici qui in trinitatis nomine minimè baptizãtur,ſicut ſunt Bonoſiani & Cataphrygæ,quia & illi Chriſtum dominum non credunt,& iſti ſanctum ſpiritum peruerſo ſenſu eſſe quẽdam prauum hominem Montanũ credunt, quorum ſimiles multi ſunt,& alij tales cùm ad ſanctam Eccleſiam ueniunt,baptizãtur: quia baptiſmum non fuit quod in errore poſiti in ſanctæ trinitatis nomine minimè perceperunt. Nec poteſt hoc ipſum baptiſma dici iteratum: quod,ſicut dictum eſt,in trinitatis nomine nõ erat datũ.Neſtoriani uero quia in ſanctæ trinitatis nomine baptizantur, ſed eos Iudaicæ perfidiæ ſimiles, incarnationem unigeniti non credentes,ſuæ hereſeos error obſcurat,ad ſanctam Eccleſiam catholicã uenientes de ueræ fidei firmitate & confeſſione docendi ſunt, ut unum eundemq; dei & hominis filium,deum dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum credant, ipſum exiſtentem in diuinitate ante ſecula,
Ioan.1 & ipſum factum hominem in fine ſeculorũ, quia uerbum caro factũ eſt,& habitauit in nobis. Verbum uero carnem dicimus factum,non immutando quod erat,ſed ſuſcipiẽdo quod non erat.Incarnationis enim ſuæ myſterio unigenitus patris noſtra auxit,ſua nõ minuit. Vna itaq; perſona eſt uerbum & caro,ſicut ipſe ait: Nemo aſcendit in cœlum niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo. Qui filius dei in cœlo,erat filius hominis qui loquebatur in terra. Hinc Ioannes ait:Sci- Ioan.3 1.Ioan.5 mus quia filius dei uenit, & dedit nobis ſenſum. Qui nobis quem ſenſum dederit, ilicò ſubiungit: Vt cognoſcamus uerum deum. Quem hoc loco uerum deum inſinuat, niſi patrem omnipotentẽ? Sed quid etiam de omnipotẽte filio ſentiat adiungit. Et ſimus in uero eius filio Ieſu Chriſto. Ecce ait uerum deum patrem,uerum eius filium Ieſum Chriſtum. Quem uerum filium quid eſſe ſentiat, apertius oſtendit. Hic eſt inquit uerus deus & uita æterna. Si igitur iuxta errorẽ Neſtorij alius uerbum,atq; alius eſſet homo Ieſus Chriſtus,qui uerus eſt homo,utiq; uerus deus non eſſet & uita æterna. Sed unigenitus filius uerbum ante ſecula factus eſt homo. Hic eſt ergo uerus deus & uita æterna. Certe cùm hunc ſancta uirgo cõceptura eſſet, & loquentem ad ſe angelum audiret,ait:Ecce an- Luca1 cilla domini,fiat mihi ſicut dicis. Quæ cùm eũ cõcepiſſet,& ad Helizaberh cognatam ſuam pergeret,ab eadem Helizabeth protinus audiuit. Vnde ego digna,ut mater domini mei ueniat ad me? Ecce eadẽ uirgo,& ancilla domini dicitur,& mater. Ancilla enim domini,quia uerbum ante ſecula unigenitus æqualis eſt patri. Mater uero, quia in eius uiſceribus ex ſancto ſpiritu eiusq; carne factus eſt homo. Nec alterius ancilla, alterius mater,quia dum unigenitus dei exiſtens ante ſecula, ex eius utero natus eſt homo, inueſtigabili miraculo facta eſt ancilla hominis per diuinitatem,& mater dei per carnem. Non autem prius in utero uirginis caro concepta eſt,& poſtmodum diuinitas uenit in carnem,ſed mox ut uerbũ uenit in utero,mox uerbũ ſeruata propriæ uirtute naturæ factum eſt caro. Et perfectus homo, id eſt, in ueritate carnis & animæ rationalis , natus eſt per uterũ uirginis unigenitus filius dei. Vnde et unctus præ participibus dicitur, ſicut Pſalmiſta ait: Vnxit te Pſal.44 deus deus tuus,oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Vnctus quippe eſt oleo , dono uidelicet ſpiritus ſancti. Sed præ cõſortibus unctus eſt,quia omnes nos prius peccatores homines exiſtimus,& poſtmodum per unctionem ſancti ſpiritus ſanctificamur. Ipſe autem qui exiſtens deus ante ſecula,per ſanctum ſpiritum in utero uirginis homo conceptus eſt in fine ſeculorum,ibi ab eodem ſpiritu unctus eſt,ubi cõceptus. Nec antè cõceptus,& poſtmodum unctus eſt, ſed hoc ipſum de ſpiritu ſancto ex carne uirginis concipi, à ſancto ſpiritu ungi fuit. Hanc ergo natiuitatis eius ueritatem quicunq; à peruerſo errore Neſtorij reuertuntur,coram ſancta fraternitatis ueſtræ congregatione fateantur,eundẽ Neſtoriũ cum omnibus ſequacibus ſuis, & reliquas hæreſes anathematizantes. Venerandas quoq; ſynodos quas uniuerſalis Eccleſia recipit, ſe recipere & uenerari promittant, & abſq; ulla dubitatione ſanctitas ueſtra ſeruatis eis proprijs ordinibus in ſuo cœtu recipiat, ut dum

& per

& per ſollicitudinem occulta mentis eorum diſcu A
titis,atq; eos per ueram ſcientiam recta quæ tene-
re debeant, docetis, & per manſuetudinẽ eis nul-
lam contrarietatem uel difficultatem de proprijs
ſuis ordinibus facitis eos ab antiqui hoſtis ore ra-
piatis.Et tanto uobis apud omnipotentem deum
æternæ gloriæ creſcat retributio, quanto multos
colligitis qui uobiſcum in domino ſine fine glo-
rientur. Sancta itaq; trinitas orãtes pro nobis ſua
uos protectione cuſtodiat, uobiſq; in amore ſuo
dona adhuc multipliciora concedat.

Gregorius Aregio epiſcopo Galliæ.
Candidum presbyterũ cõmendat. Cap. LXII

Epiſt.62 IN quanta apud nos memoria fraternitatis ue-
ſtræ ſit charitas, cordis ueſtri ſecretum requiri-
te,& ex eo quem circa nos habet amorem collige B
tis.Et quoniam ſincera in dilectione, nec uires ab
ſentia, nec locũ habet obliuio, ita ſibi ſæpius ima-
ginata fraternitatis ueſtræ præſentia mens noſtra
reficitur, ac ſi corporeis uos oculis coram ſiti cer-
namus,quia nec abeſſe credendus eſt, qui per dile
ctionis uinculum animis inhæret. Quia ergo tan-
ta in uobis ſacerdotalis grauitatis ornamenta con
ſpeximus,ut de ueſtro omnino inſtituto uel mori
bus lætaremur,multa animis noſtris de ſollicitudi
ne ueſtra promittimus. Vnde quia ſic ea quæ dei
ſunt, agitis:ſic in cõmiſſi uobis gregis cuſtodia ui
gilatis,ut tamẽ ea quæ ex latere ſunt,prudenti mo
deramine diſpenſetis, latorem uobis præſentium
Candidum presbyterum cõmunem filium com-
mendamus, ut opem illi in quibus neceſſe fuerit, C
pro utilitate pauperũ impendatis, quatenus dum
fraternitatis ueſtræ fuerit, ſicut cõfidim⁹,fultus au
xilio,in eius uos cõſolatiõe nos inueniſſe ſentiat.

Gregorius Virgilio epiſcopo Arelatenſi.
Auguſtinum epiſcopum commendat. Cap. LXIII

Epiſt.63 QVantus ſit affectus uenientibus ſponte fra-
tribus impendendus, ex eo quod plerũq; ſo
lent charitatis cauſa inuitari, agnoſcitur.Et ideo ſi
cõmunem fratrem Auguſtinũ, epiſcopum ad uos
uenire cõtigerit, ita illum dilectio ueſtra ſicut de-
cet affectuoſe dulciterq; ſuſcipiat,ut & ipſum con
ſolationis ſuæ bono refoueat,& alios qualiter fra-
terna charitas colenda ſit doceat. Et quoniam ſæ-
pius euenit,ut hi qui longè ſunt poſiti, prius ab a-
lijs quæ ſunt emendanda cognoſcant, ſi quas for-
taſſe fraternitati ueſtræ ſacerdotũ uel aliorum cul-
pas intulerit,unà cum eo reſidẽtes ſubtili cuncta
inueſtigatione perquirite.Et ita uos in ea quę deũ
offendunt, & ad iracundiã prouocant, diſtrictos
ac ſollicitos exhibete, ut aliorum emendationem
& uindictam culpabilem feriat, & innocentem
falſa opinio non affligat.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.
De ſimoniaca hæreſi eradicanda. Cap. LXIIII

Epiſt.64 CVm ſcriptum ſit,luſtitia eleuat gentem,mi-
ſeros autem facit populos peccatũ, tunc re-
gnum ſtabiliri creditur, cùm culpa quæ cognoſci-
tur,citius emendatur. Multorum igitur ad nos re-
latione peruenit,quod dicere ſine afflictione cor-
dis nimia non ualemus,ita quoſdam ſacerdotes in
illis partibus impudicè ac nequiter conuerſari, ut
& audire nobis opprobrium,& lamentabile ſit re
ferre. Ne ergo poſtquã huius nequitiæ hucuſq; ſe
tetendit opinio,aliena prauitas, aut noſtram ani-
mam,aut regnum ueſtrũ peccati ſui iaculo feriat,
ardenter ad hęc debemus ulciſcenda concurrere,
ne paucorum facinus multorum poſſit eſſe perdi
tio.Nam cauſa ſunt ruinæ populi ſacerdotes ma-
li. Quis enim pro populi ſe peccatis interceſſor
obijciat,ſi ſacerdos qui exorare debuerat,grauio-
ra cõmittat? Sed quoniam eos quorum eſt locus
hæc inſequi,nec ſollicitudo ad requiſitionem,nec
zelus excitat ad uindictam, ſcripta ad nos ueſtra
diſcurrant, ut perſonam ſi præcipitis, cum ueſtræ
authoritatis aſſenſu tranſmittamus, quæ unà cum
alijs ſacerdotibus hæc & ſubtiliter quærere, & ſe-
cundum deum debeat emendare. Nec enim ſunt
diſſimulanda quæ dicimus,quia qui emẽdare po-
teſt & negligit,participem ſe proculdubio delicti
cõſtituit.Prouidete ergo animę ueſtræ,prouidete
nepotibus quos cupitis regnare feliciter,prouide
te prouincijs,& priuſq; creator noſter manũ ſuam
ad feriendum excutiat, de correctione huius ſce-
leris ſtudioſiſſimè cogitate,ne tanto poſtmodum
acrius feriat, quanto modo diutius & clementer
expectat. Scitote autẽ,quia deo noſtro magnum
ſacrificium placationis offertis, ſi tanti labem faci
noris de ueſtris citius finibus amputatis.

Gregorius Candido presbytero Galliæ.
Aurelium presbyterum commendat. Cap. LXV

LAtor preſentium filius noſter Aurelius preſ- Epiſt.65
byter à Galliarum partibus ueniens petijt,ut
ſicubi in poſſeſſionibus beati Petri apoſtolorum
principis oratorium aut locus qui presbytero uel
abbate indiget,inueniri potuerit, ei debeat cõmit
ti,quatenus & ipſe ſubſidium uitæ præſentis inue
niat, & nos inueniamur petitioni illius paruiſſe.
Proinde dilectioni tuæ eum omnibus modis com
mẽdamus,ut in quo uſus exegerit,tua dilectio cõ
currat,& ſcriptorũ noſtrorũ illic ſolatiũ inueniat.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. De Hila-
rio criminatore Ioannis nõ punito. Cap. LXVI

CVm fortius punienda ſint crimina quæ in- Epiſt.66
ſontibus,& maximè ſacris ordinibus inge-
runtur,cęſitis culpabiles omnes qui in cauſa Ioan
nis diaconi reſediſtis,attendite,ut Hilarium crimi
natorem ipſius nulla ex definitione ueſtra pœna D
ueniens caſtigaret.Nec illud ad excuſationem ue-
ſtram credatis eſſe idoneum,ꝙ uobis quaſi iudica
re uolentibus, ſolus frater & coepiſcopus noſter
Paſchaſius dicitur diſtuliſſe.Nam ſi zelus in uobis
rectitudinis uiguiſſet,facilius uni à multis ratione
biliter ſuaderi,cęſi multi ab uno poterant ſine cauſa
differri.Quia ergo tantæ nequitiæ malum ſine di-
gna non debet ultione tranſire,ſupraſcriptum fra
trem Paſchaſium uolumus admoneri, ut eundem
Hilarium prius ſubdiaconatus quo indignus fun
gitur,priuet officio,atq; uerberibus publicè caſti-
gatum faciat in exilium deportari,ut unius pœna
multorum poſſit eſſe correctio. Cuius ſi forte leni
tatem diaconij ſui adhuc opinio lacerata non cõ-
mouet, & in hoc, quod non credimus, torpẽs ex-

titerit, experientia tua hæc quæ diximus faciat,& de illius nobis neglectu renũciet. Hortandus præterea idẽ frater ex nostro mandato est,ut se in omnibus uigilantẽ exhibeat,& Ecclesiæ suæ amplius disciplinam non negligat, ne & peccatum de his qui ei cõmissi sunt sustineat,& nos contra se uehementer stimulet,si in officij sui cura,quod non optamus,incautus uel lentus extiterit. Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius,& uicedominum sibi ordinet,& maiorem domus,quatenus possit uel hospitibus superuenientibus, uel causis quæ eueniunt,idoneus & paratus existere. Si uero & negligentem eum prospicis, & ea quæ diximus implere differentẽ,omnis clerus eius adhiberi debet,ut cõmuni cõsilio ipsi eligant,quorũ personæ ad ea quæ prædiximus ualeant ordinari.

Gregorius Agapito abbati.
De monasterio Marciano, illius monasterio coniungendo. Cap. LXVII

Epist.67 NE rebus uenerabilibus uel quãdolibet culturæ desit officium,nostra debet sollicitè cura prospicere.Quia igitur monasteriũ quod in fundo Marciano prouinciæ Campaniæ situm est, ita hostilitate faciente à congregatione funditus dicitur desolatum,ut ne unus exinde monachus, qui aliquã illic sollicitudinẽ uel curã debeat adhibere, remanserit,tuo illud monasterio cum omnibus rebus suis, uel quæ ei cõpetunt actiones, utile prospeximus uniẽdũ,ut res eius tenẽdi uel à detinẽtibus uendicandi libera tibi sit, & sine aliqua dubietate licentia.In quo etiam studij tui sit monachos deputare, qui illic tẽpore quo interuallũ de hoste fuerit, & opus dei celebrare, & decenter debeant deseruire.Nec aliqua illud præsumas excusatione negligere,quod ideo curæ tuæ, ut sollicitudinem illic debeat adhibere cõmittit. Ipsum autẽ monasteriũ sic tuæ nos ordinatiõi cõmisisse cognoscas, ut tamen iurisdictionẽ illic non episcopus Surrentinarũ in cuius ciuitate monasteriũ tuũ est,sed Nucerinus cuius est diœcesis habeat. Nam sic huius loci ordinationem disponimus, ut tamen iura sua singulis episcopis inuiolata seruemus.

Gregorius Mariniano abbati. De Ecclesia sancti Georgij restauranda. Cap. LXVIII

Epist.68 QVia Ecclesiam sancti Georgij positam in loco qui ad sedem dicitur,minorẽ quàm oportet diligẽtiam habere cognouimus, utile esse prospeximus,quoniam monasteriũ tuum eidem Ecclesiæ noscitur esse coniunctum, eius tibi curam cõmittere, hortantes ut & sollicitudinẽ illic congruam studeas adhibere, & psalmodiæ officium solẽniter exhiberi facias. Et quia Ecclesiam ipsam reparatione certũ est indigere, uolumus ut quicquid illuc accedere potuerit,ipse accipere, atq; in eius reparationem, ut præuideris, debeas erogare.Hanc uero sollicitudinis curã,quam tibi huius pagina præcepti mãdauimus, tam te quàm etiam successores tuos qui monasterij regimen deo authore susceperint,exhibere, & quæ constituimus per omnia, uolumus obseruare.

Gregorius Eusebio episcopo Thessaliæ.
De peruersitate Andreæ monachi. Cap. LXIX

Epist.69 LAtor præsentiũ Theodorus Ecclesiæ uestræ lector ad sanctorum Apostolorũ limina ueniens,dum omnes,ut homo quippe nouus,haberet incognitos,Andreæ monacho qui ad sanctum Paulum inclusus fuerat, res & chartas quas detulit,ut reuera olim noto,innocenter deposuit, credens quidem, quia mens ipsius, sicut & nos antè habueramus,cum habitu concordaret. Sed tantæ ille prauitatis est inuẽtus,ut si eius stultitiæ sub inclusiõis specie paulo adhuc amplius licuisset, multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet, & quocũq; potuisset, non leuia scandala generaret. Nam inter alia quæ idem Andreas cogitauit pessimè, & fecit,eam quoq; quã ad nos misistis, dum apud ipsum à præfato lectore esset deposita,ita fal
B sauit epistolam,ut quicunq; eam legeret, uos nec catholica,nec recta sapere euidenter argueret.Ex qua re contigit,ut dum ueritatem studiose quæremus, eius quæ latebat iniquitas uulgaretur. Et tanta in eo reperta sunt, quantã nec de scelerato quocunq; laico crederentur. Et quia inter diuersa mala aliquos etiam sermones scripsit, atq; eos ex nostro nomine titulauit, & suspecti sumus ne eos alicubi transmiserit, fraternitas uestra sollicitudinem gerat,& si quid tale repererit,eos & rescindi, & omnino faciat aboleri,ut quod imperitus litera
C rum,& scripturæ diuinæ nescius,nostro,sicut diximus,nomine prænotauit, quorundã animos non possit inficere. Nam nos nec Græcum nouimus, nec aliquod opus aliquando Græcè conscripsimus.Alia uero mala ipsius,uel quid de eo à nobis in cõcilio statutum sit, ante dicti portitoris, quem fraternitati uestræ cõmẽdamus in omnibus, quia præsens inuentus est,relatione cognoscite.Hortamur præterea atq; admonemus, ut cõmunem filium Lucam presbyterum de quo populus,quantum dicitur,non modica suspitione mordetur, publicè de se satisfacere,& fidem suam moneas confiteri,atq; sanctas synodos quas apostolica uenerat
D Ecclesia,se suscipere,& sequi modis omnibus fateatur, atq; inter alia Nestorium & Seuerum ac sequaces eorũ specialiter anathematizando condemnet, ut hac satisfactione in filiorũ uestrorum cordibus nullum per illius occasionem cõtra uos possit scandalum remanere. Quod si forte, quod nõ credimus, facere hoc aliqua excusatione distulerit,nihil uobis cum illo cõmune sit, sed à familiaritate atq; cõmunione segregandus est.Nam sicut antè iam scripsimus,melius est de ouili dominico morbosam ouem eijcere, quàm unius uitio sanas amittere.Hæc igitur frater charissime diligenter attende,& ita stude, ut & filios uestros unitos ac deuotos,sicut decet,habere possis, & hac de causa denuo ad nos querela non redeat.Latorem uero præsentium,ut præfati sumus,in omnibus commendamus,qui quoniam à malo monacho prius innocenter deceptus est, & postmodum in cõiunctione eius fortiter perstitit, laboris sui retributionem hic apud uestrã fraternitatẽ inueniat, quamuis quia in æterna ei patria cõpensetur,certus existo.Si autem rursus ad orationem huc ad sanctos

Apostolos

Apostolos uenire uoluerit, eum fraternitas uestra sine aliqua mora transmittat.

Gregorius Aurelio ex Francis. De morte fratris eius. Cap. LXX

Epist. 70 AVdito dulcissimi filij mei fratris uestri transitu, quo sim mœrore perculsus, epistolaris non ualet explere locutio. Sed omnipotentem deum rogo, ut suæ uos gratiæ aspiratione cõsoletur: uosq; & à malignis spiritibus, & à peruersis hominibus cœlesti protectiõe custodiat. Nã si quos post illius obitum tumultus quorundam aduersantium sustinetis, nolite mirari. Si uos frui bonis in terra uestra, id est in terra uiuentium quæritis, mala hominũ in terra aliena portare debetis. Peregrinatio quippe est uita præsens: & qui suspirat B ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus, etiam si blandus esse uideatur. Vobis autem qui patriam quæritis, inter suspiria quæ habetis, etiam gemitus audio humanæ oppressionis exurgere. Quod mira omnipotentis dei dispensatione agitur: ut dum ueritas per amorem uocat, mũdus præsens à seipso animum uestrum per tribulationes quas ingerit, repellat: tantoq; facilius ab amore huius seculi mens exeat, quanto & impellitur dum uocatur. Itaq; quod cœpistis, hospitalitatis curam impendite. In oratione & lachrymis instantissimè laborate. Eleemosynis, quas semper amastis, iam nunc largius atq; uberius operam date: ut tanto pòst in retributiõe crescat uobis fructus operis, quanto hic excreuerit studium laboris. C

Gregorius Mellito abbati. Dat mandata Augustino episcopo porrigenda. Cap. LXXI

Epist. 71 POst discessum congregationis nostræ quæ tecum est ualde sumus suspensi reddíti, quia nil de prosperitate uestri itineris audisse nos contigit. Cùm uerò uos deus omnipotens ad reuerentissimũ uirũ fratrem nostrũ Augustinũ episcopũ perduxerit: dicite ei q̃ diu mecũ de causa Anglorum cogitans tractaui, uidelicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minimè debeant: sed ipsa quæ in eis sunt, idola destruantur. Aqua bene dicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur: quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est ut à cultu dæmonum in obsequium ueri dei debeant commodari: D ut dum gens ipsa eadẽ fana sua non uidet destrui, de corde errorem deponat, & deum uerum cognoscens, ac adorans, ad loca quæ consueuit, familiarius concurrat. Et qui boues solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari: ut die dedicationis uel natalicio sanctorum martyrum quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa eadem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solennitatem celebrent. Nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire facilius ualeant. Nam duris mentibus simul omnia abscin-

Festa paganorum quæ licet sensim in Christianismum cõmutari debeant

dere impossibile esse non dubium est: quia is qui locum summum ascendere nititur, gradibus uel passibus non autem saltibus eleuatur. Sic Israeliti eo populo in Ægypto dominus se quidem innotuit: sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebãt exhibere, in cultu proprio reseruauit, ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet: quatenus commutantes aliud de sacrificio amitterẽt, aliud retinerent, ut etsi ipsa essent animalia quę offerre cõsueuerant, uerumtamen deo hæc & non idolis immolarent, iam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, ut ipse in præsenti illic positus perpendat qualiter omnia debeat dispensare.

Gregorius Claudio abbati. Præcipit ut Romam quantocyus ueniat. Cap. LXXII

VEniente uiro reuerentissimo Seuero episco Epist. 72 po, tuã quoq; dilectionem credidi ad beati Petri Apostolorum principis limina pariter uenire: quia & ita mihi fuerat nunciatum, & ualde ex eodem nuncio lætabar. Sed credo te occupationibus monasterij præpeditum, & idcirco ad me minimè uenisse. Epistolas uerò quas dilectio tua ante hoc tempus transmiserat accipiens, sicut uolui sti, secretò relegi. Sed de tribus personis de quib. scripseras, nihil uidi esse possibile: de ea maximè persona quæ hic apud me fuit non suspicor posse aliquid tale utiliter fieri, quæ aut naturæ simplicitate, aut negligentia torpere mihi uisa est. Et ideo C dilectio tua si quid ualet illic requirat & sollicitè disponat, atq; ad me ueniat. Si uerò uenire non ualet, uel post aliquantum temporis uenire debet: ut usq; ad quinq; uel sex menses, si uita comes fuerit, mecũ faciat, & postea ad propria reuertat. Omni potẽtis dei gratia ab omni te aduersitate custodiat.

Gregorius Petro episcopo Hidruntino. De reliquijs sancti Leucij. Cap. LXXIII

OPportunus abbas monasterij sancti Leucij Epist. 73 quod in quinto Romanæ urbis miliario situm est, sanctuaria eiusdem martyris quæ de Ecclesia nomini ipsius dicata, ut astruit, furto ablata sunt, sibi denuo postulat debere concedi, ut in loco eodem recondantur. Et ideo frater charissime, quia eiusdem beatissimi martyris corpus in Brunduſii Ecclesia, cui uisitationis impendis officium, esse dinoscitur: præfati uiri desiderijs ex nostra te præceptione conuenit obedire, ut in deuotione quam postulat, sortiatur effectum.

Gregorius Bonifacio defensori Corsicæ. De Aleria atque Adiacio ciuitatibus sine episcopis. Cap. LXXIIII

EXperientia tua non sine culpa est, quòd Ale Epist. 74 riam atq; Adiacium ciuitates Corsicæ diu sine episcopis esse cognoscens, clerum & populum earum ad eligendũ sibi sacerdotẽ distulerit commonere. Quæ quoniam sine proprio amplius nõ debent esse rectore, præsenti authoritate suscepta clerum & populum singularum ciuitatum hortari festina, ut inter se dissentire nõ debeãt: sed uno sibi consensu, unaquæque ciuitas consecrandum eligat sacerdotem. Et facto decreto ad nos is qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerit electus, adueniat. Si autem in uno consentire noluerint, sed in duorũ se electione diuiserint: similiter decretis ex more ad nos factis adueniãt, ut requirentes de uita actu & moribus eorum: is qui utilior uisus fuerit, ordinetur. Quia uerò multi illic pauperes opprimi ac pati præiudicium perhibentur: experientia tua sollicitudinem gerat, & grauari eos contra iustitiam non permittat: sed ita studeat, ut nec agentes contra rationem impediri nec hi contra quos agitur, iniustè ualeant dispendiũ sustinere. Præterea peruenit ad nos, quòd quidam clericorum te illic posito à laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ noueris reputari: quia hoc fieri si homo esses, nõ habuit. Et ideo de cætero sollicitudinẽ te habere necesse est, ut hoc fieri non permittas: sed si quis contra clericũ causam habuerit, episcopum ipsius adeat. Qui si fortè suspectus fuerit, executor uel ab ipso: aut si & hoc actor refugerit, à tua est experientia deputandus, qui partes sibi mutuo cõsensu iudices compellat eligere. A quibus quicquid fuerit definitũ, ita uel tua uel episcopi sollicitudine, seruata lege, modis omnibus compleatur, ut non sit unde se possint litigijs fatigare.

Gregorius Barbaræ & Antoniæ.
De eo quòd eas commendauerit Ioanni episcopo, & Romano defensori. Et de xenio ab eis sibi transmisso. Cap. LXXV

Epist. 75 SVsceptis epistolis uestris, omnimodo cognita uestra sospitate lætatus sum, atq; omnipotẽtem deum deprecor, quòd uos & à malignis spiritibus in cogitatione, & à peruersis hominibus atque ab omni contrarietate sua protectione custodiat: sicq; uos cum timoris sui gratia dignis coniunctionibus ordinet, ut omnes nos in uestra ordinatione lætificet. Vos autem dulcissimæ filiæ in eius adiutorio spem uestram ponite, & sub umbra defensionis illius semper & orando, & bene agendo malorum hominum insidias declinate. Quæcunq; enim humana solatia uel aduersitates fuerint, nulla sunt, nisi aut eius gratia protegat, aut eius offensa perturbet. In nullo igitur hominum spem ponatis: sed totam mentem in fiducia dei patris omnipotentis adstringite. Nobis ergo dormientibus, ille uos protegat: de quo scriptum est: Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israel. Quia autem ad beati Petri Apostolorum principis limina festinare uos dicitis, opto uos nimis, & æstuantis animi desiderio expecto, ut dignis meritis iunctas uos in eius Ecclesia uideam: quatenus & uos de me solamen aliquantulum, & ego de uestri præsentia non paruam lætitiam acquirã. Viro autem reuerentissimo fratri meo episcopo Ioanni, & Romano defensori causas uestras studui commendare: ut quæ cœperunt, deo authore debeant perficere. Xeniũ autẽ uestrum duas racanas, quas de labore uestro esse mandastis, libenter accepi. Sed tamen cognoscite, quia non mihi mandatum credidi. Nam uos de labore alieno laudem quæritis, quia fortasse adhuc ad fusum manũ nunquam misistis. Nec tamen me resista cõtristat quia opto ut sanctam scripturam legere ametis: ut quamdiu uos omnipotens deus uiris coniunxerit, sciatis qualiter uiuere, & domum uestram quomodo disponere debeatis.

Finiunt epistolæ Indictionis quartæ.

LIBER DECIMVS

Incipiunt epistolæ Indictionis quintę ex registro beati Gregorij papæ.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei Dominico Carthagin. de exhortatione pastorali. Cap. I

Epist. 1 VÃ copiosa cordis uestri sit charitas lingua interprete demonstratis, dum sic eius suauitate epistolarum uestrarũ uerba conditis, ut dulce & iocundum sit omne quod scribitis. Vnde fit, ut fraternitatem uestram quam corpore nõ possumus, dilectionis brachijs amplectamur. Nam quod animis concordibus longitudo negat itineris, præstat officium charitatis. Et quoniam sicut amantissimorum fratrum sanitate reficimur, ita ęgritudine contristamur: omnipotenti deo gratias agimus, qui mœstitiam nostram nuncio consolatus est prosperorum. Qui audientes uos infirmitatem grauissimam incurrisse, priusquam scripta uestra suscepissemus, maiori tristitia tenebamur. Sed quando de periculo mortis eripimur ad quid frater charissime reseruemur, incertum est. Inducias ergo tempus ad utilitatem animæ eõ uertamus: & posituri uenturo iudici rationes, causam nostrã apud eũ lachrymis & operibus muniamus, ut securitatem de his quæ gessimus, accipere mereamur. Nam & in causis secularib. ad hoc frequẽter benignus concedit iudex inducias, ut qui antè paratus non fuerat, postmodum paratus ad iudicium ueniat. Et quale est, si quod in terrenis iudicijs custodimus, pro salute animæ negligamus? Et ideo quia iuxta Ioannis apostoli uocem: nullus sine peccato est, cogitationum illecebras, linguæ incontinentiam, delictorum opera ad memoriam reuocemus, & dum licet, magno pulsatu iniquitatum nostrarum maculas deleamus, ut iustus & pius redemptor noster, non iuxta merita nostra uindictam exerceat, sed secundum misericordiam suam flectatur ad ueniam. Et quia officium nostrum sua solum flere non sufficit, nisi & de alienis sollicitudinem gesserit, curam in commissi gregis custodia studiosius impendamus: & suadendo, hortando, terrendo, prædicando, inquantum superna clementia uires donat, officium implere festinemus: ut desideratum, creatore nostro largiente, prẽmium expectemus. Sed quia boni aliquid operari sine diuino auxilio non ualemus, iunctis omnipotentem deum dilectissime frater precibus exoremus, ut in mandatorum suorum uiam cum commisso grege gratia sua duce nos dirigat, atque ipse nobis & intelligere & agere

& agere quæ ſibi placita ſunt, concedat, qui miſe- A utilius ſibi eſſe crediderit eam iudicio diffiniri, o-
ricordiæ ſuæ dono nomen nos uoluit habere pa- mni mora ceſſante uice ſua perſonam legaliter in
ſtorum. Præterea ex tranſmiſſione ueſtræ ſanctita ſtituat, quæ de eadem maſſa apud glorioſiſſimum
tis, beati Agilegi martyris benedictionē ea chari- filium noſtrum dominum Patricium, & experien
tate qua nobis eſt à uobis tranſmiſſa percepimus. tiam tuam debeat ſubire iudicium, ut cauſa poſſit
cognita ueritate diſtingui: aut certè alios ſibi, ſi
partes uoluerint, te imminente eligat cognitores.
Et quicquid mediis ſacroſanctis Euangelijs ab eis
fuerit ſtatutū: ita lege ſeruata tua uolumus ad effe
ctum executione perduci, ut nihil inter partes re
maneat, unde poſt hæc rediuiuo poſſint litigio fa
tigari.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. De Matthęo uiro clariſsimo. Cap. II

Epiſt.2 QVotiens digna conſideratione, ſuſtentatio-
nis cauſa, aliqua merentibus conceduntur,
& deum lætificant, & ipſum ditant ſine dubio lar-
gientem. Ideo experiētiæ tuæ hac authoritate præ
cipimus, quatenus Matthæo uiro clariſſimo ſcho
laſtico duodecim ſolidos dare non differas, quos
tuis ſcito rationibus proculdubio imputādos. Ita
ergo cum gratiarum actione iuſſionem noſtrā ſe B
ſtina implere, ut nulla accipientem poſſit fatigare
dilatio.

Gregorius Anthemio ſubdiacono. De puero quo dam de tranſmarinis educto. Cap. III

Epiſt.3 LAtor præſentium Gallus nauclerus oblata
nobis petitione noſcitur intimaſſe, aſſerens
puerum ſe quendam de Siciliæ partibus uenien-
tem orationis gratia ad Campaniæ partes per-
duxiſſe, qui in Meſſenati portu coniungens il-
lic in monaſterio conuerſationis cauſa ſeſe reti-
nuit. Quem cùm hic de conditione ſua pro ſui pe
riculo diligenter inquireret, quantum aſtruit, iu-
riſiurandi interueniente uinculo, liberum ſe, nul-
liq; cōditioni obnoxium publica uoce profeſſus
eſt. Pro quo ab actionarijs publicis ſe remeantem C
queritur eſſe conſtrictum, impetentibus cur ſer-
uum iuris publici furtim de illis partibus auferre
præſumpſerit. Qui poſt illata ſibi damna captio-
nis, ſe quoq; oſtendit obſtrictum, ut eundem pue
rum ad partes illas, quibus ualeret uiribus, reuoca
ret. Vnde pietatis cauſa permotos, hoc experiētia
tua nos decreuiſſe cognoſcat, ut ad Panormitanas
partes ubi res agitur, ipſum mancipium, licet iam
monachi habitum ſumpſerit, debeat reuocare: e-
umq; Fantino defenſori noſtro cōtradere: ut ipſe
quid de eo fieri debeat, ſecundum præceptionis
noſtræ ſeriem, cuius & te quoq; textus poterit in-
formare, ſubtiliter exequatur. A latore ergo præ-
ſentium experientiam tuam uolumus fideiuſſio-
nem accipere, qui mancipiū ipſum in ſua à te ma-
nu ſuſcipiēs, illic tibi in Neapolitana ciuitate pro D
eo ſcriptis euidenter ſpondeat, quòd illum Fanti-
no defenſori noſtro ſine aliqua excuſatione con-
tradat, ut hac præueniente cautela, & precator li-
berà cautionis ſuæ reddat uinculo, & cauſa man-
cipij, ſicut cōſtituimus, auxiliāte dño diſponatur.

Gregorius Fantino defenſori. De cauſa Mauren tij Magiſtri militum. Cap. IIII

Epiſt.4 GLorioſiſsimus filius noſter Maurentius Ma
giſter militū, cauſam ſe de Maſſa Getina cō-
tra Panormitanam Eccleſiam habere queritur: &
ad hoc latorem præſentium facto mandato tranſ-
miſit, quòd debeat ſine excuſatione aliqua termi-
nari. Ideoq; experientia tua reuerentiſſimum fra-
trem, & coepiſcopum Victorem noſtrum, ſerua-
to honore commoneat, ut aut pacificè cauſam i-
pſam ſine dilatione ſtudeat terminare: aut certè ſi

Gregorius Marinano epiſcopo Rauennæ. Homi nes Maurentij commendat. Cap. V

Epiſt.5 POſtquam glorioſiſſimo filio noſtro Mauren
tio hoc apud uos ſolū poteſt ſufficere, quòd
eum noſtrum eſſe proprium non neſcitis, qualiter
ei à uobis ſit concurrendum, ſcribere non debe-
mus. Sed ne data occaſione, fraternitatem ueſtrā
in cauſa ipſius prætermittere uideamur: latores
præſentium commendantes hortamur, ut quia e-
os pro percipiendo precario ſuo illuc noſcit trāſ-
miſiſſe, ueſtra ope in omnibus fulcianť. Cui, ut me
lius præſtare poſſitis, quia uos in multis eſſe non
eſt dubium occupatos, Mennam notarium qui
bene nouit eſſe ſollicitus deputate, ut ipſe eos ue-
ſtro nomine, in cunctis ubi neceſſe fuerit, ſtudeat
adiuuare: quia quid agere debeant, dato ſibi capi
tulari, ut perhibent, ſunt inſtructi. Cuncq; ego ſan
ctitatem ueſtram ſua in præſenti relatione infor-
mauerim: ita uos in eius cauſis impendite, ut ſicut
& nos de fraternitate ueſtra certi ſumus, & ille o-
mnino confidit, uobis ſuffragantibus utilitas ipſi-
us, deo adiutore, ſalubriter peragatur.

Gregorius Theodorico curatori. Maurentiū ma giſtrum militum commendat. Cap. VI

Epiſt.6 QVia ſic de gloria ueſtra, ſicut de chariſſimo
reuera filio omnino preſumimus certi de uo
bis eos qui noſtri ſunt, commendamus. Ob quam
rem paterno ſalutantes affectu, quæſumus: ut præ
ſentium portitoribus, quos glorioſiſſimus Mau-
rentius magiſter militum ad precarium ſuum ac-
cipiendū tranſmiſit, ueſtram tuitionem impartire
dignemini: quatenus uobis patrocinantibus, nec
moram illic contra rationem, nec laborem debe-
ant ſuſtinere: ſed quicquid prædicto uiro glorio-
ſiſsimo competit, gloriæ ueſtræ opitulatione ſine
difficultate percipiat: ut et ipſe noſtris amplius ſit
deuotus obſequijs, & nos pro eo referre gratias,
ſicut dignum eſt, ualeamus.

Gregorius Sauinellæ. De eleem oſyna ſępius fa cienda. Cap. VII.

Epiſt.7 SAtis me glorioſa filia operationis tuæ audi-
ta bona lætificant, quòd illa agere perhiberis:
per quæ dum egentibus miſericorditer ſubuenis,
ipſa miſericordiam conſequaris, & alios tempora
liter nutriendo, bonis in æternum cœleſtibus ſa-
tieris. Et ideo quia fidelis eſt cui credis, ſecura cō-
moda, ea quæ tribuis, ut in die retributionis reci-
pias quod impendis. Ait nanq; egregius prædica
tor: Scio cui credidi, & certus ſum, quia potēs eſt
ſeruare depoſitū meū in illū diem. Ecce glorioſa

filia

filia quanta sit bonorum operum certitudo consi dera,& larga sit manº in opere, ut fiat uobis quod
Eccli 29 scriptum est: Absconde eleemosynã in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Quisquis igitur copiosum in cœlis fructum habere desiderat: seminare dum tempus est, non omittat,ut manipulos
Psal.125 in die messis cum lætitia colligat. Nam qui seminant in lachrymis, in exultatione ac gaudio metent. Sed qualis messis ex huiusmodi semẽte futu
Gal.6 ra sit, dicat Apostolus: Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu & metet uitam æternam. Ne uerò nos inopia egestatis inueniat, hãc nobis messem satione multiplici præparemus,& quanto uberius satiari cupimus,tanto ei à quo totũ accepimus, largius conferamus. Nam ipse de se do-
Matt.25 minus ait: Esuriui, & nõ dedistis mihi mãducare: sitiui,& nõ dedistis mihi bibere: hospes fui, & nõ collegistis me:nudus fui, & nõ operuistis me,&c. Atq; in conclusione subiungitur:Amen dico uobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Hoc igitur studiosius agite, & hoc agentes in terra uobis retribui nil quæratis,quia superna desiderantibus temporalia nulla sunt.Sed ibi desideria figite,ubi quicquid retribuitur, finem non suscipit. Bonum ergo facientes nõ deficiatis,ut illic uobis thesauros thesaurizare possitis,ubi nec erugo,nec tinea demolitur,&ubi fures non effodiunt,nec furantur.Præterea gloriã uestram paterno salutãtes affectu: indicamus per latorem præsentium Hilarium chartularium nostrum clauem nos à sacratissimo corpore beati Petri Apostolorum principis transmisisse, in qua de catenis quoque ipsius benedictio continetur. Quæ collo uestro suspensa, hoc uobis eo intercedente gratia absolutionis fiat, quod illi fuit causa martyrij. Omnipotens deus in suo uos timore custodiat, atq; sic cor uestrum ad bonam semper operationem accendat, ut & hic uobis suam gratiam tribuat, & ad gaudia uos postmodum æterna perducat.

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.
De Donadeo diacono iniustè dãnato. Cap. VIII.

Epist.8 QVàm grauis & auditu ipso intolerabilis Donadei latoris præsentium qui se asserit fuisse diaconem sit querela, ab eo data petitio quæ tenetur in subditis, fraternitati uestræ faciet manifestum.Sed quia peruenit ad nos, quòd pro corporali peccato fuisset depositus:dilectio uestra subtili hoc inquisitione perquirat,& si ita est,in pœnitentiam retrudendus est,ut commissi flagitij uinculum lachrymis possit absoluere. Si uerò insons ab huius perpetratione claruerit:unà cum primate concilij uel alijs fratribus,coepiscopisq; nostris omnia quæ petitio eius continet, diligenti uobis examinatione quærẽda sunt. Et si querela eius ueritate fulcit̃,& in episcopo eius Victore, qui contra deum & sacerdotale propositum tantum commitere nephas nõ metuit, canonici rigoris ita districtio teneatur, ut ex diffinitione uestra quàm sit iniquum quod fecit intelligat,& hic suo ordini reformetur,quia satis peruersum & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra pro quorũdam uoluntatibus quis priuetur, quem sua culpa uel facinus ab officij quo fungitur gradu non deijcit.

Gregorius Castorio notario. De monasterio Marci,Marcellini, & Feliculæ. Cap. IX

EXperientiæ tuæ in præsenti nos recolis præ- Epist.9
cepisse, ut de possessione quæ monasterio sanctorum Marci, Marcellini, & Feliculæ, quod Rauennæ situm est: largitatis titulo dicit̃ esse concessa, quia causam bene nosti, debuisses quod iustum est facere.Pro qua re hac te iterũ præceptione duximus cõmonendum, ut in re ipsa uigilans debeas esse atq; sollicitus. Et si manifestè donatã esse cognoueris, & nihil est quod à partibus nostræ obijci possit Ecclesiæ,impedimentũ aliquod monasterio ad tenendum ipsam possessionem nõ facias. Si uerò, quia prout diximus, causa est tibi cognita, bene habes quod iustè possit pro Ecclesiæ partibus allegari: electorũ te cum parte altera necesse est subire iudiciũ, ut & ueritas cognosci, & quod æquitatis ordo suaserit, ualeat diffiniri.

Gregorius Anthemio subdiacono. De Adeodato,& constructione basilicæ. Cap. X

INdicauit nobis Adeodatus præsentium lator Epist.10
ante multos annos in solo se iuris Ecclesiæ nostræ hac conditione ædificium posuisse, ut duos solidos annis singulis Ecclesiasticæ rationi persoluere, & post eius obitum solum ipsum cum imposito ædificio ad ius Ecclesiæ sine dubitatione aliqua remaneret.Sed quia asserit se in tantã paupertatem peruenisse, ut eosdem duos solidos, sicut promiserat,singulis non possit annis impendere, & ob hoc unũ sibi petijt relaxari, experientia tua curet addiscere.Et si pauper ita,ut asserit, manifestè est: nostra præstatione partem mediam relaxatam uolumus, ut annis singulis nõ amplius quàm unum solidum exoluat: quia & ætatis senium, & pauperies eius indicat,ut onus quod petit, debeat relaxari. Ita ergo hoc seruari studij tui sit,ut tamen proprietatem soli atq; imposita ædificia post obitum ipsius, Ecclesiæ sollicitudine & uigilanti cura conserues.

Gregorius Fantino defensori. De xenodochio construendo. Cap. XI

EA quæ fienda mandat piæ uoluntatis intentio,ut ad effectũ ualeant peruenire, cura debeat sacerdotalis existere. Proinde experientiæ tuæ præcipimus, ut hæredibus Isidori illustris memoriæ uiri,assiduè & fortius debeat imminere, ut xenodochiũ quod author eorũ per ultimæ uoluntatis arbitriũ in Panormitana fieri ciuitate constituit,sine aliqua difficultate secundum ea quę sunt dispositа implere festinent: ne si amplius hoc adhuc negligendũ putauerint,tam nostri q̃ dei iram de legibus uenientem, quam huiusmodi dispositionem implere differentes merẽtur,incurrant.Si uerò deputata in eorum xenodochio quod fiendum est,quantitas uidet̃ fortè non posse sufficere, locũ in quo xenodochiũ ipsum fuerat constituendũ,uel quicquid ibi relictũ est,xenodochio sancti

Theo-

Theodori, qd in prædicta ciuitate à Petro quondam constitutum est, applicetur: quatenus & hæredes à sollicitudine uel labore constituendi xenodochij ualeant exui, & uoluntas defuncti salubriter sumat effectum: dum etsi in loco alio, ipsi tamē rei quicquid à testatore deputatum est, erogetur. Ita ergo experientia tua sollicitudinem gerat, ut unum è duobus sine aliqua debeat fieri tarditate.

Gregorius Pasiuo episcopo Firmano.
Mandat oratorium consecrare. Cap. XII

Epist.12 ANio comes castri Apertiensis, Firmensis territorij petitoria nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in suprascripto castro oratorium se sumptu proprio pro sua deuotione fundasse: quod in honorem beati Petri Apostolorum principis desiderat consecrari. Et ideo frater charissime, si in tuæ diocœseos, in qua uisitationis impendis officium, memorata constructio iure consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est fundos cāpulos cum conduma una, boues domitos pariū unū, uaccas duas, argenti libras quatuor, lectū stratū unum, in peculio capita quindecim, armēti capita duo, ferramenta numero quinque, præsentes liberos à tributis fiscalibus solidos sex, gestisq; municipalibus alligata, prædictū oratorium solenniter consecrabis. Presbyterū quoq; te illic constituere uolumus cardinalem: ut quotiens prefatus conditor fieri sibi missas fortasse uoluerit, uel fideliū cōcursus exegerit, nihil sit quod ad missarum sacra exhibenda solennia ualeat impedire: sanctuaria uerò susceptа cum reuerentia collocabis.

Grēgorius Pasiuo episcopo Firmensi.
De Aprutina ciuitate diu pastore uiduata.
Caput XIII

Epist.13 BEne nouit fraternitas uestra, q̄; longo sit tempore Aprutium ciuitas pastorali sollicitudine destituta. Vbi quęsiuimus diu quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus inuenire. Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis ualde laudatur, & religiosam uitam omnimodo agere dicitur: hunc uolumus, ut fraternitas uestra ad se faciat uenire, & de anima sua admoneat, quatenus in bonis studijs crescat. Et si nulla ei crimina quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obuiant: tūc hortandus est, ut uel monachus, uel à uobis subdiaconus fiat. Et post aliquantulum temporis si deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoueri. Si qua uerò grauia obuiant, multo magis admonendus est, ut sæculum relinquat, & hęc perfectius defleat. Peto autem ut pro me orare debeas, quia cum tribulationibus cordis fatigor nimijs doloribus corporis.

Gregorius Opportuno de Aprutio. Contristari non debere de admonitione sua. Cap. XIIII

Epist.14 PEruenit ad me, quia ex eo tempore quo dilectionē tuā uerbis asperis propter quædā quę mihi iure displicuerant, contristaui: magna sibi sit oborta tristitia, atq; continuus animi mœror. Vnde te dilectissime fili uolo cognoscere: quia ego il la uerba non asperitate cordis, sed amore tuæ animæ sum locutus. Tu itaque ad omnipotentem deum tota mente conuertere, quantum sit fugitiua uita pręsens considera, æterna præmia lucrari festina, in quantum uirtus sufficit, castiga carnem quæ quando in uoluptatibus uixit, animam mortificauit. Benignitatem tuam proximis exhibe, psalmodiæ & lachrymis horas uitæ frequentius impende, illata mala à proximis æquanimiter tolera. Si contra ueritatem iniuriam pertuleris, lucrum puta, ut hæc agens, per temporalia quæ despiciendo pateris, ad cœlestia regna pertingas. Omnipotens autē deus, & cor, & corpus tuum cœlestis gratiæ salute perfundat, ut de eius spiritu, & recta interius sentire, & recta exterius sufficias agere.

Gregorius Fantino defensori. De morte Primogeniti notarij. Cap. XV

COgnoscat experientia tua Primogenitum notarium nostrum de hac pro peccatis luce transisse. Et quoniam sanctam Romanam, cui authore deo deseruimus, Ecclesiam, & coniugem suam, quæ se tuitioni Ecclesiasticæ postea commendauit: hæredes, necnon & filium fratris sui, in unā unciam hæredem idem noscitur reliquisse: ea propter statim ut hoc præceptum susceperis antequā eū quisquā obijsse cognoscat, & in substantia illius aliquid fraudis committat, ad locum in quo res eius sunt reconditæ, sine mora curabis accedere: & cum omni sollicitudine ac diligentia studij tui sit præsente Consentio puero, qui rerū ipsarū custos esse asseritur, adhibitis testibus solenniter ac subtiliter facere, ut res in loco tutissimo, ut utile præuideris collocentur: quatenus apto tempore huc cū eodē puero, deo auxiliāte, ualeāt tranimitti. Sed & cętera in quibuslibet rebus siue corporalibus quæ de substantia ipsius esse dideceris, cum omni strenuitate in unum congregare, & constituere festina, ut nihil de eius possit qualibet occasione deperire substantia. Hæc igitur omnia ita sollicita & subtili stude cura peragere, ut te illic posito ne dispendiū in rebus ipsis eueniat, & cuiuslibet fraudis sub qualibet occasione sine exquisitione locus aliquis patere non ualeat. Summa uerò reddituum eius quæ sit, nobis pariter tuis scriptis indicare festina.

Gregorius Romano defensori. De rationibus Bonifacij Numerarij. Cap. XVI

EXperientiam tuā nō latet in rationib⁹, quòd Epist.16 Bonifacij Numerarij nostri suorum aliquid apud te interesse audiuimus: propter quod partē aliquam substantię suæ xenodochio quod ad beatum Petrum Apostolorum principem constitutū est, dereliquit, & suam nobis coniugem commendauit. Et ideo quia Laurentius uir clarissimus præsentium portitor pro rationibus ipsis, id est, nonæ ac decimæ indictionis faciendis transmissus est, huius tibi præceptionis serie iniungimus: ut ei hac in causa quocunque necesse fuerit præbere solatia, atque eum æquitate seruata iuuare festines: quatenus dum te sollicito rationes ipsæ sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsæ salubriter fuerint terminatæ, & pauperũ fiat utilitas, & mulieris quæ cõmendata est quies procuretur atq; securitas. Quia uerò nosti quemadmodum causæ, & maximè tales agantur, si forsitan uideris, quia rationes ipsę finiri sine dispendio non possunt, ad glorioſissimũ Leontium unà cum reuerendissimo fratre, & coepiscopo nostro Ioanne te ire necesse est, & communi cum eo consilio agere, & ad quantum potueris loqui ei promittere quicquid uel ipsi, uel diuersis dandum suffragatoribus fuerit, dummodo per partes non eat, sed celerius finem accipiat. Illud autem præ omnibus tractare uos conuenit, utrum cum prædicto glorioſissimo uiro antequam rationes incipiantur, aut certè loqui propterea debeatis: ne forte causa in examinatione missa, nobis postea ad decidendum difficultatẽ adducat. Sed quia melius in præsenti quid oporteat, poteris aduertere: quod utilius uisum fuerit, agite. In hac tamen promissione sollicitos uos esse necesse est, ut omnia inibi comprehensa pro totius causæ decisione plura solidis nullo modo promittantur, indicantes ei, si causa exegerit, quia pauper omnino defunct⁹ est. Quod ut ita esse cognoscat, exemplar rerum inuentarũ de substãtia ipsius præuidimus dirigendũ. Quod si forte apud prædictam solidorum quantitatem cõsentire noluerit: eligimus potius hoc quod peruenit ad xenodochiũ reddere, quàm inanem inuidiam sustinere. Si uerò consenserit, studiose agendum est, ut exinde securitas remittatur, quatenus post datam securitatem, & decisionem causa recidiua exinde alterius nullo modo ualeat quæstionis suscitari. Quod autem dederis; tuis rationibus imputamus.

Gregorius Azimarcho Scriboni.
De rationibus Bonifacij. Cap. XVII

Epist.17 MAgnitudinem uestram quo tempore hic in Romana urbe fuit, cognouisse recolimus Bonifacium quondam numerarium cõdito testamento partem aliquam hæreditatis suæ xenodochio quod ad sanctum Petrum apostolorum principem situm est, reliquisse. Et quoniã gerere nos sollicitudinem diximus, ut ad glorioſum filiũ nostrum Leontium persona pro exponendis rationibus ipsius mitteretur, curã, ut compleri debuisset, habuimus. Idcirco quia Laurentius uir clarissimus præsentiũ portitor ad hoc illuc noscitur esse transmissus: magnitudinem uestram paterna dilectione salutantes, petimus, ut ei hac in causa concurrere, atq; uestra, sicut de uobis confidimus, salua iustitia impendere patrocinia debeatis: quatenus dum sinceriſſimæ bonitatis uestræ fuerit opesuffultus, & de uiduitate mulieris quondam Bonifacij, & de pauperib. quibus, sicut diximus, idem Bonifacius hæreditatis suæ partem aliquam dereliquit, mercedem apud omnipotentem deum acquiratis.

Gregorius Azimarcho Scriboni.
De naufragio eius. Cap. XVIII

Epist.18 QVanto nos cognitus casus uestri naufragij contristauit, tanto subsequens epistola relevauit, quòd magnitudinem uestrã incolumem ad Siciliam peruenisse cognouimus. Et creatori nostro gratias agim⁹, qui solita uos pietate protexit, & de maris periculo liberauit. Vnde necesse est, ut dei misericordiam quam in uobis sæpe collatam inspicitis, ita semper in omni actu præ oculis habeatis, ut eius in uobis gratia cumuletur, & sicut ab exterioribus periculis, ita quoq; ab interioribus eripiat. Paterna igitur dulcedine salutantes petimus, ut de uestra nos incolumitate quotiens se occasio dederit releuetis.

Gregorius Maurilioni expræfecto.
Vt sæpius scripta sua ei dirigat. Cap. XIX

Epist.19 VAlde miramur, quòd nos de Sicilia uenientib. diuersis gloria uestra incolumitatis suæ nuncio releuare postponit. Et utrũ obliuioni charitatis, an occupationi debeat reputari, nescimus. Et ideo salutantes paternæ charitatis affectu petimus, ut quotiens scribendi se occasio dederit, de uestra nos salute, & qualiter circa uos agatur, refouete: quatenus dum secundum desiderium nostrum de prosperitate uestra læti fuerimus effecti, redemptori nostro pro uobis agere gratias ualeamus. Omnipotens deus misericordiæ suæ uos gratia tueatur, & ab omni aduersitate seruet illæsos atq; custodiat.

Gregorius Maurentio magistro militum.
Comitiolum commendat. Cap. XX

Epist.20 VEniens dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus laudabile Comitioli studium, & quam utilitatem Vrminati castro fecerit, indicauit. Sed & multa de eo bona diuersis testificantibus olim cognouimus. Et quia eum apud uos, sicut antè fuit, modo non esse audiuimus, gloriam uestram petimus, ut si quid est unde iustè uestros animos fortassis offendit, nobis quicquid illud est, remittatis, eiq; plenam gratiam reddere, atq; illum in ea qua apud uos dudum fuit familiaritate recipere debeatis, & uestrum illi fauorem, sicut re uera proprio, salua ratione quodcunque usus exegerit, impendatis. Ita ergo facite, ut de integro ei gratia restituta, aut ipso renunciante, aut aliis referentibus possimus agnoscere.

Gregorius Eupatori duci Sardiniæ.
Valdarichum commendat. Cap. XXI

Epist.21 CVm lator præsentiũ Valdarich illa nos pro sua commendatione scribere postulet, quæ magnitudinem uestram equitatis intuitu sine cuiusquam etiam intercessione non dubitamus efficere, petitionem ipsius minimè despiciendã prospeximus. Quia ergo cum uxore sua quam hic de Romana ciuitate esse perhibet, ut reuerti sicut desiderat ualeat, uestris se posćit patrocinijs adiuuandũ: paternæ dilectionis salutantes affectu petimus, ut hac in re magnitudinis uestrę tuitionem habeat, & à nullo eos illic contra rationis ordinẽ impediri permittatis, sed desiderijs eorum pro uestra mercede adesse & concurrere debeatis: quatenus & illi se adiutos uestra ope cõgaudeant, & magnitudo uestra poscentibus impendisse quod iustum piumq; est, uideatur.

Gregorius

Gregorius Ioannī ſubdiacono Rauennæ.
De monachis monaſterij Claudij abbatis. De peculiaritate à monaſterijs funditus extirpāda. Et de quibuſdā ſcriptis nō rectè à Claudio abbate tranſſcriptis. Cap. XXII

Epiſt.22 VEnientes monachi monaſterij quondā abbatis Claudij, petiuerunt ſibi Conſtantium monachum abbatem debere conſtitui. Quos ualde ego in ſua petitione deteſtatus ſum: quia mihi terrenæ mentis eſſe omnino apparuerūt, qui terrenum nimis hominē abbatem quæſiuerūt habere. Cognoui enim quòd idem Conſtantius peculiaritati ſtudeat. Quæ res maximè teſtatur eū cor monachi nō habere. Ac deinde cognoui: quia ad monaſterium quod in Piceni prouincia ſitum eſt, ſolus pergere ſine aliquo fratrum ſuorū preſumpſit. Ex qua eius actione cognoſcimus, quia ſi ſine teſte ambulat, rectè non uiuat. At quomodo alijs regulam teneat, quam ſibijpſi neſcit tenere? Ab hoc igitur recedentes, cellerarium quendam nomine Maurum petiuerūt, cuius uitæ atq; induſtriæ multa teſtificantur, quia & quondam abbas Claudius eum quibuſdam laudabat. Tua itaq; experientia ſollicitè requirat, & ſi eius uita ad locum regiminis digna eſt, à reuerendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Mariniano hūc abbatem ordinari faciat. Si uerò eſt quod ei omnino obuiet, & ex ſua cōgregatiōe inuenire aptū minimè poſſunt, ipſi ſibi aliunde eligant, & is quem elegerint, fiat. Hoc autem prædicto fratri, & coepiſcopo noſtro omnino dicere ſtude, ut peculiaritatem à quatuor aut quinq; monaſterij monachis in quibus corrigi hactenus minimè potuit, ſtudioſiſſimè compeſcat, & hoc ipſum monaſterium à tali peſte mūdare feſtinet: quia ſi illic peculiaritas à monachis habetur, nec concordia nec charitas in congregatione eadem poterit permanere. Quid eſt autem habitus monachi, niſi contemptus mundi? Quomodo igitur mundum deſpiciunt, qui in monaſterio poſiti aurum quærunt? Ita igitur tua experientia faciat, ut neq; loci ordinationem differat, neq; ad nos ulterius hac de re querela perueniat. Præterea quia idem chariſſimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquentem de prouerbijs, de canticis Canticorum, de prophetis, de libris quoq; Regum, & de heptatico audierat, quę ego ſcripto tradere præ infirmitate non potui, ipſe ea ſuo ſtilo dictauit, ne obliuione deperirēt, ut apto tēpore hæc eadē mihi inferret & emendatius dictarentur. Quæ cùm mihi legiſſet, inueni dictorū meorū ſenſum ualde in multis fuiſſe permutatum. Vnde neceſſe eſt ut tua experiētia omni excuſatione atq; mora ceſſante, ad eius monaſterium accedat, conuenire fratres faciat, & ſub omni ueritate quantaſcunq; de diuerſis ſcripturis chartas detulit, ad medium deducāt. Quas tu ſuſcipe, & mihi celerrimè tranſmitte. De tuo autem reditu quia moleſtiam tua lidam incurriſſe cognouimus, deo propitio in ſubſequenti cogitamus. Illud autem quod ad me quorundam relatione perlatū eſt: quia reuerendiſſimus frater & coepiſcopus meus Marinianus legi commenta beati Iob publicè ad uigilias faciat, nō gratè ſuſcepi: quia non eſt illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimētum magis quàm prouectum generat. Sed dic ei ut commenta Pſalmorum legi ad uigilias faciat, quæ mentes ſecularium ad bonos mores præcipuè informant. Neq; enim uolo dū in hac carne ſum, ſi qua dixiſſe me cōtigit, ea facilè hominibus innoteſci. Nam quia dilectiſſimæ memoriæ Anatholius diaconus quærenti ac iubenti Romano imperatori librū regulæ paſtoralis dedit, ęgrè ſuſcepi: quē ſanctiſſimus frater & coepiſcopus meus Anaſtaſius Antiochenus in græcam linguam trāſtulit. Et ſicut mihi ſcriptum eſt, ei ualde placuit, ſed mihi ualde diſplicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur. In parte autem tertia beati Iob in eo uerſu in quo ſcriptum eſt: Scio quia redemptor meus uiuit, ſuſpicor quia prædictus frater & coepiſcopus meus Marinianus mendoſum codicem habeat. Nam in ſcrinio noſtro idem locus aliter habetur q̄m hæc in aliorum codicibus eſſe cognoui, atq; ideo eundem locū releuari feci, ut ſicut in ſcrinio noſtro eſt ita quoq; hunc & ſæpefatus frater meus habeat. Quatuor enim uerba ſunt, quæ ſi eidem loco deſuerint, non modicum poſſunt lectori ſcrupulum generare. Hæc omnia ſubtiliter & celeriter exquire. Et ſi apud excellentiſſimum exarchum nihil potes, uel hæc non uidearis neglexiſſe quę potes. De loco autem Albini quid dicam, de quo uobis apertè contra iuſtitiam reſpondetur? De quo tamen debes diſtrictius cogitare. Præterea aliquantum temporis experientiæ tuæ præceperamus, ut apud eminentiſſimum filium noſtrum præfectū ageret, quatenus cura formarum committi Auguſto debuiſſet, pro eo quod omnino ſollicitus atq; ſtrenuus uir eſt. Et ita hactenus diſtuliſti, ut nobis nec quid egeris indicares. Et ideo apud eundem eminentiſſimum filium noſtrum uel modo omni agere intentione feſtina, ut formæ prædicto clariſſimo uiro per oīa cōmittantur, quatenus ſollicitudine ſua aliquid in eas ualeat reformare. Nam ſic deſpiciuntur atq; negligunt formę ipſæ, ut niſi maior ſollicitudo fuerit, intra paucū tēpus omnino depereant. Sicut ergo noſti q̄ neceſſaria cauſa ſit & generalitati utilis ſit, ſtudēdum tibi eſt, ut prędicto, ſicut diximus, uiro pro ſollicitudine ſua modis omnibus committantur.

Gregorius Maurentio magiſtro militū. De ſellis plectilibus dirigendis. Cap. XXIII

Epiſt.23 COgnoſcat gloria ueſtra mandaſſe nos Anthemio ſubdiacono, ut aliquantas ſellas plectiles nobis dirigere ſtudeat. Aut ſi factas non inuenerit, ipſum ad ſe artificē tollat, ut in domo ipſius debeat laborare, & uel. xxiiij. ſellas omnino bonas faciat. Et ideo quia oīno nobis ſunt neceſſariæ, gloria ueſtra ut hoc fieri poſsit prouideat. Et ſi fortè uos iam aliquas conquiſiſtis, nobis eas tranſmittite. Sed & Iuliano uiro clariſsimo maiori excellentiæ ueſtræ, aut ſi quis alter habuerit eas nobis mittere procuretis. Ita ergo gloria ueſtra faciat ut hæc quæ ſcripſimus, ſollicitudinis ueſtræ debeant modis omnibus inſtantia procurari.

Gregorius Maurentio magistro militum.
De trabibus in Ecclesia sancti Petri necessarijs.
Caput XXIIII

Epist.24 PRopterea quòd in Ecclesijs beatorum Petri & Pauli trabes sint necessariæ, omnino Sabino subdiacono iniunximus, ut aliquantas de partibus Britannorum incidere, & ad locũ unde huc per mare duci possint, trahere debeat. Sed quoniam solus hoc facere non assurgit, Arogi scripsimus, ut homines qui sub eo sunt, cum bobus suis, in eius deputet ire solatijs, promittẽtes quia dum res perfecta fuerit, dignum ei xenium transmittemus. Gloria ergo uestra unã Epistolam nostram ad eum sub urbana persona studeat sub celeritate transmittere, quæ ei hoc quod scripsimus deferat, ut antedictus subdiaconus uoluntatẽ ipsius possit agnoscere. Si uerò naurigij prosperitate inuenta discesserit, cuncta ei gloria uestra per suas Epistolas innotescat, ut sciat quid agere debeat, sed & nobis similiter quæ acta fuerint, indicate.

Gregorius Arogi duci. De trabibus in Ecclesijs sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli. Ca. XXV

Epist.25 QVia sic de gloria uestra sicut re uera de filio nostro confidimus, petere aliqua à uobis fiducialiter prouocamur, arbitrãtes quòd minimè nos patiamini contristari, maximè in tali re, unde anima uestra multũ poterit adiuuari. Indicamus autem propter Ecclesias beatorum Petri & Pauli aliquantas nobis trabes necessarias esse, ideo Sabino subdiacono nostro iniunximus ut de partibus Britannorum aliquantas incidere, & usq; ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re solatijs indiget, salutantes gloriã uestram, paterna charitate petimus, ut actionarijs uestris, qui in illo loco sunt, deputetis, ut homines qui sub eis sunt, cum bobus suis in eius transmittere debeant solatium, quatenus uobis concurrentibus melius quod ei iniunximus, possit perficere. Nos em̃ promittimus quia dum res perfecta fuerit, dignum uobis xenium quod non sit iniuriosum transmittemus. Nam scimus nos considerare, & filijs nostris qui bonam uoluntatem exhibent, respondere. Vnde iterũ petimus gloriosissime fili, ut ita facere debeatis, ut & nos uobis possimus esse præstito beneficio debitores, & uos mercedem pro sanctorum Ecclesijs habeatis.

Gregorius Gregorio expræfecto.
De trabibus in Ecclesijs sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Cap. XXVI

Epist.26 SCientes quanta erga beatorum Petri & Pauli Ecclesias in gloriæ uestræ mente maneat dilectio, uestrum nobis post deum adiutorium scriptis discurrentibus adhibere necessariò procuramus, confidentes facilè uos & deuotè quicquid pro earum utilitate cognoscitis impartire, quibus gloriam uestram etiã sponte non dubitamus uelle præstare. Et ideo quia in prædictis Ecclesijs trabes omnino sunt necessariæ, atq; Sabino subdiacono ut interim usq; ad xx. incidere festinet, & ad mare trahere debeat iniũximus, paterno salutantes affectu petimus ut gloria uestra de possessionib. quas illic in emphiteosim habet, hac in re homines cùm bobus suis faciat præbere solatia, quatenus & ipse uestra opitulatiõe suffultus, ad ea explenda quę sibi iniuncta sunt, possit esse idoneus, & uos mercedem ualeatis acquirere. Ita ergo, sicut diximus, ut & uobis confidimus, agite gloriosefili, ut & nos uobis gratias referamus, & beatos Apostolorum principes pro amore & dilectione uestra quam eorum Ecclesijs exhibetis, habeatis in omnibus adiutores.

Gregorius Stephano. De trabibus conducendis. Cap. XXVII

Epist.27 QVanuis fraternitatem uestrã officij sui qualitas pro Ecclesiarum utilitatibus ultro solatiari cõmoneat, non tamen ab re est, si illud ex abundanti nostra hortemur Epistola, quod facere uos conuenit prona uoluntate. Proinde in Ecclesijs beatorum Petri & Pauli trabes ualde necessarias fraternitati uestræ duximus indicandum. Et quoniam Sabino subdiacono ut aliquantas incidere, & usq; ad mare trahere debeat, unde huc adduci ualeant iniũximus, atq; in ea re manifestum est eum opus habere solatijs, sanctitas uestra ut oportuerit, ei toto studio totaq; intentione opem ferre studeat, ac in eius solatio boues homines q; transmittat, ut nullam excusationem inueniat, sed quæ ei præcipimus, uobis opitulantibus implere sufficiat. Ita ergo fraternitas uestra faciat, ut ei se quantum ualet impendat. Nam quantum prædicti subdiaconi culpa est, si uobis concurrentibus piger extiterit, tanto culpabilius erit & grauius, si qua se occasione fraternitas uestra aut excusare, aut indeuotam, quod non credimus, monstrare uoluerit. Debes autem scire hanc fraternitati tuæ curam uehementer incumbere, cuius Ecclesię trabes olim cultu proprio consueuerat procurare.

Gregorius Romano defensori. De filijs Petri defensoris. Cap. XXVIII

Epist.28 PEtrus quẽ defensorẽ fecimus, quia de massa iuris Ecclesiæ nostræ quæ Vitelas dicitur, oriundus sit, experientiæ tuæ bene est cognitum. Et ideo quia ita circa eum benigni debemus existere, ut tamen Ecclesiæ utilitas non lædatur, hac tibi præceptione mandamus, ut eum districtè debeas commonere, ne filios suos quolibet ingenio uel excusatione foris alicubi in coniugio sociare præsumat, sed in ea massa cui lege & conditione ligati sunt, socientur. In qua re etiam & tuam omnino necesse est experientiam esse sollicitam, atq; eos terrere, ut qualibet occasione de possessione cui oriundo subiecti sunt, exire non debeant. Nam si quis eorũ exinde, quod non credimus, exire præsumpserit, certum illi sit quia noster cõsensus nunquam illi aderit, ut foris de massa in qua nati sunt, aut habitare, aut debeant sociari. Sed & supradictam terram eorum sciatis uos non leue periculum sustinere, si uobis negligentibus quisquam ipsorum quicquam de ijs quæ prohibemus, facere qualibet sorte tentauerit.

Gregorius Maurentio magistro militum. De filio Domitij relaxando. Cap. XXIX

Epist.29 PEtijt Domitius uir magnificus, ut uestræ gloriæ scribere deberemus quatenus nauiganti

bus

bus aliis, & filio suo similiter esset licentia nauigã A
di. Et quanuis de gloria uestra certi simus quia ni
hil quod indiscretum est faciat, sed omnia sapien-
ter intendat, hortamur tamen ut si alij relaxantur,
ille non debeat retineri: ne forsitan non ex ratio-
ne, sed sola fratrum inimicitia retineri uideatur.
Vos tamen qui præsentes estis, æquitatis conside
ratione generalem etiam utilitatem attendentes,
melius quid expediat potestis aduertere.

Gregorius Quertino ex præfecto. De Bonito uiro glorioso. Cãp. XXX.

Epist.30 EPistolam gratiæ uestræ suscepimus, in qua scripsistis ut pro glorioso Bonito filio nostro agere debeamus, quatenus præfecturæ illi administratio committatur. E quidem nos eundem fili um nostrum non modo, sed multi sunt anni quòd nouimus, & idcirco concurrere illi per omnia festinamus, sed non in illa re de qua amaritudines possit & tribulationes assumere. Nam administra tio ipsa uni priori ipsius & alteri minori oblata est & miscere se nullo modo uoluerunt, scientes omnino graue esse, & præsertim in hoc tempore administrationem suscipere. Si ergo illis graue fuerit, quanto magis isti debet esse difficile qui nobis in actione est? Additur quia inutile & ualde labo Prou. 18. Vt. Malum. rioſum est, hominem literatum ratociniorũ causas assumere, & in eis se, quod non expedit, obligare. Super hæc autẽ res illa nos reuocat: quia nul lum de hac actione bene exisse recolimus nisi gloriam uestram, de qua omnipotentem dominũ pe- C timus, ut eam usq; ad finem continua protectione custodiat. Et ideo hoc considerantes, in eius læ sione miscere nos noluimus. Nã quod modo putatur utile, certum est quia postmodum plenũ laboris erit atq; dispendij. Si autem sic utilitatibus suis æstimat oportere, & uult agere ut hæc administratio sibi cõmittatur, nos cõtrarij non sumus, sed etiam modo futuris tribulationibus ipsius cõ dolemus, quia quid passurus sit, exemplo præcedentium non nescimus.

Promissio cuiusdam episcopi hæresim suã anathematizantis. Cap. XXXI.

Epist.31 QVotiens cordis oculus nube erroris obductus, supernæ illustrationis lumine fit serenus, magna cautela nitendum est, ne latenter au- D thor schismatis irruat et ab unitatis radice eos qui ad eam reuersi fuerant, telo iterum erroris abscindat. Et ideo ego ciuitatis illius episcopus, cõperto diuisionis laqueo quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona & spontanea uoluntate ad unitatem sedis Apostolicæ diuina gratia duce reuersus sum. Et ne praua mente, seu simulatè reuersus existimer, sub mei ordinis casu spondeo, & anathematis obligatione, atq; promitto tibi, & per te sancto Petro Apostolorum principi, atq; eius uicario beatissimo Gregorio, uel successoribus ipsius, me nunquam quorumlibet suasionibus uel quocunq; alio modo ad schisma, de quo redemptoris nostri misericordia liberãte ereptus sum, reuersurum: sed semper me in unitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ, & cõmunione Romani pontificis per oñia permansurũ. Vnde iurãs dico per deũ omnipotentẽ, & hæc sancta quatuor Euangelia, quæ in manibus mẽis teneo, & salutem gentium atq; illustriũ dominorũ nostrorũ rempublicã gubernantiũ, me in unitate, sicut dixi, Ecclesiæ catholicæ, & communione Romani pontificis semper & sine dubio permanere. Quòd si, quod absit, aliqua excusatione uel argumento ab hac me unitate diuisero, periurij reatum incurrens, æternæ pœnę obligatus inueniar, et cum authore schismatis habeam in futuro seculo portionem. Hanc autem confessionẽ promissionisq; meæ chartulã notario meo cũ cõsensu presbyterorũ, & diaconorũ atq; clericorũ qui me in hac unitate obligantes, in B suprascriptis omnibus prona simul uoluntate secuti atq; pprijs manib. subscripturi sunt scribendã dictaui, & propria manu subscribens tibi tradidi. Acta in loco illo die & consule suprascriptis. Subscriptio episcoporum illorum. Ego ille episcopus ciuitatis illius huic confessioni promissioniq; meæ præstito de conseruandis suprascriptis omnibus sacramento subscripsi.

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ. De per uersitate Paulini Regensis episcopi. Cap. XXXII

Epist.32 QVia bene olim est cognitum fraternitatem tuã sacerdotali grauitate, & zelo esse Ecclesiastico decoratã, satis oportere prospeximus ut interesse ad cognoscenda ea quæ correptionis in digent debeas, ne si fuerint dissimulatione postposita, licitum esse sibi credat quisq; quod potest. Qualiter autem fratrem nostrum Paulinum Regensis ciuitatis episcopum clerus suus, uel hi qui in sacro sunt ordine constituti, in se perhibeãt corporaliter excessisse, audire non indiges, quippe quia priusquam hæc ad nos querela pertingeret, tibi iam factum est sicut eis asserẽtibus didicimus manifestum. Et quoniam præpositis in subiectorum pœna fas esse non debet sæuiendi, Victori fratri et coepiscopo nostro qui primatus inter uos locum tenet, curauimus scribendum, ut unà cum tua fraternitate uel cum alijs fratribus & coepiscopis nostris quos adhibere prospexeritis, inter me moratum fratrem & consacerdotem nostrum & clerum ipsius causa subtili debeat inuestigatione cognosci. Et ideo dilectio tua immineat atq; sollicitudinem gerat, ut ea quæ ad nos perlata sunt, inaudita non transeant, ne discordia in Ecclesia unde magnopere pellenda est nutriatur. Et si quidẽ contra eum clericorũ suorũ uera querela est, culpam suam quam sponte emẽdare despexit, in Ecclesiastici uigoris diffinitione cognoscat, ut & de præsenti sentiat quam sit graue quod fecit, & discat de futuro nil se plus agere posse quã licet. Præ omnibus igitur hortamur, ut zelũ quẽ propter deum habere te nouimus, ardentius studeas exercere. Et quia memoratus frater noster Paulinus Ecclesiasticos ordines per simoniacã dare hæresim, quod audire nephas est, dicitur, unà cum antedicto primate uel alijs, subtilius hoc & cum omni diligentia tibi sit curæ perquirere. Et si ita, quod absit, inuentum fuerit, studendum atque agendum est, ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

eſt,ut eum qui præmium accipere, & eum qui da re non metuit,canonicæ ultionis ſententia feriat, quatenus horum emendatio multorũ poſſit eſſe correptio. Et priuſquam hæc radix mortifera con ualeſcat, & plures interimat, totius concilij diffinitione damnetur, ut nullus unquam pro quouis ordine accipere, nullus dare aliquid audeat, nec quiſquam ex gratia ſed ex merito promoueat̃,ne & ordo Eccleſiaſticus cõfundat̃,& ſit ꝓbitas uitę deſpectui,ſi præmium meriti indignus acceperit. Hilario autem chartulario noſtro iniunximus, ut ſi cauſa popoſcerit,cognitioni ueſtrę intereſſe nõ renuat.Si ergo neceſſarium fuerit,ueſtris illum apicibus ut illuc uenire debeat,facite certiorẽ, qua tenus ſimul cum ipſo tractantes, melius decernere quæ ſtatuenda ſunt debeatis.

Gregorius Victori epiſcopo. De Paulino Regenſis ciuitatis epiſcopo. Cap. XXXIII

Epiſt.33 QVanto nobis lætitiæ eſt fratres noſtros cognoſcere erga filios ſuos paterna charitate eſſe ſollicitos, tanto triſtitiæ deputamus, quando eos ab illicitis nec aliorum fratrũ reuerentia, nec ſacerdotij prẽualet cõſideratio temperare.Quàm igitur grauis & aſpera aduerſus fratrem noſtrum Paulinũ Regenſis ciuitatis epiſcopũ, clericorum eius uel eorum qui in ſacro ſunt ordine poſiti, ſit querela, fraternitati tuæ liquere non dubium eſt: quia latere te in uicino nõ potuit quod ad nos in longinquo peruenit. Et quoniã ualde cauendum eſt ne hoc quod eum fruſtra in ſe corporali iniuria querũtur excedere, aut licitè præſumatur, aut fiat diſſimulatione deterius, ſic manifeſti exceſſus canonica ſemper moderatione premẽdi ſunt,ut una res & præteritorũ correptio, & eſſe poſſit regula futurorũ. Proinde ſimul cum dilectiſſimo communi fratre Columbo epiſcopo uel alijs ſacerdotibus quos præuideris inter ſupraſcriptũ fratrem noſtrũ & clericos ipſius cauſam ſubtili inueſtigatione rimari te conuenit. Et ſi ſuplicantiũ querela ueritate ſubſiſtit,ita hoc regulari emendatiõe corrigite,ut & cẽꝑ ſit malũ quod ſęcit agnoſcat,& officij ſui terminos diſcat de cætero non exire.Nec loci tui,ſicut dicitur,ab eo poſtponi ordinem patiaris,ne illi deſpectus ſuus ad periculum, & tibi fiat ad culpam. Nam ad perſonã in priori loco poſitã reſpicit quicquid cõmittit̃, niſi ſollicitè cognoſcatur.Illud aũt quod idem frater noſter Paulinus Eccleſiaſticos ordines dare ſub præmio perhibetur: ſubtilius à uobis & omnino diſtrictè quęrendum eſt.Et ſi ita,quod nõ optamus,eſſe clarụerit,ſic ad ulciſcendum hoc ueſter ſe propter deum zelus accendat, ut & ordinanti auaritia ſua cõuertatur ad pœnam,& illicita ordinatio effectu carens,ambitionis ſuæ deſiderio nõ fruat̃. In qua re hortamur atq; præ omnib. admonemus,ut ita fraternitas ueſtra ſtudeat eſſe ſollicita, quaten⁹ priuſquã unius uitio, ſimoniacæ illic hæreſeos nequitia conualeſcat,ſententiæ ueſtræ facto ex opere conſilio radicitus amputetur. Nam quiſquis ad hoc facinus emendandum officij ſui conſideratione uehementer non arſerit, cùm ipſo non dubitet habere portionẽ, à quo prius hoc peculiare flagitiũ ſumpſit exordium. Et ideo, ſicut diximus,hinc uigilanter atq; ſtudioſe agendum eſt, ut concilium ueſtrum quod nuncuſq; ſine huiuſmodi praua opinione deo cuſtodiente ſeruatũ eſt,huius ſceleris uenena nec polluere poſſint,nec perdere. Præterea Hilario chartulario noſtro præcipimus,ut ſi res exegerit, intereſſe uobiſcũ non differat. Vnde ſi neceſſe fuerit,ueſtris illi ut ad uos uenire debeat,epiſtolis indicate, quatenus omnia unà cum eo ſalubriter deo poſſitis adiuuante dirimere.

Gregorius Ioanni epiſcopo primæ Iuſtinianæ. De Paulo Dyaclinæ ciuitatis epiſc.lapſo Cap. XXXV

QVando mala quæ pœnitentiæ fletu purganda ſunt,augẽtur exceſſibus,ita maior delinquentibus eſt adhibenda correptio, ut & ipſi facinus ſuũ ſaltem pœna uindicante cognoſcãt, & alios ab illicitis Eccleſiaſticæ tuitionis timor inhibeat. Dilectiſſimus itaq; lator præſentiũ Nemeſion ad nos ueniens indicauit, ſicut & geſtorum exemplaria quæ huc detulit cõtinebant, Paulum Dyaclinæ ciuitatis epiſcopum inter alia mala in corporale crimen lapſum, à ſuis fuiſſe clericis accuſatum,atq; habita cognitione,ita, quod ſine dolore dicere non poſſumus, claruiſſe: atq; inſuper poſtquàm conuictus eſt,etiam libellum in quo ea de quibus accuſatus fuerat uera eſſe confeſſus eſt, obtuliſſe.Qua de re, ſententia illum epiſcopali de poſitum,& ſe eius loco cum fraternitatis ueſtræ conſenſu eſſe epiſcopũ ordinatum.Sed nunc eundem Paulum cum auxilio quorundam ſecularium iudicum uenientem epiſcopium more prædonis ingreſſum,ablatisq; uiolenter rebus Eccleſiæ ab eo ſe proiectum,ac ſummma iniuria ad necem penè perductum.Et quoniam tantę nequitiæ prauitas nec diſſimulanda, nec leuiter attendẽda eſt, fraternitas ueſtra hæc omnia diligenter curet addiſcere:& ſi ita ſe,ut edocti ſumus, ueritas habet, prædictũ Paulum diſtricta faciat executione cõpelli,ut quæcunq; abſtulit,omni mora uel excuſatione ceſſante reſtituat. Si uerò nihil Eccleſiæ,ſed ſuum proprium dixerit abſtuliſſe, quanuis graue & iniquũ fuerit ut non à uobis uel à metropolitano eius hoc petierit,ſed temerario auſu agere præſumpſerit,ueruntamen ſi quid proprium tulit,ſub fraternitatis ueſtræ debet examinatione cõſtare, ſi uerum eſt.Sed & illud diligenter quærendũ eſt, ſi quid malè de rebus dilapidauit Eccleſiæ, ut ex eo quod nunc abſtulit, hoc reformare ac ſatisfacere modis omnibus compellatur.Si autem differre tentauerit, quouſque omne quod dilapidauit uel de ſubſtantia tulit Eccleſiæ reſtituat, in monaſterium mittẽdus eſt,ut ſaltem coactus reddat,quod malè auferre non metuit.Quod ſi fortè,quod non credimus, poſt depoſitionem ſuam inuerecundè ac mente peruerſa aliquid de epiſcopatu loqui,atque rurſus ad hoc qualibet aſpirare præſumptione tentauerit, fraternitatis ueſtræ ſe contra improbitatem ipſius omnino uigor accendat, atq; dominici corporis ac ſanguinis communione priuatum in monaſterium eum uſq; ad diem obitus ſui

Epiſt.35 Cauſa lat.

ad agen-

ad agendam curet pœnitentiã retrudendum: qua tenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emundare, quas magis in interitu animę suę nequiter augere desiderat. Suprascriptus autẽ dilectissimus filius noster Neemesion in loco suo & episcopatus officio proculdubio reformetur, & ne denuo hac de re inquietudinem ac molestiam patiat, sollicitos uos esse necesse est: quia hoc non solum ad huius munitionem, uerumetiã ad aliorum constat emendationem proficere, ut prauorum hominũ præsumptio nihil de cætero contra sacrorum canonum statuta uel Ecclesiasticam disciplinam ullo modo audeat attentare.

Gregorius Cõstantio episc. Scodritano. De Pauli facinore Dyaclini. Cap. XXXVI

Epist.36 QVæ dilectissimus lator præsentium Neemesion, qui se dicit Dyaclinæ ciuitatis esse antistitem, de facinore Pauli Dyaclini, ut ipse asserit, quondam episcopi questus sit, fraternitati tuæ fuerant subtilius indicanda, nisi scire te omnia testaretur, quippe quem & compassum sibi, & uoluisse subuenire perhibet, sed minimè potuisse. Et quia tanti causa flagitij negligi uel transiri non debet impunita: ne eius imitatione, scelesta ab alijs, quod absit sumatur audacia, fraternitas tua exemplaria scriptorum his subdita quæ ad reuerendissimum fratrem nostrum Ioannem primæ Iustinianæ ciuitatis episcopũ seruantem uices nostras direximus, diligentius relegat. Et si secundum eorum seriem explere se cuncta posse cognoscit, ea quæ illi mandauimus, ipse omnia ex nostra authoritate exequaris & facias. Si uerò hoc tibi quibusdam fortè aduersantib. obstaculis uides esse difficile, studendum est ut eadem scripta nostra ad antedictum fratrem nostrum sine excusatione perueniant. Cui etiam & te conuenit imminere, ut ea quæ ei à nobis mãdata sunt, districtius exequi, & nulla debeant occasione lentari, sed ita quę nequiter acta sunt, emendatione congrua corrigantur, quatenus una res & ultio competens delinquentis, & formido sit alijs in eodem ordine cõstitutis.

Gregorius uniuersis episcopis concilij Vizachij. De Clementio primate eorũ. Cap. XXXVII

Epist.37 Cum.4.7 Iocunio quit SIcut laudabile discretumq; est, reuerẽtiam & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis & dei timoris est, si qua inter eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere, ne totũ, quod absit, corpus incipiat morbus inuadere, si languor nõ fuerit curatus in capite. Ante multum siquidem temporis quędam ad nos de fratre nostro Clementio primate uestro perlata sunt, quæ cor nostrum nõ modico mœrore transfigerent. Sed prementibus diuersis tribulationibus, & maximè circũsæuientibus hostibus, ea nobis non fuit spatium requirendi. Et quoniam ita sunt grauia, ut transire indiscussa ullo modo non debeant, fraternitatem uestram his hortamur affatibus, ut cum omni sollicitudine ac uiuacitate ueritatis indagare substantiam multis modis debeatis: ut aut, si ita sunt, ut audita sunt, ultione canonica resecẽt: aut si falsa, fratris nostri innocentia diu sub nephandæ opinionis dilaceratione nõ iaceat. Vnde ne quis desidiæ torpor in requisitione sit, admonemus ut non cuiusquã personæ gratia, non fauor, non blandimenta, uel quodlibet aliud quenquam uestrum uel ad discutiendum quæ nobis nunciata sunt, molliat, uel à tramite ueritatis excutiat, sed sacerdotaliter ad inuestigandam uos propter deum ueritatem accingite. Nam si quis in hoc aut pigrum se, aut negligentem præsumpserit exhibere: dictis criminib. apud omnipotentem dominũ se nouerit esse participem, cuius zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi causas facinoris non mouetur.

Gregorius Firmino episcopo Histriæ De conuersione eius ad sanctam Ecclesiam catholicam. Capt XXXVIII

QVem redemptor noster de seruorum suorũ numero perire non patitur, ita misericordię suæ inspiratione cor eius illustrat, ut deserto erroris obscuro, ad cognitionẽ lucis & uiã redeat ueritatis. Vnde susceptа charissimę fraternitatis tuæ Epistola, magna in dño exultatione gaudemus, q̃ diuina te gratia ad unitatem Ecclesiæ, à qua pertinacium & imperitorum hominũ instinctu dissunctus fueras, reuocauit. Sed quia quantũ antiquus hostis superatũ se conspicit, tanto insidiari acrius non quiescit, omnino sollicitum uigilantemq; te esse conuenit, atq; scutum cõstantiæ contra iacula ipsius præparare, ut illisa frangantur, & uim interius penetrandi non habeant. Nulla ergo te charissime frater rerum desideria, nulli terrores, nulla blandimenta, nullæ seductiones, quæ uenenatis uerborũ sagittis animas inficiunt, à reuersionis tuæ feruore te molliant, aut retro redire compellant: ne qui fortem superaueras, grauius à forti superaris, & captiuus, quod absit, post uictoriam te nearis: sed magis ut mater ecclesia per totum deo propitio orbem diffusa, ad suum te redisse gremium non inertem agnoscat, studiosissimè tibi uigilandum ac laborandum est ut tecũ possis & alios reuocare: quatenus damna quæ auersionis tuæ exemplo commiseras, non solum reuersionis bono resarcias, sed etiã lucrum exhibeas, ut ad promerendam præteritorum uenią, & futurorũ præmia capessenda plus domino tuo uidearis reuocasse q̃ tuleras. Nobis ergo omnino curæ erit, de fraternitatis tuę quiete, ut dignũ est, cogitare: quia postq̃ nobiscũ iam deo protegente unus es, non aliter utilitates tuas q̃ nostras attẽdimus. Aliqua uerò nobis de necessitatibus uestris Ioannes subdiaconus scripsit, sed credimus de dei nostri potentia, quia sanctus Petrus ad quem reuersi estis, uos deserere non debet. Modo aũt de benedictione eiusdem sancti Petri transmisimus fraternitati uestræ paraturam unã, quam uos necesse est cum ea charitate qua uobis est transmissa suscipere.

Epist.38

Gregorius Cirinno. De cura Sitonici. Ca. XXXIX

GLoriæ uestræ dudum scripta suscepimus, in quib. indicastis sollicitudini uestræ serenissimorum principum iussione curam Sitonici fuisse mandatam, atq; præceptum esse ut omnis tritici

Epist.39

quantitas quæ in horreis noſtræ eccleſiæ ſuſcepta fuerat, uobis tradi ante omnia debuiſſet, & ſcripſiſtis ut hoc ipſũ parari in ſpecies faceremus. Quod quidem quia ueſtrum, cuius ad nos quidem bona tanta perlata ſunt, non fuerit, nouimus, & ſcitis & durũ quamq; omnino difficile ſit, ut res quæ nec ſeruari, nec eo tempore ad emendũ poterat inueniri, in ſpecies reſtitui peteretur. Veruntamen ut exui ab huius rei ſollicitudine ualerem, ſtudij noſtri fuit, ut etſi cum maiori diſpendio, omnino frumenta ipſa, ſicut uoluiſtis, in ſpecies facerem pręparari. Pòſt uerò per latorem pręſentiũ Euticium uirum magnificũ qui ſe illuſtrem præfectũ eſſe cõmemorat, aliam nobis Epiſtolam tranſmiſiſtis, ut quæ ſumma eiuſdem Sitonici ab horrearijs Eccleſiæ ſit ſuſcepta, prodi inter acta publica debuiſſet. Et ideo ne per occaſionem Eccleſiæ, quædam cui quam naſci uideat occaſio ſeu excuſatio, & quantitatem, ſicut ſcripſiſtis, defenſores Eccleſiæ prodiderũt, & quæ putauerũt utilia, petiuerũt. Quod gloria ueſtra diligẽter ſolliciteq; pertractet, & uerba eorum non negligat. Nam quicquid poſt hæc in prædicti Sitonici ſpecie damni contigerit, amplius iam ad eccleſiæ diſpendiũ ſciatis nullo modo pertinere: quia nec habitatores ciuitatis iſtius, afflicti reuera homines, prædictum Sitonicum in ſuo ſe aſſerunt detrimẽto poſſe ſuſcipere. Hæc igitur omnia gloria ueſtra cognoſcens, ita de his quę ſibi ſunt commiſſa ſtudeat cogitare, ut & utilitatem publicam faciat, & huius operis pondus Eccleſiæ noſtræ denuo ad grauamen pauperum nõ incumbat.

Gregorius Deſiderio epiſcopo.
De Pancratio monaſterio monachorum ſociando. Cap. XL

Epiſt. 40 PAncratius lator præſentium, ut aſſerit, diaconus Apoſtolorũ ſe liminibus repræſentans, à nobis noſcit petijſſe, ut eum fraternitati ueſtræ deberemus ſpecialiter commendare. Intimauit etiam nobis quòd in clericatus officio ueſtræ ſit Eccleſiæ mancipatus. Vnde diuini motus inſpiratione compunctus, gratiam monaſticæ conuerſationis appetit, illicq; in eodem quem ſumpſit habitu, deſiderãs permanere, etiã diaconem ſe eiuſdem monaſterij factum eſſe commemorat. De cuius loci ſeruitio auelli nulla patitur ratione. Nunc quantum aſſerit, fraternitas ueſtra nõ quidem impedimentis intentum, ſed affectu beneuolentiæ, in officium eum ſuæ uult reuocare Eccleſiæ. Hortamur igitur ut tam promptæ deuotioni eius, quã in ſancto ſtudet habere propoſito, minimè ueſtra ſit impedimento fraternitas, magis autem quibus ualetis adhortationib. paſtorali admonitione ſuccendite, ut feruor huius deſiderij in eo non tepeſcat, ut qui à turbulento curarum ſeculariũ tumultu ſe ſegregans, quietis deſiderio portum monaſterij appetijt, rurſum in Eccleſiaſticarũ curarum non debeat perturbationibus implicari, ſed in dei laudibus permittatur ſecurè ab his omnibus remanere ut poſtulat.

Gregorius Bonito defenſori. De mancipio Fortunati abbatis. Cap. XLI

FIlius noſter Fortunatus abbas monaſterij ſancti Seuerini, quod in hac urbe Romana ſitũ eſt, latores præſentium monachos ſuos illic pro recolligendis mancipijs iuris ſui monaſterij, quæ illic latitare dicuntur, dirigens, petijt ut experientiæ tuæ ei debeant adeſſe ſolatia. Eapropter præſenti tibi authoritate præcipimus, ut eis in omnibus ſalua ratione concurrere ac opitulari feſtines: quatenus te illic coràm poſito, atq; in hac cauſa ſe rente ſolatia, ſalubriter hæc citius ualeãt quæ ſibi iniuncta ſunt ad effectũ deo authore perducere. Epiſt. 41

Gregorius Romano defenſori, Anthemio ſubdiacono, & Sauino ſubdiacono. Romanum cum hominibus ſuis cõmendat. Cap. XLII

EA quæ ſponte præbere nos conuenit, petiti negare non poſſumus. Et ideo quia glorioſus filius noſter Romanus ex prætore poſſeſſiones ſuas & homines qui in illis ſunt partibus, ueſtræ uoluit experientię cõmendari, hac uobis prę ceptione mandamus, ut poſſeſſiones hominesq; ipſius ſeruata æquitate tueri nõ deſinatis, atq; ita in omnibus cauſis utilitatibusq; ipſius cõcurrere ac ſolatiari ſtudeatis: quatenus & ille ſe hac adiutum commendatione cognoſcat, & ſalubriter iniuncta exhibuiſſe comprobemini. Epiſt. 42

Gregorius Deodato epiſc. Mediolanenſi. De Luminoſa ancilla dei, & teſtamẽto eius. Cap. XLIII

NVlli dubium eſt: quia ſicut ſacerdotibus res in epiſcopatu acquiſitas, nulla eſt alienandi licentia: ita de eis quas antè habuerint, quicquid iudicare uoluerint, non uetantur. Itaq; fraternitatem ueſtram tempore quo ad nos fuit, queſtã eſſe recolimus, quòd quædam immobilia quæ Conſtantius deceſſor ueſter Luminoſæ ancillæ dei filiæ fratris ſui teſtamenti ſerie legati titulo dereliquit, iam epiſcopus acquiſiſſet, decreuiſſeq; nos ut ſi hoc conſtaret, nullum ex his Eccleſia ueſtra præiudicium pateretur. Quod & uos oportet recolere, & moleſtiam aliquã prædictæ ancillæ dei non facere, nec ei ſine cognitione de his quæ poſſidet, quicquã auferre. Sed ſi hoc Eccleſiæ ueſtræ actores probari poſſe confidunt, ueſtris nobis Epiſtolis indicate, ut qualiter hoc ipſum conſtare debeat diſponamus: dummodo, cognita ueritate, nec Eccleſia ueſtra pati præiudicium, nec illa iniuſtè uideatur affligi: quia, quantũ aliqui perhibent, hoc ſupradictus deceſſor ueſter non in epiſcopatu, ſed dum adhuc eſſet diaconus acquiſiuit. Vnde neceſſe eſt ut ſicut diximus, facta probatione debeat conſtare quod uerum eſt. Eandem uerò ancillam dei fraternitati ueſtræ commendamus, ut à nullo eam patiatur grauari uel opprimi, ne ſi inquietata fuerit, ex huius cauſæ occaſione hoc pati quod non decet exiſtimetur. Et ideo ſi quid fortè fuerit quod debeat emendari, aut plano adhortationis ueſtræ moderamine corrigatur, aut certè nobis ſubtiliter nuncietur, quatenus & uos ab inuidia ſitis extranei, & nos quod conuenit facere nullatenus omittamus. Epiſt. 43

Gregorius Fantino defenſori. De capitib. equarum Florentino dandis. Cap. XLIIII

Experien

Epist.44 EXperientiam tuam iam credimus cognouisse, dilectissimum filium nostrum seruum dei diaconum hæredem sanctam Romanam Ecclesiam, cui, deo authore, deseruimus, reliquisse. Et quia legati titulo quatuor equarum capita Luminosæ ancillæ dei proximæ suæ dari constituit, atq; nos petente dilectissimo filio nostro Florentino diacono xenodochio Anichiorum, cui præesse dinoscitur, decem equarū capita cum emissario suo præuidimus largienda, hac tibi idcirco præceptione mandamus, ut latori præsentium qui ad hoc illic ex opere missus, tam quatuor quæ legata sunt, quàm decem equarum capita, quas xenodochio concessimus, de equabus præfati quidem diaconi simul & emissarium sine aliqua debeas excusatione uel mora contradere.

Gregorius Gennadio patricio. Droculsum de hostibus reuersum commendat. Cap. XLV

Epist.45 DRoculsus præsentium portitor de hostibus ad rempublicam ueniens, opinionis uestræ, quæ longè lateq; diffusa est, bono succensus, ad excellentiæ uestræ obsequia summo desiderio festinauit occurrere. Et quoniã nostra se apud uos posset Epistola cõmendari, paterna dulcedine salutantes, petimus ut eum sicut deus uobis in cor miserit ac utile fuerit, excellentia uestra ordinare dignetur, quatenus bona quæ de uobis etiam positus adhuc inter hostes audiuit, in se ualeat experiri, & excellentiæ uestræ eius quoq; ante omnipotentis dei oculos inter cæteras merces accrescat.

Gregorius Venantio patricio. De factis Sansonis exponendis. Cap. XLVI

Epist.46 DEsideratissimæ excellentiæ uestræ scripta suscepi, in quibus tantum de absentis collocutione gauisus sum, quantũ ipsum qui locutus est, semper mihi cupio esse præsentẽ. Vultis ergo quædam de Sansonis factis allegoricè disserantur, sed tanta mihi debilitas corporis accidit, ut si qua subire ualuerint, exercere animus non assurgat. Bono autem desiderio uestro congaudeo, quia dum expositionem sacrorum uerborum cupitis, quàm strictè ipsum authorem eorundem uerborũ quæritis, demõstratis. Si igit̃ uires salutis accepero, authore omnipotẽte domino uestris desiderijs parebo. Oro autem ut in cunctis actibus uestris gratia uos superna custodiat, quatenus in bono opere & aspirando uos repleat, & adiuuando confortet.

Gregorius Panthaleoni notario. De argento Ecclesiarum secum deferendo. Cap. XLVII

Epist.47 EXpectabamus ut nos experientia tua de argento Ecclesiarum, uel alijs quas inuenit rebus omnino subtiliter redderet certiores, ut eius renunciatione quod fieri debuisset, deliberare minutius potuissemus. Sed non nos ita renunciatio tua ut oportebat instruxit. Curæ ergo tuæ sit, ut argentum Ecclesiarum quod clerus & populus habet, apud quos præuideris, in cimiliarcho Ecclesiæ sub omni sollicitudine atq; cautela deponas, atq; de eodem deposito inde susceptum accipias. Argentum uero Ecclesiarum quod pro peccatis â clero & populo destitutũ est, recũ huc defer. Si fortè tres aut quatuor clericos de ipsis Ecclesiis cognoueris remansisse, facta notitia, quis, quomodo est, uel ubi habitat, nobis defer, ut eis si necessarium uiderimus, quid singulis annis accipere ualeant, statuere ualeamus. Res uero quæ uetustate perire possunt, tecũ similiter defer, ut ex eis quod utile usum fuerit, disponat̃. Tu autẽ protegente domino inuenta nauigij prosperitate reuertere.

Gregorius Romano defensori. De præsumptione tonsuratorum in Sicilia. Cap. XLVIII

Epist.48 PEruenit ad nos quòd tonsuratores in Sicilia praua sibi præsumptione nomẽ defensorum sumerent, atq; eos non solum utilitatibus Ecclesiasticis non esse utiles, sed etiam hac occasione multa indisciplinata cõmittere. Proinde experientiæ tuæ præsenti authoritate præcipimus, ut hoc diligenter inquirat. Et si quos sibi, præter eos qui huius rei Epistolas habent, hoc denuo nomen usurpare repererit, districta illud emendatione compescat. Si uero quosdã strenuos ac fideles in Ecclesiasticis negotijs esse probaueris, subtiliter nobis de eis te renũciare necesse est, ut utrum digni sint Epistola iudicemus. Præterea à Fortunato de ijs quæ gessit, rationes subtiliter perscrutari te uolumus, & satisfactis omnibus quæ debere constiterit, eum per patrimonium uel actionem aliquam Ecclesiæ nostræ transire ulterius non permittas: quia ita se, quantum ad nos peruenit, exhibuit, ut commune aliquid deinceps cum nostris habere non debeat. Præterea nunciatum est nobis Martinianum quendam qui nomẽ sibi defensoris assumpsit, fratri & coepiscopo nostro Ioanni, cui curam patrimonij nostri cõmiseramus, exhibere obedientiam distulisse. Require ergo, & si uerũ est, exilio transmittatur, ut ex cuius Ecclesia honoris sibi falsum nomen arripuit, administranti utilitates ipsius, minimè obedisse, impunitum non sit. Sed & si qui sunt alij ordinationi memorati fratris nostri inobedientes, districta in eos ultione modis omnibus uindicate.

Gregorius Romano defensori. De uiolentia Luminosi. Cap. XLIX

Epist.49 LVminosus præsentium portitor uiolentiã se, uxorem q; suam à Salustio uiro clarissimo asserens sustinere, huc necessitate eadem faciẽte uenire compulsus est. Vnde quia seruum sanctæ Mariæ quod est parochiæ Grumentinæ se esse asserit, necesse est ut Ecclesiastica tuitione ualletur. Experientia itaq; tua præfato supplici Ecclesiastica non desistat impartire solatia, eumq; de quo queritur admonere, quatenus se ab eorũ inquietudine cõpescat. Sin uero est quod sibi in eis rationabiliter dicat posse competere, electorum iudicio terminetur, tuaq; quicquid definitum fuerit, executione modis omnibus impleatur.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano. De redditibus Ecclesiæ susciendis. Cap. L

Epist.50 FIlij nostri Paschasius uir magnificus, & Blancho uir clarissimus cõquesti sunt nobis sanctitatẽ uestrã redditus qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ debent̃, non alibi nisi aut in suburbano ciuitatis, aut in massa, q̃ dicit̃ Gelas, uelle percipere. Quod ego non ita actũ intelligo, sicut hi qui murmurãt

putant. Scio enim sapientiam fraternitatis uestræ, & idcirco uos arbitror talia proposuisse, ut per eandem propositionem quocunq; in loco redditus utiles potuissetis accipere. Laudo frater charissime intentionem charitatis tantæ, & uehementer amplector, quia sic curam Ecclesiæ nostrę agitis, quæ profecto uestra est, sicut & uestræ, quę nostra est. Tamē nec in suburbano, nec de massa Gelas filij mei excellentissimi Italica & domus Venantij redditus quos promiserunt sunt petendi. Sed siue in Syracusana, siue in Panormitana parte dare uoluerint, hoc solū uestra sanctitas sit intenta, ut utiles per omnia redditus accipiat, secūdum promissionē pacti uel cautionis quam misimus. Ita ergo sanctitas uestra prouideat, ut nec dilecti filij mei prædicti derelictis suburbanis sibi necessarijs contristentur, nec nostra Romana Ecclesia damnum aliquod uel minorem utilitatem in eorum reddituum perceptione sustineat.

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.
De uxore Stephani redimenda. Cap. LI

Epist. 51 STephanus præsentium portitor, qui uxorem se Ecclesiæ nostræ ancillam habere perhibet, octo se solidis ab Accello seniore de hostibus cōparatum innotuit. Et quia ad eorū restitutionem se inopem esse cōmemorat, experiētia tua diligenter inquirat, & si ita esse cognouerit, nec habere unde suū possit preciū reddere, cum prædicto seniore ad quantum potueris ordina, & precium ei quod tibi statuerit, restitue: securus quia tempore quo rationes tuas positurus adueneris, de captiuorū redēptione quod dederis, tibi restitui faciemus.

Gregorius Eugenio diacono.
De seruis dei Bleranæ ciuitatis. Cap. LII

Epist. 52 SErui dei monasterij quod in Blerana ciuitate est constitutum, de terris suggesserunt necessitatem se grauissimam sustinere. Et quia talibus nos personis oportet ferre consultum, experientiæ tuæ hac authoritate pręcipimus, quatenus appendicem quæ Agellus dicitur, ex corpore massæ Gratilianę cum suis finibus eis debeas cōtradere, quod eis saluo iure Ecclesiæ nostræ in xxxvi. annorum spatium concessimus habere. Sed & terrulam modiorum xxx. ex prædicta massa quam pridem à nobis sibi datam possidere noscuntur, pariter in prædicto annorū spatio, eos habere concedimus, quatenus tali prouisione congregatio illic consistens huius rei ualeat habere solatium. Experiētia itaq; tua huius præcepti autoritate suffulta, prædictas terras eis tradere non moretur, ut liberiori animo in dei laudibus ualeant permanere.

Gregorius Felici episcopo Portuensi.
Ioannem famulum dat. Cap. LIII

Epist. 53 CHaritatis uestræ gratia prouocati, ne infructuosi uobis uideamur existere, præcipuè cū & minus uos habere seruitia nouerimus, ideo Ioannem iuris Ecclesiastici famulum, natione Sabinum, ex massa Flauiana, annorū plus minus decem & octo, quem nostra uoluntate diu iam possidetis, fraternitati uestræ iure directo donamus atq; concedimus, ita ut eum habeatis, possideatis atq; iuri proprietatiq; uestrę uendicetis atq; defendatis, & quicquid de eo facere uolueritis, quippe ut dominus, ex huius donationis iure libero potiamini arbitrio. Contra quam munificentiæ nostræ chartulam nunq; nos successoresq; nostros noueris esse uenturos. Hanc autē donationē à notario nostro perscriptā legimus, atq; subscripsimus, tribuētes etiā non expectata professione uestra, quo uolueritis tempore alligandi licentiā legitima stipulatione & sponsione interposita. Actū Romæ.

Gregorius Venantio episcopo Perusino.
De Eccleso episcopo frigore laborante. Cap. LIIII

FRatrem & coepiscopum nostrum Ecclesium frigore omnino laborare cognouimus, pro eo quòd hyemalem uestē non habeat. Et quia aliquid sibi à nobis petijt debere transmitti, fraterni tati tuæ ad hoc per latorem præsentium transmisi mus emphibalum, tunicā uel pectoralem, ut à te ei debeat sine mora transmitti. Et ideo ad prædictum fratrem nostrū sub omni illud celeritate studeas transmittere, atq; hoc ipsum nobis, quia transmiseris, tuis renunciare epistolis non omittas, sed ita fac ut ad transmittendū, quia uehemens frigus est, moram aliquam minimè facias. Epist. 54

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.
De conuersione Monophisitarum. Cap. LV

LAtores prę sentium Siciliam uenientes, à Monophisitarum errore cōuersi sunt, atq; sanctę uniuersali Ecclesiæ semetipsos adunauerunt. Qui ad beati Petri apostolorū principis Ecclesiam pertendentes, poposcerunt à me, ut eos meis epistolis uestrę beatitudini cōmendare debuissem, quatenus ab hæreticis qui iuxta ipsos sunt, nullā iam uiolentiam perpeti permittātur. Et quia unus eorum dicit monasterium in quo fuit, à parentibus suis fuisse constructum, authoritatem desiderat à sanctitate uestra percipere, ut hi qui in eo sunt hæretici, aut ad sinum sanctæ Ecclesiæ redeant, aut de eodem monasterio repellātur. Hæc à nobis indicata esse sufficiat, nam de uestra beatitudine nouimus, quia quicquid ad zelum dei omnipotentis pertinet, cum omni facere feruore festinet. Pro me uero ut oretis peto, quia inter gladios Longobardorum quos sustineo, podagræ doloribus uehementer affligor. Epist. 55

Ioannis episcopi ad Gregorium papam.
De usu pallij, & diuersis ornatibus. Cap. LVI

REuerendissimus conseruus meus Castorius Apostolicæ sedis uestræ notarius reddidit mihi domini mei Epistolam consortem mellis & uulneris. Quæ sic tamen infixit aculeos, ut locum non subtraheret medicinæ. Nam qui superbiam, diuinum sequens iudicium, reprehendit, meritò se mitem ac placidum quodammodo profitetur. Cōmemoratis igitur q; ego nouitatis ambitione, pallij usum supra quàm antecessorib. meis indultum fuerat usurpassem. Quòd proprij domini mei conscientia, quæ diuina regitur dextera, nullo modo credere patiat, nec opinionis incerto aures sacratissimas aperire. Primùm, licet peccator, noui tamen quàm graue sit terminos nobis à patribus affixos Epist. 56

affixos transcēdere,& ꝙ omnis elatio nihil aliud habeat ꝙ ruinā. Nam si maiores nostri in regibus superbiam non tulerunt, quanto magis non est in sacerdotibus sustinenda? Deinde recolo me in sinu atq; in gremio sacrosanctæ Ecclesiæ uestrę Romanæ & nutritū,& deo auxiliante prouectum.Et quibus ausibus ego sanctissimæ illi sedi, quæ uniuersali Ecclesiæ iura sua trāsmittit, præsumpserim obuiare,propter cuius conseruandam authoritatem,sicut deo manifestum est,multorū contra me inimicorū inuidiam grauiter excitaui. Sed beatissimus dominus meus nihil me contra priscā consuetudinem existimet attentasse, quod à multis & propè ab omnibus ciuibus huius urbis attestatur, inter gesta etiā si acquieuisset,& suprascriptus reuerēdissimus notarius potuerat attestari: quoniā iam de secretario descēdentibus filijs Ecclesiæ,& ingrediētibus diaconibus ut mox procedatur,tūc primus diaconus episcopo Rauennatis Ecclesiæ pallium consueuit induere, quo & in lætanijs solennibus uti pariter consueuit. Nullus ergo cōtra me domino meo conetur surripere, quia si uult, deo custode, non esse potest ꝙ à me aliqua nouitas fuisset introducta. Qualiter enim iussionibus uel utilitatibus uestris ubi causa exegerit paruerim,omnipotens deus cordi uestro purissimo faciat manifestum,& hoc peccatis meis imputo, ꝙ post tot labores atq; angustias quas intus foris q; sustineo,talem uicissitudinē merear inuenire.Sed iterum me illa res inter alia cōsolatur,ꝙ interdum sanctissimi patres ob hoc tantummodo castigant filios suos,ut eos faciāt potiores, & post hanc deuotionem ac satisfactionē sanctæ Rauennati Ecclesiæ quæ peculiariter uestra est, non solum uetera priuilegia cōseruetis,sed & maiora uestris temporibus conferatis. Nam ꝙ de mappulis à presbyteris & diaconibus meis præsumptū apostolatus uester scripsit, uere fateor tædet me aliquid exinde cōmemorare,cùm per se ueritas,quæ apud dominū meum sola prꝙualet,ipsa sufficiat.Nam cùm hoc minoribus circa urbem constitutis Ecclesiis licitum sit,poterit etiam apostolatus mei domini si uenerabilem clerum primæ apostolicę sedis suę requirere dignat̄,modis omnibus inuenire, quia quoties ad episcopatus ordinationē seu responsi sacerdotes uel leuitæ Rauennatis Ecclesiæ Romā uenerunt,ꝙ omnes in oculis sanctissimorū decessorum uestrorū cum mappulis sine reprehensione aliqua procedebant. Quare etiam eo tempore quo istic à prædecessore uestro peccator ordinatus sum,cuncti presbyteri & diaconi mei in obsequium domini papæ mecum procedētes usi sunt. Et quia præuidens deus noster omnia in manu uestra,& in conscientia purissima collocauit,adiuro uos per ipsam sedē apostolicā,quam à natura moribus nunc etiam honore debito gubernatis,ut in nullo Rauennati Ecclesiæ quæ familiariter uestra est,pro meo merito priuilegia quibus hucusq; usa est minuatis, sed secundum uocem propheticam, in me & in domo patris mei secundum suum meritum transferatur. Quia ergo uniuersa priuilegia quæ sanctæ Rauennati Ecclesiæ à prædecessoribus uestris indulta sunt, pro maiori satisfactione subiecti in scrinijs uenerabilibus secundum consecrationem decessorū meorū tempora fidem nihilominus repereris, nūc uero in dei & uestra est potestate, quicquid ueritate cognita fieri iusseritis, quoniā ego iussionibus apostolatus domini mei parēre desiderans,quāuis antiqua cōsuetudo obtinuit,usq; ad sanctam iussionem abstinere curaui.

Exemplum præcepti generalis. Cap. LVI

DIlectissimo fratri Petro Gregorius. Omni Epist.56
conuenire nouimus rationi, ut eos amictu pallij decoremus,quos in illis ciuitatibus, diuina inspirante misericordia, sacerdotij honor illuminat,in quibus hoc etiā ab illis qui præteritis temporibus pontifices fieri meruerunt, & ab apostolica sede constat esse indultū. Ideoq; charitati tuæ usum pallij sicut decessores tui habuisse noscunt̄, præsenti authoritate cōcedimus,atq; ea omnia circa honoris tui priuilegium uolumus permanere, quæ anterioribus temporibus Ecclesię tuæ cōstat esse seruata,ut nihil prorsus de priuilegijs eius doleas diminutum. Deus te incolumem custodiat.

Finiunt Epistolæ Indictionis quintæ.

LIBER VNDECIMVS

Incipiunt epistolæ Indictionis sextæ ex regiſtro beati Gregorij papæ.

Gregorius, De Foca coronato & Mauricio interfecto cum filijs suis. Cap.I

IN nomine domini dei & saluatoris nostri Iesu Christi,per indictionem sextam die xxiij. mensis Nouembris, temporibus domini & beatissimi papæ Gregorij, coronatus est Focas,& Leontia Augusta septimo palatio quod dicitur Secundianas, & occisus est Mauricius imperator, cum omnibus filijs suis masculis,id est, Theodosio iam coronato, Tiberio, Petro, Paulo, & Iustiniano, simul & Petro fratre suprascripti Mauricij Augusti. Sed & aliqui procerum qui ei cohærebant,id est, Constantius patricius,& curator de Placidias,sed & Georgius notarius principis. Venit autem Icona suprascriptorū Focæ & Leontiæ Augustorū Romā vij. cal. Maij, & acclamatū est eis in Lateranis, in basilica Julij ab omni clero uel senatu, Exaudi Christe,Focæ Augusto,& Leontiæ Augustę uita. Tūc iussit ipsam iconam dominus beatissimus & apostolicus Gregorius papa reponi in oratorio sancti Cæsarij martyris intra palatium. Epist.1

Sermo beati Gregorij papę tempore mortalitatis. Vt plebs faciat septem lætanias diuisim secundum status in uno die. Cap.II

OPortet fratres charissimi,ut flagella dei quæ metuere uentura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat,et cordis nostri duritiā ipsa iam quam patimur pœna dissoluat. Vt enim prophe- Epist.2

ta teste

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hiere.4 ta teste prædictum est: Peruenit gladius usq; ad animam. Ecce enim cuncta plebs cœlestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cede uastantur. Nec languor mortem præuenit, sed languoris moras, ut cernitis, mors prȩcurrit. Percussus quisque antè rapitur, & ad lamenta pœnitentiæ cõuertatur. Pensate ergo qualis ad cõspectũ districti iudicis peruenit, cui non uacat flere quod fecit. Habitatores quippe non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus uacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisq; ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem uacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando cõmisimus, & quod nequiter egimus, flẽdo puniamus. Præueniamus faciem eius in cõfessione, & sicut propheta admonet, Leuemus corda nostra cum manibus ad deũ. Ad deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat: Nolo mor-
Ezech.18 tem peccatoris, sed ut cõuertatur & uiuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas nanq; Niniuitarũ culpas triduana
Matt.27 pœnitẽtia abstersit, & cõuersus latro uitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Leuemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. Citius ad precem iudex flecti tur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea nãq; quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudici ueritatis placet, quia pius ac misericors deus à se uult ueniam precibus exigi, qui quantum meremur, non uult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicitur: Inuo-
Psal.49 ca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet ut inuocetur. Proinde fratres charissimi contrito corde, & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem lætaniam iuxta distributionem inferius designatam deuota mente cum lachrymis ueniamus. Nullus uestrũ ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotiũ agere præsumat, quatenus ad sanctæ genitricis domini Ecclesiam cõuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala quæ fecimus deploremus, ut districtus iudex dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat. Lætania Clericorũ exeat ab Ecclesia beati Ioannis baptistæ. Lætania uirorũ, ab Ecclesia beati martyris Marcelli. Lætania monachorũ, ab Ecclesia martyrũ Ioannis & Pauli. Lætania ancillarum dei, ab Ecclesia beatorũ martyrũ Cosmæ & Damiani. Lætania fœminarũ coniugatarũ, ab Ecclesia beati primi martyris Stephani. Lætania uiduarũ, ab Ecclesia martyris Vitalis. Lætania pauperũ & infantium, ab Ecclesia beatæ martyris Cæciliæ. Facta sunt hæc in basilica sanctæ Sabinæ sub die iiij.cal.Septembris. Indictione vi.

Gregorius dilectissimis filijs Romanis ciuibus. De hoc quod si necesse fuerit, corpus dominico die lauare possint, sicut & faciem. Et de sabbato non custodiendo. Cap. III

Epist.3 De consc. dist.3.ca. Peruenit

PEruenit ad me, quosdam peruersi spiritus homines, praua inter uos aliqua & sanctæ fidei aduersa seminasse, ita ut die sabbati aliquid opera ri prohiberẽt. Quos quid aliud nisi antichristi prædicatores dixerim? Qui ueniens, diem sabbatum atq; dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in ueneratione uult dominicum diem: & quia ludaizare populum compellit, ut exteriorem ritum legis reuocet, & sibi ludæorũ perfidiam subdat, coli uult sabbatum. Hoc enim quod per prophetã di-
Hiere.17 citur: Ne inferatis onera per portas uestras die sabbati, tamdiu teneri potuit, quamdiu legem licuit iuxta literam custodiri. At postq; gratia omnipotẽtis dei domini nostri Iesu Christi apparuit, præcepta legis quæ per figuram dicta sunt, iuxta literam seruari non possunt. Nam si quis dicit hoc de sabbato seruandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persoluenda, dicat præceptum quoq; de circumcisione corporis hucusq; retinendum. Sed contra se Paulum apostolum audiat dicentẽ:
Gala.6 Si circumcidamini, Christus uobis nihil prodest. Nos itaq; quod de sabbato scriptum est, spiritaliter accipimus, spiritaliter tenemus. Sabbatũ enim requies dicitur. Verũ autẽ sabbatũ ipsum redemptorẽ nostrũ Iesum Christum dominũ habemus. Et qui lucem fidei eius agnoscit, si peccata concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die sabbati per portas introducimus onera, si in redẽptoris nostri gratia constituti, pondera peccati ad animam per sensus corporeos nõ trahamus. Nam idem dominus ac redemptor noster multa in die sabbati legitur operatus, ita ut ludæos reprehen-
Lucæ.13 deret dicẽs: Quis uestrum bouem aut asinũ suum non soluit in die sabbati, & ducit adaquare? Si ergo ipsa per se ueritas non custodiri iuxta literam sabbatum præcepit, quisquis otium sabbati secundum legis literam custodit, cui alteri nisi ipsi ueritati contradicit? Aliud quoq; ad me perlatum est uobis à peruersis hominibus esse prædicatum, ut dominico die nullus debeat lauari. Et quidẽ si pro luxuria ac uoluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec dominico die prohibemus. Scriptum nanque est: Nemo car-
Ephes.5 nem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam. Et
Roma.13 rursum scriptum est: Carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Qui igitur carnis curam in concupiscentijs fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si dominico die corpus laure peccatum est, lauari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte cõceditur, cur hoc exigente necessitate toto corpori negetur? Dominico uero die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur,

per

per diem resurrectionis dominicæ precibus expie A
tur. Hæc filij charissimi certa cōstātia & recta præ
diti fide custodite, stultorum hominum uerba de-
spicite, & omnia quæ ab eis dici cognoscitis, noli-
te facile credere, sed in rationis trutina pensate, ut
dum erroris uento fortiùs stabilitate resistitis, ad so-
lida cœlestis regni gaudia peruenire ualeatis.

Gregorius Adeodato abbati Neapolitano.
De Craterensi monasterio suo tungendo. Cap. IIII

Epist.4 QVantum bene dispositæ fratrum congrega-
tioni animus noster ex interni desiderij in-
tentione congaudet, tantum ex destitutis & penè
in desolatione positis, ut pastoralis sollicitudinis
eis citius cura subueniat, uehementi mœrore con
cutitur. Monachi siquidem monasterij quod Cra
teras dicitur: Neapolitanæ urbi è uicino fundati, B
porrecta nos petitione informasse noscuntur, lo-
cum ipsum ita penè funditus seruorum dei obse-
quijs destitutum, ut uix illic remanserint qui loci
ipsius solummodo ualeant esse custodes. Ob quā
rem lachrymabiliter supplicantes à nobis popo-
scisse noscuntur, ut monasterio uestro ipsum mu-
nire monasterium deberemus: quatenus per solli-
citudinem tuam, & deinceps succedentibus alijs,
locus ipse authore deo regulari ualeat ordinatio-
ne disponi. Sed dū huic rei frater & coepiscopus
noster Basilius Capuanæ Ecclesiæ præsens fuis-
set inuentus, extitit ualde contrarius, asserens lo-
cum ipsum olim monasterio alij diœcesis fuę fuis-
se cōiunctum, & idcirco minimè in alterius Eccle
siæ ius debere contradi. Contra quam obiectionē C
Neapolitanæ rursus clerus Ecclesiæ multo esse a-
liter q̄ dicebatur oppositis allegationibus replica
bat, quibus diuersa sentientibus ne constituere
quicq̄ dubiè uideremur, deputatis cognitoribus
instituimus inter eos esse iudiciū. Quibus renun-
ciantibus manifesta ratione comperimus fratrem
& coepiscopū nostrū Basilium nullū in prædicto
Craterensi monasterio ius habere. Quo cognito,
monachis pia poscētibus, necessariò duximus pre
bere cōsensum. Præsentis itaq; præcepti nostri au-
thoritate idem Craterense monasterium cellæ ue
stræ constituimus uniendum. Hoc præcipuè com
monentes, ut locus ipse ita cum diuino solatio per
uos deinceps debeat ordinari, quatenus dum ab
hoste licuerit, deputati à uobis illic monachi de- D
beant iugiter in dei laudibus permanere, pertur-
bationis uero tempore intra urbem, in cellā quip-
pe propriam, reuocari. Res uero omnes eidē mo-
nasterio cōpetentes, diligenti uolumus cura per-
quiri atq; recolligi, easq; ut tibi uisum fuerit, aptè
disponi. Nihilq; quod eidem monasterio compe-
tit, à quoquā detineri permittas, sed omnia in ius
Ecclesiæ, quippe iam tuæ, reformare non negli-
gas, ut cunctis salubri ordinatione dispositis, quæ
deo placita & nostra sunt autoritate suffulta, per-
petuis maneant inconuulsa temporibus.

Gregorius Adeodato seruo dei. Permittit testa-
mentum de rebus suis legitimè facere. Cap. V

Epist.5 EFfectum iusta postulantibus indulgere, & ui
gor æquitatis, & ordo exigit rationis, præser
tim quando petentium uoluntatem & pietas ad-
iuuat, & ueritas non relinquit. Quia igitur priusq;
in monasterio sancti Adriani, ubi es cōuersus, in-
trares, rerumq; tuarum illic donationem emitte-
res, domos, & hortos intra ciuitatem, seu terras sa
tionales, uel uineas in fundo, sicut nos docuisti,
Carsiniano, pariter & portiones tuas in fundo Ful-
loniaco, uel ex aliquibus mancipijs tuis, quibus
antè concessa libertas est, uerbo largitus es, ipsa
quoq; donatio licet possit iure subsistere, præci-
puè in hoc quod ab illis tribuitur, qui cum pōpis
suis seculum relinquentes, ad dei se eligunt cōfer
re seruitium: tamen ne quid futurum tempus ob-
liuionis nubilo huic derogare quicq; ualeat largi-
tati, scripturæ hoc desideras tradere monumētis.
Quod ut queat robustum existere, à nobis tibi po
scis dari licentiam. Idcirco huius tibi præcepti no-
stri pagina liberā hoc faciendi concedimus facul-
tatem, quatenus dum omnia à te fuerint expressa,
& designatione tua nouerint esse suum, quod cun
ctis modo cōmune est, & ipsi sine contentione do
nata possideant, & uoluntas tua quid ad quē per-
tinere uoluerit, esse nō possit ambigua. Quicquid
enim huiusmodi scriptura interueniente feceris,
firmū, stabileq;, & ex rei ipsius ueritate, & ex hac
nostra autoritate nō dubites: quippe quia non no
uū aliquid facere quod lege est uetitū, sed dudū fa
ctū uideris exprimere, & salubriter amputādi cau
sa litigij literarū memoriæ seruanda reponere.

Gregorius Ianuario episcopo Caralitano.
De abbatissa Desideria. Cap. VI

QVando inter religiosas personas de terrenis Epist.6
rebus controuersia nascitur, ita sacerdotali
est sollicitudine finienda, ut crescere nō possit ex
mora contentio. Desideria siquidem abbatissa, la
trix præsentium, huc ueniens questa est substan-
tiam parentum suorum pariter & germani sui si-
bi rationabiliter competentē, à Ioanne abbate in-
debitè detineri. Et quia eandem causam interue-
niente petit iudicio terminari, fraternitas uestra
adhibitis sibi Innocētio atq; Libertino fratribus
coepiscopis q; nostris, cum eis negotij huius qua-
litatem diligenter examiner, & pari consilio com-
muniq; tractatu ita se in definiendo ex omni late-
re festinet exhibere sollicitā, quatenus & ipsa om
ni inuidia fauoris ac negligētiæ careat, & inter il-
los post definitionem uestram aliquod non possit
litigiū remanere. Si uero aliqua ex lege uobis ad
proferendam sententiam fuerit nata dubietas, sa-
pientem uirum, & quem nostis dei timorem habe
re præ oculis, requirite, ut ab eo quid sit legitimū
informati, nullam reprehensionem uestræ defini-
tionis ualeat calculus sustinere.

Gregorius Eleutherio episcopo. Vt propter
infirmitatem episcopus non deponatur, nisi
petierit. Cap. VII

QVāuis triste nobis sit ualde q̄d logmur, atq; Epist.7
fraterna nos cōpassio flere potius urgeat q̄; Cā.7.q.1
aliquid de auditis diffinire pmittat, susceptī tamē Quamuis
sollicitudo regiminis cor nostrū instāti pulsat acu
leo, magna nos ecclesiis cura prospicere, et ne qua
earum

Universidad de Deusto
Biblioteca

earum poſſit utilitas deperire, quod fieri debeat, deo autore diſponere. Peruenit igitur ad nos, quibuſdam referentibus, quendam epiſcopū ita paſſionem capitis incurriſſe, ut quod mente alienata agere ſoleat, gemitus & fletus audire ſit. Ne ergo languente paſtore grex, quod abſit, inſidiatoris laniandus dentibus exponatur, uel Eccleſiæ ipſius utilitates depereant, cauta nos neceſſe eſt prouiſione tractare. Et ideo quia uiuentem epiſcopum ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis non crimen abducit, alium loco eius, niſi recuſante eo, nulla ſinit ratio ordinari. Sed ſi interualla ægritudinis habere eſt ſolitus, ipſe data petitione non ſe ulterius ad hoc miniſteriū intellectum habere, nec ad alia officia ſubuertente infirmitate poſſe fateatur aſſurgere, & alium loco ſuo expetat ordinādum, quo facto omnium ſolenniter electione alter qui dignus fuerit epiſcopus ſolenniter ordinetur, ſic tamen ut quouſcp eundem epiſcopum in hoc ſeculo uita tenuerit, ſumptus ei debiti de eadē Eccleſia miniſtrētur. Enimuero ſi nullo tempore ad ſanæ redit mentis officium, perſona fidelis acuitę probabilis eſt eligenda, quæ ad regimen Eccleſiæ idonea poſſit exiſtere, atcp de animarum utilitate cogitare, inquietos ſub diſciplinę uinculo cōſtringere, eccleſiaſticarū rerum curam gerere, & maturum atcp efficacem ſe in omnibus exhibere. Qui etiam ſi epiſcopo qui nunc ægrotat ſuperſtes extiterit, loco eius debeat cōſecrari. Ordinationes uero presbyterorū uel diaconorum, ſeu alterius ordinis ſi fieri in eadē Eccleſia cauſa popoſcerit, fraternitati tuæ noueris reſeruandū, quatenus ſi tuæ eſt diœceſeos, de eius qui ad hoc eligit, uita, moribus, actuc perquiras. Et ſi placuerit, nec eſt quod in eo iudicium canonicæ diſtrictionis reprehendat, ad deſtinatum ordinem non aliter niſi te ordinante perueniat, ita ergo fraternitas tua faciat, atcp hęc uigilantia prouidenti diſponat, ut nec dei Eccleſia neglectum ulterius habeat, & conſacerdotes ſuos non ſolum uerbis, ſed etiam exemplo locorum uenerabilium curam laudabiliter habere commoneat.

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. De pace ordinanda. De Menna epiſcopo. De quodam epiſcopo capitis infirmitate detento. De priuilegijs monaſteriorum eius.
Caput VIII

Epiſt.8 INter alia bona hoc apud uos præ cæteris tenet principatum, quòd in medijs huius mundi fluctibus qui regentis animos turbulenta ſolent uexatione confundere, ita cor ad diuini cultus amorem et uenerabilium locorum diſponendam quietem reducitis, ac ſi uos nulla alia cura ſollicitet. Vnde quia huiuſmodi præpoſitorum actio, ſubiectorum magna ſolet eſſe munitio, plus alijs gentibus gentem Francorū aſſerimus felicem, quæ ſic bonis omnibus prædītā meruit habere reginam. Epiſtolis autem ueſtris indicantibus agnoſcentes Eccleſiam uos ſancti Martini in ſuburbano Auguſtudunenſi, atcp monaſterium ancillarum dei, nec non & xenodochium in urbe eadem cōſtruxiſſe, A ualde lætati ſumus, & gratias omnipotēti deo retulimus, qui cordis ueſtri ſinceritatem ad hæc operanda compunxit. Qua de re ut & nos bonis ueſtris in aliquo participes haberemur, priuilegia locis ipſis pro quiete & munitione illic degentium, ſicut uoluiſtis, indulſimus, nec excellentiæ ueſtræ amplectenda nobis deſideria, uel ad modicū differre pertulimus. Paterna præterea charitate ſalutationis præmittentes alloquium, indicamus illuſtribus filijs noſtris, ueſtræ uero excellentiæ famulis ac legatis Burgoaldo, & Varmaricario noſtrū nos ſecundum ueſtra ſcripta præbuiſſe ſecretum. Qui omnia quæ ſibi iniuncta dixerant, ſubtili nobis inſinuatione reſeraſſe noſcuntur. De quibus curæ nobis erit ſequenti tempore excellentiæ ueB ſtræ quid actū fuerit indicare. Nam nos quicquid poſſibile & utile ad ordinandum pacem inter uos & rempublicam pertinet, ſumma, deo autore, cupimus deuotione compleri. Mennā uero reueren Cā.3.q1 diſſimum fratrem & coepiſcopū noſtrum, poſtcp Mennam ea quæ de eo dicta fuerant requirētes, in nullo inuenimus culpabilem eſſe, qui inſuper ad ſacratiſſimum corpus beati Petri apoſtoli ſub iureiurando ſatisfaciens, ab his quæ obiecta eius opinioni fuerant, ſe demonſtrauit alienum, reuerti illuc purgatum abſolutumcp permiſimus, quia ſicut dignum erat ut ſi in aliquo reus exiſteret, culpam in eo canonice puniremus, ita dignū non fuit ut eum adiuuante innocentia diutius retinere uel affligere in aliquo deberemus. De quodam autem epiſcoC po quem capitis infirmitas, ſicut nobis prædicti magnifici uiri dixerūt, adminiſtrare ſuum non ſinit officiū, fratri coepiſcopocp noſtro Etherio ſcripſimus, ut ſi interualla eiuſdem infirmitatis habuerit, data petitione ad implendum ſe locum ſuum profiteatur non poſſe ſufficere, ſed alium Eccleſię ſuæ poſtulet ordinandum: quia uiuente eo quem ab adminiſtratione officij ſui non culpa, ſed ægritudo ſubducit, alium loco ipſius ſacri nullo modo permittunt canones ordinari. Si uero nullo tempore ad mentis ſanæ redit officium, queri perſona debet uita & moribus decorata, quę & animarum curam gerere, & eiuſdem Eccleſiæ cauſas utilitatescp ſalubri ualeat ordinatione diſponere, taliscp ſit, ut ſi ſuperſtes extiterit, eius poſſit loco ſuccedere. Sed & ſi qui ſunt in ſacro ordine, uel ad cleD ricatus miniſterium promouendi, anteſato reuerendiſſimo fratri noſtro Etherio, ſi tamē ipſius eſt diœceſeos, reſeruandum nunciandumcp decreuimus, ut inde habita inquiſitiōe ſi nullę culpę quas ſacri canones inſequuntur, ſubiecti ſunt, ipſe eos debeat ordinare. Excellentiæ ergo ueſtræ cura noſtræ ſe diſpoſitioni cōiungat, quatenus nec Eccleſiæ utilitates, quarū nobis maximus amor eſt, pereant: & bonis excellentiæ ueſtræ mercedis augmenta ſuccreſcant. Similiter uero de quodam bigamo requiſiti, an ad ſacrum ordinē potuiſſet accedere, iuxta canonicam regulam omnino uetuimus. Abſit enim ne ueſtris temporibus, in quibus tam multa pia ac religioſa agitis, aliquid cōtra Eccleſiaſticum inſtitutum fieri permittatis. Præfati

autem

autem uiri magnifici filij nostri dato capitulari inter cætera petierunt, quod sibi ex uestra perhibuere iussione mandatum, ut talis deberet à nobis in Gallijs persona transmitti, quæ facta synodo cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur, omnipotenti deo authore possit corrigere. In qua gloriæ uestrę cura cognouimus quàm de uita animæ & de regni uestri soliditate cogitatis, quia redemptorem nostrum formidantes, eiusq; in omnibus præcepta seruãtes, & hìc agitis uti regni uestri gubernacula subsistant, & post lõga annorum curricula uos quoq; de terreno regno ad regnum cœleste transeatis. Apto autẽ tempore si deo placuerit, ueneranda excellentiæ uestræ desideria implere curabimus. Nos itaq; pro munitione locorũ de quibus excellentia uestra scripsit, omnia sicut uoluit sancire studuimus. Sed ne fortasse ab eorũ locorum præpositis eadem decreta nostra tempore quoquo supprimantur, pro eo quòd eis quædam interdicta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inserenda, quatenus sicut in nostris, ita quoq; in regalibus scrinijs teneatur. Omnipotens deus excellẽtiam uestram in suo semper timore custodiat, atq; ita uestra uota in filiorũ excellentissimorũ regum nepotum uestrorũ intercedente beato Petro apostolorũ principe, cui eos cõmendatis, sospitate adimpleat, ut stabile uobis gaudium de eorum semper incolumitate, sicut cupitis, habere concedat.

Gregorius Theodorico regi Francorum.
De pace in republica facienda. Cap. IX

Epist. 9 SCriptorũ uestrorum eloquia incolumitatẽ uestram signantia læti suscepimus, ex quibus ita transcendere uos prudentia ætatem agnouimus, ut euidenter appareat pro gentis Francorum felicitate, excellentiæ uestræ, potestatis regiæ gubernacula, supernę gratiæ fauore fuisse cõmissa, inter quæ hoc quoq; in uobis satis laudabile mirandũq; est, quòd in his quæ filiam nostram præcellentissimam auiam uestram pro omnipotentis dei amore desiderare cognoscitis, iuuare sic studiosissimè festinatis, ut per hoc & hìc feliciter uiuatis, & in futura uita regnum cum angelis teneatis. Quia ergo hoc deo donante ex magna uenit discretione iudicij, ita omnia quæ excellentia uestra uoluit, citius ac libenter impleuimus, ut quantum nobis bona uestra placuerint, effectus nostri celeritate monstraremus. Salutantes præterea uos paterna dulcedine, indicamus omnia quæ uiris illustribus famulis uestris Burgoaldo & Varmaricario filijs nostris agenda mãdastis, facta nobis fuisse habito secreto colloquio manifesta. Et ualde laudauimus, quia & præsentia sapienter, sicut decet, attenditis, & sic munire futura sempiternæ pacis interuentu inter uos & rempublicã festinatis, ut unum facti, regni uestri firmitatem in perpetuum extendere salubriter possitis. De quibus succedẽti uobis tempore quæ deo fuerint placita nunciamus. Nã nos quicquid utile, quicquid probatur esse pacificum desideramus, & ut fieri ualeat studemus. Tantum est, ut sicut nostra, ita q̃q; dei, quo sine nihil possu-

A mus, in ea quæ expediunt sit uoluntas. Sancta trinitas in suo semper faciat uos timore proficere, & ita cor uestrũ placita sibi moderatione disponat, ut & nunc subiectis uestris de uobis, & postmodum uobis de se gaudium sine fine concedat.

Gregorius Senatori presbytero & abbati.
De xenodochio quod in Augustudunensi ciuitate à Syagrio & Brunichilda constructum est, & priuilegio eius. Cap. X

QVando catholicorum regum corda, ad ea Epist. 10
quæ pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorũ præ
B cellentissimorũ regum Brunichildæ ac nepotis ipsius Theodorici, xenodochio quod in ciuitate Augustudunensi à Syagrio reuerendæ memoriæ episcopo & prædicta filia nostra regina excellentissima constructum est, cui tu præesse dinosceris, huiusmodi priuilegia præsentis autoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atq; firmamus, statuẽtes nullum regum, nullum antistitũ, nullum quacunq; præditum dignitate, uel quencũq; alium, de his quæ xenodochio à suprascriptis præcellentissimis filijs nostris regibus iam donata sunt, uel in futuro à quibuslibet suis alijs de proprio fuerint iure collata, sub cuiuslibet causæ, occasionisúe specie minuere uel auferre, siue suis usibus applicare, uel
C alijs pijs causis pro suæ auaritiæ excusatione posse concedere: sed cuncta quæ ibi oblata sunt uel offerri cõtigerit, tam à te quàm ab eis qui in tuo officio locoq; successerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine aliqua uolumus possideri. Eorum tamen usibus pro quorũ sustentatione gubernationeq; concessa sunt, modis omnibus profutura. Item cõstituimus ut obeunte abbate presbyteroq; suprascripti xenodochij atq; monasterij, non alius ibi quacũq; obreptionis astutia ordinetur, nisi quem rex eiusdem prouinciæ cum cõsensu monachorum, secundum amorem dei elegerit ac prouiderit ordinandum. Hoc quoq; capitulo præsenti subiungimus, ut locum auaritiæ excludamus, nullum de regibus, nullum de sacerdotibus
D uel quemcunq; alium per se suppositamúe personam, de ordinatione eiusdem abbatis, uel quibuscunq; causis xenodochio ipsi pertinentibus, audere in auro siue alia qualibet specie cõmodi quicq; accipere, neq; eundem abbatem ordinationis suæ causa dare aliquid præsumere, ne hac occasione, ea quę à fidelibus pijs locis offeruntur, aut iam oblata sunt, consumantur. Et quoniam multæ occasiones in deceptione religiosarum personarum à prauis illic, ut dicitur, hominibus exquirũtur, abbatem atq; presbyterũ prædicti xenodochij nullo modo priuandum deponendumq; censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Vnde necesse est, ut si qua contra eum huiusmodi querela surrexerit, non solũ episcopus ciuitatis Augustudunensis causam examinet, sed adhibitis sex alijs

episcopis suis, subtili hoc inuestigatione perquirat: quatenus cunctis concorditer iudicantibus, canonicæ districtionis censura aut reũ punire, aut innocentem possit absoluere. Simili quoq; defini tione iuxta desiderium conditorum decernimus, ut nullus eorum qui eidem xenodochio atq; monasterio abbas in posterum fuit ordinatus, ad episcopatus officium quacunq; obreptione sit ausus accedere: ne res xenodochij uel monasterij iniqua erogatione consumens, grauissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis uel cæteris exinde uiuentibus generet. Episcopum uero tollendi de eodem loco monachum, ad Ecclesiasticũ ordinem promouendum, uel prò aliqua qua cunq; causa, sine consensu abbatis atq; presbyteri habere licentiam prohibemus: ne huius rei usque ad hoc usurpatio perducatur, ut loca quæ acquisitione hominum construenda sunt, oblatione destruantur. Hæc igitur omnia quæ huius præcepti decretiq; nostri pagina continet, tam tibi q; cunctis qui in eo quo es ordine locoq; successerint, uel eis quorum interesse potuerit, in perpetuũ seruanda decernimus. Si quis uero regum, sacerdotum, iudicum, ac personarũ secularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, cõtra eam uenire tentauerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reumq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi uel ea quę ab illo male ablata sunt restituerit, uel digna pœnitentia illicitè acta defleuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine dei nostri redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atq; in æterno examine districtæ ultioni subiaceat. Cũctis aũt eidẽ loco iusta seruãtibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Gregorius Thessaliæ abbatissæ. De monasterio sanctę Marię quod in Augustudunensi ciuitate erectum est, & priuilegio eius. Cap. XI

Epist. 11 QVando ad ea ad quæ catholicorum regum corda, põtificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto sunt alacri & læto animo concedenda, quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorũ præcellentissimorum Brunichildæ ac neporis ipsius Theodorici monasterio sanctæ Mariæ, ubi ancillarum dei congregatio est constituta, in urbe Augustudunensi &c. ut supra.

Gregorius Lupponi episcopo & abbati. De Ecclesia sancti Martini quæ est in suburbano Augustudunensi, & priuilegio eius. Cap. XII

Epist. 12 QVando ad ea ad quæ catholicorum regum corda põtificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto sunt alacri & læto animo concedenda, quanto ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerãt. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum prę cellentissimorũ regũ Brunichildæ ac nepotis ipsius Theodorici Ecclesiæ sancti Martini, quæ in suburbano ciuitatis Augustudunensis &c. ut supra.

Gregorius Maximo episcopo Salonitano. De scriptis eius sine subscriptione non suscipiendis. Cap. XIII

Epist. 13 ALia quidem scripta ad fraternitatem tuam antè feceramus, sed tempore quo homines tuos quos ad nos misisti relaxare uoluimus, scripsisse te quibusdam nostrum comperimus, quòd Veteranum presbyterum atq; Optatum defensorem tunc minimè in causa transmiseris, & ideo ea quæ cum eis acta sunt, non debere subsistere. Sed & Thomas Ecclesiæ tuæ defensor sibi uerbo à te dictum perhibuit. Ex qua re iam præsentium portitoribus iudicauimus esse credendum, ne de ipsis quoq; post hęc similiter diceretur. Quia ergo hæc nos res ualde fecit ambigere, & cautos esse debere prænonuit, si causam uultis dicere, instructam de cætero personã cum mandato legaliter facto, tuis ac presbyterorum seu diaconorum in testimonium subscriptionibus roborato, gestisq; ex more indito trãsmittatur, ut quicquid cum ea actum fuerit, possit iure subsistere. Nam nos non solum tibi, sed etiam omnibus quod iustum legitimũq; fuerit, parati sumus deo iuuante per omnia custodire, tantum ut tu quod lege præcipitur, facere non omittas.

Gregorius Venantio episcopo Patricio. De persona Vrbici abbatis. Cap. XIIII

Epist. 14 EXcellentiæ uestræ electionẽ in persona Vrbici abbatis quia ualde nobis placuit indicamus, quoniam sicut iudicij uestri discretionẽ oportuit, ad Ecclesiæ gubernationem uirum quæsistis uigilantem atq; sollicitũ, & diuinæ scripturæ scientia, quod maximè in sacerdotibus eligendum est, institutum. Sed quia cæteris sic est aliquis præponẽdus, ut dum ipse exterius proficit, interius non decrescat, quietem ipsius turbare non possumus: ne cum eum ad altiora producimus, minorem illum seipso fieri missum in fluctibus cõpellamus. Persona uero Crescentis diaconi propterea quòd omnino nobis ignota est, prima nobis cura fuit requirere quemadmodũ xenodochium cui præfuerat, gubernasset, ut ex minimis, qualis esse possit in maximo, noscere mus. Sed quid nobis portitores scriptorũ uestrorum responderint, ab ipsis addiscetis. Hunc ergo presbyterũ dare omnino uobis excellentia uestra scit esse difficile, quia personarũ nos necessitas ad ordinanda alia loca pastoribus destituta non leuis angustat. Et ideo quia deum timere, & animæ uestræ uos habere respectum nouimus, paterna charitate salutationis alloquium præmittentes hortamur, ut sicut decet, cauta diligentiq; inuestigatione scrutari interius de uita, moribus, actuq; præfati diaconi debeatis. Et si eum ad Ecclesiæ assurgere regimen agnoscatis, uestra adhortatione omnes in eo concordent. Si autẽ aliud uestri sentit sollicitudo iudicij, & eum pastoralẽ curã efficaciter administrare non posse considerat, agendum cum omnibus concorditer, ut alterum qui aptus uisus fuerit, de Ecclesia ipsa possint eligere: ut ueniẽtes tam diaconus qui iam electus

electus est, quàm etiã qui eligendus est, is qui deo placuerit, ordinetur. Enimuero si in Ecclesia illa neq; de presbyteris uel diaconibus, siue reliquo clero huiusmodi inueniri potuerit, de alia sibi Ecclesia talem ordinandum eligere festinent antistitem, qui uigilanti sollicitudine exterioribus eorum utilitatibus, & sacerdotali adhortatione animabus ualeat deo miserante utilis reperiri. Præterea ne qua hac in causa possit esse dilatio, & peccatis facientib. nullus de electis aptus existat, hortandus est clerus & populus ut eis qui ad nos uenerint, sua debeãt uice mandare, quatenus hic habeant eligendi licentiam, nobisq; hoc ipsum apicibus suis roboratis proprijs subscriptionibus innotescant, ut si uel hic inueniri potuerit, sine difficultate aliqua Christi operante gratia cõsecretur. Quod tamẽ nos non uolũtate impulsi loquimur, sed necessitate compulsi, quia quantum ad nostrum est iudicium, de suis uolumus ut debeant habere pastorem.

Gregorius Pascasio episcopo Neapolitano. De Iudæis non opprimendis. Cap. XV

Epist.15 Partes 11.ca. Quincta

QVi sincera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis non asperitatibus debẽt studere, ne quorum mentẽ reddita à plano ratio poterat reuocare, pellat procul aduersitas. Nam quicunq; aliter agunt, & eos sub hoc uelamine à consueta ritus sui uolunt cultura suspendere, suas illi magis quàm dei causas probantur attendere. Iudæi liquidem Neapoli consistentes, questi nobis sunt, asserentes q; quidam eos à quibusdam feriarum suarum solennitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festiuitatũ suarum solennia colere, sicut eis nuncusq; & parentibus eorum lõgis retro tẽporibus licuit obseruare. Quod si ita se ueritas habet, superuacuę rei uidentur operam adhibere. Nam quid utilitatis est, quando, & si cõtra longum usum fuerint uetiti, ad fidem illis & conuersionẽ nihil proficit? Aut cur Iudæis qualiter cærimonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari nõ possumus? Agendum ergo est ut ratione potius & mansuetudine prouocati, sequi nos uelint, non fugere, ut eos, ex eorum codicibus ostendentes quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesię deo possimus adiuuante cõuertere. Itaq; fraternitas tua eos monitis quidem prout potuerit deo adiuuante ad conuertendum accendat, & de suis illos solennitatibus inquietari denuo nõ pmittat, sed omnes festiuitates feriasq; suas, sicut hactenus tam ipsi, q; parentes eorũ per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant obseruandi celebrandiq; licentiam.

Gregorius Barbaro episcopo Carinis. De obitu Victoris episcopi, & de alio eligendo. Caput XVI

Epist.16 Partes 11.ca. Quinta

OBitum Victoris Panormitanę ciuitatis antistitis directa relatio patefecit. Quapropter uisitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuę operam solenniter delegamus. Quam ita te conuenit exhibere, ut nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsq;, uel quicquid est in patrimonio eiusdem, à quoq; præsumatur Ecclesiæ. Et ideo dilectio tua ad prædictam Ecclesiam properabit, & assiduis adhortationibus clerũ plebemq; eiusdem Ecclesię admonere festinet, ut remoto studio, uno eodẽq; consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus ualeat reperiri, & à uenerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos sacrãdus occurrat. Cõmonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius ciuitatis, in qua uisitationis impendis officiũ, nullus ad episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri, prouisurus ante omnia, ne ad id cuiuslibet conuersationis uel meriti laicam personam aspirare permittas, ne & conatus eorum habeatur inefficax, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autẽm si qua sunt in ipsius constituta parochia, sub tua cura dispositione q; quousq; illic proprius fuerit ordinatus episcopus, esse concedimus.

Gregorius clero, ordini & plebi Panormitanæ ciuitatis. De eligendo episcopo. Cap. XVII

Epist.17

VEstri antistis obitum cognoscentes, curę nobis fuit destitutæ Ecclesiæ uisitationem fratri & coepiscopo nostro Barbaro solenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de prouectionibus clericorũ, redditu, ornatu, ministerijsq; à quoq; usurpari patiatur. Cuius uos assiduis adhortationibus conuenit obedire, & remoto strepitu, uno eodemq; consensu talem uobis præficiendum expetere sacerdotem, qui à uenerandis canonibus nulla discrepet ratione, & tanto ministerio dignus ualeat reperiri. Qui dũ fuerit postulatus, cum solennitate decreti omniũ subscriptionibus roborati, & uisitatoris pagina prosequẽte ad nos ueniat ordinãdus. Prouisuri ante omnia ne cuiuslibet uitæ uel meriti laicam personam præsumatis eligere, & non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehatur, uerumetiam uos nullis intercessionibus ueniam promereri posse cognoscite, sed omnes quos ex uobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & à cõmunione alie nos faciendos proculdubio noueritis.

Gregorius Pasiuo episcopo Firmano. De reliquijs sancti Sauini, & oratorio construendo. Cap. XVIII

Epist.18

PRoculus diaconus Ecclesiæ Asculanæ petitoria nobis insinuatione suggessit, in fundo Gressiano iuris sui monasterium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorẽ sancti Sauini martyris desiderat cõsecrari. Et ideo frater charissime si in tuæ parochię memorata cõstructio iure consistit, & nullum corpus ibidem cõstat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est, con duma una, boues par unũ, armenta capita quinq;, oues & capras pmiscuas capita uiginti, in fundo Gressiano ubi ipsum monasteriũ fundatur uncias

Greg.

octo, fundum Staciani uncias octo, fundū Paterni in integro, porcos decem, lectisternia, gestisq; municipalibus alligata, &c. secundum morem.

Gregorius Ioanni subdiacono Rauennæ.
De Exuperantio episcopo. Cap. XIX

Epist.19 LAtor præsentium Ioannes frater & coepiscopus noster aliqua uobis de causis Ecclesiæ suę dato capitulari noscitur intimasse. Quibus cognitis, culpanda à nobis experiētia tua fuerat, si ad te perlata hactenus indefinita remanserint. Sed inquirētes agnouimus q; ad notitiam tuam minimè sunt perducta. Ipsum ergo quod nobis capitulare porrectum est, his fecimus subter annecti. Agnitis itaq; omnibus ac discussis, si ita apud te esse ut suggestū est, manifesta ueritate patuerit, fratrē & coepiscopum nostrum Marinianum adire te uolumus, eūq; modis omnibus adhortari, ut his quorum in peragendis negotijs Ecclesiæ ipsius interesse dinoscit, debeat deputare, quatenus perpensis omnibus cum prædicto uiro de his quæ nota fuerint, Ecclesiastica inter se debeant tranquillitate decidere. Si uero elegerint retinendū, experientia tua immineat esse iudicium, & quicquid cognitorum inter eos fuerit sententia definitū, te debeat exequente compleri: ne diutinis protractionibus dilata paupertas Ecclesię ipsius, sicut iam factum asserit, dispēdijs ingrauetur. Indicauit etiam nobis q; quidam Exuperātius episcopus ausu temerario in diœcesi ipsius oratorium cōstruxerit, idq; sine præcepti authoritate contra morem præsumpserit dedicare, missasq; illic publicas celebrare non metuit. Quam rem cum summa te celebritate ac districtione cōuenit emendare, ne ulterius tale aliquid attentare permittas. Oratorium uero quod ab incompetenti persona repereris esse constructū, huic proprio te uolumus episcopo, si res, ut dictum est, ita se habere constiterit, sine mora aliqua reformare.

Gregorius Leoni episcopo & alijs quamplurimis.
Ne ad consignandos infantes egressi, nimium aggrauent Ecclesias. Cap. XX

Epist.20 SIcut nos nobis inuicem specialia per Apostolorum orationem admonemur impartiri suffragia, ita in his quæ necessitate iniūcti regiminis per dispēsationem rerum pauperum, deo per nos fuerint authore dispositā, sacerdotalia dignum est solatia non deesse. Latorē siquidem præsentium Adrianum chartularium nostrum ad regendum Ecclesiæ nostræ patrimonium Syracusanarū partium dirigentes, fraternitati uestræ necessariò duximus cōmendandū, ut in quo usus exegerit, uestra eis solatia conferātis: quatenus dum ad agendum per uos corporalibus, & ad facilitatē explendi quæ cœperit spiritalibus orationū fuerit fultus auxilijs, prosperè ea quæ à nobis ei iniuncta sunt, deo quoq; ualeat cooperante perficere. Vosmetipsos autem ita in conspectu omnipotentis dei in bonis operibus debetis exhibere, ut inueniri in uestra actione nequeat quod uel deo iudice percuti, uel quolibet homine insidiante ualeat accusari. Nā exinde præfato chartulario nostro iniunximus, ut si qua de reuerendissimis fratribus nostris episcopis inordinatè acta cognouerit, prius quidē secreta ac modesta adhortatione ipse corripiat. Præterea relatum est nobis sanctæ memoriæ Cā.10.q.3 Relatum decessoris mei temporibus per seruū dei diaconē qui tunc Ecclesiastici patrimonij curā gessit, fuisse dispositū, ut sacerdotes per uniuersas diœceses uestras constituti, quotiens ad cōsignandos infantes egredimini, ultra modū grauari minimè debuissent. Summa enim præfixa fuerat, uobis, ut audio, consentientibus, quæ ab eisdem sacerdotibus pro labore clericorum dari debuisset. Atq; hoc quod tunc placuit, sicut nunc dicitur, minimè custodiū. Vnde fraternitatem uestram admoneo, ut subiectis uestris graues nō studeatis existere: sed si qua sunt grauamina temperetis, quia nec ab eo quod semel definitum est, deflectere debuistis. Etenim in futura, & in præsenti uobis uita, ꝑspicitis, si eos qui uobis cōmissi sunt, sine grauamine cōseruatis.

Gregorius Iuliano. De beneficio eius monasterio collato. Cap. XXI

GLoriæ uestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui, sed tristis perlecta replicaui. In eis quippe dicebatur, quod pudoris causa fuerat, mihi uos ea quæ dicenda erant, tempore multo tacuisse. Et certū est quia minus amatur, qui adhuc erubescitur. Atq; modo cōtristatus sum, quia me à uobis comperi minus quàm existimaueram amari. In hoc autem ualde me contemnitis, si mercedis causas mihi assiduè prouidēdas studiose nō requiritis. Nec debet esse uerecūdiæ ei aliquid de eleemosynis importunè dicere, quem cōstat non suas, sed ad dispensandum res pauperum habere. De causis itaq; mercedis apud episcopum liberè agere debuistis, etiam si meum animum qualis in amore uestro existeret nescire tis. Postq; enim & nos omnino gloriam uestrā diligimus, & dispensationis locum in rebus, sicut scitis, pauperū tenemus, uestra fateor uerecundia ualde accusabilis fuit. Quam ideo tot uerbis increpando insequor, ut hanc à corde uestro funditus repellā, & in mercedis causas magnum solatium uestrę prouisionis habeam. Monasterio itaq; nostro quod à uobis in Cathenensi urbe constructum est, per Adrianum notarium & rectorē patrimonij emissa præcepti pagina decem annuos solidos dari deputauimus, quos petimus sine iniuria suscipi, quia non hęc uobis nostra oblatio, sed sancti Petri apostolorum principis benedictio offertur.

Gregorius Honorio episcopo Tarentino.
De baptisterio construendo. Cap. XXII

Epist.22 FRaternitate tua indicante didicimus in ciuitate Tarentina in qua præesse dinoscēris, in Ecclesia sanctæ Mariæ baptisteriū te nouiter construxisse. Et ideo frater charissime præsenti authoritate suscepta, tui desiderij complebis effectum, quatenus per sacrum lauacrum peccatorum illic maculæ deleantur.

Gregorius Paschali & Consolantiæ.
De spe ad æternam patriam tendenda. Cap. XXIII

Epist.23 EPistolam magnitudinis uestræ latore præsentium deferente suscepimus. Et licet tempora restituen-

restituendæ pecuniæ inducijs data defluxerũt, petitionem tamen uestram nullo modo duximus contristandam. Adriano itaq; chartulario nostro, quem illuc ad regendũ Ecclesiæ nostræ patrimonium direximus, de præsenti iniunximus, quæ uobiscum exinde loqui debeat, ut nec Ecclesiastica in aliquo negligatur utilitas, & postulatio uestra sortiatur effectũ. Quia ergo plus de animæ uestræ salute q̃ de terrenarũ rerum utilitate debetis esse solliciti, salutantes paterno affectu hortamur, ut mens onere tribulationis oppressa, contra deum non murmuret, ne post amissionem rerum, etiam animæ sequantur dispendia. Nihil de prauis actibus, nil cum peccato, necessitate quasi faciente, festinetis acquirere, sed spem in redemptoris uestri misericordia habentes, qui confidentes in se non deserit, tolerabiliter quæ pertulistis incõmoda sustinete. Erigite animos. Tribulatio uires nõ opprimat. Aduersa seculi patiẽtia superet. Pompã mundi secura mens despiciat. Actio uestra se ad ea quę dei sunt occupet. Considerantes q̃ nullũ sit quicquid casibus subiacet, quicquid fine concluditur. Et cor se uestrum ultra q̃ cõuenit, non affligat, sed studeat quatenus in omnipotentis dei protectione iure confidat, qui & non habita donat, amissaq; reparat, & reparata custodit. Potẽs est enim si uos in mandatorũ suorum uia ambulare cognouerit, & hic illata damna multiplici compensatione sarcire, & uitam uobis quæ toto magis adnisũ petenda est, æternam concedere.

A

B

Gregorius Rusticianæ patriciæ. De quodam Beatoro plurima iniusta faciente. Cap. XXIIII

C

Epist.24 QVotiens de urbe regia ad nos aliquis uenit, curæ nobis est de corporis uestri sospitate requirere, sed peccatis meis facientibus ea semper audio quæ me pœnitet audire, quia in tanta tenuitate atq; debilitate adhuc in uobis referuntur podagræ dolores excrescere: sed oro omnipotẽtem dominum ut omnia quæ in uestro corpore aguntur, ad salutem animæ dirigantur. Flagella temporalia æternam quietẽ uobis præparent, & per eos dolores qui cum fine sunt, gaudia uobis sine fine concedat. Ego autem in tanto gemitu & occupationibus uiuo, ut ad dies quos ago, me peruenisse pœniteat, solaq; mihi consolatio sit mortis expectatio. Vnde peto ut pro me debeatis orare: quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear. Præterea indico quendam hic nomine Beatorũ, qui quasi Comes priuatorum dici uult, uenisse: & multa contra omnes agere, maximè autem contra excellentiæ uestrę homines, uel nobilissimarũ neptiũ uestrarum quasi res publicas quærens. Et nos quidẽ peruersè eum agere non permittimus, sed neq; utilitatibus publicis possumus obuiare. Vos ergo apud pijssimum principem, sicut potestis, agite, ut ei agere praua contradicat. Nam cum omni strepitu, neq; utilitas publica agitur, neq; magni est dispendij quod repetere uidetur. Dulcissimũ filiũ meum dominũ Strategiũ mea peto uice salutari, quẽ omnipotens deus sibi, uobisq; nutriat, uosq; semper de sua gratia & de uita illius consoletur. De reuersione autem uestra quid scribere debeo, qui quantum eam desiderem scitis? Sed dum causarũ obligatiões aspicio, mihi in desperatione est, atq; ideo creatorem omnium exoro, ut ubicunq; estis, ubicunq; fueritis, suæ uos dexteræ extensione protegat, atq; à malis omnibus conseruet.

D

Gregorius Bonifacio notario Constantinopolitano. De Ioanne Rauẽnate clerico. Ca. XXV

Epist.25 EA quæ nobis experientia tua de Ioanne Rauẽnati clerico indicauit, facere idcirco distulimus, quia in absenti de qualitate personæ iudicare nõ possumus. Sed hortare eũ ut ad nos uenire festinet, quatenus in præsenti mores & personã ipsius subtiliter addiscentes, quid de his quæ petit fieri debeat, sine dubietate aliqua disponamus.

Gregorius Philippo presbytero. De obitu Andreæ presbyteri. Cap. XXVI

Epist.26 SVscepi epistolas dilectionis tuæ, in quibus mihi innotescere curauit, quòd uir uenerabilis Andreas presbyter de hac luce migrauit. De cuius ereptione gauisus sum, quia ad ea quæ semper expetijt, gaudia æterna peruenit. De solidis uero qui pro faciendo xenodochio à filio nostro Probo abbate Hierosolymis relicti sunt, hoc quod deliberatum fuerat, ut fieri debuisset, immutare non potui. Sed benedictionem paruulam quinquaginta solidos sanctitati uestræ transmisi. Vos igit̃ pro me, sicut credo quia facitis, enixius orate, ut de præsentis uitæ pelago me omnipotens deus sua manu eripiat, atq; me quiescere in æternę uitæ littore cõcedat. Graues enim gladiorum oppressiones & causarum tumultus patior. Sed si me diligitis, orando monstrate, quatenus orationis uestræ intercessionẽ sentiam, & amplius in tot malis atq; perturbationibus non affligar. Omnipotens deus sua uos manu protegat, & peruenire cum uestris ad cœlestia bona concedat.

Gregorius Sauino subdiacono regionario. De negligentia Palumbi episcopi. Cap. XXVII

Epist.27 QVare uenerabilis frater noster Palũbus episcopus ab Ecclesia sua diu abfuerit, experientia tua non ignorat. Ad quam quoniã deo propitio habita nunc, ut oportuit, satisfactionis purgatione reuersus est, ne forte per eius absentiã in aliquo Ecclesiæ ipsius sit neglecta utilitas, aut aliqua sint de eius iure subtracta, reparare ea uel corrigere cupienti, illi in omnibus, æquitate seruata, solatiari te uolumus atq; concurrere, ut tua opitulatione suffultus, in his quę ab eo agenda sunt, nec difficultatem aliquam quorundam impedimento sustineat, nec diutius debeat laborare.

Gregorius Sauino subdiacono. De absentia Palumbi episcopi. Cap. XXVIII

Epist.28 PEruenit ad nos reuerendissimũ fratrẽ & coepiscopum nostrũ Palumbũ ita, quod dici graue est, Ecclesiæ suæ uel parochiarũ causas & utilitates negligere, ut non solum res aliquas, uel mancipia earum, sed etiam et ministeria apud diuersos esse incautè patiatur, quod ita esse hoc etiam nobis ex parte aliqua innuit ac confirmat, q̃ Gregorius lator præsentium, qui iuris se Emolitanæ Ec-

clesiæ, quæ in eius diœcesi constituta est, esse per- A
hibet, ab alio se indebitè eo præsente queritur ser-
uitio subiugari. Ideoq; experientia tua prędictum
fratrem nostrum studeat cõmonere, ut res Eccle-
siarum uel parochiarum suarum siue ministeria ra
tionabiliter uendicet atq; defendat, & ab alijs de-
tineri nullo modo patiatur. In qua re ne quam for
tè excusationem ualeat inuenire, tua ei uolumus
salua æquitate adesse solatia. Quem si forte, ut ha-
ctenus extitit, uideris esse negligentẽ, ea quę eum
facere oportuerat, te agere uolumus & implere in
omnibus, quatenus Ecclesiarum utilitas nulla oc-
casione depereat: sed & nobis quæq; acta fuerint,
renunciare festina, ut à nobis quid post hoc facere
debeas instruaris.

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.
De desidia Paschasii episcopi increpanda.
Caput XXIX

Epist.29 Parte 1 dist.84.ca. Peruenit

PEruenit ad nos fratrem & coepiscopum no-
strum Paschasium ita desidem, negligentẽq;
in cunctis existere, ut in nullo quia est episcopus
agnoscatur, adeo ut neq; Ecclesia ipsius, neq; mo-
nasteria, siue filij Ecclesiæ, uel oppressi uel paupe-
res eius erga se dilectionis studium sentiant, nec
aliquam supplicantibus sibi his in quibus iustum
est, opem defensionis accõmodet: &, quod adhuc
dici est grauius, consilia sapientũ, & recta suaden-
tium nulla patiatur ratione suscipere, ut quod per
se nequit attendere, ab alio saltem possit addisce-
re, sed rebus quæ ad pastoris curam pertinent prę
termissis, ad fabricandam nauim toto se studio in- C
utiliter occupare. Vnde, sicut fertur, contigit qua-
dringentos illum, aut amplius iam solidos perdi-
disse. Hoc quoq; eius culpis adiungitur, quòd ita
quotidie despectus cum uno aut duobus clericis
dicitur ad mare descendere, ut & apud suos in fa-
bula sit, & extraneis sic uilis ac despicabilis uidea-
tur, ut nihil habere episcopalis, uel ingenij, uel re-
uerentiæ iudicetur. Quod si ita est, non sine culpa
tua esse cognoscas, qui eum obiurgare, atq; coer-
cere, ut dignũ est, distuliisti. Quia ergo hoc totum
non solum ipsum reprobat, sed etiam ad sacerdo-
talis officij pertinere probatur opprobrium, uolu
mus ut eum coram alijs sacerdotibus, uel quibus-
dam de filijs suis nobilibus contestari pro hac re
debeas, ac hortari, ut uitio corporis excusso, deses D
esse nõ debeat, sed in Ecclesię suæ, ac monasterio-
rum cura sit uigilans, paternam filijs suis charita-
tem exhibeat, in defensionem pauperum cum di-
scretione, in quibus iustitia suaserit, sit erectus; cõ
silia sapientium libenter suscipiat, quatenus & ci-
uitas illa eius queat sollicitudine consolari, & ipse
desidiæ suæ culpam ualeat operire. Si uero, quod
non credimus, post hanc adhortationẽ nostrã so-
lito adhuc more negligens esse tentauerit, ad nos
est modis omnibus transmittendus, ut hic positus
discere possit quid uel qualiter secundum timo-
rem dei agere conueniat sacerdotem.

Gregorius Anthemio subdiacono.
De facinoribus Benenati Messenatis episcopi.
Caput XXX

COmperimus Benenatum Messenatem, fa- Epist.30
cinus quod de se per scripturã manus prius
professus est, abnegare. Et ideo quia huius sceleris
negatio sicut maiori discussione, ita & maiori in-
diget ultione, experientiæ tuæ præsenti authori-
tate præcipimus, ut eundem Benenatum accusa-
toremq; ipsius simul & personas de quibus accu-
satus est, atq; omnes qui in accusationis chartula
leguntur, sub omni huc cautela et celeritate trans-
mittat, quatenus causæ huius ueritas districta, ut
dignũ est, inquisitiõe examinari ualeat et agnosci.

Gregorius Anthemio subdiacono.
De Benenato Messenate episcopo. Cap. XXXI

PEruenit ad nos quondam Benenatum Mes- Epist.31
senatem episcopum pro construendo illic ca
stro solidos accepisse. Et quia pars eorum solido-
B rum apud eum dicitur remansisse, experientia tua
subtili indagatione perquirat, & si quid manifestè
de ipsis solidis cognoueris remansisse, Comitatio
comiti prædictæ ciuitatis sub desuscepti illud pa-
gina contradat, atq; immineat, ut in constructio-
ne eiusdem loci, sicut sunt dati, deo adiuuante pro
ficiant: quia ratio nulla permittit, ut proprijs cu-
iusq; usibus applicetur, quod pro cõmuni utilita-
te datum esse cognoscitur.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.
De infirmitate & medicamine eius. Cap. XXXII

MVlta nos frater charissime cogit infirmitas, Epist.32
ex quibus si sani essemus, iure reprehensi-
biles uideremur. Sed quia aliter subsistere in hoc
C fragili corpore positi non ualemus, nisi eius lan-
guoribus seruiamus, erubescere quod imponit ne
cessitas, non debemus. Et ideo quoniam eruptio-
nem sanguinis patientibus ieiunia medici omni-
no dicunt esse contraria, his fraternitatẽ tuam hor
tamur affatibus, ut reducẽs ad animum ea quæ est
solita de ægritudine sustinere, ieiunandi sibi labo-
rem minimè imponat. Si autem, deo miserante a-
deo melioratam se esse, ac uirtutem suam sufficere
posse cognoscit, semel aut bis in hebdomada ie
iunare permittimus. Sed illud te præ omnibus stu
dere conuenit, ut exasperationẽ sentire nullo mo-
do debeas, ne ægritudo quæ modo leuior est, &
quasi suspẽsa creditur, per exacerbationem post-
modum sentiatur grauis.

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.
De negligentia & desidia episcoporum Cam-
paniæ. Cap. XXXIII

QVotiens illa de fratribus coepiscopisq; no- Epist.33
stris audimus, quæ & illos reprehensibiles
ostendere, & nobis tristitiam ualeant generare, de
eorum nos emendatione non mediocriter cogit
necessitas cogitare. Quia ergo nunciatum nobis
est Campaniæ episcopos ita negligentes existere,
ut immemores honoris sui, neq; erga Ecclesias, ne
que erga filios suos paternæ uigilantiæ curam ex-
hibeant, uel monasteriorũ sollicitudinẽ gerãt, seu
in oppressorũ & pauperũ se tuitionẽ impendant,
ideo hac tibi authoritate pręcipim⁹, ut eis à te cõ-
uocatis, ex nostro illos mandato districtè cõmo-
neas, quatenus desides ulterius esse non debeant,
sed

sed sacerdotalem se habere zelum & sollicitudinē opere doceant, atq; ita in his quæ eos iustè secundum deum agere conuenit, uigilantes existant ut nullū nos de eis denuo murmur exasperet. Si quē uerò eorum post hæc negligentem esse cognoueris, ad nos cum sine aliqua excusatione transmittetut quàm sit graue nolle ab his quæ reprehensibilia, & ualde uituperanda sunt corrigi, regulari in se ualeant districtione sentire.

Gregorius Ioanni episc. Syracusano. De Cosma & de benignitate erga subiectos. Cap. XXXIIII

Epist.34 QVorundam ad nos relatione peruenit Cosmam qui ex monacho monasterij sanctę Luciæ a decessore uestro memorandæ memoriæ Maximiano in Ecclesia Syracusana factus subdiaconus, atq; à uobis postea in possessione quæ Iuliana dicitur, presbyter est ordinatus: ita nimia tristitia & loci qualitate uehementer afflictum, ut uitā sibi pœnam existimet, & contritionis suæ fugam querat auxiliū. Et ideo quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nobis si subiecti fuissemus, nostros uolueramus esse præpositos, magnę benignitatis est, si eum in Ecclesia ubi subdiaconi est functus officio, sanctitas uestra reducere, atq; illic presbyterum uoluerit constituere cardinalem. Quod & facere quantum arbitramur debebitis, si tamen nihil est quod iustè contra ipsum animos uestros exasperet. Si uerò aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis fraternitas uestra ut scire possimus insinuet.

Gregorius Deodato episc. Mediolanensi. De querimonia Theodori episcopi. Cap. XXXV

Epist.35 FRater & coepiscopus noster Theodorus multa queritur se contra iustitiam atq; promissionem tuæ sanctitatis perpeti: quæ nos facilè nō duximus credenda. Sed quia hæc relinquere sine inquisitione non possumus, fratri & coepiscopo nostro Venantio eius causam deputauimus uentilandam: ut subtiliter ipse cognoscat, nobisq; renūciet. Tua itaq; fraternitas eundem episcopum cū defensore Ecclesiæ suæ sub festinatione ad prædictum fratrē dirigat, ut nos eiusdem negotij tui cognita ueritate suis ipse epistolis certiores reddat.

Gregorius Phocæ Augusto.
De releuatione afflictionis reipublicæ.
Caput XXXVI

Epist.36 Daniel.2 GLoria in excelsis deo: qui iuxta quod scriptū est, mutat tēpora, & transfert regna, & quia hoc cunctis innotuit, quod per prophetam suum Dan.4 loqui dignatus est dicens, Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui uoluerit, ipse dat illud. In omnipotentis quippe dei incomprehensibili dispensatione uitæ mortalis sunt moderamina, & aliquando cùm iustorum multorum peccata ferienda sunt, unus erigitur, per cuius duritiam tribulationis iugo subiectorum colla deprimantur. Quod in nostra diutius afflictione probauimus. Aliquando uerò cùm misericors deus mœrentium multorum corda sua decreuit collatione refouere, unum ad regiminis culmen prouehit, per cuius misericordiæ uiscera in cunctorū men-

A tibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citius credimus, qui benignitatem pietatis uestræ ad imperiale fastigium peruenisse gaudemus. Letentur cœli & exultet terra, & de uestris benignis actibus uniuersæ reipublicæ populus nuncuq; uehementer afflictus hilarescat. Comprimantur iugo dominationis uestræ superbæ mentes hostium. Releuētur uestra misericordia contriti ac depressi animi subiectorum. Virtus cœlestis gratiæ inimicis terribiles uos faciat, pietas subditis benignos. Quiescat fœlicissimis temporibus uestris uniuersa respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, B donationum gratiæ uiolenter exactæ. Redeat cūctis in rebus proprijs secura possessio ut sine timore habere se gaudeant, quę non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur iam singulis sub iugo imperij pij libertas sua. Hoc nanq; inter reges gentium & reipublicæ imperatores distat, quòd reges gentium domini seruorum sunt, imperatores uerò reipublicæ, domini liberorum. Sed melius hoc orando quàm suggerendo dicimus. Omnipotēs deus in cuncta cogitatione & opere cor uestræ pietatis sua gratia manuteneat, & quæque iustè, quæq; clementer agenda sunt, inhabitator uestri pectoris spiritus sanctus benignè disponat, ut ex temporali regno uestra clementia post multorū annorum curricula ad cœlestia regna pertingat.

C

Gregorius Eusebiæ patriciæ.
De salute animæ suæ. Cap. XXXVII

ETsi occupata mēs uestra diuinis actionibus, Epist. 37 aut fortasse regiæ ciuitatis tumultuosis implicationibus, nos per epistolas suas uisitare postponit, nostrum est tamen etiam aduersa filiorum corda dulci charitate prosequi, eaq; ad benignum animum & admonendo & orando reuocare. Vnde nunc debitum salutationis alloquium soluens hortor ut excellentia uestra à ciuitatis illius superfluis tumultibus animum auertat, plusq; ea quæ animæ quàm quæ sunt corporis cogitet. Transitoria esse omnia perpendat. Venturi iudicis examē tremendū cum metu & lachrymis quotidie sine D cessatione consideret, illumq; diem in quo pertur banda sunt omnia cum timore ad animum reducat, ut iram iudicis in ipso iam die non timeat. Omnipotens autem deus hæc uestris cogitationibus aspiratione sui spiritus infundat, uosq; & hic cum nobilissimo coniuge & tranquillè uiuere, & de domini Stategij salute gaudere faciat, atque post longa tempora ad æterna præmia peruenire concedat.

Gregorius Smaragdo patricio exarcho.
De uiolentia Seueri contra Firminum episcopū.
Caput XXXVIII

OLim nouimus excellentissime fili quo desiderio qua ue conuersione animi pro adiuuanda dei Ecclesia, in Histriæ uidelicet partibus, zelo redēptoris nostri amore ęternę mercedis studij uestri feruor extiterit. Quòd cū ita sit, ea quæ Epist.38

nobis de illis nuper sunt partibus nunciata, ad ue-
stram non destitimus perferre notitiam. Firminus
siquidem frater & coepiscopus noster Tergestinę
Antistes Ecclesiæ, ante aduentum uestrę excellen
tiæ salubri consilio ab schismate cui inhæserat resi
piscens, atq; ad unitatem matris Ecclesiæ reuer-
tens, nostris est epistolis confirmatus: quatenus
in uero quem cognouerat sinu matris Ecclesię for
titudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo
audito Seuerus Gradiensis episcopus, eiusdem
caput schismatis, eum diuersis præmiorum cœpit
si posset, suasionibus à bono reuocare proposito.
Quod dum perficere posse deo authore minimè
ualuisset, seditionem illi suorum ciuium excitare
non timuit. Quanta uerò prædictus frater & coe-
piscopus noster Firminus ex eadem immissione
pertulerit, plenius illic ac uerius à uicino poteri-
tis agnoscere. Directis itaq; excellentię uestrę ius-
sionibus his qui in Histriæ partibus locum uestrũ
agere, deo authore, noscuntur, districtius iubeto-
te: quatenus & sæpedictum fratrem nostrum ab
illatis debeant defensare molestijs: & quietem il-
lius multis ad imitandum profuturam modis om
nibus procurare: ut hęc uestra prouisio & conuer
sorum sit optata securitas, & occasio apta sequen-
tium. Excellentiam quapropter uestram paterno
salutãtes affectu petimus, ut zeli uestri in hac cau
sa olim exhibiti, nunc uehementius feruor incan-
deat: tantoq; uos contra hostes dei uindices de-
fensoresq; reperiant, quanto apud deum precio-
sior est animæ quàm defensio corporis. Armet
uos contra deuios, ipsa quæ in uobis fidei uiget re
ctitudo: redintegretur uestris temporibus quod
in illis est partibus scissum corpus Ecclesiæ. Habe
tis in hac causa retributorem uestri operis rectitu
dinis ac integritatis authorem. De diuina nanque
miseratione confidimus, quòd tanto exteriores
hostes nostri ualentiores uos contra se reperient,
quanto uos inimici rectæ fidei diuino in se sense
rint amore terribiles. Præterea duas ad Tilquinũ
epistolas misimus, si pacem quæ ab excellentia ue
stra in triginta diebus facta est, custodiret, & re-
scripsit eam se seruaturum: si tamen ipsi à reipubli
cæ partibus fuerit custodita. Homines autem il-
los quos tenuerat, omnes cum rebus suis rela-
xauit, sed de occisis hominibus suis ualde dolet,
atque de uobis uehementer suspectus est, quia si,
quod deus auertat, locum inuenerit, etiam in pa-
ce eum non est dubium excessurum. Ad Pisanos
autem hominem nostrum dudum qualem debui
mus: & quomodo debuimus, transmisimus, sed
obtinere nil potuit. Vnde & dromones eorum iã
parati ad egrediendum nunciati sunt.

Gregorius Panthaleoni notario. De mensura
rusticorum iniusta. Cap. XXXIX

Epist. 39 EXperientia tua quod uel quale apud sacra-
tissimum corpus beati Petri Apostoli iusiu-
randum præbuerit memor est. Vnde nos quoq;
securi discussionis tibi causam in patrimonio par
tis Syracusanæ commisimus. Oportet ergo te fidẽ
tuam & eiusdem beati Petri Apostoli timorẽ sem
per ante oculos habere, atque ita agere: ut neq; ab
hominibus in presenti uita, neq; ab omnipotente
deo in extremo iudicio ualeas reprehendi. Vale-
rio siquidem chartulario nostro narrante cogno-
uimus, quia modium cum quo coloni Ecclesię fru
menta dare compellebantur. xxv. sextariorum in-
ueneris. Quod omnino execrati sumus, atq; ean-
dem excussionis causam tardè fecisse doluimus.
Quia ergo eundem modium te fregisse, & iustum
fecisse commemoras, gauisi sumus. Sed quia præ-
dictus chartularius summam nobis quoq; indica-
re studuit: quæ de fraudibus conductorum apud
experientiam tuam iam de duobus territorijs est
collecta, sicut te studiosè fecisse fracto iniusto mo
dio gaudemus, quia in futuro nobis prospicimus,
ita etiam de peccatis præteritis cogitamus: ne si ea
quæ fraudulenter conductores à rusticis abstule-
runt, ad nos perueniunt, peccata quæ ab ipsis per
petrata sunt, ad nos trahantur. Et ideo uolumus
cum omni fide, omni puritate, considerato timo-
re omnipotentis dei, reducta ad memoriã distri-
ctione beati Petri Apostoli per unãquamq; mas-
sam colonos pauperes & indigentes experienti-
am tuam describere, atq; ex eis pecunijs quæ in
fraudibus sunt inuentæ, uaccas, oues, porcosq;
comparare, & singulis colonis pauperibus ea di-
stribuere. Quod facere te cum consilio uiri reue-
rentissimi domini Ioannis episcopi atq; Adriani
chartularij nostri & rectoris uolumus. Si autem
necesse propter consilium fuerit, etiam filius no-
ster dominus Iulianus debet adhiberi, ita ut nul-
lus alius agnoscat, sed secretum sit. Vos ergo inter
uos pertractate: utrũ in auro aut certe in pecunijs
eisdem colonis pauperibus dari eadem continen
tia debeat. Quicquid uerò communiter steterit:
prius descriptionem, sicut dixi, facito: & postmo-
dum singulis iuxta qualitatem suæ paupertatis di
stribuere stude. Ego enim sicut magister gentium
testatur, habeo omnia, & abundo: nec pecunias,
sed mercedem quæro: Ita ergo age: ut in die iudi-
cij de causa mercedis quæ experientiæ tuæ com-
missa est, mihi fructũ quẽ feceris, ostendas. Quod
si purè ac fideliter & strenuè egeris, & hic illud in
filijs tuis recipies: & postmodum retributionem
plenariam in æterni iudicis examine habebis.

Gregorius Catulo Romano & Victarith.
Quòd episcopi cum mulieribus habitare
non debeant. Cap. XL

PEruenit ad nos quòd qui sunt in sacro ordine Epist. 40
constituti, in territorio Nursino, cum mulie
ribus extraneis habitent. Quod quia ignauum &
ualde est indecẽs, Optato defensori præcepimus
ut eos debeat adhortari, quatenus si ita est, nullus
eorũ cum extraneis mulieribus de cætero debeat
habitare. Quòd si fortè adhortationem eius negle
xerint, hoc quoq; ei iniunximus, ut ad notitiam
fratris & coepiscopi nostri Chrisanti illud perdu-
cere debeat: dummodo aut per illum corrigãtur,
aut cũ eius autoritate prædictus defensor studeat
emendare. Et ideo magnitudo uestra in hoc capi
tulo, sicut eã decet, concurrat: atq; eundẽ desuper
fratrem

fratrem habeat in omnibus cõmendatum, ut uobis solatiantibus, & quæ ei iniũcta sunt salubriter expleat, & in alijs contra rationem laborare non ualeat.

Gregorius Chrysantho episcopo Spoletano. De sacerdotibus Nursiæ cum mulieribus cohabitantibus. Cap. XLI

Epist.41 EX quorundam relatione cognouimus sacerdotes territorij Nursini cum mulieribus extraneis cõmanere. Pro qua re ualde nos fraternitas tua contristatos agnoscat: quæ dudum talia, si tamen cognouit, minimè passa est coerceri. Sed quoniã præcipimus defensori, ut hæc debeat modis omnibus emendare, si quisquam ex eis in tali capitulo contumax uoluerit apparere, ad fraterni tatis tuæ eum debeat euocare iudiciũ. Ideoq; sanctitati tuæ necessario duximus scribendum, ut si quos de sacerdotibus ad tuã diœcesim pertinentibus, uel certe de quibus antedictus Optatus tuę renunciauerit sanctitati procaces inuenerit, admonitione sacerdotali præmissa, & si res ita exegerit, etiam & canonicam adhibens disciplinam, de cætero emendare festinet: quia nos audire talia nulla patimur ratione. Sed & presbyterum quem dicunt sine dei respectu plurimas uiolentias irrogare, admonere eum uel increpare pro talibus fraternitas tua studeat. Qui si te audire noluerit, à cõmunione eum suspende, ut uel sic incipiat à prauis se actibus remouere.

Gregorius Ioanni episcopo Panormitano. De usu pallij notanda. Cap. XLII

Epist.42 APostolicæ sedis grata beneuolentia prouocati, fraternitati tuæ quã Panormitanæ Ecclesiæ speculatoris cõstat suscepisse officiũ, pallij usum præuidimus concedendum, illis uidelicet temporibus, atq; eo ordine, ut alios quoq; in insula Siciliæ sacerdotes uel decessores tuos esse usos non ambigis. Illud autem admonemus, ut apostolicæ sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorũ integer manet, si caput fidei nulla pulset iniuria, & canonum manet incolumis atq; intemerata semper authoritas: ut sicut à nobis huiuscemodi decoris usum ad sacerdotalis officij honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atq; actuum probitate susceptũ adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huiscemodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent.

Gregorius Phocæ Augusto. De responsalibus Apostolicis. Cap. XLIII

Epist.43 COnsiderare cum gaudijs & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti domino laudes debemus, quòd remoto iugo tristitiæ ad libertatis tempora sub imperiali benignitatis uestræ pietate peruenimus. Nam quòd permanere in palatio iuxta antiquam cõsuetudinem Apostolicæ sedis diaconem uestra serenitas non inuenit, nõ hoc meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit: quia dũ ministri omnes huius nostræ Ecclesiæ contrita asperaq; tempora cum formidine declinarent atq; refugerent, nulli eorum A poterat imponi, ut ad urbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam uestrã clementiam omnipotentis dei gratia disponente ad culmen imperij peruenisse cognouerũt, ipsi quoque suadente lætitia ad uestra uestigia uenire festinant, qui illuc accedere ualde timuerãt. Sed quia eorum quidam ita senectute sunt debiles, ut laborem ferre uix possint, quidam Ecclesiasticis curis uehementer implicantur, & lator præsentium qui primus omnium defensor fuit, bene mihi ex longa assiduitate compertus est uita, fide, ac moribus approbatus, hunc aptum pietatis uestræ uestigijs iudicaui. Vnde eum authore deo diaconem feci, & sub celeritate transmittere studui, qui cuncta B quæ in his partibus aguntur, inuento opportuno tempore ualeat clementiæ uestræ suggerere. Propter quod rogo ut serenitas uestra pias aures inclinare dignet: ut tanto nobis ualeat celerius misereri, quãto afflictionem nostram uerius ex eius relatione cognouerit. Qualiter enim quotidianis gladijs, & quantis Longobardorum incursionib. ecce iam per trigintaquinq; annorum longitudinem premimur: nullis explere uocibus suggestionis ualemus. Sed in omniporente domino confidimus, qui ea quæ cœpit, consolationis suæ nobis bona perficiet. Et qui suscitauit in republica pios dominos, etiam extinguet crudeles inimicos. Sancta itaq; trinitas uitam uestram per tempora longa custodiat, ut de bono uestræ pietatis quod tarC de suscepimus, diutius gaudeamus.

Gregorius Leontiæ Augustæ. De Ecclesia S. Petri specialiter honoranda. Cap. XLIIII

QVæ lingua loqui, quis animus cogitare sufficiat, quantas de serenitate uestri imperij omnipotenti deo gratias debemus, quòd tam dura longi temporis pondera ceruicibus nostris amota sunt, & imperialis culminis leue iugum subijt quod libeat portare subiectis? Reddat ergo creatori omnium ab hymnidicis angelorũ choris gloria in cœlo: persoluatur ab omnibus gratiarum actio in terra: quia uniuersa respublica quæ multa mœroris pertulit uulnera, iam nunc consolationis uestræ inuenit fomenta. Vnde nobis necesse est omnipotentis dei misericordiam enixius exorare, ut cor uestræ pietatis sua semper dextra teneat, eiusq; cogitationes cœlestis gratiæ ope dispenset: quatenus tranquillitas uestra tanto rectius ualeat sibi seruientes regere, quanto dominatori omnium nouerit uerius deseruire. In amore catholicæ fidei faciat defensores suos, quos fecit ex benigno opere imperatores nostros. Infundat in uestris mentib. zelum simul & mansuetudinem, ut pio semper feruore ualeatis & quicquid in deo exceditur, non inultum relinquere, & si quid in uobis delinquitur, parcendo tolerare. Sed det uobis in uestra pietate pulchrę Augustę clementiã, quę pro zelo catholicæ fidei in sancta synodo Helena noua uocata est. Omnipotens dei misericordia largiora uobis cum pijssimo domino spatia uiuendi concedat, ut quò uestra longius uita extenditur, subiectorum omnium consolatio ualidius consta-

Epist. 44

confirmetur. Rogare forsitan debui, ut Ecclesiam beati Petri Apostoli quæ nuncusq; grauibus insidijs laborauit, haberet uestra tranquillitas speciaA liter commendatam. Sed qui scio quia omnipotentem deũ diligitis, non debeo petere quod spõtente ex benignitate uestræ pietatis exhibetis. Quanto enim plus timetis conditorem omnium, tanto amplius eius potestis Ecclesiam amare, cui dictũ
Matt.16 est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebũt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorũ: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatũ & in cœlo: & quodcunq; solueris super terram: erit solutũ & in cœlo. Vnde nobis dubium nõ est quã forti amore ad eũ uos stringitis, per quẽ solui ab B omnibus peccatorũ nexibus delideratis. Ipse ergo sit uestri custos imperij, sit uobis protector in terra, sit pro uobis intercessor in cœlo: ut per hoc quod releuatis duris ponderibus in uestro imperio subiectos gaudere facitis, post multa annorũ tempora in cœlesti regno gaudeatis.

Gregorius Cyriaco patriarchæ Constantino politano. De pace & unitate sanctę Ecclesiæ. Caput. XLV

Epist.45 Ioan.14 QVanta sit pacis uirtus, charissime frater ex uoce dominica diligentius intuentes, quæ ait: Pacem meam relinquo uobis, pacem meã do uobis, ita in eius nos decet dilectione persistere, ut locum præbere discordiæ nullo modo debeC mus. Sed quia in radice ipsius uiuere aliter nõ ualemus, nisi mente & actu humilitatem, quam ipse author pacis docuit, teneamus, cum ea charitate qua dignum est suademus, ut profanam elationem, quæ animabus semper aduersa est, cordis pede calcantes, peruersi superbiq; uocabuli scandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis: ne à pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis. Sed unus in nobis spiritus, una mens, una charitas, una in Christo, qui sua membra esse nos uoluit, sit cõpago concordiæ. Nam quàm durum, quàm inde cens, quàm crudele, quamq; à sacerdotali proposito sit extraneum, pacem illum quam alijs prædicat non habere, sanctitas uestra consideret: & suos de superbia fratres scandalizare nõ præsumat. Sed hoc magis studeat, ut uanæ aut superfluæ ela D tionis authorem, humilitatis queat ense prosternere: quatenus ex eiusmodi uictoria, suum uos habitaculum sancti spiritus gratia sibi uendicet, &
2.Cor.6 aperte impleatur in uobis quod scriptũ est: Templum dei sanctum est, quod estis uos. Præsentium uerò portitorem dilectissimum communem filium Bonifacium diaconem uobis in omnibus cõmendamus: ut quocunq; necesse fuerit, solatia uestræ, sicut decet, inueniat sanctitatis.

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino. De puero ordinato in diaconem, & de simoniaca hæresi. Cap. XLVI

Epist.46 QVadam die inter me & familiares meos de cõsuetudinibus Ecclesiarũ cùm sermo fuisset exortus, quidã qui in magna ciuitate Alexandrina medicinali arte erat imbutus, collectorem se apud sophistam suum habuisse perhibuit, summæ prauitatis puerum, quem repentè dixit esse diaconem ordinatum. Atq; addidit quòd per præmia & donationes ordinatus fuisset: quia eandem consuetudinem in sancta Alexandrina Ecclesia conualuisse fatebatur. Quod ego audiens obstupui, & ualde miratus sum: quia sanctissimi ac beatissimi uiri domini Eulogij lingua quæ tam multos hæreticos ad fidem catholicam reuocat, simoniacam hæresim de sancta Alexandrina Ecclesia non erasit. Et quis erit cuius exhortatio uel correctio hoc poterit emendare, si magna & admirabilis doctrina eius hoc sine emendatione reliquerit? Vnde pro absolutiõe animæ uestræ, proq; augmento mercedis uestræ, ut ante tremendi oculos iudicis uestra in omnibus perfecta sint opera, festinare debetis, simoniacam hæresim, quæ prima in Ecclesia exorta est, à sanctissima sede uestra, quæ nostra est, funditus euellere atq; eradicare. Propter hoc etenim contigit ut Ecclesiastici ordinis à plurimis sanctitas caderet, quia personæ nõ pro uita & actibus, sed pro præmijs ad eos ordines adducuntur. Si autem morum merita & non præmia quæruntur, ad ordinationem personæ indignæ non ueniunt. Et tanto plus incipiet uobis merces accrescere: quãto boni quiq; qui adducti ad sacros ordines fuerint, de animarum lucris studuerint cogitare.

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino. De uerbo dei instantius prædicãdo. Caput XLVII

Epist.47 MAgnas omnipotenti deo gratias reddimus quia in ore cordis dulcis fit sapor charitatis cùm impletur quod scriptum est: Sicut aqua frigi Prou.25 da sitienti, sic nuncius bonus de terra longinqua. Ante hoc enim temporis Bonifacij chartularij responsalis mei, qui in urbe regia demoratur, uehementer me scripta turbauerũt: quæ dicebant dulcissimam mihi atq; suauissimam sanctitatem uestram defectum corporei luminis pertulisse. Ex quibus scriptis graui mœrore perculsus sum. Sed subito creatoris ac redemptoris nostri gratia prosperante beatitudinis uestræ suscepi epistolam: & sanam de ea quam audiui corporis molestia agnoscens, exultaui uehementer: quia tanta lætitia cordis secuta est, quanta prius tristitiæ amaritudo præcesserat. Scimus enim quia in omnipotentis dei adiutorio multorum salus est uita uestra. Nam tunc inter fluctus nautæ securi nauigant, quando gubernator doctus atq; artifex ad claui regimen sedet. In salutis autem uestræ gaudio, hæc quoque mihi est exultatio addita: quia & imminutos ore uestro Ecclesiæ hostes, & multiplicatos dominicos greges agnoui. Crescunt enim quotidie per linguæ uestræ uomerem grana cœlestia, atque in supernis horreis multiplicantur: ita ut in uobis impletum esse gaudeamus quod scriptum est: Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo boum. Vnde aperte colligimus quia

quantum

quantum plus ad seruitium dei omnipotentis fugitiuos eius reducitis: tãtum apud eum maius meritum habetis. Et quanto meritũ maius accipitis, tanto potestis amplius impetrare quæ petitis. Rogo ergo ut pro peccatore enixius oretis, quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immensa uastitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me uehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare nõ ualeo: sed intercessione uestræ beatitudinis hanc me obtinere confido. Secũdo uerò anno nulla sanctitatis uestræ scripta suscepi, atq; omnino contristatus sum. Et quidem uestra benedictio, quam sine epistola transmisistis, data atq; suscepta est. Sed quia plus me lingua uestra quàm data lætificant, minoris gratię esse credidi quæ dabantur. Communem autem filium Epiphanium diaconem Alexandro atq; Isidoro sanctissimę Ecclesię uestrę diaconibus feci scribere: ut constarer quia ea quæ transmissa sunt, suscepissemus. Scripsi uerò quia grandia ad arbores ac temones faciendos ligna paraueram: sed nauis parua quæ uenerat, hæc portare non potuit, & nihil mihi exinde rescripsistis. Vnde si sunt necessaria, communi filio Bonifacio diacono quem nunc ad urbem regiam pro faciendis respõsis transmittimus: scribite ut mihi ipse rescribat quatenus prę parentur, ut cum beatitudo uestra transmiserit, parata ualeant inueniri. Præterea transmisimus crucem paruulam, in qua de catenis amatorum uestrorum sanctorum Petri & Pauli Apostolorum inserta est benedictio, quæ oculis uestris assiduè supponatur: quia multa per eandem benedictionem miracula fieri consueuerũt. Omnipotens deus cordi beatitudinis uestræ aspiret, ut pro me orare assiduè curetis. Et uos uestrosq; omnes sua dextera protegat, atq; post longa annorum curricula ad cœlestia regna perducat. Eulogias uerò sancti Marci à beatissima fraternitate uestra transmissas, cum ea charitate qua sunt directæ, secundum notitiam earum suscepimus: & gratias affectui uestro referimus: quia ex his exterioribus, quales erga nos sitis, agnoscimus.

Gregorius Ioanni episcopo Panormitano. De uidendo eo. Cap. XLVIII

Epist.48 AMorem circa nos uestrum quem corporali nobis uisione uoluimus exhiberi: scriptis et operibus assiduè demõstratis. Sed quid aliud hæc exhibendo agitis, nisi ut plus quæramus uidere quem docemur amplius amare? Et paulominus iam etiam murmurare cepimus: quia non possumus uidere quem amamus. Sed affuit qui mihi impossibilitatem nauigij de uestra gloria narraret, atque ideo quod amaui retinui, & q̃ iratus fuerã peperci. Omnipotẽs deus sua uos protectiõe custodiat, & à malis omnibus gratia assidua defendat.

Gregorius Ioanni episcopo Panormitano. De charitate clericis suis exhibenda. Cap. XLIX

Epist.49 IMplenda sunt semper postulantium desideria, quotiens illa poscuntur quæ à ratione non deuiant. Et ideo quia quædam capitula, quæ seruatum te clericis tuis petentibus promisisti, nostra ab eis postulatur authoritate firmari, fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut ea quæ præsentia scripta continent, sine aliqua debeas refragatione seruare. Primum ut de redditibus ecclesię quartam in integro portionem Ecclesiæ tuæ clericis secundum meritum uel officium siue laborem suum, ut ipse unicuiq; dandum prospexeris sine aliqua præbere debeas tarditate. De hoc uerò quod ex fidelium oblatione accesserit, quartã partem in solidis uel cellario eis iuxta pristinam consuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua retineas potestate. Immobilia enim ecclesiasticis redditibus aggregentur, ut multiplicata quantitate clericorum tuorum usibus, deo largiente, proficiant. Tabellariũ unà cũ consensu seniorum & cleri memineris ordinandũ, qui annis singulis ad amputandam fraudis suspitionem solenniter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum autem tempore idem clerus emendi uinum de possessionibus Ecclesiæ tuæ ad iusta precia, inquantum uendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est, ut quod potest extraneis uenundari, clericis dato precio denegetur. Possessiones igitur, uel si qua sunt ecclesiastico iuri competentia, & ab extraneis indebitè detinentur, cũ omni studio seruata ciuilitate in ius Ecclesiæ tuæ præparare festina, ut negligens in aliquo uideri non ualeas. Si quid igitur de quocunq; clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè possit offendere, facilè non credas, nec ad uindictam te res accendat incognita, sed præsentibus senioribus Ecclesię tuę diligenter est ueritas perscrutanda, & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpã feriat delinquentis. Hæc itaq; omnia sic sollicitè ac mansuerè studij tui sit custodire: quatenus nec tu promissionis tuæ uidearis immemor extitisse, nec illi contra te iustam occasionẽ inuenire ualeant murmurandi.

Cau.15.q.7 Si quid

Gregorius Ioanni defensori, eunti in Hispaniam. De lege multimoda episcoporum & aliorum. Cap. L.

Epist.50 Cau.2.q.1 In primis

IN primis requirendum est de persona presbyteri dilectissimi fratris coepiscopi nostri Ianuarij, & si ita se ueritas habet, sicut eiusdem episcopi petitio cõtinet, in Ecclesia atq; in loco suo, modis omnibus idem presbyter reuocetur. Si autem dictum fuerit, quia contra ipsum causa aliqua mota siue probata est, subtiliter ipso præsente, & pro se rationem reddente, quærendũ est & genus causæ, & modus probationis: ut ex hoc colligere ualeas, utrũ adhuc in exilio demorari, an certe in Ecclesia sua & officio suo debeat reuocari. De supra dicti episcopi persona hoc statuendũ est, ut si nulla cõtra eũ criminalis causa, quæ exilio uel depositione digna est, mota siue probata est, is qui eo superstite episcopus peruersè ac contra canones in Ecclesia eius ordinari præsumpsit, sacerdotio priuatus, ab omni ecclesiastico ministerio repellat. Qui etiã eidẽ dilectissimo Ianuario fratri & coepiscopo nostro tradendus est: ut ab ipso aut in custodia

Universidad de Deusto
Biblioteca

stodia habeat, aut certè ab eo ad nos certò transmittatur. Episcopi uero qui eũ ordinauerunt, uel ordinationi eius consentientes interfuerunt, sex mensibus dominici corporis et sanguinis communione priuati, agere pœnitentiam decernantur in monasterio: & suprascriptus Ianuarius loco & ordini suo modis omnibus reformetur. Si uerò communione priuatis mortis contigerit imminere periculum, benedictio eis uiatici non negetur. Si autem episcopi in prejudicium condemnationis uel depositionis memorati episcopi, se metu iudicis consensisse, ac talia fecisse non sua sponte fassi fuerint, & tempus eis abbreuiandum est, & modus pœnitentiæ temperandus. Si uero ille qui locum eius inuasit, de hac fortasse luce migrauerit, & alter est ordinatus, quia leuioris culpæ uidetur, cum non quasi isti superstiti, sed successisse defuncto uideatur, episcopatus illi officium ab illa Ecclesia tantummodo interdicatur, ut in alia Ecclesia quæ sacerdote uacauerit, si electus fuerit, possit esse episcopus: ad Malachitanam tamen Ecclesiam nunquam aliquo modo reuersurus. Gloriosus autẽ Comitiolus quicquid prædictus episcopus per uiolentiam atq; insecutionẽ ipsius expendisse, uel damnũ pertulisse dato sacramento firmauerit, eidem episcopo restituere condemneť. Si autem aliter quã antefati episcopi petitio cõtinet actũ esse forsitan perhibeť, subtiliter quærendũ est, & ueritate cognita cũ dei timore quod iustitiæ ordo suaserit iudicandũ. Quia ergo Stephanus episcopus in odio suo quædam ficta, & de falsis se capitulis accusatũ, neq; aliquid ordinabiliter factũ, sed iniustè se asserit condemnatũ: diligẽter quærẽdum est, primò si iudiciũ ordinabiliter est habitũ, ideſt si alij accusatores, alij testes fuerunt. Deinde causarũ qualitas est examinãda, si digna exilio uel depositione fuit. Aut si eo præsente qui accusatus est sub iureiurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actum est, uel ipse licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quę rendum est: cuius uitæ, cuius conditionis, cuiusq; opiniõis, aut ne inopes patrimonij sint, aut ne forte aliquas contra prædictum episcopum inimicitias habuissent, & utrum testimonium ex auditu dixerunt, aut certe se scire specialiter testati sunt, si scriptis iudicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est. Quòd si forte hæc solenniter acta non sunt, nec causa probata est quæ exilio uel depositione digna sit, in Ecclesiã suã modis omnibus reuocetur. Hi uero qui eum contra dei timorem & canonum statuta condemnauerunt, excõmunicati in monasteriũ ad agendam pœnitentiã sex mensibus sunt mittendi: ita sanè ut si cuiquam eorum mortis contigerit imminere periculum, uiatici benedictio non negetur. Ipse autẽ qui eo uiuente locum eius temerariè ambiuit, priuatus sacerdotio ab omni ministerio ecclesiastico repellatur, atq; eidẽ dilectissimo fratri & coepiscopo nostro tradatur, ut eum aut ipse ad nos transmittat, aut apud se in custodia habeat. Episcopi uero qui eum ordinare præsumpserunt, uel peruersę ipsius ordinationi præbuere consensum, communione priuati, sex mensibus ad agendam pœnitentiam in monasterio deputentur. Si autem episcopi in præiudiciũ condemnationis uel depositionis memorati Stephani se metu iudicis consensisse, ac talia fecisse non sua sponte professi fuerint, tempus eis abbreuiandum est, & modus pœnitentiæ temperandus. Si igitur is qui prædicti Stephani locũ inuasit, fortasse defunctus est, atq; alius in Ecclesia eius episcopus ordinatus est, illud de eo statuendum est, quod superius de causa fratris & coepiscopi nostri Ianuarij, diximus. Quòd si forte aliqua de obiectis contra memoratum Stephanum episcopum probata sunt, aliqua uerò doceri minimè potuerunt: cauta omnino consideratione pensandum est, utrum leuiora capitula, an certe grauiora probata sint, ut ex eis qualiter diffinitionẽ tuam formare debeas, possis scire. Gloriosus uerò Comitiolus, si suprascriptus episcopus innocens esse claruerit, quicquid de rebus eius uel Ecclesiæ ipsius tulit, ei sine aliqua restituat dilatione. Sed & quæcq; se in persecutionem ac uiolentiã eius expendisse, uel damnum idem episcopus pertulisse iurauerit, idẽ memoratus gloriosus Comitiolus reddat ac satisfaciat. Si autem talem culpam antedictũ episcopũ cõmisisse constiterit, quod absit, ut cõstet eũ nõ irrationabiliter fuisse depositum, eadẽ eius depositio cõfirmeť, & Ecclesię res suæ omnes restituanť, quę ablatæ claruerint, quia delictũ personæ in damnum Ecclesiæ non est conuertendum. Si enim, ut dicũt, Comitiolus defunctus est, ab hærede eius quæ ab illo iniustè ablata sunt, sine excusatione reddantur.

Gregorius Vitali defensori. De consiliarijs excõmunicatis Ianuarij episcopi. Cap. LI

Epist. 51

QVid de fratre nostro Ianuario episcopo agnouimus, & lator præsentium & exemplaria scriptorum nostrorum te poterunt informare atq; ideo excommunicationem quam super uniuersos eius consiliarios dari decreuimus, tua experientia solerter exequatur: ut cadentes discãt, quatenus incautè ambulare nõ debeant. Præterea precium tritici quod nobis xenij nomine fuerat trãsmissum, per latorem præsentium redemptorem defensorem trãsmisimus. Videat experientia tua, ne uel tu, uel ipse qui detulit, aliquid ex eo in precio commodi participare pręsumat, sed totum singulis uel simul omnib. illibatũ restituat, eorumq; mihi scripta de eodem præmio transmittat: quia si aliter quàm admoneo factum cognouero, uindictam ex eadem causa nõ mediocriter exercebo

Gregorius Ioanni defensori. De monachis Capreæ insulæ. Cap. LII

Epist. 52

VBi canonicam districtionem culparum contra se qualitas excitat, postponere quæ corrigenda sunt non debemus: ne dissimulatione uires dare prauis actibus, quos falce nos disciplinæ resecare conuenit, uideamur. Quia ergo peruenit ad nos, monachos monasterij in Capricana insula, quæ iuxta Maioricam insulam est posita ita peruerse se

uersè se agere, ac uitam suam diuersis facinoribus submisisse, ut non omnipotenti deo, sed antiquo hosti, quod cum gemitu dicimus, ostendantur militare: experientia tua præsenti authoritate commonita, ad prædictum monasterium accedere, & uitam moresq; illic conuersantium sub tali studeat inuestigatione perquirere, & ita quæ resecatione digna repererit, sicut canonicus ordo desiderat, congrua ultione corrigere, atq; eos quæ ob seruare debeāt studeat informare: quatenus emēdationis tuæ modus & istos ad uiam rectę conuersationis reducere, & te apud nos nullo modo ualeat accusare culpabilem.

Epistola Ioannis defensoris de cognitione de qua inter episcopos resedit. Cap. LIII

Epist. 53 IN nomine domini ipse illa die illa indictione, illis, cui officium cognitoris iniungitur, ita se pura ac intemerata conscientia debet in omnibus exhibere, ut ex his quæ in alijs iudicat, ipse ultionem æterni examinis non incurrat. cum igitur ex deputatione & iussione beatissimi atq; Apostolici domini mei Gregorij, Ego Ioannes defensor inter Ioannem episcopum Malachitanę ciuitatis, inter illos & illos episcopos cognitor resedissem, necesse fuit huiusmodi causam prædicti Ianuarij interna iniquisitione discutere, & à partib. subtiliter quærere ueritatē, si ut petitio eius continet, trāsmissis clericis à memoratis episcopis una cum hominibus glorioſi Comitioli de Ecclesia fuerit uiolenter abitractus. Qui dum multa contra se inuicem, sicut gesta testantur, obijcerent, ad conclusionis hunc utrąq; partes aliquando terminum peruenerunt, petentes me de agnitis debere iudicare. Vnde sollicitè relegens quæ acta sunt, & ueritatem diligenti inuestigatione perquirens, nullā in antedicto Ianuario culpam quæ exilio uel depositione digna esset puniri, sed magis illum eiectum de Ecclesia uiolenter inueni. Et quanquam huiusmodi temeritatem legū censura districtissimè feriat, ego tamen legū uigorē sacerdotali moderamine temperans medijs sacrosanctis Euangelijs, quibus præsentibus ab initio in hoc cognitor resedi iudicio, ea quæ contra eum statuta sunt, licet iure non teneant, nec alicuius sint momenti, iusta tamen & infirma esse pronūcio, atq; illos memoratos episcopos, qui postposita consideratione sacerdotali, in fratris præiudicium atq; cōdemnationem iniustè & cōtra dei timorē uersati sunt, cōdemnās, in monasteriū recipiēdos ad agēdam in tempus pœnitentiā statuo atq; decerno. Illū uerò qui locū antedicti sanctissimi Ianuarij cōtra sacrorū canonū statuta nequiter præsumpsit inuadere cōdemnans, priuari sacerdotio, & ab omni ecclesiastico ordine remoueri statuo: ut & hoc quod malè est adeptus amittat, nec ad officiū quod antè indignè gesserat, reuertatur. Sæpedictum autem sanctissimum Ianuarium episcopum absolutū loco suo in episcopatus gradu deo authore reuerti, ac modis omnibus reformari constituo.

Gregorius Ioanni defensor in eunti Hispaniam. De pluribus causis examinandis. Cap. LIIII

DE persona presbyteri hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed episcopus ipsius adiri debuit, sicut nouella constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis & deo amabilibus ac reuerentissimis episcopis, clericis, & monachis, Imperator Iustinianus augustus Petro glorioſissimo præfecto prętorio: Si quis contra aliquem clericum aut monachum, aut diaconissam aut monastriam aut assistriam habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimū episcopum, cui horum unusquisq; subiaceat. Ille uerò causam inter eos dijudicet. Et si quidē utraq; pars his quæ iudicata sunt, non acquieuerit, iubemus per loci iudicem hæc executioni perfectè mādari, &c. Ne uerò obijciatur, quia de clerico hoc loquitur, non de presbytero: sciendum est quia in eadem constitutione lib. C. i. legitur appellatione clericorum, etiam presbyteros & diacones conti neri. Verba autem legis ista sunt: Presbyteros autem & diacones & subdiacones, cantores et lectores, quos omnes clericos appellamus, & reliqua. Epist. 54 Cau. 11. q. 1 De persona

De persona Ianuarij episcopi sciendum est grauiter omnino & contra leges esse actum, ut uiolenter de Ecclesia traheretur: dum si quamlibet aliam iniuriam à quocunq; episcopo in Ecclesia passus fuerit, iniuriantem lex capitali pœna percutiat, & sicut maiestatis reum omnibus det accusandi illū licentiam, ut huius legis series loquitur Codicis libro primo, titulo sexto, constitutione decima. Imperatores Archadius & Honorius augusti Theodoro præfecto præto. Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit, ut in Ecclesias catholicas irruens sacerdotibus & ministris, uel cultorib⁹ ipsis uel cultui ipsi locoq; aliquid importet iniuriæ quod geritur, à prouinciæ rectoribus animaduertatur, atq; ita prouinciæ moderator, sacerdotum & clericorum, & catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & diuini cultus iniuriam capitali in cō uictos seu confessos reos sententia nouerit uindicandam. Et post pauca: Sitq; cunctis laudabile factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias uelut publicum crimen insequi, atq; de talibus reis ultionem mereri, &c. Data. vi. calendas. maij. Mediolani Honorio augusto quater, & Euthiciano ter consulibus. Libri suprascripti titu. xv. consti. ij. Imperator Honori⁹ & Theodosius augusti Ionio præfecto præto. Fideli ac deuota pręceptione sancimus, nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias cō fugientes abducere, sub hac uidelicet definitione ut si quisquam contra hanc legem uenire tentauerit, sciat se maiestatis crimine esse retinendum. Data calendis aprilis. Honorio septies, & Theodosio tertio consulibus. Item eiusdem tit. consti. v. Imperator Leo augustus Eutorio præfecto præto. Præsenti lege decernimus per omnia loca ualitura, excepta hac urbe regia in qua nos diuinitate propitia degentes, quotiens usus exegerit inuocati, singulis causis atq; personis præsentanea constituta præstamus, nullos penitus cuiuscunq; conditionis de sacrosanctis Ecclesiis orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, uel protrahi confugas. Et post Cau. 2. q. 1 In primis. De persona

Universidad de Deusto
Biblioteca

pauca: Qui hoc moliri, aut facere, aut nuda cogita A
tione ſaltem, atq; tractatu auſi fuerint tentare: ca-
pitali & ultima ſupplicij animaduerſione plecten
di ſunt. Ex his ergo locis, eorūq; finibus quos an-
teriorum legum præſcripta ſanxerūt, nullos eſſci
aut expelli aliquando patimur, nec in ipſis Eccle-
ſiis reuerendis ita quenquam detineri atq; reſtrin
gi, ut ei aliquid aut uictualium rerum, aut ueſtis
negetur, aut requies, &c. Data pridie kalen. Mar-
tij Conſtantinopoli: Leone auguſto tertiùm con-
ſule. De perſona Stephani epiſcopi ad hoc atten-
dendum eſt, quia nec inuitus ad iudicium trahi,
nec ab epiſcopis alieni concilij debuit iudicari, ſi-
cut nouella quædam traditio quæ de epiſcopis lo
quitur, continet. Ait enim: Sed neque pro quali- B
cunq; pecuniaria uel criminali cauſa ad iudicem
ciuilem ſiue militarem, inuitum epiſcopum pro-
ducere, uel exhibere citra imperialem iuſſionem
permittimus, ſed iudicem qui tale aliquid, ſiue ex
ſcripto, ſiue ex non ſcripto præſumpſerit impera-
re, poſt cinguli priuationem xx. librarum auri pœ
nam exoluere iubemus Eccleſię cuius epiſcopus
produci aut exhiberi iuſſus eſt, executorem ſimi-
liter poſt cinguli priuationem & uerberibus ſub-
dendum, & in exiliū deportandū. Item poſt mul-
ta: Si aūt & à clerico aut laico quocūq; aditio con
tra epiſcopū fiat, propter quanlibet cauſam, apud
ſanctiſſimum eius metropolitanū ſecundum ſan-
ctas regulas & noſtras leges cauſa iudicetur. Et ſi
quis iudicatis cōtradixerit, ad beatiſſimū archiepi C
ſcopum & patriarcham dioceſeos illius referatur
cauſa, & ille ſecundum canones & leges huic præ
beat finem. Contra hæc ſi dictum fuerit, quia nec
metropolitanum habuit nec patriarcham, dicen-
dum eſt quia à ſede Apoſtolica, quæ omnium Ec-
cleſiarum caput eſt, cauſa hæc audienda, ac dirí-
menda fuerat, ſicut & prędictus epiſcopus petijſ-
ſe dinoſcitur, qui epiſcopos alieni cōcilij iudices
habuit omnino ſuſpectos. Quia ergo ſententia nō
à ſuo iudice dicta, nihil firmitatis obtineat, lectio-
nis huius tenor oſtēdit lib. C. vij. tit. xlviij. cōſtit.
iiij. Imperatores Gratianus, Valentinianus, &
Theodoſius auguſti ad Pontium Mutium. Et in
priuatorum cauſis huiuſmodi forma ſeruetur, ne
quenquam litigatorum ſententia, non à ſuo iudi- D
ce dicta, conſtringat. Data xi. calen. Octobris Ro
mæ, Auſonio & Olibrio cōſulibus. Quòd autem
dicitur à ſeruis ſuis accuſatus, ſciendū eſt quia au-
diri minimè debuerunt, ut hæc conſtitutio patefa
cit ſic dicens. C. lib. ix. tit. i. conſtit. xx. Imperatores
Archadius & Honorius auguſti Euthiciano præ-
fecto præto. Si quis ex familiaribus uel ex ſeruis
cuiuslibet domus cuiuſcunq; criminis delator at-
que accuſator extiterit, eius æſtimationem, caput
atq; fortunas petiturus, cuius familiaritati uel do-
minio inhæſerit, ante exhibitionem teſtiū, aut exa
minationem iudicij, in ipſa expoſitione criminū
atq; accuſationis exordio, ultore gladio feriatur.
Vocem enim funeſtam intercidi oportet potius
quàm audiri, maieſtatis autem crimen tantū exci
pimus. Data v. idus nouembris Cæſaribus conſu-

libus. Si uerò dictum fuerit, quia de hoc accuſa- A
tus eſt, quod ad maieſtatis crimen attinet, nec ip-
ſum de eo credendum fuit, ſi uita uel opinio eius
talis antè non extitit, ſicut lib. pandectarū xlviij.
ad legem Iuliam maieſtatis ſcribit Modeſtinus,
lege famoſi, paulo poſt principiū. Hoc tamen cri
men à iudicibus non in occaſione, ob principalis
maieſtatis uenerationem, habendum eſt, ſed in
ueritate rei iudicatæ. Nam & perſona ſpectanda
eſt, an potuerit facere, & antè quid fecerit, & an
cogitauerit. Quòd autem dicit idem Epiſcopus
quia ſe abſente, aliqui uiliſſimi ſint teſtes exhibi-
ti: hoc ſi uerum eſt, nullius eſſe momenti lege no-
ſcendum eſt: Conſtitutione nouella quæ de teſti-
bus loquitur. Hoc quoq; ſæpius agnouimus, quo B
niam quidam aut apud locorum defenſores, aut
apud clariſſimos prouinciarum iudices, aut etiā,
ut aſſolet, hic apud uirum clariſſimū magiſtrum
cenſus ingrediuntur, & queruntur tanquam ab
alio paſſi aliquid contra leges, aut aliter læſi aut
damnificati, teſtes uolentes producere. At ne po-
ſtea obiiciatur eis, quia per unā partem geſta con
fecta ſunt: oportet illum in ipſa ciuitate conſtitu-
tum ubi teſtimonia dantur, admonitum à iudice
ſiue à defenſore aduenire, & audire atteſtationes.
Si uerò noluerit aduenire, ſed contempſerit, ut ex
hoc ab una parte teſtimonia aduerſus eum inutí-
lia ſint, ſancimus huiuſmodi teſtimonia ita uale-
re, ac ſi non ex una parte cōſiſterent, ſed etiā ipſo
præſente fuiſſent facta. Si enim recuſauerit & ue-
nire noluerit, & audire quæ deponuntur, cùm uti
que in publico ſit, & non ex ineuitabili quadam
neceſſitate uenire non poſſit, ſimilis aduenienti
erit, & nulla utilitas ex contemptu ſuo ei adhibe-
bitur, ſed uidebuntur quidem in utriuſq; præſen-
tia probatiōes factę. Ecce admonēdus eſt ſemper
aduerſarius ut ad audiēdos teſtes adueniat. Quod
quia hic omiſſum eſt, neceſſe eſt ut quod contra
leges actum eſt, firmitatem non habeat. Quales
autem teſtes uel cuius opinionis ad teſtimonium
admittendi ſunt, plurimæ leges oſtendunt, quæ
penè nulli habentur incognitæ, quæ etiam ſanci-
unt ut uiliſſimis teſtibus ſine corporali diſcuſſio-
ne credi non debeat. Quod aūt dicitur quia nihil
ſine ſcriptis iudicandum eſt, legēdus eſt tit. xliij.
lib. vij. codicis, quia ſcriptis debuit iudicari. Nam
ibi inter alia dicit atq; præcipitur, ut ſententia quę
ſine ſcripto dicta fuerit, ne nomen quidem ſenten
tiæ habere mereatur.

Gregorius Theodoro curatori.
De Petro uiro magnifico. LV

POſtquam ſic de gloriæ ueſtræ ſinceritate præ Epiſt.55
ſumimus, ut ueſtros uos credamus reputare
qui noſtri ſunt, latori præſentium Petro uiro ma-
gnifico ad promerendam bonitatis ueſtrę gratiā,
hoc ſolum ſufficere poterat, indicare quia noſter
eſt. Sed quoniam paterna cōmendatio boni filij
mentem ſolet ſemper accendere paterna dulcedi
ne ſalutantes petimus, ut memorato filio noſtro,
atq; memoratæ filiæ noſtræ glorioſæ matri ipſius
patrocinij ueſtri gratiam oſtendatis, eosq; & illic
poſitos

positos tuitionis uestræ remedio foueatis, & ue- A
nientes ad nos uestris subsidijs adiuuetis: quate-
nus dum ea quæ gloria uestra ex se solet impen-
dere, nostra benignius epistola interueniente prę
stiterit, & ipsam rem consuetam uideatur laudabi
liter exhibere, & nos sibi pro sua bonitate gratia-
rum esse per omnia faciat debitores.

Gregorius Paulo scholastico. De ultione eius in maleficos. Cap. LVI

Epist. 56 QVanto nos gloria uestra tristes dudum effe-
cerat, propterea quòd se aduersus fratrem
& coepiscopum nostrũ Leonem reuerendissimũ
uirum querelas habere aliquas perhibebat: tanto
eodem fratre ad nos modo ueniente, cor nostrum
gauisum est, quia in pristinam uos concordiã, deo B
propitio, ad inuicem redijsse testatus est. Qui etiã
inter alia bona quę uestris laudibus inserebat, ad-
iecit omnino uos in ultione maleficorum sollici-
tos ac districtos, sicut reuera uos ut Christianos
oportuit, extitisse. Vnde ualde in nobis lætitia
quam de uobis sumpseramus excreuit, quia illum
uobis placabilem redditis, contra cuius inimicos
zeli uestri rectitudinem exercetis. Propterea glo
riam uestram paterna dulcedine salutantes horta
mur, ut quia satis est moribus uestris accommo-
dum pacem diligere, reparatã inter uos gratiam
nullius lingua perturbet: sed sic in uobis erga pa-
ternũ amorem charitas ardeat, ut eam aduersi fla-
tus more flammæ non extinguant, sed augeant.
Nam & eundem antedictum fratrem nostrũ hor- C
tati sumus, ut ita paternam uobis dilectionem im
pendat, quatenus reciprocum gloriæ uestræ affe-
ctum non odiosè, sed uelut mutuum tanquam fœ
nerator semper possit exigere.

Gregorius Vitali defensori. De xenodochio ne-glecto. De Ecclesijs uacantibus. De Pompeia-na. De infirmitate Ianuarij episcopi tempore sa-crificij. Cap. LVII

Epist. 57 EXperientia tua indicante comperimus xe-
nodochia in Sardinia constituta, grauem ha-
bere neglectum. Vnde reuerendissimus frater &
coepiscopus noster Ianuarius uehemẽtissimè fue
rat obiurgãdus, nisi nos eius senectus ac simplici
tas, & superueniens ægritudo, quam ipse retuli-
sti, suspenderet. Quia ergo ita est positus ut ad ali
quam ordinationẽ esse non possit idoneus, œco- D
nomũ eius Ecclesiæ, atq; Epiphaniũ archipresby
terum ex nostra districtè autoritate cõmonemus,
ut eadem xenodochia sine periculo suo sollicitè
ac utiliter studeãt ordinare. Nam si quis illic post
hæc neglectus extiterit, nulla se nouerint posse a-
pud nos ratione aliquatenus excusare. Quoniam
uerò possessores nos Sardiniæ petiuerũt, ut quia
diuersis oneribus affliguntur: Constantinopolim
pro eorũ debeas remedio proficisci, licentiã tibi
eundi cõcedimus. Sed & dilectissimo filio nostro
Bonifacio scripsimus, ut suũ tibi pro remedio illi-
us prouinciæ studeat adhibere solatium. De eccle
siis autem quas uacare sacerdotibus indicasti, prę
dicto reuerendissimo fratri & coepiscopo nostro
Ianuario scripsimus, ut eas debeat ordinare, sic ta-
men ut non oẽs ad episcopatũ de Ecclesijs ipsius

eligantur. Nam sic eum conuenit alias ordinare,
ut Ecclesiæ suæ personis quæ in ea possint profi-
cere necessitatem nõ faciat. Illud igitur quod ad gu
bernationem quorũdam monasteriorũ personas
esse præpositas, quæ antè dum adhuc in minori
essent ordine, monastico scilicet habitu, lapsę sunt
indicasti, officiũ quidẽ abbatis suscipere, nisi om-
nino correcta uita & digna præcedente pœniten
tia minimè debuerunt. Sed quoniã iam oblatum,
sicut dicis, officiũ susceperũt, de uita, moribus, ac
sollicitudine eorũ cura gerenda est. Et si actus nõ
sunt contra officiũ, in eo quo sunt ordine perseue
rent, alioquin remotis eis, alij qui commissis sibi
animabus prodesse ualeant ordinentur. Causa præ
terea de monasterio sancti Hermæ, quod in do-
mo Pompeianæ religiosæ à fratre nostro constru
ctum est, quia plus blandimentis q̃ districtione
agenda est, experiẽtia tua apud eandem mulierẽ
cum dulcedine agere studeat: quatenus nec illa in
peccato proprio authoris sui debeat postponere
uoluntatem, & tu utilitates monasterij ualeas salu
briter procurare. Puellas aũt suas quas antedicta
Pompeiana in monasterio mutata olim religiosa
ueste cõuertit, abstrahi ab ea uel inquietari nullo
modo patiaris, sed in ea qua sunt cõuersione, deo
protegente, permaneant. Pro requirendis uerò re
bus Ecclesiarum, uel monasteriorum, siue piarum
causarum quod scripsisti, prius quidem hi quorũ
interest, admonendi sunt ut eis te insistente, te so-
latiante modis omnibus requirant. Quòd si forte
uel ipsi negligentes extiterint, uel certe qui eas re
quirere debeant, inuenti non fuerint, tunc omnia
ipse perquire, atq; ita reperta collige, ut manu ali-
quod iudicium inferre cuiquã minimè uidearis.
De xenodochijs itaq; hortulani atq; Thomæ nil
hactenus horum quæ indicasti cognouimus. Ea-
propter experiẽtia tua iussionẽ principis ex hoc
datam diligenter inspiciat, & omnia secundũ eius
tenorem disponat: & nobis quicquid egerit, inno
tescat. De hoc igitur quod scripsisti, fratrem & coe-
piscopum nostrum Ianuarium tempore quo sacri
ficium celebrat, tantam pati frequenter angustiã,
ut uix post longa interualla ad locũ canonis redi-
re ualeat quem reliquit, atq; ex hoc multos dubita
re, si cõmunionem debeant de eius consecratio-
ne percipere: admonendi sunt ut nullatenus perti
mescant, sed cum omni fide & securitate cõmuni
cent, quia ægritudo personæ, sacri mysterij bene-
dictionem nec mutat, nec polluit. Secretius tamẽ
omnino idem frater noster hortandus est, ut quo-
tiens aliquã molestiam senserit, non procedat, ne
ex hoc se & despiciendum præbeat, & infirmorũ
animis scandalum faciat. Præterea Pompeiana re
ligiosa fœmina questa nobis est, hæreditatẽ quon
dam generi sui Epiphanij, in qua Epiphanius idẽ
Matronam coniugem suã filiã antefatæ Pompeia
næ usufructuariã constituerat, monasterio quod
in domo sua fundari statuerat, & postea extincto
usufructu modis omnib. profuturã, atq; alia quæ
eidem Matronæ proprietatis iure probantur cõ-
petere, ab experiẽtia tua, & à reuerendissimo fra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tre & coepiscopo nostro Ianuario iniustè sublata, & exinde nihil hactenus uel filiæ suæ redditum, uel profecisse monasterio. Quòd si ita ueritas se habet, & aliquid te indecenter fecisse cognoscis, absq; ulla mora ablata restitue, aut certe si aliter esse putas, ne grauari pars aduersa præiudicialiter uideatur, electorum cum ea iudiciũ hac de causa nullo modo subire postponas, ut utrũ uera iustaq; eius sit querimonia definitione iudicij declaret.

Gregorius Ioanni episcopo Panormitano. De transmutatione rerum Ecclesiasticarum. Caput LVIII

Epist. 58 SIcut rationi contraria procul est abijciẽda petitio, ita in his quæ bene desiderantur, effectũ negari non conuenit. Quia igitur ut fraternitatis tuæ petitio, quæ tenetur in subditis, continet, in qua tecum una presbyteri & diaconi, cæteraq; Ecclesiastica officia præscribentes præbuere cõsensum, domum cum horto & balneo suo, atq; omnibus ad eam pertinẽtibus in hac urbe Romana posita, quæ ad ius Panormitanæ Ecclesiæ ex hæreditate quondam Flori uiri magnifici peruenisse dinoscitur, cum dilectissimo filio nostro Epiphanio diacono permutare desideras, propter hoc quod domus ipsa, ita parte detecta, parte diruta, parte igne probatur esse consumpta, ut nihil exinde cõmodi, sicut testaris ante multos iam annos nunc usq; Ecclesiasticis utilitatibus potuisset accedere, atque hac in re nostra tibi dari postulas authoritate licentiam, prouisionem tuam diligentius intuentes, postquã & nobis cognitũ est, domũ ipsam in eo esse statu quo asseris, atque ita minante ruina quotidie deteriorem fieri, ut non solum Ecclesiæ tuę nõ utilis, sed potius subinde damnosa posse uideatur existere, idcirco permutandi tibi eam cum balneo & horto suo, omnibusq; generaliter ad eam pertinẽtibus, iuxta petitionem tuã, quam & ueritatis & rationis apud nos ordo suffulcit, huius authoritatis nostræ serie liberã per omnia cõcedimus facultatem, quatenus huiusmodi accepta licentia, nec te culpa de temeritate, uel incautela respiciat, nec ille aliquid dubietatis incurrat. Nam prouidum, salubreq; est aliquid compendij procurare, unde nulla spes lucri, sed damni magis formido est.

Gregorius Fantino defensori Panormitano. De Exhilarato episcopo. Cap. LIX

Epist. 59 TAlia ad nos de fratre & coepiscopo nostro Exhilarato, sicut & ipse nosti, peruenerunt: quæ districta essent omnino ultione plectenda, sed quoniam bis eam reuerentissimus frater & coepiscopus noster Leo, qui etiam in causa eius iudicem se fuisse testatus est, leuigauit, ad Ecclesiã suã illum transmittendum esse præuidimus, iudicantes sufficere illi hoc quod eum hic diutius retinentes afflximus. Itaq; experientiæ tuæ præcipimus, ut erga mores, actusq; illius curam habeat, atque eum frequenter admoneat, quatenus se ad impendendam clericis suis charitatem benignum, & si res exegerit, ad corrigendas culpas debeat exercere sollicitũ. Sed & clerũ eius admonere uolumus, ut humilitatem illi, ac obedientiam quã dominus mandat exhibeat, nec in aliquo illi superbus præsumat existere. Quòd si quis eorum, ideſt, episcopus siue clerus admonitionẽ tuam neglexerit, ex hac nostra authoritate canonica coerctione inobedientiæ culpam, aut tu, sicut præuideris, corrige, aut nobis renunciare festina: ut disponere ualeamus qualiter disciplinę frenum extra iter suum eos pergere non permittat, quos ad excessum aculeus prauæ mentis irritet.

Gregorius Ioanni episcopo Panormitano. De Fantino defensore & Petro. Cap. LX

QVia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare uindictam, quærenda semper est ueritas, ut inquiri debeat utrum accusatum noxa condemnet, an à pœna innocentia patefacta subducat. Ita que peruenit ad nos Fantinum defensorem ultionem exercere in Petrum latorem præsentium uoluisse, pro eo quòd, quantum dicitur, relictam cuiusdam diaconi tempore quo conductor fuerat, marito tradiderit. Sed quoniam iste coniugem diaconi asserit non fuisse, dicens nec uirginem illam ad eum uenisse, deniq; ut nec religiosam uestem mutare præsumeret, postquam ille in sacro ordine promotus est, adijciens & priusquam ad diaconem perueniret, & postea praua illã opinione uixisse: Ideoq; fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cum dei, sicut decet, timore causam hanc subtili omnino inuestigatione perquirat, ut si in coniugio diaconi mulierem de qua agitur, fuisse constiterit, et suprascriptus lator memorato defensori et rectori patrimonij ad uindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione hi qui malè sociati sunt, disiungantur. Si uerò in eius coniugio non fuit, memoratum Fantinũ ex nostro mandato commonere te uolumus, ut ei facere nil præsumat, nec illum accusatio apud eũ in aliquo prægrauet. Quia uerò relictam sibi antedictus Petrus apud Ecclesię colonos perhibet reducere, uolumus ut sine cuiuscunque impedimento eam habeat, si tamen ita est exigendi licentia. Nã si inuentus fuerit esse culpabilis, non res suas amittere, sed in se debet dignam ultionem suscipere.

Epist. 60

Finiunt epistolæ Indictionis sextæ.

LIBER DVODECIMVS

Incipiunt epistolæ Indictionis septimæ, ex registro beati Gregorij papæ.

Gregorius seruus seruorum dei Matiniano episcopo Rauennæ. De Fortunato abbate iniuste deposito. Cap. I

VIa incongruũ ualde est à susceptо officio sola quẽquam uoluntate suspendi, quẽ culpa non remouet, sollicitè disponendum est ut nec prior ordinatio irrationabiliter destruatur, nec sine emendatione quæ malè secuta fuerint, relinquantur. Fortunatus itaq; lator præsentiũ in monasterio sanctorũ Laurentij et Zenonis, quod in Cesenati

Epist. 1

in Cesenati castro est constitutum, à Natali quondam episcopo officium sibi abbatis asserens esse commissum, nunc se à successore eius Concordio nulla existente causa uel culpa exinde remotum, atq; alium in loco suo queritur ordinatum. Quod etiam coram testibus quibusdam diaconibus nostris præsente diacone prædicti Concordij episcopi sui causas allegante ex parte ita esse perclaruit. Sed quoniam certior in partibus illis ubi res acta est potest esse probatio, fraternitas tua diligenter atq; sollicitè hoc studeat perscrutari. Et si nulla manifesta causa depositiõis extitit, quæ prædictum Fortunatũ ab abbatis officio remouerit, eũ in suo loco reformare festinet, atque eius episcopum digna reprehensione increpare non desinat, cur decessoris sui nullis prouocat⁹ excessibus destruere ordinationem molitus sit. Si uerò aliter quã edocti sumus, causam esse pars altera dixerit, subtili ueritas inuestigatione quærenda est, & ita quicquid canonicus ordo poposcerit terminandum, ut nulla ea de re denuo querela remaneat.

Gregorius Alcysono episcopo Corcyrę. De Cassiopi castro iniustè peruaso. Cap. II

Epist. 1 NOn immeritò elati cordis retundi postulatur ambitio, quando sacrorum canonum uigore postposito, temerariæ prę sumptionis excessus aliena illicitè cõcupiscendo, non solũ ad generanda dispendia noxius, uerumetiam paci Ecclesiasticæ probatur esse contrarius. Relectis igitur fraternitatis tuæ epistolis, quæ de Cassiopi castro quod in tua sitũ est dioceśi ab episcopo Isauriæ ciuitatis uel prius uel modo sint acta cognouimus. Et contristati sumus quod hi qui Ecclesię tuæ pro impensa sibi charitate debitores esse debuerãt, inimici magis fieri nullo sunt pudore prohibiti. Deniq; ut cõtra Ecclesiasticã ordinationẽ, contra sacerdotalẽ modestiam, cõtra sacrorũ canonũ statuta, prædictũ castrũ de iurisdictione tua abducere, ac sue molirentur potestati subijcere, ut fierent quodammodo domini, ubi prius susceptí fuerant peregrini. Qua de re quoniam Andreas uenerabilis memoriæ frater noster Nicopolitanus metropolita innitente sibi quoq; principali iussione in qua ei causæ huius fuerat iniuncta cognitio, prolata sicut nobis patuit noscitur statuisse sententia, antefatum Cassiopi castrum sub iurisdictione Ecclesiæ tuæ quemadmodũ semper fuit debere persistere, formam eiusdem sententiæ comprobantes, Apostolicæ sedis authoritate eam fauente iustitia comprobamus, confirmamus, atq; per omnia robustã manere decernimus. Nam nulla æquitatis ratio, nullus canonum ordo consentit, ut parochiam alterius alter aliquo modo debeat occupare. Vnde licet districtionem contra se non modicam huius litigij culpa uideat exigere, propter quod ab eis mala pro bonis sint reddita, studendũ tamen est ut excessum benignitas non uideat perpetrare, nec illud quod extraneis debetur, fratribus etiam necessitatẽ patientibus denegetur, ne nihil charitas agere in episcoporũ mentibus iudicetur, si sine consolationis remedio hi quibus magna est habenda compassio relinquant. Oportet ergo ut sacerdotes uel clerus Isauriæ ciuitatis ab antefati Cassiopi castri habitatione nullatenus repellantur, sed & beati Donati sanctum ac uenerabile corpus quod secum detulerunt, in unam Ecclesiarum antedicti loci quã elegerint, siue intus siue foris habeant recondendi debita cum ueneratione licentiam. Sic tamen ut dilectioni tuæ in cuius parochia castrum ipsum est positũ, emissa procuretur cautione munitio, per quã promittat episcopus Isauriæ nullam sibi potestatem, nullũ priuilegium fore, nullam iurisdictionem, nullã tanquam cardinalis episcopus ulterius authoritatem defendere, sed post pacem deo propitio redditam ablato uenerabili sancti Donati corpore, ad propria modis omnib. reuersurus. Vt huius promissionis persistente memoria, nec de cætero quicquã sibi illic principaliter quacunq; occasione audeant uendicare, sed omni se tempore esse ibidẽ hospites recognoscant: & fraternitatis tuæ Ecclesia iuris uel priuilegij sui in qualibet parte præiudicium non incurrat.

Gregorius Bonifacio diacono Constantinopolitano. De peruasione castri Cassiopi. Cap. III

Epist. 3 QVotiens nos eorum discordia tristes facit qui pacis prædicatores esse debuerãt magna sollicitudine studendum est, ut litigij ablata materia ad concordiam redeant hi qui diuersa ab inuicem uoluntate discordant. Quæ igitur de Cassiopi castro quod in insula Corcyra est positum, acta sint, qualiter de iurisdictione Corcyritani episcopi episcopus Isauriæ moliatur subtrahere, & suæ nequiter iurisdictioni subijcere, ualde prolixum est dicere: Sed dilectioni tuæ ut cuncta subtiliter comprehendas, fratris nostri Alcysoni episcopi Corcyræ scripta transmisimus, atq; eius illic uenire hominem fecimus, qui etiam uerbo tutius te ad singula possit instruere. Hoc tamen breuiter indicamus, quia dum imperatori Mauricio esset in præiudicio Ecclesiæ Corcyritanæ quondam subreptum, nec iussio eius, quippe quia contra leges & sacros canones data fuerat, habuisset effectum, & indecisa inter partes cõtentio remansisset: ab illum ad Andream quondã fratrem nostrũ & coepiscopũ & metropolitã Nicopolitanum iussionẽ dedisse: ut quoniã utraq; pars eius erat iurisdictioni subiecta, ipse hanc causam cognoscere, & finire canonicè debuisset. Qui metropolita cognita causa probataq; sententia cuius tibi exemplaria misimus, prædictum Cassiopi castrum sub potestate ac iurisdictiõe Corcyritani episcopi, cuius & semper fuit dioceśis, esse distinxit. Quam nos sententiam comprobantes, Apostolicæ sedis authoritate præuidimus confirmandam. Et ne ea quæ decreuimus, ita potuissent esse districta, ut nihil benignitatis habere uiderentur admixtum: curæ nobis fuit ita causam temperatè disponere, sicut sententiæ nostræ quam ad te misimus textus ostendit, ut neq; episcopus neq; clerus Isauriæ ciuitatis necessitatem habitationis incurrerent, nec Corcyritanæ

cyritanæ Ecclesiæ priuilegia in aliquo turbarent. Sed quia inter ipsa primordia sereníssimo domino surreptum est, atque contra iudicium Nicopolitani metropolitæ, quod Ecclesiastica rectitudine & canonica ratione suffultũ est, episcopus Isaurię, quod nec sine dolore audire, nec loqui sine gemitu possumus, cum maiori iniuria episcopi Corcyritani & clericorum eius antefatum Cassiopi castrum traditum memoratur, ut amota, quod graue est dici, iurisdictiõe Corcyritanæ Ecclesię, ipse illic omnem tanquam principalem habeat potestatem, sentẽ etiam nostram nulli dare prę uidimus, ne contra iussionem clementíssimi domini imperatoris, uel quod absit, in despectum eius aliquid facere uideremur. Itaq; dilectio tua pietati eius cũcta diligenter insinuet, atq; constanter astruat hoc omnino illicitum, omnino prauum, omnino iniustum, & sacris esse ualde canonibus inimicum. Et ideo huiusmodi peccatum temporibus suis introduci in Ecclesiæ præiudicium non permittat. Sed quid de hoc negotio iudicatum antefati quondã metropolitæ iudicium contineat, uel à nobis qualiter ea quæ ab illo decreta sunt, cõfirmata fuerint suggerat, atq; id agere studeat, ut cum eius iussione nostra illic sententia transmittatur: quatenus & serenitati ipsius, sicut dignũ est, reseruasse, & rationabiliter correxisse quæ malè præsumpta sunt, uideamur. Qua in re omnino danda opera est, ut si fieri potest, etiam iussionem suam ipse tribuat, in qua ea quæ à nobis definita sunt, seruari præcipiat. Nam hoc facto, omnis de cætero surreptionis locus obstruitur. Ita ergo ad compescenda hęc præiudicia uigilantiam tuam cum omnipotentis dei adiutorio exercere festina, ut nec modo uoluntas eorum qui peruersa moliuntur, aliquid contra antiquum Ecclesiasticæ consuetudinis statum obtineat, nec pòst ad exemplum res nephanda prosiciat. Quanta præterea mala quantasq; oppressiones suprascriptus Alcysonus frater & coepiscopus noster ab actionarijs Ecclesiæ Thessalonicensis asserat sustinere ut possis cognoscere, ipsam quam ad nos misit epistolam dilectioni tuę transmisimus. Ideoq; prædictæ Ecclesiæ responsalẽ uenire ad te facito, atq; causam ipso præsente cognosce, & de capitulis quibus te ratio mouerit, fratri & coepiscopo nostro Eusebio scribe, ut homines suos agere iniusta prohibeat, & minores non premere, sed magis in quibus iustum fuerit, moneat adiuuare. Hoc quoq; uolumus, ut ei qui in ciuitate Nicopolitana metropolita fuerit ordinatus, dilectio tua scribere debeat, quatenus causam de dãnis quæ Ecclesiæ suę illata prędictus frater noster Alcysonus queritur, cognoscere, & quod iustum est debeat definire, quia à decessore ipsius negotium ipsum non decisum, sed legitur reseruatum.

Gregorius Ioanni episcopo. De Ecclesia sanctæ Mariæ consecranda. Cap. IIII

Epist.4 BAsilicam quam à dilectione tua in honorem beatæ semperq; uirginis Marię per Sauinum subdiaconem nostrum, & rectorẽ patrimonij sugeris esse perfectam, consecrandi tibi præceptionis nostræ serie noueris facultatem attributã, qua tenus frater charissime deuotionis tuæ desideriũ complens celebritatis perfectione gratuleris.

Gregorius Desiderio episcopo Galliæ. De milite qui ancillã dei de monasterio rapuit. Cap. V

Epist.5 CVm inter multa bona quæ nobis de magnitudine uestra sæpius nunciantur, illud in uobis plus laudabile dicitur existere, quòd charitatẽ diligitis, & disciplinam, sicut dignum est, custoditis, satis mirati sumus quòd in milite illo qui ancillam dei diabolica instigatione perdiderit, districtíssima uindicta hactenus facta non fuerit. Nam moribus & bonitati uestræ ualde conueniens fuit ut antè ad nos ultio quàm perpetratæ culpæ iniquitas perueniret. Sed quia uindictam huius sceleris non uoluntate uestra, sed aliorum credimus surreptionibus esse suspensam, neq; hoc peccatũ uel numerum indisciplinati militis, uel loca illa in quibus cõmissum est, ualeat premere: hortamur, ut sine excusatione aliqua uel modo qualis uobis feruor sit erga charitatis custodiam demonstrantes, ita pro exemplo aliorum districtè emendare tantum facinus festinetis, ut & deum uobis, in cuius ille hoc iniuriam perpetrauit, & timorem eius despexit, placabilem faciatis, & nos uobis de zeli uestri rectitudine gratias referamus. Nam tantã iniquitatem inultam remanere nullo modo patimur.

Gregorius Ioanni episcopo. De eligendo episc. Anchonitanæ Ecclesiæ. Cap. VI

Epist.6 NE incauta eorum ordinatio qui ad episcopatum eliguntur, ualeat prouenire, uigilanti de eorum personis sollicitudine est requirẽdum. Indicatum siquidem nobis est Florentinum archidiaconem Ecclesiæ Anchonitanę qui ad episcopatum fuerat electus, scripturæ quidem sacræ scientiam habere, sed ita ætatis senio iam confectũ accepimus, ut ad regiminis officium non possit assurgere. Adijcientes etiam ita illum tenacẽ existere, ut in domo eius amicus ad charitatem nunquam introeat. Rusticus autem diaconus eiusdẽ Ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, uigilans quidem homo dicitur, sed quãtum asseritur, psalmos ignorat. Florentium uerò diaconem Ecclesiæ Rauennatis, qui electus ab omnibus dicitur, sollicitũ esse nouimus, sed qualis sit interius, omnino non scimus. Ideoq; fraternitas tua unà cum fratre & coepiscopo nostro Armenio suprascriptæ Anchonitanæ Ecclesiæ uisitatore illuc festinet accedere, & diligenter de uita ac moribus singulorum requirere, si de nullo sibi sunt crimine conscij, quod eos ad hoc officium uetet accedere. Pariter etiã requirendum est si hoc quod de præfato archidiacone dictum est, quia nunquã amicus domum eius ingressus est, si ita se ueritas habeat, & utrum ex necessitate, an ex tenacia talis sit, aut si ita senex est, ut ad regendum non possit assurgere, uel si tactis sacrosanctis euangelijs, sicut nobis nunciatũ est, iusiurandum præbuerit, nunquam se ad episcopatum accedere. Sed etiam de Rustico diacono, quantos Psalmos minus teneat, perscrutandũ est.

parte.1.dist. 85.ca. Florentiñ archidiaconem.

Florentio

Florentio autē diacono Rauennati, si nullū, sicut A diximus, crimen est quod obsistat, apud episcopū eius agi necesse est, ut ei debeat cessionē cōcedere, non tamē ex nostro mandato uel edicto, ne cō tra suam uoluntatē eum concedere uideatur. Sed hoc ut norunt, qui eum eligunt, ex se agant, tu uero de singulis cū omni studio ac sollicitudine omnia quæ scripsimus require, atq; nobis stude subtiliter indicare, ut renūciatiōe tua reddíti certiores, qd post hæc fieri debeat, deo autore disponamus.

Gregorius Theodelindæ reginæ Longobardorum. Descriptis Secundini. Cap. VII

Epist.7 SCripta quæ ad nos dudum à Ianuensibus partibus trāsmisistis, gaudij uestri nos fecere participes, propterea q̄ omnipotentis dei gratia & filium uobis donatū, & quod ualde excellētiæ ue- B stræ est laudabile, catholicę eum fidei nouimus sociatū. Nec enim de Christianitate uestra aliud credendum, nisi id studere uos, ut quem diuino munere suscepistis, catholicæ rectitudinis auxilio muniretis, ut & redemptor noster familiarem te suam famulam cognosceret, & Longobardorum genti nouū regem in timore suo feliciter nutriret. Vnde oramus omnipotētem deum, ut & uos in mandatorū suorū uia custodiat, & eundem excellentissimū filium Adulouualdum in suo amore faciat proficere, quatenus sicut hic inter homines iam magnus est, sic quoq; & bonis actibus ante dei nostri oculos sit gloriosus. Illud autē quod excellentia uestra scripsit, ut dilectissimo filio nostro Secundino abbati ad ea quæ scripsit, subtiliter C respondere deberemus, quis uel petitionem, uel uestra desideria quæ multis esse profutura cognoscit, si ægritudo non obsisteret, duceret postponenda? Sed tantæ nos podagræ infirmitas tenuit, ut non solum non dictare, sed nec ad loquendum possimus assurgere, sicut & præsentiū portitores legati uestri cognouerunt, qui nos & uenientes infirmos inuenerunt, & discedentes in summo uitæ periculo atq; discrimine reliquerūt. Sed si omnipotente deo disponente conualuero, ad cuncta quæ mihi scripsit, subtiliter respondebo. Eam tamen synodum quæ piæ memoriæ Iustiniani tempore facta est, per latores præsentiū transmisi, ut prędictus filius meus dilectissimus ipsam relegens, agnoscat quia falsa sunt omnia quæ con D tra sedem apostolicam uel catholicam Ecclesiam audierat. Absit enim nos cuiuslibet sensum hæretici recipere, uel à tomo sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris nostri in aliquo deuiare, sed quæcunq; à sanctis quatuor synodis sunt definita, recipimus, & quæcunq; reprobata sunt, condemnamus. Excellentissimo autem filio nostro Adulouualdo regi trāsmittere filateria curauimus, id est crucē cum ligno sanctæ crucis domini, & lectionem sancti euāgelij theca Persica inclusam. Filiæ quoq; meæ sorori eius tres annulos trāsmisi, duos cum hyacinthis, & unum cum albula, quæ eis per uos peto dari, ut apud eos nostra charitas ex uestra excellentia condiatur. Paterna præterea charitate persoluentes salutationis officiū, petimus ut excellentissimo filio nostro cōiugi uestro pro nobis de facta pace gratias referatis, atq; eius animum, sicut cōsueuistis, ad pacē de futuro per omnia prouocetis, quatenus mercedē populi innocētis, qui in scandalo perire poterat, ante cōspectū dei inter multa bona quę agitis, inuenire possitis.

Gregorius Alcysono episcopo Corcyræ. De corpore beati Donati in Cassiopi castro. Cap. VIII

REsipiscentibus fratribus, & ad salubre se con Epist.8 silium conuertentibus non est neganda benignitas, ut ne plus in episcoporū mentibus culpa uideatur posse quàm charitas. Venientē igitur ad nos Petrum Ecclesiæ Isauriæ lectorē cum scriptis fratris & coepiscopi nostri Ioannis, coram responsalibus dilectionis tuæ suscepimus, atq; eum post relecta scripta quæ detulerat, curę nobis fuit requirere, si quid contra allegationem eorundem responsalium tuorum haberet, quod diceret. Quidum nihil sibi aliud iniunctum uel responsurum se penitus perhiberet, extra hoc quod episcopi ipsius epistola continebat, ea quæ canonibus congruebant, deo autore sine tarditate decreuimus. Post longum uero tempus suprascriptus Petrus chartularem protulit, quem sibi datum à suo asserebat episcopo, & idcirco moras causa sustinuit. Sed quia in eodem capitulari memoratus speraſse legebatur antistes, ut in Ecclesia beati Ioannis quæ in Cassiopi castro est posita, sanctū ac uenerabile corpus beati Donati haberet recondendi licētiam, paratum se esse inquiens dilectioni tuæ, propterea quòd tua probatur esse diœcesis, munitionem emittere, nullum tibi ex hoc prędudicium generari, petitionem eius sine effectu non prędidimus relinquendam, postquam ita sibi necessitatis tempore desiderat fieri consultum, ut Ecclesiæ tuæ iurisdictionē seruare se in omnibus fateatur. Hac itaq; ratione permoti, fraternitatē tuam scriptis præsentibus adhortamur, ut sine mora, uel aliqua excusatione, in prænominati beati Ioannis Ecclesia recondendi suprascripti sancti uenerabile corpus præbeat potestatē, ita sanè ut prius scriptura interueniente te muniat, nunc̄q; se in antefata Ecclesia uel castro sub quolibet argumento, aliquā iurisdictionē uel priuilegiū tanc̄q; proprius episcopus uendicare, sed omne illic ius ac potestatē Ecclesiæ tuæ, quippe cuius est parochia, inuiolabiliter custodire. Pariter quoq; te sicut idem frater noster petijt, conuenit respondere, ut tempore quo miserante deo pace reddita illi ad propria fuerit reuertendi licentia, antedictum uenerabile corpus auferēdi secum sine aliqua obiectione fas habeat. Qua de re ne personale esse uideat quod geritur, & inueniri possit unde recidiua rursus excitetur contentio, & successores uestri in hac promissione pro conseruandis omnibus sunt per omnia complectēdi: quatenus huiusmodi peruenientę cautela, nec ille ibidē de cætero sibi quicquam in diœcesi tua contra æquitatem, & sacrorum canonum decreta præsumat defendere, & ius Ecclesiæ tuæ ex huiusmodi concessione præiudicium aliquod nulla unquam ratione sustineat.

Gregorius Felici ſubdiacono rectori patrimonij. De reddituibus Eccleſiæ ſancti Pauli conceſsis. Caput IX

Epiſt.9 LIcet omnia quæ hìc Apoſtolica habet Eccleſia beatorum Petri & Pauli, quorum honore & beneficijs acquiſita ſunt, deo ſint authore communia, eſt tamen in adminiſtratione actionum diuerſitas perſonarum, ut in aſſignatis cuiq; rebus cura adhiberi poſſit impẽſior. Cum ergo pro Eccleſia beati Pauli apoſtoli, ſollicitudo debita nos cõmoneret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine ſuæ prædicationis impleuit, & ualde incõgruũ ac eſſe duriſſimum uideretur, ut illa ei ſpecialiter poſſeſſio non ſeruiret, in qua palmã ſumens martyrij capite eſt truncatus ut uiueret, utile iudicauimus eandem maſſam, quæ aquas Saliuas nuncupatur, cum omnibus fundis ſuis, id eſt cella uinaria, Antoniano, uilla Pertuſa in foro Primiano, Caſſiano, Siloniſ, Cornelij, Theſſelata atq; Corneliano, cum omni iure, inſtructu, inſtrumẽto q; ſuo, & omnibus generaliter ad eam pertinẽtibus, cum eius Chriſti gratia luminaribus deputare, adñcientes etiam eidem ceſſioni hortos duos inter Tiberim & porticum ipſius Eccleſiæ, euntibus à porta ciuitatis parte dextera, quos diuidit fluuius Almon, inter affines horti monaſterij ſancti Stephani, quod eſt ancillarum dei, poſitum ad ſanctum Paulum, & ad fines poſſeſſionis Piſſiniani, ſimul & terrulas, quæ uocantur Foſſa latronis poſitas, id eſt iuxta eandem porticum euntibus, ſimiliter parte ſiniſtra ad portã ubi nunc uineæ factæ ſunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere poſſeſſioni Eugentis quondam ſcolaſtici, & ab alia parte poſſeſſioni monaſterij ſancti Hediſti, quę omnia deo adiuuante per antedictæ Eccleſiæ præpoſitos qui per tempora fuerint ſubſequentia à preſenti ſeptima indictione uolumus ordinari. Et quicquid exinde acceſſerit, luminaribus eius impendi, atq; ipſos exinde ponere rationes. Idcirco experientiæ tuæ præſcripſimus, ut ſupraſcriptã maſſam aquas Saliuas cum prænominatis omnibus fundis ſuis, necnon hortos atq; terrulas quæ ſuperius cõtinentur, de breuibus ſuis deleri facias, ac auferri, & ad nomen prędictæ Eccleſiæ beati Pauli apoſtoli tradere, quatenus ſeruientes ibi præpoſiti omni per hoc carẽtes excuſatione, de luminarib. eius ita noſtra ſtudeant ſollicitudine cogitare, ut nullus unq; illic neglectus poſſit exiſtere. Facta uero ſupraſcriptarum omnium rerum traditione, uolumus ut hoc præceptum in ſcrinio Eccleſiæ noſtræ experientia tua reſtituat.

Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi. De conſtruenda Eccleſia. Cap. X

Epiſt.10 IAnuarius ſubdiaconus Eccleſiæ Meſſanenſis, petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quæ habetur in ſubditis, in ciuitate Meſſanenſi baſilicam ſe pro ſua deuotione fundaſſe, quam in honorem ſancti Stephani & Pancratij, atq; Eupli deſiderat conſecrari. Et ideo frater chariſsime ſi in tuæ diœceſis ciuitatis iure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta primitus donatione legitima, id eſt à præſentis anni tributis liberos fiſcalibus ſolidos decem, et reliqua, de ſubſtantia ſua ſibi tantummodo uſum fructum retineat. Quæ omnia diligẽter inquire, ut ſi eorum quæ offeruntur reddituum quantitas, uel quæ tempore mortis reliquerint, ſartis tectis, & luminaribus, necnon alimonijs ſeruientium annua poſſunt prę ſtatione ſufficere, ipſa munificentia ſit geſtis municipalib⁹ alligata. Quod ſi hæc quæ diximus, per ſollicitudinẽ tuam impleta nõ fuerint, de propria ſubſtãtia quãti interfuerit, utilitati Eccleſiæ te uel hæredes tuos ſatisfacturum eſſe non dubites. His igitur procuratis, benedictio optata proueniat. Nec antè dedicationis munus impartias, quàm ſuperius comprehenſus fuerit ordo donationis impletus, enunciaturus ex more nihil illic cõditoris iuri alterius iã deberi, niſi proceſsionis gratia, quæ Chriſtianis omnibus in cõmune debet. Sanctuarium uero ſuſceptũ ſui cum reuerentia collocabis.

Gregorius Iuliano Scriboni. De Maximi inquiſitione. Cap. XI

SI ſecularibus officijs ordo ſuus & tradita à maioribus diſciplina ſeruatur, quis ferat Eccleſiaſticos ordines temeraria præſumptione cõfundi, audita negligere, & emendanda non bene remittendo poſtponere? Et quidẽ uos bene facitis charitatem diligere, & ad concordiam ſuadere. Sed quoniam loci noſtri cõſideratione compellimur, ea quæ ad noſtram notitiam peruenerunt, minimè propter deũ irrequiſita relinquere, idcirco uenìente Maximo, ſubtiliter ab eo quę de ipſo dicta ſunt, perſcrutari curauimus. Et cõfidimus de creatoris noſtri cuſtodia, quia cognita ueritate, à ſtatu canonũ & æquitatis rectitudine, nec gratia cuiuſquam, nec culpa deflectimur, ſed libenter quę cõgruunt rationi, ſeruamus. Nam ſi quod abſit, Eccleſiaſticam ſollicitudinẽ uigoremq; negligimus, perdit deſidia diſciplinam, & animabus profecto fideliũ nocetur, dum talia à ſuis paſtoribus exempla ſuſcipiunt. Illud autem quod ſcribitis, quia uoluntas palatij & amor ab eo populi nõ diſcordet, hæc res à iuſtitiæ uos zelo non reuocat, nec intentionem ueſtram in requirenda facit ueritate peccare. Studendũ ergo eſt fili magnifice, ut amorem ſibi dei quiſq; cõciliet. Nam ſine diuina gratia humana dilectio quid dicam in poſterum, dummodo quoq; apud nos amplius nocet?

Epiſt.11

Gregorius conductoribus maſſarum per Galliam. Quòd eos Arigio patricio cõmendauit. Caput XII

QVamuis inter medias ſitis turbas gentiũ cõſtituti, tamen ratio nos ipſa ſuſpicari cõpellit multum uos ab alijs bona actione diſtare. Sicut enim appellatio ſancti Petri apoſtolorũ principis familiam Eccleſiæ tantæ multitudini clariorẽ demonſtrat, ita debetis cæteros morum claritate præcedere, atq; eos quibus præeſtis, ut bene agãt, ut agnoſcant cui ſeruiunt, aſsiduè commonere, ut à rapinis gentium atque prauitatibus abſtineant, & familia Eccleſiæ non ſolum nomine, ſed meri-

tis

tis honoretur. Nos enim de uobis cognoscite stu- A
diosissime cogitare. Disposuimus enim hominē
nostrum, qui uos possit tueri, & regere, & cum ho
minibus cōmendatitijs ad excellentissimū regem
Christo auxiliante trāsmittere. Sed uiam tempus
hyemis impediuit. Viro ergo glorioso Arigio pa
tricio uos præuidimus cōmendandos, cui interim
summa benignitate atq; obedientia, sicut beati Pe
tri famulos decet, obedire studete, atq; ea quæ pro
Ecclesiastica utilitate uobis præcipiuntur, imple-
te. Visum autem nobis est, ut consuetudinaria ex
cepta eius utilitati debeatis inferre. Pensiones ue
ro fideliter cum omni colligite diligentia, ut apud
unumquenq; uestrum, quem cōmuni consensu e-
legeritis reiaceant, à quo cùm ueneritis, quem à la
tere nostro transmiserimus, eas possit accipere. B
Non enim sumus dubij, quòd per eum qui uobis
uisus fuerit, possit fideliter conseruari. Ita ergo in
omnibus irreprehensibiles atq; obedientes existi
te, quatenus ueniens ad nos is qui patrimonium
ipsum recturus est, sciat quemadmodum unicuiq;
uestrum pro sua debeat strenuitate rependere.

Gregorius Cypriano diacono. De persequen
dis maleficijs cantermis. Cap. XIII

Epist.13 VIr sanctissimus Maximianus episcopus no-
ster Ecclesiā dei prauis hominibus purgare
desiderans, laudabiliter erga Ecclesiasticorum ui
tam, sicut nosti, sollicitus fuit. Qui dum eorum a-
ctus uigilanter cura pastorali intēderet, maleficio
quod uulgo canterma dicitur, quosdā didicit ma-
culatos. Quos etiam, sicut & dilectionis tuæ nun- C
ciauit epistola, dedit in custodia retinendos. Sed
quia peccatis nostris facientibus morte præuen-
tus, crimen ipsum ulcisci non potuit, necesse est ut
dilectio tua cum omni hoc subtilitate indagare fe
stinet, atq; eos secundum immanitatem studeat fa
cinoris uindicare, qualiter secundum leges supra-
scriptum episcopum zelo correptionis ac iustitiæ
in hac ultione propter deum nouit si uiueret com
moueri. Omni ergo uirtute, omniq; instantia tua
dilectio in hac causa zelum suū erga omnipoten-
tem deum curet ostēdere, & inimicis illius aduer-
sitatē dignam inflictis ultionibus exhibere, ut im-
Psal.138 pleas quod scriptū est: Nónne qui oderunt te do-
mine oderam, & super inimicos tuos tabescebā?
Si ergo hoc zelo dilectio tua accēditur, in eos qui D
deum dereliquerunt, & contra eum maleficijs a-
liquid egerunt, pœna monstretur. Quòd si recte
illic exequi non ualet, nobis qui tales sunt trāsmit
ti debent, si tamen hic monstrari poterint, unde il-
lic possunt absq; difficultate cōuinci. Sed quia im
possibile esse existimo, illic per te debet districta
atq; fortis correctio prouenire. Virum autem glo
riosum dominū Libertinum prætorem in tali lo-
co per contemplationem omnipotentis dei adiu-
torem te habere confido. In hac tamen causa mite
scere minimè debuisti, etiam si tibi quilibet secula
ris iudex aduersarius potuisset existere. Possessio
nes præterea Archilai medici dilectio tua rationa
biliter tueatur, ut ab aliquibus iniustè eum mini-
mè grauari permittatis.

Gregorius Datiano episcopo Metropolitano.
De Barbarorum gladijs. Cap. XIIII

SCripta dulcissimæ & cordis ulnis omnibus Epist.14
amplectēdę uestrę beatitudinis tristis accepi,
lætus relegi. Quis enim in hac terra nō lugeat, quę
Barbarorum gladijs tradita, penè iam non habet
qui in ea uiuat, & tamen habet quotidie qui mo-
riantur? Sed in quantalibet tristitia, quem non ue
strę epistolæ in gaudium exultationis excuterēt?
in quibus non oris efficacia cum præpollentis sa-
pientię ingenio mihi medullitus loquebatur, non
carnis lingua, sed charitatis. Quia uero ego de fon
te uestræ securitatis hauriens, ex aliquanto lætifi-
catus sum, uos quoq; rogo nostræ tristitię luctum
tangite, & afflictionem nostram in uobismetipsis
magistra charitate protrahite. Neque enim nostri
mœroris sordes mundabitis, nisi ipsi quoq; per cō
passionem manum uestri cordis inquinetis. Nam
sordida uascula, ut inquinatione terræ careant, cū
terra mundari solent, et uos si parumper ad curam
uestrum animum ducitis, ut nobis opitulari ualea
tis, quasi cum luto lutum mundatis. Sed quia hoc
operando simul & orando agitis, si quid pro no-
bis in uobis tetrena actio inquinat, statim aqua or
dinationis lauat. Quia enim si quid patitur unum
membrum, compatiuntur omnia membra, cōpa-
tiendo laboribus nostris ostendite quia unum su-
mus. Narrare enim mala quę extrinsecus & intrin
secus patior, epistolari breuitate prohibeor. Sed
cōmunis filius Sabinianus diaconus uestræ dul-
cissimę sanctitati curanda uulnera nostra aperiet,
sed ex opere supernæ gratiæ subsequente salute
cognoscat, quia medicus est, qui uulnus uidet.
Pueros uero episcopo similes non transmitto, ni-
si prius cum omnipotentis dei & beatitudinis ue-
strę solatio à terrenis implicationibus exutus ipse
episcopus fuero. Quando enim me apud meip-
sum inuenero, tunc foris mei similes, uidelicet de-
formes quæro.

Gregorius Augustino episcopo Anglorum.
De usu pallij, & de Eboracensi Ecclesia. Cap. XV

CVm certum sit pro omnipotente deo labō- Epist.15
rantibus ineffabilia æterni regni præmia re-
seruari, nobis tamen eis necesse est bonorū bene-
ficia tribuere, ut in spiritalis operis studio ex remu
neratione ualeant multiplicius insudare. Et quia
noua Anglorū Ecclesia ad omnipotentis dei gra-
tiam eodē domino largiente, & te laborante per-
ducta est, usum tibi pallij ad sola missarū solennia
agenda concedimus, ita ut per loca singula duode
cim episcopos ordines, qui tuæ ditioni subiaceāt,
quatenus Lōdoniēsis episcopus ciuitatis semper
in posterum à synodo propria debeat consecrari,
atq; honoris pallium ab hac sancta & Apostolica,
cui authore deo deseruio, sede percipiat. Ad Ebo
racam uero ciuitatem te uolumus episcopum mit
tere, quem ipse iudicaueris ordinandū: ita ut si ea-
dem ciuitas cū finitimis locis uerbū dei receperit,
ipse quoq; duodecim episcopos ordinet, et metro
politani honore perfruat, quia ei quoq; si uita co-
mes fuerit, palliū tribuere domino fauēte ꝓponi-
mus

mus, quem tamē tuæ fraternitatis uolumus diſpo
ſitioni ſubiacere. Poſt obitum uero tuum ita epi-
ſcopis quos ordinauerit præſit, ut Lundonienſis
epiſcopi nullo modo ditioni ſubiaceat. Sit uero
inter Lundoniæ & Eboracæ ciuitatis epiſcopos
in poſterū honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior ha-
beatur, qui prius fuerit ordinatus. Cōmuni autem
cōſilio, & cōcordi actione quæcūq; erūt pro Chri
ſti zelo agenda diſponant, unanimiter recta ſen-
tiant, & ea quæ ſenſerint, non ſibimet diſcrepan-
do perficiant. Tua ergo fraternitas non ſolum eos
epiſcopos quos ordinauerit, neq; eos tantummo
do qui per Eboracenſem epiſcopum fuerint ordi-
nati, ſed etiā omnes Britanniæ ſacerdotes habeat
domino deo noſtro authore ſubiectos, quatenus
ex uita & lingua tuæ ſanctitatis, & rectè credēdi,
et bene uiuendi formam percipiant, atq; officium
ſuum fide ac moribus proſequentes, ad cœleſtia,
cùm dominus uoluerit, regna pertingant.

Gregorius Ioanni abbati de monte Sina.
Petit pro ſe orare. Cap. XVI

Epiſt.16 SAnctitatem uitæ tuæ humilitatis tuæ teſtatur
epiſtola, unde omnipotenti deo gratias agi-
mus, quia adhuc eſſe cognoſcimus, qui pro pecca
tis noſtris ualeant exorare. Nos enim ſub colore
Eccleſiaſtici regiminis mūdi huius fluctibus uol-
uimur, qui frequenter nos obruunt. Sed cœleſtis
gratiæ manu protegente de profundo releuamur.
Vos ergo qui in tāta quietis ueſtrę ſerenitate tran
quillam uitam ducitis, & ſecuri quaſi in littore ſta
tis, nobis nauigātibus, aut potius naufragātibus,
orationis ueſtræ manum tendite, & conantes ad
terram uiuentium pergere, quantis poteſtis preci
bus adiuuate, ut non ſolum de ueſtra uita, ſed etiā
de ereptione noſtra mercedem habere in perpe-
tuum ualeatis. Sancta trinitas dilectionem tuam
ſuæ protectionis dextera protegat, detq; tibi com
miſſum gregem orando, admonendo, boni ope-
ris ſtudium oſtendendo, in conſpectu ſui redem-
ptoris recte paſcere, ut ad æternæ uitæ paſcua ua-
leas cum ipſo quem paſcis grege peruenire. Scri-
Ioan.10 ptum quippe eſt: Oues meę uenient, & paſcua in-
uenient. Quæ uidelicet paſcua tunc inuenimus,
quando huius uitæ hyeme carentes, de æternæ ui
tæ quaſi de noui ueris uiriditate ſatiamur. Filio no
ſtro Simplicio renunciante cognouimus, lectos
uel lectiſternia in Gerontocomio, quod illic ab
Iſauro cōſtructum eſt, deeſſe. Propterea miſimus
lenas xv. rachanas xxx. lectos xv. precium quoq;
de emendis culcitris uel naula dedimus, quæ dile
ctionē tuam petimus non indignè ſuſcipere, ſed
in loco quo tranſmiſſa ſunt, præbere.

Gregorius Aſclepiodoto patricio Gallorum.
Patrimonium Eccleſiæ ipſi & regibus com-
mendat Cap. XVII

Epiſt.17 PRudentes uiros, ſicut eſtis, regibus adhęrere,
multorum ſolamen eſt. Nam dum præſtandi
ſibi locum ad animæ utilitatem datum intelligūt,
certum eſt quia mercedis cauſas, ubi inueniunt,
non poſtponunt. Quanto igitur affectu, quantaq;
deuotione gloria ſe ueſtra in cauſis pauperum ſtu
dio pietatis impenderit, dilectiſſimo filio noſtro
Candido presbytero renunciante comperimus.
Sed cùm hāc ſibi quodammodo nobilitas legem
imponit, ut debere ſe quod ſpōte tribuit æſtimet,
& niſi in beneficijs ſuis creuerit, nihil præſtitiſſe ſe
reputet, paterna dilectione ſalutantes gloriæ ue-
ſtræ ſupraſcriptum presbyterum & patrimonium
Eccleſiæ noſtræ fiducialiter cōmendamus, ut ope
gratiæ ueſtræ præmunitū, moleſtias & onera nul-
la ſuſtineat. Sic igit̄ ſtudij boni in uobis cura pro-
ficiat, ut utilitates pauperum uobis annitentibus
nutriantur, & ſentiamus quod de charitate ueſtra
præſumimus. Augete fauoris ueſtri præſidia, quia
nobilium mentium ſemiplenum bonum uidetur
quod ſine adiectione relinquitur. Et quoniam ab
excellentiſſimis regibus Francorum filijs noſtris
poſcimus, ut ipſum patrimoniolum ſub ſua cura
habere dignent̄, uobis adminiculantibus impleа-
tur, ut ueſtrum poſſit eſſe quod poſcimus: quate-
nus & nos gratias referētes pro gloriæ ueſtræ in-
columitate orare enixius ualeamus, & ueſtrorum
bonorū uiciſſitudinē deus uobis omnipotens &
hìc & in futuro recōpēſet. Clauim uero à ſacratiſ-
ſimo beati Petri corpore in qua de catenis eius be
nedictio continetur, tranſmiſimus, quæ collo ue-
ſtro ſuſpenſa contra omnia aduerſa uos muniat.

Gregorius Bacandæ & Agnello epiſcopis.
De ſynagoga Iudæorum. Cap. XVIII

SVpplicauerunt nobis Hebræi Terracinæ de- Epiſt.18
gentes ut locum quem ſynagogę hactenus ha
buerunt, eum illis noſtra quoq; autoritate eſſet ha
bendi licentia. Sed quia peruenit ad nos quòd lo-
cus ipſe ſic uicinus eſſet Eccleſiæ, ut etiam uoces
pſallentium illic ad eam peruenirent, ideo ſcripſi-
mus fratri & coepiſcopo noſtro Petro, ſi ita eſſet
ut uox de eodem loco in Eccleſia reſonaret, Iudęi
celebrationibus priuarentur. Itaq; fraternitas ue-
ſtra cum ſupraſcripto fratre & coepiſcopo noſtro
locum ipſum diligenter inſpiciat, & ſi ita eſt ut a-
liquid uobis in Eccleſia uiſum fuerit obfuiſſe, aliū
locum intra ipſum caſtellum præuidete, ubi præ-
fati Iudæi conueniant, quo poſſint ſuas ſine impe
dimento cærimonias celebrare. Talē uero frater-
nitas ueſtra præuideat, ſi hoc fuerint loco priuati,
ut nulla exinde in futuro querela naſcatur. Prędi-
ctos uero Iudæos grauari uel affligi contra ordinē
rationis prohibemus, ſed ſic Romanis uiuere legi
bus permittantur, annuente iuſtitia, actuſq; ſuos,
ut norūt, nullo impediēte diſponant, ut eis tamen
Chriſtiana mancipia habere non liceat.

Gregorius Sabino ſubdiacono.
De horto Feliciani monaſterio ancillarum de-
tradendo. Cap. XIX

OFficio pietatis impellimur monaſterijs pro Epiſt.19
uida conſideratione ferre conſultum, ne hi
qui in ſeruitio dei deputati eſſe noſcuntur, neceſsi
tatem aliquam, quod auertat dominus, poſsint ſu
ſtinere. Ideoq; experientiæ tuæ hac autoritate prę
cipimus, ut hortū quondam Feliciani presbyteri
poſitū in regione prima, ante gradus ſanctę Sabi-
næ, excuſatiōe poſtpoſita monaſterio Euprepiæ,
in quo

in quo ancillarum dei cõgregatio esse dinoscitur iure proprietario possidendum tradere sine ambiguitate festinet, quatenus nostræ beneficio largitatis in dei seruitio ipso quoq; suffragante securis mentibus perseuerent.

Gregorius Stephano chartulario.
De monachis fugitiuis restituendis. Cap. XX

Epist.20 SCientes magnitudinem charitatis uestræ toto dominum corde diligere, ob hoc ea quæ in marcis de iure quondam Patricij uiri piæ recordationis contra præcepta dominica, contraq; canonum regulam cõmissa esse didicimus, ad eius necesse duximus referre notitiã, quatenus hæc quæ perpetrata sunt, corrigi debeant, & alij deinceps tentare non præsumant. Insinuatum igitur nobis est, in massa quæ nuncupatur Maratoclis, abbati monasterij sancti Georgij, quod in eadem situm est, duos monachos refugisse, et unum quidem ex eis iam coniugem accepisse, alium autem laicum effectum seculariter uiuere, cum nec ex familia massæ homines ipsi esse liberi asserantur, & uel si secundum conditionem debuissent agere, contra deum erat ut post adeptum officij diuini cultum, ad secularem uitam atq; habitum remearent. Vnde hortor, ut habita iudicis æterni cõsideratione, monachos ipsos retrudi sine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cum uestro, quod absit, peccato, cæterorum monasteriorum districtio dissipetur, sed magis ut magnitudinis uestræ solatio, alijs monachis spes gerendi talia submoueatur. Asseruit autẽ prædictus abbas presbyterũ prædictæ massæ nouas monasterio ipsi uelle ponere consuetudines, quæ ex tempore cõditionis monasterij per triennale tempus hactenus non fuerũt, siquidem si quid illic munificẽtię gratia à fidelibus uiris oblatum fuerit, portionẽ se debere percipere. Quod magnitudo uestra studeat diligenter agnoscere, & si hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliquid nouiter imponi non concedat, quia maximè exiguæ substantiæ, & monasterium pauperũ esse didicimus, & abbatẽ ipsum hospitalem omnino esse multorũ attestatione didicimus.

Gregorius Veloci magistro militum.
De persecutione Arnulfi. Cap. XXI

Epist.21 ET pridẽ expressimus gloriæ uestræ, quia milites illic erant parati uenire, sed quoniã inimicos congregatos & hic discurrere epistola uestra significauerat, hæc eos hic causa retinuit. Vtile nunc uero est uisum, ut aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere & hortari, ut parati sint ad laborem, studeat. Et occasione inuenta cum glorioſis filijs nostris Mauricio & Vitaliano loquere, & quæcunq; uobis deo adiutore pro utilitate reipublicę statuerint, facite. Et si huc uel ad Rauennates partes, nec dicendum Arnulphũ cognoueritis excurrere, uos à dorso eius ita sicut decet uiros fortes, laborate: quatenus opinio uestra ex laboris uestri qualitate amplius in republica, deo auxiliante, proficiat, illud tamẽ præ omnibus admonemus, ut familiã Maloin, & Adobin, Vigildi, atq; Grussingi, qui cũ glorioso Mauricio magistro militum esse noscuntur, sine aliqua mora uel excusatione relaxes, quatenus ueniẽtes illuc homines prædicti uiri cum eis sine aliquo impedimento debeant ambulare.

Gregorius Mauricio & Vitaliano magistris militum. De Arnulpho. Cap. XXII

GLoriæ uestræ suscipientes epistolas, deo gratias egimus, quia de salute uestra cognouimus, & de sollicitudine uestra multum gauisi sumus, & mox ea quę scripsistis, parata fuerunt. Sed Allidio memorandus uir post aduentum hominum uestrorũ nobis scripsit, quia in proximo iam Arnulphus esset, & timuimus ne milites qui ad nos dirigunt, in manus eius inciderent. Et tamen hic, quantum deus adiuuerit, contra eum filius noster gloriosus magister militum se parauit. Sed & gloria uestra, si huc perrexerit ipse hostis, quomodo cõsueuistis, cum auxilio dei à dorso eius quod potestis perficite. Speramus enim in omnipotentis dei uirtute, & in ipsius beati Petri Apostolorum principis, in cuius natali sanguinem effundere desiderat, quia ipsum sibi contrarium sine mora inuenient. Epist.22

Gregorius Mauricio & Vitaliano magistris militum. De fide Suanensium. Cap. XXIII

SVppliciter gloriæ uestræ per filium nostrum Vitalianum cum quo & tractaretis & uerbo & scripto mandauimus. Vndecimo autẽ die mensis Iunij Arnulphus hanc epistolam quã uobis direximus transmisit. Et ideo relegentes eam, uidete si in fide sua Suanenses quam reipublicę promisere, perstiterunt. Obsides dignos de quibus possitis confidere, ab eis percipite, & insuper eos sacramentis obstringite, reddentes illis quod loco pignoris sustulistis, sermonibus uestris eos sanantes. Si autẽ manifestissimè cognoueritis eos cum Arnulpho de sua subditione locutos fuisse, uel certè obsides ei dedisse, sicut nos Arnulphi epistola quã uobis direximus, dubios reddidit, salubri consilio pertractantes, ne in aliquo anima nostra de sacramentis grauetur, quicquid utile reipublicæ iudicaueritis, peragite. Sed ita gloria uestra faciat ut neq; sit aliquid unde possimus ab aduersarijs cõprehendi, neq; in quo quod utilitas reipublicæ exigit, quod auertat dominus, negligatur. Pręterea glorioſi filij estote solliciti, quia quantum comperi, hostis collectam habet, & Narinas dicitur residere, & si hic cursum deo sibi irato mittere uoluerit, uos loca ipsius, quantũ dominus uos iuuerit, deprædate, aut certè scultas quos mittitis, sollicitè requirant, ne dolens factum ad nos discurrat. Epist.23

Gregorius uniuersis episcopis Neapolitanis.
De obedientia Constantio exhibenda. Cap. XXIIII

SVmma militię laus inter alia bona merita hęc est, obedientiam sanctæ reipublicæ exhibere, quodq; sibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare: sicut & nunc deuotionem uestram feciſſe didicimus, quæ epistolis nostris quibus magnificum uirum Constantiũ tribunum custodiæ ciuitatis deputauimus præesse, paruit, & congruam militaris deuotionis obedientiam demonstrauit. Epist.24

Vnde

Vnde ſcriptis uos præſentibus curauimus admonẽdos, uti prædicto magnifico uiro tribuno, ſicut & feciſtis, omnem debeatis pro ſereniſſimorũ dominorũ utilitate, uel cõſeruanda ciuitate obedientiã exhibere, quatenus quicquid à uobis bene geſtum hactenus agnoſcit, per præſentis temporis uigilantiam ac ſollicitudinem augmentetis.

Gregorius Iuuino Cathenenſi epiſcopo.
De ſocietate legendi. Cap. XXV

Epiſt.25 Dilectiſſimꝰ filius meus Cyprianus diaconus reuertens mihi ualde placuerat, ſi ad me totus redijſſet. Sed poſtꝯ gloria ueſtra in Sicilia ſeſe retinuit, certiſſimè ſcio quia prędictus filius meus ad me quidem corpore redijt, ſed mente in Sicilia remanſerit. Hæc tamen dicens, tantum quieti ueſtræ congaudeo, quantũ de meis occupationibus ingemiſco. Atque hoc ſummopere exhortor, ut ſi palatum corporis dulcedo tetigit intimæ ſuauitatis, ita introrſus rapiatur animus, ut triſte ſit omne quod foris ſonat, omne quod foris delectat. Laudo autẽ quòd humana conuenticula cauetis, quia ſępe animus qui renouari in deo per compunctionis gratiam deſiderat, per praua colloquia iterum ueteraſcit. Quæſiui autem qui uobis adhæreant in lectionis ſacræ collegio, & neminem reperi, & uehementer ingemui paupertatẽ boni. Et quamuis peccator ego ualde occultus, tamen ſi ad beati Petri apoſtoli limina uenire uolueritis, in ſacro eloquio ſtrictum poteritis me habere collegam. Omnipotens deus cœleſti uos protectione cuſtodiat, atqꝫ ab antiqui hoſtis inſidijs munitos permanere concedat.

Gregorius Maximiano epiſcopo.
De Euſebio abbate reſouendo. Cap. XXVI

Epiſt.26 Frequenter me admonuiſſe uos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus deberetis. Et nunc eſſe cognoui, quia reuerendiſſimum uirum abbatem Euſebium cõmota furore ueſtra fraternitas excõmunicauit. Quod ego ualde miratus ſum, ut non antiqua eius conuerſatio, non ætas longa, non ęgritudo diuturna, ab ira ueſtrum animum flexerit. Quilibet enim in eo fuerit exceſſus, ipſa ęgritudinis afflictio ei debuit pro flagello ſufficere. Quẽ enim diuina diſciplina conterit, ei humana flagella addi ſuperfluũ fuit. Sed fortaſſe ideo excedere in tali perſona permiſſus es ut cautior in uilioribus fias, & diu trutines cùm aliquem per preſentem ferire ſententiam diſponis. Eundem tamen præfatum uirum quanto furore exaſperaſti, tanta nunc dulcedine conſolare: quia ualde iniuſtum eſt ut qui te plus amauerunt, ipſi te ſine cauſa atrocem contra ſe ſentiant.

Gregorius Honorato diacono.
De Venantio honorando. Cap. XXVII

Epiſt.27 Filius meus dominus Venantius nepos quondam Opilionis patricij ad beatum Petrum apoſtolum ueniens, hoc à me ſummopere petijt, ut cauſam eius tuæ dilectioni cõmẽdare debuiſſem. Honores enim non habet, & chartas excõſulatus petijt, pro quibus triginta auri libras tranſmiſit, ut ei debeant cõparari. In qua re uolo ut dilectio tua ſe ſummopere impendat, quia talis uir eſt, cui etiã honor ſine precio debeatur. Et quia eaſdem chartas emere paratus eſt ut dixi, nõ ualde neceſſe eſt, ut ex me aliquid ſereniſſimis principibus dicatur, ſed magis ex ſe agat dilectio tua, quatenus oblatis in ſacella conſuetudinibus honores mereatur accipere. Si quid tamen potueris mitius agere, maximam de eo mercedem habebis. Sed ita fac ut labor eius ꝙ hìc ad nos fatigatus eſt, uacuus non ſit. Si uero in eadem cauſa difficile aliquid eſſe perſpexeris, etiam quia per me hoc poſtulet indicare debes, & cuius natiuitatis, cuius modeſtiæ ſit atqꝫ ſapientiæ, ſereniſſimis dominis intimare.

Gregorius Anthemio ſubdiacono.
De malis quæ patiebatur Romana ciuitas.
Caput XXVIII

Epiſt.28 Quia gloriam ueſtram fixam ualde atqꝫ ſtabilem in ſuis eſſe moribus audio, multum lætificor, & ſic uobis quæ mihi diſplicent, ſicut ſpeciali filio fiducialiter loquor. Excellentiſſimus enim exarchus aliqua loquitur, quæ omnes qui illum amant, ad inimicitias illius ualeant excitare. De qua re ei per latorem præſentium in excepto, quæ mihi uiſa ſunt relegenda dictaui, quæ ſi placet, & uobis relegantur, ut ſciatis quid ei de re eadem ſcribere debeatis. Hic autem quanta neceſſitas, & quæ nos mala conſtringant, & preſentis reſponſalis noſtri relatione, & ex epiſtolis fratris & coepiſcopi mei Mariniani poteſtis agnoſcere. Vnde gloriam ueſtram decet ſtudioſe cogitare, quia nos de ſapientia ueſtra magnam in omnipotente domino fiduciam habemus, & ubi uos eſtis, illic cauſam negligi nullo modo credimus. Ita ergo facite ut confidentia noſtra à ſua certitudine non inueniatur aliena. Gratia uos ſuperna cuſtodiat, & proſperè agere omnia concedat.

Gregorius Romano defenſori.
De neceſsitatibus annonæ in urbe Roma.
Caput XXIX

Epiſt.29 Qualem neceſsitatem diuerſa officia palatij urbis Romæ de annonis ſuis ſuſtineant, experientiã tuam credimus non latere. Et ideo quia latores præſentium uice ſua illuc omnes elegerũt tranſmittere, ut apud filium noſtrum glorioſum Leontium agere debeant, qualiter eis annonæ, ſicut à ſereniſſimis principib. largitæ ſunt, deputentur impendi, & in hac re etiam ſibi petiuerunt experientiam tuam debere concurrere: eapropter quia hoc te etiam illis non petentibus eorum exigit paupertas ac neceſsitas impartiri, dum aptum opportunumꝫ eſſe conſpexeris, eis in quibus ualueris ſtudij tui ſit ita præbere ſolatia: quatenus hoc quod illis clemẽtiſsimi principes pietate ſibi ingenita conceſſerunt, & illi conſequi ualeant, & tu indiſertus non uidearis exiſtere.

Gregorius Petro ſubdiacono Siciliæ.
De diuerſis cauſis. Cap. XXX

Epiſt.30 Indicante mihi Romano defenſore cognoui, quia monaſterium ancillarum dei quod eſt in fundo Monaſteo, ab Eccleſia noſtra de uilla noua de fundo iuris ſui uiolentiam pertulit, qui eidem monaſterio dicitur dimiſſus. Quod ſi ita eſt, experientia tua eis & fundũ reſtituat, & eiuſdem fundi

de duabus

de duabus indictionibus quas exegisti pensiones reddat. Quia autem multi Iudæorũ in massis Ecclesiæ cõmanent, uolo ut si qui ex eis Christiani uoluerint fieri, aliquantulum eis pensi relaxetur, quatenus isto beneficio prouocati, tali desiderio & alij assurgant. Vaccæ autem quæ iam sunt ætate steriles, uel boues masculi qui omnino inutiles esse uidentur, uendi debent, ut saltem eorum precium ad aliquam utilitatẽ crescat. Greges uero equarũ quas ualde inutiliter habemus, omnes uolo distrahi, & tantummodo quadringentas iuniores seruari ad fœtum, ex quibus quadringentis singulis conductoribus singulę condonari debent, quatenus ex ipsis singulis annis aliquid reddant: quia durũ est ualde ut sexaginta solidos pastoribus expendamus, & sexaginta denarios ex eisdẽ gregibus non habeamus. Ita ergo experientia tua faciat, ut alia per conductores omnes, sicut diximus, partiantur, alia sint distracta, & in nummum reducta. Pastores uero ipsos per possessiones ordina, ut ex cultura terrę ferre aliquid utilitatis possint. Æramenta uero omnia quæ uel in Syracusis, uel in Panormo, iuris Ecclesiastici esse possunt, distrahẽda sunt priusq; ipsa uetustate funditus pereant. Venisente autẽ fratre Cyriaco Romam, de illo subtiliter requisiui, si cũ tua conscientia fuerit de accipiendo præmio in causa mulieris cuiusdam locutus. Quod idem ita se dicit te referente cognouisse, quia ex te immissus est ut quis esset ad conferendum præmium immissor probaret. Quod ego credidi, moxq; eum in gratiã familiariter recepi, coram populo & clero eum perduxi, presbyteriũ ei auxi, in loco superiori inter defensores posui, collaudans coram omnibus fidem eius, quia ita se in obsequio tuo fideliter gesserit, quem idcirco ad te celeriter retransmisi. Quia uero multũ festinas, & ego quamuis ægrotus uidere te desidero, quem ipse in omnibus probatum habes, loco tuo in Syracusana parte derelinque, & ipse ad me uenire festina: ut si omnipotẽti deo placuerit, cõmuni consilio pertractemus, utrum ipse illuc reuerti, an alter in loco tuo illic debeat ordinari. Benenatũ uero notarium pariter transmisi, ut in Panormitana parte locum tuum in patrimonio quoadusq; omnipotens deus ordinet, quod ei placuerit, ipse conseruet. Romanũ de leuitate sua uehementer increpaui, quia sicut nunc reperi, in xenodochio quod tenuit, magis utilitatib⁹ quàm mercedibus occupatus fuit. Et ideo si fortasse tibi uisum fuerit, loco tuo ipsum relinquere, uide quẽ admodum eum terrendo & admonendo præmunias, ut sciat circa rusticos piè & sollicitè agere, & circa extraneos & urbanos se in omnibus strenuũ exhibere. Ego tamen hæc loquens, nullam personam eligo, sed tuo hoc iudicio derelinquo. In Panormitana autem parte loci seruatorẽ tui me sufficit elegisse. Et uidere uolo quod ipse in Syracusana parte prouideris. Veniens autem, pecunias & ornamenta de Antonini parte uel substãtia tecum defer. Pensiones quoq; nonæ & decimę Indictionis quas egisti, & rationes omnes pariter deporta. Stude si deo placuerit, ut in hanc urbẽ ante natalem beati Cypriani transeas, ne ex signo quod diebus istis semper imminet, quod absit, aliquod periculũ possit euenire. Præterea cognoscas, quia propterea quod Preciosum dei seruũ non pro gra ui culpa grauiter auersatus sum, eumq; à me tristẽ amaricatumq; repuli, nõ leuiter in mea cogitatione mordear. Et scripsi domino episcopo, ut eum trãsmittere debuisset si uellet, sed omnino noluit. Quẽ contristare ego nec debeo, nec possum: quia in causis dei occupatus, cõsolatione fulciri debet, non amaritudine deprimi. Idem uero Preciosus, sicut audio, omnino contristatur, q̃ ad me non reuertitur. Ego uero dominũ episcopũ, ut dixi, contristare non possum, qui eum non uult dimittere, & inter utroq; anceps maneo. Tu ergo, siquidem in paruo corpusculo maiorem sapientiam habes, eandem causam dispone, ut & mea uoluntas fiat, & dominus episcopus non contristetur. Quem tamen si leuiter contristari uideris, omnino exinde nihil loquaris. Ægrè tamẽ tuli domnũ Eusebium excõmunicatũ, uirum tantæ ætatis, & tantæ ægritudinis. Vnde necesse est, ut eidẽ domino episcopo secretè dicas, quatenus in proferendis sententijs præceps non sit, quia causæ quæ per sentẽtiam decidendæ sunt, necesse est ut prius studiosa & frequentissima cõsideratione mensurentur. Venientibus scribonibus, nam sicut audio iam illi tirones colligunt, loci tui seruatoribus deputa, ut parũ aliquid xenij offerant, quatenus sibi eos placabiles reddant. Sed & officio prætoris, prius quàm uenias, aliquid secundum antiquam cõsuetudinem tribue, per manus tamẽ illius quem dimittis, ut ei gratiam eorũ concilies. Ne & nos omnino eis inhumani esse uideamur, ea quæ danda per præceptum singulis quibusq; personis uel monasterijs tuæ experiẽtiæ iniunxi, loci seruatoribus tuis præcipe, ut per omnia impleant. Hæc uero auxiliante domino cùm ueneris, qualiter disponenda sunt, pertractemus. Trecẽtos uero solidos quos per te pauperibus direxi, eorũ arbitrio non arbitror cõmittendos. Illa ergo de singulis locis & personis impleãt. Ante uero hoc tempus iam scripsisse memini, ut legata quæ ex tenore Antonini defensoris à nobis debẽtur, monasterijs uel alijs soluerentur. Et quare nescio tua experientia hoc implere tardauerit. Proinde uolumus ut pro portione nostra ex pecunijs Ecclesiæ eadem legata impleas, ut cùm ad me ueneris, illic contra te gemitum pauperum non relinquas. Cautiones uero quæ in eiusdem Antonini substantia sunt inuentæ, pariter defer. Cognoui aũt Romano referente, quia moriens uxor Redempti unam concham argenteam nudis uerbis dixerit uenundari, & libertis suis tradi. Scutellam quoq; argenteã monasterio cuidam reliquerit, in quibus utriq; uoluntatem eius per omnia uolum⁹ impleri, ne ex rebus minimis peccata maiora capiamus. Fratre autem Mariniano abbate indicante cognoui, quia fabrica in prætoriano monasterio ne ad medietatẽ quidem adhuc perducta est. Ex qua re quid aliud quàm fauorem tuæ

tuæ experiẽtiæ collaudemus? Sed uel nunc admo nitus excitare, & quantum potes, in eiusdem monasterij cõstructione te exhibe. Ego nihil dari eis in expensis dixi, non autem monasteriũ de eis fabricare prohibui. Sed ita fac, ut ei quem loco tuo Panormi dimiseris, iniungas, quatenus expẽsis & annona Ecclesiastica hoc idem monasterium construat, & ad me priuati abbatis querela nõ redeat. Præterea cognoui ꝙ quasdam res uel plures fundorum alieni iuris esse cognoscis, sed pro quorundam obtestatione uel metu, dominis suis restituere reformides. Qui si ueraciter Christianus esses, plus dei iudiciũ, ꝙ uoces hominũ timeres. Attende quia ego te quoꝙ hac de re indesinenter admoneo. Quod si implere neglexeris, etiam meas uoces contra te in testimoniũ habebis. Si uero de laicis deum timentibus inueneris, ut tonsurari debeant, & actionarij sub rectore fieri, omnino libẽter fero. Quibus necesse est ut etiã epistolæ transmittantur. De causa uero filij Cõmissi scholastici consuluisti, & non sunt legibus iusta quę repetit. Vtilitatem pauperum grauare nolumus, sed pro eo ꝙ se hìc fatigauit, quinquaginta solidos ei dare te uolumus, quos tuis certum est rationibus imputari. In causa uero ptochisi quas expensas de rebus Ecclesiæ fecisti, aut illic de pensione reddituum eius tibi satisfacito, aut si certe ipsi redditus minimè ad recompensandũ sufficiant, hìc necesse est ut à diacono hoc recipiantur. De Gelasio autem subdiacono loqui aliquid non præsumas, quia scelus illius usq; ad finem uitæ grauissima pœnitentia indiget. Præterea unum nobis caballum miserũ, & quinq; bonos asinos transmisisti. Caballum illum sedere non possum, quia miser est, illos autem bonos non possum, quia asini sunt. Sed petimus, ut si nos continere disponitis, aliquid nobis condignũ deferatis. Eusebio autem abbati dare te uolumus auri solidos centum, quos tuis certum est rationibus imputari. Cognouimus autem Sisinnium qui iudex Sisannij fuit, graui inopia in Sicilia laborare, cui uolumus ccxx. decimatos uini, & quatuor solidos annuos debeas ministrare. Anastasius autem religiosus iuxta Panormitanam ciuitatem dicitur habitare in oratorio sanctæ Agnetis, cui dari uolumus auri solidos sex. Matri autem Vrbici præpositi dari uolumus solidos sex, qui tuis rationibus imputabuntur. De Honoratæ uero ancillæ dei causa hoc mihi uidetur, ut omnem substãtiam quæ constat, quia ante tempus episcopatus Ioannis episcopi Larinensis fuit, ueniens tecum deferas. Eadẽ uero ancilla dei cum filio suo ueniat, ut nos cum ea loqui, & quod deo placitum fuerit, facere debeamus. Codicem autẽ Heptatici de substãtia Antonini dari uolumus in monasterio Prætoriano, reliquos tecum deferri.

Gregorius Felici episcopo Siciliæ. De tribus capitulis. De affinitatis coniunctione. De episcopis non detrahendis. De synodo congreganda. Caput XXXI

Epist. 31 REuerẽdissimo fratri Felici episcopo Gregorius seruus seruorũ dei. Caput nostrũ quod est Christus, ad hoc sua membra nos esse uoluit, ut per eius largam charitatem & fidem, unum nos in se corpus efficeret, cui ita nos adhærere conuenit, ut quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus esse quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos diuidat, ne ab eo, si membrum eius esse refugimus, relinquamur, & uelut delecti de uite palmites arescamus. Vt ergo redemptoris nostri habitaculum esse mereamur, in dilectione ipsius toto mentis studio maneamus. Ipse nanq; ait: Qui diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & apud eũ mansionem faciemus. Exegit ergo dilectio tua frater charissime, ut ex autoritate tedis Apostolicæ tuis deberemus consultis respondere. Quod licet non prolixè, sed succinctè agere festinaremus, propter quasdam importunitates quæ nostris præpedientibus peccatis in nos superuenere, tuis tamen hoc per reliqua sanctorum patrũ instituta studijs perquirere latius & inuestigare cõmittimus. Non enim potest mens attrita, & honoribus & importunitatibus grauata, & oppressionibus soluta, liberè de his loqui. Non ergo ista ob id prætulimus, ut hęc & alia quæ necessaria fore cognouerimus, tuę sanctitati uelimus denegare, sed ut quod hìc minus inuenitur, latius perquiratur. De tribus enim Apostolicam sedem, in qua alitus es & doctus, capitulis consulendam prædecessorũ tuorũ sequens exempla credidisti, id est de consanguinitatis coniunctione, & de uexatione episcoporũ à subditis, & de Ecclesiarum dubitatione consecrationum. Quod autẽ scripsi Augustino Anglorũ gentis episcopo, alumno uidelicet ut recordatus es tuo, de consanguinitatis coniunctione, ipsi et Anglorum genti, quæ nuper ad fidẽ uenerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter & non generaliter cæteris me scripsisse cognoscas. Vnde & mihi omnis Romana ciuitas extitit testis, nec ea intentione hæc illis scriptis mandaui, ut posteaq; firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriã fuerint consanguinitatẽ inuenti, non separẽtur, aut infra affinitatis lineam, id est usq; ad septimam generationẽ coniungantur: sed adhuc illos neophitos existentes sæpissimè eos prius illicita docere uitare, & uerbis ac exemplis instruere, & quæ pòst de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam iuxta Apostolum qui ait: Lac uobis potum dedi, non escam, ista illis modo non posteris, ut præfixum est, temporibus tenenda indulsimus: ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum est eueretur, sed cœptũ firmaretur, & usq; ad perfectionẽ custodiretur. Sanè si in his secus ꝙ debuimus aliquid egimus, nõ propter ipsam, sed cõmiserando actum esse cognoscas. Vnde testẽ inuoco deũ, qui cogitationes omniũ hominũ nouit, cuius etiam oculis omnia nuda sunt & aperta. Nam si ea destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse iustè comprobarer, testante ueritatis uoce, quæ ait. Omne regnum in seipsum diuisum non stabit, & omnis scientia &

Ioan. 14

1. Cor. 3

Cã. 25. q. 1. Si ea

Luc. 11

lex

lex aduersus se diuisa destruet. Ideoq; necesse est, ut omnes concorditer statuta sanctorum patrum nostrorum teneamus, nihil uidelicet per contentionem agentes, sed ad omne studium bonæ deuotionis unanimes diuinis & Apostolicis constitutionibus auxiliante domino pareamus. O quàm bona est charitas, quæ absentia per imaginẽ, præsentia sibimetipsis exhibet per amorem. Diuisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta
Col.3 consumat. Quam rectè prædicator egregius uinculum perfectionis uocat, quia uirtutes quidẽ cæteræ perfectionem generant, sed tamẽ eas ita charitas ligat, ut ab amantis mẽte dissolui iam nequeant. His ritè perpensis, charitati tuæ iam dictis indulsi, nec præceptum dedi, sed consilium: nec regulam in his posteris ullis tenendam tradidi, sed B de duobus periculis quod facilius uitandum sit, ostendi. Si igitur in rebus secularibus suum cuiq; ius & proprius ordo seruandus est, quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inueniat, unde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione seruabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Quapropter multum cor nostrum magnitudini uestræ congaudet, q; sic uos in uestris actibus studiosos inuenimus, ut & nostri curã habeatis, quatenus talia uobis non solũ apud homines gloriã, sed & apud omnipotentẽ dominũ præmia mercedis acquirant. Cæterum super uexatione episcoporum, quia nos consulere uoluistis, scimus quia à nullis uita præsulum perturbari debet: quo C niam si Dauid regum iustissimus in Saul quẽ constabat iam à domino reprobatum & abiectũ esse, manũ mittere non præsumpsit, quanto magis cauendum est ne manum detractionis, aut uituperationis, siue indiscretionis, aut dehonorationis, quidam mittant in unctum domini, uel in prędicatores sanctæ Ecclesiæ? quia eorum uexatio siue detractio ad Christum pertinet, cuius uice in Ecclesia legatione fungũtur. Vnde summopere cauendum omnibus fidelibus, ne clanculò aut publicè episcopum suum, id est unctum domini detractionibus aut uituperationibus dilanient, perpenden
Num.12 tes illud exemplum Mariæ, quia pro eo q; Moysi famulo dei propter Æthiopissam detraxit, immũ
Psal.104 ditia lepræ mulctata sit, & illud Psalmistæ: Nolite D tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Et in lege diuina legitur: Diis non
Exod.22 detrahes, & populi tui principi non maledices. Vnde ualde prouidendum est subditis tam clericis q; laicis, ne episcoporũ, ne præpositorũ uitam temerè reprehendant, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter uident, ne unde mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt etiã ne cùm culpas præpositorũ suorum considerant, contra eos audaciores fiant. Sed sic eorũ praua apud semetipsos considerent, ut diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent, quoniam facta suorum episcoporum uel præpositorum oris gladio non sunt ferienda, etiam cùm rectè reprehendenda uidentur: quoniam à prædecessoribus nostris & reliquis multis sanctis episcopis statutum fore cognouimus, ut oues pastores suos non facilè reprehẽdant, nec eos criminari uel accusare præsumãt: quia cùm in præpositos delinquimus, eius ordinationi qui nobis eos prętulit, obuiamus. Vnde Moyses dum contra se & Aaron conqueri populũ cognouisset, ait: Nos enim quid sumus? Nec Exod.16 contra nos est murmur uestrum, sed cõtra deum. Quapropter admonendi sunt subditi utriusq; ordinis uiri, ut cum magistrorũ facta conspiciunt, ad suum cor redeant, et de eorũ increpationibus non præsumant: quia non est discipulus super magi- Matt.10 strum, nec seruus super dominũ suum. De dedicationum uero Ecclesiarum dubitatione, super qua B inter cætera nos consuluistis, hoc uos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus, id est ut quotiens tam de baptismo aliquorum uel confirmatione, quàm de Ecclesiarũ consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati uel confirmati, siue Ecclesiæ consecratæ sunt, ut baptizentur tales ac confirmentur, atq; Ecclesiæ canonicè dedicentur: nè talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum quod non certis indicijs offenditur ritè peractũ. hæc nos adminiculante diuina gratia ita tenere cupimus, uobisq; ut postulatis, tenere & docere mãdamus, ut ea quæ à sanctis patribus ante nos sunt statuta, non proteruè irrumpere, sed fideliter seruare optemus. Vnde redemptoris misericordiam exoramus, ut sua uobis omnibus gratia suffragetur, & effectu implere uos tribuat quod uelle concessit, quia in hac re tanto cõmoda retributionis accrescunt, quanto & studiũ laboris augetur. Progeniem uero suam unumquenq; de his qui fideliter edocti sunt, & iam firma radice plantati, stant inconuulsi, usq; ad septimam obseruare decernimus generationem. Et quandiu se affinitate agnoscunt propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem præsumant: nec eam quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, uel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere ulli profecto licet Christianorum uel licebit: quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis est deo, & cunctis bonis hominibus. Incestuosos uero nullo coniugij nomine reputandos à sanctis patribus dudum statutum esse legimus. Ideò nolumus nos in hac re à uobis siue à cæteris fidelibus reprehendi. Quod in his Anglorũ genti indulsimus, non formam dando, sed considerando ne Christianitatis bonum quod ceperant, imperfectum dimitterent, egimus. Paterna ergo uos dilectione salutãtes hortamur ut propositas opportunitate occasiones in uestra efficacia enixius elaborare debeatis, atq; id modis quib⁹ possibile fuerit, omni studio agere contendatis, quatenus prædicabile desiderij uestrum in auxilium omnium adiuuante domino compleatis. Nec hoc quoq; in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod omnes incestuosi à liminibus sanctæ Ecclesiæ sint se-

parandi, quouſq; per ſatisfactionē precibus ſacer dotum eidem ſanctæ Eccleſiæ catholicæ reconcilientur. Sunt enim mali ſegregandi à bonis, iniqui à iuſtis, ut ſaltem rubore ſuo conſcientias ſuas recognoſcant, & cōuertantur à prauitatibus ſuis. Et ſi incorrigibiles apparuerint, ſegregentur à fidelibus uſq; ad ſatisfactionē, iuxta ſaluatoris domini ſententiam, qua inter cætera de peccante in ſe fra-
Luc.17 tre præcipiendo, ait: Si peccauerit in te frater tuus,
Mat.18 corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autē non audierit te, adhibe tecum unum uel duos, ut in ore duorū uel trium teſtiū, ſtet omne uerbū. Quòd ſi non audierit, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ethnicus & publicanus. His ergo & alijs multis ſanctorum patrum autoritatibus ſegregandi ſunt mali à bonis, ne pereant iuſti pro iniuſtis, ſi
Eccls 7 cut ſcriptum eſt: Perit iuſtus pro impio. Debet enim diſcretio fieri inter bonos & malos, ſicut eſt inter hędos et oues. Manifeſta quoq; peccata non ſunt occulta correctione purgāda, ſed palam ſunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta obiurgatione ſanantur, ij qui eos imitando deliquerāt, corrigantur. Dum enim unus corrípitur, plurimi emendantur. Et melius eſt ut pro multorum ſalute unus condemnetur, quàm per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur, cùm & inter iumenta hoc fieri perſæpe cognouimus, ut ea quæ ſcabiem aut impetiginem habere uidentur, ſeparentur à ſanis, ne illorum morbo ſana damnentur & pereant. Vnde uolumus nos in unum conuenire epiſcopos, ut de incidentibus cauſis fiat diſceptatio, & ſalubris de Eccleſiaſtica obſeruatiōe collatio, quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura ſuſcipiunt, omnipotens ubiq; dominus fratrum ore collaudetur. Cuius uobis adeſſe preſentiam ſi
Mat.18 hæc obſeruaueritis, ſcitote quia ſcriptum eſt: Vbi fuerint duo uel tres cōgregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Si ergo dignatur adeſſe duobus uel tribus cōgregatis, quanto magis non deerit ubi plures conueniunt ſacerdotes? Et quidem quia adhibendum bis in anno concilium, patrum ſit regulis inſtitutū, non latet. Sed ne forte aliqua excuſatio ſit, ſemel decreuimus congregari, ut expectatione concilij nihil præſumat illicitū. Nam plericq; & ſine amore iuſtitię, metu examinationis abſtinēt ab hoc quod omniū notū eſt poſſe diſplicere iudicio. Hanc frater chariſſime obſeruātiam noſtris relinquendam poſteris teneamus, & omnia quæ ad eruditionem noſtram ſacris apicibus ſcripta ſunt, cuſtodiamus, atq; ad ea quoſcūq; poſſumus excitemus. Certum quippe eſt, quia ſi toto corde præceptis ſalutaribus nos occupamus, omnem uitiorū labem effugimus, quia dum his quibus ædificamur innitimur, locum ſine dubio deceptionis excludimus. Quapropter oportet ut enixius in cūctis ſtudioſum uos circa fratres atq; ſubiectos oſtendatis, ut omnes cū quibus aliti eſtis, atq; didiciſtis ſanctę Romanę Eccleſię præceptionibus parēre, Apoſtolicæ ſedis præcepta multipli care, apertiſſimeq; nota facere cognoſcat: quia ſ̄d' ſpecialiter tibi tuiſq;, ut tuæ literæ innotuerūt, cōſultis ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Circa ſubiectorū aūt actus fraternitas tua ſit uigilans, ut cum illis exemplū inſtructio & uita magiſtra ſit, linguæ ueſtræ exhortatione diſcāt quod metuant, & doceantur quod diligāt, ut dum talenta credita cum lucro multiplicant, in diem retributionis annuente diuina gratia audire mereamini: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Mat.25
domini tui. Curam præterea de omnibus quæ uobis alijſq; fratribus ueſtris, & generaliter cunctis pro illarum rerum prohibitione ſcripſimus, habere uos per omnia cognoſcamus, quia omni ſtudio omniq; adniſu neceſſe eſt fraternitatis ueſtræ uigilantia compleatur, atq; illic omnia quæ pro animarum ſcripſimus ſalute, fideliter recenſeantur, quatenus & uos per hoc ueſtrum zelum qualiter uobis illicita diſpliceant oſtēdatis, & nos utiliter pro uidiſſe qui uos ac ueſtram ad hoc præ cæteris perſonam elegimus, uideamur. Omnipotēs deus ſua uos protectione cuſtodiat, honorēq; perceptum moribus ſeruare concedat, Amen.

Gregorius omnibus epiſcopis. De Gairaldo abbate ſancti Medardi monaſterij Sueſſionenſis. Priuilegium eiuſdem Eccleſiæ ampliſsimum.

PRecioſiſſimis lapidibus in diademate Chriſti merito renitentibus, omnibus ſanctæ dei Eccleſiæ membris, quorum uniuerſale caput eſt Chriſtus, Gregorius licet ſanctæ Romanæ ſedis pontificio ſublimetur, humillimus tamen ſeruorū dei ſeruus. Quando catholicorū regum corda, ad ea ad quæ pontificalibus ſunt monitis prouocanda, ita ardenti deſiderio diuina præueniēte gratia ſuccēduntur, ut ab eis ultro poſcantur, tanto ſunt lætius concedenda, quanto ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta filiorum noſtrorū præcellētiſſimorū ſcripta regū Brunichildis ac neporis eius Theodorici, monaſterio ſanctæ dei genitricis Mariæ, ac beatorū Petri apoſtolorū principis, necnon protomartyris Chriſti Stephani, quod eſt in Sueſſorū ciuitate ſitum, ubi ſanctus Medardus requieſcere, & uir uenerabilis Gairaldus abbas præeſſe uiderur, huiuſmodi priuilegia authoritatis noſtræ decreto indulgemus, & ea plenius confirmamus priuilegia quę à bonę memoriæ domino Papa Ioanne comitante illuſtrium regum clementia Clotarij, ſcilicet & Sigeberti huius noſtræ filiæ iugalis ipſi loco ſub anathematis uinculo ſunt conceſſa uel indulta, concedimus atq; terminamus. Statuentes nullum regū, antiſtitum, uel iudicum, nullum quacunq; præditum dignitate, ea quæ à præcellentiſſimis regibus uel quibuslibet alijs deum timentibus loco conceſſa ſunt uel conferentur, ſub cuiuslibet occaſionis ſpecie minuere uel auferre, uel ſuis uſibus applicare, ſed cuncta quæ deo ſeruiētibus monachis oblata ſunt uel offerri contigerit, perenni tempore illibata, & ſine aliqua inquietudine uolumus poſſideri, eorū uſibus pro quorum ſuſtentatione conceſſa ſunt, modis omnibus profutura. Concedimus

dimus etiam ut obeunte abbate, non alius ibi qui cunq; obreptionis astutia ordinetur, nisi quem cō munis consensus monachorū elegerit, aut præuiderit ordinandum. Caueant autem prefati monachi simoniacam hæresim, ne potentia regum uel antistitū conuicti, loco pastoris suscipiant tyrannum. Quod omnino fieri prohibemus, et eundem abbatem causa ordinationis suæ aliquid dare præ sumere uetamus, ne hac occasione, quæ à fidelibus pijs locis offeruntur uel oblata sunt, cōsumantur. Et quia fama religionis deo seruientium monachorum nostras peruenit ad aures, quibus uir uitæ uenerabilis Gairaldus præesse dinoscitur, iustis petitionibus præcellentissimorū regum Brunichildis atq; Theodorici fauentes ob amorē domini Medardi tantam diuini honoris dignitatem & securitatē concedimus perenni tempore mansuram. Authoritate igitur diuina uice beati Petri apostolorū principis, consensu omniū Romanorum pontificū, & uoluntate totius senatus Romani suadente nobis uiro apostolico Anserico Suessorum urbis pontifice, & omniū Galliæ episcoporum fauente iudicio decernimus, ut nullus archiepiscoporū uel archidiaconorū fratres præfatæ basilicæ de ordinatione sui abbatis, uel Ecclesiasticorū graduum assumptione inquietet, sed secundum prærogatiuam ipsius loci uobis modo recitatam beatissimi prædecessoris nostri domini Ioannis papæ tempore decretam, & apostolica authoritate firmatam ordinationem sui abbatis ipsi fratres peragant, & Ecclesiasticorū graduum dignitatem suscipiant, consecrationes quoq; fontium, & scrutinij mysteria in ipso monasterio celebrēt. Chrismatis quoq; ac olei, altaris, calicis, corporalis, à quocunq; uoluerint pontifice benedictionē expetant, ne tantus honor à quoq; rectore ullius occasionis causa uel necessitatis intermittatur, ne uilescat tantæ sublimitatis locus sanctæ Mariæ & beati Petri, necnon & protomartyris, & domini Medardi meritis sacratus, quem caput monasteriorum totius Galliæ cōstituimus, nulliusq; ditioni patimur subesse: sed uelut hæc sedes Romana speculationē suam toto orbi indicit, & nouas consuetudines omnibus mittit, & omnium personarum seruitio caret, ita præfatus locus remota omni consuetudine pessima regum, antistitum, iudicum, exemplum diuinæ religionis & honestatis cæteris exhibeat mònasterijs, & super ea plena gaudeat libertate. Cuius rectores & filij presentes & successuri tantū sub regū custodia positi admonitionem sancti Petri & successorum suorum huius sanctę Romanæ sedis pontificum authoritate proclament. Et si incumbit necessitas, ad eam. Huius rei gratia fratribus dirigendis in uia tanti itineris hæc filia nostra Brunichildis regina xx. māsos ingenuos, & totidem seruiles, cuncta integritate æternaliter facta præceptione iuxta finē Alpium contulit. Et multos alios redditus terrarū ob hanc causam delegauit, sitos in eiusdem itineris spatio. Tusiacum uero & Mortinetū fiscos regios cōmuniter ad stipendia fratrū dedit, & ita omnes uillas deo et sancto Medardo traditas uel tradendas sua præceptione concluſit, ut quicunq; super terras domini Medardi habitare uoluerit uel iteterit, siue seruus, siue liber cuiuscunq; sit, alterius dominio priuetur, & sanctæ genitricis seruitio aptetur, uel ultra redeundi licētiam habeat. Quòd si fugerit, reputatur ut seruus nunciusq; sanctæ dei Ecclesiæ. De altaribus quoq; iuxta institutionē domini papæ Ioannis apostolica authoritate confirmamus, ut qui fuerit rector præfati monasterij, fiat præterea altarium præsul & omniū Ecclesiarum sibi pertinētiū, & inde præfatorū sanctorum præcipuo altari luminaria exhibeantur, & hospitalitas peregrinorū cum reuerētia agatur. Subiungimus & aliud edictum, Si causa capitalis criminis abbas est deponendus, non prius deponatur, donec depositores apostolicam auctoritatē requirant, & ita sint tres metropolitani cū suffraganeis suis, & abbates q̄ plurimi. In ipso autē cōcilio accusatores unusquisq; cum xij. testibus præsentes assistant, & ita ueri iudicij examine probent se uidisse, ut audiente cōcilio obtestātur. Ad ultimum uero ipse abbas rationes suę excusationis reddat, & iureiurādi pacto supra sacrorum mysteria quatuor euangeliorum satisfaciat. Tunc uero si conuictus fuerit, correctione deponatur, sin autē, suo honori reddatur, & Ecclesiasticę dignitatis mysteria recipiat, & inter sacra missarum solennia, benedictionem & prędicationē iuxta instituta domini papæ Ioannis peragat, & suæ cōuersationis uitam melioribus exemplis deducat. Monachis quoq; hanc proponimus sententiam, ut nullus eorū inuidia aut odio abbatis, quod absit, comprimatur, uel extranearū personarū censura plectat. Quòd si culpa principalis uitij deliquerit, priuatim intra claustrū eiusdem monasterij ab ipso abbate & spiritalibus fratribus arguatur, & à corpore sanctæ congregationis segregetur. Quòd si perseuerante contumacia abscissus fuerit, præcipimus illi ut precatorias accipiens literas quodcunq; uoluerit ingrediatur monasteriū, aut causa pœnitentiæ huius sedis apostolicæ licentiam petat, & susceptis à domino papa literis liber suum monasteriū repetat. Hæc igitur omnia quæ huius apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis priuilegio cōtinentur, præfati monasterij rectoribus, & filijs præsentibus & futuris, & omnibus monasterijs ipsi loco subiectis uel sociatis sub anathemate seruanda cō stituimus. Si quis autem regum, antistitum, iudicum, uel quarumcunq; secularium personarū, huius apostolicæ autoritatis, & nostrę pręceptionis decreta uiolauerit, aut contradixerit, aut negligēter dixerit, uel fratres inquietauerit, uel conturbauerit, uel aliter ordinauerit, cuiuscūq; dignitatis uel sublimitatis sit, honore suo priuetur, & ut catholicæ fidei deprauator, uel sanctę dei Ecclesię destructor, à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine domini nostri Iesu Christi sequestretur: & omnium maledictionū anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio seculi usque in præsens damnati sunt, cū Iuda traditore domini in inferno

inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum sanctorũ sibi propitiauerit clementiam, & fratrum cõmunem reconciliauerit concordiam.

EGo Gregorius sanctę Romanę sedis antistes huic priuilegio subscripsi. Euterius Arelatensis archiepiscopus subscripsit. Gregorius Portunẽsis episcopus subscripsit. Andreas Albanensis episcopus subscripsit. Augustinus Canthuariorum episcopus subscripsit. Anastasius Tyburtinæ episcopus subscripsit. Sergius Prænestinæ episcopus subscripsit. Petrus Ananiæ episcopus subscripsit. Agnellus Sutrinæ episcopus subscripsit. Mellitus Lundoniæ episcopus subscripsit. Ioannes Veliternensium episcopus subscripsit. Tyberius syluæ candidæ episcopus subscripsit. Marinianus Rauẽnatis Ecclesiæ episcopus subscripsit. Vitulinus Sypontinensis episcopus subscripsit. Ioannes Syracusanorũ episcopus subscripsit. Sabinianus Tudertinorũ episcopus subscripsit. Eulogius Alexãdriæ episcopus subscripsit. Dominicus Chartaginensis episcopus subscripsit. Fortunatus Neapolitanorũ episcopus subscripsit. Ioannes Surrentinus episcopus subscripsit. Primeuius Nunciensium episcopus subscripsit. Felix Portuensium episcopus subscripsit. Gloriosus Ostiensium episcopus subscripsit. Constantius Narniensis episcopus subscripsit. Constantius Mediolanensis episcopus subscripsit. Sutellius Burdegalensiũ episcopus subscripsit. Vitalis Vesoncensiũ episcopus subscripsit. Bonifacius Placẽtiæ episcopus subscripsit. Siagrius Augustudunensium episcopus subscripsit. Flauius Remorum archiepiscopus subscripsit. Ansericus Suessorum episcopus subscripsit. Theodoricus rex subscripsit. Brunichildis regina subscripsit. Ego Petrus sanctæ Romanę sedis subscripsi, & sigillaui. Datum vij. calen. Iunij. Anno ab incarnatione domini. DXCIII. Indictione undecima.

Incipiunt decreta B. Greg. papæ, tempore Mauricij, Tiberij, Theodosii, Augustorũ.

REgnante in perpetuũ domino nostro Iesu Christo, tẽporibus pijssimi ac sanctissimi domini Mauricij, Tiberij, & Theodosii Augustorum, eiusdem domini Mauricij imp̃ij anno xiij. Indictiõe xiiij quinta die mensis Iulij, Gregorius papa coram sacratissimo beati Petri apostoli corpore, cum episcopis omnibus Romanæ Ecclesiæ, & presbyteris residens, assistẽtibus diaconibus & cuncto clero dixit: In sancta hac Romana Ecclesia cui diuina dispensatio præesse me uoluit, dudum consuetudo ualde reprehensibilis exorta est, ut quidã ad sacri altaris ministeriũ cantores eligant̃, & in diaconatus ordine cõstituti modulationi uocis inseruiant, quos ad prædicationis officiũ & eleemosynarũ studiũ uacare congruebat. Vnde fit plerũq; ut ad sacrũ ministeriũ dum blanda uox quæritur, quæri congrua uita negligatur. Et cantor minister deum moribus stimulet, cum populum uocibus delectat. Qua de re præsenti decreto cõstituto, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solũq; Euangelicæ lectionis officiũ inter missarum solennia exoluant, psalmos uero ante reliquas lectiones censeo per subdiaconos: uel, si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis aũt cõtra hoc decretũ meũ uenire tentauerit, anathema sit. Et respõderũt omnes, anathema sit.

VErecũdus mos torpore indiscretionis inoleuit, ut huius sedis pontificibus ad secreta cubiculi seruitia laici pueri ac seculares obsequãtur, & cum pastoris uita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerunq; clerici qualis in secreto sit uita sui pontificis, nesciũt, quam, ut dictum est, seculares pueri sciunt. De qua re præsenti decreto constituo, ut quidam ex clericis, uel etiam ex monachis electi, ministerio cubiculi pontificalis obsequãtur: ut is qui in loco regiminis est, habeat tales, qui uitã eius in secreta cõuersatione uideant, qui ex uisione sedula exemplũ profectus sumant.

COnsuetudo noua in hac Ecclesia & ualde reprehẽsibilis erupit, ut cùm rectores eius patrimonij urbana uel rustica prædia iuri illius competere posse suspicant̃, fiscali more titulos imprimant, atq; hoc quod cõpetere pauperibus existimant, non iudicio, sed manibus defendãt. Et cùm per prędicatores suos ueritas dicat, nihil per contentionẽ, eriã ipsum litigiosæ cõtentionis malum transcendi, & res quælibet cùm existimat̃ Ecclesiæ posse cõpetere, per uim tenet̃. Proinde presenti decreto cõstituo, ut si quis Ecclesiasticorũ unq; titulos ponere siue in rustico, siue in urbano prædio sua spõte præsumpserit, anathema sit. Et respõderũt oẽs, anathema sit. Is aũt q̃ prę̃est Ecclesiæ, si hoc uel ipse fieri p̃cipit, uel sine sua prę̃ceptiõe factũ digna punire animaduersione neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes, anathema sit. Phil. 4

SIcut indignos nos pro beati apostoli Petri reuerẽtia mẽs fideliũ uenerat̃, ita nostrã infirmitatẽ decet semetipsam semper agnoscere, & impẽsæ sibi uenerationis honorẽ declinare. Ex amore quippe fideliũ huius sedis rectorib. mos ultra meritũ erupit, ut cũ eorũ corpora deferunt̃, hæc dalmaticis cõtegãt, & eas deniq; dalmaticas pro sanctitatis reuerẽtia, sibimet partiẽdas populus scindat. Et cũ assint multa à sacris corporibus apostolorũ martyrũq; uelamina, à peccatorũ corpore sumit̃, q̃d p̃ magna reuerẽtia seruet̃. De qua re præsenti decreto cõstituo, ut feretrũ quo Romani põtificis corpus ad sepeliendũ ducit̃, nullo tegmine ueletur. Quam decreti mei curam gerere sedis huius presbyteros ac diaconos censemus. Si quis uero ex eorum ordine hoc curare neglexerit, anathema sit. Responderunt omnes, anathema sit.

ANtiquam patrũ regulam sequẽs, nihil unq; de ordinationib. accipiendũ esse constituo, neq; ex datione pallij, neq; ex traditione chartarum, neq; ex ea quam noua per ambitionem simulatio inuenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit,

Euangelij

Euangelij uerò lectionē minister legit, cōfirmationis uerò huius epistolā notarius excipit: sicut pōtificē manū nō decet quā imponit uēdere, ita minister uel notarius nō debet in ordinatiōe eius uocē suā uel calamū uenūdare. Pro ordinatiōe ergo, uel usu pallij, seu chartis atq; pastello, eundē qui ordinādus est uel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis aliquid commodi appellatione exigere uel petere fortè præsumpserit, in districto omnipotentis dei examine reatui subiacebit. Is autē qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neq; exactus, uel petitus post acceptas chartas & palliū offerre aliquid cuilibet ex clero gratiç tantummodo causa uoluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.

MVltos ex Ecclesiastica familia, seu seculari militia nouimus ad omnipotentis dei seruitium festinare, ut ab humana seruitute liberi in diuino seruitio ualeant familiarius in monasterijs conuersari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi Ecclesiastici iuris dominium, occasionē præbemus. Si uerò festinantes ad omnipotentis dei seruitium incautè retinemus, illi inuenimur negare quædam qui dedit omnia. Vnde necesse est ut quisquis ex iuris Ecclesiastici seruitute, uel secularis militiæ, ad dei seruitium conuerti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus. Et si mores illius atque conuersatib bono desiderio illius testimonium ferunt, absq; ulla retractatione seruire in monasterio omnipotenti deo permittatur, ut à seruitio humano liber recedat, qui diuino amore districtiorem subire appetit seruitutem. Si autem in monastico habitu secundum patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conuersatus, post præfixa sacris canonibus tempora licenter iā ad quodlibet Ecclesiasticū officiū prouehatur, si tamē illis nō fuerit criminibus maculatus, quæ in testamento ueteri morte mulctantur.

Gregorius gratia dei episcopus his decretis subscripsit, & confirmauerunt episcopi & presbyteri numero lviij.

GRegorius sanctissimus apostolicus papa, ante corpus beatissimi Petri in synodo residēs dixit, Hinc maximè nimiū dolens & ingemiscens dico, quia aliquot ex Christianis in Occidētis partibus constitutos audio temerè contra catholicā fidem & patrum statuta agere, ita ut consecratas fœminas ducere præsumant mulieres, & propinquas coniugio sortiantur. Quod opportunum est spiritali amputare mucrone, atq; si uestræ placet sanctitati, radicitus euellere, ne seges boni agricolæ, iniquorum mixta horrentibus frutetis sordescat. Sanctissimi episcopi, seu uenerabiles presbyteri, responderunt. Verè cognoscimus gratia sancti spiritus cor Apostolatus uestri succensum, ut tantæ miseriæ squalorem à fidelium mentibus detergatis. Post hanc omnium consonam responsionem, Gregorius Apostolicus papa ante corpus memoratū uenerabile Christi Apostolorum principis, inferendo sententiam dixit. i.

SI quis presbyteram in cōiugium duxerit: anathema sit. ij. Si quis presbyter uel diaconus duxerit uxorem, anathema sit. iij. Si quis monacham, quam dei ancillā appellant, in coniugiū duxerit anathema sit. iiij. Si quis commatrem spiritalem duxerit in coniugium, anathema sit. v. Si quis fratris uxorem duxerit in coniugiū anathema sit. vi. Si quis neptem duxerit in coniugium anathema sit. vij. Si quis nouercam aut nurum suam duxerit in coniugium: anathema sit. viij. Si quis consobrinam duxerit in coniugium, anathema sit. ix. Si quis de propria cognatiōe, in qua cognatas habuit, duxerit in uxorē, anathema sit. x. Si quis uirginem quā sibi nō despōsauerit rapuerit, uel furatus fuerit eam, cū sibi consentiētib. anathema sit. xi. Si quis uirginē quā sibi nō despōsauerit rapuerit, uel furatus fuerit in uxorē, unà cū sibi fauentibus, anathema sit. xij. Si quis hariolos, aruspices, uel incātatores obseruauerit, aut filateriis usus fuerit: anathema sit. xiij. Si quis in quamlibet partem præcepta ante emissa Apostolicæ Ecclesiæ de cameris & locis diuersis temerauerit, & nō in omnibus obseruauerit, anathema sit. xiiij. Si quis homicidiū fecerit, agat pœnitentiam decē annis. xv. Si quis in scelere permanserit, anathema sit xvi. Si quis ex clericis laxauerit coronā, anathema sit. xvij. Et responderunt omnes per singula capitula tertio, anathema sit.

Subscriptio beati Gregorij papæ.

GRegorius sanctæ Catholicæ atq; apostolicę Romanæ ecclesię antistes, huic constituto à uobis, promulgato subscripsi. Agellus episcopus ciuitatis Feretētis, huic cōstituto à nobis, promulgato subscripsit. Et cæteri subscripserunt. Valete.

INCIPIVNT VNDECIM INTERROgatiōes Augustini Canthuariēsis Angliæ archiepiscopi, ad beatissimum Gregorium papam.

Prima interrogatio Augustini.

QVæro pater beatissime de episcopis qualiter cū suis clericis conseruentur. Vel de his quæ fidelium oblationibus accedunt altari, quantæ debeant fieri portiones.

De obuētionibus Ecclesiasticis diuidēdis. Ca. I

Responsio beatissimi Gregorij papæ Vrbis Romæ.

QVaLiter episcopus agere debet in Ecclesia, sacra scriptura testatur, quam te bene nosse nō dubium est, & specialiter beati Pauli ad Timotheum epistolæ, in quibus eum erudire studet qualiter in domo dei conuersari debuisset. Mos autem Apostolicæ sedis est ordinatis episcopis præceptum tradere, ut ex omni stipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones. Vna uidelicet episcopo & familiæ eius, propter hospitalitatem & susceptionem. Alia clero. Tertia pauperibus. Quarta Ecclesiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monasterij regulis erudita, seorsum uiuere nō debet à clericis suis, in Ecclesia Anglorū, quę authore deo nuper ad fidē perducta est hāc debet instituere cōuersationē, quę in initio nascētis Ecclesiæ fuit patrib⁹ nostris: in quib. nullus

Cau. 12. q. 2 Mos

Cau. 2. q. 2 Quia tua

eorum ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

Secunda interrogatio Augustini.

OPto enim doceri, an clerici continere nō ualentes, possint cōtrahere. Et si contraxerint an debeant ad seculum redire.

De clericis cōtrahentibus post clericatū. Ca. II

Responsio beati Gregorij papæ.

Parte.1.dist. 32.c.Si qui uerò.

SI qui uerò sunt clerici extra sacros ordines cōstituti, qui se continere nō possunt, sortiri uxores debent, & stipēdia sua exterius accipere, quia & de eisdem patribus de quibus prefati sumus, nouimus scriptum quod diuidebatur singulis prout cuicq; opus erat. De eorum ergo stipendio cogitādum atq; prouidendum est, & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus uiuant, & canendis psalmis inuigilent, & ab omnibus illicitis cor & linguam & corpus deo authore conseruēt. Communiter autem uiuentibus, iam de faciēdis portionibus, uel exhibenda hospitalitate, & adimplenda misericordia, nobis quid erit loquendum, cū omne quòd supererit necessitatib. in causis pijs ac religiosis erogādum est: Domino & magistro omnium dicente: Quod supererit, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis.

Luc. 11

Tertia interrogatio Augustini.

CVr cùm una sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diuersæ? Et altera consuetudo missarum est in Romana ecclesia, atq; altera in Galliarum Ecclesiis tenetur.

De diuersis consuetudinibus diuersarum Ecclesiarum non improbandis. Cap. III

Parte.1.dist. 12.c.Nouit.

NOuit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ cōsuetudinem in qua se meminit nutritā. Sed mihi placet, ut siue in Romana, siue in Gallicanarū, seu in qualibet Ecclesia aliqd inueneris q̄d plus omnipotenti deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide noua est, institutione præcipua quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Nō em̄ pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusq; ecclesiis quæ pia, quę religiosa, quę recta sunt, elige, & hęc quasi in fasciculū collecta, apud Anglorū mentes in cōsuetudinem depone.

Quarta interrogatio Augustini.

OBsecro quid pati debeat si quis aliquid de Ecclesia furto extulerit.

De pœnitentia furum, & restitutione Ecclesiasticarum rerum. Cap. IIII

Responsio beati Gregorij papæ.

Cau.12.q.2. Fraternitas.

HOc tua fraternitas ex persona furis pensare potest, qualiter ualeat corrigi. Sūt em̄ quidā qui habentes subsidia furtum perpetrant, & sunt alij qui in hac re ex inopia delinquunt. Vnde necesse est ut quidam damnis, quidam uerò uerberibus, et quidam districtius, quidam uerò leuius corrigantur. Et cùm paulò districtius agitur, ex charitate agendum est, & non ex furore, quia ipsi hoc præstatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filijs solēt: quos & p culpis uerberibus feriūt, & tamē ipsos quos doloribus affligunt, habere hæredes quęrūt: & quæ possident, ipsis seruāt, quos irati insequi uidentur. Hęc ergo charitas in mente seruāda est. Et ipse modus correctionis dictat, ut mens extra rationis regulā omnino nihil faciat. Addis etiā quo modo augmento ea quæ furto de Ecclesiis abstulerunt, reddere debeāt. Sed absit quòd ecclesia cū augmento recipiat quod de rebus terrenis uidetur amittere, & lucra damnis quærat.

Quarta interrogatio Augustini.

PEto an debeant duo germani fratres singulas sorores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ.

Quòd duo fratres possunt cōtrahere cum duabus sororibus. Cap. V

Responsio beati Gregorij papæ.

HOc fieri omnibus modis licet. Nequaquam enim in sacris eloquijs inuenitur quod huic capitulo contradicere uideatur.

Sexta interrogatio Augustini.

VSque ad quotā generationem fideles debeant cū propinquis sibi cōiugio copulari: & nouercis & cognatis si liceat coniugio copulari.

Qui sint in cōtrahendo prohibiti gradus cōsanguinitatis & affinitatis. Cap. VI

Responsio beati Gregorij papæ.

QVædam terrena lex in Romana republica permittit, ut siue frater, siue soror, seu duorū fratrum germanorum, uel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde necesse est, ut iam tertia uel quarta generatio fideliū licēter sibi iūgi debeat. Nā secunda quam diximus, à se omnimodo debet abstinere. Cum nouerca autem misceri, graue est facinus, quia in lege scriptum est: Turpitudinem patris tui non reuelabis. Neq; em̄ turpitudinē patris filius reuelare potest, sed quia in lege scriptū est: Erunt duo in carne una, qui turpitudinem nouercæ, quæ una caro cū patre fuit, reuelare præsumpserit, pfectò patris turpitudinē reuelauit. Cū cognata quoq; misceri prohibitū est, quæ per cōiunctionē priorē caro fratris facta est. Pro qua re etiā Ioānes Baptista capite trūcatus est, & sancto martyrio coronatus. Cui nō est dictū, ut Christū negaret, nec pro Christi cōfessione occisus est, sed quia idem dominus noster Iesus Christus dixerat: Ego sum ueritas: quia pro ueritate occisus est Ioannes, pro Christo sanguinem fudit.

Leui.18

Genes.

Ioan.14

Septima interrogatio Augustini.

DEclarari posco an sic turpiter coniunctis sit indicenda separatio, & sacræ communionis deneganda oblatio.

Quòd neophiti in gradu prohibito iūcti, nec separādi sunt, nec sacra cōmunione priuandi. Ca. VII

Responsio beati Gregorij papæ.

QVia uerò multi sunt in Anglorū gente, qui dū adhuc in infidelitate essent, huic nephando cōiugio dicunt̄ admixti, ad fidē uenientes admonēdi sunt, ut se abstineāt, & graue hoc peccatū esse cognoscant. Tremendum dei iudiciū timeant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus

ciatus incurrant. Non tamen pro hac re sacri corporis ac sanguinis domini cõmunione priuandi sunt, ne in eis illa ulcisci uideamur in quib. se per ignorantiam ante lauacrum baptismatis astrinxerunt. In hoc enim tempore sancta Ecclesia quædã per feruorem corrigit, quædam per manſuetudinem tolerat, quædam per consideratione dissimulat, atq; portat, ut sæpe malum quod auersatur portando & dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem ueniunt, admonendi sunt ne aliquid tale ualeant perpetrare. Si qui autem perpetrauerint, corporis & sanguinis domini communione priuandi sunt: quia sicut in his quę per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda est ita est in his fortiter insequenda, qui nõ metuunt sciendo peccare.

Octaua interrogatio Augustini.

PEto si longinquitas itineris magna interiacet ut episcopi facilè non possint conuenire, an debeat sine aliorum episcoporum præsentia episcopus ordinari?

Quòd sunt necessarij episcopi in episcopi consecratione. Cap. VIII

Responsio beati Gregorij papæ.

ET quidem etiam in Anglorum Ecclesia in qua adhuc solus tu episcopus inueniris, ordinare episcopum non aliter nisi cum episcopis potes. Nam quando de Gallijs episcopi ueniunt, illi in ordinationem episcopi testes tibi assistant. Sed fraternitatem tuam ita uolumus in Anglia episcopos ordinare, ut ipsi sibi episcopi longo interuallo minimè disiungantur, quatenus nulla sit necessitas, ut in ordinatione alicuius episcopi conuenire non possint. Pastorum quoque aliquorum præsentia, quia ualde est utilis, facillimè debeant conuenire. Cùm igitur deo authore, ita fuerint episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus uel quatuor episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritalibus, ut sapienter & maturè disponantur, exemplũ trahere à rebus etiam carnalibus possumus. Certe enim dum cõiugia in mundo celebrantur, coniugati quiq; uocantur, ut qui in uia iam coniugij præcesserunt, in subsequenti quoq; gaudio misceant. Cur nõ ergo in hac spiritali ordinatiõe qua per sacrũ mysteriũ homo deo coniungit, tales conueniant qui uel in profectu ordinati episcopi gaudeant, uel per eius studia omnipotenti dño preces pariter fundant?

Nona interrogatio beati Augustini.

POstulo etiam qualiter debemus cum Galliarum atq; Britannorum episcopis agere.

Qualiter Metropolitanus in aliena prouincia se habere debeat. Cap. IX

Responsio beati Gregorij papæ.

IN Galliarum episcopos nullam tibi authoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorũ meorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos priuare authoritate percepta minimè debemus. Si igitur cõtingat ut fraternitas tua ad Galliarum prouincias transeat, cum eodem Arelatensi episcopo debet agere, qualiter si qua sunt in episcopis uitia corrigãtur. Qui si fortè in disciplinæ uigore tepidus existat, tuæ fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiam epistolas fecimus, ut cùm tuæ sanctitatis præsentia in Gallijs fuerit, ei ipse tota mente subueniat, & quę sunt creatoris nostri iussioni contraria ab episcoporũ moribus compescatis. Ipse autem authoritate propria episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoq; tua opera eorum imitationi monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reforma, quia scriptũ est in lege: Per alienam messem transiens falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere & manducare. Falcem ergo iudicij mittere non potes in eam segetem quę alteri uidetur esse commissa, sed per affectum boni operis frumenta dominica uitiorum suorum paleis expolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo quasi mandendo conuerte. Quicquid uero ex authoritate agendũ est, cum prædicto Arelatensi episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc quod antiqua patrum institutio inuenit. Britannorum uerò omnes episcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, peruersi authoritate corrigantur.

Deut. 23

Obsecraaio Augustini.

OBsecro ut reliquiæ sancti Sixti martyris nobis transmittãtur.

Concessio Gregorij.

FEcimus quod petisti, quatenus populus qui in loco quondam Sancti Sixti martyris, corpus dixerunt uenerari: quod tuæ fraternitati, nec uerum nec ueraciter sanctum uidetur, certa sanctissimi et probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incertè non debeat. Mihi tamen uidetur, quia si corpus, quod à populo cuiusdam martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, & neq; aliqui de antiquioribus existunt, qui se à parentibus passionem eius audisse fateantur, ita reliquiæ quas petisti, seorsum condendæ sunt, ut locus in quo præfatum corpus iacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum uenerari.

Decima interrogatio Augustini.

SI prægnans mulier debeat baptizari, aut post quam genuerit, post quantum tempus possit Ecclesiam intrare. Aut etiam ne morte præoccupetur quod genuerit, post quot dies hoc liceat sacri baptismatis sacramenta percipere. Aut post quantum temporis huic uir possit in carnis copulatione coniungi. Aut si menstrua cõsuetudine tenetur, an Ecclesiã introire ei liceat, aut sacræ communionis sacramentũ percipere. Aut uir suæ coniugi permixtus antequam lauetur aqua, si Ecclesiam intrare possit, uel etiam ad mysteriũ sacrę communionis accedere. Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet habere comperta.

Quòd mulier prægnans & puer natus possit baptizari, & de cõcubitu, & menstruis uitandis. Ca. X

Responsio beati Gregorij.

HOc non ambigo fraternitatem tuam esse requisitam, cui etiam responsum addidisse me arbitror.

Universidad de Deusto
Biblioteca

arbitror. Sed hoc quod ipse dicere & sentire potuisti, credo quòd mea apud te uolueris responsione firmari. Mulier etenim prægnans, cur non debeat baptizari, cùm non sit ante omnipotētis dei oculos culpa aliqua fœcūditas carnis? Nam cùm primi parentes nostri in paradiso deliquissent, immortalitatem quam acceperant, recto dei iudicio perdiderunt. Quia itaq; omnipotens deus humanum genus pro culpa sua funditus extinguere noluit, & immortalitatē homini pro peccato suo abstulit, & tamen pro benignitate suæ pietatis, fœcunditatem ei sobolis reseruauit. Quod ergo naturæ humanæ ex omnipotentis dei dono seruatū est, qua ratione poterit à sacri baptismatis gratia prohiberi? Illi quippe mysterio in quo omnis culpa funditus extinguitur, ualde stultū est si donum
Parte 1. dist. 5. cap. Cùm enixa gratiæ cōtradicere posse uideat. Cùm uerò enixa fuerit mulier, post quot dies debeat Ecclesiam intrare, testamenti ueteris præceptione didicisti: ut pro masculo diebus xxxiij. pro fœmina uerò lxvi.
Leuit. 12 debeat abstinere. Quod tamen sciendū est, quia in mysterio accipitur. Nam si eadem hora qua genuerit, actura gratias intrat Ecclesiam, nullo peccati pondere grauatur. Voluptas etenim carnis non dolor in culpa est. In carnis autem cōmixtione uoluptas est: nam in prolis prolatiōe gemitus.
Gen. 3 Vnde & ipsi primæ matri omnium dicitur: In doloribus paries. Si itaq; enixam mulierem prohibemus Ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam in culpam deputamus. Baptizari autem uel enixam mulierem, uel hoc quod genuerit, si mortis periculo urgetur, uel ipsa hora eadem qua gignit, uel hoc quod gignitur, eadem qua natum est, nullo modo prohibet: quia sicut sancti mysterij gratia uiuentibus atq; discernentibus cum magna discretione prouidenda est, ita quibus mors imminet, sine ulla dilatione offerenda est, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interueniente paululum mora, inueniri nō ualeat qui redimatur. Ad eius uerò concubitum uir eius accedere nō debet, quousq; qui gignitur, ablactetur. Praua autem in coniugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnāt, eosq; alijs mulieribus ad nutriendum tradant. Quod uidelicet ex sola causa incontinentiæ uidetur inuentū, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaq; quæ filios suos ex praua consuetudine alijs ad nutriendū tradunt, nisi purgationis tempus transierint, uiris suis non debent admisceri, quippe cùm & sine partus causa, cum uel cōsuetis menstruis detinentur, uiris suis misceri prohibeātur, ita ut morte lex sacra feriat si quis uir ad menstruatam mulierem accedat. Quæ tamen mulier dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet, quia ei naturæ superfluitas in culpam non ualet imputari. Et per hoc quod inuita patitur, iustum nō est ut ingressu Ecclesiæ priuetur. Nouimus nanq; ꝙ mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, post tergum dñi ueniens uestimenti eius fimbriā tetigit, atq; statim ab ea sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit domini uestimentum tangere, cur quæ menstruū sanguinis patit, ei non liceat dñi Ecclesiā intrare? Sed dices: Illā infirmitas cōpulit, has uerò de quibus loquimur, consuetudo cōstringit. Perpende aūt frater charissime, quia omne quod in hac mortali carne patimur, ex infirmitate naturę est, digno dei iudicio post culpā ordinatū. Esurire nanq; & sitire, æstuare algere, lassescere, ex infirmitate naturę est. Et quid est aliud contra famē alimēta, cōtra sitim potū, contra æstū auras, cōtra frigus uestem, contra lassitudinē requiem quærere, nisi medicamenta quædam contra ægritudines explorare? Fœminis nanq; & menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est. Si igitur bene præsumpsit quæ uestimentum dñi in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulierib. quæ naturæ suæ uitio infirmantur? Sanctæ aūt communionis mysteriū in eisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex ueneratione magna percipere non præsumit, laudanda est, sed si percipiat, non iudicanda. Bonarum quippe mentium est etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere ubi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur, quod uenit ex culpa. Vnde etiam cùm esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est ut esuriremus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, uidelicet quia naturaliter accidit, sed tamen quòd natura ipsa ita uitiata est, ut etiam sine uoluntatis studio uideat esse polluta, ex culpæ uenit uitio, in quo seipsam qualis per iudicium facta sit humana natura cognoscat, ut homo qui sponte culpam perpetrauit, reatum culpæ portet inuitus. Atq; ideo fœminæ quæ cùm semet ipsas considerant in menstrua consuetudine, ad sacramentum dominici corporis & sanguinis accedere non præsumunt, de sua recta consideratione laudandæ sunt. Dum uerò percipiendi ex religiosæ uitæ consuetudine eiusdem mysterij amore rapiuntur: reprimendæ, sicut diximus, non sunt. Sicut enim in ueteri testamento exteriora opera seruabantur, ita in testamento nouo non tam quod exterius agitur, quàm id quod interius cogitatur, sollicita intentione attenditur, ut subtili sententia
Matt. 15 puniat. Nam cùm multa lex uelut immunda manducari præcipiat, in Euangelio tamen dominus ait: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ exeūt de corde, illa sunt quæ coinquināt hominem. Atq; paulopost subiecit exponens: Ex corde exeunt cogitationes malæ. Vnde ubertim indicatum est, quia illud ab omnipotenti deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Vnde Paulus quo
Ad Tit. que Apostolus dicit: Omnia munda mundis, coinquinatis autē & infidelibus nihil est mundum. Atque mox eiusdem coinquinationis causam annuncians subiungit: Coinquinata sunt enim eorū & mens & conscientia. Si ergo ei cibus immūdus non est, cuius mens immūda non fuerit, cur quod

munda

munda mente mulier ex natura patitur, ei in immunditiam reputetur? Vir autem cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua intrare Ecclesiam non debet, sed nec lotus intrare statim debet. Lex autem ueteri populo præcepit, ut mixtus uir mulieri, & lauari aqua debeat, & ante Solis occasum Ecclesiam non intrare. Quod intelligi spiritaliter potest, quia mulieri uir miscetur, quando illicitæ cõcupiscentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur. Qui nisi prius ignis concupiscentiæ à mente deferueat, dignũ se congregatione fratrum existimare non debet, quia se grauari per nequitiam prauæ uoluntatis uidet. Quanuis enim de hac re diuersæ hominum nationes diuersa sentiãt, atq; alij alia custodire uideantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum reuerenter abstinere. Nec hæc dicentes deputamus culpam esse coniugium. Sed quia ipsa licita admixtio coniugum sine uoluptate carnis fieri nõ potest, à sacri loci ingressu abstinendum est, quia uoluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio uel fornicatione, sed de legitimo coniugio natus fuerat qui dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Qui enim in iniquitatibus cõceptum se nouerat, in delicto se natum gemebat, quia portat arbor in ramo humorem uitij quem traxit ex radice. In quibus uerbis non ipsam admixtionem coniugum iniquitatem nominat, sed ipsam uidelicet uoluptatem admixtionis. Sunt enim multa licita ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur: sicut sæpe irascẽdo culpas insequimur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus. Et cùm rectum sit quod agitur, non est tamen approbabile quòd in eo animus perturbatur. Contra quippe uitia delinquentium iratus fuerat qui dicebat: Turbatus est præ ira oculus meus. Quia enim non ualet nisi tranquilla mens in contemplationis lucem se suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat, quia dum malè acta deorsum insequitur, confundi tamen atque turbari à summorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo est ira contra uitium, & tamen molesta, quia turbatum se reatum aliquem incurrisse æstimabat. Oportet itaque legitima carnis copula ut causa prolis sit, nõ uoluptatis, & carnis cõmixtio, creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio uitiorum. Si quis ergo suam coniugem non cupidine uoluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, iste profectò de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo corporis dominici sanguinisq; mysterio, suo est relinquendus iudicio, quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cùm uerò nõ amor procreandæ sobolis, sed uoluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiã de sua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio, & tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cùm Paulus Apostolus diceret: Qui se continere non potest, habeat uxorem suam: statim subiungere curauit: Hoc autem dico secundum indulgentiã, non secundum imperium. Non enim indulgetur quod licet & iustum est. Quod enim indulgeri dixit, culpã esse demonstrauit. Vigilanti ergo mente pensandum est quòd in Syna monte dominus populum abstinere à mulieribus præcepit. Et si illic ubi dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta prouisione est munditia corporis requisita, ut qui uerba dei perciperent, mulieribus mixti non essent: quanto magis qui corpus domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsi inæstimabilis mysterij magnitudine prægrauent? Hinc etiam ad Dauid de pueris suis per sacerdotem dicitur, ut si à mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent: quos omnino non acciperent, nisi prius mundos eos Dauid à mulieribus fateretur. Tunc autem uir qui post commixtionem coniugis lotus fuerit aqua, etiam sacræ communiõis mysteriũ ualet accipere, cùm ei iuxta præfinitam sententiam etiam licuerit intrare. 1.Cor.7

Pſal.50

Vndecima interrogatio Augustini.

QVæro etiam si post illusionem quæ per somnium solet accidere, uel corpus domini quilibet accipere ualeat, uel si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare.

Quando nocturna pollutio celebrationem & communionem impediat. Cap. XI

Responsio beati Gregorij papæ.

HVnc quidem testamentum ueteris legis, sicut in superiori capitulo iam diximus, pollutum domino & nisi lotum aqua etiam usq; ad uesperam intrare Ecclesiam non concedit: Quod tamen specialiter ad illum populum, spiritaliter autem intelligens sub eodem intellectu accipiet quem præfati sumus: quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia, uanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lauãdus est aqua, ut culpas cogitationis lachrymis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi usq; ad uesperum cognoscat. Sed est in eadem illusione ualde necessaria discretio, quia ualde subtiliter pensare debeat, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate uel infirmitate, aliquãdo ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate uel infirmitate euenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda: quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quàm fecisse. Cùm uerò ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atq; idcirco humorũ receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usq; ad prohibitionem percipiẽdi sacri mysterij, uel missarũ solennia celebrãdi, cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysteriũ pro eo quòd sacerdos alius in loco deest

deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alij qui implere mysteriū ualent, illusio per crapulā facta, à perceptione sacri mysterij prohibere non debet, sed ab immolatiõe sacri mysterij abstineri, ut arbitror humiliter debet, si tamen dormientis mentẽ turpis imaginatio non cõcusserit. Nã sunt quibus ita plerunq; illusio nascit, ut eorũ animus etiam in somno corporis positus turpibus imaginationibus nõ fœdetur. Qua in re ostendit mens rea, non tuo uel suo iudicio libera, cùm se etsi dormienti corpore nihil meminit uidisse, tamen in uigilijs corporis meminit in ingluuiem cecidisse. Si uerò ex turpi cogitatione uigilantis, oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim à qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum in suggestione, an delectatione, uel quod maius est, peccati consensu acciderit. Tribus em̃ modis impletur omne peccatũ, uidelicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, quia cùm primam culpam serpens suggessit, Eua uelut caro delectata est: Adam uelut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionẽ, delectationem, & consensum iudex sui animus præsideat. Cùm em̃ malignus spiritus peccatũ sug- A gerit in mente, si nulla peccati delectatio sequat, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cùm uerò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est. In delectatione fit nutrimentum. In consensu perfectio. Et sæpe contingit, ut hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationẽ trahat, nec tamen animus eidem delectationi cõsentiat. Et cùm caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis uoluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, ut ei ex ratione contradicat nec consentiat, & B tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se uehementer ingemiscat. Vnde & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuũ me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè pugnabat. Quapropter & captiuus erat, & captiuus non erat, & pugnabat. Igitur legi mentis, lex quæ in membris est, repugnabat: pugnabat aũt, quapropter captiuus non erat. Ecce itaq; homo est, ut ita dixerim, & captiuus & liber. Liber, ex iustitia quam diligit. Captiuus, ex delectatione quam portat inuitus.

B. Gregorij Epistolarum libri duodecimi & ultimi finis.

Universidad de Deusto Biblioteca

BEATI GREGORII IN PRIMVM SAMVELIS QVI ET REGVM DICITVR VARIARVM ENARRATIONVM LIBRI SEX.

PROLOGVS

POST Moysi, & Iesu Naue libros, & Iudicũ, octauus, siue nonus in canone sanctarum scripturarum, primus liber Regũ ostenditur. Qui profecto liber, sicut & pleraq; uolumina sacri eloquij ꝙ à sanctæ Ecclesię doctoribus nondum sit exposi- B tus, nonnulli simpliciores hunc non esse mysticum arbitrantur, & eò sublimiora per spiritũ nulla dicere, quò planiora per literam uidetur enarrare. Sed si ea quæ in alijs explanationum libris doctores sancti locuti sunt legerẽt, huius quoq; historiæ quã sit immensa profunditas inuenirẽt. Nã plerunq; in illorum expositionibus, quod hic planum per literam dicitur, ualde esse arduũ per spiritalem intelligentiam declaratur: & aperte insinuant, quia longe sublimius de sacra historia intelligunt, quàm in eius superficie foris legunt. Pla
Infra 1 num nanq; est, ꝺd Helcana uir Effrathæus uxo-
Infra 4 res duas habuisse describit. Quod Heli sacerdos dum à censura correptiõis filiorũ affectiõe dissoluitur, de sella cadit, & fracta ceruice interit. Quod C
Infra 13 rex Saul obedire deo in Amalechitarũ demolitione noluit, sed non multo post & uitam, & regnũ amisit. Sed hæc nimirũ plana sicut placet simplicioribꝫ doctores sancti, ut digna sublimitate perciperent: eorũ intellectũ non in simplicitate quę-
sierunt literæ, sed in uolatu allegoriç. Hinc est ẽ
August. quod cùm sanctus Augustꝰ duas Helcanę uxores per historiã legeret, in planitie lectionis spiritalẽ altitudinem intuens, synagogæ typum una, altera uero quia figuram sanctæ ecclesiæ haberet, expo
Hieron. suit. Sanctus quoque Hieron. Heli sacerdotis & Saul mortẽ, non ad hoc solum in sacra historia positam, ut inobedientes præpositos eorum terreret pœna, sed etiã ut dum ueterũ & transgressorũ rectorum repulsio legitur, antiquæ legis & sacerdo D tij interitus designetur. Sacra igitur Regum historia non idcirco spiritalibus sacramentis uacua credenda est, quia à uenerabilibus patribus seriatim non est exposita, sed eò altior & profundior, quò uelut immensi uastitas fluminis, ex parte quauis exigua hauriri exponẽdo potuit, & repletis eorũ uasculis, suę plenitudinis impetu quotidie implendis alijs decurrit. Dum ergo quædam huius sacræ historiæ ad robur suorum operum tollerent, plenitudinem uerò illius in suæ sublimitatis secreto indiscussam pręterirent, quid aliud agere uisi sunt quàm de immenso amne aliquid capere, quod si-
tientibus fideliũ mentibus propinarẽt? Quorum
demo- profecto morem, nos quoq; in præsenti opere se-
liam S. patris quimur, qui ad ingentem hanc historiã gratia ape-

riendæ intelligentię eius accedimus, cuius tamen uniuersitatẽ exponendã suscipere nõ audemus: hoc uidelicet, à præfatis uenerabilibus patribus distantes, quia non sparsim & de diuersis locis eligimus, quod exposituri sumus, cum illi non ordine aliquã sacræ huius historiæ partem, sed sparsim testimonia quædam susciperent, quæ ad eruditionem fideliũ exponere debuissent. Dei ergo omnipotentis adiutorio confisi, à principio uoluminis usq; ad Dauid regis unctionem explanare proponimus: ut breui itto quod cernitur, experiri possimus, si ultrà progredi exponendo debeamus. Plericq; etenim dum immoderata proponũt, executores propositi sui fieri nunquam possunt. Maximè cum tractator sacri eloquij morẽ gerat Homœo-
uiri in alta specula consistentis. Scriptura uero sa- fis elegans
cra syluæ uastioris similitudinẽ. Qui profecto uir in alto situs, & si acuta uisione nemoris uastitatẽ cõsiderat, tamen dum summa montiũ, dum extrema colliũ, dum arborũ celsa, in quadã æqualitate sibi conuenientia respicit, quàm magnæ ualles, ꝙ distentæ planicies in medio lateant, non attendit. Sed si perambulare quod ei breue uidetur, cœperit, repente cognoscit: quia qui se totũ uidisse putauerat, ualde plura remanserant, quæ non uiderat. Vnde & sæpe immoderatus uiator decipitur, ut tãto periculosius iter expleat: quãto & eum in uia expleto die, noctis error intercipit, qui uelut in parui itineris spatio, nec diei partem se explere cogitauit. Sic sic nimirum dum sacræ historiæ intellectum in quadam sensuũ eius summitate consideramus, omnipotẽtis dei gratia, uelut altos opacioris syluæ uertices de quadam sublimitate attendimus. Sed quia dum ijdẽ sensus subtilius considerari & proferri cœperint, alios se multipliciores gignunt, uelut in superficie uidẽtur totius inspecti nemoris & uallium cõcaua, & distenti Matini latent spatia, quæ non uidentur. Tutius ergo gradimur, si sic metimur ea, quæ cernimus, ut etiã ea quæ procedendo uisuri sumus, percurrẽda esse cogitemus. Itaq; dum ingentis historiæ partã partem explanare proponimus, pro modulo imbecillitatis nostrę cursum itineris in uicinio terminamus: tam uidelicet ingenij tenuitate diffisi, quàm sacri uoluminis profunditate perterriti. Sed & primùm nõ tam instituere, quàm obsecrare lectorem censui, ut inanitate expositiõis meæ pondus sacræ historiæ nequaquã pensет, quia diuina eloquia ex mensura tractatorũ nunquam æstimanda sunt. Nam nec idcirco sunt uilipendenda, quia nõ Attendè
subtiliter considerantur, nec falsa & uenerabilia ideo, quia facundè & subtiliter exponuntur. Alia quippe uirtus est, quæ apud seculi sapientes tanta habetur, quantũ eam extollere possunt præclara ingenia. Sacra uero scriptura quia diuinitus inspi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rata est, tanto sublimius etiã præclara hominũ ingenia superat, quãto ipsi præclari homines deo inferiores sunt, & nihil in illa spirituali sublimitate conspiciũt, nisi quod eius ipsius diuinæ dignationis bonitate reuelat̃. Nemo igit̃ in eius sciẽtia ita perfectus est, ut proficere ultra nõ possit: quia inferior est omnis profectus hominis, diuinitatis altitudine eã inspirantis. Vnde & per Psalmistã de
Psal.103 dño dicit̃: Qui tetigit aquis superiora eius. Si em̃ aquarũ appellatione illæ supernæ designant̃ pro fundæ intelligentiæ angelorũ, dum sacri eloquij altitudinẽ deus in aquis tegere dicit̃, cõstat nimirum quia homo semper illa sit inferior, cui solum
Exod.12 eius inferiora reuelant̃. Hinc etiã per Moysen pręcipitur, ut agni residuũ igne cõburat̃: quia uidelicet scripturæ sacræ quæ ad cognoscendũ redemptorem sunt æditæ, pro sublimitatis suæ dignitate uenerandæ tunc etiã sunt, cum non intelligunt̃. Itaq; & si nihil pensat̃, quod à me dicit̃, nihilominus pensandum est: quia hæc sacra scriptura (quæ à me indigne exponit̃) ei cui omnipotẽs deus secreta aperire uoluerit, bona & sublimia multa dicit. Scriptura etem̃ sacra tam mirabiliter ab omni potente deo cõdita est, ut & si multipliciter uidea tur exposita: non desint tamen ei secreta, quibus seruet occulta: quia fere nunquã sic exponitur, ut ei non plura remaneant, quæ quotidie exponant̃. Qua profecto eius incõprehensibilitate omnipotens deus humanæ mutabilitati magna dispensatione cõsuluit. nam ut uilescere nota nõ possit, sic mire dispositа est, ut cognita nesciat̃, & eo legatur gratius, quo quotidie discit̃, ac dũ semper recentia intimat, suauius oblectet. Historia ergo Regũ quia eo spiritu cõdita, quo & cætera scripturæ sanctæ uolumina cognoscuntur, non debet credi eis esse minor sacramentis, quibus non est inferior titulo autoritatis. Nam oẽs scriptores eius Prophetæ fuisse referunt̃, qui cum historica narrant, spiritualia signant, exteriora loquuntur, & intima innuunt, terrena proponunt, ut cœlestia exequant̃. Vnde & hic liber primus, & secundus eiusdẽ historiæ, ad hoc prophetæ Samueli ascribitur, ut ex authoris titulo, sentiat̃ historia, quam scribit, non tam historia q̃ prophetia, simplex ueraq; litera, sed alta nimis, & multiplicitate occultorũ sensuũ profunda. Nos aũt de tanto eius pondere pro modo pusillitatis nostræ assumimus ferẽda, quæ possumus. Num cum suauis sit in superficie literæ, altior in typis allegoriæ, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis, in locis tamen singulis & historica asserere, & typica proferre, & cõferre moralia, & proponere exẽpla refugio, quanquam alia sub uno intellectu, adiuuante dño sim expositurus, alia uero sub pluribus. Maximè cum his temporibus scribẽdi operam dare censuerim, in quibus dum cordibus quorundã ecclesiasticorum uirorum uetus solicitudo mundanæ intentionis immergitur, noua scribendi studia eo esse superflua indicant, quò & doctorũ uenerabiliũ abundare uetera non ignorant. Qui nimirũ ratione conuincendi essent, nisi signũ calumniæ exposita fronte prætenderẽt. Nã qui noua uelut noua contemnunt, illa, quæ probant uetera, curarũ secularium saturitate fastidiũt. Quos sanè plures subu-
Prou.27 nius denotatione scriptura exponit, dicens: Anima saturata calcabit fauũ. Fauus quippe mel nouum continet. Quasi ergo dicat: Dum terrenarũ rerum cura immoderatius pascit̃, in ea quæ ualde placere solet, recenti scripturarũ dulcedine nõ lætatur. Sed quia huius sacræ historiæ cõmenta ueterũ nulla reperiunt, rectius agũt, si opus nostri laboris ea charitate, qua ad utilitatẽ paruulorũ sanctæ ecclesiæ impendit̃ amplectunt̃, & pro reprehensionũ molestia, nobis in tanta scripturæ profunditate, uelut altissimo pelago laborãtibus prę sidia orationũ ferant. Hinc nimirũ nostri sudoris fructũ suum faciũt: quia dum ex benignitate diligunt, ad æternæ remunerationis sibi cumulũ uertunt, & quod tantis temporib. tam clausa & inexposita scriptura ad cõmunem intelligentiã ducit̃, & quod paruuli sanctæ ecclesiæ dũ in ueteris scripturæ tegminibus nouæ religionis splendorẽ suscipiunt, in profectu suæ deuotionis adiuuantur. Sed quia in diuersis sanctorũ patrũ operibus, diuersa huius historiæ testimonia inueniãtur exposita, notare lector debet: quia aliquando eorũ sensus tractando subsequor, aliquãdo aũt enodare historiam aliter infudo: ut & opus quod spe diuinæ inspiratiõis aggredior, & antiquorũ patrũ authoritate sit ualidũ, & lectori nequaquã fastidiosum, dum inter ea quæ nouit uetera, ea etiã ei quæ non nouit, noua repræsentat. Ad quam profecto sententiarũ pronuntiationẽ, aliquãdo ex necessitate ducor, quia & patres uenerabiles si seriatim cuncta exponerent, quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis quã tenere uisi sunt, obseruare ne quaquam potuissent. Dum igitur sanctorũ patrũ intellectus prætereo, necessitate aliquando, aliquando cõmoditate utor: quia & fastidiũ lectori amoueo, & dum totũ seriatim discutio, multa ex medijs contra me ueniũt, quæ illorũ sequi sententias non permittunt. In quo sanè opere lectorẽ flagito, ut non uerba ex eloquentiũ oratorũ sanctæ ecclesiæ cõparatione consideret, sed sentẽtiarum intellectus ex ecclesiasticæ disciplinæ rationibus
Deuter penset: quia & si iuxta dei prohibitionẽ in eius domo nemus plantare nescio, regulã tamen qua sancta scriptura fideliter exponitur, in nullo derelinquo. Sed & ubi minus placet, quod perit⁹ lector inuenerit, consideret, quod dum spiritalem historiam & altis sensibus profundam, uelut magni pelagi procellas nauta peregrinus aggredior, reprehensibile ualde non est, si gubernaculum dicendi pulchrè non ducitur, cùm spumantes undarũ uertices irruunt, qui peritissimũ regimen sæpe soluere clauũ cogunt. Sic sic nimirũ nec syluosa colere deuotus arator ingrediens, rectas sulcorũ disponit lineas, si ea prius reducto uomere sæpius non rescindat: quia artẽ facilitas nulla sequit̃, si eandẽ arandi peritiam consuetudo culturæ præire nulla uideat̃. Verũ nec planitiem historiæ quis hac æstimatione cõsideret, quia plerunq; tanto difficilius

ad spiri

ad spiritalū sensuum secreta pertingimus, quanto in litera planiori secretorū aditū situm longius uidemus, & eo eius tangere summa non possumus, quo gradus est inferior, unde tangere summa cogitamus. Quid eñ est intellectus diuinitatis, nisi ineffabilis quædam summa celsitudinis? Et quia omnipotēs deus per scripturas agnoscit, quid est eadem sacra scriptura nisi gradus quidā qui conscendit, ut illa sublimitas contingatur? Quoties ergo historia planior est, sed altior intellect⁹, quid est aliud, nisi quia talem gradū illa sublimitas habet, à quo facile contingi non potest? Si ergo aliquid indecens etiā in planioris historiæ explanatione lector inspexerit, tanto benignius dare uenia poterit, quāto rationabilius agnoscit, quia dū à plano quod cernit, ad illa sublimia ultra nos tendimus, facilè uacillamus. Priora igitur uoluminis quia tam sanctæ ecclesiæ sacramenta cōtinent, q̄ mores electi hominis demonstrāt, positi in studio bonæ conuersationis, sub utroq; intellectu sigilla tim edissero, ut cum in actibus ueterū, nouæ fidei rationes agnoscimus, in eis etiā cōuersationis nostræ ædificationē capiamus. Sed & quia in salute fidelium fides operibus prior est, typicam significationem uelut solidum fundamentum præmittimus, cui totius suscepti operis fabrica in morali, uel historica expositione imponatur, uel subsequatur.

B. GREGORII PAPAE IN PRIMVM SAMVELIS, QVI ET Regum primus dicitur, uariarū enarrationum liber primus.

CAPVT PRIMVM.

Fuit uir unus de Ramatha Sophim de monte Effraim, & nomē eius Helcana, filius Hieroboam, filij Heliu, filij Thau, filij Suph Effrathæus.

Allegoria.

VEM ergo uir iste nobis insinuat, nisi dominū ac redemptorem nostrū, qui & in infirmitate nostræ carnis apparuit, & tamen eandem susceptæ naturæ infirmitatem uitæ remissioris blanditijs non subegit? Vir quippe à uirtute nominatur. Homo autē in paradiso conditus, bel Gen.3 lum cū apostata angelo habuit, cui tamen per cōditionalem uirtutem resistere non curauit. Fortis ergo conditus, sed hosti eneruiter subiugatus, uir non fuit ex congressione, qui fuit ex munere. Sic itaq; factus est fortis, ut damnata humana natura, uictori hosti præualere non posset, si hanc ille nō assumeret, qui supra homines extitisset. Factus est itaq; præliator noster, cōditor noster. Sed utrū uir fuerit noscitur, si ex ostensa uirtute cōsideret. Assumpsit nostrā naturā, quæ dum in ipso uinceret, nobilitatem conditā repararet, & fieret in redemptore infirma ualida, quæ in Adam facta fuerat fortis infirma. Cui nimirū dum ieiunaret in ere Mat.4 mo tentator affuit, antiquæ uictoriæ suæ tela reparauit, gulæ elatiōis ac superbiæ iacula intorsit, sed eum sibi per oīa resistentē reperit. Vir ergo claruit per uictoriā, qui fortem iam uictorem apostatam angelum superans, non ei potentiam suæ diuinitatis exhibuit, sed infirmitatem humanitatis. Hunc uirum Propheta Hieremias considerans ait: Fœmina circumdabit uirum. Hunc Zachari- Hiere.13 as monstrat, dicens: Ecce uir oriens nomen eius. Hunc beatus Petrus apostolus Iudæis prædicans Zach.6 dicit, Iesum Nazarenū uirum approbatū à deo in Acto.2 uobis, uirtutibus & prodigijs & signis, huncp̄finito consilio, & præscientia dei, traditū per manus iniquorum affligentes, interemistis. Hinc eidem redemptori in uia colloquens Cleophas ait, De Iesu Nazareno, qui fuit propheta potens in Luc.ult. opere & sermone. Vir etenim fuit, qui & in hoc mundo ab ecclesia expulit antiquū hostem, & in inferno, moriens, alligauit. Et quia qui moriēs inferni uires cōminuit, resurgens nobis aditū resera uit æternitatis, magnitudinem uirtutis suæ nō solum uiuendo monstrauit nobis, sed etiā moriēdo & resurgendo. Quia ergo redemptor noster per humanitatem quā assumpsit, magnæ uirtutis opera egisse cognoscitur, rectè is qui eum typo significat, uir fuisse perhibetur. Sed quærendum est, cur dicatur uir unus. Nam si unitas hæc referat ad numerum, superfluū uidetur: unusquisq; enim unus, & non duo est. Et sanctus Samuel à quo ista scribuntur, contra morem scriptorū sanctæ ecclesiæ frustra inchoasse nullatenus credendus est. Nam scriptor illius uoluminis, cū beati Iob uitā ad exemplum fidelium duceret, sic exorsus est: uir erat Iob 1 in terra Hus, nomine Iob. Euāgelista etiā Lucas, cum in principio sui Euangelij iusti sacerdotis prę conia diceret, ait: Fuit in diebus Herodis regis sa Luc.1 cerdos nomine Zacharias. Nam nec ille ait uir unus, nec Euangelista, fuit sacerdos unus. Quid est ergo quod electus Propheta contra usum scriptorum, scribendi tale cœpit exordium? Sed quia nō solum scriptor erat, sed etiam propheta, nouerat de quo historia diceret: & qui per historiam dicebatur, nouerat quem signaret. Quod ergo de historia, prēter usum narrat historiç, hoc ad usum catholicæ fidei, in intellectu loquit allegoriç. Vnde & hac noua cōsuetudine, simul tota cōfitetur ecclesia, quia deus & homo unus est Christus. Dicit ergo, fuit uir unus, quia de deo homine loquebat, ut deitatem, & humanitatē eius assereret, & non aliam suscipientis uerbi, & suscepti hominis personam, sed dei & hominis unam, eandemque essē apertius demonstraret, quæ tamen unitas, ad excellentiam dignitatis eius referri cōuenienter potest: Nam & si redemptorē aliū sancta ecclesia nō habuit, ex uirtutis ostensione uiros nonnullos habuit. Dum ergo unus dicit, incōparabilis demonstrat. Nā æqualē nō habuit, qui dū humano generi excellēti uita, & uerbo cōsulit, singulari munere dare potuit dona redēptionis. Vnde & Paulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom.5 ait, Abundantiam gratiæ, & donationis & iustitiæ accipientes, in uita regnabunt per unum Iesum Christum. Hanc excellentiæ suæ dignitatem per Ioan.15 semetipsum Iudæis improperans ait: Si opera nō fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent. Excellētiam quoq; pulchritudinis eius Psal.44 Psalmista considerans dixit: Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. Singulare bonum redemptionis Esaias in eo testifi- Esa.53 cans, ait, Verè languores uestros ipse tulit, & iniquitates nostras ipse portauit. Singularem quoq; dignitatem eius, æternus genitor ostendens, à ma 2.Pet.1 gnifica gloria clamauit dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vnus uir Acto.3 erat, quem Petrus cōfitens, ait: Non est aliud nomen datū sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Hanc excellētiæ eius magnitudinē, Paulus as- Philip.1 serit, dicens: Dominus exaltauit illū, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et quia excellētia uirtutis eius nō solū electos homines, sed etiā cūctos beatos Angelos superat, Hebræis hūc Heb.1 prædicās Paulus dicit: Qui cū sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portās omnia uerbo uirtutis suæ, purgationē peccatorū faciens, sedet ad dextrā maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius, præ illis nomen hæreditauit: Cui enim dixit aliquando Angelorū filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum, ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filiū. Rectè ergo uir unus dicitur, cui nemo comparatur. Sed quem tantum agnouimus, audiamus iam unde esset. De Ramatha, Sophim, de mōte Effraim. Ramatha, Sophim, & Effraim, Hebraica nomina sunt, quorum primum in lingua nostra sonat uisio cōsummata, secundū uero specula, tertium deniq; frugifer, siue fructificans interpretatur. Quæ autem est uisio cōsummata, nisi dei omnipotentis cognitio perfecta? Hanc profecto consummatā 1.Cor.13 uisionē, doctor gentiū insinuat, dicens: Videmus nunc per speculū in ænigmate, tūc aūt facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc cognoscā, sicut & cognitꝰ sum. Et quid in specula, nisi illa Angelorum sublimitas intelligitur? Specula quippe in sublimi, ad clariorem uisionem eligitur. Ramatha autem Sophim rectè dicitur, quia illa condito D ris nostri perfecta cognitio, à solis illis beatis ciuibus haberi potest, qui in superna illa sublimitate consistunt. Iubare quippe ęterni luminis in sui plenitudine, non in imo præsentis exilij, sed de statu respicitur æternæ sublimitatis. Vnde bene Ramatha Sophim, in mōte Effraim sita, perhibet. Quis est enim mons Effraim, nisi cœlum? Mons quippe est frugifer, qui æternæ pulchritudinis flores, & fructus indeficientis gaudij semper profert. Bene autē, & Ramatha, & Sophim in Effraim monte sita perhibetur, quia illa omnipotētis dei æterna uisio, & altitudo illa ciuium beatorum, non in terra habetur, sed in cœlo. De Ramatha nanque se esse insinuans, ait: Sicut nouit me pater, & ego Ioan.10 agnosco patrem. Hinc iterum dicit: Nemo nouit filium nisi pater, & patrem nemo nouit nisi filius, A & cui uoluerit filius reuelare. De specula, hoc est sublimi fuit, qui & Iudæos increpās dicit: Vos de Mat.11 deorsum estis, ego autē de supernis sum: Vos de Ioan.8 hoc mundo estis, ego aūt non sum de hoc mūdo. De monte Effraim fuit, qui dicit: Ego sum panis Ioan.6 uiuus qui de cœlo descēdi. De monte Effraim eū fuisse Ioānes Baptista affirmās ait: Qui de cęlo ue Idem.3 nit, super omnes est. Hinc Psalmista ait: A summo Psal.18 celo egressio eiꝰ. Hinc gentiū doctor ait: Secūdus 1.Cor.15 homo de cœlo cœlestis. Vir ergo qui unus fuisse asseritur, de Ramatha Sophim de monte Effraim extitisse perhibetur, quia inter oēs natus supra omnes enituit, inde tantus in terra apparuit, quia de cœlo uenit. De Ramatha quippe Sophim fuit, B quia & si incōparabilis hic refulsit, magnitudo tamē excellentiæ eius nō capit, nisi ubi eius perfecta cognitio æternis ciuibus exhibet. Nā hic eum in excellētia uirtutis aspexerat qui dicebat: Quod 1.Ioan.1 uidimus & audiuimus & manus nostræ cōtrectauerunt de uerbo uitæ. Sed quia magnitudinē excellētiæ eius nō uiderat, in Ramatha eā nobis repromittit, dicēs: Cū apparuerit similes ei erimus, 1.Ioan.3 quoniam uidebimus eū sicuti est. Potest aūt huius montis nomine, beatissima semper uirgo Maria dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinē electionis suæ dignitate transcendit. An nō mons sublimis Maria, B.Maria mons quæ ut ad conceptionem æterni uerbi pertineret meritorū uerticem supra omnes Angelorum C choros, usq; ad soliū deitatis erexit? Huius enim montis præcellentissimā dignitatē Esaias uaticinans, ait: Erit in nouissimis præparatus mons do- Esa.2 mus domini in uertice montium. Mons quippe in uertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe, & domus apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei unigenito in quo recumberet sacrum præparauit uterum. Nam mons in uertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem, hanc diuina fœcunditas non leuaret. Et domus domini non fieret, si in eius uentre per assumptam humanitatem, uerbi diuinitas non iaceret. Sed rectè mons frugifer D dicitur, de qua optimus fructus id est nouus homo generatur, quam certè in fœcunditatis suæ gloria pulchram, ornatamq; Propheta respiciens ait: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de ra- Esa.11 dice eius ascendet. De huius nanq; montis fructu Dauid deo exultans, ait: Confiteantur tibi populi Psal.66 deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Terra quippe fructum suum dedit quia quem uirgo peperit, non concepit materiali opere, sed Sancti spiritus obumbratione. Hinc eidem regi, & prophetæ à domino dicit: De fructu Psal.131 uentris tui ponam super sedem tuam. Hinc Esaias ait. Erit fructus terræ sublimis. Nam quem uirgo Esa.4 genuit, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens deus. De hoc fructu ad eandem beatam uirginē, Helizabet salutāte dicitur, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui.

Rectè

Rectè igitur mons Effraim dicitur, quæ dum ineffabili dignitate diuinæ generationis attollitur, in eius fructu, arida humanæ conditionis germina reuirescunt. Vir igitur de Ramatha Sophim factus est de monte Effraim, quia qui per diuinitatis suæ potentiam Angelos condidit, de carne pręcelsæ uirginis, formam susceþit humanitatis. Et quia per humanitatem, quam assumpsit, non ex infidelibus, sed ex fidelibus nasci uoluit, sequitur:

Filius Hieroboam, filij Helíu, filij Thau, filij Suph.] Quatuor quippe patrũ nomina assignãtur, quia dum ex fideli populo dominus carnem sumpsit, eos per humanitatẽ patres habuit, quos totidem principalium uirtutum gloria illustrauit. Vnde & non ad infidelem aliquem, sed ad fidelẽ
Genes.22 Abraham diuina promissione dicitur: In semine tuo benedicẽtur omnes gentes terræ. Hinc Euangelista Matthæus generationis eius ordinem te-
Mat.1 xens, ait: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham. Hinc per semetipsum Samari-
Ioan.4 tanæ mulieri loquitur, dicẽs: Salus ex Iudæis est.
Rom.9 Hinc Paulus ait: Quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamentum, & obsequium, & legislatio, & promissa, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula. Quib⁹ profecto quia & prudentia affuit in cognitione rerum, Iustitia, qua cognita, disponere recta cuperent, Fortitudo, qua exequi quæ uellent, bona potuissent, Temperantia, per quã discretè cuncta perficerent, aptè quaternario numero designantur. Sequitur: Effrathæus.] Qui autem de Effraim monte asseritur, cur Effrathæus esse perhibetur? Sed hoc ad literã patet, quia uidelicet de Effraim monte esse aliquis potuit, qui de tribu Effraim natus non fuit, Dicitur ergo Effrathæus, ut qui ex loco ostenditur, de stirpe etiã propaginis agnoscatur. Quia uerò Effrathæus fructificans dicit̃, rectè hoc personæ redemptoris ascribitur, qui prophetæ uaticinio præ
Psal.1 dicatur, Erit tanquam lignum, quod plantatũ est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, Nam in præfinita apparẽs plenitudine temporum, cœlestis doctrinæ flores in poma uertit electorum, & quotquot sibi coniunxit ex humano genere, quasi tot fructus protulit ad æternitatẽ: quo in loco dũ redẽptionis uita describitur latenter etiam diaboli perditio demonstratur. Nam de monte Effraim fuit, & tamen Effrathęus nõ fuit, quia de cœlo quidem cecidit, sed arbor pessima bonũ fructum non dedit. Qui habebat duas uxores nomen uni Anna, nomen secũdæ Fenenna: fueruntq; Fenennæ filij, Annæ uero non erant liberi.] Quid per Fenennam nisi synagoga exprimitur? Et quid per Annam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Fenennæ quippe filij fuisse referuntur, quia cum redẽptor noster in carne apparuit, per legem quam dederat, per prophetas, quos miserat, æditos in fide synagogæ filios inuenit. Annæ autẽ nõ erant liberi, quia nouitia tunc, & cœlesti sponso nuper cõiuncta sancta Ecclesia, prædicãdo adhuc nequaquã pariebat. Vnde & ei eiusdẽ spõsi uoce in cantico dicitur: Soror nostra Can.8
paruula est, & ubera nõ habet. Vel certe nõ pro inæqualitate ætatis filios nõ habuisse dicit̃, sed per infœcunditatẽ sterilitatis. Quæ est ergo sterilitas Annæ, nisi obduratio Iudææ? Quę enim dura corda Iudæorũ ad redẽptoris fidẽ cõuertere non potuit, nimirũ sterilis fuit. Sed notandũ, quia Fenenna quæ prius parere dicitur, uxor secunda nominat̃. Prius quippe synagoga in fine filios ædidit, sed tamen dignitate sanctę Ecclesię minor fuit. Secunda igitur uxor extitit, non tempore coniugalis copulæ, sed inæqualitate prærogatiuæ. Sequitur: Et ascẽdebat uir ille statutis diebus de ciuitate sua ut adoraret & immolaret domino deo exercituũ in Sylo.] Quæ eñ spiritualis ciuitas redemptoris, nisi scriptura sacra extitit? Hęc nimirũ ciuitas suis ciuibus tot defensionũ munimina cõtulit, quot præcepta: tot arma eis præbuit, quot cõsilia salutis. Quid autẽ fuit redẽptori nostro ascendere, nisi in humanitatis forma, diuinitatis suæ alta reuelare? Et quia in sacra scriptura cognoscitur, de ciuitate sua rectè ascendere perhibetur. Statuti uerò dies sunt promissiones, de se in sanctis scripturis positæ. Dies quippe sunt, quia ad cognoscendũ eum, electis lucent. Statuti quoq; dies sunt quia ab antiquis patribus in eodem sacro eloquio eos esse positos non ignoramus. Diem nanq; ascẽsus eius præfigebat Moyses, cum dicebat: Prophe Deut.17
tam uobis suscitabit dominus de filijs uestris, tanquam me ipsum audietis. Diem quoque statue- Gen.49
bat, qui dicebat: Non deficiet sceptrũ de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Diem huius ascensus statuens, ait Michæas: Et tu Bethleẽ ter- Mich.5
ra Iuda: nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Hinc Esaias ait: Ecce uirgo in utero Esa.7
concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel. Quotquot enim de illo legis, & prophetarum promissiones sunt, tot statutos dies ad eius ascensum intuemur. Nam uelut in statutis diebus ascendebat, cum Iudæis dicebat: Scru- Ioan.5
tamini scripturas, in quibus uos putatis æternam habere uitam, quia ipsæ sunt, quæ testimonĩũ perhibent de me. Hinc iterũ dicit: Si crederetis Mosi crederetis forsitã & mihi, de me enim ille scripsit. Statutis ergo diebus ascendit, quia promissionũ insignia quæ in sanctis scripturis posuit, apparendo monstrauit. Possunt autem statuti dies intelligi, promissi in aduentu eius splendores miraculorum. Quos nimirum dies propheta Esaias statu- Esa.35
tos intuens, ait: Pusillanimes, confortamini & nolite timere, ecce deus noster ultionem adducet retributionis, deus ipse ueniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorũ audient, tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Sed qui dies statutos ad ascensum redemptoris agnouimus, utrum in eis ascenderit, uideamus. Requisitus nanq; à Ioanne, si ipsum an alium expectarent, respondit missis dis- Luc.7
cipulis, & ait: Ite & dicite Ioanni quæ uidistis & au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

distis: cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes euangelizant, & beatus homo qui non fuerit scandalizatus in me. Statutis ergo diebus ascendit, qui ut ab electorũ suorũ cordib. uetusti erroris caliginẽ pelleret, tot promissorum miraculorũ splendoribus radiauit. Sed ascẽdit ut adoraret, & immolaret, qui ad hoc cognosci uoluit, ut moriẽdo redimeret, quos uiuendo docuisset. Adorauit quippe, quia in exemplum electorũ se deo patri totũ humilem, & abiectũ per obedientiam præbuit. Immolauit autẽ, quia qui nobis exempla humilitatis uiuendo dedit, se deo patri in ara crucis oblationẽ, & hostiam tradidit, & quos uiuendo docuit, moriendo redemit. Vtrumq; eñ nobis ualde necessarium nouit, & ideo alterum sine altero non impendit: Nam cum natus esset in
Matt.2 Bethleem Iudæ, eum fraude Herodes ad interficiendum quæsiuit, sed si tunc redemptor morere tur, immolaret utique, & non adoraret: quia uictima moriendo fieret, sed quos morte debebat liberare, nequaquam uiuendo docuisset. Et si uiuendo nos docens, mori contemneret, profectò adoraret, & non immolaret. Vt ergo adoraret, persequentem se regem in Ægyptum fugit, & ut immolaret, dissuadenti Petro exprobauit, dicens:
Matt.11 Vade retro satana, nõ enim sapis ea quæ dei sunt, sed quæ hominum. Adorare nanque se insinuans
Ioan.6 ait: Non ueni facere uoluntatem meam, sed eius qui misit me. Hinc item dicit: Quæ ei sunt placita, facio semper: Immolare etiam se insinuans,
Ioan.10 ait: Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, & iterum sumã eam. nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, Potestatem habeo ponendi eam, & iterũ sumendi eam, & paulò pòst: Ego sum pastor bonus, qui pono animã meam pro ouibus meis. Immolare eum Paulus intu-
Ephes.5 ens, ait: Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Ascendit ergo ut adoraret, & immolaret: quia ad hoc se tot miraculis oculis ostendit, ut nos uerbis & exemplis instrueret, & mortem nostram moriendo superaret. Sed notandum, quia cum ad immolandum Effratheus ascendere dicitur: Deus omnipotens, cùm immolat, deus exercituũ nominat. Cur hoc fieri cognoscit, nisi quia redemptoris morte non unus Iudaicus populus, sed omnes gentes redimebãtur. Quid enim sunt fideles multitudines nationum, nisi dei omnipotentis exercitus? Hos nimirum exercitus ad regis sui triumphum Psalmista exultare cohortans, ait: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate deo in uoce exultationis.
Psal.45 Hos conuenire item intuens, dixit: Omnes gentes quascunq; fecisti, uenient, & adorabunt coram te domine, & honorificabunt nomen tuũ. Dicitur ergo dominus exercituũ, quia profecto per mortem domicã nõ solum electa Iudæa colligitur, sed omnes gentes ad dei omnipotentis seruitiũ perducuntur: quæ dum contra occultos hostes, fideles acies uirtutum armis robustas ducunt, per gloriã triumphi ad superna regna perueniũt. Locus etiã immolationis declaratur, quia dicitur: In Sylo.]

A Sylo enim missus, siue missio interpretatur. Quid nanq; per hanc missionẽ, nisi summi patris iniuncta unigenito præceptũ obedientiæ designatur? Quid est etiam quod in Sylo immolare dicit, nisi quia non aliter se morti dedit, q̃p à patre mandatũ habuit? Non quippe immolaret in Sylo, si aliter morereť, q̃p præceptũ à patre habuisset. Vnde & per semetipsum dicit: Sicut mandatũ dedit mihi Ioan.14
pater, sic facio. Hinc Paulus ait: Factus obediens Philip.2
patri usq; ad mortẽ crucis. In Sylo igitur & adorauit, & immolauit, quia tam uiuendo, q̃p moriendo patris sui uoluntatem fecit. Sequitur: Erant ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees sacerdotes domini.] De quibus recte quæritur, cur dicantur
B sacerdotes domini, qui non ualde inferius Belial filij esse referuntur? Sed si ad literã simpliciter istud de Heli filijs quer̃it, facilè respondetur, quia eo tempore sacerdotes dñi dicti sunt, quãdo simulachrorum sacerdotes ex deorũ falsorum nominibus censebantur. Cum ergo dicuntur sacerdotes domini, per insignia fidei, à simulachrorum cultoribus discernuntur. His enim uerbis eorum fides, & non uita prædicatur, quia & prauitatem exercebant operis, sed non errabant in fide cõditoris. Quòd tamen & tempore diuinæ incarnationis Iudææ prælatis conuenienter ascribitur. Qui nimirum sacerdotes dñi esse referuntur, & hoc ipsum non refertur ad uirtutis laudem, sed ad calliditatis reprehensionem. Vnde & per semetipsum domi-
C nus eis cõminat, dicens: Væ uobis Scribæ & pha Matt.24
risæi hypocritę, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à fortis uidentur pulchra, intus sunt plena ossibus mortuorum. Sed quid est, quòd ibi esse feruntur? Si enim Sylo, id est missio, illam summi patris præceptionem significat, quomodo prælati Iudææ ibi fuerunt, qui eum cui iniuncta fuit, nõ recipiendo uenerati sunt, sed expellendo peremerunt? Ibi tamen fuerunt, & quamuis si crudeliter fæuierunt in mortem domini, ex illa tamen crudelitate non sunt consecuti, quod fæuiendo statuerunt, sed æterni patris consilium in eius unigeniti morte cõplebant: Consilium nanq; eorum Ioan.11
fuit, ut eum ideo morti traderent, ne in ipsum populus credere potuisset: sed qui persecutores suos
D iniunctæ sibi paternæ præceptionis adiutores habebat, mortuus resurrexit, & omnis mundus in eum credidit. Ibi eñ erant filij, Heli, Ophni & Phinees, id est in missione: quia redemptor noster ad implendam patris sui uoluntatem Iudæorum prælatos fautores habuit, quanquam ipsi se ei nequaquam fauere crederent, quem occidere non potuissent. Vnde & sequit: Venit ergo dies & immolauit Helcana. Deditq; Fenennæ, & filijs & filiabus eius partes.] Quem diem istum esse ctedimus, nisi quem scripturæ sacræ testimonio Esaias statuit, dicens: Tanquam ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram se tondente sine uoce, Esa.53
non aperiet os suum. Venit quippe dies cum claritas promissi oraculi tempus ostendit dominicæ passionis. Tũc immolauit Helcana, quia se redemptor noster æterno patri in sacrificio nostræ absolutionis

lutionis, per mortem crucis obtulit. Tunc Fenennæ, & filijs, & filiabus eius dedit partes, quia nimirum electos Iudææ, quos apud inferos reperit, ad paradisi gaudia reportauit. Partes quippe eorum, sunt dona gaudiorum perennium. Vnde & Psal-
Psal.141 mista sortis suæ situm eligens, ait: Portio mea domine sit in terra uiuentium. Bene autem seorsum Fenēna, & filij, & filiæ seorsum in accipiendis partibus nominantur. Fenenna quippe doctores Iudeæ significat, filij uero ualidiores auditores eius, filiæ autem infirmiores ipsius subditos designāt. Seorsum ergo mater, & filij, & filiæ memorantur, quia propter disparia electorum ueterum merita, æqualia eorum præmia non fuerunt. Sequitur:

Annæ autem dedit partē unam tristis: quia Annam diligebat.] Quid est quòd cū partes Fenennæ, & filijs, & filiabus dedit, tristis nequaquam fuit, cum uero partem unam Annæ tribuit, tristis fuisse perhibetur? Sed quid est una pars Annæ, nisi temporalis afflictio sanctæ Ecclesiæ? Hanc nan
Ioan.16 que ei partem dabat, cum dicebat: Amen amen dico uobis, quia plorabitis, & flebitis uos, mundus autem gaudebit, uos uero contristabimini. Hanc partem ei dabat, cum Ananiæ Paulum commen-
Act.9 daret, dicens: Vade, quia uas electionis est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus & filijs Israel, ego enim ostendam ei, quanta eum oporteat pro nomine meo pati. Vnde in eius acceptione idem doctor gentium gloriatur, dicens:
Col.1 Adimpleo ea, quæ desunt passionis Christi in corpore meo. Hinc iterum dicit: Ego stigmata Iesu in
Galat.6 corpore meo porto. Hinc ait: Mihi autē absit gloriari nisi in cruce domini mei Iesu Christi, per quē mihi mūdus crucifixus est, & ego mundo. Vnam quippe partem à sponso susceperat, qui gloriari in sola cruce disponebat. Cum ergo partes Fenennę tribuit, Helcana tristis non fuit: quia redemptor noster electos synagogæ post mortis triumphū, paradisi gaudijs iam lætus reddidit. Annæ autem partem tristis tribuit, quia non compati ei non poterat, quam mortis coniugem relinquebat, & crucis hæredem. Vnde & patiente Stephano, apertis
Act.7 cœlis Iesus stare perhibetur. Stare enim eius compati est. Quod autē subditur, quia Annam diligebat, utriusq; rei causa intelligi cōuenienter potest. Nam siue hūc ideo tristem esse quis accipiat, quia Annam diligebat, siue idcirco ei partem unam tribuisse, à bono intellectu non uacat. Si enim non diligeret, compati eius passionibus nequaq; uellet. Nam cur illa de Ægypto educitur, nisi quia ad passionē inuitatur? Sed ei lacte, & melle emanantia loca promittuntur. Bene igitur cum ei partem unam dare dicitur, diligere eam perhibetur: quia nimirū redemptor noster sanctę Ecclesiæ, & si crucis suæ laborem credidit, excellentiora ei ualde in cœlo constituit dona retributionis. Cuius nimirū passionis incrementa edisserens subdit, atq; ait:

Dominus autem concluserat uuluam eius. Afligebat quoq; eam æmula eius, & uehemēter angebat, in tantū, ut exprobraret ei, quia cōcluserat dominus uuluā eius.] Vuluā quippe sanctæ Ecclesiæ dominus clausit, quia summo eius iudicio repulsum Iudæorū populū, in redemptoris nostri fide generare non potuit. Quam nimirū eius æmula afflixit, quia cōtra eam synagoga minis atq; exprobrationibus seuit. Sed ei, quam nec minæ, nec contumeliæ fregerant, etiam tormentorū pœnas inferebat. Bene itaq; eam nō solū affligere, sed uehementer angere perhibetur, quia repulsa Iudæa cōtra electā Ecclesiā cum terrore minarū, mouit, & plagas cædit. Vnde & de persequente tūc Saulo, in apostolorū actibus dicitur: Saulus adhuc spi Act.9
rans minarum & cædis in discipulos domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolam in Damascū, ut si quos inueniret huius uiæ uiros, uinctos perduceret in Hierusalē. Qui enim minas & cædes spirabat, nimirū eam, quam non bene æmulabatur, Ecclesiam, non solum affligebat sed etiam angebat. Nam eius æmulum se fuisse fatetur, dicens: Audistis enim aliquando con- Galat.1
uersationē meam in Iudaismo, quoniā supra modum persequebar Ecclesiam dei, & expugnabam illam, & proficiebā in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Et quia in tantæ damnationis profundū Iudæa cecidit, ut inde lætetur, quòd æterna dei animaduersione proijcitur: Subiunctum est. Intantū ut exprobraret ei, quòd dominus concluisset uuluam eius.] Adhuc quippe pro magno habebat, quòd conuerti ad fidem non prævalebit. Quasi ergo magnitudinē cæcitatis eius propheta admirans, ait: Tanta caligine erroris deprimitur, ut inde bonis insultet, quòd ipsa bona fieri ultra non potest. Cui profecto pereunti, quia sancta Ecclesia cōdoluit. Sequitur: Porrò Anna flebat.] Nam & doloris sui lamenta protulit, dicens: Tristitia est mihi mag Rom.9
na, & continuus dolor cordi meo, optabam quidem & ipse anathema fieri pro fratribus meis à Christo, qui sunt cognati mei secundum carnem. Et quia de eorum conuersione gaudium non recepit, subditur: Et cibū non capiebat.] Cibum deniq; caperet, si de Iudææ integra cōuersione lætitiæ refectionē habuisset. Quę ergo fleuit, cibum non accepit, quia quæ de pereunti Iudæa doluit, de eius salute gaudium non recepit. Sed cibus lætitiæ, qui de Iudæorū conuersione non datur sanctæ ecclesiæ, per sponsi cohortationē porrigitur. Nam uerba prædicatiōis eius, & si auditores non recipiunt reprobi, non tamen uacant à mercede retributionis. Omnipotens enim deus & hoc remunerat, quod sine reproborū profectu reprobis impēditur, & quod electis prædicatoribus aduersitatis ingerunt, per libram æqui examinis in lucro eis pensat retributionis. Vnde apte subinfertur: Dixit ergo ei Helcana uir suus: Anna cur fles? Et quare nō comedis? Et quamobrē affligit cor tuū? Nunquid non ego melior sum tibi q̄ decem filij?] Quasi ergo per internæ inspiratiōis solatiū menti doctoris redemptor dicat. Frustra de amisso lucro prędicationis quereris, quæ eo abundantiorem fructum recipis, quo affectum charitatis

ritatis etiam inimicis impendis. Inde igitur doles, unde gaudere debuisses. Et quia ipse est electorum præmium, interrogat, dicens: Nunquid non ego melior sum tibi quàm decem filij?] Decem nanq; filios Anna pareret, si primitiua ecclesia Iudæorum populum sub decalogo legis positum in fide genuisset. Et quia nonnulli prædicando prosunt alijs, qui per multa displicent conditori, ratione ostenditur, quia melior uir suus Annæ, quàm decem filij sunt. Potest autem & per hoc quod cur fleat inquiritur ipsius Iudææ perditio designari. Quasi dicat: Ocioſe plangitur, cui iustorum prece nequaquam indulgetur. Cum ergo subsequẽter interrogat, quare non comedis? profecto ei gaudium de conuersione gentilitatis intimatur. Quasi ergo dicat: Cum orbẽ uniuersum parere debeas, frustra non gaudes, quòd ea quæ proiecta est, erroris tenebras non relinquat. Sequitur: Surrexit ergo Anna postquam comederat, & biberat in Sylo, Heli sacerdote sedente super sella ante postes templi domini: & cum esset amaro animo, orauit ad dominum flens largiter, & uotum uouit.] Quid enim fuit tunc sanctæ ecclesiæ manducare, nisi cibum solatij diuina cohortatione suscipere? Et bibere ei quid extitit, nisi de infusa sibi internæ cõsolationis suauitate gaudere? Nam si cibus confortat, potus exhilarat. Cibum ergo sumimus, quãdo uilis æternis præmijs, inter aduersa roboramur. Et quasi post cibũ bibimus, quia ubi se mẽs electi in cogitatiõe æternorũ bonorũ roborat, eo copiosius gaudet inter magna aduersa, quæ sustinet, quo magnis laboribus ampliores repositas in cœlo retributiones uidet. Audax quippe superna refectione tunc reddita, uires renouat, ut tanto fortius terrena despiciat, quanto eam supernorum amor exaltat. Bene itaq; postquam manducauit, & bibit, surgere Anna memoratur. Surrexit nanq;, quia ad prędicationis instantiam animum reformauit. Et quia Iudaicus populus adhuc sacrificiorum ritus, adhuc & honorem legalis magisterij & sublimitatẽ pontificalis dignitatis habebat, super sellam Heli sacerdos sedere perhibetur. Quod tamen legis magisterium, quia non spiritualiter, sed carnaliter exhibere poterat, non intra templum, sed ante postes templi sedebat. Quid est enim templum domini, nisi spiritalis intelligentia sanctarum scripturarum? Postes autem tẽpli sunt Lex, & prophetia. Vnde & in monte dominus in medio Moysi & Heliæ transfiguratus apparuit: quia tunc diuinitatis eius splendor aspicitur, cum non in occidente litera, sed in spirituali legis & prophetiæ significatione, eius sacramenta requirũtur. Heli ergo sedebat ante postes templi, id est foris, quia doctores synagogæ à spiritali scripturarum intelligentia expulsi erant, & tamen in subuersione subiecti populi, authoritatem habebant magisterij, & dignitatem prælationis. Anna autem amaro animo fleuisse scribitur. Et quia potum Annæ ad lætitiam retulimus sanctæ ecclesiæ, quæ lætari ostenditur, amaro animo fleuisse quomodo narratur? Sed rationabiliter intelligi potest, quia ad lætandum hanc contemplatio supernæ retributionis extulerat, & compassio repulsæ ludææ in amaritudinem animi afficiendo concitauit. Inter turbines quippe magnæ persecutionis deprehensa, reuelatis sibi supernis præmijs exultauit, sed in amaritudinem incidit, quia electum prius populum perire conspexit. Vnde & orans largiter, flere describitur, ut tantæ affectionis munere, populi sui salutem à domino impetrare potuisset. Potest & hoc totum aliter intelligi. Nam in Sylo, id est in ministerio, quo missa est, manducauit, quia & si omnem Iudæorum populum lucrifacere non potuit, plures tamen ex eo ad redemptoris fidem prædicando conuertit. Vnde & prædicante Petro, una die quinq; milia hominum, altera uero tria milia crediderunt. Et quia quod bibimus, facilius glutire possumus, quàm quod manducamus, manducauit Anna & bibit, quia difficile alios, alios uero facile prædicando cõuertit. Nam & ad prædictam Petri prædicationem plura milia uno momento crediderunt, sed Paulus non ante credidit, quàm ipsis prædicatoribus per minas, & cædes uehementer obstitit. Postquã autem manducauit, & bibit in Sylo Anna, surrexit, quia ut eos, qui erant prædestinati ad æternam uitam, de Iudæa abstulit, sese ad prædicationem gentium præparauit. Sed qualem gignere appetebat, ostenditur per hoc, quod additum est. Et uotum uouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens uideris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus, dederisq; seruæ tuæ sexum uirilem, dabo eum domino omnibus diebus uitæ suæ, & nouacula non ascendet super caput eius.] Quid est quòd Anna uirilem sexum à domino postulat, nisi quia eos quos sancta ecclesia parere prædicando appetit, Euangelica perfectione fortes esse concupiscit? In comparatione quippe Euangelicæ perfectionis, opera illa legis, quæ uidebantur fortia, non fuerũt fortia, sed infirma. Ibi enim mandatũ est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicũ tuum. In Euangelio autem dominus præcipit, dicens: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos. Ibi immunditia fornicationis à corpore reciditur, hic & fortitudo conuersationis, quasi uirili sexu præcellat, etiam à corde immunda cogitatio resecatur: Qui uiderit (inquit) mulierẽ ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Synagoga igitur quæ infirmitate præceptorũ Iudaicũ populũ genuit, non peperit sexũ uirilem, sed potius muliebrem. Anna itaq; dum uirilem sexum sibi dari à domino postulat, quid aliud exoptare cernitur, nisi tales per Euangelium gignere, qui fortes appareant, & exteriori munditia corporis, & interna charitate? Et quia de cõuersione gentiliũ humanã gloriã prędicatorũ ordo non appetijt, subiectum est. Dabo eum domino omnibus diebus uitæ suæ.] Domino nanq; filium dat, qui de eo quẽ prædicando gignit, aliquid suis laudibus non usurpat. Omnibus quoq; diebus uitæ suæ hũc domino tribuit, qui de uirtutibus, in quibus

Matt.17 Act.4 Act.2 Leuit.19 Matt.5

bus subditus meliorando proficit, propriis fauori bus nihil adscribit. Dies nanq; uitæ electi subditi sanctæ uirtutes sunt, quæ eius animam coruscãdo illuminant, ne in uia cœlestis patriæ uitiorum nocte tenebrescat. Sed perfectus ordo prędicatoris, dum fauores de lucro prædicationis habere despicit, subditorum temporalia bona ambiendo, non tollit. Vnde bene quoq; illic subditur: Et nouacula non ascendet super caput eius.] Nouacula cum super caput ascendit, capillos radit. Quid enim per capillos, qui corpori superfluunt, nisi abundans terrenæ substantiæ copia designatur? Et quid per nouaculam, nisi malorum pastorum cupiditas exprimitur? Qua nouacula nati filij caput raditur, cum bona subditorum per prædicato
Soph.3 rum cupiditatem rapiuntur. Hinc nanq; & delinquenti Iudææ per prophetam dicitur: Pastores tui lupi uespere, non relinquentes in mane. Vespere nanq; pastores lupi fiunt: quia in tenebrescente, atq; decrescente in fine isto seculo, rapere subditorum bona non metuunt. Qui in mane non relinquunt, quia dum temporalibus inhiant, in albescente aduentu futuri iudicis, danda sibi præmia non reseruant. Quos nimirum Michæas denotat,
Mich.3 dicens: Prophetæ qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Prophetæ quippe populum domini seducunt, cum prędicatores reprobi auditorum suorum iudicia confundunt. Et mordentes dentibus pacem nunciant: quia in appetitu suæ rapacitatis, dum terrena flagitiosorum dona suscipiunt, eis diuinæ indulgentiæ securitatem pollicentur. Super ipsos autem prælium sanctificant, qui in ore eorum aliquid non dant: quia iustos etiam districtis sentẽtijs terrent, qui eis pro uoto terrena non exhibent. Qui nimirum super caput filij nouacula ponunt, dum prætextu charitatis cœlestia prædicant, ut eis terrena per cupi-
Phil.4 ditatem tollant. Hanc certè nouaculam, quod sancta ecclesia in prædam subditorum non habeat,
1.Cor.9 doctor egregius in semetipso ostẽdit, dicens: Non quæro datum, sed quæro fructum. Hinc item dicit: Qui Euangelium annunciat, de Euangelio uiuat. Ego autem non sum usus hac potestate. Qui enim necessaria non curat à subditis alimenta per cipere, ostendit planè, qua mundani contemptus sublimitate, lucra turpia, & illicita dona confutaret. Anna igitur dum nouaculam non ascensuram super caput filij uouet, aperte mores sanctæ ecclesiæ insinuat, quæ ad æternã uitam electos loquendo parturit, sed temporalia bona eorum per auaritiam nunquam tollit. Sed quia hoc de Anna adhuc uouente, & non pariente dicitur, aptè subinfertur: Factum est autem dum illa multiplicaret preces coram domino, ut Heli obseruaret os eius.] Quid fuit sanctæ ecclesiæ pro pariendi desiderio preces corã domino multiplicare, nisi assiduis orationibus pro conuertenda synagoga insisteret? Et quid fuit Iudaico sacerdotio os eius obseruare, nisi prædicationi sanctæ ecclesiæ insidiari? Os nanq; eius obseruauit: quia rectam prædicationem fidei reprehendere uehemẽter studuit. Bene autem tunc os eius obseruasse dicitur, cum illa preces multiplicaret: quia tanto callidius ei nocere studuit, quanto maiora eius desideria in prędicationis instãtia recognouit. Denicq; os eius nõ obseruaret, sed attẽderet, si prædicationẽ fidei nostræ ad salutis suę fructũ audire uoluisset. Sequitur: Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumq; labia eius mouebantur, & uox penitus non audiebatur.] Quid est aliud cor sanctæ ecclesiæ, nisi ea quæ intra se est deuota, & erudita beatitudo fidelium? In corde autem suo Anna locuta est: quia sanctæ ecclesiæ prædicatio eis tantũ profuit, qui uero lumine illustrandi erãt ex diuina prædestinatione. Quid uero est motus labiorũ, nisi signorum promotio in sanctis prædicatoribus? Qui profecto & si uelut foris loquẽtia labia, & in imo stare uidebantur, dum cæcis uisum, auditũ surdis, uitam mortuis dabant, magnos utiq; meritorum motus exhibebãt. Vnde & illud ingens labiũ sanctæ ecclesiæ, dum loquens uelut in imo stare uideretur, quia non solũ uerbo, & cõuersatione humilis erat, sed et signorũ potestate sublimis, ui motus sui usq; ad cœlũ se extulit, dicens: Nostra cõuersa Phil.3
tio in cœlis est. Heli itaq; tantũ Annæ labia mota cõspexit, & uocẽ penitus non audiuit: quia Iudaicum sacerdotiũ opera apostolorũ miratus est, sed ex eorũ prædicatione non est promotus in salutẽ. Vox itaq; Annæ non audiebatur, quia & si signorum ostẽsione sancta ecclesia mirabilis erat, dum prędicationis uerba protulit, ad amorẽ redemptoris extraneos accẽdit. Sed quid de ea sentiat Heli, quã non intelligit, sequitur: Æstimauit eam igitur Heli temulentã.] Hoc nimirũ etiã iuxta historiã Actuũ apostolorũ agnouimus, quia dieb⁹ pen Act.2
tecostes sancti Apostoli ebrij crediti sunt, cũ accepta sancti spiritus plenitudine Christi magnalia omni lingua loquerent. Spiritualiter autẽ sancta ecclesia ebria creditur, quã Iudæa non æstimat uera asserere, sed hæretica, & falsa prædicare. Ebria tamen erat, non potatione erroris, sed repletione spiritus sancti. Etenim mutare cor, mentẽ alienare consueuit ebrietas. Mutato autẽ corde pergebat, qui nuper domos intrãs, fideles quosq; minis terrenis, cędibus lanians, iã eũ, quẽ persecutus Iesum fuerat, uerũ esse omnipotentis dei filiũ prædicabat. Vnde & superioris sensus insaniã sese perdidisse gloriãs dicit: Qui prius fui blasphemus, & 1.Tim.1
persecutor, & cõtumeliosus, sed misericordiã cõsecutus sum, quia ignorãs feci. Aliud cor se accepisse testificans, ait: Nos aũt sensum Christi habe- 1.Cor.2
mus. Vnde & tãto attẽtius p̃dicabat, quãto in sensu Christi uim maioris dilectionis acceperat. Sed dũ ardẽter sancta ecclesia diligeret, dũ fiducialiter ea quæ diligebat prædicaret, Iudæorũ sacerdotiũ eius uerba in onere impatientiæ, non in suauitate deuotiõis habuit, quare & sequit: Dixitq; ei usq; quo ebria eris.] Et quia ei silẽtiũ indicere tẽtauit, adiũxit: Digere paulisper uinũ quo mades.] Vinũ quo madebat Anna, digereret, si à feruore prædicationis

dicationis ſancta eccleſia Iudæorum minis uicta, tepuiſſet. Et quia ultro prædicationis ſenſum ei ſubtrahere nitebantur, uinum Anna pauliſper diſſimulare iubetur. An non digerere Annā Heli tunc iuſſit, cum Iudæorū principes, cæſis apoſtolis denunciauerunt, dicentes, ne ultra loquerētur in nomine Ieſu? Sed qui illud quo madebant, digerere uinū noluerunt, reſpondentes dixerunt: Obedire oportet magis deo, q̄ hominibus. Et iterū: Non poſſumus quæ uidimus, & audiuimus non loqui. Sed quia ſancta eccleſia inter uerba libertatis, uir tutē manſuetudinis cuſtodiuit. Sequit. Nequaq̄ domine mi.] Dominū nanq; uocauit, cui miniſterium prędicationis exhibuit, ſed dominū uocans, ebriam ſe eſſe abnegat, ut ſuperiori ordini ex humilitate ſe ſubderet, & falſæ obiectioni ex ueritate cōtrairet. Dominū nanq; eum uocans, honorauit: & ebriam ſe eſſe abnegans, quod non erat, ſatis humiliter oſtendit. Poteſt autē ebrietatis obiectio erga ſanctam eccleſiā aliter accipi. Nam dum miniſterio Euangelicæ prædicationis inſiſteret, dum ex lucro credentiū, in magnā populorū gloriam ueniret, eam ſacerdotes Iudæorū non putabant æternorū bonorū culmen appetere, ſed terrenæ ſublimitatis gloriā deſiderare. Dum ergo ebria uocatur, euerſo ſtatu mentis cœleſtia poſtponere, & appetere terrena reprehendit. Sed quæ labentia bona ſeculi deſperat, dicit. Nequaq̄ domine mi. Nā mulier infelix nimis ego ſum.] Quaſi dicat: Tu me labentis mundi felicitatē appetere cogitas, ſed ego tanto infeliciorē me uideo, quanto felicitatis meæ gaudia hinc longius recognoſco. Quia uero illic me futurā felicē credo, hic eo ualde me infelicē arbitror, quo ad gloriā nulla cōcupiſco. Mulier quippe ſancta eccleſia dicit, profœcūditate, infelix nimis pro fortitudine: quia & orbē uerbo paritura erat, & orbis gloriā non poſſet perfectè deſpicere, ſi non eam ſupernus amor, mira fortitudine roboraret. uel nimis infelix fuit, quia de perditione populi ſui non parum doluit. Quam profecto ſapiens Salomon uehemēter admirans, ait: Mulierē fortē quis inueniet. Quo in loco etiam notandum eſt, quia non dicit mulier infelix, ſed nimis ego ſum. Nimis nanq; infelix fuit, cui nullū de ſeculo blandimentū placuit. Vel certè nimis infelicē ſe aſſerit, quæ ſe ab æternæ uitæ gaudijs expulſam, per primæ culpæ meritū meminit, ad quæ redire non prævalet, niſi per multas uitæ huius tribulationes. Nō enim nimis infelix exiſteret, ſi ad perdita paradiſi gaudia, ſine præſenti tribulatione reuerti potuiſſet. Hinc nanq; Paulus nimiæ huius infelicitatis ærumnā ineuitabilē oſtēdens, dicit: Per multas tribulationes oportet nos introire in regnū dei. Ac ſi ergo detrahēti ſibi Iudaico ſacerdotio, ſancta eccleſia reſpōdens, dicat: Tu mihi regnū adſcribis in felicitate tēporis, ſed meū illud eſt, ad quod non pertingit, niſi ex afflictione multæ tribulationis. Sequit. Vinū, & omne quod inebriare poteſt, non bibi.] Vinū nanq; non bibit, quia de prædicationis officio tēporalia lucra nō petijt. Aliud, quod inebriare poteſt, non bibit, quam in lapſum uitiorū, carnis cōcupiſcētia non euertit. Iuxta ſuperiorē uero ſententiā uinum non bibit, quæ aliquid prauitatis hæreticę non habuit in refectione. Aliud, quod inebriare poteſt, biberet: ſi de uerbi facundia decepta tumuiſſet. Quia uero recta intentione uera docuit, ſubdens, ait. Sed effudi animā meā in conſpectu domini. In conſpectu nanq; domini animā effundere, eſt cōceptā in mente uerbi dei ſcientiā, pro ſolo conditoris amore prędicare. Anima quippe effunditur, cū innatus uerbi dei intellectus, ad utilitatē audientiū diuulgat. Quiſquis enim pro humanis fauoribus, quiſquis p terreno cōmodo, uerbū dei prędicat, quia res alia de prædicatione attendit, in cōſpectu domini uerbū illud animæ non profertur. Quare & doctor gentiū aſſerit, dicēs: Non ſumus ſicut plurimi adulterātes uerbū dei, ſed ſicut ex ſinceritate, ſed ſicut ex deo, coram deo, & Chriſto loquimur. Anna ergo in cōſpectu domini animam ſuā effudit, quia ſancta eccleſia in uirtutū omniū culmine perfecta, in eruditione fideliū magna facundiæ uerba protulit, ſed ex uitæ uerbis ſoli deo placere deſiderauit. Cuius prædicationis etiā miniſteriū cōmendat, dicens. Ne putes ancillā tuā quaſi unā de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta ſum uſque in præſens.] Quaſi dicat. Quæ tibi æternæ uitæ bona loquitur, uelut idololatra deſpici non meret. Ancillam quoq; ſuā ſe eſſe aſſerit, ut cognoſcat ex nomine miniſterij, quia ad æterna ei appetit lucra famulari. Sequit. Quia ex multitudine mœroris, & doloris locuta ſum uſq; in præſens.] Quaſi apertius loquatur, & dicat: hinc agnoſce, quod nihil à malo ſpiritu habeā, quia ex multa pœna perſecutionis, ad loquendū uenio, & prędicationis inſtantiā, nullis pœnis uicta derelinquo. Poteſt etiā dolor Annæ ad affectionē ſanctæ eccleſiæ, mœror eius referri ad paſſionē. Ex multitudine quidē locuta eſt, quæ pereunti Iudaico populo, uerbū prędicatiōis protulit ex affectu cōpaſſionis. Quod Paulus inſinuat, dicens: Veritatē dico in Chriſto, non mentior, teſtimoniū perhibente mihi conſcientia mea in ſpiritu ſancto, quoniā triſtitia eſt mihi magna, & cōtinuus dolor cordi meo, optabā ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis à Chriſto, qui ſunt cognati mei ſecundū carnē, qui ſunt Iſraelitæ. Sed qui ſe ex multitudine doloris loqui inſinuat, an ex multitudine loquatur, dicat: A Iudæis quinquies quadragenas, una minus, accepi, ter uirgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum. Sancta uero eccleſia patienter aduerſa tolerans, humiliter innocentiæ & ueritatis ſuæ uirtutē manifeſtans, quibuſdam Iudææ ſacerdotibus bonum prędicationis ſuę loquendo perſuaſit. Quare & ſubditur:

Tunc ait Heli. uade in pace, det tibi deus Iſrael petitionem quam rogaſti eum.] Prius quippe Heli oranti Annæ prolatis contumelijs contradixit, poſtea uero in eius ſibi deuotione complacuit. Quid eſt hoc, niſi quod Iudaicum ſacerdotium & per alios ſui officij miniſtros prædicanti eccleſiæ obſtitit, & per alios cognitæ demum fidei noſtræ

Act. 5 Act. 4 Prou. 31 Act. 14 1. Cor. 11 2. Cor. 11 Rom. 9

nostræ ueritati consensit? Nam de obsistentibus dicitur, qui cæsis denunciauerũt Apostolis, dicentes, ne ultra loquerentur in nomine Iesu. De consentientibus autem, idem Lucas meminit, dicens: Actor.5 Plurima turba sacerdotum obediebat fidei. Tunc Actor.6 ergo Heli pro uoto fœcunditatis Annæ precatus est, cum sacerdotum plurima illa turba fidei obediens, per prędicationem sanctæ ecclesiæ electorum numerũ multiplicari desiderauit. Quam certè in pace ire optauit, quia fructum prædicationis eam desiderauit consequi, sine dolore passionis. Et quia in eorum uoto sancta ecclesia sibi complacuit, sequitur. Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.] Quasi dicat. Iuxta intuitũ desiderij tui, opus ministerij mei subsequatur gratia diuinæ dispensationis. Sequitur, Et abijt mulier in uiam suam, & comedit & bibit, uultusq; eius non sunt amplius in diuersa mutati.] In uiã suam mulier abijt, quia sancta ecclesia uerbũ fidei gentibus prædicauit. Quod & apostoli Iudæis cõminantes, dicunt: Actor.13 Quia indignos uos fecistis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quæ bene mulier tunc dicitur, cum recedit, quia per prædicationem redemptoris, exhibitura erat in gentibus fructum magnę fœcunditatis. Comedit autem, & bibit, & tamẽ uultus eius non sunt amplius in diuersa mutati: quia magna lucra de conuersione gentium habuit, sed persecutionem quam in Iudæa passa fuerat, etiam in gentibus inuenit. Sed ordine quo abierit edisserens, ait: Et surrexerunt mane, & adorauerunt coram domino, reuersiq; sunt, & uenerunt in domum suam, in Ramatha.] Quid est autem quod supra de sola Anna singulariter dicitur, abijt mulier in uiam suam, nunc uero pluraliter, surrexerunt mane, nisi ut cum uiro descendere cognoscatur? Et quia uir sanctę ecclesiæ redemptor humani generis est, qui iam ad cœlos ascenderat, cum ipsam Iudæam incredulitatis suæ caligine obrutam relinquebat, quomodo de Anna, & de uiro suo Helcana intelligi in Christi & ecclesię typo nunc potest, quod simul mane surgerent, & in ciuitatem suam pariter redirent. Sed quia ciuitatem Ramatha, cœlestem patriam designare iam diximus, quomodo hoc sanctæ ecclesiæ conuenit, quæ statim ut à Iudæorũ prædicatione cessauit, ad cœlestem patriam non ascẽditur. Verum quia resurgens à mortuis dominus, missis in prædicatione doctoribus loquitur, dicens: Ecce ego Mat.ult. uobiscum sum, usq; ad consummationem seculi, absurdum non est, ut cum eo sancta ecclesia surgere, & reuerti sentiatur. Qui enim electos suos per spiritalem præsentiam nunquam deserit, & cum stantibus permanet, & cum abeuntibus recedit. Ramatha uero cœlestem patriam designare diximus, sed quod nihil aliud significare possit, non diximus. Quid ergo aliud hoc in loco significat, nisi adimpletionẽ prophetiæ in gentium uocationem? Ramatha quippe uisio consummata dicit (ut iam diximus.) Quid uero est gentium iam impleta uocatio, nisi prophetarum uisio consummata? Nam uisionem asserebat, sed non cõsummatam, qui de futuro adhuc, quod uiderat, pronunciabat, dicẽs: Omnes gentes, quascunq; fecisti, uenient, & adorabunt te coram te domine. Psal.58 Hinc item repromittit, dicens: Adorabũt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Psal.71 Visio igitur cõsummata recte prophetarũ promissio dicitur: quia nimirũ authore deo, iuxta eorum oracula, in redemptorem humani generis omnes gentes crediderũt. Mane autẽ cum uiro suo Anna surgere dicitur: quia sancta ecclesia in exortu interni luminis ad gentes transiit, cum uerbo prædicationis. Vel mane surgit, quod Iudæam in nocte infidelitatis deseruit. Mane etiam surgit, quia prosperũ iter in cõuersione gentium inuenit. Et coram domino adorauit, quia in repulsione synagogæ incomprehensibile iudicium uenerata est omnipotentis dei. Adorauit quippe, & recessit, quia cum à gentis suæ prædicatione pro sola dei omnipotentis ordinatione recederet, diuino iudicio per obedientiã obsecuta est, quod penetrare intelligendo non potuit. Adorans autem reuersa est: quia ministerium prædicationis in uocatione gentium adimplere proposuit, sed tãtum eiusdem prædicationis modum in superna contẽplatione quæsiuit. Reuerti enim prædicatoribus est, ad diuinæ contemplationis lumen recurrere. Inde quippe lucem hauriunt, qua & ad uenerationem fidelium luceant, & quam loquendo, auditorum suorum mentibus infundant. Hinc nanq; est quod prædicator egregius ante ad tertij cœli secreta sustollitur, et sic terrena disponere perhibetur, & paradisi secreta ingrediens, uerba percipit, quæ non licet homini loqui, ut discernere & loqui utiliter foris possit. 2.Cor.12 Anna ergo reuersa memoratur, quia sancta ecclesia dum terrena disposuit, qualiter sint eadẽ terrena disponenda, in ea ad quam sæpe reuertitur, dei contemplatione instruitur. Et tunc demum in domũ suam uenit, quia in auditorum deuotione collocare se potuit, cum accedendi ad eos modum, sursum reuertendo, cognouit. Domus nanq; sanctæ primitiuæ ecclesiæ, gentiũ deuotio extitit, quam dum sibi in eis condidit, custodiæ sollicitudine inhabitauit. Quæ uidelicet domus posita in uisione cõsummata describitur, quia non ante condi potuit, quã uocationis eius prædictum à prophetis tempus aduenit. Sequitur. Cognouit autẽ Helcana Annã cõiugẽ suã, & recordatus est eius dominus.] Helcana Annã coniugẽ suã tunc cognouit, cũ redemptor noster præfinitũ tempus uocandæ gentilitatis aspexit: quo dum nouæ sponsę sanctę uidelicet ecclesiæ gremio gratiam superni amoris infunderet, nouam ex ea prolem fideliũ generaret. Nam uelut nondũ cognoscebat eam, cũ uolentes trãsire in Asiam prædicatores, à spiritu sancto prohibi- Actor.16 ti sunt. Hinc est quod cum ad prędicationẽ Iudęæ discipulos suos mitteret, per semetipsam ueritas prohibet, dicens: In uiam gentiũ non abieritis, & Mat.10 in ciuitates Samaritanorũ non intraueritis. Quando autem cognouit Annã coniugẽ suã Helcana, tũc recordatus est eius dominus: quia gẽtilitas tũc uenisse in dei memoriã uisa est, cũ sancta ecclesia uerbo

uerbo dei per amoris gratiam coniuncta, in salute uisitatur. Quid est hoc loco circulus dierum, nisi innumeris sancti spiritus ostensa radijs manifestatio diuinæ uoluntatis? Quæ profecto dum prædicatorum suorum mentibus, in contemplatione suspensis, claritates supernę dispositionis innumeras exhibet, nimirū ueluti plures dies, temporum circulus clausas tenet. Circulus quippe dierū Annæ conceptum præuenit, quia sanctæ ecclesię uerbum dei ad docēdum non ante infunditur, quam ab ea supernæ dispositionis radij plenius agnoscātur. Quæ cōcipiens filium peperit, quia ij quos in fide redemptoris parit, noua conuersatione robusti sunt. Et uocauit nomē eius Samuel, eo quod à domino postulasset eum.] Samuel interpretatᵉ nomen eius deus. Quem ergo nobis Samuel conuenientius insinuat, quam prædicatorū ordinem, qui ad fidem uocatus est ex gētilitate? Quia enim fortis conuersatione est, potestate sublimis, & dum in eo speciale signum gratiæ diuinæ conspicitur, ad ueneration̄em prædicationis eius, deuotæ auditorum turbæ deducuntur, recte nomē eius nuncupatione declaratur. Hinc est quod ad Moysen
Exod.7 à domino dicit: Posui te in deū Pharaonis. Hinc
Exod.22 item in lege prohibens, ait: Dijs non detrahes. Et notandum: quia cuius nomen deus dicitur, filius, non filia fuit, quia certe pastoralis dignitas, cū infirma cōuersatione deprimitur, splēdore tam celsi nominis non ornatur. Quia igitur ordo doctorū ad euangelizandi ministerium ex gentilitate promotus, excellentiæ dignitatis suæ, meritorum gratia impar non fuit, recte nunc dicitur. Vocauit nomen eius Samuel, eo quod à domino postulasset eum.] Et notandum, quia hoc loco postulare dicitur, quod postulando promeruit. Apertis ergo uerbis ostēditur, cur Annæ primogenitus tanto nomine censeatur. Quod tale est, ac si dicat. Idcirco ei tantū nomen impositum, quia is, qui supernō munere nascitur, meritorū gratia magnus fuit. Sed ut ostendatur quo studio eum prouida mater foueat, sequitur. Ascendit autem uir eius Helcana, & omnis domus, ut immolaret hostiam solennem, & uotum suum, & Anna non ascendit. Dixit enim uiro suo. Nō uadam donec ablactetur.] Quæ est autem immolatio solennis hostiæ, nisi illa sanctæ ecclesiæ amoris oblatio, qua conditori coniungitur in æterna contemplatione? Ad hanc autem Helcana tunc ascendit, cum redemptor noster iam de morte triumphans, iam passibilitatis nostræ tenebras superans, carnem, quam pro nostra salute susceperat, ad cœlestia sublimauit. Cum quo & omnis domus eius ascendit, quia priores electos synagogæ in altitudinem immortalitatis extulit. Tunc immolauit solennem hostiam, cum se æterno patri per glorificatæ carnis materiam in cœlo exhibuit, & angelorum naturam sicut de redemptione nostra, ita etiam de eorum reparatione lætificauit. Ad hanc solennem hostiam Anna inuitatur, quia sancta ecclesia superni sponsi spirituali cohortatione ad æternam cōtemplationem diuinæ claritatis, per quotidiana desideria amoris

A accenditur. Quę tamen ab ascensu suo abstinet, ut filium lactet, quia ut prosit hic Christi paruulis, dilationem suæ gloriæ patiēter sustinet. An non ad immolationē huius solennis hostiæ mater illa inuitata fuerat, quæ dicebat: Cupio dissolui & esse Philip.1
cū Christo? Sed quæ per amoris desideria ad spontem speciem trahitur, an amet lactare filium, dicat: In carne mihi manere necessariū est propter uos. Cor.3
Quo etiam cibo se Corinthios aluisse insinuat, dicens: Lac uobis potum dedi non escam. Lactare quippe paruulos sanctæ ecclesiæ est pastoribus, infirmorum siue simplicium auditorū corda, planioris scripturæ pabulo enutrire. Quibus profecto idem doctor egregius dicit: Nihil iudicaui me 1.Cor.2
scire inter uos, nisi Christum, & hunc crucifixum.

B Ablactantur autem infantes, cum paruuli sanctæ ecclesiæ tam spiritualis eruditionis, quàm bonæ conuersationis incrementa suscipiunt, & iam non planiora sacri eloquij, sed alta eius sacramenta requirunt. Et ablactatus infans ante conspectū domini ut appareat, ducitur, cum per adhortationē prædicatorum quisquis subiectus bene proficiēs, bonis operibus adornatur. Qui enim ad hoc ducitur ut appareat, non tantū ut uideat, defertur, sed etiam ut uideat. Quia enim in fine à domino multi audituri sunt, nescio uos, apparere in conspectu domini Samuel dicitur: quia electus, & humilis subditus, dum perfectè præsentia despicit, aduenīete extremo iudice nequaq̄ reprobatur. Quos autem seculum in sui amore defixos retinet, in cō
C spectu domini non apparent. Qui enim in honore rerum transeuntium uideri elatiores appetunt, hoc profecto superbiendo agunt, ut ab eo, quo solo uideri debent honorabiles, nunquā uideantur. Vnde & rex electus, & in rerū culmine positus, ne in flore seculi deciperetur, obsecrat, dicens: Ne Psal.50
proijcias me domine à facie tua. Anna ergo et ablactare filium repromittit, & ante cōspectum domini ut appareat, ducere: quia sancta ecclesia electos subditos, quos erudit, præsentia perfectè despicere docet, & bona agere, & ad æterna bona per humilitatem festinare. Et notandum: quia ab ablactationis loco ductus asseritur, qui apparere debere in conspectu domini perhibetur, quia uidelicet, non parū interest spiritualis itineris, cum
D ab eo, quod de cœlesti magisterio discimus, in usum perfectæ tendimus operationis. Quia uero à studio eiusdem boni operis nunq̄ cessandum est, sequitur. Et appareat ibi iugiter.] Iugiter nanq̄ ibi apparemus, unde nunq̄ discedimus. Iugiter ergo in conspectu domini apparere est, decorē bonæ conuersationis nullis uitæ tenebris obscurare: quia qui ad illicita nulla defluit, à secreto diuini intuitus nunq̄ exit: & quasi in luce positum, hunc diuina bonitas respicit, quia eas, quas damnauit peccatorū tenebras, electione sui examinis non attēdit. Donec igitur ablactetur infans, ad immolandam solennem hostiam se non ascēsurā Anna denunciat: quia sancta ecclesia tandiu custodire filios proponit, quandiu de eorū perfectione secura fieri ualeat, quia ipsi ab accepta bonitate ulterius

terius non recedant. Potest tamen ascensus solennis hostiæ ad altitudinem sanctæ prædicationis referri. Nam de ascensu uiri eius per prophetam scriptum est: Ascendit super Cherubim, & uolauit super pennas uentorũ. Super Cherubim quippe dominus ascendit, quia in sublimibus prædicatorum suorum mentibus ascendit, & scientiæ suæ altitudinem ponit. Et super pennas uentorũ uolat, quia coram spiritualibus eorum oculis in altitudinem miræ intelligẽtiæ se sancti spiritus flatibus eleuat. Et tenebras latibulum suum ponit, quia maiestatis suæ sublimitatẽ reprobis abscondit. Sed in circuitu eius tabernaculum suum, quia quos per sublimia dona eleuat, eis suæ maiestatis etiã gloriam manifestat. Bene autẽ cum Helcanæ ascensus asseritur, omnis domus eius ascendisse perhibet, quia illos quorum mentibus eminet, in altitudine suæ contemplationis uelut domesticos, & familiares tenet. Quæ est autem Helcanæ, id est, redemptoris nostri hostia solennis, nisi sanctorum suorũ cordibus ineffabilis illius internæ amor eruditionis? Nam eorum quisq; sibi ineffabiliter complacet, in eo, quod se ostensa redemptoris sublimitas, tam sublimiter docet. Anna ergo se cũ uiro suo ascendere abnegat, donec filium lactat, quia sancta ecclesia tandiu uitauit alta prædicando contingere, quãdiu cognouit rudes auditores suos, uelut paruulos alta capere nequaq; posse. Hinc nanq; in ipsis sanctæ ecclesiæ primordijs factum est, ut uelut paruulo adhuc Annę filio, per trium euangelistarum scripta, Matthæi, scilicet, Lucæ, & Marci lac propinaretur, qui humanitatis dominicæ historiam scribentes, pauca de eius diuinitate tractauerũt: sed cum paruulus ecclesiæ populus crescceret, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi proficeret, cui lactis potus non suffecerat, pasci cibo solido perquirebat. Compulsa itaq; mater ecclesia ascendere est, ut ipsa quoq; Cherubim fieret, uolantiq; super se redemptori appropinquaret, pennas assumeret, ambulantem super eas in sacramentorum altitudine teneret, atq; ex eius maiestate caperet, quod poscenti unico alimentũ daret. Vnde factum est, ut rogatus à fratribus euangelista Ioannes, non solum humana, sed etiam angelica superans, condita cuncta transcenderet, & quẽ uidere meruit, unigenitum in sinu patris prædicaret, dicens: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Tũc ergo Anna ascendit, cum sancta ecclesia se in celsitudinẽ diuinæ prædicationis tam sublimiter extulit. Tunc etiam immolauit solennem hostiam, quia de cognitione diuinitatis, in auditorum suorum cordibus flammã miræ deuotionis accendit. Solennis quippe hostia fuit, de incomparabili eloquio, singularis oblatio deuotionis. Tunc in cõspectu domini filium adduxit, cum auditorũ suorũ cordibus perfectam cognitionẽ summæ diuinitatis intimauit. Quæ profecto dei cognitio quia non solũ fide tenenda est, sed cõfessione, & quod credimus & cõfitemur, nec ignorare ulterius, nec silere permittimur, puer ablactatus, qui ad domũ domini adducitur, iugiter in conspectu domini manere declaratur. Sequitur: Et dixit ei Helcana uir suus, fac quod tibi bonum uidetur, mane donec ablactes eum.] Quid est quod Annæ consilium uiri sui auctoritate roboratur, nisi quia propositũ sanctæ ecclesiæ non ex humano præsumitur iudicio, sed ex diuino? Nã quicquid sancta ecclesia in subiectis sibi nationibus disponere uoluit, tunc demum id ratũ habuit, cum ex internę ueritatis iudicio, quid disponendum esset, agnouit: Et quia aduocatũ habemus apud patrẽ, qui interpellat pro nobis, subiungit, atq; ait. Precorq;, ut impleat dominus uerbum suum.] Quod est uerbum quod implendum asseritur, nisi prædestinata conuersio gentilitatis? Et quia per eius sanguinẽ reconciliamur deo, ipse pro implendo uerbo precatur, cuius obtẽtu salus nostra perficitur. Precari etiam ei est, se in humanitate assumpta, pro salute nostra æterno patri continue exhibere: quod dum sic se offerre non desinit, receptioni nostræ aditum ad uitam facit. Quia uero dispositionis suæ consiliũ exquirendo perficit, apte subinfertur. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte.] Deinde sequitur: Et adduxit eũ, postq; ablactauerat, in uitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora uini, & adduxit eum in domum domini in Sylo.] Quid nanq; per uitulũ hoc loco significatur, nisi propositũ imitandæ uitæ perfectorum. Sed uitulus est, cum in corde exoritur proficiẽtis: bos autem, cum per robur uirtutis, ad effectũ perducitur magnæ cõuersationis. Quo in loco ualde quærendum est, cur non unus uitulus, sed tres ad tabernaculum adducti perhibẽtur? Sed in tribus uitulis infans delatus ostenditur, ut eorũ formam insinuet, qui ad prædicationis ministeriũ instruuntur. Perfectus etenim doctor, & peccatoribus cõuertendis, & custodiendis iustis inuigilat. Quasi enim colonus summi patrisfamilias utrunq; bouẽ aratris inserit, ut non solum uigilare stantibus, ne corruant, sed etiam lapsos possit erigere, ut subsistant. Sed qui duos boues habet in subiectorũ sollicitudine, ut esse perfectus ualeat, bouẽ tertium iungat, in diuina contemplatione: ut & corda proximorũ integro iugo loquendo, uelut arando aperiat, & semetipsum per singularẽ amoris fortitudinem, ad conditoris sui speciem semper extendat. Samuel ergo in uitulis tribus ad domum domini ducitur, cum bene quisq; proficiens, proponit: ut ex labore prædicatiõis prodesse ualeat proximis, & ex secreto quietis, inhærere intimæ uisioni conditoris. Et quia id bene exhibere animus imperiti nunq; poterit, in tribus etiam farinæ modijs offertur. Ex farina quippe cũm panes fiunt, prępparatio refectionis perficitur. Quod uero nõ in panibus, sed in farinæ modijs offertur, bonam deuotionẽ, doctrinam proponere ostenditur, non ipsius doctrinæ cõmodum exhibere. Modius ergo farinæ sanctæ prædicationis prępparationẽ significat. Sed in tribus modijs farinæ infans adducit: quia dum prædicare proponimus, uerbum scientiæ prępparamus peccatoribus ad cõuersionẽ, iustis ad statum perseue-

Pſal.17 1.Ioan.2 Ioan.1

perſeuerantiæ,& nobis ad ſupernam contemplationē. uel certè unus modius eſt (ut diximus) pro conuerſione peccatoris, alius pro diſciplina conſugati, tertius uero pro excellenti puritate continentis.Et modij quidem dicūtur pro menſura diſcretiōis. Vnde & beatus Paulus perhibet, dicēs:
Rom.12 Non plus ſapere, q̄ oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatē. Quod profecto, quia prædicatorū ordo electus exigentibus, non ex leuitate uanitatis habuit,ſed ex uirtute bonæ intentionis, ſequitur:

Et amphora uini.] Virtus uero bonæ intentionis eſt charitas dei, quæ in electorū cordibus diffunditur, per donum ſpiritus ſancti. Quod nimirum charitatis donum, recte uini appellatione figuratur, quia mentem occupat, & a terrenis affectibus alienat, ut intētionē ad ſeculū non habeat, quam ad appetenda ſola cœleſtia inflammat. Verum ut huius quoq; uirtutis non perfectio, ſed initium deſignetur, amphora uini, & non poculum fuiſſe oſtenditur.In amphorā quippe reponimus, quod quandoq; per poculum propinemus. Hinc eſt enim quod is qui ſupernæ charitatis perfectionem guſtauerat,deo omnipotenti cōfitebatur,di-
Pſal.22 cens:Impinguaſti in oleo caput meū, & poculum meum inebrians, quàm præclarū eſt. In amphora ergo uini Samuel oblatus oſtenditur:quia electus quiſq; cum ad Euangelicæ prædicationis miniſterium præparatur, ipſius prædicationis bonū proponit, non pro uana huius ſeculi ambitione, ſed pro ſola charitate impēdere.In uitulis ergo adducitur pro propoſito fortitudinis, in farinæ modijs pro doctrina uerbi,in amphora uini pro intentione charitatis.Quæ profecto uirtutū initia,ubi ſint perficienda edocet, cum ſubiungit: Et adduxit in domum domini in Sylo.] Domus domini ſancta eccleſia recte intelligitur, quæ nimirū in Sylo ſita eſſe perhibetur.Sylo autē locus eſt, in quo arca dei manſiſſe perhibetur. Quid ergo aliud Sylo iſto in loco ſignificat, q̄ ueteris legis traditionē? Nam uelut arcam dei continet,dum carnalē literā foris exhibet,quæ in ſuis ſecretis ſpiritalem ſcientiā clauſam tenet.Quid eſt ergo quòd domus domini in Sylo ſita eſſe perhibet, niſi quia ſancta eccleſia in ſacramento ſcripturarū,uelut in loco fundata cognoſcitur? Illuc Samuel adductus aſſerit, illic oblatus,quia prēter ſanctā eccleſiā,locus non eſt,ubi merita uirtutū creſcant, & ad culmen perfectionis ueniant. Sed cum ipſe qui adductus eſt, aſſeritur,eius quoq; dilationis cauſa memoratur, cum ſubditur: Puer aūt erat adhuc infantulus.] Nam ſi infantulus tunc non eſſet,dum per ſe poſſet accedere,duci adhuc ab alio,non oporteret.Sequitur: Et immolauerunt uitulum, & obtulerūt puerum Heli.] Superius de ſola Anna dicebatur.

Et adduxit eum ſecum, poſtq̄ ablactauerat.] Nunc autem de Helcana pariter,& de Anna ſubiungitur: Et immolauerunt uitulum,& obtulerunt puerum Heli.] Tunc immolatus eſt uitulus, cum adductus eſt Samuel, & oblatus. Si ergo ibi erat tunc Helcana,& cum ducebatur, & cum offerebatur, quare non dictū eſt adduxerunt eum ſecum,ſicut dictum eſt,& immolauerunt,& obtulerunt? Sed quia hæc ad eccleſiam,& ad Chriſtū retulimus,illi lactare,illi adducere pertinet:offerre, & immolare, ſibi & Chriſto. Ipſa quippe inſtitit uerbo prædicationis, ſed quibus doctrinam inſinuat,uirtutē adimplēdę operationis nequaq̄ ſum miniſtrat.Literam quippe ſcripturæ loquēdo exhibet,ſed ipſum bonū ſe petentibus,non niſi cum ſponſo dare poteſt.Immolatur ergo uitulus, cum diuina gratia cordi bona petentis infundit̄,ut bona quæ deſtinando deliberat, ſtudio boni operis hilariter impendat. Vitulus enim tunc immolat̄, quia uictima boni operis propoſiti, ab omnipotenti deo deuotę mentis oblatione ſuſcipitur,ſi id quod ei uouendo mens exhibet, totū deo maclatur per hilaritatē. De hac immolatione uituli dominus in euangelio ait: Si uos,cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs ueſtris, quanto magis pater meus cœleſtis dabit ſpiritū bonum petentibus ſe? Hinc Paulus ait:Qui ſeminat in benedictionibus,de benedictionibus & metet,unuſquiſq; prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarē enim datorē diligit deus. Quid nanq; eſt deſtinare in corde,niſi proponere ex deliberatione? Dum ergo deſtinauit,dixit, quaſi uitulum adductū,aſſeruit. Sed dum addidit, non ex triſtitia,aut ex neceſſitate, quia hilarē datorē diligit deus,adductū uitulū qualiter immolet̄, expoſuit.Adducuntur ergo uituli, cum ad agenda fortia bene proponendo pręparamur:ſed uitulus immolatur,cum deliberatio boni propoſiti deo impenditur,in oblatione magnæ deuotionis. Vterq; autem,id eſt uir & uxor uitulum immolaſſe perhibentur: quia eadē hilaritas fidelibus ſubditis prædicatoris uoce oſtēditur,atq; in eorū cordibus diuina gratia propagatur.Pariter ergo uitulū immolant,cum in corde bene proficientis ſubditi, diuina conuenit cum humana prædicatione.Tres autem uituli adducuntur, quia cum auxilium lapſis, & ſtantibus ferre,& nobis ipſis opē cuſtodiæ proponimus,dum una bona intentione hæc attendimus,tria quidem ſunt reſpectu operis, ſed unum in munere oblationis. Tria quidem ſunt, quia erga nos,& proximos noſtros diuerſo reſpectu, & diuerſis temporibus exhibent̄: ſed unus ſunt uitulus, quia ſimul proponūtur,& pari deuotione oblationis deo impenduntur, & una in eis hilaritas, & alia non habetur.Sequitur: Et obtulerūt puerum Heli.] In Heli,non ſolū perſonæ doctorū ueterum,ſed etiam doctrinæ figurantur. Quid eſt ergo quod puer Samuel Heli oblatus aſſeritur, niſi hoc quod apertè cognoſcit̄,quia quiſquis prædicando,alijs prodeſſe nititur,non ſolum noua ſcribere debet,ſed etiam uetera. Vnde et dominus in Euangelio per parabolam dicit: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorū ſimilis eſt homini patriſamilias,qui profert de theſauro ſuo noua & uetera.Samuel ergo Heli tunc offertur, cum mēs bene proficientis ſubditi legis & Prophetarū ſcientia eruditur: ut in libris antiquorū occidentē literam legat,ſed etiam ſecundū ſpiritū uiuificantem intelli-

Mat.7

2.Cor.9

intelligat,& sic quod foris sonat, accipiat, ut præ- A
ter elementorũ sonum, quod intus insonet spiritus,recognoscat,& ad fidẽ noua habeat, sed quoties necesse fuerit,ad nouí testamenti cõfirmationem scripturas ueteres adducat. Tunc quippe defendere noua poterit,cum eorum rationẽ ex ueteribus agnoscit. Aperte igitur Samuel Heli oblatus asseritur,quia solum sufficienter noua prædicat,qui eam rationẽ,qua intelligenda sunt uetera non ignorat. Et quia easdem scripturas ueteres intelligere sine præceptore nõ possumus, & doctor nihil in nobis docendo proficit,si quod ipse foris loquitur, in cordibus nostris per diuinã gratiam non infundatur,mater non sola puerũ obtulit,sed cum uiro.Ei autẽ,cui filiũ tradit,se cum uerbo pręconij Anna insinuauit,dicens: Obsecro mi do- B
mine uiuit anima tua, ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic.] Coram Heli Anna stetit, quia sancta ecclesia doctorũ synagogæ nullis persecutionibus corruit.Quod tale est, ac si dicat ecclesia glorians synagogæ præpositis.Idcirco orbem parere per Euangeliũ deo potui, quia aduersa, quæ mihi intulistis, inuicta toleraui. Nam si pœnis uicta uetustati me subderẽ, nouam redemptori tot nationũ sobolẽ nequaq; genuissem. Et quia humiliter loquitur,obsecrãdo dominũ uocat.Quia uero ei uitæ æternæ pignus in fide redemptoris dare appetit,dicit: Viuit anima tua.] Sed quæ se ste
tisse gloriata est, magna de se protulit. Et quia eadem magna humiliter,nõ superbe dixerat, ea protinus ad laudẽ omnipotentis dei retulit, dicens: C

Orauí,& dedit mihi dominus petitionẽ quam rogaui eum, idcirco & ego cõmendaui eum domino.] Diuina gratia ad hoc sanctæ ecclesiæ filios tribuit,ut eos doctrina ueritatis instituat, bonis moribus exornet, pia super eos custodia uigilet, à malo declinare perfectè faciat, & ad æternã patriã sufficientẽ bonorũ operũ copiã præparare. Hæc profecto ministerij pastoralis sunt, sed electus prædicator ea suis uiribus implere posse diffidit.Quia ergo nec sua uirtute aliquos per euangelium potest gignere,nec quos generat, custodire, rectè per Annam in ecclesiæ typo nunc dicitur:

Orauí,& dedit mihi dominus petitionẽ, quam rogaui eum.Idcirco & ego cõmẽdaui eum domino,cunctis diebus quibus fuerit cõmendatus do- D
mino.] Nam ut gignere possit, obsecrat, & ut hi, quos orando obtinet,in sancta cõuersatione permaneant, eos item omnipotenti deo precibus cõmẽdat.Et quia ab eisdem precibus nunq; desinit, cunctis diebus se cõmendare filiũ deo dicit. Cunctis nanq; diebus domino filiũ cõmendare, est ei pro eorum salute,quos generat, omni huius uitæ tempore supplicare. Dies nanq; quibus domino cõmendamur tempora præsentis uitæ significãt. In quibus profecto diebus tanto ualidioribus diuinę protectionis auxilijs indigemus,quanto grauioribus spirituũ malignorũ tentamentis impetimur.Quia uero in pleriscq; codicibus non cõmendatus, sed cõmodatus legitur, à bono intellectu non uacat.A matre quippe ecclesia in hac uita filij cõmodantur. Quicquid uero cõmodamus, id reddi nobis in fide excipientis expectamus. Dies uero uirtutũ spiritaliũ,claritates sunt.Quibus profecto diebus Annæ filius domino cõmodat, quia ei sancta ecclesia electos offert in claritate uirtutum,ut eos postmodum ad augmentũ sui æterni gaudij sibi omnipotens deus exhibeat in splendoribus præmiorũ.Et notandum quia omnibus diebus cõmendatus asseritur,ut ei de eo quod habendum est de spirituali cõuersatione,nihil desit, quẽ prædicator electus in æterna uita recipere tenebrosum ex aliqua parte non poterit. Sequitur:

Et adorauerunt ibi dominum.]Et nos membra sanctæ ecclesiæ,cum per scripturas testamenti ueteris,uenerationi,& præcepto conditoris summittimur,ibi profecto dominum adoramus,quia patrum ueterum fidem tenemus, & eandem fidem per dilectionem in bono opere exercemus.

Caput I

HAc de principio typica expositione protulimus,nunc in eiusdẽ uerbis historiæ, eruditionem nostram per moralem significationem requiramus. Moralis
Fuit uir unus (inquit) de Ramatha Sophim.] In hoc uiro uno,quid rectius q; unusquisq; nouus seculi contemptor designatur? Vir nanq; dicitur, quia proposito fortis est, unus uero, quia amore singularis,uir nãq; est, quia ex magna uirtute cuncta præsentia despicit,sed unus,quia sola omnipotentis dei specie frui concupiscit. Quisquis enim perfecte terrena despicit, uir est ex fortitudine, sed si conditorẽ suum ardẽter uidere non cupiat, non est unus ex intentione. Perfectio igitur uiri, in præconio ponitur unitatis,ut qui seculũ potenter despicit, mentẽ non diuidat, solis supernis inhiet,ad ea tantũ quę de uisione conditoris sunt æterna gaudia suspiret. Talis profecto erat qui deo cõfitens,ait:Quid mihi restat in cœlo,& à te quid Psal.72
uolui super terram? Hinc item dicit: Vultũ tuũ do Psal.26
mine requirã.Qui enim in terra nihil uoluit, profecto uir fuit,sed qui neq; in cœlo,neq; in terra aliquid præter ipsum uoluit, qui spretis omnibus solum eius uultũ quæsiuit, non solũ uir, sed etiam unus extitit. De hac unitate dominus in Euangelio Marthæ loquitur,dicens:Martha Martha,sol- Lucæ 10
licita es,& turbaris erga plurima, porrò unum est necessariũ.Hinc Lucas de perfecto credentiũ numero loquens,ait: Erat eis cor unũ,& anima una. Act.4
Vnũ quippe eis cor erat,quia per intẽtionẽ rationis,solũ conditorẽ aspexerant, unam animã habebant:quia per affectionẽ amoris, solũ eius faciem uidere desiderabant. Hinc est quod diligens propheta secum reputat,dicens:Sitiuit anima mea ad Psal.41
deum fontẽ uiuũ, quãdo uenią, & apparebo ante faciem dei.Pro hac unitate obtinenda ueritas docens,ait:Qui non renũciauerit omnibus quę pos- Lucæ 14
sidet,non potest meus esse discipulus.Quæ etiam nostra sunt,quia hi qui abrenunciantes seculo remotioris uitæ secretũ petiuimus, monachi uocamur. Monos quidem græce, latine autẽ unus dicitur

cit. Hoc quippe titulo appellationis inscribimur, ut uox nominis nostri nobis insinuet altitudinem dignitatis, & animus noster tanto ardẽtius ad conditoris uisionem se erigat, quanto sublimitatẽ claritatis, in qua semper debet cõsistere, quasi in fronte prælatam, portat. Sed diuini amoris sublimitas, in sola catholica ecclesia ueris electis impenditur. Bene ergo uir, qui unus dicitur: De Ramatha Sophim, de monte Effraim fuisse perhibetur. Ramatha quippe (ut iam dixi) Hebræum nomẽ est, sed latina locutione, dicit uisio consummata. Quę profecto appellatio sanctæ ecclesiæ cõuenit, quæ antiquitus à prophetis præuisa est, sed in finem seculorũ, in redemptoris fide dispositа. Consumma ta ergo uisio sancta ecclesia dicit: quia per redemptorẽ humani generis erecta est in religionis culmine, quæ olim tantũ prouisa erat spiritu prophetiæ. Hæc autem Sophim esse describitur in monte Effraim ædificata, quia cõtemplatione dei celsissima est, & spiritalib. uirtutibus fœcunda. Sophim quippe specula dicitur, Effraim fructificans. Quæ profecto uocabula situm sanctę ecclesiæ recte insinuant, quę non solum intẽtione uisionis alta est, sed excellentia conuersationis. Quibus etiam uocabulis, & hæreticorũ dementia, & cæterorũ improborum sterilitas reprobatur. Illi quidem dum à rectitudine fidei deuiant, speculationẽ sublimitatis non habent, isti uero, quia recta uident, quæ agant, & ea facere semper dissimulant, speculam quidem habent, sed uirtutum montem excellenti uita non obtinẽt. Sancta uero ecclesia quia in Sophim, id est, in speculatione sublimis est, gloriat, dicens: Nostra cõuersatio in cœlis est. Quia etiam in uirtutum monte per boni operis fructum constituta est, elisam reproborũ fidem reprobans, ait: Fides sine operibus mortua est. Hinc item prædicans, dicit: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Vir ergo, qui unus dicitur, de monte Effraim esse memoratur: quia & terrena despicere, & superna desiderare, ei solum prodest, qui per fidem catholicam intra sanctam ecclesiam sese cõtinet.

Phil.3
Iacobi 2
Galat.6

Sequitur: Et nomen eius Helcana, filius Hieroboam, filij Heliu, filij Thau, filij Suph.] Hoc etiã nomen superius ostendimus, quia ab Hebræa lingua, in nostram dei feruor uerteretur. Quod profecto nomen uiri, bene congruit ordini spiritalis expositionis. Qui enim uir unus dicitur, necesse est ut ex dei feruore censeatur. Quis enim aut temporalia despicere, aut amare cœlestia sine diuina gratia possit? Necesse quippe est, ut hunc gratia diuina preueniat, quatenus spiritus sancti igne succẽsus, quanto ardentius summa diligit, tanto fortius ima contemnat. Cui etiam in genealogiæ ordine quatuor patrum nomina perscribuntur, quia in fide redemptoris eorum prædicatione genitus est, qui in eundem humani generis redemptorẽ, per quatuor Euangelistarum scripta, de omni mundi parte credidere. Qui etiam Effratheus dicitur. De monte Effraim, & Effratheus est, qui in fertili terra, sterilis non est. Nam plerique intra sanctã eccle-

A siam nomine censentur fidei, cuius nullos proferunt fructus actionis. Qui nimirum dum de ecclesia prodeũt, uelut de monte fructifero esse sentiuntur, sed quia ipsi bonorũ operum non habent fructum, non sunt Effratheι. De monte ergo Effraim est, & Effratheus non est, qui fidem catholicam in ecclesia didicit, sed opera digna fidei non impendit. Talibus profecto ueritas in Euangelio cõminatur, dicẽs: Auferetur à uobis regnum dei, & da- Lucæ 13
bitur genti facienti fructum eius. Hinc sub ficulneæ specie, colono sanctæ ecclesiæ repulsionẽ infructuosæ animæ imperans, ait: Succide eam, ut quid terram occupat? Hinc Ioannes Baptista cõminans, ait: Iam securis ad radicem arboris posita Lucæ 3
est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum,
B excidetur, & in ignem mittetur. De monte quoq; Effraim eos esse ostẽderat, sed non Effrathæos, de quibus ueritas in euangelio per parabolam dicit: Malos male perdet, & uineam suam alijs locabit Matt.21
agricolis, qui reddant ei fructum in temporibus suis. Vir ergo de monte Effraim, dicit Effratheus, quia quicunq; intra sanctam ecclesiam fidem catholicam tenemus, dum per ardorem affectionis terrena abijcimus, cœlestia amamus, oportet et ut à terrenis, quæ despicimus, per boni operis laborem separemur, & ad ea quæ diligimus cœlestia præparemur. Esse ergo in ecclesia, & opera bona non facere, quia ad acquirendæ æternæ salutis bonum non prodest, uir qui de monte Effraim asseritur, etiam Effrathæus fuisse memoratur. Vnde &
C duas uxores habere describitur: quia actiuæ uitæ per fœcunditatem boni operis, & contemplatiuæ uitæ coniungitur per amorem internæ delectationis. Quam ob rem Fenennæ filij fuisse dicuntur, Annæ autem filij non fuisse. Quid enim sunt actiuæ uitæ filij, nisi bonorũ operum fructus? Et quid est quod Anna filios non habet, nisi quia rudis cõtemplatio, ea quæ iam amare cœpit, internæ contemplationis gaudia cito non obtinet? Filij quidẽ sunt contemplatiuæ uitæ gaudia internę uisionis. Sed mens, quæ cõtemplari æterna inchoat, ad eorum gaudia excipiẽda, tanto difficilius peruenit, quanto etiam illorum pulchritudinem non attendit. Quis ergo in gloria eius pulchritudinis gaudere prævalet, quam non uidet? Mens autem, quæ
D in æternorum bonorum contemplatione se noui ter eleuat, ad ea tanto tardius assurgit, quanto humanitatis suæ familiares tenebras uelociter non deponit: quia dum à se abijcere mundanas curas non prævalet, uelut in oculis gestat puluerẽ, quo id quod cupit, uidere non potest. Prius ergo abijciẽdus est puluis ex oculo, deinde oculus refouendus. Puluis quippe abijcitur, cum ab intentione mentis cuncta rerum corporearum phantasmata remouentur, & oculus refouetur, cum usu continuę meditationis eadem mentis intentio ad æterna sustollitur. Quę profecto cum diuturna cõsuetudine in supernis morari didicerit, eadem diuturnitate consuetudinis, puritatem obtinet, qua dum clarius æterna respicit, in eorũ gloria exultare plenius possit. Anna ergo non habuisse filios dicitur,

ut non

ut non solum inchoantis imperfectio designetur, sed etiam uitæ contemplatiuæ celsitudo. Magno enim meritorum sita est culmine, quæ in fœcunditatis suæ gaudio facile haberi non potest. Hinc est Genes.29 enim quod Iacob Rachelem coniugem habere desiderat, sed tamen ei prius Lia substerni, ut pro obtinenda illius specie, septenarius annorum numerus in soceri seruitio geminetur: quia amator uitæ contemplatiuæ, hanc in ubertate æterni gaudij cito adipisci desiderat, sed tamen ei omniū donorum largitor spiritus cito non tribuit, ne habitam quasi uilem despiciat, si facilitas ei hanc pro uoto repræsentat, sed tanto ea fruatur dulcius, sollicitiusq; custodiat, quanto hac difficilius promeretur. Quare & sequitur: Et ascendebat uir ille statutis diebus, ut adoraret & immolaret domino exercituum in Sylo.] Statutis quidem diebus ascendit: quia in splendoribus æternæ uisionis paulatim proficit. Quid enim sunt illæ manifestationes interni luminis, nisi dies electæ mentis? & statuti nanq; dies sunt: quia in profectu spiritalis uitæ positis, diuina ordinatione disponuntur. Statu tietiam dies sunt: quia in eorū claritate non possumus admitti, cum uolumus, sed cum diuina dignatione subleuamur. Aliquādo nanq; nos in cōtemplatione internæ lucis excipit, quandoq; labi usq; ad perferendas humanitatis tenebras relinquit. Quasi enim statutis diebus eleuat, quibus amœnitatem internę lucis non iugiter aperit, sed per tempora suæ dispositionis ostendit. Dies ergo nostri sunt, quia in magnis splēdoribus excipimur, cum internæ gloriæ nobis pulchritudo reuelatur. Statuti uero dies idcirco nominantur: quia ut intima luce fruamur non est nostri conaminis, sed diuinę dignationis. Sæpe nanq; diuturno silentio, instantibus supplicationibus, crebris gemitibus, illā nobis internæ lucis gloriam aperiri flagitamus, & in eius amœnitate recipi non meremur. Sæpe nil tale pro eius desiderio agimus, sed subito nos diuina gratia præuenit, ab imo nostræ infirmitatis erigit, in superna rapit, insperantibusq; nobis gloriā suæ lucis ostendit. Diebus ergo statutis ascendimus: quia in contemplationē cœlestium sublimari non possumus nōstro conamine, sed diuina dispositione. Ascensus quoq; dies sunt: quia quando illa sublimi luce nō fruimur, in imo sumus, & cum in illius alta uisione assumimur, quàm in imo iacuissemus ante assumptionis nostræ horam cognoscimus. Displicemus nos tūc nobis, in quo fuimus, placemus autem, in quo sumus: quia absorpta iam mens amore cœlestium, dum lætatur luce qua fruitur, cuncta terrena horrore nimio dedignatur. Vnde & beatus Petrus, dum in montē assumitur, dum nube lucida obumbratur, dum ei trāsMatt.17 figurati gloria saluatoris ostenditur, dicit: Bonum est nos hic esse domine. Nam quia iam dei omnipotētis munere meretur interesse sublimibus, incomparabile illic bonum ineffabiliter diligit, ex cuius pulchritudine, cuncta quæ transeunt, uelut fœda reprehendit. Sed quid est quòd idem uir de ciuitate sua ascēdere dicitur? Quid uero aliud est ciuitas, nisi cohabitantiū munimentū? Quæ autē est hæc ciuitas, nisi muniti cordis perfecta custodia circumspectionis? Hæc nimirū uelut cohabitantes ciues altis mœnibus protegit: quia dum custodiendis uirtutibus solerter inuigilat, internam eorū pacē hostis callidus non cōturbat. In hac certè ciuitate nos consistere, sapiens ille præcepit, qui ait: Omni custodia serua cor tuū, quoniā ex ipso Prou.4 uita procedit. Hinc etiā dominus discipulis præcipit, dicens: Vos aūt sedete in ciuitate, donec in- Lucæ 24 duamini uirtute ex alto. In ciuitate quippe sedemus, cum per quotidianā sollicitudinē in internæ custodiæ defensione requiescimus. In qua sedentes, uirtute induimur ex alto: quia præparati iam in habitaculū sancti spiritus, per eius gratiā, in supernæ gloriæ cōtemplationē subleuamur. In hoc igitur quòd uir Effrathęus de ciuitate sua ascendere dicitur, quid aliud, q; negligentiæ nostræ culpa indicatur? Nam per contemplationē rimari cœlestia uolumus, qui non solū cordis, sed etiā corporis custodiā non habemus. Et quidē sæpe indecenter aspicimus, ociosa audimus, superflua loquimur, somnū, cibū non ad refectionē corporis habemus, sed ad usum delectationis: itaq; cum discutere ambigua uolumus, superna conspicere, tenebras nostras deserere, internæ dulcedinis saporē gustare, ab illius secreto tāto dignius repellimur, quanto munitionis nostræ fortitudines negligentius dissipamus: iamq; nobis tanto est ascendere difficilius, quanto ad nosmetipsos relapsi, in altitudinē custodiæ erigere nō curauimus cordis munitiones. Ascendat ergo uir de ciuitate sua, ut qui per internā contemplationē appetit proficere, exteriores sensus ordinet, mentē regat, & quasi in altis receptus munitionibus, expectet, ubi eum superna illustratio uisitet. Ad statutorū quippe dierum ascensum iam qui paratus inuigilat, dignus custodia puritatis efficitur, ut sępius diuina dignatione uisitetur. Sed dum ascendere dicitur, ascensionis etiā causa memorat, cū subditur: Vt adoraret, & immolaret domino exercituū in Sylo.] Quisquis diuinæ cōtemplationis arce sustollitur, in illa cuncta illuminante luce respicit, & quod se mirabiliter terreat, & quod ineffabiliter delectet. Nam illa summa uisio, ut electæ menti se aperit, & imperscrutabilē abyssum iudiciorū dei, & bonitatis eius abūdantiā misericorditer ostēdit, ut uidentem magno pauore deijciat, & ingenti gaudio sustollat: & terrore quidē deijcit, ut statū mundanæ affectionis deserat, & mulcetur gaudio, ut quod prægustare de conditoris bonitate inchoat, ardentius cōcupiscat. Tunc quippe adorat, cùm cōsiderata illa immensitate omnipotentiæ, sic conditori submittit, ut cōtra spiritualē conuersationē, carnalis cōcupiscentię impulsibus non leuetur. Adorās autē immolat: quia quo humilius diuina ueneratione prosternitur, summæ claritatis illius blandimento suauius refouetur. Adorare igitur ascēdenti, est diuinæ omnipotētiæ magna casti amoris ueneratione submitti: immolare uero, diuinæ lucis suauitate ineffabiliter delectari. Electa enim mēs

uelut ſpirituali immolationi deo ſe cõſecrat, dum in illa ineffabili eleuationis ſuæ lætitia, eam ignis diuinæ charitatis ardẽtius inflammat. Dum ergo electi cuiuſq; ſtudium, ſub Effrathęo uiro oſtendi tur, & adorare dicitur, & immolare: quia ſic mens electa appetit ſuperna conſpicere, ut ſpirituali uiſione proficiens, & omnem ſtatum cõterat carnalis uitæ, & plenitudinẽ capiat æternæ lętitiæ. Nam & ſi ad hanc ſummæ cõtemplationis altitudinem carnalis aliquis non aſſumitur, quantum tamẽ ad illam ſpiritualem conuerſationem, in quam illo aſcenſu contemplationis proficit, antequam proficiat quodammodo carnalis eſt. Hoc enim ipſum quaſi carnale eſt, per altitudinem uiſionis à corpo rearum rerum intentione ſeparari non poſſe. Sed ut temeritas humanæ audaciæ cõprimatur, prius adorare dicit, poſtea immolare. Ordinatus quippe cõtemplantis aſcenſus eſt, ſi à timore incipiat. Timor autẽ ipſe quid eſt aliud quàm electæ mentis ad diuinam gloriam ſpeculandam tranſeuntis præordinata purgatio? Eo enim purius diuinæ lucis radios intueri merebitur, quo ualidiori timore deiecta, uiſioni maieſtatis intimæ purgatior exhibetur. Sic ergo Effrathæi huius conuerſatio foris nobis oſtenditur, ut ad perfectionẽ tendentibus, quid intus agendum ſit, rationabiliter demonſtretur. Igitur dum ſummæ gloriæ reſpergi claritate appetimus, præſumptionis noſtræ auſum in hoc timoris tranſitu præfigamus: ut quo uenerabilius omnipotentẽ dominũ metuimus, eo perſpicacius benignitatis eius gloriam uideamus. Cuius etiam timoris magnitudo, electæ menti aliquando poſt oſtẽſionẽ lætæ uiſionis incutitur. Quod profecto dum fit, non fit ut mentem ad gloriæ uiſionẽ puri-
Matt.17 ficet, ſed ut cuſtodiat ab elatione. Vnde & Petrus & Iacobus, & Ioannes prius transformati domini gloriam uiderunt, deinde incuſſo eis timore cecidere, ne elati perderent quod humiliter aſſumpti uidere meruiſſent. Aliquando ergo adoratio immolationẽ præcedit, aliquando immolatio adorationẽ, ſed nimirũ diuina diſpoſitione, non noſtro conamine. Vir quippe Effrathæus, ut prius adoraret, & poſtea immolaret, aſcendiſſe deſcribit: quia profecto ordo ita perfectus eſt, ut à ueneratione, quæ ex pauore diuinæ diſtrictionis naſcit, ad ſpeculationẽ lætæ maieſtatis efferamur. Diuina tamẽ clementia, electas mentes aliquando ſic ſuæ dulcedinis infuſione exhilarat, ut eas in timoris magnitudinẽ non inducat. Vnde & ſubditur: Venit ergo dies, et immolauit Helcana.] Quid eſt quod dicit, uenit dies, & immolauit, & non dixit, adorauit, & immolauit, niſi quia (ut ſuperius dixi) ſic ſæpe diuina dignatione ad uidendũ gloriã diuinę claritatis extollimur, ut nulla tunc iudiciorũ immiſta conſideratione turbemur. Et quanc̃; ſine magna ueneratione omnipotenti deo electa anima nunc̃; aſſiſtat, tamen uelut immolat, & non adorat, dum ſic illa ſummi gaudij felicitate fruitur, ut deiectione timoris nulla quatiatur. In hunc quip-
Cant.1 pe affectũ uenerat quæ dicebat: Oſculetur me oſculo oris ſui. Quẽ timoris affectũ prætendit, quæ oſculari appetit. Hinc etiam de Moyſe ſcriptũ eſt: quia deo loquebatur, ſicut ſolet loqui uir cũ amico ſuo. Nam uelut ueniente die, hunc ſcriptura ſacra ſic immolare oſtendit, ut eum adoratio timoris nulla proſtrauiſſet. Quo in loco hoc notãdum uideo, quòd ut adoraret, & immolaret aſcendere dicit, non tamen adoraſſe & immolaſſe ueniente die, ſed immolaſſe ſolũ. Alij ergo ſunt dies quibus aſcẽdimus, ut adoremus, & immolemus: alius ille dies, qui dũ uenerit, immolamus. Dũ enim noſtro conamine in diuinarũ rerũ meditatione ſuſpendimur, quaſi ſtatuti aſcẽſus noſtri dies ſunt: qa quoſdam ſpiritualis luminis radios intuemur, quoſdã noſipſi nobis ordinamus, ab imo noſtræ humanitatis quadam altitudine ſubleuamur. Sed quia his meditationibus, ſine diuina gratia nihil agitur, & quia nec timorẽ nobis prævalemus incutere, nec diuinę dulcedinis ſuauitatẽ exhibere, aſcẽſus quidẽ dies ſunt, in quibus adorare, & immolare ſtatuimus, ſed tamen in eis nec adoramus, nec immolamus. Dies aũt alius uenit, & immolamus: quia ſubita luce gratiæ diuinæ reſpergimur, & de gloria maieſtatis eius, ineffabilẽ percipimus abundantiã dilectiõis. Hic ergo dies non eſt illorũ aliquis, ſed illos ſequit: quia nimirũ ſi noſtra diſpoſitiõe, hanc diuinæ gratiæ largitatẽ accipere nõ ualeamus, tamẽ eã nunc̃; ꝓmeremur, niſi omnino curemus, ut & meditãdo, & quotidie legẽdo, & orando, in ijs quæ poſſum⁹, ſpiritualib. claritatib⁹ immoremur! Veniſſe aũt dies dicit, ut ſuperna dignatio deſignet: quia cũ electas animas uiſitat, non eſt facultatis noſtræ, ſed bonitatis ſuæ. Sequit: Deditq; Fenennæ, & filijs, & filiabus partes, Annæ aũt dedit partẽ unã triſtis: quia Annã diligebat.] Filij nanq; Fenennæ ſunt mentis ſacræ cõſilia, quę per ſtudiũ pietatis actiuæ uitæ ſubcreſcũt. Qui nimirũ filij cũ matre partes accipiũt, cũ cõſilia pietatis, ad ſplendorẽ ſupernæ gratiæ, in operũ bonorũ pinguescũt deuotione. Pia etenim mens quo ſublimius rollit in diuina cõtemplatione, eo deuotius ſe extendit in ſancta operatione. Partes nãq; matris huius, & filiorũ, præparationes ſanctorũ operũ ſunt. Vnã uero partẽ Annæ triſtis exhibet: quia per cõtemplationem, qua ſuperna deſiderat, quandiu in hac ærumna tẽporis impedita, ſuperna quę amat, non obtinet, in ſolis fletibus paſtum refectionis habet. Ieiunã quippe ſe teriet, quoties ſe proiectã ab eternis gaudijs memorãs, flere non poteſt. Partẽ igit unã à triſti accipit: quia nunc̃; pro uoto reficitur, niſi cũ flendo ſatiatur. Quã ei uir Effrathæus triſtis tribuit, qui cũ partẽ Fenẽnæ tribueret, triſtis non fuit: quia uidelicet lætat in præparatione bonorũ operũ, quia ſupernis, quæ amat, quandiu differtur gaudijs non lætatur. Hanc certè partẽ Annæ tribuerat, qui æternis ſe intuens excluſum bonis loquebatur, dicens: Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicit mihi quotidie ubi eſt deus tuus? Sed inchoantis adhũc imperfectio deſignat, dũ Effrathæi cõiunx altera alterã affligere, & uehementer angere perhibetur. Perfecto enim cuiq; eo nequaq; pugna cõmittitur uxorum, quo
Pſal.41

firma

firma iam experiẽtia nouit discrete disponere indigentiam operis, & intentionem contemplationis. Nam uelut in pace utranq; uxorem possidet, qui nec tempora operis contemplationi deputat: nec contẽplationis ocia per intentionẽ operis inquietat. Affligebat quoq; eam æmula eius, & uehementer angebat: intantũ, ut exprobraret ei, q̃ conclusisset dñs uuluã eius.] Ab æmula Anna affligitur, cũ immoderata intentio boni operis turbat quietem internæ uisionis. Affligit̃, cum ei illa præponit̃, quæ esse nobilior cõprobatur, & uehementer angitur, quia electæ mentis cõtemplatio angustatur, dum is qui in cõtemplatione sublimium esse̊ desiderat, sese in actiuæ uitæ operibus immoderatius dilatat. Angere quippe, stringere est. Mentis quippe uisio stringit̃, cum impedita occupationib. operũ, in illa internæ lucis immensitate nequaquã dilatat̃. Et quia hanc uehemẽter angere dicit̃, notandũ est: quia etiã boni operis immoderata sollicitudo cõtemplationi non parũ nocet. Fenenna quippe Annam uehementer angit: quia mens, dũ actiuæ uitæ immoderatæ impendit̃, ualde difficile est, ut cũ ad disponẽda terrena se occupat, in uisione cœlestiũ potẽter surgat. Cui etiã ue lut sterili Fenenna exprobrat: quia dum ex actiua uita bonorũ operũ fructus cito proferimus, & ad internæ cõtemplationis gaudia facile pertingere non ualemus: sterilis ista cernit̃, dũ rudes de eius fœcunditate desperamus. Dum ergo pro fœcunditate Fenennã diligimus, Anna affligit̃, angit̃, & sterilitatis opprobrio notat̃: quia dũ bonarũ actionum sollicitudinem non ea qua debemus discretione restringimus, puritatẽ contemplationis tanto nobis difficiliorem reddimus: quanto nobiliorem uitã excellenti studio nequaquã retinemus. Sed quia ad altiora inchoauit ascendere, si fortis est in suo proposito, huiusmodi tentamenta tolerans, non desperat. Nam ad ea quæ cœpit alta contemplationis innitit̃: & de actionis cibo consolari despicit, qui in sola cõditoris specie delectari concupiuit. Apte itaq; subditur. Porro Anna flebat, & non capiebat cibũ.] In fletu quippe ardens desiderium diuinæ contemplationis ostenditur: in dedignatione uerò cibi despectus lætitiæ transeuntis. Mens em̃ quæ feruentib. desiderijs interna desiderat, dum terrenæ lætitię blandimentũ respuit, dum instantib. gemitibus infundi sibi supernæ lucis amœnitatem experit, flet utiq;, & cibum nõ
Psal.76 capit. Hũc nanq; cibũ fastidiebat, qui dicebat: Renuit consolari anima mea. Sed qui cibũ solatij capere de oblectamento rerum conditarũ dedignatus est, epulas deliciarũ suarum, quia in solo cõdi-
Psal.42 tore inuenerit, dicit. Memor fui dei, & delectatus sum. Ad has profecto epulas flentem coniugem hortabatur, cum diceret: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare uultus mei, & deus meus. Quę nimirũ exhortatio hic quoq; cognoscit̃, quia à uiro suo, cur fleat, & quare nõ comedat, & afflictũ cor habeat, interrogat̃. Quasi dicat: cur de non habita contẽplationis perfectione contristaris, quã si rudis nõ obtines, p̃ficiens obtinebis? Vnde & quæ afflicta ab æmula comedere noluit, à uiro cohortata manducauit: quia quæ saniori consilio ima despicit, perfectionem contemplationis habet in spe, quã nondum habet in uirtute experientię. Fere enim deficienti, & collapsę contemplationi spei renouatæ gaudiũ cibus est. Ad uiri ergo sui uocem Anna reficitur, cùm contemplationis intentio concussa per tentationem, ab eo qui se amare cœperat, ad spem sui profect⁹ excitatur. Vnde sumpto cibo surrexit, omnipotenti deo preces fudit, atque ei sexum uirilem, si hunc ab eo accipere mereretur, uouit. Natum filium omnipotenti deo uouet, qui gaudiũ contemplationis ad fructum mentis expetit, non ad fauorem uanitatis. Sed bene petentib. in contẽplationis desiderio carnales præpositi obsistere uehementer solent: eo quippe ineptius agere secretiorem uitã appetentes cogitant, quo ipsi uim internæ dulcedinis ignorant. Qui si aliquando in spiritales subditos uoce asperæ inuectionis sæuiunt, ab eis humillima ratione sedandi sunt. Nam si se irrationabiliter contra rectè agentes erigunt, reuerentia superioris ordinis exigit, ut tũc honorent̃ cùm modũ rationis excedunt. Quos sanè utroq;, & carnales scilicet prelatos, & spiritales subditos, bene Heli, & Anna insinuant: nam cum illa ante postes templi dñi sederet, & Anna oraret, os eius Heli obseruauit: & eam ebriã uocauit. Sed hæc, quæ iniurias patiẽter sustinuit, humilitatẽ respon si exhibuit, cum ueritate rationis. Ancillã se eius asseruit, ex multo dolore & mœrore loqui, & furentem in se animũ non solũ sedauit: sed etiã pro consequendo fructu sui desiderij, ad orationẽ cõuertit. Sed quia hæc ultima ad historiã diximus, non ab re agimus, si in his sacræ historiæ uerbis eruditionem nostrã paulo subtilius requiramus. Si ergo rerũ ordo requirit̃, prius mãducauit, & bibit, dehinc amarum animum habuit, orauit dominum flens largiter, postea uotum uouit, & preces multiplicauit. Quid multiplicatio precũ Annæ, nisi illam electorũ perfectionẽ significat, ad quã nos doctor egregius hortatur, dicens: Sine intermissione orate. Sine intermissione nanque orare, nisi perfectus uir potest: orare em̃ sine intermissione est per affectũ supplicationis, cõditori semper assistere. Qui aũt imperfectionis adhuc infirmitate deprimitur, eo sine intermissione dominũ non obsecrat: quo in ipso etiam orationis tempore, à conspectu eius mentis elabit̃ uagatione. Bene autem ante precum multiplicationem, uotum uouisse sancta mulier dicitur: quia nisi quis se totũ cœlitem per propositi rigorẽ exhibeat, eo sæpius ab affectu supplicationis educitur: quo mobilitate mentis in gyrũ mundanæ intentionis uertitur, & in conspectu domini, per fortem custodiã non tenetur. Sed spiritali proposito sese uouere electi mens cœlestibus gaudijs poterit, si largiter flere iam nouit: si fletuum largitate supernę dulcedinis saporem gustare iam didicit: atque in illius internæ refectionis suæ gaudio occupata, respicere ter
1.Thes.5

Universidad de Deusto
Biblioteca

rena fastidit. Apertè igitur ante uotum suum fleuisse largiter Anna describitur, quia totũ sese quis exhibere sic cœlitem terrena obliuiscendo non poterit: nisi magnis accensus fletibus, in mortuæ iam mundo mentis solatio, delectationis intimæ recipere suauitatem nouit. & quia in gaudio animæ hoc lachrymarum solatium non recipitur, si se prius non afficit per amaritudinem cõpunctionis: & quicquid in se de labenti uiuit lætitia, salubris tristitiæ pugione transfigit: Anna amaro animo ante fleuisse relata est, & sic largiter flere potuisse. Quod bene Salomon insinuat, dicens. Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscetur extraneus. Extraneus quippe est, qui adhuc de bonis exterioribus intentionem delectationis habet. Qui certe in gaudio amaricati cordis non recipitur, quia non potest experiri, quæ sit interna lætitia, nisi qui perfectè cõtemnere exteriorem curat. Sed notandum adhuc, quia ante ista omnia surrexisse, relata est: & antequam surgeret comedisse, & bibisse. Quis est cibus electæ animæ, nisi iuxta ueritatis uocem, Omne uerbum, quod procedit de ore dei? & quid est ei surgere, nisi se ad statum supernæ intentionis erigere? Antè ergo surrexisse quàm amaro animo fuisse dicitur: & antequam surgeret manducasse & bibisse: quia electa anima de ærumna uitæ præsentis dolere non poterit, si sese ad illa, quæ in cœlestibus perdidit, non extendit, & se ad illa summa non eleuat, si à scripturæ sacræ pabulo ieiunat. Vt surgamus ergo, manducamus, et bibimus: quia tũ ad altitudinem superni amoris erigimur, cũ scripturæ sacræ profundis, & planioribus sensibus roboramur. Dehinc si surgamus, amaritudinẽ cordis acquirimus, quia dum in superna per amorem ferimur, quæ in imo sunt, nõ nobis præbẽt blandimenta gaudij: sed asperitatem afflictiõis. Sed iã ab amaro animo, ad fletuum fluenta conscendimus: quia cũ iugi, ualidaq; cõpunctione transfigimur, ea mala, quæ in hac ualle lachrymarũ incurrimus & futura quæ timemus, & æterna bona quæ amisimus, flere copiosius ualemus. Hinc uerò ad uouendorum uotorum secreta procedimus: quia dũ ab omni quod foris libet, fletuũ nos largitas sepelit: uelut totos effectos cœlites, supernis obtutib. ostendit, & uota uouemus, quibus sic æterna bona placent, ut mens nostra per nulla terrena, atq; carnalia se inquinet. Dehinc profectus nostros precum multiplicatio sequitur, quia eo iam libentius sæpius & instantius æterna orãdo quærimus, quo in solo futurorũ bonorũ solatio respiramus. Mane aũt adorãt, & in ciuitatẽ suam reuertũtur. Post multiplicationẽ precũ, cũ Anna cõiuge mane adorare, est inter magna uirtutũ dona, humilitatis uirtutẽ custodire: & quia in illa sublimi uisione diutius stare nõ potest anima quæ adhuc ista corruptionis sarcina prægrauatur, aptè in ciuitate sua reuersi referunt. Electa enim anima, cũ infirmitate prægrauante, à dei contemplatione repellitur, ut redire in eandẽ uisionis altitudinem uale at, debet habere constructa ædificia munitionis, quatenus ad semetipsam relapsa, in alto se teneat, unde iterum ad eandem intimæ claritatis altitudinem consurgat. Quod & sub typo Hierusalem, electæ animæ per Prophetam dicitur: Sta in excelso, & uide iucunditatem quæ ueniet tibi à deo tuo. Quasi dicat, & si manere iugiter in Dei contemplatione non potes, ne usque ad ima deponaris: ut ab altis custodiæ tuæ turribus, ad eum contemplandum sine difficultate conscẽdere, quem desideras, possis. In Ramatha quidem ciuitatem suam reuertitur, si cum à diuinæ maiestatis uisione repellitur, in sanctorum angelorum contemplatione retinetur. Sed cum de ista subtiliori natura, id est angelica cogitare non prævalet, si ad beatos martyres, uel electos alios, qui iam æternitate recepti sunt, meditãdo recurrit (quia de perfecta eorum gloria cogitat) nimirum tunc in sua ciuitate recipitur, qui morari in sublimibus prohibetur. Bene autem eadem Ramatha ciuitas sua dicitur, quia quam familiariter diligit, suam esse indubitanter credit. Suam nanque hanc ciuitatem esse cognouerat, qui dicebat: Scimus quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quia ædificationẽ habemus ex deo, domũ non manufactam æternam in cœlis. Hinc iterum dicit: Hierusalẽ, quæ sursum est, mater nostra est. Sed qui in illa sublimi ciuitate reuerti non potest, redeat nihilominus in ciuitatem suam Ramatha: & qui ab altissima illa deponitur, in istius ecclesię adhuc in imo peregrinantis, sed sublimis uitæ fulgore radiantis uisione teneatur. Eo quippe hic iterum redire ad reuisendum iubar alti uericq; luminis poterit, quo eum sensum, quem carnis sarcina ab internæ lucis secreto retrahit, usq; ad terræ infima non deponit. Quid est aũt quod post dierũ circulum Anna concipit, & parit, nisi quia gaudium perfectæ deuotionis, contemplatio ad conditoris pulchritudinem semel eleuata non susc̃ipit? Post dierum ergo circulum concepisse, & peperisse dicitur: quia dũ ex consuetudine contemplatio ad superna rapitur, in uisione superni luminis munus accipit desideratæ fœcunditatis. Circulus nanq; dierum est infusio diuinæ lucis. Quæ profecto in suo ambitu diebus pluribus cingitur, dum una sua claritate mentem irradiat, sed sui splendoris radios, per uices dispensatiuæ manifestationis ei insinuat, quousq; perfectius gaudium de amplioris manifestatione comprehendat. Vel certè post dierum circulum Anna concipit, quia nimirum quandiu mentis aciem contemplationis ruditas in gyrum mutabilitatis cõcutit, ipsa mens ad percipiendum plenũ internæ maiestatis gaudiũ non assurgit. Velut enim in quodam circulo dies transeunt, cum mens inchoantis in contemplationis se culmen eleuat, sed uix per respecti iubar luminis, eam adhuc rotantem, ac discurrentem fixam in sua luce seruat. Post dierum ergo circulum concipit, quia prius à mutationis suæ uertigine in standi robur anima ducitur, & cum stare fixa ex usu in contemplatione didicerit, gaudium perfectæ deuotionis in fructu suæ fœcunditatis

Prou.14 Mat.4 2.Cor.5 Gal.4 Abac.4

apprehendit. Quod etiã conceptũ parit, quando proximis ad gloriã supernæ maiestatis innotescit. Natus uerò puer in tribus uitulis ad tabernaculũ ducitur, quia de largitate spiritualis muneris gratias referre debemus summæ Trinitati. De quib.
Osee 14 uitulis dominũ obsecrans Propheta dicit: Omnẽ auferiniquitatẽ, & accipe bonũ, & reddemus uitulos labiorũ nostrorũ. Quasi dicat: Pro largitate munerũ reddemus sacrificia laudis, per obsequiũ labiorũ. In domũ uerò dñi puer offerendus adducitur, cùm sacræ mentis profectus, sanctæ ecclesię doctoribus reuelatur, ut dum collatione sapientũ discutitur, fraude hostis callidi nequaquã maculetur. Potest & domus domini æternam patriã designare. De hac quippe Psalmista exultans, dicit:
Psal. 84 Beati qui habitant in domo tua dñe, in secula seculorum laudabunt te. In domũ domini puer adducitur, cum electa mẽs in alta sustollit, & de omni, quod spiritualiter proficit, omnipotenti deo gratias referre satagit, à quo profectus sui sibi impensa munera recognoscit. Bene aũt unus uitulus immolatur, cùm tres delati referantur: quia & si personarũ Trinitas, cõfessione fideliũ in diuinis laudibus canitur, earundem personarum inseparabilis unitas prædicat. Sed qualis aut quanta sit laus, si deuota nõ sit? Aptè itaq; tribus uitulis, totidem farinæ modij coniunguntur, ut de eo quod in dei laudibus ore dicimus, per deuotionem satiemur. Nam sine farina uitulum offert, qui dei laudibus uerba quidem edit, sed mente uaga ad ea, quæ loquitur, non intendit. Sed si uerba dei laudãdo uel orando proferentes hilarescimus, dum intelligentiæ miscemus gaudium, illius uini, quod lætificat
Psal. 66 cor hominis amphorã farinę sociamus. Hoc profectò insinuat, qui exoptans ait: Benedicat nos deus, deus noster, benedicat nos deus, & metuãt eum omnes fines terræ. Quasi tres uitulos ad tabernaculum duxit, qui deum laudans diuinitatis eius nomen repetendo, personarum proprietates exposuit. Sed cùm metuant, non eos sed eũ dixit, profectò qui tres adduxit uitulos, unum immolauit. Et quia farinam uitulis, & farinæ uinum miscuit, gloriatur, dicens: Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea. Dum enim clamauit, quasi ad immolandum sacrificij uitulũ duxit, sed sub lingua sua exultare nõ posset, si alta precis suæ uerba nõ intelligeret. Cùm clamauit ergo, intellexit quę clamauit, & exultauit in oblatione omnipotentis dei, non solum uitulum habuit, sed etiam farinæ modios, & amphoram uini. Igitur uitulus farina, & uinum, laus est dei, intellectus laudis, & lætitia deuotę mentis. Cur autem modium, & amphora, in dei oblatione nominant, nisi quia
1. Cor. 7 mensuræ sunt nominã? Hoc etiam quid spiritualiter indicet, Paulus exponit, dicens: Vnusquisq; donum habet ex deo, unus quidem sic, alius uero
Luc. 6 sic. Hinc ueritas dicit. Mensuram bonam, & confertam & coagitatam dabũt in sinum uestrũ. Hãc nobis mensuram custodire sacra scriptura præcipit, dicens: Supra te onus ne leuaueris. Sed electę animæ ualde cauendum est, ut hæc tria omnipotenti deo ardore piæ deuotionis offerat, & studio manifestæ ueritatis. Vnde & eiusdem Annæ filius, sacerdoti oblatus asseritur. Quod profecto & nos agimus, si cum in sancta conuersatione proficimus, cum fœcũdis iam mentibus spiritaliũ gaudiorum fructum proferimus, ad prælatorum nostrorũ examen ducimus omne, quod in nobis ex superna cõtemplatione generatur. Et quia electi uiri inter dona sublimia, humilitatis suę bonũ non deserunt, sequitur: Et adorauerũt ibi dominũ.] In domo domini dominum adorant, qui & alta mente in supernę patriæ contemplationem se eleuant, sed per humilitatem omnipotenti deo substernuntur, & omni, corde in uirtutes spiritus tam sublimiter eleuantur. Hæc nõ ex ordine, sed summatim ad historiam, siue moralem intelligentiam exponendo perstrinximus, ut uerba spiritalis cantici, quod subsequitur secundum moralem typicamq; explanationem paulo latius indagemus.

Caput II

ET orauit Anna, & ait. Exultauit cor meum in domino.] In Annæ persona sanctæ Ecclesiæ typũ latere iam ostendimus. Quæ nimirum nato iam puero, in domino exultare se perhibet: quia de eo quod ad fidem redemptoris gentilem populum traxit, uanè non tumuit, sed in eo lætitiæ suæ intentionem tenuit, à quo fœcunditatis suæ dona suscepit. Quibus nimirum uerbis sic lætitiæ suæ situm indicat, ut causam pariter exultationis eiusdem ostendat. Sterilis quidem fleuit, pariens exultauit, ut sanctæ ecclesiæ mores portenderet, quæ se in hanc uallem lachrymarum à paradisi gaudijs projectam dolet, sed pro lucrandis animabus exilij sui ærũnas patienter sustinet. In hoc tantũ exultare consueuit, si in ærũna tẽporis, qua premitur, per fœcũditatis suæ gloriam, multiplicatis electis cœlestis patriæ damna reparent. Dicit ergo. Exultauit cor meũ in dño.] quia fructum sui propositi cõsecuta est. Quo in loco notandũ est, quia hoc quod glorians loquitur, orasse perhibetur. Nam præmissum est. Et orauit Anna, & ait, exultauit cor meum in domino.] Quæ autem nihil à deo petere flagitando cognoscitur, cur orasse perhibetur? Sed quia hoc futurum esse per prophetiæ spiritum sancta mulier nouerat, & id fieri uehementer optabat, & exultando loquitur, & orando. Exultabat quidem certitudine futurorum, uehementer exoptans fieri, quod nouerat reuelatione sacramenti. Sancta quoq; ecclesia inde diuina beneficia amando & uenerando recolit, prædicat & orat, quia nimirũ id foris loquendo exequitur, quod intus miro desiderio fieri cupit, & facti ma gna deuotione ueneratur. Dicit ergo. Exultauit cor meũ in domino:] quia munera, quę ad æternę lętitię fructũ accipit, ad tẽporale gaudiũ nõ cõuertit. Sequit. Et exaltatum est cornu meum, in deo meo.] Quid est cornu Annæ, nisi potestas sanctæ ecclesiæ? Quod profecto cornu tunc mirabi-

rabiliter se extulit, cum Dei filius per assumptam humanitatem, naturæ nostræ participem se fecit. In eo igitur, cornu sanctæ ecclesiæ exaltatum est, in quo humana natura iam splendet, supra Angelos eleuata. Sed in hoc quod hunc deum suum & salutarem sancta ecclesia singulariter asserit, synagogæ repulsionem latenter ostēdit. In deo igitur salutari nostro, exaltatum est cornu nostrū, quia sublimitas ecclesiasticæ potestatis, in humanitate nobis erecta est redemptoris. Vnde & de eodem
Lucæ 1 redemptore per Zachariam dicitur, Erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum Prophetarum suorū: & quia exaltatum cornu suum refert, latenter indicat, quia ante cornu habuerat, quod exaltatum non erat. Sancta quippe ecclesia ante redemptoris aduentum cornu habuit, quia in Patriarchis et Prophetis tam recte uiuendi ordinem, quàm delinquentis corrigendi potestatem diuinitus accepit. Sed tamen cornu exaltatum non habuit, quia etsi uiuere iuste poterat, tamen ad Paradisi gaudia sine redemptoris præsentia, redire non poterat. Nunc autem sanctæ ecclesiæ cornu exaltatū est, quia iam mundi redemptorem uenientem recepimus, per cuius gratiam non solum recte possumus uiuere, sed & ad paradisi gaudia trāsire: quia ille iā pro nobis mortuus resurrexit, in cuius morte mors obijt, et paradisus se eius fidelibus reserauit. Exaltatum est ergo cornu nostrum in Deo nostro, quia effusa iam gratia Sancti spiritus, in electorum multitudine impressam redemptoris imaginem uidemus, dū qui terrena omnia despiciūt, carnis uoluptates fugiunt, propria derelinquunt, tanto altiori potestate radiant, quanto hæc tanta uirtutis insignia, in ueterū multitudine sancta ecclesia non habebat. Exaltatum est cornu nostrum
Ioan.1 in deo salutari nostro,] quia quotquot eum recepimus, dedit nobis potestatē filios dei fieri. Hoc cornu exaltare uolebat salutaris noster, cum dice
Lucæ 10 bat. Ecce dedi uobis potestatē calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnē uirtutem inimici.
Mat.16 Hinc item asserens, ait. Quodcunq; ligaueris super terrā, erit ligatū & in cœlis. Hinc iterū repro-
Mat.19 mittit, dicens. Sedebitis super sedes iudicātes duo decim tribus Israel. Dicat ergo Anna. Exaltatum est cornu meum, in Deo meo,] ut uidelicet sanctæ ecclesiæ gloria designetur, quæ singulare culmen potestatis obtinet de præsentia redemptoris. Et quia iā in toto mundo distendit, quæ quondam intra Iudæam persecutionibus angebatur, sequitur. Dilatatū est os meū super inimicos meos.] Qui enim inimici ecclesiæ filij quàm Iudei intelligendi sunt? Supra quos nimirum dilatatum os habet, quia contra eorum perfidiam omnium gentiū iā fidelium linguas mouet. Os ergo sanctæ ecclesiæ dilatatum est, quia per uniuersum orbē diffunditur, & dum nationes uniuersas prædicatione ueritatis erudit, Iudæorum stultitiam ueluti dilatato ore reprehendit. Et quia hoc inde potuit, quia uenientem in carne mundi redemptorem gaudenter excepit, causam dilatati oris exponit, dicēs: Quia lætata sum in salutari tuo.] Iam quis sit salutaris dei cognouimus. De quo etiā Esaias Esa.52
uaticinans, ait: Videbit omnis caro pariter salutare dei. Iesus autem nostro eloquio salutaris dicit. De quo etiam Abacuc sibi gaudium repromittit, Abac.3
dicens: Gaudebo in deo Iesu meo. Ecce ueterum Iudæorum uocibus dominus Iesus deus asseritur. Sed nunc Iudæi saluatorem expectant, quem deum esse nequaquam credunt. Sed fortasse hoc Iudæi in ore suo reprobare contendunt, & dum Iesum saluatorem interpretātur, deum saluatorem non unigeniti personam, sed patris intelligūt. ueruntamen in eodem loco subditur, unde unigeniti persona apertius demonstretur. Domine deus (inquit) uirtus mea, constitue pedes meos in consummatiōe, & super excelsa statue me, ut uincam in claritate ipsius. Ecce deo loquitur, dicens statue me super excelsa. Sed quia dicit uincam in claritate ipsius, alius utiq; est, de quo dicit. Quis ergo est, de quo dicit, nisi unigenitus dei filius, quē nō solum uerum hominem, sed etiā deū credit? Dum ergo deo loquit̄, dicens: gaudebo in deo Iesu meo & uincam in claritate ipsius, non deum alium, sed deus personam aliam demonstrat. Hæc sunt sanctæ ecclesiæ rationes, hæc contra Iudæorum perfidiam inuincibiles assertiones, per uniuersum orbem diffusæ. Dilatatum ergo os habet sancta ecclesia super inimicos suos, quia iam authore deo ubiq; cognoscit̄, unde & Iudæorum perfidia conuincat̄. Causam igit̄ dilatati oris audiāt, qui salutare dei negant, & de gaudio salutaris nostri feriantur argumento cōfusionis suæ. Sed feriri possunt, à blasphemijs uero suis cessare nolūt. Iam dei salutare mūdus excepit, omnis caro uidit, Iudæus nō credit, quia (ut dixi) saluatorem expectat, qui deus nō sit. Audiant ergo maledictionē Prophetæ
Hierem.17 dicentis: Maledictus homo, qui confidit in homine, & à domino recedit cor eius. In hominem Iudæi cōfidunt, qui credere in redemptorem refugiunt, dum Antichristum in fine mundi præstolantur. Quorum confusionem, Psalmista prædi- Psal.96
cat, dicens: Viderunt omnes fines terræ salutare dei. Quasi perfidiam Iudęorum confundat, dicēs: Quid in posterum uisiones differtis? Quem expectatis, iam uenit, quem promissum habuistis, iam omnibus finibus terræ apparuit, cùm clausistis oculos, transiit, imo sic cæci facti estis, quod coram uobis tanta lux stetit, & nō uidistis. Ergo iubilate Psal.97
deo omnis terra, cātate, & exultate, & psallite deo nostro in cithara, & uoce psalmi, in tubis ductilibus, & uoce tubæ corneæ, iubilate in conspectu regis domino, moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi qui habitāt in eo. Flumina plaudent manibus in idipsum, montes exultauerunt ante faciem domini, quoniam uenit iudicare terram. Quasi dicat. Quia tam immensa cæcitate premuntur, ut nequaquam uidere meruerint, uos gaudete abūdantius qui uidistis. Sed quàm mirabiliter, atq; ineffabiliter gaudendū sit, signa gaudij coaceruās, ait: Iubilate, cātate, & psallite. Celebritatē quoq; lætitiæ insinuare gestiens, instru-

instrumenta eius enumerans, dicit: Psallite domino in cithara, & cithara, & uoce psalmi, in tubis ductilibus, & uoce tubæ corneæ, iubilate in conspectu regis domino. Quid in conspectu regis, nisi in cognitione redemptoris? Sed à quantis hæc gaudiorum solennitas sit agenda, exponit dicēs: Moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi, qui habitant in eo. O infœlix Iudæa, Fines terræ uiderunt salutare dei, omnis terra commota iubilat, gaudet uniuersus orbis, flumina plaudunt manibus, montes exultant: sed impia Iudæorum corda non credunt, & in cæcitatis suæ tenebris liuoris pœna feriuntur. Sed quem blasphemare non metuunt, sancta ecclesia attentius cōmendat dicens Non est sanctus, ut est dominus.] In descriptione redemptoris omnia incōparabilia designantur. Inde enim uerus redemptor ostenditur, quòd in omni, quod ad eius gloriam dicitur, ei nemo comparatur. Ille enim omnes redemit, qui omnibus excellit. Quod recte contra Iudæam dicitur, quæ eo audacius redemptorem despicit, quo multos se habuisse uiros recolit, qui magna claruerūt laude sanctitatis. Hinc est enim q illuminato
Ioan.9 cæco, exprobrantes, dicunt, Tu sis discipulus illius, nos autē Moysi discipuli sumus. Scimus quia Moysi locutus est deus, hunc nescimus unde sit.
Ioan.8 Hinc item gloriantur, & dicunt: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus unquam. Sed homo fuit Moyses, homo Abrahā, homo Christus. Veruntamen illi assumpti ad locutionem dei, iste assumptus in diuinitatem. Illi assumpti ad ministerium, iste ut unigenitus assumptus ad regnū. Vnde & loquitur, dicens: Omnia quæ habet pater, mea
Ioan.16 sunt. Non est sanctus, ut est dominus.] Hoc etiā sacra scriptura testatur, dicens: Cui se infudit
ad Coloss.2 omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hinc
Ioan.1 Ioannes ait: De plenitudine eius omnes accepimus. Non est sanctus, ut est dominus,) quia in eo quòd dominus asseritur, sanctitatis eius excellentia cōmendatur. Sed Iudæi Christū, quē expectāt, purū hominē asserunt, & tamen suum dominum futurū, & singulariter sanctū credūt. Sed Psalmista illos reprobans, nos ad fidei gaudiū cohorta-
Psal.99 tur, dicens: Iubilate deo omnis terra, seruite domino in lætitia. Intrate in conspectu eius in exultatione, scitote quoniā dominus ipse est deus. Illi dominū uocant, qui deus non sit. Nobis ergo iubilandū, nobis in lætitia seruiendū, qui talem habemus dominum, qui etiam deus ueraciter credatur, qui maiestatem diuinitatis, quā in se asseruit, incōparabilibus miraculis comprobauit. Qui ergo inuisibilem eius diuinitatem abnegant, patentibus operibus credant. Sed quàm mira sanctitas illa est, quæ peccatores sanctificat? Vnde & de
Luce 7 peccatrice muliere dicit: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hanc excellentiā sanctitatis, illa in fluxu sanguinis posita, cognoscens, ait: Si tetigero uel fimbriā uestimenti eius,
Mat.9 salua ero. Sed quis fidem eius assereret, si effectus fidei non pateret? Nam ut uestimentum eius tetigit, sanguis stetit. Non est ergo sanctus, ut est dominus, quia quisquis potuit sanctus existere, eius accepit munere ut sanctus esse potuisset. Hoc nanque sancta ecclesia subsequenti uerbo insinuans, ad eundē redemptorē ex nimia charitate conuertitur dicens: Neq; enim est alius extra te.] Subauditur sanctus. Extra eū sanctus aliquis esset, si absque dono unigeniti, sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat? Scriptum quippe est: Verbo domini cœli firmati Psal.32
sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Verbū domini est unigenitus dei. Quem profecto Euan
gelista Ioannes insinuans ait: In principio erat uer Ioan.1
bū, & uerbū erat apud deū, & deus erat uerbū. Si ergo etiā Angeli sanctificati credunt in filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiā inuenire nō possunt. Potest etiam hoc sine aliqua subauditione intelligi. Cum ergo dicit: Nec est alius extra te.] Quid aliud in redemptore, quā diuinæ essentiæ incōmutabilitas designatur? Vnde & Iudæis blasphemantibus dicit: Antequā Abrahā fieret, ego sum. Idipsum in Ioan.8
Genesi Moysi insinuans, ait: Ego sum, qui sum. Exo.3
Deo enim unigenito esse est, dissimiliter nunquā esse. Qui certe status, tanto longe est à cūctis mortalibus, quanto clarius cognoscitur, quia momentis singulis, per multa uariantur. Potest hoc, & ad iustitiæ statum pertinere, quia electorū esse est, in deo per iustitiā manere Et quia unigenitus dei deus est, extra eum non est aliquis, quia nemo electorum nisi in ipso est. Quod sic refertur ad diuinitatem eius, ut nequaquam intellectum humanitatis eius euacuet: quia iustus esse non potest, qui fidem non habet diuinæ incarnationis. Iudæi ergo per hæc singula uerba feriuntur, qui dum redemptorem contemnunt, Antichristū expectant, qui deus nō esse liquido comprobatur. Vnde & per beatū Iob dicitur: Habitent in tabernaculo eius Iob 18
socij eius, qui non est. Tabernaculum Antichristi est, amor perfidiæ: quo fidei contradicit redēptoris. In quo nimirum tabernaculo Iudæi nunc permanent: quia dum perfidiæ suæ situm amanter inhabitant, contra redemptorem pugnant. Qui etiam eius, qui non est, socij esse referuntur: quia in proposito suo diabolū adiuuant, qui dū à summæ illius essentiæ amore corruit, uerum esse protinus amisit. Cui nimirum non esse est, ad summā illam beatā essentiam per amoris participationē reuerti nō posse. Et quia Iudæorum populus, nō solū arduā patrū ueterum conuersationem, sed etiam miraculorū ostensionē, ad augmentū elationis habuit, subditur. Et nō est fortis, sicut deus noster.] Quasi inaniter gloriantē Iudæā reprimat dicens. Quos magna fecisse astruis, puri homines fuerūt: quem prædico, nō solū homo sanctus fuit, sed etiam potens deus. Dum ergo fortitudo respicitur, excellentia indicatur, quia nimirum omnino infirma est omnis fortitudo hominis in cōparatione deitatis. Quo tamē in loco, assertio diuinitatis nō ꝓbat excellētiā operis: sed incōparabilitas fortitudinis, ostēdit ueritatē deitatis. Quasi dicat: In hoc

cognoscitur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cognoscit, quia uera protulit: quia deitatem, quā in se asseruit, incomparabilibus operibus cōprobauit. Vnde per semetipsum dicit: Si opera nō fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: peccatum non haberēt. Iam uerò ipsa opera discutiēda sunt. Moses mare: Helias flumen diuisit: Dominus noster Iesus super mare ambulauit. Quid ergo est elegātius, in sicco profundi alueo, uiam transeunti populo exhibere, an ipsam maris faciem uiā facere? Illi quippe quia humanitatis deprimebantur pondere, in profundi solido uiā, qua pergerent, requirebant: sed qui infirma humanæ naturæ, in celsitudinem diuinitatis assumpsisse cognoscitur, super aquas uirtute propria ferebat. Moyses de consortio sermonis domini splendorē uultus obtinuit. Iosue orationibus solem fixit: sed quia deus est Iesus, corā discipulis in solis uirtute resplenduit. Ne illius faciem filij Israel intendere non poterāt: istius gloriam qui meruerunt cernere, ceciderunt: ut apertè cognosceres, quia diuinum existeret, quo humana transiret: Huic, in monte illis assistentibus, ab æterno patre dicitur. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et idcirco etiam Helias, qui ne plueret, cœlum clausit: & ut plueret, reserauit: in eius comparatione quid est, qui apertis cœlis patrē exhibuit testem suæ diuinæ generationis? Non est ergo fortis ut dñs:] quia quicquid uirtutis Moyses ostendere potuit, dominus, non ipse fecit. Iesus autem omnia, quæ mirè gessit, ppria uirtute exhibuit, quia dominus etiam Moysi fuit. Non enim Moyses populo per deserta gradienti, sed dominus Manna pluit. Nō Moyses, sed dominus in columna ignis per noctem, & nubis in die populū præcessit. Nō Moyses, sed uerbū, quod factū est ad eum, aquam de rupe produxit. Non Moyses, sed dominus uolatilia concupiscentibus exhibuit. Vnde & dominus Iudæos in patrū fortitudine gloriantes reprimit, dicēs: Non Moyses, sed pater meus dedit uobis panem de cœlo. Hinc Psalmista: non Moysen inaniter efferēs, sed dñm laudabiliter extollens, dicit: Fecit mirabilia in terra Ægypti, in cāpo Thaneos, interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre. Eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Eduxit aquam de petra, & deduxit tanquā flumina aquas. Et māduauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducādum, & pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris, uolatilia pennata. Dominus aūt Iesus fortis incomparabiliter non in aliena uirtute apparuit, sed in sua. Vnde & ex seipso potēs, paralytico imperās, ait: Tibi dico surge. Hinc etiā scriptum est: Quotquot tangebāt eū salui fiebāt, à quocunq; languore tenebantur. Et iterū: Virtus de illo exibat & sanabat omnes. Hoc nanq; insigne fortitudinis, nec Moses, nec Helias habere potuit, ut dū incōparabilia signa innotescerent, aduentum unigeniti apertissimè designarent. Recte ergo synagoga perpetuo silentio damnat, cum subditur: Nolite multiplicare loqui sublimia. Recedant uetera de ore uestro.] Quasi dicat. Dum incomparabiliter noua cernitis, gesta antiquorū reprehensibiliter effertis. Quasi enim umbra illa præcesserāt. Sed nūc palam ueri fideles hæc redemptoris nostri opera uenerabiliter adorāt, quia quod umbrabat ibi occultatione sacramēti, in aduentu redemptoris patuit, expectasse corpus reuelandæ ueritatis. Ergo si ad noua referantur, uetera non sunt, quia in spiritu sancto intellecta, uetustatem aliquā non recipiunt. De illo quippe renouāte omia spiritu, Psalmista precatur, dicens: Emitte spiritū tuū & creabuntur, & renouabis faciē terræ. Vetera ergo sunt si redemptoris operibus conferantur, sed cum ad confirmanda hæc, spiritualiter illa proferimus, eo spiritu, quo hæc intelligimus illa renouantur. Sancta ergo Ecclesia dum Iudæos, de ueterum narratione reprehendit, quid aliud, quàm eos acta patrum spiritualia carnaliter intelligere designatur? Synagoga etenim contra sanctam ecclesiā se tanto temerius erigit, quanto legis, & Prophetarum scientia superbius extollitur: quam suis patribus diuinitus inspiratam, sibi autem materialiter exhibitam didicit. Vnde sequitur. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.] Et ut tumere desinant, subiungit, dicens: Recedāt uetera de ore uestro.] Iam quippe ei uetera sunt, quæ (ut dixi) per renouantem spiritum non intelliguntur. Tale est igitur, ac si dicat: Dignum est, ut ab eorum narratione sileas, quorum nouos, & splendidos sensus ignoras. Quæ nimirum & si subtiliter intelligis, tumorem arrogātiæ tibi præstare non debēt: quia deus scientiarum dominus est. Redemptor quippe humani generis, ga summi patris est uerbum, dominus est utiq; omnium scientiarū. Alta quippe, & magna locutus est Esaias, magna locutus est Hieremias: sed profecto nihil dicerent, si hoc uerbum scientiarum dominus, non eis antequā loquerentur, scientias indicaret. Vnde & frequenter in libris eiusdem Esaiæ prophetę legitur: Verbum quod factū est ad Esaiam prophetā. Frequenter & in libro Hieremiæ scribitur: Verbum quod factū est ad Hieremiā prophetā. Hoc uerbū scientiarū dominum, Ioannes in altissimo summi patris sinu aspicies, ait: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Hinc Paulus scientiarum dominū redemptorem nostrum insinuans, dicit: Quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Dum ergo dicit: Recedant uetera de ore uestro, quia deus scientiarum dominus est:] quid est aliud dicere, nisi synagogæ aperta ratione monstrare, ut tanto sollicitè tacere debeat, quanto non solum quod sint, sed etiā à quo sint ea, quæ dicit, ignorat? Qua si dicat: illam scientiam, quam patrum tuorū fuisse astruis, tanto tibi dare arrogantiam non debuit, quanto non ipsorum, sed unigeniti filij dei fuit: & ipsam eandem scientiam non intelligis. Dicit ergo: Recedant uetera de ore uestro.] Vt Iudæi nequaquam depraueni, quod intelligere rectè non prævalent. Deus scientiarum (dicit) dominus est, ut quod ueraciter dei esse cōprobant, hominibus

Ioan.15 Exod.14 4.Reg.2 Luc.5 Exod.33 Iosue 10 Matt.17 Exod.15 Exod.16 Nu.20 Ioan.6 Psal.77 Lucæ 5 Mar.6 Lucæ 6 Psal.103 Colos.2 Ioan.1

hominibus fallaciter non adscribant. Sed dum de uerbi iactantia Iudæa reprehenditur, quia nullo timore compungitur: ei etiã de occultis perfidorũ cordiũ motibus, tormẽta nunciant. Nam sequit:

Eripsi preparantur cogitationes.] Quasi dicat. Quem blasphemare non metuis, non solũ linguæ habebis iudicem, sed & cordis. Vnde & per Esaiã
Esa.56 comminatur, dicens: Ego opera, & cogitationes eorum uenio ut cõgregem. Hinc per Moysen do
Deut.32 minus cõminãs, ait: Nonne hæc cõdita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Et quia his uerbis silentiũ synagogæ præcipit, uideamus iam sancta ecclesia quibus fœcunditatis suæ laudibus in Annæ uoce glorietur. Subdens nanq; ait: Arcus fortium superatus est.] Quisnam est arcus fortiũ B nisi fraudulenta sæuitia Iudæorum? Ex occulto quippe, quasi ex arcu redemptori uulnus inflixerant, quem gentiũ manibus occidebant. Sed superatus est arcus fortiũ: quia qui eorũ uulnere obijt, à mortuis resurrexit, in cœlum ascendit, promissum spiritum sanctum discipulis misit. Vnde subditur. Et infirmi accincti sunt robore.] Appellatione quidem roboris, uirtus ostenditur spiritus sancti. Vnde & eundem spiritũ dominus discipu
Luc.ult. lis repromittẽs, ait: Vos aũt sedete in ciuitate, donec induamini uirtute ex alto. Robur autẽ gratia sancti spiritus rectè dicit, quã ut electi recipiunt contra omnia aduersa huius seculi fortes fiũt. Qui uero infirmi hoc loco, nisi Apostoli intelligendi sunt? Sed infirmi profecto, cum arcus fortiũ tendi C tur, non cum uirtute ex alto uestiunt. Nam in hora Domínicæ comprehensionis, scriptũ de eis est:
Matt.26 Marc.14 quia relicto dño, omnes fugerunt. An non ualde infirmus tũc Petrus erat, cum interrogantis ancillulæ uocem timuit, & redemptorẽ negauit? Iam quippe superatus erat arcus fortiũ, annihilata sæuitia Iudæorũ, quia redemptor morte uicta surrexerat: & tamen adhuc infirmi apostoli, superatos fortes clausis ianuis metuebãt. Sed ubi eos robur
Act.2 induit, libet intueri, quàm fortes fecit. Repentino quippe sonitu super eos spiritus sanctus uenit, & eorũ infirmitatem in miræ charitatis uirtutẽ permutauit. Cœperũt enim Christũ iam robore indu ti prædicare, qui persecutorũ minas non erubescebant delitescendo fugere, & qui mulierũ uerba ti D muerant, authoritatem principũ, libertate frangebant. Vicit robur formidinem, terrores, minas, & cædes superauit, & quos superueniendo induit, in cœlesti militia mirabilis audaciæ insignibus illustrauit, ut inter flagella, cædes, & opprobria nõ metuerent, sed exultarent. Scriptũ quippe de eis,
Act.5 hoc iam robore indutis est: Ibant apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt, pro nomine Iesu cõtumeliam pati. Hinc iam præ-
Iac.1 dicantes, dicunt: Omne gaudium existimate fratres, cũ in tentationes uarias incideritis. Bene ergo dicitur. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.] quia prius à mortuis resurrexit, & sic ad cœlum redemptor abijt, & spiritum sanctũ discipulis misit. Prius nanq; superandus erat arcus fortiũ, & post infirmi robore accin

gendi. Vnde & scriptũ est: Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondũ fuerat glorificatus. Quo in loco notandum est, quia hoc contra Iudæã dicitur, quæ miracula redẽptoris tanto superbius despicit, quãto inter supplicia mortuũ recognoscit. Dicit ergo: Arcus fortiũ superatus est, & infirmi accincti sunt robore.] Quasi mortem redemptoris calumniãti synagogæ respondeat, dicẽs: Noli despicere, q̃ mori potuit, sed mirare potius, quia mortuus resurrexit, & gentis tuæ sæuitiam, reuiui scendo superauit. Et quia hoc de præterito ostendit, non solum denunciando ei loquitur, sed insultando. Quasi eñ inaniter insultanti, improperet, dicẽs: Quid uobis profuit occidisse, quem mortis laqueus nõ potuit tenere? Vos occidistis, ne post eum totus mundus iret: sed idcirco post eum totus mundus uadit, quia uerum se dei filium probauit, moriendo humanum genus redimere: & dum resurgendo uiuentẽ se monstraret, & ad cœlum conscenderet, & spiritum sanctum promissum discipulis destinaret. Et quia pro incredulitatis suæ merito, synagoga à participatione promissę gratię repulsa est, idipsum sancta ecclesia imperans ei, subdens, ait: Repleti prius, pro panibus se locauerũt, & famelici saturati sunt.] Qui fuerũt prius repleti, nisi qui cognitionẽ dei anteq̃ cæteri populi habuerunt? Qui ergo repleti prius, intelligendi sunt alij, q̃ Iudæi, qui in fide conditoris fere ab ipso fuerunt principio mundi eruditi? Ipsi quidẽ pro panibus se locauerũt. Quid eñ panes hoc loco significãt, nisi mysteria diuinæ incarnationis? Locus aũt inueniendorũ panũ sacra est scriptura. Vnde & panis q̃ de cœlo descẽdit, ad inueniẽdũ se, ignorãtib. dicit: Scrutamini scripturas quia ipsæ sunt, quæ testimoniũ perhibent de me. Pro panibus ergo se locauerant, quia omnes scripturas acceperant, ut in eis sacramenta diuinę incarnationis inuenire debuissent, sed cum panis uenit, synagoga, quæ se pro pane locauerat, locũ reliquit, in quo inuenire panem debuit, quem quæsiuit. Scripturas quidẽ (ut dixi) ad cognoscendum redemptorẽ habuit, sed qui secundũ scripturas uenerat, uenientem confutauit. Famelici ergo saturati sunt: quia qui crediderunt de gentibus, dum mysteria diuinæ incarnationis ueneranter accipiunt, cœlestem cibum habent, ad internæ delectationis usum. Famelici quidem dicti sunt, quia ante aduentum redemptoris infidelitatis fame proiecti, spiritualis refectionis cibũ nullum habuerunt. Vel certe famelici dicuntur, quia spiritualis cibi dulcedinem, cum magna auiditate suscipiunt. Repleti uero, qui se pro pane locauerant, audiant quem expectabant. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Sed quia non merebantur agnoscere, respondebant. Nonne hic est filius Ioseph? quomodo dicit, quia de cœlo descendi? Ipse autem quia omnia nouerat, ad delectationis suæ recubitũ famelicos uẽturos prophetabat, dicens, Amen dico uobis, quia ab oriente, & occidente uenient, & recũbent cum Abrahã, Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij aũt regni proijcien-

tur in tenebras exteriores. Repleti ergo se locaue A runt pro panibus, sed famelici saturantur, quia synagogæ filij, in scripturis sanctis pastū fidei, de futura incarnatione redemptoris habuerūt: sed nūc proiectis illis, dum gētiles in eū ueraciter credūt, diuinitatis & humanitatis eius sacramenta in delectationis intimæ refectione suscipiunt. Quia uero per egregium doctorem dicitur: Omnes eandem escam manducauerunt, & omnes eundem spiritalem potum biberunt, bibebant de spiritali cōsequente eos petra, petra autem erat Christus: potest rationabiliter colligi, quia illi manducauerunt, & non sunt saturati, isti manducauerunt, & saturati sunt. Quod nimirū contra synagogā à sancta ecclesia rectè dicitur, ut ij qui sunt sub gratia, B mira celsitudine præeminere sub lege positis, designentur. Quid enim illis fuit se pro panibus locare, nisi sacramenta uenturi redemptoris in scriptura sacra perquirere? Quorum profecto unusquisq; manducauit, & saturatus non est, quia futuram summi unigeniti incarnationem credidit, sed præsentem non uidit. Manducare quidem ei fuit, diuinā incarnationē in mentis desiderio dulciter retinere: & non saturari ei fuit, desideratā eius præsentiam non uidere. Sed infirmi, qui robore accingendi erant, saturitatis suæ præconia ab eo, quo saturabantur pane audiebant. Beati oculi, qui uidēt quæ uos uidetis. Amen dico uobis, quia multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire quæ uos auditis, & C non audierunt. Qui enim uidere uolebant, iā intimæ delectationis panem per desideriū manducabant: sed quia uidere non poterant, habebant gaudiū desiderij, sed nō habebant perfruitionem saturitatis. Nam & si scriptura dicat: Quia panem omnem suauitatē habentē, & omnē dulcedinē deus eis dedit, sic dicitur ab eis accipi, sicut nosci, sicut per fidem notus ab eis, per charitatis desideriū poterat concupisci. Synagogæ igitur in primis patribus glorianti, ij accincti robore proferuntur, ut dum nouum culmen electorum conspicitur præcelsum, nequaquam inaniter ultra glorietur. Et quia à discubitu sanctæ ecclesiæ cibus uitæ nunquam tollitur, futura quàm præterita insinuans, ait: Donec sterilis peperit plurimos, & quæ mul- D tos habebat filios infirmata est.] Quæ est sterilis, nisi sancta ecclesia, ut supra latius in Annæ typo iam diximus? Quid est ergo famelicos saturari, donec sterilis pariat, nisi usq; in mundi finem panem uitæ possidere? Quod & ipse repromittit, di-
Matt. ult. cens: Ecce ego uobiscum sum, usq; in consummationē seculi. Non enim sunt nisi famelici quos sancta ecclesia parit. Ergo donec parit, famelici saturantur: quia usq; in mundi fine, deo filios generat: qui dum uenisse in carne redemptorem credunt, panem uitæ, quem desiderant, comedunt, & plenitudine replētur. Sed donec sterilis plurimos parit, ea, quæ multos habebat filios, infirmatur. Infirmari synagogæ est, institutione legis ueteris, pare re non posse. Quæ enim fidem uiri prioris perdidit, Diabolo iam, & non deo parit. Bene aūt dicit. quæ multos habebat filios, quia dū in ueritate scripturarum subiectū sibi populū antiquitus eruditet uenturi redemptoris aduentū cōcupiscere, de cōplexu cœlestis sponsi filios pariebat. Nunc aūt quæ habebat filios, infirmata est, & filios non habet. Scripturas quidem suis auditoribus exhibet, sed quia redemptorem negat, deo filios nunquā generat. Infirmari ergo dicitur, cui spiritualis fœcunditas negatur. Et quia tam synagogæ repulsio quàm electio gētilitatis incōprehensibili dei iudicio facta est, sequitur: Dominus mortificat, & uiuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperē facit, et ditat: humiliat, et subleuat. Suscitat de puluere egenum, & de stercore erigit pauperem: ut sedeat cum principibus, & soliū gloriæ teneat.] Quasi obstupescenti alicui de tā electæ gentis repulsione respondeat, dicens: Quid in his rationem quæris, quæ summa ratio incomprehēsibiliter facit? Quod etiam genus quærendi, doctor egregius reprehendens, ait, Homo, tu quis es, qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentū Rom. 9 factori suo, quid me feciſti sic, aut nō habet potestatē figulus, ex eodē luto aliud quidē uas facere in honorē, aliud uero in cōtumeliā? Tale est ergo, ac si dicat: Quia omniū dñs rectè cognoscit, opus illius, & in ludęę abiectiōe, & in gentiū electione uenerandum, & non discutiendū esse sentiamus. Mortificat quidem dominus: quia incomprehensibili iudicio, quondam electum Iudęorum populum à cognitione ueritatis separat, & in perpetuum damnat. Viuificat: quia gentilitatem ad agnitionem sui unigeniti temporaliter per fidem recipit, & ad eius contemplandam gloriam æternaliter perducit. Ad inferos ducit: quia districto eius iudicio, ultrix gehenna eos puniendos in perpetuum recipit, qui per culpam perfidiæ à ueneratione se diuidunt Redemptoris. Reducit ab inferis: quia gentilem populum ad filij sui fidem deuotè accedentem suscipit, cui uelut altus abyssi carcer extitit, immensa obscuritas erroris. Pauperem facit, & ditat: quia & repulsam Iudæam spiritalibus uirtutibus spoliat: & electam gentilitatem, tā precio fidei, quàm bonorum operum fulgoribus exornat. Qui etiam humiliare, & sublimare dicitur. Etenim synagoga à redemptore recedendo, sublimitatis suæ alta deposuit: & sancta ecclesia redemptorem uenerando, ab imo infidelitatis, ubi proiecta iacuerat, in altitudinem rectæ fidei, & Christianæ potestatis celsitudinem surrexit. Quia ergo Dei filium Iudæa contempsit, gentilitas promeruit, rectè & illa humiliata, & ista creditur exaltata. Sequitur. Suscitans de puluere egenū, & de stercore erigens pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.] Egenus, & pauper gentilis populus intelligitur, qui de puluere suscitatus, & de stercore erectus dicitur: quia cū recipitur in fidem redēptoris, ei & minima, et graiora peccata remittuntur. Quia enim facile puluis excutiē, & quē stercora inquināt, horribiliter fœdāt: puluis leuiora, stercus grauiora peccata significat. Bene etiam de puluere suscitatus egenus

dicitur,

Universidad de Deusto

dicitur,& de stercore pauper erectus. In illis siqui dem dormiebat,à quibus leui tactu gratiæ suscita ri poterat. In illis uerò iacebat, quia lapsus in grauioribus,manu magni auxilij indigebat. Sed iam egenus,qui de puluere susciatur,& is,qui de ster core pauper erigitur,audiamus, quo culmine præ feratur. Vt sedeat cum principibus, & solium glo riæteneat.] Qui uero principes hoc in loco, nisi sancti Apostoli designantur? De quibus nimirũ Psal.44 principibus deo per Psalmistam dicitur. Constitu es eos principes super omnẽ terrã,memores erũt nominis tui domine. Quid est quòd pauper cum principibus sedet, nisi quia ordo prædicatorũ, de gentibus electus, in sancta ecclesia culmen Apo stolicę authoritatis obtinet? Cum principib. quip pe sedet: quia de throno cœlestis magisterij ,do ctrinã salutis exhibet. Et soliũ gloriæ tenet: quia bonæ famæ odorẽ spargit, quib. dignitate prœemi net. Vel certe soliũ glorię tenet,& cũ principibus sedet: quia & sublimitatis honore radiat,& mira culis coruscat. Sed qui tã sublimi dignitate sustol litur, qualiter uti ea debeat, indicat, cum subiũgit. Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.] Cardines terræ sunt extrema terræ. No mine autem cardinũ, ipsos prædicatores, electos de gentibus uoluit designari. Extrema quidẽ ter ræ dicuntur: quia de uili quodãmodo, & abiecta gentilitate producuntur. Qui profecto cardines domini esse dicunt, pro mortificatiõe propriæ uo luntatis. Domini quidem sunt, qui nõ sua quęrũt, sed quæ Iesu Christi: Sed dũ domini esse dicuntur singularis quædã in eis sanctitas designat. Qui ue ro domini sunt, uideant: quia super eos orbis po nit, nõ sub eis. Quid em̃ orbis nomine, nisi sanctæ ecclesię subiecta designatur plenitudo fidelium? Su per cardines quidẽ terræ deus orbem posuit: quia prædicatores ad hoc sanctæ ecclesiæ pręponunt, ut eorũ infirmitatẽ releuent: & debiles quoq; ad cœlestem patriam, uelut superimpositũ onus, por tent. Non igitur se semper prælatos debent aspice re, sed quandoq; subiectos: ut disciplina cohiben dis uitijs præsint, sed æstimatione, & obedientia ministerij, sæpe subsint eis, quibus præeminẽt cu ra prælationis. Et quia magna sunt onera, quę præ dicatores sustinẽt: subdit, atq; ait: Pedes sanctorũ suorum seruabit.] Quasi dicat: Inter onera tam immensa corruerent, si eorum pedes dominus nõ seruaret. Pedes quidem sanctorum suorum sunt affectus mentium. Qui profecto à domino seruã tur: quia ab ipsis gratia miræ deuotionis infundi tur, qua onus tantum gratanter ferunt. Seruare quidem pedes sanctorum dominus dicitur: quia tanti ponderis molem fugerent, si hoc intolerabi liter graue, non eis infusa desuper charitas leuiga ret. Possunt etiam & status fortitudinis, pedũ ap pellatione signari. Pedes uero sanctorum suorum dominus seruat, quando eos mira fortitudine ro borat, ut inter tam immensa onera, nequaquã ca dant. Et quia non pedem, sed pedes seruare dicit, quid in utroq; pede sanctorũ intelligimus, nisi for titudinẽ, & humilitatẽ? Ne enim ruamus, in utro

A que pede consistimus. Quicunq; enim fidelibus gregibus præsunt, in uia, qua ad supernã patriam tendũt, modo prospera, modo aduersa inueniũt. Ipsa em̃ prospera, quia elationem menti excitant, eam ad casum ualde impugnãt: ueruntamẽ ne ele cta mens cadat, hinc subsistere nitit̃ pede fortitu dinis, inde cõsistit pede humilitatis. Firmũ quip pe statũ inter utranq; tentationẽ retineret, si tã so lida humilitate consisteret: ut nulla hanc prosperi tas eleuaret, aduersitas nulla dejiceret. Quid est er go quod dicitur, pedes sanctorũ suorũ seruabit, ni si quia debilis est omnis uirtus hominis sine auxi lio cõditoris? Infirma quippe humilitas nostra dũ B prosperitatis fauore mulcetur, ab ineptæ lætitiæ impulsu prosternitur. Infirma fortitudo nostra, dum auersitate impingitur, leuiter superatur. Sed tristibus elidimur, lætis eneruamur: cum nos no bis omnipotens deus deserit, non cum auxilium suæ protectionis impendit. Dicit ergo: Pedes sanctorũ suorũ seruabit:] quia omnipotens deus infirmitatẽ nostrã in ferendis subditorũ nostrorũ C oneribus adiuuat: ut nos nec aduersa atterant nec læta seducant. Tunc quidem à domino pedes no stri seruantur, cum diuino auxilio roborati, obui antia mundi læta contemnimus, aduersa nulla for midamus: cum stabili patientia gratanter mala fe rimus, & inconcussa humilitate sublimem animũ à uana delectatione refrenamus. Possunt autem pedes sanctorum fides, & amor redemptoris in telligi. Quibus profecto pedibus gradiuntur cùm eum quem per fidem fideles credunt, amore con sequuntur. Hos profecto pedes seruari sibi à do mino postulabat, qui precabatur, dicẽs: Super ex Abac.3 celsa statue me, ut uincã in claritate ipsius. Super excelsa statuitur, cui redemptoris diuinitas reue latur. Et in claritate eius uincit: quia dum eius cha ritatis radijs illustratur, cũcta maligni spiritus ten tamenta destruuntur: Statutos quidem in monte pedes tenet: qui ueritatis contemplatione arduus est, & eius, quem credit summi patris unigenitũ amore succensus. Super excelsa quidem Petrus statutus erat: qui cum domino cõfiteretur, dicẽs: Tu es Christus filius dei uiui, protinꝰ audiuit: Be- Matt.16 atus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi: sed pater meus qui est in cœlis. Fun datus enim fide, accensus charitate, eum quẽ ama bat, etiam prædicabat. Bene ergo de reprobis sub iunctum est. Et impij in tenebris conticescent.] Qui enim impij hoc in loco, nisi Iudæi intelligun tur: qui à pietate ueræ fidei sunt extranei, & redẽ ptoris morte cruenti? De quibus recte dicitur: In tenebris conticescent,] quia sancti super excelsa statuti, redemptorem mundi, quem in diuinæ ma iestatis claritate conspiciunt, æternis laudibus cõ fitentur. In tenebris ergo tacent impij, quia Iudæi ideo redemptorem non prædicant, quod ineffabi lis eos illa claritas diuinitatis non illustrat. Scri- ptũ quippe est: Tollatur impius ne uideat gloriã Esa.61 domini. His quippe tenebris damnatos eos intu ens, Ioannes ait: Lux in tenebris lucet, & tenebræ Ioan.1 eam non cõprehenderunt. Hinc Dauid nõ optãs, D sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.8 sed prophetans dicit: Obscurentur oculi eorum ne uideãt, & dorsum eorũ semper incurua. In tenebris ergo tacent impij: quia etsi Iudæi diuinę scripturæ uerba dei laudibus proferũt, dũ filiũ negãt, deo patri nulla uocum obsequia consecrant. Deo enim silet qui patrem laudans, unigeniti laudem tacet. Sed quem crucifixum despiciunt, quando iudex uenerit, expauescent. Vnde etiã subditur. Quia non in fortitudine sua roborabit uir, domnũ formidabunt aduersarij eius.] Nunc aũt durus in infidelitate, fortis in errore est: & quẽ credere deũ cõtemnit, audacter blasphemare nõ metuit. Velut uir siquidẽ nunc uinci non potest: sed tũc sicut uir nequaquã roborabitur, cum is, qui eorũ insidijs crucifixus est, in sua maiestate conspicietur. Tunc formidabunt eius aduersarij: quando crucifixi uirtute omnia moueri conspexerint, cũ eius iudicio uniuersa summitti, cum per excelsos cœlos tonantia iudicia audierint æternæ suæ dãnationis. Vnde & subditur: Et super ipsos in cœlis tonabit.] Qui enim cœlorum nomine hoc loco nisi sancti apostoli designantur? Quibus profecto cœlis sublimitatis suæ gloriã dominus repro-
Matt.19 mittens, ait: Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Horum profecto cœlorũ toni trualudæis dominus insinuãs, ait: Ipsi iudices ue-
Lucæ 10 stri erũt. Super Iudæos igitur impios, tũc in cœlis tonabit, quia à sanctis Apostolis, tũc terribilia iudicia suæ damnationis audient: ut eorum examine sententiam æternæ mortis accipiant, quos prę dicantes humiliter uitæ æternæ bona persecutionibus affligebant. Quia uerò de extremo iudicio ista intelligi debeãt, sequitur: Dominus iudicabit fines terrę.] Qui sunt fines terrę, nisi ultima huius mũdi? Fines uerò terræ dominus iudicat, ut æquitatis eius sentẽtia impunita, aut irremunerata nulla derelinquat: quia dum in iudicio extrema concludit, aliqua discutienda non deserit. Tunc sublimabit cornu Christi sui,] quãdo oẽs electos in æterna contẽplatione sui unigeniti recipiet: ut eis æterna illa, & ineffabili maiestate præsideat, qui dum in præsentis uitæ peregrinatione uiuerent, secum non erãt. Tunc Sublimabit cornu Christi sui:] quando in celsitudine sua respicietur sublimitas redemptoris. De hac sublimitate per Ioan-
1.Ioan.3 nem dicitur: Videbimus eum sicuti est. Nam potestas, siue regnum domini nostri Iesu Christi semper æquale est: sed tunc sublimari dicitur, quando tales erimus, ut eius sublimitatẽ intueri ualeam?. quicquid enim nunc de illa sublimitate humana mens sibi potest fingere, omnino nihil est in illius gloriæ comparatione. Nam scriptum est de illa:
Esa.54 Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligẽtibus se. Prius ergo Christo datur imperium, deinde cornu eius sublimabitur: quia tunc sublimitatis eius celsitudo respicitur, cum nostra quoq; natura à corruptionis suę imo subleuatur: cũ renouationis suæ integritatem resurgendo suscipit, quia præcelsum lumen cõtemplari ualeat redẽptoris. Si uerò in cornu aliquis uult regnũ intelligi, per regnum Christi sancta ecclesia designatur. Quod profecto cornu sublimabitur, quia ima nostra ad angelorũ æqualitatẽ perducent. Quare & de electis in Euangelio dominus dicit: Erunt sicut ange
Matt.22 li dei in cœlo. De ista cornu sui sublimitate, iterũ
Mat.13 dicit: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Sublimabitur ergo cornu Christi, quia sancta ecclesia in æterna contemplatione sui redemptoris extolletur: & quæ nunc in hac ualle miseriæ depositionis suæ pœna deprimitur, absorpta tunc morte renouata æterni gaudij culmine subluatã. Sed hęc iã typica explanatiõe ꝓtulimus, restat ut in sequẽti uolumine moraliter exprimamus.

Caput I. Secundi libri.

Moralis

In superiori libro, dum sacræ historiæ textum moraliter discuteremus, Annę fœcũditatem in summæ contemplationis perfectione posuimus: quia concipere mẽti est, de summa dei omnipotentis contemplatione ineffabiliter gaudere: parere autem, in mente conceptæ charitatis insignia occultare nõ posse. Nunc autem parenti canticum dicere quid est, nisi conditorem, quem ineffabiliter diligit, ueris præconijs prædicare? Dicit ergo:

Exultauit cor meum in domino,] sed ea quæ manducauit, & bibit, quę amarum animum habuit, quæ fleuit largiter, & quæ uotum uouit: quia illa mens, omnipotentem deum dignè laudare potest, quæ dignis agonibus ad charitatis eius summa peruenit. Hæc quidem diuturno usu contemnere omnia didicit, & dum cuncta creata ab intẽtione abijcit, tanto amplius in uisione æternæ maiestatis gaudet, quanto alicuius creaturæ species, in sui amore hanc retinere non prævalet. Hæc ergo dicit: Exultauit cor meum in domino,] quæ eum contemptis omnibus, solum amat. In hunc profecto affectum uenerat, qui dicebat, Quid mihi restat in cœlo, & à te quid uolui super terram? Psal.72
Hinc in deo exultans: dicit: Vultum tuum domi- Psal.62
ne requiram. Hinc sponsa in canticis petit dicens: Osculetur me osculo oris sui: Dum ergo dicit: Cant.1
Exultauit cor meũ in dño.] quid aliud, ꝙ in eius se oculis inhæsisse, quẽ ardẽter diligit, gloriatur? Et idcirco illa sola hæc dicit, quæ experta nouit, quæ uis amoris sit in thalamo sponsi. Cunctis quippe passionum uictorijs illustrata, & prælata uirtutũ culmine, ad illam sublimitatem peruenit, ex qua per gaudium miræ deuotionis, exultationisq; cor suum in deo posuit. Et quia cor suum dicit, quid aliud, quàm mentis suæ libertatem asseruit? Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Vnde & de proditore dicit: Cùm Ioan.13
diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Schariotis. Si enim Iudas cor suum, & non diabolus possideret, ipse potius in eo bonum, quàm diabolus malum poneret. Quo contra electus uir loquitur, dicens: Animam meam Iob 13
porto in manibus meis. Quid enim aliud manus electi est, quam potestas internæ libertatis? Quid ergo eis est, animam in manibus portare, nisi in-

ternæ

ternæ libertatis gloriã in potestate retinere? Quo tiescunq; ergo grauiter delinquimus, cor nostrũ nos non habemus. Quare & Hieremias, Iudaico populo grauiter delinquẽti, improperãs, ait: Audi populestulte, & qui non habes cor. Hinc item conuersus alter Propheta deo confitẽ dicens: Inuenit seruus tuus cor suũ. Dicit ergo exultauit cor meum in domino, ut libertatẽ mentis assereret: sine qua deum dignè laudare non posset. Sequitur: Exaltatũ est cornu meum in deo meo.] In cornu electæ mentis intentio designatur, quæ mirabiliter extollitur: cum ad eum gaudẽdo peruenit, qui super uniuersa consistit. Vnde & cornu suum, nõ in alio aliquo exaltatum asserit, sed in deo. Qui enim transeuntia bona diligit, huius profecto intẽtio depressa, non exaltata est: quia in imo figitur, ubi per desideriũ locatur. Hinc est quod in euangelio dñs dicit: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Exaltare ergo cornu nostrum uolebat dominus, cũ dicebat: Thesaurizate uobis thesauros in cœlo. Exaltatum cornu habebant ij, qui bus se Paulus conformabat, dicens: Nostra cõuersatio in cœlis est. Sed qui cœlestia tantum diligit, si illam intimæ dulcedinis suauitatem gustare nõ nouit, quanquam ualde exaltatus sit, ad huius tamen exaltationis sublimitatem non peruenit. Ille ergo hac exultatione sublimis est, qui per incrementa uirtutum proficiens, sublimitatem summę contemplationis obtinuit, non solum ut perfecte cœlestia diligat, sed etiam ut amoris perfectione, in sola omnipotentis dei contemplatione requiescat. In deo exaltatum cornu habet, qui interni luminis alta uisione fruitur: in qua familiari quadã singularitate gloriat. Quare nõ ait: in deo nostro, sed in deo meo. Meum nanq; de eo dicit, quẽ familiariter, ac singulariter diligit. Ad quam certè diuinæ familiaritatis dignitatem peruenerat, qui dicebat: Deus meus es tu, & confitebor tibi, deus meus es tu, et exaltabo te. Hinc Esaias ait incredulos increpans, Nunquid parũ est uobis molestos esse hominib⁹, quia molesti estis & deo meo? Quæ ergo exaltatione cornu in deo sustollitur, Deum suum singulariter fatetur, quia summa illa infusio diuinæ dulcedinis, exaltatam mentem, & sui susceptibilem, & ualde familiarem facit. sequit: Dilatatum est os meum, super inimicos meos.] Qui sunt inimici electæ mentis nisi spiritus maligni? Quid ergo est dilatatum os super inimicos habere, nisi omnes malignorũ spirituũ suasiones, amplissima sibi infusę gratię largitate reprobare? An gustum quippe os habet, qui cũctis fraudibus malignorum spirituum, per considerationem rationis, cõtraire nõ prævalet. Os quippe mentis eius, ratio est, & loqui, deliberare. Os nanq; repletẽ, cũ mentis ratio per infusam sibi gratiã in contemplationẽ summæ ueritatis attollitur. Repleri quidem ei est, illustratiõe summæ ueritatis imbui. Ibi quippe discit, & quod æternaliter appetat, & quod tẽporaliter contẽnat. Et quia summa ueritas amor est, subtilitate ueritatis attollit electa anima, eiusq; rei charitate, quam didicerit, inflammat: & tanto

A strictius seruat magisterium, quanto feruẽtius id sibi inuiscerat uis amoris. Cui nimirũ etsi maligni spiritus mala suggerunt, dilatati oris apertione cõfunduntur: quia ueritate summæ sapientiæ instructa, & summi amoris facibus accensa, habet iam contra suggestionem erroris, immensam lucẽ sapientiæ: habet et contra oblatã mundi huius pompam, ineffabilem charitatem. In immẽsitate lucis uidet quæ reprobet, sed per uim summæ charitatis amat inepta reprobare quæ nouit. Per sapientiam mala suggesta reprehẽdit, sed in uirtute charitatis deprehensa redarguit. Os ergo super inimicos dilatat, quia ex abundantia rationis cõtra dæmones multa deliberat: & eo acutius eorum obiecta destruit, quo id, unde mala suggesta reprobet, in sublimibus agnoscit. Vnde protinus causam in sinuãs, ait: Quia lætata sum in salutari tuo.] Quod profecto tale est, ac si dicat: Quia exaltatũ est cornu meum in deo meo. Hoc certè est lætari in salutare dei, quod exaltatũ cornu habere in deo suo. Quod non de qualibet lætitia salutaris accipitur, sed de illo perfectissimo gaudio, quo electa, perfectaq; anima more sponsæ, gaudet in sponso. De qua nimirum lætitia Dauid obsecrat, dicens: Red de mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Quæ ergo dilatatũ os habere super inimicos suos se gloriatur, in salutare dei prius lætata fuisse describitur: quia illa beata mens ualide reprobare malignorum spirituum suasiones potest, quę in redemptoris diuinitate per contẽplationẽ sublimiter assumpta, ex eo & sapientiæ accipit magnitudinem, & plenitudinem charitatis. Quẽ profecto dignis laudibus prædicat, dicens: Non est sanctus, ut est dominus neque enim est alius extra te, & non est fortis, sicut deus noster.] His nanq; Annæ uocibus, quæq; electa anima hoc redemptori clamat in laude, quod ab ipso credit in munere. Sed ex hoc piæ cõfessionis ordine, ordo innuitur, quo eadem muneris bona, quæ seriatim protulit, consequamur. Sanctus itaq; dominus & fortis asseritur, à quo sanctificamur, ad requiẽ ducimur, & glorificamur. Sanctificationem à domino accipimus, in uirtute regenerationis: esse aũt, id est quietem ab huius mutabilitate corruptionis, in terminatione exilij: fortitudinem, in triumpho resurrectionis. Primum itaq; horũ munerũ, in ista uita consequimur, cum electi cuiusq; anima in carne est, sed utraq; adhuc in agone operis posita: sequens autem in sola anima præter carnẽ post carnis uitam, & iam de huius uitæ laboribus assumpta; ultimũ uero, in carne, & anima, sed utraque iam per gloriam æternitatis innouata. Prius itaq; sanctus dicitur, quia regeneratis per salutis lauacrum, charitas dei cordibus nostris infundit, per cuius gratiam, ad æternæ patriæ bona præparamur: ut dum hæc uita per decursionis suæ tempus elabitur, ea nos uita susciptat, cuius gaudio, hinc electorum egredientes animæ, sine mortis pauore potiantur. Deinde esse ei ascribit, quia securi consummationis nostræ diẽ, uidelicet claritatẽ ultimæ resurrectiõis expectamus, dum in illo mu

Mat. 6
Philip. 3
Psal. 115
Esa. 7
Psal. 50

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere acceptæ requiei discimus, extremi examinis non discussionē metuere, sed promissæ gloriæ lætitiam expectare. Vltimo autem loco fortis asserit tur, quia in gaudio futuræ resurrectionis infirma nostra roborātur, cum caro surgit de puluere, sed idem carnis nostræ puluis translatus in perpetuæ incorruptiōis gloriam, ad fragilitatis suæ miseriā ultra non redit. Sed & notandum, quia in his tribus ab altero, ad alterū ducimur, sed cum haberi non habitum cœperit, qui hoc accipit, quod non habuit, quod ante habuerat nō amittit. Nam cum de sanctificatione ad requiem perducimur, & de quiete animæ perducimur ad robur æternæ incorruptionis, & sanctificatio charitatis augeť nobis in illa requie: & requies, & amor excrescit ualde in resurrectione. Conditorem nanque suum, unaquæque anima per amorem coniuncta, in tantis muneribus intuens, Annæ uocibus dicat, quàm bene sapit sibi donum perfectæ regenerationis, & uis amoris: dicat, Non est sanctus ut est dominus.] Dicat, quàm melius munus sibi est, promissio quietis in hora sui transitus. Neque est alius extra te.] Dicat, quàm optimū sibi placens præmium sit, ultima renouatio sua, in gaudio perfecti spiritus sui, & glorificatæ carnis. Dicat: Et non est fortis, sicut deus noster.] Et notandum, quia hoc in precis cantico Anna loquitur. Electę etem̃ menti, hæc in cantico poscere, est dona tam grandia, cum gaudio desiderare. Petere quippe ei, desiderare est: & gaudere, cantare. Sed quę tam gaudenter dignitatis suæ munera cōspicit, quàm fortiter occultis hostibus exprobret, innotescit. Sequitur enim & dicit: Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, recedant uetera de ore uestro.] Sublimia quippe, & uetera spiritus maligni loquuntur, cum alta, quæ uidentur huius seculi appetenda, fidelibus suggerunt. Qui ergo cornu suum in deo exaltare iam didicit, qui teneri in gaudio maiestatis nouit, quicquid offertur sibi de blandimento seculi labentis, exprobrando despicit, dicens: Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, recedant uetera de ore uestro.] Ac si aperte loquatur, & dicat: Eo mihi ea quæ offertis displicent, quo per desiderium alia uideo, quæ valde placent. Quod profecto dicere, quia ei competit, qui iam idoneus ad ministerium prædicationis agnoscitur: apte quoque contra arrogantes sapientes, & contra negligentes sanctæ uitæ professores, ista prolata sentiuntur. Alta quippe glorians loquitur, qui per scientiam quam accepit, se intelligere sublimiter gloriatur: Vetera uerò loquitur, qui postpositis sanctæ scripturæ eloquijs, secularibus uerbis occupatur. Dicitur itaq; arrogantibus: Nolite loqui sublimia gloriantes. Quibus profecto uerbis ostenditur, quia non modum locutionis prohibet, sed affectum intentionis. Quasi aperte dicat: Sublimia loquimini, sed de eo, quod altum dicitur, gloriari refugite. Vnde & Paulus piè discipulum admonet, dicēs: Noli altū sapere, sed time. Non dixit noli altum loqui, sed noli altū sapere, sicut & hic non dicitur, nolite

Rom.11

A loqui sublimia, sed nolite gloriantes loqui: quia sacra eloquia altius exquirenda sunt, sed quo altius exquirens proficit, semetipsum cohibere à uanæ gloriæ fastu debet, per custodiā humilitatis. Dicit etiā ociosè loquentibus: Recedāt uetera de ore uestro.] Vetera quippe sunt uerba seculi, quia dū in eis loquentis animus per intentionem figitur, deuotionis suæ decore spoliatur. Quare illi sublimia gloriantes loqui non debent, & cur ab eorū ore uetera debeāt recedere, hæc causa demōstrat, quæ subiungitur. Quia deus scientiarū dñs est.] Audiat itaq; sciens, & arrogās, quia nō ipse scientiarum dominus est, sed deus. Nam recte gloriās diceret, si eius qui tumeret scientiæ, non omnipotens deus, sed ipse dominus extitisset. Audiamus B & nos, quando loquimur uerba seculi, quia deus scientiarum dominus est. Iam quippe electorum mentes non solū noui, sed etiam ueteris testamenti, scientia innouat, uenit nanq; qui diceret: Ecce noua facio omnia. Cum ergo tot noua habeam⁹, Esa.43 quæ loqui possumus, uetera loqui sine culpa nullatenus ualemus. Recedāt igitur de ore nostro uetera, ut cum damnatæ uetustatis culpa etiam à sermone compescitur, in noui hominis pulchritudinem transeamus. Quod profecto si contemnimus, audiamus. Et ipsi præparantur cogitationes.] Quasi à minori culpa, subintellecta comparatione, nos terreat, dicēs: Hinc ociosa loquentes cogitent, quam metuere culpā locutionis debeāt, C si is cui loquendo delinquit̃, etiā cogitationū excessus, ad iudicij sui examen seruat. Audiant item arrogantes, quod sequitur. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.] Iā quippe in allegorica expositiōe diximus, quia immundi spiritus horum fortiū appellatione designant̃. Qui nimirū quia à cœlesti gloria superbiendo ceciderunt, aptè elatis doctoribus ad terrorē̃ proponunt̃, ut de se tanto iam humiliter sentiant, quāto etiam angelos à superna gloria lapsos, per apperitum uanæ gloriæ contemplantur. Quod etiam redemptorem nostrum in elatis discipulis egisse recolimus, qui cum se subiecta dæmonia habere iactarent, ab eo protinus audiere. Videbam satan Lucæ10 quasi fulgur de cœlo cadentem. Arcus itaq; fortiū D superbia est spirituum malignorum. Dicuntur autem fortes, uel quia de se magna senserunt, uel q̃d humanum genus magnarum tentationum impetu uincant. Quem profecto arcum dum intentio impia tetendit, iacere malitiæ iacula supra se, in conditorem studuerūt. Ponā (inquit princeps eorum) sedem meam ad Aquilonem, similis ero altissimo. Sed superatus est arcus fortiū, quia deus apostatarū spirituū superbiæ restitit, de cœlo præcipitauit, conditionali gloria uirturis exuit, ut in lapsis angelis homo disceret, quid timeret. Nam quid de æreo uase fiet, si deus nec aureis superbiæ fœtore plenis ignoscit? Vnde & Petrus in epistola sua loquit̃, dicens: Deus peccantib. angelis non 2.Pet.2 pepercit, sed rudentib. inferni detractos in tartarū, tradidit in iudiciū reseruari. Quasi ergo electo & humilis prædicator superbientibus dicat: Vt

Esa.14

cessetis

ceſſetis ab elatione, in cõformibus uobis angelis, uidelicet lapſis, damnationis debitæ pœnas aſpicite. Et quos imitari debeant proponens, ait: Et infirmi accincti ſunt robore.] Si ob præſumptionem æſtimationis mali angeli fortes uocantur, infirmorum appellatio recte beatis ſpiritibus cõuenit, qui de ſe nulla præſumentes, uirtuti ſui opificis perpetua humilitate ſubiecti ſunt. Infirmi accincti ſunt robore.] Quia uoluntariæ ſubiectionis merito, ſancti angeli interni amoris uinculo, conditori ſuo cõiuncti ſunt. Quibus apertè accinctionis nomen congruit, quia accinctus quilibet, eo quo cingitur cinctorio, ex omni parte retinetur: quia uidelicet beatiſſimi illi ſpiritus ſic ſunt in æternitate ſolidati, ne ab ea cadere unq; poſſint.

Dan.10 Hinc eſt quòd ad Danielem in Babylonia prædicantẽ angelus mittitur, qui accinctus obrizo perhibetur. Apoc.1 Hinc eſt quòd angelus, cum quo in Apocalypſi Ioannes colloquiũ habuit, aurea zona ad mammillas circumdatũ cõſpexit: quia uero idem beati ſpiritus ab humilitatis merito, in amoris gloriam ſurrexerunt, ſed quia eandem gloriã in complexu æternitatis habent, & in timore amiſſionis non habent: glorioſi ſiquidem ineffabiliter ſunt, ſed ineffabilem illam gloriam amittere nunquam poſſunt. Vt itaq; deſinat gloriari, audiat arrogans.

Arcus fortiũ ſuperatus eſt. Et ut damnata culpa ſuperbiæ, proficiant in humilitate, dicitur ſibi. Infirmi accincti ſunt robore.] Robur nanq; infirmis impenditur, cum ſubiectionis merito mitibus infunditur uirtus ſupernæ charitatis. Accingimur etiam cum ad uerbi miniſterium præparamur. Bene itaq; accincti robore infirmi, in alta locutione gloriantibus præponuntur, quia ñ qui in miniſteriũ mittuntur ſpiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, priuſquam accingerentur ad miniſteriũ, humiles fuerũt. Ante enim memoratur infirmitas, pòſt uero accinctio roboris. Hos profecto nobis accinctos Paulus inſinuat,

Hebr.1 dicens: Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis? De quibus & Propheta e-

Dan.7 tiam loquitur, dicens: Milia milium miniſtrabant ei. Quaſi ergo dicat: Prius uos agnoſcite, et ſic uos ad aliorum ſalutem præparate: quia bonum prædicationis tunc bene implet, cùm prædicator qui ſublimis eſt uerbo, humilis eſſe ſatagit miniſterio. Sed quia ſuperbos & arrogantes prædicatores loquendo redarguit, ſubdit, dicens: Repleti prius, p panibus ſe locauerũt, & famelici ſaturati ſunt.] Repleti prius illi ſunt, qui dum tumoris cibos in mentis refectione ſuſcipiunt, delicias ſanctarum uirtutũ, uelut cibo iam pleni capere non poſſunt. Sed tamen pro panibus ſe locant, quia in ſcripturis, quas intelligunt, iuxta magnitudinem ſapientiæ, ſe percipere ſpiritualia munera uirtutum putant. Sed ſaturari nequeunt, quia repletioni arrogantiæ dona ſancti ſpiritus addere nequaq; poſ-

Sap.1 ſunt. Ipſe nanq; ſpiritus diſciplinæ effugit fictum, & non habitat in corpore pleno peccatis. Hinc e-

1.Pet.5 tiam ſcriptũ eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiã. Fruſtra ergo quæ dei ſunt, accipere geſtiunt, qui in eo quod ſuperbiunt, largitorem munerũ ſibi aduerſantẽ reddũt. Saturari ergo nequeunt, quia munera ſpiritualiũ gratiarũ non adipiſcuntur. Qui uero ſunt famelici, niſi à cibis uitiorum uacui, à tumore ieiuni? Famelici ergo ſaturati ſunt, quia ſancti uiri humilitatis arce prædíti, dũ de ſe alta non ſentiũt, alta uirtutũ dona promerentur. Nam per humilitatis bonum ſancti ſpiritus ſedes fiunt, quem dum in ſe manentẽ recipiũt, eius donis plenius replentur. Vnde & per Prophetam

Eſa.56 dominꝰ dicit: Super quẽ requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos. Valde ergo ſaturãtur famelici, quia in donorũ plenitudine, ſuper humiles ſanctus ſpíritus requieſcit. Quod tamen contra negligentes ſacri altaris miniſtros, atq; audaces dominici corporis ſuſceptores, dici nõ inconuenienter poteſt. Repleti uero prius ſunt, uitiorumq; cibo ſaturati, qui pro pane ſe locant, quia corpus ad ſuſceptionem euchariſtiæ præparant. Qui nimirum comedunt, & ſaturari non poſſunt: quia & ſi ſacramentum ore percipiunt, uirtute ſacramenti nequaquã replentur. A uirtute ergo illa ſacramenti ideo ieiunant, quia prius repleti fuerant. Salutis quippe fructũ non percipiunt in comeſtione ſalutaris hoſtiæ, qui ea, quibus ſe repleuerant, flagitia portãt in mente. Non ſaturantur ergo niſi famelici, quia à uitijs perfecte ieiunãtes, diuina ſacramenta percipiunt in plenitudine uirtutis. Et quia ſine peccato electi etiã uiri eſſe non poſſunt, quid reſtat, niſi ut à peccatis, quibꝰ eos humana fragilitas maculare deſinit, euacuari quotidie conentꝰ? Nã qui quotidie non exhaurit, q̃d delinquit, etſi minima ſunt peccata quæ cõgerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus inſinuans, ait: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane il- 1.Cor.11
lo edat, & de calice bibat. Quid enim eſt hoc loco ſe probare, niſi euacuata peccatorũ nequitia, ſe probatum ad dominicam menſam, & purum exhibere? De repletis etiam ſubdit: Qui enim manducat, & & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus, quia ipſa ſola uirtus eſt, quæ euacuat, quod in uentre animæ culpa coadunat. Et tunc uere famelici ſaturantur, quia quo ſtudioſius mundamur lamento pœnitentiæ, eo uberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in ſpiritali refectione. Quæ nimirum electorum ſaturitas, quia uſque in mundi finem extẽditur, ſubdit, atque ait: Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.] Quæ itaque huius appellatione ſterilis ſignatur: niſi ea, de qua Paulus loquitur, dicens: Quæ Galat.4
ſurſum eſt Hieruſalẽ, libera eſt, quæ mater noſtra eſt. Vnde & paulo poſt Eſaiæ uaticiniũ ei coaptauit dicẽs: Scriptũ eſt enim: Lætare ſterilis, quæ nõ Eſa.54
paris, erumpe, & clama quæ nõ parturis: quia multi filij deſertæ, magis quàm ei quæ habet uirũ. Sed quomodo Hieruſalẽ ſterilis, beatorũ ſcilicet ange-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lorum ſancta ſocietas intelligitur, cùm iuxta uocis ſuæ ſignificatū, de æterna pacis uiſione perenni gaudio ſit fœcunda? Sed ſi mater eſt electorum hominum, ſterilis profecto erat, quando humanū genus in Adā perierat. Velut enim parturire non potuit, cum eum in quo fœcunditatis ſuæ extendere ſinum debuit, lapſi ſpiritus ſuaſionibus amiſit. Tamdiu accinguntur infirmi, donec ſterilis pariat: quia angelorum humilium ualido miniſterio eouſq; indigemus, donec quotquot ad uitam præ
Matt.13 deſtinati ſunt de humano genere, uſq; in mundi fi nem colligantur. Mittet nanq; filius hominis angelos ſuos, & colligēt electos ſuos à quatuor uentis. Ad eos nanq; colligendos tunc mittendi ſunt, in quorum ſalute quotidie mittuntur: quia ad regnum non colligēt, niſi quibus per robur accinctio nis ſuæ nunc adiutorium præbent. Vſq; etiam in mundi finem famelici ſaturantur. Sed & bene plurimos hæc ſterilis parere dicitur: quia non omnes homines, ſed electi ſolummodo ad ęterna gaudia perducuntur. Aptè igitur etiā parere dicitur: quia angelorum miniſterio docemur ſuperna petere, ut ad eorum ualeamus bona peruenire. Sed dum hæc ſterilis parit, ea quæ multos habebat filios infirmatur: quia quo pleniora lucra electorum, per angelorum miniſteria ſuperna regna percipiunt, huius Babyloniæ filij minuuntur. Velut enim infirma in partu ſuo eſt, quæ inordinato amore rerum tranſeuntium (ut ſolet) filios gignere, nequa quam poteſt. Vbiq; enim iam cœleſtia regna prædicant, quæ profecto dum fidelium mentes audita diligunt, dum ea etiam bonis moribus inquirunt, uelut in partu ſuo Babylonia ſtringitur: quia mater noſtra Hieruſalem eos per orbem deo parturit, quos illa laſſo perditionis utero, parere gehennæ conſueuit. Quorum tamen accinctorū robur, non ipſis, ſed ei, à quo accingūtur, aſcribitur. Aptè itaq; ſubditur: Dominus mortificat, & uiuificat.] In quibus profecto uerbis, etiā ordo notandus eſt. Prius quippe mortificare dicitur, deinde uiuificare: quia niſi ſeculum amare deſiſtimus, deo per amorem uiuere non ualemus, Ioanne at-
1.Ioan.2 teſtante, qui ait: Qui diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Vnde & is qui ſe mortificatum, & uiuificatum, qui ſe proſtratum, & erectum meminerat, loquebatur, dicens: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Viuebat, ſed non mundi
Galat.6 uita, quia dicebat: Viuo iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. Non ergo accinctorū aliquis, ſed dominus mortificat & uiuificat. Mortificatū quippe, & uiuificatum eſſe, eſt præſentia nulla concupiſcere, & æterna deſiderare. Cui itaq; de his muneribus referendæ ſint gratiæ exponit, dicens:

Dominus mortificat, & uiuificat.] Vnde & fæ
1.Cor.3 pe iam nominatus gentium prædicator dicit: Neque qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat deus. Sed quo ordine omnipotens deus iſta in electis operetur, exponit, dicens:

Ducit ad inferos, & reducit.] Vt mortificet quippe ducit ad inferos, & ut uiuificet, reducit ab inferis. Omnipotēti enim deo ad inferos ducere, A eſt peccatorum corda æternorum cruciatuū conſideratione terrere. Et quoq; ab inferis reducere, eſt territas pœnitentium, atq; cōmiſſa lugentium mentes, ſpe uitæ indeficientis attollere. Tūc quippe peccare deſinimus, cùm ſuperna gratia mollitis cordibus, futura tormenta formidamus. Et ab inferis reducimur, cum interno uiſitati ſolatio, ad ſpem ueniæ, de pœnitentiæ lamento reſpiramus. Aptè itaq; dominus ducere ad inferos, & reducere dicitur: quia humana duritia in hominis ſolius prædicatione, nec terrore concutitur, nec amore ſubleuatur. Nam ſi doctorum eſſet mortificare, quotquot eorū prędicatio tangeret, peccare deſinerent, & ſi eorum eſſet uiuificare, quicūq; ab eis cœleſtia audirent, ad ea nos protinus omni conaB tu perquirenda, intimi affectus ſui amor accenderet. Nunc autem cùm ſæpe peccatoribus æterna ſupplicia minentur, cùm ea quæ poſſunt eis cœleſtia bona prędicent, & nec ſupplicia metuant, nec læta cōcupiſcant, clamemus Annę uocibus in laudibus dei, & ei etiam illud quod per eos quidam proficiunt imputantes, dicamus: Dominus mortificat, & uiuificat.] Dominus itaq; ducit ad inferos, & reducit: quia illi poſſunt futura tormenta metuere, illi ſuperna gaudia diligere, in quibus per eas uoces, quas foris homo loquitur, intus dei pietas operatur. Eſt autem in quo ſeſe quiſq; cognoſcat, ſi iam ad inferos ductus, & reductus ſit, ſi mundo obijt, cœlis uiuit: nam ſi electus eſt, proficit. De eodem uero profectu ſubdit: Dominus
C pauperē facit, & ditat.] Seculi diuites idcirco de larga facultate gloriantur, quia alto & incomprehenſibili iudicio dei cœleſtia eis bona abſcondita ſunt. Dominus itaq; facit pauperes, quia dum æterna electis bona inſinuat, eo ſe pauperiores tenent, quo à ueris ſeſe diuitijs pulſos uident. Vnde & rex ille, qui ſeculi poſſeſſione latiſſimus erat, quia ei ueras diuitias dominus oſtenderat, clamabat ad eum, dicēs: Reſpice in me, & miſerere mei, Pſal.24
quia unicus & pauper ſum ego. Hinc propheta Hieremias, electi cuiuſq; illuminationē in ſe exprimens, ait: Ego uir uidens paupertatē meā. Pau Hier.3
perem itaq; domino facere, eſt in cōtemplatione bonorū perenniū, electorū mentes ad contemptū rerum omnium uiſibilium excitare. Sed cui ſumD ma reuelat, quia eadē ſumma, diutius laboris precio ſint quærenda, inſinuat, dicat quia qui pauperes facit, etiā ditat: quia nimirum dum ab omnipotenti deo bonorum cœleſtium cognitionem percipimus, ab ipſo etiam uirtutem conſequimur, ut digno pro eis labore certemus. Bene autem ſubditur: Humiliat, & ſubleuat: quia in cōtemplatione cœleſtium, quàm abiecti ſunt in terra, conſpiciūt: ſed in eadem abiectione temporalis inopiæ, per dei gratiā meritorū ſe pennis ſubleuāt ad gaudia perennis uitæ. Humilitatē ergo percipiunt, in æſtimatione exilij, ſublimitatem uero, in præparatione ſanctæ operationis. Sequitur: Suſcitās de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, ut ſedeat cum principibus.] Puluis nanq; eſt ſubtilis deliberatio cogitationis illicitæ, quæ eam

mentem

mentem, cui insederit, fœdam reddit. Quid nanq; in stercore, nisi fœda perpetrataq; flagitij audacia designatur? Vnde & propheta uitam carnalium
Iod.1 cœno fœdi operis obrutam intuens, ait: Computruerunt iumenta in stercore suo. Apta igitur serie, dona dei in flagitiosorum conuersione numerantur. Prius nanq; suscitatur de puluere egenus, quàm pauper de stercore: quia à corde ante deliberatio immundæ cogitationis abscinditur, & postmodum ab actione culpa resecatur. Aptè quoq; suscitari de puluere egenus dicitur, pauper de stercore erigi: quia intus praua deliberans, dormit à contemplatione iustitiæ, foris illicita perpetrans, in iniquitate per actum iacet. Et quia iam cum fortibus, de malignis spiritibus trophæa consequitur, suscitatus egenus, & erectus pauper quid mereatur exponit, dicens: Vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Sedere quippe triumphantis est. Vnde & in Apocalypsi Ioannis, uictoriæ nostræ dignitatem dominus ostendit, dicens: Qui uicerit faciam eum sedere in throno meo, sicut & ego uici, & sedi cum patre meo, in throno eius. Quod & Paulus intuens, suscitationis atq; sessionis nostræ dona, in dei laudibus numerans, ait: Conresuscitauit, & consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Cum eo itaque principes sedent: quia qui eius auxilio malignorum spirituum uires reprimunt, in eorum triumpho dignitatem sessionis habent, quibus ex præsidentis sibi uirtute dominantur. Cũ eo item principes sedent: quia etsi stare per corpus in hac uitæ labentis ærumna cernuntur, meritorum tamen sedem cum redemptore in sublimibus habent, à cuius conformitate claritatis, nec in ista fœditatis ualle separantur. Egeni quoq; rebus, & pauperes sunt, qui propter euangelium ea quæ in seculo habere poterant, cuncta reliquerunt. Qui certè ut cum principibus possint sedere, de puluere suscitari debent, & de stercore erigi. Quid enim fauores linguæ, quid sunt aliud labentium dignitatum infulæ, nisi puluis? Nam eam, quam blandiendo sordidant, à ueris splendoribus mentem cæcant. Et quid diuitiæ pereuntes, & transitoriæ facultates, nisi stercora, æterna diligentibus sunt? Stercora quippe sunt, quæ sanctæ animæ in contemptu uilitatis habent, non in appetitu desiderij. Vnde & Salomon in amissione bonorum temporalium cõtristatum seculi diuitem intuens, ait:
Eccl.14 De stercore boum lapidandus est piger. Quasi dicat: De eo uerbera doloris sustinet, quod is, qui pro æterna uita laborare appetit, uelut stercora cõtemnit. Hinc Paulus ait: Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. De puluere itaq; egens suscitatur, & de stercore pauper erigitur, cum mens seculo abrenuncians, quicquid sibi placere solebat de linguæ humanæ fauoribus, de honore dignitatum, & de abundantia rerum calcat, dum ad sola æterna respicit, quæ sola ardenter amat. Ei nanq; suscitari, & erigi est, ea quæ corpore derelinquit mentis sublimitate despicere. Et cum principibus ei sede re est, supernæ patriæ ciuibus per gaudium æternæ quietis interesse. Qui certè tunc gloriæ solium tenet, quia qui tam sublimiter præsidet, à conditoris sui laudibus nunquam silet. Hanc nanq; gloriæ sedem Psalmista admirans, domino loquitur, dicens: Beati qui habitant in domo tua domine, in Psal.83
secula seculorum laudabunt te. Hanc sedem gloriæ Esaias prædicat, dicens: Gaudium & lætitia Esa.51
inuenietur in ea, gratiarum actio, & uox laudis. Hanc item sanctus Tobias ostendens, ait: Ex om Tob.13
ni lapide precioso, & mundo plateę eius sternentur, & per omnes uicos eius halleluia cantabitur. Sed ea quæ sequuntur ereptus pauper aspiciat: quia ad principum sessionem, ad gloriæ solium non statim ut fuerit erectus, adducitur. Domini (inquit) sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.] Qui à terræ nomine peccatores in sacro eloquio designantur, cardines terræ ij accipi conuenienter possunt, in quibus per inepta desideria seculum circuit, & de alio, ad alium ducit. Cùm igitur conuersos peccatores aspicimus, in laudẽ creatoris, his Annæ uerbis erumpamus. Quasi enim alijs uerbis tunc dicimus: Iam domini esse per eius gratiam cœperunt, qui diu in rota rerum transeuntium, per mundi concupiscentiam tenti sunt. Et cum iam derelictis uitæ secularis blandimentis, fortia tentamenta fortiter tolerant, dicamus, Posuit super eos orbem.] Orbem quippe super eos posuit, qui antequam eis imponeretur, sub eis fuit. Nam eum iam in onere tentationum habent, qui eis blandiendo uelut subiectus seruiebat, cum in eo delicias et uoluptates sequendo recumberent. Et quia magnas ex eo tentationes habent, qui magna in illo oblectamenta habuerunt, adiungitur: Pedes sanctorũ suorum seruabit.] Quibus profecto uerbis sic auxilium diuinę protectionis, propitiationisq; ostenditur, ut pericula tentationum grauia designentur. Quasi etenim dicat: Tam grandia de eo, cui adhæserant seculo tentamenta sustinent, ut solus ad adiuuandũ ille sufficiat, qui deesse fidelibus suis in tribulatione non potest. Pedes nanq; sanctorum suorum seruare est, concussos in tentatione affectus electorum, ne corruant, per gratiam roborare. Vnde & qui ad casum nutauerat, & tamen à domino conseruatus erat, Propheta dixit: Mei autẽ penè moti sunt Psal.72
pedes, penè effusi sunt gressus mei. Hinc iterum pulsus sum, & euersus sum, ut caderem, & domi- Psal.117
nus suscepit me, fortitudo mea, & laudatio mea dominus, & factus est mihi in salutem. Et de hostium infirmitate subiunxit, dicens: Et impij in tenebris conticescent.] Quid est autẽ quòd cum seruare sanctorum pedes dominus dicitur, silentium memoratur impiorum, nisi quia ad peccati lapsum nequaq; impellimur, nisi cum peruersa nobis malignorum spirituum tentamenta suggerun tur? Cũ ergo pedes nostros dominus seruat, in tenebris tacent impij: quia dum gratia diuina protegimur, uocem, qua nos prȩcipitent, dare nobis immundi spiritus nequaq; possunt. In tenebris quippe tacent, quia caliginosa reproborũ corda possident

Universidad de Deusto
Biblioteca

dent, à quorum ad nos progredi obscuritate non audent. Quare autem sanctorum pedes seruet, exponit, dicens: Quia non in fortitudine sua roborabitur uir.] Quasi dicat. Idcirco tenet: quia sine ipso stare non possent. Nam etsi uir uirtutis agnoscitur, in fortitudine sua timorē lapsus habet, status robur non habet, & toties illic ita concupiscendo labitur, quoties interna eius uestigia à domino tenente deserūtur. An uero non uir erat cui
1.Reg.18 in iuuencularum choro cantabatur: Saul percussit mille, & Dauid decem milia? Qui nimirū cùm inter onera, fortitudini suæ relinquitur, in carnis suæ culpā impulsus corruit: atq; in se expertus est, quia uir in se non habeat statū roboris, sed lapsum infirmitatis. Vnde & relabi metuens, eum à quo
Psal.118 teneri ad statum debeat, exposcit, dicens: Non me derelinquas usquequaq;. Nemo ergo se fallat, qua si in se robur standi inueniat: quia etsi magna sępe occultorū hostium bella superamus, si dignè eos in suis suasionibus reprobando, uelut in fugā uersos insequimur, non nos tunc refugi spiritus, sed eum, quem in nobis aspiciunt, expauescunt. Vel certe si nos etiam timent, idcirco profecto timēt, quia in diuinæ gratiæ robur assumptos uident. Aptè ergo subiungitur: Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit.] Cœli nanq; tunc sumus, cum in altitudinem diuinæ gratiæ, præsidentis nobis, subleuamur. Et tonitrua cōtra eius aduersarios habemus, cum uidis sanctorum desideriorū uocibus, omne quod nobis de eorū suggestione spirat, elidimus. Quicquid enim tonitruum ferit, interficit. Tonitrua ergo cœlorum, sunt perfecta desideria electorum. Nam uelut à cœlorū altitudine terribiliter sonando prodeunt, cùm ab eo mētis culmine malignos spiritus feriunt, cui omnipotens deus sic prędet, ut amore præsidētis facile superet omne quod ad pugnam moueri poterat hostis audacia mala sug-
Matt.10 gerentis. Sed prędmonente redemptore nouimus, quia qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit: eodem quoq; domino promittēte, didicimus.
Ezech.18 Quia quacunq; hora peccator conuertitur, saluus erit. in extremo itaq; sui cantici addat Anna, & dicat, unde peccantē terreat: dicat, quo iustum cautiorem reddat. Dominus inquit, iudicabit fines terræ.] Non ait terram, sed fines terræ. fines quippe terræ sunt qui uitæ suæ ultima cum culpæ perpetratione clauserūt. Nam qui peccat, & corrigit quod deliquit, terra est per peccatū, & fines terræ non est, quia delinquendo, redemptionis suæ alta deposuit, sed ab imo depositionis suæ ante iudicium resurrexit. Fleuit nanq; quod fecit, & uenturum iudicem eo lætius sustinet, quo in damnatione terrenitatis, per pœnitentiā ipse in se flagella ultionis tenet. Quia ergo fines terræ dominus iudicat, conuersus peccator ad dominum priora sua, siue media, non expauescat. Quia item fines terræ dominus iudicat, iustus inchoata iustitia, nō præsumat. Nā si hunc ab ea, qua cadere potest adhuc æquitate, labentē subito mors intercipit: quia in suis extremis culpa clauditur, finium terræ lege iudicatur. Sequitur: Et dabit imperiū regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.] Hoc profecto superius quia ad redemptorem retulimus, in huius quoq; explanationis ordine non mutamus. Ipse Ephe.2
nanq; est pax nostra, qui fecit utraq; unū. Ipse quo 1.Pet.2
que est lapis angularis, in quo dum electorum paries uterq; copulatur, æternæ ciuitatis structura disponitur. Teneat itaq; morem suum locutio nostra, ut prolato iam sacri cantici & morali, & allegorico intellectu, in eo uterq; conueniat, quem fide credimus, moribus promereamur.

Caput II

Sequitur enim diuinus sermo, & dicit: Et abijt Helcana in Ramatha, in domum suam.] Quem profecto uirum humani generis redemptorem, Annam uero coniugem eius ecclesiam, puerū Samuelem credentium de gentibus populum, Ramatha quoq; ciuitatem cœlestem patriam designare ostendimus. Quid ergo est, quod post coniugis canticum, abijsse in Ramatham ciuitatē suam Helcana dicitur, cum post natum puerū, deo canticū Anna dixerit, atq; ante ad cœlos redemptor ascenderit, quàm gentilem populum sancta ecclesia in fide genuisset? Quod profecto ab eis solummodo quæritur, qui tantum domini nostri corporalem præsentiam scire noscuntur. Nunquid enim tunc non eum secum Paulus habebat qui ad
patrem ascenderat, cum dicebat: An experimen- 2.Cor.13
tū quæritis eius qui in me habitat Christus? Qui
item fatetur, dicens: Sicut ex deo, coram deo, & 2.Cor.2
Christo loquimur. Quid est ergo quod sanctæ ecclesiæ aliquādo affuit per gratiā muneris, aliquando ei se subtraxit per dispēsationem probationis? Affuit nanq;, ut in acquisitione gentium uitæ uerba abundanter affunderet. Sed aliquādo ei uelut absens se abscondit, ut uerbi munere sublato, cognosceret sine eius præsentia qualis esset. Post finē itaq; cantici, dicitur: Abijt Helchana in domum suam: quia sancta ecclesia ex eius præsentia alta prædicat, qui cum mortalibus per dispēsationem se subtrahit, æternis se ciuibus iugiter repræsentat. Domus nanq; sua illa supernorū ciuiū, (quam amando, replendo, & sociando dominus inhabitat) æterna societas est. In eam igitur uadit, cū Annam deserit, quia qui se nobis adhuc proficientibus salubriter subtrahit, perfectis atq; consummatis, æternæ patriæ ciuibus, eo se incessanter iungit atq; exhibet, quo probari iam probatos eius absentia, ulterius non oportet. Aptè itaq; post Annæ canticū, dicitur: Abijt Helchana in domū suā, quia sancta ecclesia, quæ tā sublimia electos edocet, sicut pia semper domini dispēsatione deserit, ita & eadē alta, quæ doceat nō semper habet. Sed plericq; uerba uitæ audiunt, pręteritā malitiā detestantur, & correctioris uitæ opera proponunt, sed cum audire desierint, ac si nunquam eadem uitæ uerba audissent ad iniquitatem redeunt: auditor sanctæ ecclesiæ gentilis populus, deuotus ad audiendum fuit, & ad operandum promptus. Aptè

itaq;

itaq; subditur: Puer autem Samuel erat minister in conspectu domini, ante faciē Heli sacerdotis.] Ac si aperte diceretur: Ex eo quod audiuit, omnipotēti deo placere studuit. Qui aptè puer dicitur: quia & si grādia pro defensione fidei nostræ agenda susceperat, tamen in eadem fidei generatione adhuc nouus erat. Et quia placidum omnipotenti deo ministerium prębuit, minister in conspectu conditoris fuit. In conspectu etenim domini est, quem in oblatione obsequiorum, diuina dignatio libenter aspicit. A quo nimirum domini conspe-
Psal.50 ctu expelli ualde metuens quis, orat, dicens: Ne proijcias me à facie tua. In quo item recipi uehementer cupiens, dilationis suæ moras secum repu-
Psal.61 tat, dicens: Quando ueniam & apparebo ante fa-
3.Reg.17 ciem dei. Hinc Helias gloriatur, & ait: Viuit dominus in cuius conspectu sto. Minister itaq; erat Samuel in cōspectu domini, quia in nouæ religionis obsequijs, omnipotenti deo gentilis populus ualde acceptus fuit. Quo nimirum uerbo Iudææ quoq; repulsio latenter innuitur, dum solus Samuel, in quo gentiū fidelis populus exprimitur, ante dominum ministrare perhibetur. Solus itaq; in eius conspectu erat, quia profecto ei Iudaicus populus placere desierat. Quod utrunq; per Malachiam dominus loquitur. Nam Iudææ repulsio-
Mala.1 nem insinuans, ait: Non est mihi uoluntas in uobis, & sacrificium non suscipiam de manu uestra. Sed qui à facie sua Iudaicam perfidiam expulit, quem libenter intueatur, subiungens, ait: Ab ortu solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Sed subtiliter est uidendum quod dicitur: Ante faciem Heli Samuel domino ministrauit: quia prædicatorum sanctæ ecclesiæ ministerium, gentilis populi conuersionem, amorem, & reuerentiam circa redemptoris obsequium, ueterum ordo doctorum longe ante uidendo, cognouit, & prophetando prædicauit: Hunc nanq; pronum in domini ministerio nouerat, qui dice-
Psal.71 bat: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Hinc Aggęus loquitur, dicens:
Aggeæ.2 Veniet desideratus cunctis gentibus, & replebi-
Esa.11 tur gloria domus domini. Hinc Esaias dicit: Erit radix Iesse, qui exurget regere gentes, in ipsum
Psal.116 gentes sperabūt. Hinc Psalmista ait: Laudate omnes gentes dominum, & collaudate eum omnes
Gene.49 populi. Hinc patriarcha Iacob ait: Ipse erit expectatio gentium. Ante faciem ergo Heli minister domini Samuel puer fuit: quia quod dignum deo postmodum gentilis populus habuit, doctorum ordo ueterum per prophetiæ spiritum præuidit. Et statim de proiectis subditur: Porrò filij Heli nescientes dominū, & officium sacerdotis ad populum.] subaudis erant. Qui nanq; filij Heli sunt alij nisi Israelitæ secundum carnē, qui scripturam sacram nouerāt à patribus æditam, & tamē quem scriptura promiserat, nesciebant? quos nimirum per semetipsam ueritas in euangelio increpat, di-
Ioan.8 cens: Abraham exultauit ut uideret diem meum:
Ioan.5 uidit & gauisus est. Et item: Si crederetis Moysi, A crederetis utiq; & mihi, de me enim ille scripsit. Nescierunt ergo dominum, qui uenientem in carne nostra redemptorem spreuerunt. Vnde & per Esaiam queritur, dicens: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit. Quasi dicat: Et incarnationis meæ uias ei longe ante per prophetas aperui, & tamē id quod promiseram, exhibitum non accepit. Quare & officium sacerdotū ad populum nescijt. Officiū sacerdotale quippe cognosceret, si ad redemptionem humani generis eum, qui à lege & prophetis fuerat promissus, iam uenisse prædicaret. In quem profecto quia non solū non credidit, sed etiam persequendo insaniuit, & dominum nescijt, & ad populum officiū sacerdotum. B Cuius tamen malitia minor esset, si qui prodesse minoribus redemptoris aduentum prædicando noluit, nocere timuisset. Sequitur ergo, & dicit:

Esa.1

Sed quicunq; immolasset uictimam, ueniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat in lebetem, uel caldarium aut in ollam, siue in cacabum, & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdotibus.] Quid enim est immolare uictimam, nisi ueræ fidei omnipotenti deo offerre confessionem? Et quid uasa, in quibus immolando caro coquitur, nisi fidelium mentes sunt? Quæ dum mediatorem dei, & hominum Christum Iesum esse uerum summi patris unigenitum credunt, nimirum in his caro coquitur, quæ deo per C deuotionis intimæ obsequium immoletur. Quis puer sacerdotis est alius, quàm perfidis synagogæ pastoribus per obsequium subiectus populus? Qui aptè puer dicitur, quia dum infirma legis ad literam tenere maluit, in uirum perfectum crescere per euangelium recusauit. Quid uero est, quòd ad inferendos ciborum raptus destinatur? Quid est iterum, quod in illata uiolentia, tenere tridentem fuscinulam dicitur? Sed cibus electæ animæ persona est redemptoris. Qui profecto cibus in sacris uasis coquitur, dum per calorem sancti spiritus ad suauitatem refectionis, in electis mentibus præparatur. Caro etenim coquitur, dum per spiritus sancti gratiam, humanitatem dominicam in diuinitatis naturam assumptam, D & firmiter credimus, & efficaciter confitemur. Vnde & per Moysen agni paschalis carnes comedendas insinuat, dicens: Non comedetis ex eo cru- Exod.12
dum quid, aut coctum aqua. Crudum quippe ex eo manducare est, præter spiritus sancti gratiam, redemptorem nostrum purum hominem credere. Aqua uero coquitur, cum redemptoris essentia, per humanam sapientiam uentilatur. Crudum ergo Iudæi comedunt, aqua coctum hæretici: quia illi eius diuinitatē negant, isti per humanam sapientiā & diuinitatis & humanitatis eius sacramenta euacuant. Puer itaq; sacerdotis, ad tollendum fidelium cibos mittitur: quia Iudæorum populus à fide redemptoris expulsus, amorem fidei eius à corde fidelium auferre uehementer studuit. Qui aptè fuscinulā tridētē in manu habuisse perhibetur

hibetur, quibus carnis partẽ, quam posset infigere, eductam coqui prohiberet. Fuscinula quippe in manu pueri, illata sanctę ecclesiæ Iudaici populi persecutio est. Et quia blandimentis, pœnis, atque terroribus nocere fidelibus tentauit, tres utique fuscinula dentes habuit. Bene autem dicitur, quia quod leuabat fuscinula, tollebat puer sacerdotibus: quia magna epulatio iniquorum prælatorum erat, si eum blandientium, siue furentiũ satellitum turba subuerteret, quem in fidei nostræ sublimitate stare per confessionem cognouissent. Sequitur: Sic faciebant uniuerso Israeli uenienti in Sylo, etiam anteqũ adolerẽt adipem.] Adeps quidem interna pinguedo est, in qua nimirum illa deuotio mentis exprimitur, qua electorũ mentes conditori suo in perfectiori charitate copulantur. Qui recte iam cocta carne immolant: quia assurgere quis ad sublimitatem charitatis non poterit, nisi prius quæ credit amet mysteria incarnatæ diuinitatis. Humanitatem quippe domini Iesu in diuinitatem assumptam, per sanctum spiritum credere, quæ immoletur deo, carnẽ coquere est. Ante igitur quam adoleretur adeps, puer carnẽ præripere studuit uniuerso Israeli: quia apparitores synagogæ nouos Christi confessores putauerunt euertere, prius quàm eos omnipotenti deo charitas perfecta sociaret. Quod apertius ipsa sacræ historiæ uerba indicant, quibus dicit: Dum coquerentur carnes.] Per quæ nimirũ uerba, non perfectio coctionis, sed apparatus innuitur. Sed ordo nefariæ huius actionis ostẽditur, per ea, quæ sequuntur: Veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem ut coquam sacerdoti, non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.] Carnẽ crudam puero daret, qui coram persecutoribus humanitatem Christi puram assereret, & eam puer sacerdoti coqueret, quia per ignem malitiæ Iudaicus populus hoc putaret, quod eius prælati in mentis suæ refectione libenter exciperent. Venit ergo puer sacerdotis, & crudam carnem petijt, quando Iudaicus populus literæ legis seruiens, diuinitatem redemptoris negare fidelibus suggessit. Veniens ergo, dicit: Non accipiam à te carnem coctam, sed crudam.] Quia quem purum hominem fidelis compulit confiteri, esse deum nec audire uoluit. Cuius profecto populi importunitas ostenditur, cum uerba sacrilega in nefaria exactione geminant. Nam sequitur: Non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam,] quia Iesum dominum, ac redemptorẽ nostrum, non dominũ, & hominem, sed purum tantum hominem audire ualde desiderauit. Sed quos quasi imperfectos in carne tentauit, perfectos reperit. Nam qui diuinitatem redemptoris negare compulsi sunt, non solum redemptorẽ noluerunt negare, sed compulsores suos curabant ad uitam trahere. Vnde & sequitur: Dicebat itaq; illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi, quantũ desiderat anima tua.] A bestiali siquidem appetitu, cruda postulantem, auertere nititur, qui ei ad libitũ cocta pollicetur.

A Quasi male esuriẽtibus Iudæis, sancta ecclesia responsum præbeat, & pro humanitate simplici, quẽ uorare per desiderium cupiunt, diuinitatis cibum repromittat, dicẽs: Prius coqui sinite, quod ad refectionem uitæ habeatis in spiritu sancto intellectum. An non tunc puer sacerdotis crudam carnẽ petijt, cum illuminato à domino eo, qui cæcus fuerat natus, diceretur? Da gloriam deo, nos scimus quia hic homo peccator est. Quid est dicere da gloriam deo, nisi non huic curationis tuæ laudes tribuas, quia deus non est. Et quia peccator asseritur, non solum deus esse negatur, sed etiam homo iustus. Cui profecto crudam, quam petebat, carnem præbere noluit, coctam obtulit: quia quẽ salutis suæ authorẽ instanter asseruit, ex ostenso tan Ioan.9
B tæ admirationis signo, non solum hominem sanctum, sed uerũ deum esse monstrauit. Qui autem sequi bestias, amissa ratione populus cœperat, crudam sibi carnem exhiberi importunè postulabat. Nam sequitur: Nunc dabis, alioquin tollam tibi ui.] Sequitur: Erat enim peccatum puerorum grande nimis corã domino.] Et causam, qua grande fore hoc peccatum demonstraretur, adiungit, dicens: Quia detrahebant homines à sacrificio domini.] Grande nimis peccatum esse cognoscitur, quod pœnitẽtiæ lachrymis non deletur. Hoc nanq; nimis grande peccatum synagogæ prophe
ta innuens, ait: Peccatum Iudæ scriptum est stylo Hiere.17
ferreo, ungue adamantino. Vel certe grande nimis coram domino peccatũ erat: quia ad pecan-
C dum alios pertrahebat. Quare & subditur: Quia detrahebant homines à sacrificio domini.] Detrahebant quippe à sacrificio homines: quia ad confessionẽ rectæ fidei progredi infirmorũ corda prohibebant. Et notandum quia qui detrahuntur à sacrificio, homines dicuntur: quia nimirũ si in fidei nostræ uera confessione persisterent, hos diuinus sermo filiorum dei appellatione signaret. Quibus profecto per Psalmistam dominus dicit: Ego dixi Psal.81
dij estis, & filij excelsi omnes, uos autem sicut homines moriemini. Sequitur autem: Samuel autem erat ministèr in cõspectu domini, puer accinctus ephod lineo.] Subtilior quàm lanea uestis linea esse cognoscitur. Apte autem Samuel lineo ephod indutus asseritur, per quem sacerdotum or-
D do electus ex gentibus designatur. Nam in comparatione legalis uitæ, noua euangelij cõuersatio lini subtilitas est. Ibi enim aliquid animale præceptum est, ibi omnis maledicitur, à quo semina pro paginis in Syon nulla relinquuntur. In nouo autẽ testamento, quia subtiliora sunt omnia, quisquis eius præceptis utitur, uelut delicatiori lini ueste decoratur. ibi quippe connubij abstinentia damnatur, hic miris laudibus colitur. illic sacerdotes carnaliter generant, hic fructum spiritalis propaginis tanto copiosius afferunt, quanto etiam per coniugale bonum, pudicitiæ detrimenta sentire non possunt. Bene autem dum Samuelis uestis exponitur, linea fuisse perhibetur, ut noui sacerdotij gloriam apertè ostenderet, quod nouæ pudicitiæ nitoribus splenderet. Sed dum in conspectu domini

mini esse minister Samuel dicitur, ephod lineo accinctus memoratur: quia diuina obsequia tunc bene exhibentur, cum exhibentis persona, carnalis uoluptatis sordibus non fœdatur: & acceptũ deo tunc est munus ministerij, cum per sanctæ conuersationis munditiã deo placita est persona ministri. Et quia inter primordia nouitatis suæ proficiebat, adhuc sequitur: Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat ei, cum ascendebat cum uiro suo, ut immolaret domino hostiã solennem.] Sanctæ ecclesiæ hostiam immolare est, per eloquia prædicationis, auditorum suorum corda in amorẽ conditoris accendere. Tunc itaq; Samueli parua uestis delata perhibetur: quia dum adhuc per nouitatis suæ incremẽta proficeret, ab ecclesia apta suæ paruitati accepit monimenta iustitiæ, cuius splendore radiaret. Sequitur: Et benedixit Heli Helchanæ, & uxori suæ, dicens: Reddat tibi dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod cõmendasti domino.] Quia in persona Heli sacerdotis etiam boni doctores populi ueteris designantur, Helchanæ, & uxori eius benedixisse cognoscitur: quia nimirum eorundem ueterum doctorũ ordo, Christi & sanctæ ecclesiæ spiritalem copulam præuidit, & eorum electorũ prolem futuram, cœlo dignam, cum deuotione prædicauit. Quod quamuis longe anteactũ fuerit, tamẽ tunc se eis sic benedixisse innotuit, cùm reuelata iam nostræ redẽptionis gratia, credere unusquisq; fidelis poterat, quia tot bona patres nostri ueteres de hac renouatione præcinebant. Et ut ordo, quo fiebat, agnoscatur, subiunctum est. Et abierunt in locum suum.] In locum suum cum uiro suo sanctæ ecclesiæ abire, est uitæ actiuæ molestias interdum fugere, & supernæ uitæ gaudijs per contemplationem uacare. Puerum quippe ad horam reliquerat mater illa, quæ dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Si cum puero erat, quando eundem egregium doctorem usq; ad tertium cœlum uis amoris extulerat? Si tũc erat cum puero, quando in paradiso exceptus, uerba, quæ non licet homini loqui, audiebat? & in locum suum rapiebatur, quia ostẽdit, dicens: Non habemus hic manentem ciuitatẽ, sed futurã inquirimus. Sed quæ cum uiro abibat in locum suum, reuerti hanc materna uiscera cogebant ad filium. Nam loquebatur & dicebat: In carne manere est mihi necessariũ propter uos. Sequitur: Visitauit ergo dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.] In tribus filijs perfectiores quiq; sanctæ ecclesiæ designati sunt, qui pro fide Trinitatis fortia semper egisse cognoscũtur. Sed si solos perfectos sancta ecclesia gigneret, nostra infirmitas ad æternæ uitæ præmia peruenire non posset. Robur ergo filiorum, duarum filiarum fragilitas sequitur: quia sancta ecclesia etsi contra superbientẽ hostem humani generis fortes protulit, tamen ad æternę patriæ gaudia etiã infirma eius membra per duo charitatis præcepta perducuntur. Et quia in inchoationis suæ initijs non semper mansit, quisquis eo tempore eruditi ad sacerdotale ministerium eœ-

A perat. Sequit: Et magnificatus est puer Samuel in conspectu domini.] Quo in loco ualde notandum est, quòd puer Samuel dicitur, & magnificatus. Sed & cum magnificatus asseritur, hoc uirtutis suæ præconium non in conspectu hominum, sed in conspectu domini habere perhibetur. Cur puer nisi quia humilis? Et cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionis erat celsitudinẽ sublimatus? Puer itaq;, & magnificatus in conspectu domini Samuel dicitur, quia nouus ordo prædicatorum, etsi ad magnæ cõuersationis celsitudinem peruenit, humilitatis suæ uirtutem non perdidit. Magnificari quippe ante deum non prodesset, si puer esse desisteret, quia amissa humilitate placere omnipotenti deo de conuersationis altitudine
B non ualeret. Denicq; magnificati iam fuerant, qui in nomine Iesu ab obsessis dæmonia eijciebãt, sed quia pueritiæ suæ bonum perdiderant, hos ueritas arguit, dicens: Videbam Satanam quasi fulgur Lucæ 10
de cœlo cadentem. Hinc iterum denuncians, ait: Nisi conuersi eritis, & efficiamini sicut paruuli, Matt. 18
non intrabitis in regnum cœlorum. Quia ergo nouorum prædicatorum uita & sublimis est merito, & plana per humilitatem, Samuel aptè magnificatus, & puer asseritur. Et quia ex utroq; ualde accepti deo sunt, magnificatus non simpliciter, sed in
C conspectu domini fuisse perhibetur. Sequitur:

Heli autẽ erat senex ualde, & audiebat omnia, quæ faciebant filij sui in uniuerso Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.] In persona Heli non solum uetus sacerdotium, sed etiam antiquorum patrũ doctrinæ figurantur: quia ex hoc quod spiritali dignitate præfuit, hoc suscepit officij, ut salutari prædicatione instrueret, pro quibus placabiles hostias domino offerret. Quid est ergo quòd Heli senex asseritur, nisi quia in reproborũ iudęorum cordibus uis infirmabatur cœlestium mandatorum? Iuuenis quidẽ fuit Heli, quandiu sacra scriptura in electis synagogæ uim magnæ authoritatis obtinuit, quia uidelicet promissiones uenturi redemptoris acceperat, & eum cum magno desiderio expectabat. Tunc ergo Heli senuit, quando Iudæa deuotionem obseruandæ promissionis amisit, ut desideratum à patribus suis redemptorẽ,
D coram se miraculis se probantem cerneret, & omnino cæca, in tanta eius luce, de ueritatis præsentia dubitaret. Valde etiam fuisse senex dicitur, ut profecto omnis uis fidei in synagoga emarcuisse doceatur. Verè autẽ dicimus, quia si ualde senex erat Heli, omnino debilis uiuebat. Quid eñ tunc erat seni scripturæ uiuere, nisi debilem ualde aspirationem fidei synagogæ ministrare? Senex quidem ualde esse, & uiuere poterat, cum Iudæorum corda nutabant, ut dominũ Iesum nec redemptorem uerum esse crederent, nec quasi blasphemum aperte damnarent. Huius nanq; senectutis debilitatem euangelista Ioannes ostẽdit, dicens: Alij di- Ioan. 7
cebãt quia bonus est, alij uero non, sed seducit turbas. Hinc Iudęi ipsi calliditatis suæ uersutiam proferentes, dicunt: Vsquequo animas nostras tollis, Ioan. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

si tu es Christus, dic nobis palam. Hinc itē dicunt: A
Matt.12 Magister uolumus à te signum uidere. Sed Heli
ualde senex audiuit omnia quæ faciebant filij sui
uniuerso Israel. Audiuit certè hęc, ga nouit. Quod
autē cognoscimus, intra aulas memoriæ clausum
tenemus. Consulta uero sacra eloquia, intra se om
nem Iudæorum perfidiam scriptam, foris profe-
runt, & uelut diu seruatam memoriter, ostendunt.
Huius profecto auditus notitiā, Amos uelut He-
Amos 3 li adscribens, ait: Non faciet dominus uerbum su-
per terram, quod non reuelauerit seruis suis pro-
phetis. Hinc Abacuc deo unigenito confitetur, di-
Abac.3 cens: Domine audiui auditū tuum, & timui, con-
sideraui opera tua, & expaui: in medio duorum a-
nimaliū innotescēris. Veteribus quippe synago-
gæ doctoribus filiorum scelera audire, præcogno B
scere est. Sed quid præcognouerit exponit, quia
dicit: Omnia quæ faciebant filij sui uniuerso Is-
raeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus,
quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.] Cum
mulieribus quippe Iudæis dormire est, uarijs hæ-
resibus pollui. Bene autē ipsæ mulieres ad ostium
tabernaculi obseruare referuntur. Quid enim est
ostium tabernaculi, nisi litera legis spiritalis? Iu-
dæi autem dum sacram scripturam iuxta literam
solam intelligunt ibi hæreses statuerunt, unde ad
secretū ueræ fidei intrare potuere. Nam sicut per
ostium ad interiora tabernaculi, ita per literam sa-
cræ scripturæ ad spiritalem intratur cognitionem
redemptoris. Quia ergo per obseruantiam literæ
Iudæa decipitur, mulieres ad ostium, non intra ta- C
bernaculum obseruare referuntur. Et quia in om-
nibus scripturis Iudæi redemptori nostro contra-
dicunt, non una mulier fuisse dicitur, sed plures.
Hæc quidem sibi filij Heli facitū, quia iuxta pro-
Hiere.33 phetæ uocem: Anima, quæ peccauerit, ipsa mori e
tur. sed uniuerso Israeli ea facere dicuntur: quia
dum in erroris sui nocte prælati intereunt, caligi-
nis suæ minores cęcitate inuoluūtur. Cum mulie-
Matt.17 ribus ergo filij Heli dormiunt: quia reprobi Iudęi
hæresium suarum admistione, usq; in mūdi finem
polluuntur. Dormiunt etiam: quia etsi grauissima
sunt erroris sui nocte obruti, per Heliam tamen
sunt in fine mundi ad fidem redemptoris excitan-
di. Sequitur: Et ait ad eos: Quare facitis res hu-
iuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni D
populo?] Ecce senex erat Heli, & acuta loqueba
tur: quia uirtus sacri eloquij etsi in reproborū cor-
de deficit, tamen coram recte intelligentibus, Iu-
dæorum culpas subtiliter exquirit. Districte enim
discutiens, dicit: Quare facitis res huiuscemodi,
quas ego audio, res pessimas ab omni populo?]
Sed qui exquirens interrogat, quare facitis, profe
cto ostendit eos impingere noctem hæresis, sine
discretione rationis. Ipsos autem feciſſe res pessi-
mas, quas audiebat, dicit: & ipsas res pessimas, ab
omni populo esse asserit. Quid est hoc, nisi quia u-
niuersitas Iudaici populi in hæresium profunda
corruerat? Sed ipsius ruinæ causa reprobi sacerdo
Oseæ 5 tes erant. Vnde & Osea prophetās, ait: Causa rui
næ populi, sacerdotes mali. Nam ideo subiectus
populus cecidit, quia ruentes prelatos studuit imi
tari. Cùm ergo dicit, quas ego audio, res pessimas
ab omni populo, ipsæ res à populo agi, debent in-
telligi non referri. Quod tale est, ac si dicat. Res
pessimas, quas fieri ab omni populo audio, quare
facitis? Vnde & statim quid dixerit, apertius insi-
nuans, ait: Nolite filij, non est bona fama, quam
ego audio de uobis, ut transgredi faciatis populū
domini.] In quo autem populus domini manda-
ta transgrederetur, si ipsi dormirent cum mulieri-
bus? Sed quia hoc etiam in figura contingebat il-
lis, hoc profecto, quod dominicæ incarnationis
tempore debebat fieri, prefignabat. Nam quando
sacerdotes cum mulieribus dormiūt, subditi man
data domini transgrediuntur: quia dum prælati
hæresium admistione maculantur, reproba subie-
ctæ synagogæ multitudo in eisdē fœtoribus mer-
gitur. Ait ergo: Quare facitis res huiusmodi,
quas ego audio, res pessimas ab omni populo?]
Quod tale est, ac si dicat. Tanto grauius delinqui-
tis, quanto fœdius uniuersum populum uestro cri
mine maculatis. Simile etiam aliquid per prophe-
tam dicitur: à Dan (inquit) auditus est fremitus Hiere.8
curruum, & equorum eius. In quo nimirum loco,
non est intelligendum, quod à Dan auditum soni
tum referat, sed quòd ipse curribus, & equis sæ-
uiens, eundem sonitum, qui audiatur, agat. Quo
in loco hoc etiam notandum est, quia qui res pes-
simas ab omni populo se audisse repulit, manſue-
tæ affectionis uerba subiunxit, dicens: Nolite
filij, non est bona fama, quam audio de uobis, ut C
transgredi faciatis populum domini.] Et acutè
quidem reprehēdit Heli, & manſuetè admonuit:
quia scriptura patrum ueterum, & errorem Iudai
ci populi denuncians, increpat, & ab eiusdem er-
roris sui nocte, benigno affectu ad ueræ fidei diē
uocat. Filios quidē eos appellat, ut se debere esse
hæredes paternæ promissionis agnoscant, & tan-
to deuotius mundi saluatorem recipiant, quanto
promissionē eius suis fuisse factam patribus, non
ignorant. Sed & de peccati audacia eos reuocare
gestiens, rationem subiungit, dicens: Si pecca-
uerit uir in uirum, pacari ei potest deus: si autem
in deum peccauerit, quis orabit pro eo?] Vir in
uirum peccare est, homo in hominem peruersa a-
gere. Quid est ergo, quod dicit, pacari ei potest
deus, nisi quia talia peccata leuia erant, in illorum
comparatione, quæ Iudæi cōmittere in dei filium
cogitabant? In deum quippe peccabāt: quia eum
quem moliebantur occidere, deum se esse apertis-
sima miraculorum luce monstrauerat. Hoc quip-
pe per semetipsum dominus ostendit, dicens: Si Ioan.15
opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit,
peccatum non haberent. Et ut ostenderet impla-
cabilitatem dei patris subiungit, dicens: Nunc au
tem excusationem non habent de peccato suo:
quia uiderunt, & oderunt me, & patrē meum. Ta-
le est ergo, ac si dicat: Cuius prece illud peccatum
indulgetur, quod in ipsum indultorem cōmitti-
tur? Quis pro eo omnipotētem patrem obsecrat,
qui coæternum unigenitum in mortem damnat?

Nihil

Universidad de Deusto

Nihil enim apertius diceret, si fateretur, dicens: Hic, quem uelut purum hominem persequimini, etiam deus est. Rationis ergo lex exigit, ut qui cõ ditorem persequitur, uenia defraudetur. Sed ducit diuina pietas districtionẽ rationis, legis enim æquitatem ostendit, sed prolatæ assertionis uigore in promulgati iuris executione non tenuit. Æquitatis enim rigore decretum est, ut ad indulgentiæ obtentum, nulla prece pertingeret, sed quibus oratio hominis nulla suffecit, pietas redemptoris non defuit. Omnis homo, qui pro transgressionibus oret, tollitur: sed quibus homo sufficiens erat nullus, ipse deus homo factus est intercessor pius.
Luc.23 Nam in cruce suspensus, orauit, dicens: Pater dimitte illis, quia nesciũt quid faciũt. Pacatus est ergo deus ijs, qui in deum peccauerant, non aliena prece, sed sua. Sed pacatus est deus non omnibus, sed quibusdam. Quidam nanq; persecutores domini prædicantibus Apostolis conuersi sunt, cæteri uero periêre. De istis enim Lucas meminit, di
Act.4 cens: Factus est numerus eorum quinque milia. De reprobis uero subiungitur: Et non audierunt uocem patris sui: quia uoluit dominus occidere eos.] Per Prophetam dominus denuncians,
Ezech.18 ait: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Quomodo ergo ei competit uelle occidere peccatorem, & mortem peccatoris nolle? Sed in præfato testimonio sequitur, unde ueritas agnoscatur, ait enim: sed ut cõuertatur, & uiuat. Qui enim peccatorem uult uiuere, ut conuertatur, si hunc inconuertibilem diuina præscientia noscit, occidit. Vult ergo domin⁹ occidere, sed eos, quos prænoscit conuerti nolle. Misericors enim, & iu-
Psal.114 stus asseritur, dum à Propheta flagitatur: Domine (inquit) libera animam meam, misericors, & iustus deus noster. Per misericordiam uero conuersionem peccatorum expectat, per iustitiam non conuersos damnat. Per misericordiam conuerti uult peccatores, & uiuere, sed per iustitiã eos, qui conuerti noluerunt, uult punire: misericorditer non saluat, nisi uolens: per iustitiam, nolens damnat. Dum ergo occidere uelle dicitur, peccatorũ impietas maxima & inemendabilis ostenditur, quæ uoluntariè diuinæ iustitiæ executione punia tur. Sic utiq; & pijssimos secularium negociorum iudices agere uidemus, qui uellent ut nemo delin queret, ut ipsi punire neminem deberẽt: sed dum ab iniquis audacter scelera committuntur, uoluntariè eos puniunt, quos libentius non commisisse punienda uoluerunt. Quo contra illud hoc in loco cernitur, quia non dicit: quia corrigentis patris uocem audire noluerũt, sed non audiere: quia uoluit eos dominus occidere. Sed qui diuini examinis æquitatem recte considerat, interesse nihil putat, an occidatur aliquis, an illo in scelere dimittatur, in quo æterna reprobatione perimatur. Tale est, acsi dicat: Tanta fuit magnitudo culpæ, ut & conuersionis monimenta susciperent, & à mortis suæ fouea surgere nequaquam possent: & qui iræ dei pelagus biberant, in damnationis suæ cumulum, haberent non solum pœnam cõmissi sceleris, sed etiam additam uindictã contemptæ prædicationis. Sed cur hoc de præterito miramur, quod nunc usq; fieri cernimus: Heli uidelicet monentem, filios contemnentes: Dominum occidere uolentem. Quid enim sacra scriptura quotidie Iudæis aliud, quàm caliginem sui erroris insinuat? Nón equidem sic per latentes & spiritales intellectus redemptorem prædicat, ut eius incarnationem, natiuitatem, passionem, resurrectionem, & ad cœlos ascensionem non patenter ostẽdat. Nec ipsi tam irrationabiles sunt, ut tam excellentia bona redemptori conuenire non uideant: sed tamen cæci sunt, ut promissa patribus suis signa in redemptorem effulsisse audiant, & non credant. Cęci ergo sunt, non modo non uidẽdo promissa, sed non credendo exhibita. Cur uocem scripturæ monentis non audiunt, nisi quia eos dominus occidere uult? Nec mirum tamen, si eius iudicio pereunt, cuius unigenitum occidêre. Intimæ enim æquitatis districtione cum Iudæorum populo agitur, ut monita uitæ quotidie scripturis loquentibus audiant, & ipsi scripturis monentibus nequaquam credant. Sed repulsa Iudæorum perfidia, quibus successibus sanctorum prædicatorum ordo potiatur in gentibus, exponit, dicens: Puer autem Samuel proficiebat, atq; crescebat, & placebat tam deo, quàm hominibus.] Proficiebat quidem lucro prædicationis, crescebat numero ministrorũ. Nam de profectu eius apostolus Paulus gloriatur, dicens: Ab Hierusalem usq; Illyricum repleui Rom.15
euangelium Christi. Crescendi quoq; modum Lucas meminit, dicens: Crescente numero discipulo Act.6
rum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quòd despicerẽtur in ministerio uiduæ eorum. Et paulo post: Elegerunt (inquit) Stephanum plenum fide, & spiritu sancto, & Procorum, & reliquos. Hos statuêre ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerũt eis manus. Item de profectu isto nouorum prædicatorũ scriptum
Psal.18 est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Sed subtiliter est intuendũ, quod dicitur: Placebat tam deo, quàm hominibus.] Hominibus placet doctor, cũ se subditis uenerabilem, & bonis moribus ornatũ præbet. Deo autem placet, cùm de bona conuersatione inaniter gloriari refugit, & solius dei laudem promereri cõcupiscit. Dicit ergo: Placebat tam deo quàm hominibus:] quia nonnulli prædicatores prætextum sanctitatis præferunt, quam non habent. Hi ergo, quia etsi hominibus placent, deo displicent: in typo noui, & electi prædicatoris de Samuele nunc dicitur: Placebat tam deo quàm hominibus.] Venerabiles quidem se exhibent subditis, & deo offerunt puritatẽ intentionis. Hominibus quidem placere studuerat, qui dicebat: Christi bonus odor sumus in omni loco. Et item: 2.Cor.2
Omnia omnibus factus sum, ut omnes facerẽ sal- 1.Cor.9
uos. Hominibus etiam placere auditores suos docebat, dicẽs: Sine offensione estote Iudæis, & gen 1.Cor.10
tibus, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis

tis. Sed qui se hominibus placuisse insinuauerat,
2.Cor.1 puritatem cordis commendat, dicens: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.

Placebat tam deo quàm hominibus,] quia nouus ordo prædicatorum uenerabilem se suis auditoribus, ad imitationem foris prębuit, & intus acceptum deo, per innocentiam uoluntatis. Sequitur: Venit uir dei ad Heli.] Quid per hunc uirum dei, nisi sanctorum apostolorum ille cœtus uenerandus exprimitur? Qui certe uir dei dicitur pro excellentia sanctitatis: quia culmen ordinis, quod in uniuersi orbis prælatione conscenderat, æquali sublimitate uirtutis disponebat. Qui profecto ad Heli tunc uenit, quando ad annunciandam repulsionē synagogæ, eius pontificibus accessit. Sequitur: Et ait ad eum, Nunquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm esset in Ægypto in domo Pharaonis, & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me, & dedi domui patris tui cuncta de sacrificijs filiorum Israel?] Quia diuino iudicio Iudæa repellitur, ipsius iudicij districtio, quàm mira æquitatis dispositione illata sit, demonstratur. Prius enim collata Heli dona numerantur, ut dum tam benignus dator omnipotens deus ostēditur, contemptorē suum quàm iustè feriat, agnoscatur: Reuelatum se domi patris eius asseruit, ut ignorantiæ excusationem habere non possit. Eandem uero suæ reuelationis cognitionem, se ei in Ægypto exhibuisse edocet, ut se eā suis meritis Heli obtinuisse nequaquam putet. Quasi apertè dicat, illic me ei cognoscendum prębui, ubi mei obliuisci poterat, reminisci nesciebat. Et ne ipsa cognitionis diuinæ dona, reprobo parua fortasse uiderentur, de cæteris tribubus Israel ad culmen sacerdotij assumptus asseritur. Quasi dicat: Eis eum prætuli, quibus non superior, sed æqualis fuit. Notandum uero est, quod in officio ipsius sacerdotij tria denotantur. Vt ascenderet (inquit) ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me.]

Quid uero in hoc altari, nisi ille lapis ostendi-
Gene.28 tur, quem patriarcha Iacob in titulum erexit? Et quis lapis iste alius, nisi ille exprimitur, quem Pau
Ephe.2 lus in laude fidelium prædicat, dicens: Ædificati super fundamentum apostolorum, & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Pater ergo Heli ideo in sacerdotium electus à domino est, ut ad altare ascenderet: quia ordo doctorum ueterum, ad hoc subiecto sibi populo præfuit, ut humani generis reparationem in redemptoris aduentu futuram prædicaret. Et incensum adoleuit: quia ei, quem futurum redemptorē prædicat, per desiderium, auditorum corda conjunxit. Ephod quoq; portauit: quia desiderio tantæ expectationis, dignæ conuersationis ornatū præbuit. Adoleret utiq; incensum, & ephod non portaret, si auditorum corda in desiderium uenturi redemptoris accenderet, à quo ipse fœdæ conuersationis inæqualitate differret. Et quia omnipotens deus ueritatem religionis, & non prętextum quærebat, coram se, & non coram populo, ephod se ei portare præcepisse, perhibuit. Corā domino quidem ephod portare est, de uitæ innocentia solius diuinæ bonitatis retributionem quærere. Apertè autem ista contra Heli per improperium dicuntur. Ad altare quippe non ascendit: quia sacerdotium illud, quod manifestatæ ueritatis tempore synagogæ præfuit, eum qui tanta signorum magnitudine redemptor humani generis claruit, subiectis plebibus nequaquam prædicauit. Et incensum deo non adoleuit: quia in persecutionem eius populum, & non in amorem cōcitauit. Ephod etiam coram domino portare contempsit: quia nulla religionis ueritate resplenduit. Nam & si nonnulla honestatis insignia præferebat ornatus ille uitæ, ex prætextu fallaciæ erat, non ex intentione charitatis. Vnde & hoc ipsum in eis dominus reprehendit, dicens: Væ uobis scribæ & pha- Matt.23
risæi: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris uidentur hominibus speciosa, intus autē plena sunt ossibus mortuorum. Sed cui tam multa & spiritualia prębuit, minus contuisse uideretur, ni si etiam temporalia exhiberet. Vnde & subditur:

Et dedi domui patris tui cuncta de sacrificijs filiorum Israel.] Quasi ei aperta obiectione reputet, dicens: In nullo ei defui, cui spiritualis honoris potestatisq; culmina prębui, & ad temporales usus, terrenæ abundantiæ copiam ministraui. Sed qui tam rationabiliter dona enumerat, audiamus iam transgressionis eius audaciam qua instantia discussionis exquirat. Nam sequitur: Quare calce abijcitis uictimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo?] Quare enim non dicit iudex, nisi qui instanter discutit. Et qui calce repulisse uictimam dei, & munera reprehenditur, ei iniuriam sine consilio rationis fecisse, indicatur. Notandum uero est, quia plurali numero dicit, quare calce abijcitis uictimā meam, ut non tantum ad Heli, sed ad filios quod dicitur, pertinere uideatur. Fera quippe animalia solent sibi adhę rentia calce repellere. Quæ enim fidelibus uictimæ aliæ fuerunt, quàm redemptoris sui laudibus insistere, Christū Iesum pro salute mundi in mortem occubuisse prædicare, et resurgendo humani generis uitam reparasse? Et quæ alia eorum munera erant, nisi pro tantis sibi collatis beneficijs gratiarum actiones omnipotenti deo incessanter offerre? Quæ profecto Heli filij calce repulerunt: quia in repulsione nouæ prædicationis non consilium rationis, per sacra eloquia secuti sunt, sed impetum feritatis. Ab irrationabili nanq; sæuitia, ad rationalis consilij intentionem eos ueritas reuocare cupiebat, dicens: Scrutamini scripturas: Ioan.5
quia uos in ipsis putatis uitam æternam habere, & illæ testimonium perhibent de me. Vnde & hic quoq; dicitur. Quæ præcepi, ut offerrentur in templo.] In lege nanq;, Psalmis, & Prophetis scriptum de passione, resurrectione domini, & uniuersalis ecclesiæ statu fuerat. Calce ergo synagogæ præpositi uictimam & munera domini, in templo

Universidad de Deusto

plo domini offerri iussa repulerunt: quia profecto prædicationem sanctæ ecclesiæ non scripturæ sanctæ authoritate discutere, sed solo feritatis suæ impetu reprobare, atq; abijcere conati sunt. Nam si præcepta dei in sacro eloquio illuminata mente consulerent, sanctos prædicatores, quos ferociter abiecère, quasi ad se missos diuinitus recepissent. Sed qui Heli filios, id est, ueteres doctores minoris ordinis, de irrationabili feritate reprehendit, ipsum etiam patrem de negligentia arguit, dicens:

Honorasti filios tuos magis quàm me.] Quasi apertè reprehẽdens dicat. Illi repulerunt, & tu repulsores honorasti. Magis quàm deum filios honorauit: quia dum aperta eorum opera ostẽsa, contemneret, lucra temporalia ijsdẽ prouidebat: Vnde & subdit: Vt comederetis primitias omnis sacrificij mei.] Quibus nimirũ uerbis arguere maiorum ordinem doctorum uidetur, qui idcirco in redemptoris morte consensit, quòd oblationum ueterum lucra amittere formidauit. Vnde & initio consilio cum Pharisæis, dicebãt: Quid facimus: quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eũ sic, omnes credent in eum, & uenient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Et iterum: Videte quia nihil ꝓficimus, ecce mundus totus post eum uadit. Ideo igitur filios honorauit, ut comederent: quia à prędicationis intentione conticuit, ne dum ueritatem nouæ oblationis assereret, habere ulterius ad uoluptatis suæ luxuriã uetera non ualeret. Quia ergo magnitudinem qualitatemq; reatus exposuit, uideamus iam quanta æquitate examinis modum insinuet ultionis. Nam subdẽs ait:

Propterea ait dominus deus Israel, loquens locutus sum, ut domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo, à modo & usq; in sempiternum. Nunc autem absit hoc à me.] Quasi aperta congruaq; sentẽtia feriens, dicat: Tu filios tuos honorasti, ut omnis sacrificij primitias ederetis, sed ideo uobis primitiarum iura auferuntur: quia indignè honorati sunt. Quid enim est aliud dicere: Absit à me, ut domus tua ministret in conspectu meo,] nisi ab illo uos deijcio culmine, cui primitiarum iura debebantur? Mira igitur æquitatis executione comprehensus est, qui unde primitiarum esum inhianter appetijt, inde à primitiarum perceptione ieiunauit. Nam redemptorem mori pertulit, ne sacerdotalia lucra perderet, sed ille de triumpho mortis accepit, unde sacrificij ueteris emolumenta destruxit. Dicit autem: Loquens locutus sum, ut domus tua & patris tui ministraret in conspectu meo, nũc autem absit hoc à me.] Quasi uerbis apertioribus dicat. Vt in tanto culmine dignitatis stares, te frequenter admonui, sed modo talis non es, qualem esse desideraui. Quod quia in Iudaici populi reprobatione dicitur, de ordine nouorum prædicatorum subiunctum est.

Sed qui glorificauerit me, glorificabo eũ.] Iam quippe glorificantis gloriam cernimus: quia prædicatores sanctæ ecclesiæ magno splendore uitæ omnipotentis dei laudes cõcinunt, atq; in uniuersali orbis prælatione gratulantur. Ecce iam sacerdotum ueteris gentilitas uniuersa substernitur, & eos, quibus se gaudet obediendo subijcere, patronos gloriatur in cœlestibus possidere. Glorificantem se ergo dominus glorificat: quia à quibus deuotas quotidie laudes accipit, ad uniuersi orbis honorem sustollit. An non glorificati gloria est, in terra manere, & cœlum claudere? Vitam communiter homines uiuere, atq; supernas cœlorum sedes subditis autoritate potestatis exhibere? Glorificabat quippe dominũ, qui dicebat: Tu es Christus filius dei uiui. Sed glorificantem se dominus glorificauit: quia ei respondit, dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Sed de proiectis Iudæorum reprobis subditur: Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.] Ipsi quidem contemnunt, qui nequaq; hunc esse mundi redemptorem credunt. De quibus profecto ipsa ueritas in euangelio queritur, dicẽs: Ciues autem eius oderant illum, & miserunt legationem post eum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Sed eorum iam nobilitatem cernimus: quia & genere, & conditione proscribuntur. Genere quidẽ ignobiles sunt: quia ab ipsa ueritate audierunt: Vos ex patre diabolo estis. Conditione etiam ignobiles sunt: quia amissa libertate, & regno, perpetua gentium seruitute deprimuntur. Sed pœnarum ordinem clarius ostendit, dicens: Ecce dies ueniunt, & præcidam brachiũ tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua.] Iam quidem sine brachio est, quia qui templũ & tabernaculum perdidit, manum ad oblationem sacrificij ueteris non extẽdit. Et quia Heli, id est maioribus synagogæ sacerdotibus loquebatur, non solum brachium eius, sed etiam domus eius se pręcidere minatur: ut profecto uniuersalem ritus ueteris destructionem insinuet, & hoc quod nouo tempore iam factum cernimus, antiquitus fuisse dispositum sentiamus. Et brachiũ itaq; eius, & domus eius dominus præcidit: quia & summos Iudææ pontifices, & minores sacerdotes ab immolatione ueteri penitus amouit. Vnde & cõuenienter adiungitur: Vt non sit senex in domo tua.] Senes quippe intelligendi sunt sacerdotes, quorũ officium: quia grauitate magnę honestatis imperditur, à religionis põdere nulla puerili leuitate uacuatur. Brachiũ igitur eius, & domus patris eius ita pręcisum est, ut in domo sua senex non sit: quia sic ueteris sacerdotij ritus euanuit, ut omnino nemo remanserit, qui ueteri more immolare iã possit. Nam postquã redemptor humani generis pro peccatis nostris, nouo sacrificij more se obtulit, esse sacerdos consuetudine antiqua cessauit. Sed qui amissi sacerdotij damna sustinet, habet tormẽtum maioris pœnæ de dolore inuidiæ. Quare & subditur: Et uidebis æmulum tuum in templo, in uniuersis prosperis Israel.] Intra templũ quippe æmulum suum uidet: quia ipse iam foras expulsus est. Nam qui æmulus sacerdotij ueteris altus est, quàm ordo nouorũ prædicatorum? Qui pro-

fecto dum ueterum & electorum patrum studia uiuendo atq; docendo adequare nititur, bona Heli nimirū in bono æmulatur. Hinc Paulus admo-
Galat.4 net, dicens: Bonum æmulamini in bono omnes. Quæ autem Israel prospera nisi felicitates huius transeuntis temporis intelliguntur, in quibus Israel secundum carnem ualde lætabatur? In uniuersis ergo Israel proſperis æmulum suum uidet, qui in sancta ecclesia prædicatores ueritatis felices aspexit, & rerum opulentia & celsitudine dignitatis. Hoc etiam quod in templo uidendus assertur, perfectiori intelligentia declaratur. In omnibus quippe prosperis in templo est æmulus: quia ordo prędicatorum, omne quod sibi famulatur de felicitate temporis, in contemplatione disponit æternitatis. Sequitur: Verumtamen non auferam penitus ex te uirum ab altari meo.] Penitus nanq; ab altari suo uirum auferret, si ad fidei nostræ unitatē nullum admitteret. Penitus ergo non abstulit: quia etsi reprobos synagogæ sacerdotes repulit, plures tamen ex eis ad sui cognitionē misericorditer adduxit. Quorum profecto in apostolorum
Act.9 actibus Lucas meminit, dicens: Plurima turba sacerdotum obediebat fidei. Digni nanq; tanto & nouo ministerio inuenti sunt, qui remanere cum perditis in uetustate noluere. Sed quia non solum electos prædicatores de gentibus, uerumetiā illos, qui de Iudæa credidere ad tormentum inuidiæ Iudaicum sacerdotium habuit, Sequitur: Sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.] Vel idcirco uirum penitus ex eo ab altari suo non abstulit, ut Heli oculi deficerent, & anima eius tabesceret: quia uidelicet electos de Iudæa noluit ad ministerium nouæ prædicationis assumere, ut remotis eis, culpa ad pœnam reprobos teneret. Defecerūt nanq; oculi Heli, cùm summum sacerdotium ueritatē fidei per ora prædicatorum in auditu habuit, & non cognouit. Anima quoq; eius tabescit: quia uidelicet per repulsionis suæ pœnam emarcuit, dum sancti spiritus gratiam amisit. Sequitur: Et pars magna domus tuæ morietur, cùm ad uirilem ætatem peruenerit.] Ætas uirilis tempus est dominicæ incarnationis. Quod profecto apostolus insinuat, di-
Galat.4 cens: Quando uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum perciperemus. Quid igitur præcepta Iudææ fuerunt, nisi quędam eruditiones infantiæ? Huius item pueritiæ tempus idem apostolus insinuat, dicens: Cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. In uirili ergo ætate mortua est: quia in plenitudine temporis, in mundi redemptorem sæuijt, & semetipsam infidelitatis mucrone transfixit. Bene autem non tota domus, sed pars magna domus eius moritura prædicitur: quia ex eis quidam in redemptorē crediderunt. Et causam maioris doloris adijciens, ait:

Hoc autem tibi signum, quod uenturū est duobus filijs tuis, Ophni & Phinees. In una die morientur ambo.] In duobus filijs Heli, geminum sacerdotij ueteris ordinē suprà ostendimus designari. Qui certè in una die mortui sunt: quia simul in redemptoris morte conuenerunt. Bene autem sacerdotum mors in signū morituræ domus posita memoratur: quia cùm pastores intereunt, necesse est ut ad eundem interitū grex sequatur. Et quia ex falsa ratione decepti sunt, in die mori perhibentur. De cuius falsitate lucis beatus Iob loquitur, dicens: Sic in tenebris, sicut in luce ambulant. Sed Iob 24
qui uetus expulit, nouum sacerdotiū præparauit. Vnde & subditur: Et suscitabo mihi sacerdotē fidelem.] Mortuis nanq; filijs Heli, fidelē sacerdotem sibi dominus suscitauit: quia extinctis in perfidia prælatis ueteris populi, electos ad exhibendum redemptionis nostræ ministeriū asciuit. Qui nimirū fidelis assumptus dicit: quia uetus, cui successit, per infidelitatē fuit reprobatus. Et quia ea fides, eius sacerdotis laudibus ascribitur, quæ per dilectionē operatur, ipsa dilectionis opera per sequentia uerba designantur. Nam sequitur: Qui iuxta cor meum, & animam meam faciat.] Hoc nanq;, ineffabilis diuina substantia signari per partes hominis uoluit, quod in se iuxta literam intelligi non oportet. Dixit itaq;: Qui iuxta cor meū, & animā meam faciat,] non quod incorporea, & incircūscripta dei substantia, cor & animā habeat, sed sic loquitur homini ut homo homini loqui solet, ut per hoc quod ex uerbo suo audiens homo cognoscit, aperte sciat, quid etiā uelit deus. Quod profecto dici simplicius potuisset. Qui faciat uoluntatē meam. Et præmia operis exponit, dicens:

Et ædificabo ei domum fidelem.] Quæ nanq; ista domus alia, nisi æterna patria intelligit? Quā profecto domum dominus cōmendans, ait: In do Ioan.14
mo patris mei mansiones multæ sunt. Sed hæc domus ædificari nunc dicitur: quia ex piæ uitæ actionibus præparatur. Verumtamen ad eam promerendam, indignum est opus hominis, si non hoc agat gratia misericordis dei. Bene itaq; cū domus ædificium ponitur, dominus ei eam ædificare polliceturi: quia nimirum uires humanæ à tanta operatione deficiunt, si non diuinitus adiuuent. Hinc Paulus ait: Deus est, qui operatur in me uelle & Phil.2
perficere. Hinc iterum dicit: Non est uolentis ne- Rom.10
que currentis, sed miserētis est dei. Hanc domum se ædificare promittebat, cùm diceret: Vado para Ioan.14
re uobis locum, & iterū ueniam, & accipiam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Quia uero uocantē se gratiam, ex arbitrij libertate deuotè secuturus erat, adiungitur: Et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.] Vnicuiq; enim electorū coram Christo ambulare est, se semper in conspectu redemptoris aspicere, & ea quæ ei accepta cognoscit, operari. Vel certe corā Christo ambulat, qui in omne quod agit, semper ad ipsum respicit, & uitę suæ rectitudinē in eo dirigit, quem per assumptam humanitatē ad componendum electorum speciem uenisse recognoscit. Sed in cæcitatis suæ tenebris Iudæa non semper deserenda est: quia per prophetam dicitur: Si fuerit numerus Esa.10
filiorum Israel sicut arena maris, tamen reliquiæ

saluæ

saluæ fient. Hinc Paulus ait: Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium introeat, & sic omnis Israel saluus fiet. Hanc ergo Iudææ uisitationem subsequenter ostendit, quia dicit: Futurum est autem ut quicunq; remanserit in domo tua, ueniat, ut oretur pro eo.] Tunc certè Iudæa pro se orari dominum postulat, quando collectis iam electis de gentibus, cæcitatis suę tenebras nō ignorat, cum per sacerdotes omnipotentis dei, ei offerri per confessionem sanctæ trinitatis appetit: quia in uetustate pristina superna promoueri gaudia non præsumit, sed & fidem redemptoris, quam conuersa recepit, prædicando etiam conuertendis alijs impēdit. Bene etiam subditur

Vt offerret nummum argenteum.] Argento quippe eloquia diuina signanť, quia per prophe-
Psal.11 tam dicitur: Eloquia domini igne examinata, argentum igne probatum. Quod profecto argentū tunc Iudæa in dei laudibus impendit, cum apertè fidem nostram prædicat, cui infidelitate posita antè contradixit. Et quia eundem redemptorē, quē amando prædicat, etiam compatiendo imitatur, adiungitur. Et tortam panis] Panis nanq; nomi-
Ioan.6 ne ille exprimitur, qui de semetipso ait: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Torta itaq; panis, redemptoris caro est affecta supplicijs: Hunc
Esa.53 nanque tortum panem propheta intuens, ait: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et quia per quendam sapientem di-
Pro.23 citur: Si sederis ad mensam potentis sapienter attende, quæ apponuntur tibi, quia similia oportet te præparare: Tortam panis, & nummum argeteum Iudæa tunc offert, cum redemptorem nostrū aperta confessione prædicat, & pro eius amore, quem prædicat, sustinere tormenta à perfidis non recusat. In qua nimirum imitatione passionis, & refectione dulcedinis quia ualde delectatur, Sequitur: Dicatq;, dimitte me obsecro, ad unā partem sacerdotalem.] Dimitte me ait. Noli me quasi infamem, & morte redemptoris cruentatam repellere: Vnam quoq; partem sacerdotalē sibi concedi obsecrat: quia ueris sacerdotibus sociari desiderat ut eorum ualeat admisceri gaudijs, quorum oblationes appetit seipsam offerens imitari. Vnde & refectionis suæ exponens desiderium, dicit:

Vt comedā buccellā panis.] Qua in re notandum est: quia tortam panis in deuotione oblationis habitura prædicitur, & buccellam in appetitu comestionis. Cur ergo ad comedendum non torta panis sed buccella cōcupiscit? Et cur nō buccella sed torta offerēda perhibet? Sed quia in rotūditate buccella conficit, rotunditas autem ipsa quodammodo nec principio, nec fine dignoscitur, recte per panis buccellam redemptoris æternitas designatur. Torta igitur panis à nobis offerri, & non buccella potest: quia qui passionem dominicam imitari moriendo, siue carnem affligendo possumus, æternitatem in nobis quam præsentemus eius conspectui non habemus. Et buccella nobis in perfectione desiderij esse, non torta panis debet: quia qui humani generis redemptorē compatiendo temporaliter sequimur, in superna patria non mortalem iam nec patientem, sed æternum atq; regnantē possidere desideramus. Eam igitur, quam offerre tortam panis desiderat, dicit: Vt comedam buccellam panis: quia cōuersi de Iudæa, redemptorem nostrum in æternitate refectionis possidere desiderant, cuius passionem imitati hic sunt, ad strenuitatem militiæ, non ad præmium retributionis.

Caput III

Moralis

Hæc de sacra historia typica explanatione percurrim⁹, ut in eisdem sacræ historiæ uerbis, moralis intelligentiæ aliquid perquiramus. Itaq; puer Samuel in conspectu domini minister asseriť, quod tamen ministerium nō absolute sed ante faciem Heli domino exhiberi memoratur. His igitur uerbis, non ostēditur perfectio ministerij, sed humilitatis. Facies nanq; Heli uniuscuiusq; institutoris ratio est arbitrij. Ille nanq; ante præceptoris sui faciem domino ministrat, qui in exhibitione ministerij sui, proprij arbitrij rationem non sequitur, qui eo operis itinere graditur, quod ei magistri sui cognitione præuidetur. Nam perfecti quiq; uiri, & docibiles dei, ministri quidem in cō spectu domini sunt, sed ante faciem hominis, ministri eius non sunt: quia ipsa eos intus diuinitas erudit, qualiter foris etiam uita, & moribus, ac doctrina disponantur. Vnde & præcursori redēptoris paterni oraculi laude promittitur: Tu quidem puer propheta altissimi uocaberis, præibis ante faciem domini, parare uias eius. Ante faciem quidē domini præire describitur, qui in ministerio suo non erat secuturus arbitrium superioris hominis, sed inspirationē diuinitatis. Ante faciem ergo Heli Samuel dño ministrare dicit, ut subiecti quiq;, eius exēplo doceant, quatenus de ministerio suo sic placere cōditori studeāt, ut præter prælatorum suorum arbitrium agere aliquid non præsumant. Nam qui ante institutoris sui faciem domini minister asseriť, si eius faciē præire per tumorē despicit, minister in conspectu domini nō existit: quia omnipotentem ignorare cōuincitur, cui per eius arbitrium placere despicit, cuius se imperio ut ei placeret, subiugauit. Vnde & Heli, et Belial esse filij, & nescire dominum dicuntur, & ad populum officium sacerdotum. Filij nanq; sunt, qui spiritualibus patribus ad eruditionē subigunť. Qui profectò cum eorundem patrum sequi consilia superbiendo despiciunt, Belial filij rectè nominantur: quia eius, qui per superbiam de cœlo cecidit, apostatæ spiritus imitatores fiunt. Qui certè tanto deterius dominum nesciunt, quanto eius sibi cognitionem arrogantius adscribunt. Eo nanq; agitur, ut quod scire debent, periculosius nesciant, quo id quod se scire existimant, nescientes, discere nō curant. Et quia inuisibilem conditorem amare nequeunt, quem ignorant, in appetitu uisibilium, ipsa, quæ sibi usurpant dei ministeria, dissipant.

Lucæ 1

Vnde & ij qui ignorare dominum sacerdotes relati sunt, sacerdotum quoque officium ad populum nescire perhibentur. Et ut reprehēsionis eius causas aperiat, ad omnem immolantem ignorantis sacerdotis puer, cum tridente fuscinula uenire memoratur, & crudam carnem uiolēter exigere. Quibus profectò uerbis in auiditate suæ rapacitatis tres gulæ species notantur, nam is cuius puer antequam coquerentur carnes, ad inferendā proeis uiolentiam ueniebat, legitimā refectionis horam sustinere non poterat: & cui carnes quærebantur, simplicibus cibis uti nesciebat: & quia coctam renuens, crudam carnem exigebat, communi præparatione eandem carnem edere fastidiebat. Verum cum sacerdotum uoluptati seruierit peruersitas famulorum, quid est quod non ipsorū sacerdotum, sed puerorum peccatum grande nimis etiam coram domino fuisse memoratur? Sed eisdem uerbis sacerdotum culpa maior ostenditur: nam qui minorum peccatum grande nimis corā domino fuisse asserit, maiorum iniquitatē, in quē damnationis cumulū excreuisse cognouit? Quæ tamen magnitudo reatus asseritur, non solum proappetitu illicitæ comestionis, sed etiā pro uiolentia rapacitatis. Sed ad electi pueri narrationem diuinus sermo regreditur, ut in eo, non quod reprobandum, sed quod imitandum est, attentius consideremus. Itaq; ephod lineo accinctus, & in conspectu domini esse perhibet. Quid ergo in ephod lineo, nisi continentiæ candor ostenditur? quo nimirum ephod accingimur, cum ad nitorem pudicitiæ ex omni parte retinemur, cum animæ, & carnis pars nulla à districtionis lege absoluitur, per quam ad luxuriæ caliginem defluamus. Talis itaque minister in conspectu domini est, quia de omnipotentis dei sperata uisione non fallitur, cui cū tanto accinctionis suæ nitore famulatur. Cui profecto puero, ascendens mater cum uiro ad immolandum solennem hostiam, attulisse paruam tunicam dicitur. Mater quidē cum uiro ascendit, quando mens prædicatoris per præscientiam interni sponsi, sese ad contemplanda sublimia illa æternitatis gaudia erigit. Tunc quippe immolat solennem hostiam: quia dum per illius amoris ineffabilem suauitatem conditori coniungitur, supernis altaribus deuotio festiua præsentatur. Et tunc quidē paruā tunicā defert: quia etsi per magnā internæ uisitationis gratiā, pastoris anima ad superna sustollitur, paruulis tamen nō ad modū subtilitatis suæ, sed pro eorum uiribus, imponere præceExo.34 pta cōuersationis debet. Vnde & Moyses à monte in immenso uultus sui splēdore regrediens, faciem uelauit, ut in eū populus intendere uisum potuisset. Paruam itaq; tunicam ea quæ spiritalis mater est, filio deferat, ut paruulis adhuc initia quædā & plana præcipiat, & nō fortitudinis suæ onus imponat. Nā sępe inter magna opera corruūt, qui 1.Reg.17 per minora uincere hostē possunt. Vnde Dauid cōtra Allophylorū fortissimū in pugnā progrediens, loricam, clypeum, & militaria quæq; instrumenta deposuit, & qui se in eorū pondere contra hostem exercere non potuit, in uno eum funde la pide prostrauit. Ad immolandā solennem hostiā mater illa ascenderat, quæ dicebat: Scio huiusmo 2.Cor.12 di hominē, qui raptus est in paradisum. Sed de tanta magnitudine, magnā uestem paruulis non adduxit: quia dicit: Audiuit arcana uerba, quæ nō li- 2.Cor.3 cet homini loqui. Item lac uobis potū dedi, nō escam. Paruā itaq; paruo filio tunicā mater deferat, & pro modo corporis, mensura indumenti tendatur, quatenus dum temperatæ cōuersationis uirtute dimicat, hunc hostis inæquali armorū sarcina non substernat. Et quia ex discreto curæ pastoralis studio, prædicatori deus conuersorū lucra multiplicat, uisitata à domino Anna perhibetur, atq; per gratiam diuini muneris in filijs, & filiabus meruisse gratiā fœcunditatis. Quæ filios quidem parit, cùm eos uerbo lucratur, per quos prædicationis semina alijs tribuit. Filias uerò parit, cùm eas mentes ad omnipotentis dei seruitiū reuocat, quę etsi ad prædicationē idoneæ non sunt, uerbi dei tamen semen diligēter à prædicatoribus acceptū nutriūt: quod uelut parturiētes postmodum filiæ per bona opera in exemplum proximorum gignunt: Sed quia prius Samuel lineo ephod accinctus asseritur, dehinc fœcunditas matris in pluralitate liberorum: potest rationabiliter intelligi hoc, quod fieri quotidie cernimus: quia uidelicet ex bona opinione electi discipuli, magistro succrescunt lucra conuersorum. Vnde et post ortum fratrum, & sororum magnificatus Samuel apud dominum fuisse perhibetur: quia profectò coram domino iam magni sunt, qui per exempla piæ cōuersationis proximorum corda, ad omnipotentis dei seruitium conuertunt. Magnus uerò nobis timor incutitur: quia Heli filiorum culpa damnatur, cuius peccata propria nulla referunt. Nam bonis subditis bene uiuere ad salutem sufficit, prę latis uerò propria uita non sufficit. Valde etenim senex est, qui uiuere irreprehensibiliter semper studet. Vnde etiam scriptum est. Senectus enim Sap.4 uenerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata, cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis uita immaculata. Sed quidā bene uiuendo præeminent, qui authoritatem, quā prælatio exigit, nullam habent. Nam & si ad agenda bona excitare subditos satagunt, tamen contraire delinquentibus per zelum rectitudinis erubescunt. Qui nimirum etsi ad redarguendos eos aliquando exeunt, nocent potius loquēdo quàm prosunt: quia eorum obstinationem non digna seueritate confundunt. Nam idem Heli filiorum scelera, & quomodo ad tabernaculi ostium cum mulieribus dormirent audiuit: qui uelut ab aspera inuectione authoritatis incipiens, res pessimas ab omni populo se audisse perhibuit. Sed qui inse qui eas quas exposuit culpas debuit, per subsequē tia uerba leuigauit, dicens. Nolite filij.] In qua nimirum propinquitatis appellatione, quantum à domini uoluntate dissentiat, liquet: quia illos filios appellauit, quos diuinus sermo supra Belial, id est spiritus nequā filios esse perhibuit, dicens:

Porro

Porro filij Heli filij Belial.] Cum mulierib⁹ quippe dormire est, secure & sine metu futuræ uindictæ peccare. Mulieres quippe meretrices, sunt cõcupiscentiæ seculares. Quæ bene ad tabernaculi ostium obseruare prohibentur: quia ad introitum regni cœlestis tendentibus, insidiantur. Qui uerò sic mundi concupiscentias sequitur, ut sæpe diuini metus cõsideratione terreatur, polluitur quidẽ cum mulieribus, sed nõ dormit: quia etsi transgrediendo labitur, in perpetratis tamen facinoribus, per securitatem nequaquam requiescit: Dormiẽs itaq; cum mulieribus, nomine propinquitatis honorandus nõ est: quia qui proiecto iam dei timore, in suis sceleribus obstinati sunt, leuiori increpatione arguendi non sunt: ne leue pondus peccati esse putent id, in quo corruunt: dum graue eis illud non sonat, quod ex authoritate prædicatur. Sed remissi pastores inter fomenta uerborũ, quædam proferre solent argumenta rationis. Vnde & Heli uoce dicitur. Si peccauerit uir in uirũ, pacari ei potest deus: si autem in deum peccauerit, quis orabit pro eo?] Vir in uirum peccare, est de rebus labentibus alterutrum sibi homines nocere. In deum uerò peccare, est ea ei, quæ ad æternitatem condidit, auferre. Quicunq; igit aut suã, aut alterius fidelis hominis animam ad peccandũ pertrahit, in deum peccare conuincitur quia sua ei auferre propria nititur. Quod nimirum tanto grauius peccatum esse ostenditur, quanto & qui pro eius absolutiõe dignus intercessor existat, rarius inuenitur. Nam sub interrogatione quis orabit pro eo, non dicitur, ut talibus etiam pœnitentiæ remedia denegentur: sed quia altiora peccatorum uulnera difficilius curantur. Quod tamen idcirco dictum potest intelligi: quia sacerdotes arguuntur. Vir enim in uirum peccat, cum ille delinquit, cuius culpa corrigenda ad hominis superioris iudicium respicit. Quia igitur peccata subditi populi, quæ ad sacerdotes respiciunt, ipsorum sacerdotũ precibus delentur: cum sacerdos in culpam labitur: superior persona nõ est, cuius precibus expietur. Quod & ipsa ueritas per se insinuat, dicens: Si sal euanuerit, in quo salietur? Dicat ergo, Quis orabit pro eo?] Quasi dicat, quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat: qui ad intercedendum pro alijs ordinatus est? Quæ profectò culpæ magnitudo monstratur: quia plerig; eorũ à domino in impœnitentis cordis caligi nem proijciuntur: & nulla hominis adhortatione respiscunt. Quare aptè subiunctum est. Non audierũt uocem patris sui, quia uoluit eos dominus occidere.] Puer autem Samuel & proficere & crescere memoratur, & tã deo quàm hominibus placere: ut electi auditoris studium designetur, qui rectæ uitæ itinere suos conatus ad supernam patriam dirigit, dum ad maiora conualescit. Vnde &
Psal.83 per Psalmistam dicitur, Ambulabũt de uirtute in uirtutem, uidebitur deus deorum in Sion. Profectus itaq; conuersationis est, crescere meritis, placere deo, & hominibus cõsummatæ perfectionis. Et quia ad opera conuersatio pertinet, meritumq; peruenit ex charitate, illi auditores proficiunt, & non crescũt, qui bona opera pro studio uanitatis exhibent, & charitatem non habent. Proficimus ergo, & crescimus, si cùm sublimiori conuersatione per opera meliora sustollimur, ex eadẽ sublimitate operis, ad sola intẽdimus gaudia æternitatis. Placere autem tam deo, quàm hominibus magnę uirtutis est: quia plerunq; de bono opere nostro proximos nostros offendimus si eadem bona opera nõ cum magna cautela faciamus. Tam deo igitur, q̃ hominib. placet, qui in bono opere quod omnipotentis dei obsequijs impendit, cautus est, qui sic deo placere curat, ut de dei ministerio aliquẽ nõ offendat. Et quia de Samuele adhuc puero, & sub aliena instructione posito dicitur, communiter uiuentiũ per hoc uita eruditur. Nam quidam in sacris locis communiter uiuentes, feruore nouitio sub colore magnæ operationis sibi uacare appetunt, qui contubernalibus fratribus quo minus sunt utiles, hoc minus placẽt. Electus itaq; puer Samuel communiter uiuentibus forma proponitur, cui imprimant. Deo itaq;, & hominibus quisq; eorũ placet, cùm fratribus utilis est deo deuotus. Sic ergo agant curã sui, ut ea quæ sunt proximi, non omittant, quatenus ex benignitate his placeat, qui secum in imo sunt: supernis uerò oculis ex deuotione, fortitudinis suæ robur cautè exhibeat, ut infirmorum corda non atterat, dum fortitudinis suæ impetu, ad superna festinat. Vir aũt dei ad Heli uenisse describitur, qui profectò diuinæ sententiæ seueritatem prolaturus, quãta ei dona contulerat, diligenter enumerauit. Et quia tandem uindictæ, quam mereretur, pœnã denũciat: quid dat intelligi, nisi quia pastorum culpæ subtilius iudicantur? & non solum peccata eis pœnam ultionis aggrauant, sed etiã munera cõcessa. Item quia sigillatim eadẽ dona replicat, aliquid grauius designat: quia singula ad tormentum ueniunt, quæ male fuisse seruata cõprobantur. Male nanq; in se omnipotentis dei munera custodit, qui nitorem pastoralis culminis, per maculas polluit prauæ actionis. Vnde & aptè Heli domus munera, & uictimas domini calcæ abiecisse reprehenditur. Calx quidem ea pars corporis est, qua terrã tangimus. In hac igit inferiori parte corporis animæ affectus ostenditur, quo terrena concupiscũtur. Et quia, ut quibusdam uisum est, pro consecuta uel consequenda uictoria uictimæ afferri consueuerãt, & munera amicis dari: quid in uictimis & muneribus, nisi proficientiũ adhuc uota, & perfectorum deuotiones in omnipotentis dei laudibus designantur? Qui enim per occultorum hostium tentamenta proficimus, cùm ad eorũ conflictum uirtutem pręparamus, profectò uictimas in omnipotẽtis dei laudibus tenemus. Sed deuictis iam ijs, quæ ingeruntur nobis, prælijs, cum de uictoria cõsecuta omnipotẽti deo gratias agimus, eidẽ dño nimirũ uictimas immolamus. Qui aũt ei familiaris amoris affectũ offerũt, quasi amico munera impẽdũt. Munera igit sunt affectiões charitatis, quib, corda electorũ in desiderio sui cõditoris inardescunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inardeſcunt. Et quia cum rector terrena ſequitur pleriſq; in ſpirituali conflictu poſitis, pleriſq; etiam iam anhelare incipientibus nocet, calce nimirum dei uictimas, & munera abijcit: quia exemplo ſuæ prauitatis, eorũdem utrorumq; ſtudia expellit. Abijciuntur itaq; uictimæ: quia ſæpe à rudibus Chriſti militibus pugnæ ſpiritualis labor relinquitur, cum principes Chriſtianæ expeditionis, in terrenorum blandimentorum requie, ſequi corporis ocia uidentur: Calce abijciuntur munera: quia affectiones charitatis à plurimorũ iam ſuperna diligentiũ mente frigeſcunt, dum prælatos ſuos aſpiciunt ſupernam patriam, per nulla amoris deſideria quærere, ſed corporis frigore conſtrictos, infimis delectationibus iacere. Quorũ profecto nonnulli ſunt, qui ipſos ſpirituales honores carnaliter exhibent, & quod meritis debetur, propinquitati tribuũt. Qui profecto præſumptionis ſuæ reatum expaueſcerent, ſi hoc quod de Heli ſacerdote dominus queritur, attente penſarent. Honoraſti inquit, filios tuos, magis q̃ me, ut comederetis primitias omnis ſacrificij populi mei Iſrael. Filios quippe, & propinquos magis quàm dominum honorat, qui ad ſacros ordines perſonas eligit, non ex cõuerſationis honeſtate, ſed amore propinquitatis. Idcirco filij honorati referunt̃, ut ſacrificij primitias ederent: quia carnales prælati ſpiritualis honoris culmina, carnalibus propinquis ideo tribuũt, ut eccleſiaſticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumulet̃ abundantia ubertatis. Nec curãt quales ſunt, qui ad ſpirituale miniſterium ueniunt, ſed tantum ut temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectunt̃. Queritur ergo honoraſſe filios, ſed ſceleſtos, qui & carnali propinquitate proximi habendi non ſunt, ſi eccleſiaſticæ doctrinæ conuerſatione nequaquam fulgeſcunt. Sed qui reprobos promouehunt, ipſum promotionis ordinem confundere deſignant̃, cùm idcirco honoratos filios refert, ut ſacrificij primitias ederent. Non enim prędicat ſacerdos, ut comedat, ſed ideo ut prędicet, mandu
2.Cor.9 care debet. Quod & Paulus inſinuat, dicens. Qui Euangelium annunciat, de euãgelio uiuat. Hinc
Deut.25 iterum dicit̃: Boui trituranti nõ claudatur os, ut uidelicet prædicator ſanctæ eccleſiæ ideo comeſtionem ſubminiſtret corpori ut ferre ualeat laborem prædicationis. Rectum itaq; promotionis ordinẽ peruertere comprobantur, qui propinquos prouehunt, non ad intẽtionem miniſterij, ſed ad propoſitum dignitatis. Quod profecto non facerent, ſi ſe, & eos in ſpiritali culmine carnaliter nõ amarent. Sed ſi Heli repulſionem intelligunt, ſui quoque reatus iudicia pertimeſcent. Nam diuina uoce dicitur. Honoraſti filios tuos magis q̃ me, ut comederetis omnes primitias populi mei Iſrael. Propterea ait Dominus deus Iſrael: Loquens locutus ſum, ut domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo uſq; in ſempiternum, nunc autem abſit hoc à me.] Ecce Heli celſitudine dignitatis ſententia diuina deponitur, qui pro primitiarum eſca ſceleſtos filios honoraſſe con-

Indignos promouere eſt illos deo præponere.

A uincitur, ut profecto ſanctæ eccleſiæ prædicatores intelligant, quia ſi carnali amore reprobis ſpiritalia miniſteria ſcienter committunt, ab illo, in quo foris ſtare uidentur culmine, interni arbitri æquitate eciderunt. Et quia ſubſequenter adiunxit: Sed quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum.] Etiam inhonoratum fuiſſe eorum audacia, latenter innuit. Quibus profecto & Paulus id ipſum improperans, ait: Nomen dei per uos blaſphematur inter gentes. Quia enim decorem acceptæ dignitatis, per miſeræ famæ ſordes maculant, profecto dominum inhonorant. Digne enim ab honoris arce repellitur, qui ei facit iniuriã, à quo honoratus fuiſſe comprobatur. Quo contra gene
B rali promiſſione affirmat, dicens: Sed qui me glorificauerit, glorificabo eum.] Deũ quippe paſtor glorificat, qui exemplo bonorum operũ, ad imitationem fidelium coruſcat, qui de ſublimitate regiminis, ingenti lumine radiat magnæ conuerſationis, qui ad ſpeculum ſacrorũ ordinum reproborũ miniſtrorum perſonas uon accipit, ſed eos ad formã ſubiecti gregis eligit, quos omnis, qui ad imitationem reſpicit, quia uerum in eis lumen ſequitur, non offendit. Quibus nimirũ per ſemetipſam ueritas loquitur, dicens: Sic luceat lux ueſtra co- Matt.5
ram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. Glorificantes quidẽ ſe dominus glorificat: quia quod
C electi paſtores ſanctæ Eccleſiæ exterius portant de gloria culminis, hoc intus accipiunt ex gratia diuinæ bonitatis: & honorem quo ſublimes ſunt in oculis hominũ, digno ſtudio in interiori, ab internæ maieſtatis largitate promerentur. Quo contra inhonorantium ſe gloriam, à ſe non eſſe eis impenſam queritur, dicens: Ipſi regnauerunt, & nõ Oſea 8
ex me: principes extiterũt, & ego ignoraui. Ex ſe nanq;, & nõ ex electione ſummæ ordinationis regnant, qui ad gloriam eccleſiaſtici culminis non uocantur diuinitus, ſed per cupiditatem perducũtur. Quos profectò dominus ignorat: quia eos per internæ æquitatis iudicium reprobat. Tale eſt ergo, ac ſi dicat. Et ſi meus eſſe uidetur honor, quem habent, nõ illũ meruerũt obſequio, ſed per cupiditatẽ rapuerũt. Vnde & ſubſequenter adiungit.
D Qui aũt cõtemnunt me, erunt ignobiles.] Quaſi apertè loquatur, dicens: Et ſi nobilitatem dignitatis præferũt prætextu religionis, ignobiles tamen ſunt: quia excellentiæ eius quam habent gloriæ, non concordant per ſublimitatem uitæ. Sed quia hoc totum expreſſione futuri temporis promittitur, poteſt non inconuenienter ad uenturæ retributionis meritum referri. De qua nimirum Ioannes dicit: Cum apparuerit ſimiles ei erimus. Hinc 1.Ioan.3
euangeliſta Marcus aſſerens, ait: Tunc uidebunt Marc.13
filiũ hominis cũ poteſtate multa, & gloria. Cùm aũt glorificantẽ ſe glorificaturũ aſſerit, profectò ei ſuæ ſimilitudinis gloriã repromittit. Glorificantẽ quippe ſe dñs glorificat: quia eos æterna ſublimitate remunerat, qui nunc intra ſanctam eccleſiam per exempla bonorum operum in electorum oculis coruſcant. Contemptores autem erunt igno-

ignobiles: quia in electorū gloria recipi non merentur. Nam quia modo per conuersationem reprobam, lapsi angeli imaginem uestiunt, ignobiles cum eo tunc erūt, quando ei in interna pœna sociantur. Horum nanq; glorificationem, atq; illorum ignobilitatem propheta intuens, ait: Exultabunt sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus suis. Exultationes dei in faucibus eorū, & gladij ancipites in manibus eorū. Ad faciendam uindictā in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorū in manicis ferreis. Glorificantem se quippe dominus glorificat: quia humiles electi cum eo in æterna gloria exultant. Qui nimirū, quia glorificationis claritatem ex modo propriæ conuersationis accipiunt, in cubilibus suis lætari, de gloria consecuta perhibent. Cōtemptores aūt eius perpetua ignobilitate feriūtur: quia nationū reges, & nobiles ferreis, æternis uidelicet uinculis, ad pœnā uinciuntur. Reges autem nationū, & principes sunt superbi & glorioſi prælati carnaliū. Ignobiles autem tunc erunt, quando ferreis uinculis ligantur: quia qui modo se aduersus paruulos temporaliter erigunt: à fulgore honoris & ausu suæ tyrannidis æterna pœna cohibentur. Vnde & hic quoq; subditur. Ecce dies uenient, & præcidā brachium tuum, & brachiū domus patris tui.] Brachium quippe contemptoris est fortitudo temporalis. Et quia de summi patris familia, transgrediendo exijt, lapsum angelum à cœlesti gloria habere iam patrem cœpit. Domus itaque patris eius est ea, quæ sibi fauet in malo societas subditorum. De quibus profecto superius dicit. Honorasti filios tuos, magis quàm me.] Brachium ergo cōtemptoris, & domus patris eius præciditur, cùm interueniēte morte carnis, prelatus, & subditi uiolentiā suæ tyrannidis pariter amittunt. Tunc quippe sine brachio est, cum in oppressione paruulorum exercere uiolentiā nequaquā potest. Vnde & æterni iudicis æquitate decernitur: Ligatis inquit manibus, & pedib. proijcite in tenebras exteriores. In cuius etiā domo senex non erit. Damnati quippe hominis domus, infernus est. Senectus autem uera est maturitas sapientiæ In domo itaq; eius senex non erit: quia in inferno nulla inueniri poterunt consilia salutis. Vnde & ad ueræ sapientiæ opera sacra scriptura excitat, dicēs: Quodcūq; potest manus tua instāter operare: quia nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas. Hinc Paulus ait: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nūc dies salutis. In domo itaq; contemptoris senex non erit: quia quisquis rectè sapit, nō in inferno, sed in cœlo sibi mansionē parauit. Quia etiā contemptor ad augmentum pœnæ suæ, Æmulum suū uidet in templo in uniuersis prosperis Israel.] Templum etenim dei, superna patria est. De qua etiā per prophetā dicitur: Dñs in templo sancto suo, dominus in cęlo sedes eius. Israel autem, qui uidens deum interpretatur, angelorum illa felix multitudo signatur, de qua dominus in euangelio dicit: Angeli eorū semper uidēt faciem patris mei, qui in cœlis est. Israel autē prospera sunt, beatorū illorū spirituū gaudia sempiterna. In templo igitur æmulum suum contemptor aspiciet: quia prædicator reprobus iam damnatus, ordinem humilium iam gaudere in cœlestibus recognoscit. Cui nimirū æmulo uniuersa Israel prospera tribuuntur, scriptum quippe est: Erit deus omnia in omnibus. Cuncta igitur Israel prospera, omnia quæ deus est illis beatissimis ciuibus designantur. Nam cum æterna illa essentia summum uidelicet & simplex bonū in semetipso sit, tamen quia reuelatione maiestatis suæ omnia illorum beatorum spirituū desideria satiat. Hanc esse doctor egregius demonstrat, unde & cautè nō in semetipso deus omnia, sed in omnib. omnia esse prædicat: quia qui in natura sua unum & simplex bonū ineffabiliter existit, tot bona est bonis omnibus, quot ipsi oēs de contemplatione gloriæ adimplentur gaudijs. Vniuersa igitur Israel prospera æmulo tribuuntur: quia ordo humilium electorum inter angelorum choros excipitur, ut diuinę contemplationis gaudijs æterna perceptione satietur. Qui rectè æmulus contemptoris esse perhibetur: quia electi dei etiam superborū, atq; negligentium prædicatorum bonæ admonitionis hortamenta suscipiunt. Vnde & dñs præcipit dicens: Quæcunq; dixerint uobis facite, secūdum opera illorum facere nolite. Hinc Paulus ait: Bonum æmulamini in bono omnes. Sed cum scriptura dicat: Tollatur impius, ne uideat gloriam dñi, contrarium uidetur, ut ij qui in inferno damnati sunt, eos qui in cœlo gaudent, uidere intelligātur. Sed quia uidere etiam ad cognitionē pertinet, in templo æmulum uidet: quia etsi inferni pœnis constrictus tenetur impius, electos humiles, quos oculis non uidet, in cœlo non dubitat angelorū gaudijs interesse. Et notandum, quia bis dicitur, non erit senex in domo tua: quia nec de pœnarū experientia, quam damnatus habet, nec de scientia alienæ felicitatis, nec de pœnarum experientia, quam nō habet, ad salutem eruditur. Aliquando autem pastoribus reprobis, electi per doctrinā filij nascuntur. Quos nimirū obligatos pastorum culpa non retinet, quia bonæ prædicationis eius hortamenta sequuntur, quæ audiunt, & non peruersa opera quæ uident. Vnde & subditur. Veruntamen nō auferam penitus ex te uirum ab altari meo.] Viri nanq; sunt qui ardua rigidæ conuersationis arce fulgescunt. Quasi ergo dicat. Idcirco eos ab altari meo non aufero: quia uiri sunt. Nam pro merito conuersationis, seruat eis fortitudo, & celsitudo, potestatis. Vnde & per prophetā dominus æquitatis edicta promulgat, dicens: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij. Ab altari itaq; suo ex eo uirum dominus iustè auferret, si filius patris iniquitatem portaret. Sed ex eoipso quod electus auditor in gloria cernit, reprobo doctori pœna cumulatur. Quare & subditur. Sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.] Oculi nanq; eius deficiūt: quia ex eius uita, qui sua perfecit exhortatione

Pśal. 149 — Ephe. 4 — Matt. 22 — Eccli. 9 — 1 Cor. 6 — Pśal. 10 — Matt. 23 — Gal. 4 — Esa. 26 — Ezec. 18

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione confunduntur. Anima quoq; eius tabescit, quia abundantius dolere compellitur, dum bonũ quod docuit, per gloriã retributionis florere nouit in subditis, & ipse hoc agere nõ curauit. In quibus etiã uerbis notandum est: quia qui penitus ex eo uirum ab altari suo se non ablaturũ promittit, rarus innuitur esse quẽ recipit: quia profecto doctoris reprobi plures auditores sunt, qui sequantur praua quæ agunt, quàm recta quæ docent. Vnde & hic quoq;, magna pars domus eius in uirili ætate moritura perhibet. Aetas nanq; uirilis, tempus est administrandi sacerdotij. Imitator itaq; doctoris reprobi ad uirilem ætatem ducitur, cùm ad sacri ordinis celsitudinem promouet. Ad quam profecto ætatem cum peruenerit, moritur: quia ad tantum ministerium quisquis indignus accesserit, uel in eo indignè uixerit, condemnatur. Vnde
1.Cor.11 & Paulus dominici corporis, & sanguinis mentionem faciens, ait: Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit. In uirili ergo ætate moriũtur, quia de præsumptione & ausu ministerij sublimioris intereũt. Hinc ergo, hinc iam quiq; præcipites colligant, & tanti ministerij subire onera nõ ambiant, sed expauescant. Nam qui mori prædicitur, quando ad uirilem ætatem peruenerit, donec ad eam perueniat, uiuit: quia nimirum infirmi quiq; & illi tanto ministerio impares, si pusillitatis suæ modum considerant, habent in sancta ecclesia locum, in quo se custodientes uiuant. Vnde & per Moysen dominus denũciat, di-
Exod.20 cens: Bestia si montem tetigerit, lapidetur. Hinc
Gen.19 est etiam quod cum Loth exiret de Sodomis, ab ascensu montis abstinuit, & in Segor paruulam ciuitatẽ declinauit, ne dũ paruulus adhuc ad altiora nititur, uirilem ætatem impingens moriatur. Sodomam quippe eximus, cum ardẽtis cõcupiscentiæ incendia declinamus. Qui statim ad sublimia non ascẽdimus: quia superioris ministerij summa non tangimus, dum infirmitatem propriã metiendo consideramus: ne si infirmæ ætatis nostræ tenere modum contemnimus, qui paruuli uiximus, in uirili ætate moriamur. In signũ uerò morituræ domus, ambo Heli filij una die mori prædicuntur. Quos nimirũ filios, illos signare diximus: qui ad sacros ordines à propinquis carnalibus promouerentur, non ad intentionẽ administrandi ordinis, sed ad gloriã mundanæ dignitatis. In una ergo die ambo moriuntur: quia in appetitu mundanæ felicitatis intereũt. Gloria secularis, honoris reuerentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentiũ, affluentia rerũ seculariter amata, dies est: sed quæ interficit, Audiant ergo filij Heli: quia in una die ambo moriũtur. Qui enim de accepto pastorali culmine, labentis uitæ felicitatem diligunt: intentionem quidem habent gaudij, fructum uerò lamenti: propositũ in exultatiõe uitæ, & peruentionẽ in mortis mœrorem. Ad mortem itaq; properant, quoties uanè de temporali felicitate gratulantur. Quod & apostolus probat, cum
1.Tim.5 apostatantis uiduæ meminit, dicens: Quæ autẽ in delicijs est, uiuens mortua est. In die nanque hac mori perhibuit, qui causam mortis uiduæ esse delicias ostendit. Sed mors filiorum minus pessima esset, si ipsa causa mortis alienæ nõ fieret. Vnde & non simpliciter mori, sed in signum morituræ domus mori prædicũtur: quia cum ij qui de uicino doctorem reprobũ imitantur, in eodem præcipitio corruunt, & secutores sequentium in ruina cumulantur. Hoc itaq; de officio suscepti culminis, temporalem felicitatem amantes audiant, & reatus sui magnitudinem pertimescãt. Tanto denicq; grauiori pœna digni sunt, quãto aperte conspiciunt: quia de unitate, quam diligunt, non soli moriuntur: quia dum in prætextu mundanæ lætitiæ mortem ebibunt, potus sui pestem ad sequentiũ se multitudinẽ transmittunt. Quibus tamen uerbis potest doctoribus reprobis præsentis uitę breuitas intimari. In una quippe die moriuntur: quia cum ad terminum huius uitæ perueniunt, breue eis omnino fuisse cernitur, quod uixerunt. Vnde per quendam sapientem dicitur: Gaudium hypo Iob 20
critæ ad instar puncti. Hinc iterum de huius mundi amatoribus beatus Iob loquitur, dicens: Ducũt Iob 21
in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Sed raptis ad pœnã reprobis, ad gregis dominici curam sapientes, & electi pastores excitantur. Quare & subsequenter adiungit. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem.] Fidelem nanq; sacerdotem sibi dominus excitat: quia uidelicet eũ summus locus ad sui curam exigit, qui non solum rectè intelligat, sed qui fideliter ministret. Ministrare aũt tũc rectè poterit, cum ministerij sui modum de sacro eloquio recognoscit. Vnde & cùm fidelis sacerdos promittitur, iuxta cor, & animam omnipotentis dei facturus esse perhibetur. Quid enim cor, & animam dei, nisi sacram eius scripturam accipimus? Nam corde cogitamus ad deliberationem, anima uerò afficimur ad amorẽ. Quia ergo in sacro eloquio consilia omnipotentis dei agnoscimus, ibiq; amorem quo humanũ genus dilexit inuenimus: ipsum eloquium cor, & anima eius rationabiliter designant. Illum itaq; omnipotens deus ad suũ ministeriũ sacerdotẽ elegit, qui iuxta cor eius, & animã facit: quia profecto non alius tanto ordine dignus est, nisi qui uoluntatem eius de sacro eloquio didicit: & hoc quod didicit, proximorum utilitatibus per studium charitatis impendit. Sed uigilãter est adhuc intuendũ, quod dicitur, Iuxta cor, & animã meam.] Nam quædam in scriptura sacra inueniuntur præcepta, quę dispensatione quidem dei præcepta sunt, & non amore dei. Quæ profecto si sacerdos, qui excitandus promittitur, adimpleret: iuxta cor quidẽ dei, & non iuxta animam faceret: dum consilium diuinæ dispensationis, & non amoris præceptum operibus reddidisset. An nõ de dispensatione dei illa mandata eius fuerant, de quibus loquitur, dicẽs: Dedi eis mandata non bona. Et cum pharisæi dedando repudij libello, cum ipsa ueritate disputarent, audierunt: Ad duritiam uestram dedit uobis Matt.19
legẽ Moyses. Quia itaq; de dispensatione consilij eius illa fuere, quisquis eisdem præceptis usus est,

iuxta

iuxta cor quidem domini, & non iuxta animã fecit. Nam cordis, & animæ præceptum illud est, de quo dicitur: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Quia hoc quod per consilium præcipit, per amplexum charitatis apprehendit. Hinc item dicit: Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui oderũt uos. Hinc item præcipit, dicens: Quæ uultis ut faciant uobis homines, hęc facite eis. Hęc itaq; & huiusmodi cordis, & animæ dei præcepta sunt: quia hoc reuelatione ostenditur secreti eius cõsilij, quod in eius conspectu suscipitur probatione charitatis. Sacerdos ergo fidelis per hoc indiciũ noscitur, si uidelicet iuxta cor & animam eius operatur: quia profecto tunc uere fidelis est, si non dispensationis eius licentiã, sed præcepta sequatur amoris. Sed quia non frustra, sed ad lucrum subiectę plebis eligitur: subdit, atq; ait: Et ædificabo ei domum fidelem.] Domus nanq; sacerdotis est amplitudo, in qua conuersatur, populi subiecti. Quę profecto domus ei fidelis à domino ædificatur: quia ad obedientiæ studiũ diuina inspiratione erigitur. Infidelis nanque domus est ea subditorum societas, quæ boni rectoris quotidie prædicationem suscipit: cui tamen obedire, per studium boni operis non intendit. Infidelis enim domus esse cognoscitur: quia uerbi dei pecunia, quæ ei prædicatoris sui ministerio creditur, per negligentiam prodigæ uitæ dissipatur, & quod sibi ad negocij lucrum cõmittitur, nequaquam in tempore reddendæ rationis inuenitur. Bono itaq; prædicatori fidelis à domino domus construitur, cum ad obediendum uoci eius subiectæ plebis diuinitus corda prępariãtur, ut nõ solum id, quod in ea reconditur, de uerbi talento custodiat, sed lucro multiplici cumulatũ, ad mensam æternæ susceptionis ducat. Et notandũ: quia fidelis domus à domino ædificari dicit, ut de bona conuersatione subiecti populi prædicator nequaquam inaniter glorietur. Notandum quoque: quia sacerdotem fidelem sibi dominus excitat, ut subiectorum corda hoc ipsum quod optimo rectore regunt, tribuere suis meritis non presumant. Notandum etiã, quod sacerdotem, quem excitat dominus dicit fidelem sibi: domũ autem, quam ei ædificat, fidelem ipsi sacerdoti dicit futuram: quia profecto prædicator deo obedientiam debet, subiectus prælato. Sed ante subiectũ tunc rectè prælatus graditur, si ad omnia dirigenda uitæ suæ itinera, ueritas ipsa uideatur. Sequit ergo:

Et ambulabit coram Christo meo omnib. diebus.] Christus autẽ domini redemptor est generis humani. Qui nimirũ quia iam ad cœlos ascendisse creditur, à fidelibus suis nũc non oculis corporeis, sed mente uidetur. Coram ipso itaq; omnibus diebus ambulat, qui cogitatione subita nihil operatur. Nam ut rectos gressus foris ponat in opere, intus ad Christum respicit, quem per considerationẽ portat in corde. Sed quia adhuc reprobo pastori loquitur, subiungens, ait. Futurum est autem, ut quicunque remanserit de domo tua ueniat, ut oretur pro eo.] Remansurus nanq; de eius domo aliquis dicitur: quia magna pars illius moritura perhibetur. De domo nanq; reprobi pastoris remanet, quem cõscientia peccati à spe consequendæ ueniæ non extinguit. Remanet ergo: quia pondus conscientiæ per pœnitentiæ propositum lęuigatur spe consequendæ uitæ. Qui profecto, ut oretur pro eo, uenit, & ad deum pœnitendo properat, à quo peccando recessit. Vt oretur itaq; pro eo uenit: quia qui indignum deo se fecit, dignum intercessorem exigit, ut alienis precibus expietur, qui proprijs mundari non posse cognoscitur. Vnde & pie Iacobus admonet, dicẽs: Confitemini alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicem ut saluemini. Hinc iterum: Multum ualet oratio iusti assidua. Sed ꝑ eo oratio ualet, qui dum se à peccati immunditia cohibet ad dei se similitudinem redigit, qua se peccando spoliauit. Vnde & hic quoq; subditur. Vt offerat numum argenteum.] In numo igitur imago domini sculpitur, ut eius esse cognoscatur, à quo formari pręcipitur. Numus itaq; dei, similitudo eius accipit. Vnde in Genesi loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et quia de sacro eloquio dei imaginem, & similitudinem, ad quam redigamur, agnoscimus, argenteus numus esse perhibetur. Qui ergo à peccati uia, ut pro se oretur, uenit, numũ argenteũ offerre debet: quia nihil ei prodest, quod pœnitendo compungitur, nec quod flendo confitetur, si inemendata, & incorrepta interius pulchritudine bonæ uoluntatis, luce dei imaginis nequaquã radiare cognoscit. Imago etenim & similitudo dei est, inclyto odio malum odire, & amore perfecto deũ diligere. Vnde & propheta claritatem diuinæ similitudinis ab humano genere perijsse intuẽs, ad eũ, qui cũ inclyta reparationis nostræ luce de cœlo uenit, respicit, dicens: Dilexisti iustitiã, & odisti iniquitatem. Hinc se iam de eius cõtemplatione in perfectionis formam renouatum considerans, ait: Iniquos odio habui, & legem tuã dilexi. Qui ergo de domo reprobi per confessionẽ uenit, qui per humilitatem pro se orari dominũ petit, curet omnino necesse est, ut numum argenteũ offerat, quatenus sumpto splendore bonæ uolũtatis, perfectè oderit malum, quod fecit, & bonũ integro amore diligat, quod neglexerit. Vnde & iusti iudicis examine, propitiatiõis edicta promulganti In quacunq; die, uel hora (ait) peccator conuertitur, uita uiuet, & non morietur. Conuersio autem peccatoris non est in humilitate confessionis, sed in renouatione interioris hominis, cum peccatori iam diuina inspiratione correcto, & malum displicet q̃d amauit, & bonũ placet quod odit. Nam sunt nõnulli, qui se & de nequitia accusant criminis, & prauitatem non corrigunt uoluntatis. Qui profecto cõuerti ad dominũ non creduntur: quia uera conuersio in ore non accipitur, sed in corde. Conuerti etenim simul uerti est. Conuersio itaq; peccatoris uera tunc est, cũ ad creatoris nostri beneplacitũ uterq; noster homo reducitur, cum & caro nostra per iniquitatis odiũ cohibetur à per-

Ioan.15

Lucæ 6

Matt.7

Iaco.5

Psal.44

Psal.118

Ezec.18

Universidad de Deusto
Biblioteca

petratione facinoris, & per amorem iustitię mens se extendit ad intentionẽ bonæ operationis. Sed quia nonnulli intra ecclesiam sunt, qui tantum in uitæ suæ terminũ, ad pœnitentiæ satisfactionem ueniunt, & iudicio ueritatis dicitur, quacunq; hora peccator conuertitur, uiuit: à nonnullis ualde quæri solet, si statim uitã post carnis mortem inueniant, qui magnæ uitæ tempore peccata perpetrant, & tantum in uitæ exitum, se nequiter egisse accusant. Ad quod dicendum est: quia ex ui conuersionis magnitudo deletur criminis. Vis autem cõuersionis est affectio charitatis, cordi infusæ ui sitatione sancti spiritus. Et scriptum est de eodem spiritu: quia ipse remissio peccatorum est. Nam cum electorum corda dignanter uisitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat: quia ut se menti infuderit, eam protinus in peccatorũ & uitiorum odia, & in uirtutum amorem ineffabiliter excitat. Facit eam statim odisse, & quod amabat, & quod odio habuerat, ardenter diligere, atque in utroq; ualde ingemiscere: quia & mala quę odit, se damnabiliter amasse recolit, & bona, quæ diligit, odisse. Quis enim audeat dicere, licet omnimoda peccatorum sarcina prægrauetur, quod perire possit aliquis uisitatus gratia spiritus sancti? Quia ergo peccator nulla hora conuertitur, nisi qua à sancto spiritu illustratur, quid restat, nisi quia sicut peccati mortem execrando deserit, ita uita iustitiæ, ad quam se desideranter cõuertit, uiuat? Qui statim post mortem in uita recipitur, si tantũ amoris ignem recipit in cõuersione, qui cõsumere in anima possit omnem congestã peccati rubiginem. Vnde & de peccatrice muliere dicit. Remittunt ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Hinc ab eadem ueritate in cruce pendẽti dicitur. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. In uitæ igitur exitu ij solummodo salubriter resipiscunt, qui & per internam uisitationẽ perfecte bona diligũt, & mala oderunt, quæ amauerãt. Qui tamen si sufficienter pro admissis iniquitatibus dolere non possunt, nihilominus & isti in hora, qua conuertuntur, uiuunt. Nam qui perfectionem bonæ uoluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortẽ purgatoria pœna peccati ad uitã transeũt, si ad delẽda peccata sufficientẽ uim amoris nequaquã habuerũt. Vnde & Paulus dicit: Sic salui fient quasi per ignẽ. Sed peccator qui ibi saluari per ignẽ meruit, hic per afflictionẽ carnis adimpleat hoc, quod sibi de ui amoris deesse cognoscit. Et tortam panis.] Panis namq; nomine aliquando terrenæ delectationis refectio designat. Quare & propheta Hieremias in appetitu seculari corruptæ Iudææ populũ memorans, ait: Omnis populus eius gemens, & quęrens panem. Panem itaq; peccator cõuersus torquet, cùm præteritam delectationem cruciat per afflictionẽ pœnitentiæ. Panem nanq; torquere est, carnem pro perpetrata delectatione affligere. Qui ergo sine tormẽto ignis, ad salutem transire desiderat, cum numo argenteo tortam panis offerat: ut qui per bonam uoluntatem peccata deserit, ea nimirum ualida carnis afflictione penitus extinguat. Nummum nanq; argenteũ offerebat, qui recepta iam dei similitudine, confitendo execrabatur, quod fecerat, dicens: Computruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Et item: Incuruatus sum, & humiliatus usquequaq;. Sed qui nummum argenteum sibi non sufficere ad oblationem timuit, panis tortam addere curauit. Nam confitetur, & dicit: Rugiebã à gemitu cordis mei. Rugitus enim fletum magni doloris insinuat, in afflictione pœnitentis. Hunc tortum panem argenteo nummo socians idem ipse loquit, dicens: Quoniã iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Pro peccato etenim cogitare est delectationi præteritæ dignam carnis afflictionem proponere. Offerendum ergo panem torquebat, qui & flagitia perpetrata pronuncians, qualiter ea delere posset, cogitabat. Et quia de austeritate cõuersationis pœnitentibus subrepere aliquando solet cupido laudis, intentio ueræ conuersi peccatoris insinuatur per hoc, quod subditur: Dicatq;, dimitte me obsecro ad unã partem sacerdotalem.] Pars nanq; sacerdotalis uniuscuiusq; est, in æterna uita retributio electi. Sacerdotes etenim dei, omnes electi eius sunt: quia cui per oblationẽ ministerij sui incessãter seruiunt, sacra semper offerre munera nõ desistunt. Vnde etiam illi in regno tripudiantes, dicũt: Redemisti nos deo in sanguine tuo, & fecisti nos deo nostro regnũ, & sacerdotes. Dicere ergo peccatori cõuerso: Dimitte me obsecro ad unã partem sacerdotalem.] est de austeritate uitæ, & pœnitentiæ solam partẽ æternæ beatitudinis expectare: ut uidelicet securitatẽ delectationis inueniat, quam & perenni perfruitione possideat, & post se tortiones pœnitentię nunquam trahat. Quare & subdit: Vt comedã buccellam panis.] Si enim panis in sacro eloquio p delectatione accipitur, buccella panis est indeficiens delectamentũ æternæ uitæ. De quo nimirũ oblectamento per prophetam dicitur: Gaudiũ & lætitia inuenietur in ea, gratiarũ actio, & uox laudis. Hinc item iam ad mensam nõ tortæ panis, sed buccellæ inuitatos conuiuas intuens, ait: Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudiũ & exultationem obtinebũt. Hinc Psalmista uoce correpti pœnitentis pronunciãs, dicit: Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lætitia cùm uultu tuo: delectationes in dextera tua usq; in finẽ. Viæ etenim uitæ sunt afflictiones pœnitentię, quibus nimirum à damnationis suæ barathro, peccator ad supernam patriã ducitur, dum pro cõmissis iniquitatibus sponte cruciatur. Vnde & cum correptũ se esse peccatorem insinuat, præsumit, dicens: Tu es domine, qui restituisti hæreditatem meam mihi. Et itẽ cõfidens, ait: Quoniam non derelinques animã meã in inferno. Viæ nanq; uitæ peccatori notæ fiunt, quando afflictiones pœnitentiæ ei diuinitus insinuantur, quando uidelicet illuminata mente considerat, quam uitæ amaritudinem singulis præteritæ culpæ delectationibus apponat. Qui nimirum cum uultu omnipotentis dei, iucunda

Lucæ 7
Lucæ 23
1. Cor. 3
Thren. 1
Apoc. 5
Psal. 32
Esa. 51
Esa. 35
Psal. 15

Universidad de Deusto

iucunda lætitia adimpleri gloriantur: quia de manifesta diuinæ contemplationis satietate reficitur & qui in læua uitæ præsentis ad tempus pœniten do compungitur, in dextera æternæ uitæ usq; in finem delectationibus satiatur. Qui ergo tortã panis obtulit, ad buccellæ comestionem perducitur quia qui amore supernæ uitæ noxias delectationes cruciat, in discubitu æterni gaudij sibi perpetuam refectionem parat. Sequitur.

Caput III.

1.Reg.3 Allegoria

PVer autem Samuel ministrabat domino, coram Heli.] Illud autẽ hoc in loco repetisse ostenditur, quod de electo puero superius memoratur, ubi dicit. Puer autẽ Samuel erat minister in conspectu domini, ante faciem Heli. Hoc quidem est ministrare domino coram Heli, quod esse ministrũ domini ante faciem Heli. Et quia ibi istud Domino adiuuãte plenius exposuimus, in iteranda eius expositione penitus non moramur. Verum quia diuinus sermo est, qui hoc in isto loco, & in illo loquitur, sine utilitate rationis nequaquã hoc egisse monstratur. Pro fastidio itaq; lectoris, explanationem tacemus, repetitionis uerò causam dicimus ad eius utilitatem. Quidam nanq; prælatorum sanctæ ecclesiæ magisterio subditi rudes obediũt, sed cum paulo altius per conuersationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam per

Gene.16 sistunt. Quos bene Agar Saræ ancilla spiritaliter designat, quæ cum de Abraham uiro eius concepisse se uidit, dominam despexit. Agar quippe cõcipit, quando reproba mens subditi aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per uitæ conuersationem credit. Quæ profectò prægnans dominam suam despexisse dicitur: quia iam præsidenti sibi præpositi sui uoluntati per obedientiam subdi dedignatur. Sed quę dominam despicit, ancilla esse perhibetur: quia superbi subiecti, & infirmi sunt per elationem, & ad filiorum dei numerum non pertingunt. Samuelis autem profectus exponitur: quia superius dictum est. Puer autem Samuel proficiebat, atq; crescebat, & placebat tam deo, quàm hominib.] Quę profecto tria qua sublimitate conuersationis percurrerit, supra exposi- D tum est. Quia ergo etiã nunc corã magistro ministrare memoratur, quid est nisi quia electis auditoribus formam præbet, ut quo altiori uita proficiunt, seruare bonum obedientiæ nunquam obliuiscantur? Nam nunc uere proficiunt, si ad altitudinem meritorum & fortitudine conãtur operis, & uirtute humilitatis. Quo in loco est, & aliud quod notari debeat: quia tunc Samuel coram Heli domino ministrare ostenditur, quando ipse de filiorum negligentia à domino obiurgatur. Nonnulli nanq; subiecti, dum fortitudinis suæ modum consiederant, prælatorum suorum malunt esse seueri iudices, quã auditores pij. Qui nimirũ quia exaggerare, & discutere eorum uitas consueuerunt, si in eorum conuersatione uel leuioris delicti macu las intuentur, subdi eorum præcepto obediendo A renuunt. Sed uere fortes existerẽt, si maiorũ, quæ infirma existimant, humiliter sustinerent. Nam ante deum ille magnus per meritum noscitur, qui ei in bono pręcepto subijcitur, qui ex parte aliqua uenerabilis nõ uideẽ. Ecce em̃ Heli aperta dei sententia de negligẽtiæ suæ perpetrata culpa reprehẽditur, sed puer domini Samuel corã eo ministrare domino memoratur: ut profecto apud se colligat qualis sit, qui in leuiori culpa sibi prælatum despicit, si ei se Samuel obediendo subdidit, quem omnipotens deus sui examinis tanta districtione reprobauit. Sed quia Heli nõ ualde supra peccãtes subditos honorasse reprehenditẽ, ipsæ sacrorũ ordinum dignitates pẽsandę sunt. Nã rector peccan tẽ subditũ nisi correptũ honorare debet: subiect9 aũt nec tũc prælatũ despicere, cũ se iustum, & illũ agnouerit peccatorem: quia æternus iudex subditorum iudicium sanctæ ecclesiæ rectoribus tribuit, sed eosdem rectores discutiendos suo examini reseruauit. Hoc tamen ipsum rectoribus ualde timendũ est, quod dei seruantur examini: quia tanto subtiliores rationes uitę & doctrinę suę parare debẽt, quanto sapientior est iudex, quẽ sustinent. Nec tantum eius futurum iudicium in futura uita quasi in longinquo positum timeant: ne qui ubiq; præsens est, incautum feriat de uicino. Negligentes nanq; pastores ad euadendã futuræ uindictæ pœnam, longa uitæ præsentis spatia ad pœnitentiam cogitant: sed iudex qui ubiq; est, de uicino pœnam irrogat: quia prius eis lumen cõtemplationis subtrahit, deinde ad tormenta per mortem rapit. Vnde & de eodem Heli, qui paulo inferius fracta ceruice moritur, subiunctũ est. In diebus illis nõ erat uisio manifesta.] Nam dũ rector agenda quæ nouit, despicit: agitur cum eo districto iudicio ut agenda non uideat: quia implere noluit, quod uidebat. Manifesta nanq; uisio negligentis pastoris non est, sed amantis. Vnde & per seipsam ueritas dicit: Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego Ioan.14 diligã eum, & manifestabo ei meipsum. Claritas nanq; manifestæ uisionis est, reuelatio amatæ ueritatis. Quæ profectò ueritas si merito dilectionis ostenditur, ijs qui torpent à bono opere, dignissimè occultatur: quia signum amoris non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis. Vnde & in euangelio dominus præmisit, dicens: Qui habet mandata mea, & facit ea: hic est, qui me diligit. Quia ergo de negligẽtia operis caligo incurritur internæ uisionis apte nimis dum de contemptu mandatorum sacerdos arguitur, uisio occultata memoratur. Sequitur. Et sermo domini erat pretiosus.] Quantum ad sacræ historię ueritatem pertinet, pretiosum pro raro posuit. Pretiosus itaque sermo erat: quia dum rarus esset qui summa contemplando cerneret, frequens esse non poterat, qui bona loquendo prædicaret. Quod nunc quoq; in sancta ecclesia fieri uidemus: quia dum plerisq; de reuerentia culminis, gloriam affectant honoris, dum sacri ordinis ministeria negligunt, summa quæ uidere nequeunt, subiectis plebibus prædicare nõ possunt; atq; in eorũ familia pretio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sus sermo esse cognoscitur: quia raro bonæ prædi A
cationis hortamenta audiunt, quorum prælati ex
desiderio non quærunt superna, quæ dicãt, sed ter
rena, quæ agãt. Quos profecto sacra scriptura no
Esa.56 tat, quæ dicit. Canes muti nõ ualentes latrare, Nõ
dixit non uolentes, sed non ualentes: quia certè
dum mundi gloriã ex toto corde, & ex tota ani
ma, & ex tota mente & uirtute diligũt, uellent po
pulo sublimia dicere, ut etiam de sublimitate uer
bi possent gloriam habere. Canes ergo muti uo
lentes latrare, non possunt: quia dum prauo cor
de terrena meditantur, occulta ueritatis, quę pro
ferant, reuelatione nulla cõprehendunt. Sed quia
quod pretiosum est, magna cum diligentia custo
diri solet, potest hoc, quod dicitur: Non erat ui B
sio manifesta.] ad carnalium prælatorum negli
gentiam referri. Quod uerò additur, Et sermo
domini erat pretiosus.] ad bonorum ardens stu
dium subditorũ, cùm fideles subiecti etsi non ha
bent qui eis frequenter de thesauro sacri eloquij
superna prædicet, hoc tantum, quod aliquando
scire potuerunt, mira deuotione complectuntur,
& uelut rem ineffabiliter pretiosam custodiunt,
dum per bona opera in cœlo collocant, ubi fures,
qui id auferre ualeant, nequaquã appropinquãr.
Vnde & in euangelio de emptore bonæ margari
tæ dicit. Inuenta una pretiosa dedit omnia sua &
comparauit eam. Cum itaq; in occultatæ uisionis
tempore pretiosus sermo esse describit, electorũ,
subditorũ laudes nuntiantur: quia tanto sublimio C
ri gloria prædicandi sunt, quanto id bonũ, ꝗd de
eminentiori loco perijt, perfectione magnæ cha
ritatis, in inferioribus remansit. Quorũ profecto
bona conuersatione plerunq; agitur, ut ea, quæ
occultata fuerat uisio, manifestetur: ut qui deotè
custodiunt minima, scire debeant, quæ faciant, &
maiora. Vnde & subditur. Factũ est igitur in die
quadam. Heli iacebat in loco suo & oculi eius ca
ligauerant, nec poterat uidere lucernam dei ante
quam extingueretur: Samuel autem dormiebat
in tẽplo domini, ubi erat arca dei, Et uocauit do
minus Samuelem.] Samuel quippe puer à domi
mino uocatur, quoties humilibus subiectis diui
ni consilij arcana reuelant, & humilitatis suæ me
rito lumen contemplationis acquirunt, quod su- D
perbiæ suæ retributione, elati prædicatores per
dunt. Sed notandũ: quia id quadã die factũ ostendit, in qua uidelicet Heli & in loco suo iacere, &
uidere nõ posse perhibetur. In die nanq; uocatur,
qui pro sua, & aliorũ salute, ad supernæ sapientiæ
scienda secreta sustollitur. Quo contra, & Salo
mon sapientiam in nocte percepit: ut caligo tem
poris indicaret, quia eandem sapientiã non perse
3.Reg.3 ueraturus acciperet. Quod intelligi & aliter po
test: quia uidelicet Heli caligo memoratur. Posi
tione itaq; diei, eius ostenditur magnitudo cæcita
tis: quia profecto magnas tenebras habuit, qui
in die non uidit. Nunc quoq; si ad ecclesiæ statũ re
spicimus, generalis gratia luminis est. Venit nãq;
Ioan.8 qui ueræ claritatis radios spargens diceret: Ego
sum lux mũdi, qui sequit me nõ ambulat in tene-
bris. Et quia interni splẽdoris eius gloria ineffabi
lis est, nõ dicit de die isto, uel illo, sed die quadam,
cuius profecto diei claritas nõ est, claritatis uerò
magnitudo incognita. Magnas ergo tenebras pa
stor sustinet, si is, qui ecclesiæ oculus esse per offi
cium noscitur, in gratia tantæ lucis uisionem non
habet. Quare & eiusdẽ oculi tenebras per semet
ipsam ueritas magnas ostendit, dicens: Ipsæ tene- Matt.6
bræ quantæ erunt? Sed iam unde sibi tanta caligo
oriatur insinuat: quia dicit, lacebat in loco suo.]
Locus nanq; prædicatoris standi non iacendi offi
cium habet. Vnde & de seipso dominus formam
eisdem prædicatoribus præbet, dicens: Ego autẽ Luc.22
in medio uestri sum, sicut qui ministrat. Stare ete
nim in medio fratrũ est, per laboriosam cõuersati
onem se in exemplum minoribus præbere. Stare
itaq; ad laborem operis pertinet, & ad pugnæ ne
cessitatem. Vnde & agonotheta spiritualis certa- Ephes.6
minis præcipit, dicens: State ergo succincti lum
bos in ueritate. Et quia iacere quiescentis est, in lo
co prælij & laboris, quietis teporem sequi repre
henditur, qui in loco suo iacere memoratur. Stare
etiam iusti est. Vnde & Paulus dicit: Fide enim sta Corin.1
tis. Iacere ergo etiam ad remissioris uitæ negligẽ
tiam pertinet. Tunc itaq; Heli iacet in loco suo cũ
per lapsum prauitatis, reprobus prædicator requi
escit in sede iusti. Iacentis ergo in loco suo oculi
caligant: quia summa uidere nequeunt, qui in ar
ce pastoralis culminis non exequunt uirtutis ope
ra, sed remissioris uitę blanditijs immergunt. Qui
profectò lucerna dei iam non ueritate laudis, sed
per improperium appellatur derisionis. Nam qui
lucernæ dei appellatione fungitur, & uidere non
posse perhibetur, deridetur potius tanto nomine
quo censetur. Nam in uera iusti laude dicitur: Ipse
erat lucerna ardens, & lucens. Nam ueri luminis Ioan.5
iubar quod amando hauserat, loquendo funde
bat. Prædicator etiam carnalis dicitur lucerna per
officium, cæca per intentionẽ: quia dignitate fun
gitur præbendi luminis, sed mentem figit in tene
bris uanitatis. Cuius profectò consummata per
uersitas designatur: quia nõ dicitur non uidebat,
sed uidere nõ poterat. Quare et malę arboris men
tionẽ faciẽs dominus, ait: Non potest arbor mala Matt.7
fructus bonos facere. Lucernã itaq; dei uidere nõ
potest, cum is qui pastorali dignitate præeminet,
tanta spissitate secularis amoris premitur, ut ad in
ternæ claritatis intuitum, nulla gratiæ inspiratio
ne subleuet: cùm iam uidelicet iusta dei indigna
tione proiectus, in caliginis suæ cæcitate relinqui
tur, ut ulterius per infusionẽ superni luminis nun
quam uisitetur. Bene autem dicitur Antequã ex
tingueretur.] Non uidere enim pœna peccatoris
est, in hoc tamen adhuc seculo uiuentis: uidere au
tem nõ posse, est mortui impij, in alio iam seculo
æterna pœna damnati. Vnde & cõditoris iudicio Matt.22
in exterioribus tenebris claudi prȩcipitur, ut uide
licet ad lucis intuitum nunquam reducatur. Cùm
ergo antequam extingueretur, uidere non posse
dicit, in isto adhuc seculo uiuẽs prædicator repro
bus, damnato iam in perpetuũ impio, in cæcitate

similatur

similatur. Extinguitur autem lucerna, cum pastor moritur. Vel certè lucerna extinguitur, quia cùm reprobus prædicator per mortem carnis interit, quicquid in eo lucere uidebatur de gloria culminis amittit: & uelut sola lucernæ testa sine lumine remanet, cum ad æternum iudicium seruari persona cogitur, quæ omni penitus seculi fulgore spoliatur. Antequam igitur extinguatur lucerna dei uidere non potest: quia & meritum futuræ damnationis per æternitatem suæ cæcitatis possidet, & tamen adhuc coram hominibus per splendorem acceptę dignitatis fulget, Samuel autē dormiebat in templo domini, ubi erat arca dei.] Bene autem reprobus prælatus non dormire, sed iacere dicitur, puer autem subditus, & electus non iacere sed dormire: quia dormire aliquando in bonam partē accipitur, iacere aūt ferè semper in ma
Cant.5 lam. Vnde & sponsa in Cantico canticorū dicit: Ego dormio, & cor meum uigilat. In somno itaq; pueri, perfecti uniuscuiusq; electi subditi à prauo opere requies designatur. In templo quippe, & ubi est arca dormit, qui in cœlesti desiderio, atq; in sacræ scripturæ meditatione occupatus, ad ea quæ ad peruersitatē pertinent, non intendit. Quidam nanq; in templo dormiūt, sed in loco ubi est arca dei non dormiunt: quia nonnulli simplices in cœlesti contēplatione per amorem requiescūt, sed sacri eloquij occulta meditari nesciunt. Samuel autem qui non solū in templo, sed corā arca dei dormire dicitur, eruditos pariter, & electos subditos designat: quia dum amoris sui flammas de sacro eloquio frequentius meditando hauriunt, ad supernæ patriæ dēsiderium altius assumuntur, & uelut intima templi ad somnum eligunt, dum eo longius separantur à publico terreni operis, quo secretius per meditationem reconduntur in sacrario internæ uisionis. Et uocauit dominus Samuelem.] Vocare etenim dei, per uim maioris gratiæ excitare est. Dormientem nanq; dominus uocat: quia à terrena intentione quiescentes, ad augmentū supernæ cognitionis excitat. Nam dū ad ea, quæ foris sunt, per sollicitudinē uigilamus, interna & spiritualia nō sentim⁹. Repulsio itaq; terrenæ curæ, præparatio est nostra ad perceptionē supernæ gratiæ: quia in electis eo fit uberior infusio diuini muneris, quo mens fuerit purior per custodiam internæ meditationis: Sequit̄. Et uocauit (inquit) dñs Samuelē. Qui respondēs ait: Ecce ego, & cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, Vocasti eñ me. qui dixit. Nō uocaui te fili mi, reuertere & dormi. Et abijt et dormiuit. Et adiecit dominus uocare rursum Samuelē. Consurgens abijt ad Heli, & dixit. Ecce ego: quia uocasti me. Qui respondit nō uocaui te fili, reuertere & dormi. Porro Samuel non sciebat dominum, neq; reuelatus ei fuerat sermo domini. Et adiecit dñs, & uocauit Samuelē tertio. Qui consurgens abijt ad Heli, & dixit. Ecce ego, quia uocasti me. Intellexit igitur Heli: quia dominus uocaret puerum, & ait ad Samuelem. Vade & dormi, & si deinceps uocauerit te, dices, loquere domine: quia audit seruus tuus.]

A Quid est ergo q̄d omnipotēs deus uocationē suā tanta arte insinuat, ut uocati mens teneat̄, ne se uocantē cognoscat? Deum audiens, magistrū hunc esse hominē putet? Vocationē emittat, & causam taceat? Ire ad magistrū sinat toties, ad somni quietem redire, & tamen dormientem quiescere non permittat? Nunquid enim qui ad secreta sua cognoscenda uocauit quem uoluit, uoce tantum Heli simili, & non potuit uoce qua uoluit? Et qui quando uoluit, uocauit causam uocationis statim indicare non potuit: & qui excitare uoluit, ut audiret, nisi per magistrū eum docere non potuit, quemadmodū audire debuisset? Sed hac in re magna omnipotēs deus dispensatione utitur, ut B profectò electorum corda duplici eruditione doceantur: quatenus & in superficie historiæ quod sequant̄ obedientiæ bonū quicq; subiecti uideant, & prælati intueantur occulta mysteria, quæ ad lucē intelligentiæ discutiendo perducant. Sed quod primo loco dicendum arbitror, puer qui loquentem dominum, esse magistrū putauit: uocē corpoream audiuit. Non itaq; per semetipsum deus, sed per Euangelicū spiritū puero locutus est: quia qui nō stringitur forma corporea, instrumento corporis non angustatur ad sonum uocis. Quod nimirū & puerili audiētiæ cōuenit. Nam etsi magna sunt merita inchoantis subditi: quia tamen adhuc non in perfectione esse, sed in profectu cōuersationis agnoscitur: ad eam locutionem, qua omnipotens C deus per semetipsum loquit̄, nō pertingit. Per se quidem omnipotēs deus summus uidelicet & incircunscriptus spiritus magnis uiris & spiritualibus spiritualiter loquitur, cùm spirituali locutione eorum mentibus indicat, & agenda, quę agant & loquenda, quæ sciant. Exteriorem itaq; uocem per Euangelicum spiritum mouit, sed gratiæ suæ præsentia creator spiritus, quæ uoluit, indicauit. Vocans itaq; uoce, dum Heli putatus est, cognitione latuit, ut ad magistrū puer curreret, & dum se non fuisse uocatum audiret, deceptus ostenderet, in quāto culmine uirtutis staret. Puer ergo humiliter homini subiectus, atq; obedientiæ ardua arce sublimatus, dū uocatus accessit, iussus redijt, quid aliud nobis exemplo præbet, nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera nanq; obedientia nec D præpositorū intentionē discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne uitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantum bonū putat, si præceptis obediat. Sed in tanta perfectę conuersationis eius gloria uita nostra cōfunditur. Ecce etenim ad supernam patriā sub ducibus Christiani exercitus proficisci decreuimus, sed opera diuersa, etiā si diuersis temporibus iubemur, agere murmuramus. Quis enim sese à murmuratione compesceret, quis ab ira temperaret, si uocatū se bis, & ter audiret, & tamen ex uocantis responso perciperet quia uocatus minime fuisset? Quam profecto desidiæ nostræ caliginem patimur: quia tantæ uirtutis bonum, qua præmij sui claritate re-

Universidad de Deusto Biblioteca

ſplendeat, non uidemus. Vnicũ etenim bonũ eſt ad recuperationẽ uitæ, ſi inobedientiæ culpa malum ſufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo in malo inobedientię mors prævaluit, toties uitæ reddimur, quoties obedimus. Puer itaq; Samuel nec uocatus, nec repulſus offendit: quia uocantis, aut repellentis animum uidere noluit, qui in hoc ſolo gaudere nouerat, quod obediuit. Et quia ſurgere ad laborem, redire autem ad dormiendum, pertinet ad quietem, quid inſinuat, niſi quia utrunq; nobis uitam præparat, ſi obedientis animus in eo, quod agit, nõ niſi obedientiæ bonũ penſat? Pręceptũ nanq; in hoc ſolo penſari debet, quod maioris præceptũ eſt, & qui obediẽtiæ bonum exequit, nõ iniunctũ opus debet cõſiderare, ſed fructũ: quia ad promerenda æternę uitæ gaudia non exquirit qualitas operis, ſed mortificatio propriæ, & executio alienæ uoluntatis. Vnde & 1.Cor.7 Paulus ait: Circumciſio nihil prodeſt, & præputiũ nihil eſt, ſed obſeruatio mãdatorũ dei. Iã ergo apd omnipotentem deum nec ea, quæ ad laborẽ, neq; ea, quæ ad quietem pertinent, parua ſunt, ſi æternam uitam parare obedientib. poſſunt. Quiſquis ergo alieno imperio ſubiectus eſt, hoc ſolum conſideret: quia quod ſibi ſecundum deum inũgitur, valde magnũ, & excelſum in lucro eſt mẽti, quod uitam præparet, in mercede retributionis. Quo Gen.3 contra inobedientes aſpiciãt: quia primus humani generis parẽs, à paradiſi gaudijs nec furto, nec rapina, nec adulterio, nec homicidio, ſed pomi uetiti inobedientia corruit. Vnde & aptè colligitur: quia ſi parua, quæ uidentur maiorũ imperia contempta, ab internis gaudijs ſeparant, etiam minima, quæ perficiuntur, uitam parant. Operator itaque ſtrenuus uitæ ſocialis, & communiter ſecum deo ſeruientium prius æmulator, ſi æterni meriti ampliorem retributionem per obedientiæ bonũ adipiſci deſiderat, in hoc ſolo ſe cognoſcat excellere, ſi præ cæteris arbitrio maioris propriam ſubdiderit uoluntatem. Nam nec magna lucra ieiunij, nec aſperæ uitæ ſtudia, deuotis Chriſti militibus in maiorum præcepto ualde penſanda ſunt. Maioris etenim eſt meriti, charitatis iniuncta refectio ieiunio propria deliberatiõe ſuſcepto. Qui Ieiunium enim iuſſus carnem reficit inuitus, ieiunij præmium deuotione promeruit: & ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquiſiuit. Vocauit ergo deus puerum, ſed uoce magiſtro ſimiliter: ut profecto modum ſuæ locutionis indicaret. Cauſam uocatiõis tacuit, ut electus puer, qua humilitate obedientiæ eſſet, ſublimis oſtenderet. Ire ad præceptorem pertulit, ut deuotionis ſuæ munus offerret. Redire ad ſomni quietem ſinitur, ut profecto nec ea, quæ ſunt minima, cõtemnamus. Iterato excitat, ut eum quem in forma electorum ponere uolebat, oſtenderet: quia nec imperiorũ inſtantia fatigaret. Per eum, qui reprobãdus erat, audire quemadmodum debuiſſet, didicit: ut profecto ſciamus: quia maiorum imperia tunc etiam ueneranda ſunt, cum ipſi laudabilem non habent uitam: quia eorũ doctrina, quæ praua operatione poteſt ſuperbis uileſcere, humiles adiutores facit ad diuinæ familiaritatis celſitudinem peruenire. Sed quia ſequit. Porro Samuel nec dum ſciebat dominũ.] Et ſuperius miniſtrare dño perhibet, ualde contrariũ uidetur eſſe quod dicit: quia neſcire nõ poterat, cui miniſtrabat. Quis enim ei ſeruiat, quem ignorat? Sed profecto per id quod ſub iunctum eſt: liquet id quod ſonat cõtrarium, qua intelligi conuenientia rationis debeat. Neq; re uelatus ei fuerat ſermo domini.] Per quod nimirum datũ intelligi: quia quem amore, & miniſterio nouerat, ſermonis eius reuelatione neſciebat. Nondum enim ſic uocantem audierat, quẽ ſe cognouiſſe, & deuotione miniſterij, & uirtute teſtabatur amoris. Sed in conuerſatione fideliũ conuenienter accipit: nam pleriq; ſub aliena inſtitutiõe bene proficiunt, qui nouitatis ſuæ tempore omni potenti deo miniſteria perſoluunt, & tamen puritate contemplationis ad internæ pulchritudinis eius ſpeciem non pertingunt. Qui cum ſubiectionis ſuæ merito, etiã donũ diuinæ contẽplationis accipiũt: & experiẽtia internæ uiſionis intelligũti quia ſic nondũ ſciebãt, cui miniſtrabãt. Quod bene Iacob ad accipiendã coniugem proficiſcẽs, deſignat: qui poſt laborẽ itineris, per ſoporem quietis dominum uidit, ſed à ſomno euigilans, ait: Vere dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Ne- Gen.28
que enim illic eſſe dominum antequã dormiret, dubitare poterat, qui eſſe hũc ubiq; ſentiebat, ſed quia tũc eum perfectius didicit, ignoraſſe ſe illum perhibuit, cùm familiarius nõ agnouit. Via nanque qua ad coniugem pergitur, intentio deuotæ obedientiæ eſt, qua fœcũditas internæ charitatis conſequi deſiderat. Iacob itaq; dormit in uia, cùm fidelis ſubiectus maligni ſpiritus ſupplãtator, per laborem obedientiæ, ad quietem ſuſcipitur internæ uiſionis. Qui profecto tunc dominum ſe agnouiſſe fatebitur: quia dum eam, ad quã nouiter eſt aſſumptus, internæ lucis miratur ſpeciem: quantum ante neſcierit, experientia reuelatæ pulchritudinis agnoſcit. Fide etenim uelut fama deũ cognoſcimus: amore autem contemplationis is qui fama innotuit, nobis uelut ex oſtenſione præſentiæ, reuelatur. Bene autem per obedientiã proficiens ſubditus, dum ad coutemplationis altitudinem ducitur, dudum ignoraſſe dominũ, perhibetur: quia is quaſi ex præſentiæ ueritate inuenitur, qui fama uelut incognitus, & non prẽſentia uelut cognitus, ante uidebat. Sed quia ſeparatim dicit.

Nondum ſciebat dominum, neq; reuelatus ei fuerat ſermo dñi] poteſt ſubtilius intelligi. Nam in una eademq; interna dei cõtemplatione, & mira charitas cõtemplanti infunditur de fructu tantæ gloriæ, & ſtupor magnus in ſecreti uerbi reuelatione. Quidam ergo dominum ſciunt, & ſermonis eius reuelationem percipiunt: quia & mira dulcedine replentur ex ea quam ex conſuetudine hauriunt, infuſione tantæ charitatis, & magna eruditur ſapientia reuelatione uerbi. A nonnullis uerò ſcitur dominus, quibus ſermo domini nequaquam reuelatur: quia ſimplices quiq; ſed magna

magna conuersatione perfecti uiri, de contempla A cepit, uocans deus, uocationis causam indicauit. tionis diuinæ gloria ineffabilẽ quidẽ amoris dulcedinẽ contemplando percipiunt, sed tamẽ ad reuelati uerbi eius altitudinẽ non pertingunt: quia ad amantiũ ordinẽ assumpti sunt, non ad celsitudinem prædicationis. Reuelatur quidem ei uerbũ, ut ametur, & ne prædicetur, absconditur. Bene autem de eo, qui ad ministeriũ prædicationis eleuatur, dicitur: Nondum sciebat dominũ, neq; reuelatus ei fuerat sermo domini, ut dũ ea quæ nondum habet rudis, insinuat, quibus bonis ditari prędicator debeat, patenter ostendat. Nam qui illam intimi amoris uirtutem nondum percepit, profecto omnipotẽtem dominũ, quem fide uelut fama nouit, præsentia illius magnæ charitatis nescit. Et si ardenter diligit, & arcana mysteriorũ discute B reper spiritũ nondũ nouit, iam quidem dominũ cognoscit, sed ad sermonis eius reuelationẽ non peruenit. De obediente autem puero statim subditũ: Abijt ergo Samuel, & dormiuit.] Iam quippe ad diuinæ locutionis notitiam puer instructus mittitur, cùm electus subditus maioris consilio ad spiritalia cognoscenda præparat. Et dormire quidem ei est in desiderio æternę uitę quiescere, cùm uidelicet animæ iam sola superna sitienti, cuncta præsentia in dedignatione sunt: ut quo studiosius ab intentione sua corporeum omne repellitur, amore inuisibiliũ abundantius repleatur. Et notandum, quia iam quater ad somni quietẽ redire præcipitur: quia dum negligenter utimur isto seculo C circa uisibilia, opere, locutione, & cogitatione uigilamus: Ter ergo dormire præcipimur, ut ad cognitionẽ supernorũ per quietẽ operis, oris silẽtium & cogitationũ superfluarũ abiectionẽ præparemur. Quarto aũt loco ad somnũ mittimur, cũ maiorũ nostrorũ licentia, ab utili etiã ministerio cessare præcipimur: ut dũ nulla perpedimur cura sollicitudinis, totã se mens colligat ad intuitũ supernæ uisionis. Et notandũ, quia quiescentẽ puerum nesciente Heli dominus excitat, sed tamen excitato, nisi eodem Heli præcipiente, uocationis suæ causam nequaq; manifestat: quia electos subditos occulta inspiratione ad supernæ patriæ desideriũ erigit, sed per quietẽ uocare eos ad eam quã diligũt, patriã sine maiorũ licentia non permittit. Quia ergo quoties uocatur puer, toties ire ad magistrum D finitur, quid est aliud, nisi quia ipsa diuinitus inspirata subiectorũ desideria maiorũ iudicio summittuntur? Opus nanq; subiecti diuinitus inspiratũ, tunc deo gratũ esse cognoscit, si maioris imperio, aut permissione peragatur. Quater ergo uocatur puer à domino, quater somni quies prędicit à magistro: quia ad temperamẽtũ operis, silentiũ oris, abiectionẽ internæ sollicitudinis, cessationem ministerij pro amore secretioris uitæ, per diuinã inspirationem succendimur, & tamen amoris nostri desideria adimplere sine maiorũ nostrorũ permissione prohibemur. Vocat itaq; dominus, & uocationis causam tacet, ut permittẽte magistro semet ipsum uocato subiecto insinuet. Nã qui non iusso audire, postq; uocauit siluit, ubi doctor homo prę

Et notandum, quia iam quater ad somni quietẽ redire præcipitur: quia dum negligenter utimur isto seculo circa uisibilia, opere, locutione, & cogitatione uigilamus: Ter ergo dormire præcipimur, ut ad cognitionẽ supernorũ per quietẽ operis, oris silẽtium & cogitationũ superfluarũ abiectionẽ præparemur. Quarto aũt loco ad somnũ mittimur, cũ maiorũ nostrorũ licentia, ab utili etiã ministerio cessare præcipimur: ut dũ nulla perpedimur cura sollicitudinis, totã se mens colligat ad intuitũ supernæ uisionis. Et notandũ, quia quiescentẽ puerum nesciente Heli dominus excitat, sed tamen excitato, nisi eodem Heli præcipiente, uocationis suæ causam nequaq; manifestat: quia electos subditos occulta inspiratione ad supernæ patriæ desideriũ erigit, sed per quietẽ uocare eos ad eam quã diligũt, patriã sine maiorũ licentia non permittit. Quia ergo quoties uocatur puer, toties ire ad magistrum finitur, quid est aliud, nisi quia ipsa diuinitus inspirata subiectorũ desideria maiorũ iudicio summittuntur? Opus nanq; subiecti diuinitus inspiratũ, tunc deo gratũ esse cognoscit, si maioris imperio, aut permissione peragatur. Quater ergo uocatur puer à domino, quater somni quies prędicit à magistro: quia ad temperamẽtũ operis, silentiũ oris, abiectionẽ internæ sollicitudinis, cessationem ministerij pro amore secretioris uitæ, per diuinã inspirationem succendimur, & tamen amoris nostri desideria adimplere sine maiorũ nostrorũ permissione prohibemur. Vocat itaq; dominus, & uocationis causam tacet, ut permittẽte magistro semet ipsum uocato subiecto insinuet. Nã qui non iusso audire, postq; uocauit siluit, ubi doctor homo prę cepit, uocans deus, uocationis causam indicauit. Sequitur enim: Abijt ergo Samuel, & dormiuit in loco suo, & uenit dominus, & stetit, & uocauit, sicut uocauerat secũdo Samuel, Samuel. Et ait Samuel. Loquere domine: quia audit seruus tuus. Et ait dominus ad eum.] Quibus profecto uerbis: quia de incorporea, & inuisibili diuina substantia illud dicitur, quod ad corpus pertinere cognoscitur, necesse est, ut rationabiliter intelligatur. Nam quo ueniat, qui ubiq; est? Quo pacto stare & loqui dicitur, qui corporea substãtia non formatur? Sed in illa omnia dictante substantia, ponunt uerba inopiæ nostræ, per quę surgere ualeamus ad cognoscenda mysteria operationis suæ. Nam uenire domino est, prędentia gratię suæ corda electorum tangere: stare eius est, manenti eiusdem gratię suæ dono, eas quas tangit mentes, in concessæ gratiæ suæ dono retinere. Vocare autẽ eius est, electam mentẽ ad augmentũ maioris gratiæ excitare. Venit nanq; dominus, & non stat, cùm corda negligentium tanguntur per gratiam, & tamen in affectu & amore tangentis gratiæ nequaq; perseuerant. Velut enim præsens, est ueniẽs, & non stans, recedens, cùm ex prędenti tactu diuinę gratiæ, repente bona facere proponunt, & statim derelicti, eiusdẽ boni propositi intentionẽ deserunt. Quod si ad uim cõtemplationis refertur, uenit, & stat dominus, cùm electorũ corda & repẽtè per gratiam tangit, & tacta repẽtè non deserit, ut ueniendo uisitet, stando confirmet, & qui ad gaudiũ sibi dilectæ mentis ostendit, non recedat ipse prius & illa uidẽdo satietur. Sed quia stare dicitur, discessurus quandoq; designatur: quia etsi aliquando electas animas in sua reuelatione per aliquantulam moram satiat præsentiæ suæ dulcedinem subtrahit, ut subtractam ardentius cõcupiscant. Venit ergo dominus, uisitans, stat, suauiter se demõstrans, uocat ad amorem ostẽsæ suæ gloriæ, per ardentissimum desideriũ excitans. Vnde & toties excitatus puer, repetito nomine uocatur: quia uocatio ex nomine, designat affectum magnæ charitatis & familiaritatis. Vnde & Moysi loquitur, dicẽs: Noui te ex Exod. 33 nomine. Vocati igitur nomẽ iteratur, cùm in magnam iam familiaritatẽ internæ maiestatis mens uidentis excipitur, & feruentibus desiderijs ad amorem se uocantis eleuatur, ut præter id quod audit, nil libeat, atq; in lætitia auditus sui immorari perpetuo concupiscat. Vnde & hic apertè subiungitur: Ait ergo Samuel. Loquere domine, quia audit seruus tuus.] Qui ergo loquere posuit, ex necessitate concluſit. Quasi enim uerbis apertioribus dicat. Ego respondi, loquere, qui aliter respondere non potui. Nam quid aliud desiderare potest mens, in illo gaudio loquentis maiestatis assumpta? Dicere enim mẽti deo, Loquere, illam ineffabiliter dulcem locutionẽ semper audire, desiderare est. Dicit ergo: loquere, qui uellet ut nunquam taceret. Vnde & subditur: Quia audit seruus tuus.] Quasi dicat: Quia hoc quod experientia interni affectus excipio, æterna frui perceptione cõcupisco. Petit ergo ut loquat, qui hũc nunq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

in internis ſuis affectibus ſilere deſiderat, ne qui tam ſublimi exultatione domino loquẽte ſuſtollitur, ad perferendas damnatę humanitatis anguſtias, eo tacente deponatur. Nam ſi à corruptionis noſtræ tenebris ipſo loquente aſſumitur, cum nobis per ſubtractionem gratiæ tacet, eiſdem tenebris ſubiugamur. Merito igitur tanto ſubuectus culmine, domino dicit: Loquere,] quia eo interni auditus gaudio ſibi complacet, quo in exterioribus ſuis nihil placet, & manere cum colloquente ſecũ tanto ardẽtius cuperet, quanto ad infirma ſua libentius nunc̃ deponi uoluiſſet. Etiam authore deo cùm domino dicimus loquere, ipſo donante dicimus, ſed tamen quo affectu id ei perfectiores electi dicant, dicere non ualemus: quia quod deſideriȷ eſt ineffabilis, nõ exprimitur locutione rationis. Quẽ profecto affectũ bene Petrus inſinuat, qui cum transformato domino in monte aſſiſteret, refulgentemq; faciẽ eius, ſicut ſol cerneret, & ad inſtar niuis albentia ueſtimẽta eius cõ
Matt.17 ſpexiſſet, ait: Bonũ eſt nos hic eſſe, ſi uis, faciamus
Mar.9 hic tria tabernacula, tibi unũ, Moyſi unũ, & Helię
Luc.9 unũ. Qui enim dicit, bonũ eſt nos hic eſſe, ſi poſſet, ab illa uiſione tantæ gloriæ nunc̃ deponi uoluiſſet. Dum enim dicit Petrus: Domine bonũ eſt nos hic eſſe, & Samuel dicit: Loquere domine, quia audit ſeruus tuus.] Voces quidem diuerſæ ſunt, affectiones æquales. Hoc enim ſignificat Petrus in monte trãsfigurato domino, quod Samuel à ueniente, à ſtante, & ſtante domino ſecũdo uocatus. Sed etſi quaſi neſciens Petrus quid diceret ab euangeliſta reprehenditur, huic tamen ſenſui contrariũ non uidetur. Euangeliſta quippe non affectum Petri, ſed rationẽ reprehendit: quia cum domino aſſumptus in gloria ſeorſum, ſic eſſe ſemper cupiebat, & pro redemptione cõmuni eum ad ignominiã crucis deſcendere nolebat. Neſciebat ergo quid diceret, ſed ardenter quod uidebat amabat: quia profecto tantũ bonum uidebat, quod ſic non amari nullatenus poterat. Vnde etſi iuſtè Petrus reprehendit̃, ei tamẽ rationabiliter indulget̃: quia amore tantæ maieſtatis per fruitionẽ uincebatur. Verũtamen cũ de dicẽdi ignorãtia Petrus arguitur, eiuſdẽ ignorantiæ cauſa memorat̃. Nam ſubdens euangeliſta ait: Erant enim timore exteriti. Illa enim internę maieſtatis ineffabilis pulchritudo electã mentẽ, cui ſe delectabiliter oſtendit, aliquando mirabili pauore cõcutit, ne de uiſionis magnitudine ad elationẽ proſiliat, ſi eã, quã blanda cõtemplatio ad tam ſumma euehit, prouector ſuus ſpiritus timoris moderamine non refrenat. In una quidem & eadẽ reuelatæ gloriæ uiſione, & bonitas redemptoris aſpicit̃ ineffabiliter blãdiẽs, & æquitas illius ineffabiliter terrẽs: ut quo uidẽtis animus de reſpectu dei bonitate dulcius paſcitur, cõſideratione æquitatis territus caueat, ne inaniter ſatiet̃. Vnde & Samuel, cùm ad diuinę locutionis familiaritatẽ ſuſtollit̃, ei non læta de electorũ profectu, ſed de magnorũ defectu terribilia nunciant̃, Nã ſubdit̃: Et ait dominus ad Samuelem: Ecce ego facio uerbũ in Iſrael, quod quicunq; audierit, tinnient ambæ aures eius.] Inter dona quippe ſublimia electa mẽs eo cautius ab elatione cõpeſcit̃, quo per omnipotentis dei iuſtitiã etiã illos repulſos aſpicit, qui donis ſublimioribus fulti eſſe uidebant̃. Quare & de uerbo quod facturũ ſe eſſe dominus minatur, tinnire aures audientiũ prædicuntur. Aures quippe corporis tinniunt, quando intolerabili ſonitu impetunt̃. Nam cùm ultra auditus capacitatẽ ei clamor infundit̃, hunc, quẽ officiȷ anguſtia ſonitũ reȷcit, in tinnitũ cõuertit: quia dum per auriũ antra uox ſibilat, quæ infuſa ſimul ad interiora non intrat. Ad aures uero mentiũ intolerabilis clamor eſt, alicuius magni repulſio prędicatoris. Clamoris ergo effuſi magnitudo nõ capitur: quia dum ſublimia dona prædicatori reprobo conceſſa recoluntur, quo diuinæ æquitatis examine proȷcitur, ignoratur. In tinnitũ ergo auriũ effuſæ uocis magnitudo cõuertitur: quia etſi quo dei iudicio fiat, mentis intentione non capit̃, dum diu per conſiderationẽ penſatur, corda cõſiderantia timore conſternantur. Velut enim de clauſo magnæ uocis ſonitu aures tinniunt, quãdo de diu cõſiderata magnorũ uirorũ reprobatione, iuſtorũ corda pertimeſcunt. Sed ambæ aures tinnire referunt̃, dextera uidelicet & ſiniſtra. Et quia per dexteram æterna uita, per ſiniſtrã uero pręſens deſignatur, & per aurẽ ea quæ dicuntur audimus: quid per ſiniſtrã aurẽ, niſi intentionẽ piæ operationis: & quid per aurẽ dexterã, niſi intentionẽ ſupernæ uiſionis accipimus? Ambæ itaq; audiẽtis aures tinnient: quia cùm ſummorũ uirorũ ruina oſtẽditur, electorum intentio utraq; turbatur: quia & pauenti corde ad contemplanda æterna ſe erigunt, & ſine ingenti formidine temporalia non diſponunt. Hunc nanq; aurium tinnitũ paſſus fuerat, qui domino loquebatur, dicens: Iuſtitia tua ſicut montes Pſal.35
dei, iudicia tua abyſſus multa. Montes quippe dei ſummi & electi uiri intelliguntur. Quibus profecto montibus dei iuſtitia æquatur, cum ardua eius mandata opere perficiunt, ſed tamen diuina iudicia abyſſus multa ſunt: quia etſi in ſanctorũ uirorum oculis recta ſunt ea quæ agunt, ante omnipotẽtis dei oculos qualia ſunt, ſcire non poſſunt. Vnde & bona quæ pręualent, inceſſanter agunt, & ſuper ſe tonantem illam iudiciorũ abyſſum pertimeſcunt: quia de facto domini uerbo quod audiunt, tinnitu magni terroris eorum corda quatiuntur. Aptè autem non niſi audientiũ aures tinnire prædicuntur. Nam & in euangelio hoc admonet, dicens: Qui habet aures audiendi, audiat. Qui enim Matt.11
tota intentione ad ea quę foris ſunt uigilant, hunc timoris tinnitũ neſciunt: quia ſuper ſe diuinorum iudiciorum altitudinẽ nequaquam penſant. Sed ecce qui ſubtilia dei iudicia ſuper ſe penſare noluit, de eo iudiciorum ſententiæ quàm acutæ replicantur. Nam ſubdens dicit: Prædixi enim quod iudicaturus eſſem domum eius uſq; in æternum propter iniquitatem, eo quòd nouerat filios ſuos indignè agere, & non corripuit eos. Idcirco iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius uictimis & muneribus in æternum.]

Quia

Quia enim plerunq; iustæ seueritatis sentẽtia, per clementiam temperatur, magnę districtionis hoc iudicium est, ubi animaduersionis sententia replicando asseritur. Prædixit enim superius Heli cùm per uirum dei suppresso nomine deiectionis eius sententiam nunciauit. Quia uero & nunc idem se acturum iurat, profecto damnationis iudicium replicat. Qua in re etiam notandum est: quia qui inique agentes filios non corripuit, iniquitatem fecisse reprehenditur, quæ in æternum uictimis & muneribus nequaquam expietur. Quæ ergo erit districtio iniquitatis propriæ, si irremeabilis culpa est negligẽtia curæ alienæ? Nam si subditorum peccata incorrepta perenni reatu nos obligat, audacia iniquitatis proprię quibus nos pœnis ligat? Merito ergo audientis aures tinniunt: quia nimirum electorũ mentes, quæ hoc attentè cõsiderãt, de tanta districtione contremiscunt. Merito audientis hoc aures tinniunt: quia profecto immensitatem clamoris habet, quam electa corda uix sustinẽt. Ex dextera quidem audientis auris tinnuit: quia etsi perfectionis suæ merito se quisq; ad superna cõtemplanda erigit, tamen de uitæ suæ celsitudine non confidit. Sinistra etiam auris tinnuit: quia etsi dono scientiæ habet, ut temporalia quis perfectè ordinet, tamen de perfectione ministerij sui fiduciam nullam habet. Inter dona quippe sublimia uerbum audiunt, de cuius clamore auris utraq; tinnitum patitur, sub quo donec ista incertitudinis uita ducitur, pauere non desinit. Vnde & aptè subiungit: Dormiuit Samuel usq; mane.] Vsq; mane enim dormit, qui quousq; uenturi redemptoris splendor appareat, in incœptæ bonæ operationis conuersatione requiescit. Vsq; mane dormit, qui tota præsentis uitæ nocte per propositum inchoatæ iustitiæ expectat, ut ad gaudium emeritę retributionis, claritas sibi promissi redemptoris effulgeat. Verbum enim promissum in Israel audiuit, de quo aures eius tinnire non desinunt: quia de conspecta districtione diuinæ iustitiæ timoris spiritum hausit, sub cuius pondere ad seculi amorem euigilare non poterit. Sed fortasse usq; mane dormire dicitur, pro tinnitu auris dextræ. Nam dextera auris tinnit: quia dum perfectus interioris uitæ amator de perfectione contemplationis dubitat, magis ac magis proficere in ea, qua cœpit uitæ sublimitate, appetit. Sed quandiu in hac mortali carne sumus, maligni spiritus ad summa tendentibus insidiantur, & ut eos ab internæ gloriæ uisione retrahant, ineptarũ cogitationum figmenta congregant, quæ internis eorum oculis proponãt. Bene itaq; dicitur: Dormiuit Samuel usq; mane.] Tentatio immundorũ spirituum nox est: qui uero usq; mane dormit, oculos tota nocte non aperit. Dormit ergo in nocte, qui figmẽta dęmonum dedignatur aspicere in tentatione. Tota nocte etiam dormit: quia caligine in tentationis non uincitur, sed uiriliter sustinet, donec per aduentum gratiæ, claritatis supernæ luce uisitetur. Et tunc profecto uelut mane euigilat: quia oblectamento refusi sibi post tenebras luminis hilare scit. Quasi euigilans quippe tunc oculos aperit: quia lucem qua respergitur, lætanter aspicit, qui aspicere sibi illatas tenebras non curauit. De tinnitu quidem dexteræ auris obtinet, ut qui supernis innititur, uidere reproba dedignetur: & certitudinem sui profectus insinuat, dum quod pace proficit, per aperta & uiolenta bella non perdit.

Sequitur: Et timuit indicare uisionem Heli.] Illud nanq; ei indicare timuit, quod sibi dominus ostendit, ut temeritatem humanæ audaciæ refrenaret uigore disciplinæ. Quidam nanq; adeo sunt præcipites, ut ad prælatorum suorum reprehensionem facile proruant, atq; eorum erratibus minari futura supplicia non paueſcant. Qui nimirũ, quia sanctæ scripturæ morem nesciunt, loquentem sibi dominum nequaquam audierunt. Nam quibus omnipotens deus loquens, prælatorum suorum pœnas insinuat, ea quæ audierunt, eis dicere formidant. Hinc ergo prępositorum suorum reprehensores colligant, quanta se inconsideratione præcipitent, & lapsus sui profunda pertimescant. Si enim ij, quibus omnipotens deus loquitur, prælatis suis loqui metuunt, ij quibus nequaquam locutus est deus, recondere se sub linguæ suæ silentio quanto terrore debuerunt? Timor ergo Samuelis non pauorem seruilem insinuat, sed reuerentiam debitam culmini pastorali. Nam & si negligens prædicator reprehensionem, & minas ex reatu meretur proprio, timorem reuerentiæ exigit eius ordinis celsitudo. Sequitur: Aperuitq; ostia domus domini.] Quid nam est, quòd is, qui loqui timuit, domus domini ostia reserauit, nisi quia obedire non erubuit, qui indicare tristia expauit? Nam superius dictũ est, Samuel dormiebat in tẽplo domini, ubi erat arca dei. Puer enim qui in templo domini dormisse, & nunc eiusdem aperire ostia dicitur, iniunctum ministeriũ habuisse ostenditur, ut horis congruentibus aperiret ostia, & obseruaret. Qui ergo uisionem indicare expauit, & ostia domus domini aperuit, reuerẽtiam magistro dupliciter impendit, uidelicet cura ministerij, & custodia locutionis. Quam profecto loquendi custodiam quam districte tenuisset ostenditur, si ea, quæ sequuntur, subtiliter attendantur. Nam repentè subinfertur: Venit ergo Heli ad Samuelem, & dixit: Samuel fili mi. Qui respõdit: Præsto sum. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est dominus ad te: Oro ne cælaueris mihi. Hæc faciat tibi deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus quæ dicta sunt tibi. Indicauit ergo ei Samuel uniuersos sermones, & non abscõdit ab eo.] Qui enim tãta imprecationis instantia ad loquendũ coactus asseritur, magna districtione silentij obligatus fuisse declaratur. Et quia nõ tã pro custodia puritatis, q̃ obstinatione proteruiæ quidã tacere subiecti solent, Samuel electi subditi formã ostẽdit, qui reuerẽter tacuit, sed tacere, loqui iussus expauit. Itaq; gemina luce cõuersationis enituit, dũ qui filialis timoris uirtute siluit, loquendi utilitatem loquendo conquisiuit. Sequitur: Et ille respondit: domi-

nus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus est,quod bonũ est in oculis suis faciat.] Qui A
simplicius quàm debet istam Heli responsionem
considerat,tam recte hunc respondisse,quàm hu
militer putat.Nam sicut auditur exterius,quid hu
milius respondisse potuit? qui reprobationem su-
am audiuit, & minãti deo imo reprobationis suæ
sententiã promulganti, quicquid de se facere uel-
let obtulit Sed ꝓfecto ista responsionis humilitas
si subtiliter inspiciat̃,uera humilitas non est. Vera
nanque esse cognoscitur,quæ bonum obedientiæ
in maioris imperia consequenda comitatur. Vere
itaque esset humilis,si sese ad emendationem cul-
pæ,pro qua arguebatur,obtulisset. Sed & fortasse
uerius esset humilis, si reprehẽsus nequaquam re-
sponderet,sed neglectam correptionem scelestis
filijs adhiberet, si uel tũc pastorali zelo insisteret, B
& flagitiosorum sacerdotum scelera digna ultio-
ne uindicaret. Dum ergo dicit: Dominus est,
quod bonum est in oculis suis faciat.] electionis
suæ uerbũ apertius protulisse cognoscitur, quam
responsionem humilitatis: quia nimirũ potius ele
git minarum dei causas incurrere, quàm de perpe
tratis iniquitatibus filios condemnare. O quanti
sunt adhuc imitatores Heli, qui cùm minantẽ sibi
omnipotentem deum quotidie de sacro eloquio
sentiant,& tamẽ hominibus displicere trepidant,
& diuinæ indignationis minas incurrere non for-
midant: & dum inimicitias hominũ uelut impla-
cabiles metuunt, de dei misericordia etiam pec-
cando confidunt.Sed inordinata fiducia apud om
nipotẽtem deum uindictæ locum habere potest, C
indulgẽtiã uero obtinere non potest. Incorrepto
enim peccatori,& in culpæ suæ proposito perdu-
ranti,quid est de minanti sibi deo dicere, Domi-
nus est,quod bonum est in oculis suis faciat.] nisi
de ordinatissima dei misericordia,inordinatè con
fidere? De omnipotentis etenim dei misericordia
ordinatè confidit, qui hoc,quod peccando delin-
quit,pœnitendo corrigit,flendo tergit.Peccare er
go,& de dei creatoris clementia præsumere, pela
go iustitiæ eius exponi est. Sic nimirum peccata
perpetrata non tergere pœnitendo, & de dei mi-
sericordia præsumere,in iudiciũ districtionis eius
offendere est.Dum ergo Heli uita in reproborum
prædicatorũ forma describitur, non solum culpa
lapsus ostenditur,sed etiam culpæ in præcipitatio D
ne securitas.Nam qui timore pœnitentiæ,diuinæ
indignationis magnitudinẽ placare potuit, dum
neglexit quod audiuit, incurrit quod meruit. O-
mnipotens enim deus etsi æquitate iustus est, ab-
undantior tamen creditur miseratione pius. Vn-
Psal.144 de & per Prophetã dicitur: Miserationes eius su-
per omnia opera eius.Hinc est quod per Ionã pro
Ionæ 3 phetã Niniuitis minas subuersionis protulit,& ta
men pœnã euertendæ ciuitatis pœnitentibus in-
Esa.38 dulsit.Hinc est enim quod Ezechiæ regi per Pro-
phetæ oraculũ mortis pœna promittitur,sed quia
rex mori metuens, corã domino se pœnitentiæ la
chrymis afflixit,mortẽ qua moreretur, apud eum
quem timuit,non inuenit. Et supra quidẽ se domi
nũ locutũ fuisse asseruit, ut domus Heli & patris

eius in conspectu suo usq; in sempiternũ ministra
ret: sed qui de bona agente, bona locutus fuerat,
de domo reproba iam effecta,sententiã permuta-
uit,dicens: Nũc autem absit hoc à me.] Si ergo
bona promissa reuocat omnipotens deus: quia ij
quibus promiserat,male permutant̃: quanto ma-
gis minarũ effectus retrahit, cùm bene conuersos
eos aspicit, quibus pro admissis iniquitatibus pœ
nã animaduersionis intimauit. Quid ergo ad hæc
dicimus, qui quotidie delinquimus, atq; in reatus
nostri obligatione securi sumus? Hoc igit̃ ipsum
quod districtionẽ diuinæ iustitiæ nõ timemus, no
bis ualde timendũ est: quia ecce,qui diuina indig
natione proꝑcitur,pro culpa perpetratę negligen
tiæ, nullo timore sollicitus fuisse perhibetur. Sed
quia ad timorẽ reprobi prædicatoris repulsionem
nouimus,electi profectũ audiamus. Nam sequit̃:
Creuit autẽ Samuel,& dominus erat cum eo.]
Hoc profecto si ad historiã legit̃,creuisse puer Sa-
muel ætate corporis designat̃:si uero ut cætera spi
ritali inuestigatione ista perquirimus,cũ eo domi
nus esse describit̃, qui creuisse memorat̃. Crescit
autẽ qui in uirũ perfectũ mẽtis ætate proficit. Vn
de & per Prophetã de electis proficientibus dici-
tur: Ambulabunt de uirtute in uirtutẽ, uidebitur Psal.83
deus deorũ in Syon. Hinc Paulus ait: Donec oc- Ephe.4
curramus ei in uirũ perfectũ, in mẽsurã ætatis ple
nitudinis Christi. Verũ nõnulli sunt, qui dum uir-
tutibus crescunt, elatione corruunt. Hi nimirum
crescere uidentur,sed tamẽ cum eis dominus non
est: C
quia à se eum alta sentiendo de se eiciunt,quẽ
in profectu uirtutũ positi, per humilitatẽ secũ ha-
bere potuerunt. Vel si per exteriorẽ dignitatẽ cre
uisse intelligitur, dominus cum eo esse memorat̃:
quia profecto plerisq; in humiliori ordine religio-
si sunt,sed cùm subito ad culmen dignitatis perue
nerint, prima opera cum humilitate derelinquũt.
Samuel igitur & proficit, & proficiens dominum
secum habuit, ut profecto electorum prædicato-
rum morem præferret, qui cùm dona, & dignita-
tes,quibus prosint alijs, assequũtur, de semetipsis
placere deo non negligunt, & ex eo illa, quæ pro
alijs acceperunt dona multiplicant,unde in semet
ipsis ostendunt bonũ, quod in eis loquendo pro-
pagare cõcupiscunt.Quare & subditur: Et non
cecidit ex omnibus uerbis eius in terra.] In terra
quippe uerbum prædicatoris cadit,cùm ex repro
ba prædicatoris cõuersatione uilescit. Vnde & ue
ritatis uoce dicitur:Ad nihilum ualet ultra, nisi ut Matt.5
mittatur foras,& cõculcetur ab hominibus.Et no
tandũ: quia ex omnibus uerbis eius non cecidisse
in terra dicitur,ut profecto prædicatori nihil age-
re liceat,quod licet reprobare.Nam quicquid agi
prohibet, is profecto si agit, uerbũ in terrã cadit:
quia dum à loquente contemnitur,hoc audientes
nequaq; uenerantur. Verbũ nanq; aliquod in ter-
ra cadere prohibebat dominus, cum negligenti-
bus prædicatoribus,negligentiæ suæ uerbum ex-
ponebat,dicens:Quicũq; soluerit unũ ex mãdatis
istis minimis,& docuerit sic homines,minim⁹ uo
cabit̃ in regno cœlorũ:qui aũt fecerit & docuerit,

magnus

magnus uocabitur in regno cœlorũ. Mandatum nanq; nec minimum prædicator soluit, cuius uerbum, ex uerbis omnibus in terrã non cadit. Dum autem ex omnibus uerbis Samuelis, uerbũ in terram non cecidisse dicitur, cuius mores insinuat Samuel, nisi qui merito & prædicationis & operis magni sunt in regno cœlorum? Itaq; ex omnibus uerbis eius in terram non cadit: quia omne, quod altum sanctæ ecclesiæ perfectus prędicator loquitur, ab eo etiam sublimi prædicatur cõuersatione, cùm uelut in ardua specula positus, & sapientes uerbo erudit, & simplicibus iter, per quod ad æternã patriã ingredi debeant, operibus ostendit. Vnde & subditur: Et cognouit uniuersus Israel à Dan usq; Bersabeæ, q̃ fidelis Samuel propheta esset domini.] Quid enim per Dan, nisi simplices, & quid per Bersabeæ, nisi sapientes designantur? A Dan usq; Bersabeæ fidelis Samuel propheta domini recognoscitur, quando electi prædicatoris uita simplicibus ad salutis exemplũ proponitur, & sapientibus per doctrinã eius sanctæ scripturæ arcana reuelãtur. Quia uero Bersabeæ puteus septimus interpretatur, possunt per Bersabeæ non solum sapientes, sed etiam iusti designari. Puteus em̃ septimus quid est, nisi gratia spiritus septiformis? Per Dan peccatorũ uita ostenditur: quia per ueterẽ prophetiã dicitur: Fiat Dan coluber in uia, cerastes in semita, mordens ungulam equi, ut cadat ascensor eius retro. A Dan itaq; usq; Bersabeę Samuel domini propheta cognoscit̃, dum electi prædicatoris uita atq; doctrina, peccatoribus est uenerabilis & iustis: ut in eo uidelicet & lapsi bonum uideant, in quo se pœnitendo corrigant, & boni mirentur uitę celsitudinẽ, ad quam quotidie proficiendo cõualescant. Sequit̃: Et addidit dominus ut appareret in Sylo.] Superius de tempore reprobi pastoris dicitur. In diebus illis non erat uisio manifesta. Cùm itaq; ex sacro eloquio optimus prædicator ostenditur, apparere iterũ dominus perhibetur: quia nimirũ cognitio diuini consilij, quæ abscõditur reprobis, puritatis merito reuelatur electis. Si enim & hominũ consilia nisi familiaribus non creduntur, omnipotẽs deus secreta suæ dispositionis æstimandus est suis patefacere inimicis? Prius ergo iusti doctoris uita prædicatur, deinde addidisse, ut appareret dominus dicitur: quia profecto diuinæ lucis ostensio reprobos & fictos fugit, quæ se electis & mundis cordibus aperit. Vnde & per semetipsam uera lux loquendo nos illuminat, dicens: Beati mũdo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Igitur ut appareret dominus addidit: quia mundum prædicatoris sui oculum uidit. Sed cùm addidit Vt appareret in Sylo,] in eodem loco illũ apparuisse uice alia designatur. Quia autẽ dixit ubi apparuit, ne Heli apparuisse crederetur, subsequẽter & personã eius, cui apparuit, ostendit, dicens: Quoniam reuelatus fuerat dominus Samueli in Sylo iuxta uerbũ domini. Tunc nanq; se ei reuelauit, cùm ei secretũ sui consilij, de repulsione reprobi prædicatoris aperuit. Quod profecto iuxta uerbũ domini factũ asseritur, & hoc quod non ualde superius per uirũ dei ad Heli dictũ fuerat, etiã secundũ historiã impletũ esse sentiatur. Et suscitabo mihi sacerdotẽ fidelẽ, qui iuxta cor meũ, & animã meã faciat, et ambulabit corã Christo meo omnibus diebus. Et itẽ uidebis æmulũ tuũ in templo, in uniuersis prospéris Israel. Quod si iuxta spiritalẽ intelligentiã perscrutamur, quomodo addit dominus, ut electis appareat, nisi quia qui electos suos de contemplatione iustitiæ suæ mirabiliter terret, etiã de ostensione gloriæ ineffabiliter demulcet. Qui enim apparendo iustus, corda sanctorũ terrore concutit, ut appareat addit, quando cordi territo dulcedo refunditur suæ pietatis. Hinc est enim quod Moysi non semper in igne apparuit, sed in igne aliquando, aliquando in nube. In igne quippe terror iudicij est. Vnde & de secũdo redemptoris nostri aduentu per Psalmistam dicitur: Ignis ante eum præ Psal.96
ibit & in circuitu eius tempestas ualida. In nube autem protectio miserationis exprimitur: quia eiusdem protectionis suæ blandimentũ electis suis promittens dominus, ait: Tunc uidebunt filiũ ho Mar.13
minis uenientẽ in nube. In igne itaq; & nube per deserta gradientibus dominus apparet: quia mentes contemplantium se in hac exilij peregrinatione, etsi aliquando terret de iustitia, pauore deiectas erigit blandimento protectionis. Dominus itaq; Samueli apparuit, & ut appareret addidit: quia qui ab electorum mentibus in igne terroris aspicitur, in nube etiam dulcedinis exhibetur. Ignis nanq; uisionẽ intus uiderat, qui nunciabat foris, dicens: Sanctũ & terribile nomen eius. In igne Psal.110
item eum uisum ostendere cupiens, ait: Venite, Psal.65
& uidete opera domini: terribilis in cõsilijs super filios hominum. Sed qui ei in igne apparuit, ut appareret addidit: quia suauitatem gloriæ, & dulcedinis suæ, ei etiam de nube propinauit. Quare & exhilaratus, qui territus fuerat, dixit: Quàm mag- Psal.30
na multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te. Hinc item additam apparitionem admirans, ait: Quàm bonus Israel deus Psal.72
ijs, qui recto sunt corde. Sed attentè considerandum est, quod subiungitur: Iuxta uerbũ domini.] Verbũ ergo domini cognoscendũ est, anteq; ad apparitionẽ domini pertingere mereamur, ne iniusta, & indiscreta uisio ignis, & nubis, non solũ nobis profectionẽ non ostendat cœlestis itineris, sed ad submersionem erroris nos impellat. Origenes quippe dum apparentẽ dominum, sine uerbo domini uidere uoluit, uisionem nubis inordinatè conspexit: quia ignis apparitionem horruit. Nam dum abnegata uel minuta iustitia dei, superfluam eius clementiã prædicaret, asseruit, quod non solum omnibus damnatis hominibus parceret, sed etiã de æterna pœna reprobos angelos quandoq; liberaret. Nouatus autẽ ignis aspicere uisionẽ amplius amauit, qui dum seueram omnipotentis dei iustitiam implacabilem diceret, spe ueniæ consequendæ, & pœnitentiæ omne remediũ peccatoribus abstulit. Nec Nouato igit̃, nec illi alij dominus apparuit; quia uterq; eorũ iuxta q̃d per ueritatem

tatem ſacri eloquij cernitur, omnipotentem dominum non conſpexit. Tunc ergo iuxta uerbum dominus apparet, cum ea oſtenſione ſe menti reuelat, quam ſacræ ſcripturæ fides non reprobat, Vnde & aptè ſubiungitur. Et uenit ſermo Samuelis in uniuerſo Iſraeli.] Hæreticorum quippe ſermo non uenit. Nouati enim ſermo fuit: quia iuſtus deus ſemel lapſis fidelibus nequaquam parcit. Origenis ſermo fuit: quia miſericors dominus nullam creaturam rationalem perire per æternam damnationē ſinit. Sed quia conuerſi ad dominum peccatores, nequaquam pereunt, & ſemel lapſi angeli, & in peccato ſuo mortui peccatores nunquā ſaluantur, hæreticorum profecto ſermo non uenit. Sermo igitur Samuelis uenit in uniuerſo Iſraeli, quia catholici uiri prædicatio completur, quæ in ueritate ſacri eloquij recte cognoſcitur. Et notandum, quia eius ſermo ueniſſe dicitur, cui uiſionem ſuam dominus addidiſſe perhibetur: quia nimirum eius prædicatio uera eſt, cui ſic diuinæ iuſtitiæ terror oſtenditur, ut benignitas eius abundans gratia non cæletur: uidelicet ut mentem uidentis ſic conſpecta ueritas terreat, ut etiam oſtenſa benignitas mentem territam in deſperationem cadere non permittat, ut ſic de benignitate præſumat, quatenus ad præuaricationis auſum non proruat. Hæc autem in ſecundo libello præſentis operis diſputata ſufficiant, ut dum ea, quę ſequuntur, nouo principio inchoare diſponimus, dicendi etiam ſtudium per deuotionem renouetur.

Libri tertij Caput I

VM ſacrę hiſtoriæ ſenſus qualiter electorum moribus conueniret ſtudioſe quærerem⁹: allegoriæ ordinem repetere exponēdo diſtulimus. Vt ergo ea quæ omiſiſſe cernimur ſuppleamus, Quęritur. Quid eſt quòd dum Samuel miniſtrare domino coram Heli memoratur, precioſus ſermo domini eſſe deſcribitur? Sed (ſicut ſuperius eſt dictum) per Samuelem prædicatores ſanctæ eccleſiæ, per Heli etiā electi patres teſtamenti ueteris deſignantur. Puer ergo Samuel miniſtrabat domino coram Heli, cum nouus doctorū ordo redemptoris fidem prædicabat. De quo nimirum miniſterio Paulus loquitur, dicens: Quandiu Rom.11 ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum ho- 2.Cor.11 norificabo. Hinc iterū dicit: Hebræi ſunt, & ego, Iſraelitæ ſunt, & ego, miniſtri Chriſti ſunt, & ego. Miniſtrare ergo domino, in laborem prædicationis pergere eſt. Quod profecto miniſterium Samuel coram Heli domino impēdiſſe dicitur, quia quicquid de religione nouæ fidei, nouus prædicatorum ordo aſſeruit, hoc patrum ueterum authoritate roborauit. Domino quippe miniſtrabat Samuel quando nouus prædicator aſſerebat, dicēs: Rom.15 Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter ueritatem dei, gentes autem

A ſuper miſericordia honorare deum. Qui profecto ut miniſterium quod domino exhibebat, coram Heli quoq; impenderet, adiunxit, dicēs: Sicut ſcriptum eſt: Laudate omnes gentes dominū, & col- Pſal.116 laudate eum omnes populi. Et ut ſe arctius coram Heli in miniſterio domini cohiberet, adiunxit. Eſaias enim dicit: Erit radix Ieſſe, qui exurget rege- Eſa.11 re gentes, in eum gentes ſperabunt. Puer Samuel domino miniſtrabat, cum dominicæ reſurrectionis gloriam Petrus aſſereret, dicens: Ieſum Naza- Act.2 renum uirum approbatum à deo, in nobis ſignis & prodigijs, traditum per manus impiorum interemiſtis: hunc deus ſuſcitauit à mortuis præfinito conſilio tertia die, ſicut impoſſibile erat, teneri eū
B doloribus inferni. Sed hoc miniſterium quod domino exhibuit, etiam coram Heli exhibuit, quia ſubiunxit, dicens, Dauid enim dicit: Quoniā non Pſal.15 derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Coram Heli itaq; Samuel miniſtrare domino aptè dicit, quia electi ſanctæ eccleſiæ prædicatores, dum ſtatū nouæ fidei prædicando erigerent, quod ratione aſſerere conati ſunt, patrum ueterum authoritate firmauerunt. Et tunc quidem ſermo domini pretioſus fuiſſe perhibet. Pretioſa quippe res paruo pretio emi non poteſt. Pretium autem quo ſermo dei emitur, labor eſt ſanctæ operationis. Velut enim rem, quam habere uolumus, pretio emimus, cùm per ſermonem prædicationis quem accipimus, laborem operis exhibemus. Tūc autem erat ſermo
C pretioſus, cùm pro qualicunq; labore operis non dabatur, cùm omnis, qui emptorem ſermonis interficiebat, obſequium deo ſe præſtare cogitabat. Eo igitur tempore ſermonis emptor multo precio eguit, quia ſine magno labore uerbū fidei ſeruare non potuit, qui pro eo quod credidit, ad tormenta peruenit. Tempus nanq; tunc erat, quo is, qui emebatur ſermo, non typo figuratæ mortalitatis, ſed apertæ locutionis præcepto hortabatur, dicens: Qui uult uenire poſt me, tollat crucem ſuam Matt.16 quotidie & ſequatur me. Hinc item dicit: Qui autem amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Et qui non renunciauerit omnibus Luc.14 quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Itaque cùm miniſterium Samuelis aſſeritur, pretio-
D ſus ſermo domini eſſe perhibetur: quia profecto inter initia fidei illi qui prædicantibus æternæ uitæ doctoribus crediderunt, pro accepto uerbo fidei magni laboris opera expēdiſſe credendi ſunt. Et quia Iudaicus populus iam lumen diuinæ cognitionis amiſerat, ſequitur: In diebus illis non erat uiſio manifeſta.] Manifeſta nanq; uiſio eius eſſet, ſi in redemptorē quem ad uiſitationē ſuam ueniſſe audierat, credidiſſet. De qua nimirum eius cæcitate ſubiungitur: Factum eſt autem Heli iacebat in loco ſuo, nec poterat uidere lucernā dei antequam extingueretur.] Viſio nanq; Heli manifeſta non eſt, quia Iudæorum ſacerdotiū in perfidiæ ſuæ cæcitate ſepultum eſt. Heli ergo iacet in loco ſuo, quia & literam legis habet, & in lege & prophetis non habet ſtatum luminis, ſed lapſum

cæcita-

cæcitatis. Locus nanq; Heli uidelicet Iudaici prę-
dicatoris sacra lex est. Quia ergo Iudaicum sacer-
dotium adhuc sacram scripturā habet, in loco suo
est. Et quia uirtutem sanctæ scripturæ nescіens, ad
statum fidei non erigitur, nimirū in loco suo non
stare, sed iacere perhibetur. Quia itē usq; ad mun-
di finē proiectus est, lucernā dei uidere non posse
memoratur. Vnde & cùm quotidie tot à sancta ec
clesia prædicationis hortamenta suscipiant, cùm
tot sacræ fidei assertionibus Iudæi uicti non cre-
dant, quid aliud, nisi hoc quod in sancta scriptura
de eis legimus, & etiam per experimentum tene-
mus: quia uidelicet proiecti sunt, nō solum ut non
uideant, sed etiam ut uidere non possint. Vnde &
Apostoli superfluum laborem reputantes eorum
qui uidere non poterant, in actibus suis dicunt:
Act.13 Quia indignos uos fecistis æternæ uitæ, ecce, con
uertimur ad gētes. Sed qui uidere non posse rela-
tus est, dei lucerna uocatur. Synagogæ nanq; mi-
nisterium dei lucerna fuit, quando in electis patri
bus & per ueræ prædicationis lumen, & per uen-
turi redemptoris promissionem luxit. Quæ profe
cto lucerna ministrante Samuele uidere non po-
tuit: quia tempore nouæ prædicationis, synagogę
magisterium pœnam perpetuæ repulsionis incur
rit. Et notandum, quia non dicitur, lucere non po
terat, quia profecto adhuc lumen sanctæ scriptu-
ræ pro nobis portat. Sed quod portat ignorat. Vn
de & antequam extingueretur, uidere non posse
dicitur. Nondum enim extinguitur, et uidere non
potest, quia certe (ut iam dixi) lumen gerit, quod
non attēdit. Ante enim quàm extinguatur est, do
nec lucet. Et quia ab eo usq; ad mundi finem sacra
scriptura non tollitur, si antequam extinguat non
uidet, cū mundi fine extenditur in cæcitate. Quod
si accensio eius refertur ad zelum perfidiæ, idcir-
co non potest uidere, quia non extinguitur. Nam
si ignē perfidiæ de mente extingueret, ablato im-
pietatis zelo, ad placitum ueræ fidei lumen mētis
oculos aperiret. Sed dum uidere non posse dicit,
indigna lucerna perhibetur, & ad uidendum ea,
quæ digna est, quæritur. Nam subdit, dicens: Sa-
muel autē dormiebat in templo domini ubi erat
arca domini, & uocauit dominus Samuelē.] Con
firmata cæcitate Heli, Samuelem dominus uoca-
uit, quia damnato Iudæorum sacerdotio ad maio-
rem gratiam nouum prædicatorū ordinem assum
psit. Sed qui exposuit quem uocauit, unde etiā uo
caret, ostendit, quia in templo domini, ubi erat ar
ca Samuelem dormire perhibuit. Templum enim
dei est locus ubi habitat deus. Vnde & per Psalmi
Psal.10 stam dicitur: Dominus in templo sancto suo, do-
minus in cœlo sedes eius. Quem profecto locum
1.Cor.3 Paulus insinuat, dicens: Templum dei sanctū est,
quod estis uos. Templum itaq; dei uniuscuiusque
est anima electi. Templum ubi arca dei recondi-
tur, mens est, in qua diuini eloquij sacramenta per
intelligentiā reseruantur. Quid ergo ei aliud dor-
mire in templo, nisi per intentionis custodiam in
propria circumspectione persistere? Samuel itaq;
dormiebat in templo dei, quia nouæ gratiæ unus-

A quisq; prædicator, dum cuncta, quæ mundi sunt
perfectè contempsit, in electæ suæ mentis intima
circumspectione requieuit. Et quia in sacramētis
diuinæ scripturæ eruditus fuit, in templo dormie-
bat, ubi erat arca. Et notandum, quia non dicitur,
dormiuit, sed dormiebat: quia nimirum eandem
mentis suæ circumspectionem non in transitu ser
uare studuit, sed in diuturnitate perseuerantiæ.
Somnus itaq; Samuelis, perfectum mundi cōtem
ptum designat in mente doctoris. Dormit ergo
prædicator in tēplo, cùm repulsa à se penitus mun
dana sollicitudine, sese per considerationē rerum
spiritalium recondit in mente. Huius nanq; som-
ni quietem Petrus elegerat, cùm dicebat: Non est Act.6
bonum relinquere uerbum dei, & ministrare men
B sis. Hinc letro Madianita Moysen cognatū suum
iustè arguit, dicens: Stulto labore consumeris tu, Exod.18
sed audi uerba mea, & erit dominus tecum. Esto
tu populo in ijs, quæ ad deum pertinent, ut refe-
ras, quæ dicuntur ad eum. Hinc Paulus ad templi
somnum Corinthios reuocat, dicēs: Iam quidem 1.Cor.6
delictum est in uobis, quòd iudicia habetis inter
uos. Quare non magis fraudem patimini? Dormi
re quippe in templo dei non posse conspexerat,
quos iudiciorum occupatio à spiritali meditatio-
ne retrahebat. Dormiens ergo in templo, uocatus
à domino dicitur, quia ille tunc doctor ad cogno-
scenda diuina secreta assumptus est, qui per cor-
dis intentionem non in exterioribus, sed in inte-
rioribus morabatur, sequitur: Qui respondens,
C ait: Ecce ego, & cucurrit ad Heli, & dixit: Vocasti
enim me, qui dixit non uocaui te fili mi, reuertere
& dormi.] Cur is, qui uocantem se dominum au-
diuit, ad Heli cucurrit, nisi quia se ab Heli uocatū
putauit? Et quia explanationis typicæ ordinē te-
nemus quomodo Heli putatur, cum uocato pue-
ro deus loquitur? Sed quæcunq; in scripturis san-
ctis patres nostri ueteres locuti sunt, ad Heli refe-
runtur locutionem. Qui nimirum quia à semetip-
sis non sunt locuti, dum deus per eos quæ uoluit
locutus est, ea quæ in scripturis sanctis audit, uox
dei esse cognoscitur, quę per Heli profertur. Puer
autem quia loquēte deo, ad Heli cucurrit, uocem
profecto deus Heli similē protulit. Quid ergo est,
q̄ diuinæ locutionis uox ab Heli uoce nō differt,
D nisi quia & per patres ueteres ipse locutionē pro-
ferit? Vox nanq; Heli dei esse cognoscitur, quoniā
electi patres quicquid per sacra eloquia loquun-
tur, non à semetipsis, sed à domino acceperūt. Vn
de & in prophetis per omnem ferè locutionē re-
petitur, hæc dicit dominus, ut ea quæ prophetę o-
raculo uox resonat, sentiamus non esse loquentis
hominis, sed præcipientis dei. Aliquando autem
per scripturam loquitur deus, aliquando per oc-
cultam inspirationē. Reuelatione autem occulta
loquitur, cùm electę menti per spiritum, aut agen
da, aut docenda panduntur. Samuel itaq; cùm uo
cantem se dominū audiuit, ad Heli cucurrit: quia
electus ordo prædicatorum sanctæ ecclesiæ hoc;
quod deo reuelante cognouerat, quale esset, in sa
cro eloquio perquirebat. Regula quippe rectæ

intelligentiæ in scripturæ sacræ libris expressa est: quia diuina consilia ibi per uenerabiles patres nostros exposita sunt, qui spiritū sanctum habuerūt. Vocatus ergo tam sæpius à domino Samuel, ad Heli cucurrit: quia ordo prædicatorum in omni quod spiritali reuelatione didicit, patrū ueterū dicta consuluit, ut tunc demum à domino sibi fuisse reuelatum crederet, cùm ab eo quod in sacra scriptura legebat, nequaq; differre cognouisset. Nam facile fallitur qui hoc quod occulta contemplatione colligit, in præclara sanctæ scripturæ ueritate nescit discutere quale sit. Vnde & Apostolus de-
2.Cor.11 nunciat, dicens: Transfigurat se Satanas in angelum lucis. Quomodo autem falsa, in ueræ lucis claritate discernuntur? Ad Heli ergo currit Samuel, quoties à domino uocatur: quia sancti prædicatores ne falsæ lucis imagine in intima contemplatione fallantur, modum occultæ reuelationis, in aperta scripturæ sanctæ ueritate discutiunt. Qua in re quærendum est, quomodo Heli dicere comperat.

Nō te uocaui fili mi.] Sed patres nostri, qui per sacrum eloquium nouis prædicatoribus loquuntur, non eos uocant, sed qualis sit interna eorū reuelatio indicant. Vocare etenim dei, electorū suorum mentes aspiratione suæ gratiæ excitare est. Antiqui uero patres per scripturā quidem sacram loquuntur, sed tamen aspiratione diuinæ gratiæ corda audientium excitare non possunt. Consulta ergo sacra eloquia, dum se donū spiritualis gratiæ dare non posse indicant, authoritate Samuelis sese Heli uelut quibusdam locutionibus excusāt. Sed hoc nimirum quod dare non possunt, insinuare qualiter acquiri debeat, possunt. Vnde & Heli uoce ad Samuelem dicitur: Reuertere, & dormi.] Quid est quòd uocatum puerum redire Heli ad somnum præcipit, nisi quia prædicatoribus ostendit, ut ad percipiendum donum internæ gratiæ se per mentis quietem parent? Et notandum, quia dicitur: Reuertere.] Samuel nanq; reuertitur, cùm electus prædicator à meditatione sacri eloquij ad secretum redit internæ contemplationis. Reuersus ergo dormiuit, quia in internæ contemplationis intentione requieuit. Quo in loco etiam hoc notandū est, quia Samuel à domino ter uocatur, ter iterum ab Heli dormire præcipitur. Quid est hoc, nisi quia tres gradus dilectionis esse
Matt.8 ipsa ueritate docente didicimus? Diliges dominū deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota uirtute tua. Sed quid in corde accipimus, nisi consilium? Quid autem in mente, nisi uoluntatē? Quid uero in uirtute, nisi amoris affectio designatur? Sed & per cōsilium, quid aliud quàm ueritatis certitudinē inuestigamus? Et per uoluntatem quid diligentes, nisi bona ualde concupiscimus? Per affectionē, quid nisi ueri gaudij perfruitionem quærimus? Per gradus nanq; dilectionis ad summa sustollimur, cùm cordis nostri consilio ueritas reuelatur, & uoluntati mentis bonitas uera conceditur, atq; affectioni uirtutis nostræ per infusionem diuinæ gratiæ, spiritale & uerum gaudium datur. Ter igitur est Samuel uocatus à domino, ter ad dormiendum à magistro reuerti præcipitur, tres ille gradus dilectionis insinuat, qualiter acquirātur. Nā quia cordi consilium aptauimus, consilium uero inuenire ueritatē desiderat, magnus utiq; sopor est necessarius, ne prius amans euigilet, quàm quæsita ueritas inueniatur. Reuertatur ergo puer, & dormiat, ut qui ueritatis lucē inuenire desiderat, per quietē caueat, ut ad se errorū tenebras non admittat. Secūdo etiam dormiat, ut amoris obsequium omnipotenti deo ex tota mente impendat, ut bona quæ amat pura simplicitate, nulloq; malorū uelamine pallientur. Quod profecto quia non nisi magna discretionis subtilitate cognoscitur: uocatus puer à domino, ab Heli reuerti, ut dormiat iubetur. Nam si dormire, pro ascendendo isto amoris gradu negligit, hoc quod de uirtute appetit, non acquirit: quia etsi iam bona, deo aspirante amare possumus, nisi magna mentis quiete, qualia sint ipsa bona quæ uolumus, nō dijudicamus. Ter ergo ad dormiendū Samuel mittitur: quia profecto nouus prædicatorū ordo, ut ex tota uirtute diligat, admonetur. Et quia uirtutē ad affectionem retulimus, affectio autem mentis de gaudio spirituali perficitur, magnā somni quietem Samuel habuit, & dum spiritualia per quietem ordo prædicatorū certus didicit, sub specie ueri gaudij, gaudium extraneū non recepit. Nam sicut de uirtutibus cæteris, ita & de profectu contemplationis,

mens

mens contemplantis plerunq; inaniter hilarescit. Dormiuit ergo iterum Samuel: quia nimirū ordo doctorū nisi cautè se in contemplatione circumspiceret, aliquando uanè gaudendo, se uero gaudio gaudere existimaret. Primo itaque dormiuit, quia dum cognoscendæ ueritati animū intendit, magna consilij subtilitate, erronea cuncta reprobauit. Secundo dormiuit, quia cùm conditorē diligere extota mente didicit, magna apud se quiete disposuit, ut bonis quæ cuperet aliqua reproba non misceret. Tertio etiā dormiuit, ut dum supremum gaudium de diuina cōtemplatione percipere t, uanam lætitiam reprobare consulta mente potuisset. Et quia hoc de Samuele adhuc proficiente dicit, aptè subiungitur: Porrò Samuel necdum sciebat dominū, nec reuelatus ei fuerat sermo domini.] Dominū nanq; tunc ordo prędicatorū nescit ea perfectione, qua postea profecit. Vel fortasse idcirco nescire dominū dicitur, quia alta & profunda quæ nouerat infirmis adhuc & rudibus auditoribus non pandebat. Vnde & uolentibus diem dominici aduētus agnoscere, ea quæ omnia nouerat, & indicare nolebat, ueritas dicit: De die Mar.13 aūt illa & hora nemo scit, neq; angeli in cœlo, neq; filius, nisi solus pater. Quid est quod sciens omnia filius, iudicij diē nescit, nisi quia inter cuncta quæ nouerat, diem sciēs, nesciebat eum, ut diceret, sed eius tempus & qualitatem sciebat? Hinc Ioannes Baptista, qui dominum perfectè nouerat, ad eum Luc.10 quasi nescius discipulos mittebat, dicēs: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Velut enim dominum nesciēs Samuel prædicabat, cùm Euangelista Matthęus diuinitatē redēptoris præteriēs, Matt.1 à sola humanitate eius inchoauit, dicens: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Sed sciebat profecto dominum, & reuelatus erat ei sermo domini, cùm Ioannes diuinitatē eius alta Ioan.1 exponendo suspiciens, ait: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Nesciebat dominum cùm Paulus loquere- 1.Cor.9 tur, dicēs: Factus sum omnia omnibus, ut omnes facerem saluos. Qui enim infirmis infirmus, et paruulis fiebat paruulus, & omnibus omnia, nimirū cum ignorantibus etiam ignorabat. Nam ut eiusdem ignorātię uerbo uteretur, Corinthijs loquēs, 1.Cor.2 ait: Nihil iudicaui me scire inter uos, nisi Christū Iesum, & hunc crucifixum. Nam cum sapientibus & dominum nouerat, & sermonē eius reuelatum 1.Cor.3 habebat. Vnde & dicit: Nos autem reuelata facie domini gloriā speculantes, in eandem imaginem transformamur, tanq; à domini spiritu. Hinc item 1.Cor.2 loquitur, dicens: Sapientiam loquimur inter perfectos, non sapientiam huius mundi, neq; principum huius seculi, sed loquimur dei sapientiā, quæ in mysterio abscondita est. Hinc item eum quē no Hebr.1 uerat dominū prædicat, dicens: Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substātiæ eius, portansq; omnia uerbo uirtutis suæ, purgationē peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differētius præ illis nomē hæreditauit. Cui enim dixit angelorū,

filius meus es tu, ego hodie genui te? Nescire ergo dominum dicitur, non ignorātia cognitionis, sed prætextu simplicitatis, Sequitur: Intellexit ergo Heli quia dominus uocaret puerum.] Nam si non intelligeret, per sacra eloquia ei salutis consilia nequaq; ministrasset. Intellexit nāq;, quia prę uidit. Quicquid enim omnipotens deus in cōstructione futuræ ecclesiæ agere disposuit, hoc ueteribus patribus per sanctum prophetiæ spiritum reuelauit. Nam per Amos prophetam dicitur: Non Amos 3 faciet dominus deus uerbum, quod non reuelauerit seruis suis prophetis. Quid enim aliud q; nouorum prædicatorum uocationem intellexerat, qui dicebat: Pro patribus tuis, nati sunt tibi filij, con- Psal.44 stitues eos principes super omnem terram. Sed ei, quem uocandum intellexit, etiam consilium subministrauit, dicens: Vade & dormi, & si deinceps uocauerit te, dices: Loquere domine, quia audit seruus tuus.] Iam quidem de somno Samuelis satis (ut arbitror) quia internæ meditationis quietem designet, ostēsum est. Qui profecto somnus ab Heli Samueli præcipitur, quia ad contemplāda interna mysteria, uacare doctor per sacrum eloquiū docetur. Sed quid est quòd Samuel quoties uocatur, toties ad dormiendum remittitur, & tamen ei adhuc nequaq; iubetur, ut dicat deo, Loquere domine, quia audit seruus tuus?] Ibi enim dormire iubetur, non tamē loqui, hic autem etiam cum obedientia somni etiam licentia iniungitur locutionis. Ibi etiam ad dormiendum misso, non dicitur uade, sed reuertere, hic quoq; nequaquam dicitur reuertere, sed uade. Quid enim sibi uult tanta præcipiendi uarietas? Quam nimirum uarietatem clarius agnoscimus, si illud, quod hoc in loco Samuelis somnus significat, attendamus. Et quia superiores somni modos, ad probationē donorum sanctæ dilectionis retulimus, quid est hoc loco Samueli, id est nouo prędicatori dormire, nisi probata iam & cognita eadem dona, cū securitatis quiete possidere? Merito igitur ei prius non dicebatur uade, sed reuertere, nunc autē non reuertere, sed uade. Qui enim adhuc examinabat reuerti iubebatur, ut mētis tranquillitate aliud donum discuteret, qui aliud iam eadem mentis quiete cognouisset. Ei autem qui iam cuncta examinando probauerat, uade dicitur, quia ad possidenda cognita, secura iam intētione mittebatur. Cur ergo prius somnus sine locutione præcipitur, nūc autem somnus cum locutione, nisi quia non licebat dicere, loquere, nisi ei qui uera cognitione certus existeret, quia is qui loqueretur mentis suę affectibus deus esset? Examināti ergo non dicitur, quia nisi loquentem intus perfectè dijudicet, locutionem spiritualem sibi adhuc incertam, non debet cupere & excipere quasi certam. Dicere enim menti deo loquere, est internam eius aspiratione securè excipere. Igitur perfectè cognoscenti hoc competit, non probanti: quia ante iudiciū interni examinis, sicut diuina locutio non probatur, ita quod de deo nobis est incognitū pro certo & cognito non excipitur. Dictum nanq; est Samueli:

Vade,& dormi,] quia cùm ordo ſanctorũ prædicatorum dona ſpiritalia per ſacri eloquij probationem didicit,eiuſdem ſanctæ ſcripturæ eruditione cognouit,ut in eiſdem donis eo ſecurius per amorem requieſceret, quo eorum uirtutẽ apertiori ratione cognouiſſet.Præceptum quoq; eſt ei,ut uocanti deo diceret: Loquere domine.] Quia ſacræ locutionis ſtudio doctus eſt, non ſolum per internæ uiſitationis gratiam loquentẽ dominum, deuotè audire,ſed ſilentem etiam,ut loqui dignaretur magnis deſiderijs implorare: Abijt ergo Samuel,& dormiuit in loco ſuo.] Tot habet loca prædicator ſanctæ eccleſiæ, quot profectus uitæ. Vnde & profectus ſui loca diuinis laudibus cõſe
Iob 31 crans,beatus Iob dicit:Per ſingulos gradus meos pronunciabo eum.Non enim iam in loco examinis, ſed certæ cognitionis ſiſtitur cùm ad altiora ſubleuatur.Locus nanq; prædicatoris,rerum cognoſcẽdarum certa cognitio eſt. Nam de reprobis
Hiere.3 prædicatoribus dominus dicit: Tenentes legem meã,neſcierunt me. In loco igitur ſuo Samuel dormiuit,cùm ordo doctorũ ſpiritalium, rerũ cognitionem cum certitudine ueritatis retinuit. Sed in quem gradum proficiat, oſtenditur, quia repentè ſubinfertur: Venit ergo dominus, & ſtetit.] Quia non redire,ſed uenire dominus dicitur, ludææ deſtitutio, & ſanctæ eccleſiæ uiſitatio deſignatur. Vnde non ſolum uenire, ſed ſtare perhibetur.Ad ludææ uiſitationem ſe ueniſſe inſinuat, di-
Matt.15 cens:Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Sed ueniens, non ſtetit, quia ſalutis ſuæ bonum contemnentẽ deſeruit. Vnde & ſyna-
Matt.23 gogæ principibus minatur, dicens : Relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Hinc itẽ denuntians,
Idem 21 ait: Amen dico uobis,quia auferetur à uobis regnum,& dabitur genti facienti fructus eius. Ad Samuelẽ itaq; uenit,& ſtetit:quia prædicatores ſanctæ eccleſiæ ſemel aſſumpſit, à quibus per cuſtodiam ſuæ gratiæ ulterius non recedit.Nam ad Samuelem uenerat,cùm nouos præferens orbi præ-
Mar.16 dicatores,dicebat:Ite in orbem uniuerſum,& prędicate Euãgelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit : qui uero non crediderit,condemnabitur,Sed ſi ſtare debeat,qui ue-
Matt.ult. nit dominus,dicat:Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus,uſq; ad conſummationẽ ſeculi. Venerat ergo dominus,non ut recederet, ſed ut ſtaret: quia nouos fidei miniſtros elegit, quos uſque in mundi finem per ſanctarũ uirtutum ſibi patrimonium ſuccedentes protegit.Sed qui uenit,per gratiam uiſitans,qui ſtat per electionis ſuæ immutabilitatem perſeuerans, quid adiungat, audiamus:

Et uocauit,ſicut uocauerat ſecundo,Samuel Samuel.] Secundo quippe uocauit,quia ei in miniſterio prędicationis officiũ duplex præbuit,ut uidelicet ſynagogæ ſuperbiam repellendo contereret, & humilitatẽ gentilitatis ad fidem uocando, ſubleuaret. Vel certè ſecundo uocatur,quia in deſtructionẽ ueteris hominis,atq; in noui ędificationem excitatur. Vocatus eſt ergo ſemel, cùm per ſpiritum inſtruebatur, qualiter peccata,& uitia in peccatorũ cordibus delere potuiſſet:ſecundo uocatus, cùm interni magiſterij eum deus documento inſtruxit,ut deſtructa in mente conuerſorũ impietatis ædificatione, nouam ſanctarũ uirtutũ fabricam erigere deberet. Quod profecto magiſterium,quia ordo ſanctorũ prædicatorũ & libenter didicit,atq; ad obediendũ deuotè ſe obtulit, ſubditur: Ait ergo Samuel:Loquere domine, quia audit ſeruus tuus.] Audire loquentẽ deum, præcepta eius operibus adimplere eſt. Quod cõtra in Euangelio reprobis per ſemetipſam ueritas dicit:
Ioan.18 Qui ex deo eſt,uerba dei audit: propterea uos nõ auditis,quia ex deo non eſtis. Sed audienti quod inſinuare appetit,ſubdit,nam ſequitur: Et ait dominus ad Samuelem.Ecce facio uerbum in Iſrael, quod quicũq; audierit, tinniẽt ambæ aures eius.] Et idem uerbũ aperiens,ait: Prædixi enim ei,q̃ iudicaturus eſſem domũ eius uſq; in æternũ propter iniquitatẽ,eo quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuit eos. Idcirco iurauí domui Heli,q̃ non expietur iniquitas domus eius uictimis & muneribus in æternũ.] Quid enim his uerbis aliud q̃ toties iam explicata ludæorũ repulſio deſignatur? Domus nanq; prædicatoris, eſt multitudo populi ſubiecti. Quam uelut poſſidendo inhabitat,dum per ſuæ ſollicitudinis curã ſeruat: Domus ergo Heli,id eſt ſacerdotij ueteris, ludæa fuit,quam dum per cõuerſationẽ reprobã coluit, prauitatis ſuę maculis immundam fecit. Qui profecto filios ſuos indignè agere cõſpexit, quia ſummum ſacerdotiũ minoris ordinis ſacerdotes in redemptorẽ ſæuientes uidit, & eos non corripuit, nec ab effuſione tanti ſanguinis ulla eos authoritate reuocauit. Idcirco ei diuina cõminatione promittitur,quod domus eius in æternũ iudicetur. Iudicare etenim dei damnare eſt. In æternũ ergo iudicatur,quia perire ęterna pœna decernit.Et quia hoc æterna dei animaduerſione fit,iureiurando ſe affirmaſſe perhibuit,quod iniquitas domus Heli in æternũ precibus & muneribus non expietur. Quod profecto aperta ueritate impleri conſpicimus,quia Iudaicus populus in ſuæ perfidiæ obſtinatione perſeuerat.Quid enim eſt pręſens duritia & cæcitas quondam tam electi populi, niſi iuſiurandum diuinę animaduerſionis? Nam digno ſupplicio ſe ſub æterna morte cohibuit,qui ad mortẽ temporis, æternã uitam cogere non expauit. Sed hoc quod iureiurando aſſerit, prædixiſſe ſe dicit: quia nimirum ſanctæ eccleſiæ doctoribus ſubſequentibus de Iudææ repulſione illud innotuit,q̃d eorũ prædeceſſoribus ante manifeſtauit:quia hoc per Samuelẽ ad Heli nunc dicitur,quod ei per uirum dei ſuperius dicebatur.ſequitur: Dormiuit Samuel uſq; mane.] Quid eſt quod per ſacrũ eloquiũ Samuelis ſomnus tam attẽtè deſcribitur? Et quia iam quater repetiſſe ſomnum dicitur, multũ deſipit,qui à dei ſpiritu hoc non ſpiritualiter dictum credit. Nam etſi dormiſſe toties recte intelligitur pro ueritate hiſtoriæ,ad hoc ſcribitur,ut in ueritate literæ intellectus proferantur allegoriæ. Quid ergo deſignat Samuelis hæc quinta dormitio

tio: Sed quia primũ somnum retulimus ad exquisitionem ueritatis, secundum ad probationẽ ueri operis, tertium ad explorationẽ ueri gaudij, quartum ad perfruitionẽ inuentæ & probatæ cognitęq; perfectionis, quinta somni species refertur ad studium disponendæ locutionis. Samuel igitur quinta repetitione dormiuit: quia ordo prædicatorum, etsi per cordis cõsilium ueritatem didicit, per uoluntatẽ mentis bona elegit, per affectionẽ uirtutis uerum gaudium recepit, per certitudinẽ inuentæ & cognitę beatitudinis in uirtutum sublimium securitate requieuit, hoc tamen quod in semetipso cognouit, sine magni dispẽsatione consilij subditis prędicare non potuit. Plerũq; etenim doctor & quæ prædicet apud semetipsum habet, sed tamen ea quæ habet, prout debet, prædicare ea non potest, quia si ea quæ dicat, iam domino reuelante didicit, modum quo ad populũ sunt proferenda, non nouit. Dormiuit ergo Samuel iterũ, quia ordo prædicatorũ apud se magna quietis intentione dispositum, ne prædicãdo uerbi dei semen inutiliter spargeret, quod utili contẽplatione collegisset. Nam dum prædicator considerare compellitur quid, & quantum, siue quando loquitur, quæ dicat simul omnib⁹, qualiter moneat aliquos seorsum, quia magna sanctæ meditationis quiete utitur, aptè nimis in typo noui prædicatoris, Samuel iterum dormire perhibetur. Dormire quippe ei tunc est, dicendi modum tranquilla mente disponere. Et euigilare ei est, à quiete meditationis ad loquẽdum exire. Et quia rationabiliter non euigilat, anteq; dicenda disponat, sequitur: Vsq; mane.] Mane etenim perfecta pronunciandi uerbi cognitio in mente doctoris est, Vnde & præcipites doctores propheta arguit, dicens: Vanũ est uobis ante lucem surgere. Ante lucem quippe surgunt, qui usq; mane non dormiunt, sed in uanum euigilant, quia inutiliter uerbũ proferunt, quod qualiter proferri debeat, meditatione nulla didicere. Vnde & consilium eis ostendit, dicens: Surgite postq; sederitis, ut uidelicet per quietem meditando uerbum colligant, quod per laborem locutionis non in uanum, sed ad audiẽtium lucrum spargant: sequitur: Et timuit indicare uisionem Heli.] Quid nam est quod timebat, nisi quia hoc dormiendo didicerat? Nam qui meditando uerbum ordinat, ratione statuit, quando etiã uerbum dicat. Visionem quippe Samuel uidit, & Heli indicare timuit: quia doctorũ ordo sanctæ ecclesiæ & Iudææ repulsionẽ debitã conspexit, atq; ei eam obijcere, ante repulsionis suæ tempora formidauit. Vnde & ad pœnitẽtiæ remedium eam potius cohortatur, dicens: Pœnitentiã agite, & baptizetur unusquisq; uestrũ. Quare & subditur: Aperuit ostia domus domini.] Quænã est alia domus domini, q̃ sancta ecclesia? Et quæ sunt huius domus ostia, nisi spirituales uirtutes? Ostia nanq; domus domini Samuel aperuit, quando concurrentibus ad unitatẽ ueræ fidei, prædicatorũ ordo uirtutum spiritaliũ dona patefecit. Velut enim clausa erant domus ostia, cùm sanctæ ecclesię uirtutes ignorabantur. Bene autẽ cùm uisionẽ Heli indicare Samuel timuit, domus domini ostia aperuisse memoratur, quia prius quàm apertam Iudææ repulsionẽ prædicatorũ ordo indicaret, dum ad pœnitentiam monuit, electis ad fidem currentibus, uirtutũ spiritaliũ occulta reserauit. Nam qui misericordiæ tempore dicere uisa timuit, tempore exquirendæ iustitiæ, uisionẽ iustitię indicauit, dicẽs: Quia indignos uos fecistis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Act.13 Ex qua profecto ratione quæstio oritur, quia uidelicet uisionẽ Samuelis prece magis & imprecatione Heli indicatã fuisse perhibetur. Nam subditur: Venit ergo Heli ad Samuelẽ, & dixit: Samuel fili mi. Qui respondit præsto sum. Et interrogauit eum, quis est sermo quẽ locutus est dominus ad te? Oro ne celaueris mihi. Hæc faciat tibi deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem, ex omnibus quæ dicta sunt tibi. Indicauit igitur ei Samuel uniuersos sermones, & non abscondit ab eo.] Quomodo enim ab executore diuinæ sententiæ uisionem suæ repulsionis didicit, qui hoc non tam à cõminante q̃; ab eo qui magis precibus cogebatur, audiuit? Sed qui istud quærunt primo intelligant, quia non ad literã, sed ad spiritalem & typicam significationẽ ista discutimus. Hoc enim loco uenire Heli neq; ad motum corporis Iudaici sacerdotij refertur, neq; ad effectum mentis: sed tamen uenire ei fuit, hoc ipsum, quod rationalis dei creatura est, prædicatoribus apparere. Venit itaque cùm in humana natura uisus est, doctorumq; corda sibi ad miserendum mouit. Venire ergo Heli nõ est in ueteri populo accessus mentis aut corporis, sed ostensio humanæ cõditionis. Vel fortasse uenire ei fuit, ex eo quod ex omnibus populis ad dei cultum electus fuit. Eum quoq; filium appellauit, quia ab illo respicitur, qui in electis patribus institutor sanctæ ecclesiæ fuisse memoratur. Vocat ergo filium non affectu appellationis, sed ostensione amissæ dignitatis. Et quia in caligine cæcitatis aspicitur, indicari sibi uisionẽ postulasse perhibetur. Obsecrare etenim ei est, respectu cõmunis naturæ, prædicatorũ mentes ad misericordiã prouocare. Qui etiam imprecationem precibus addidit: quia ordo prædicantium, dum in tanta miseria positum Iudęorum sacerdotium attenderet, irasci sibi omnipotẽtem dominum timuit, si non ei uerbo subueniret. Vnde & aptè subiungitur: Indicauit ei Samuel uniuersos sermones, & non abscõdit ab eo.] Omnia quippe ei uisa indicauit, ut audito quod meruit, magnitudo formidinis ad sollicitudinẽ eum cõuerteret impetrandæ diuinæ miserationis. Vni uersos ei domini sermones indicauit, ut dum in uetustate sua se proiectum cognosceret, per pœnitentiæ lachrymas ad ueræ fidei renouationẽ festinaret. Qui profecto respondit, dicens: Dominus est, quod bonũ est in oculis suis faciat.] Quibus nimirum uerbis quid aliud q̃; Iudaici populi perfidia clarius agnoscitur? Nam qui omnipotentem deum dominũ uocat, adhuc ei seruire se existimat. Cùm igit̃ Iudaico populo repulsio sua à sanctæ

ctæ eccleſiæ doctoribus inſinuatur, dicit: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.] quia dum deo ſe placere per ueterem inſtitutionẽ credit, ſanctæ eccleſiæ nequaq; minas expaueſcit. Quaſi enim apertiori uoce Iudaica perfidia aſſerat, & cõminantibus ſibi ſanctæ eccleſiæ prædicatoribus dicat. Eo nobis minis ueſtris terrorẽ nullum incutitis, quo circa fidẽ ei nos miniſtrare credimus, à cuius gratia nos decidiſſe prædicatis. Cũ ergo adiungit: Faciat quod bonum eſt in oculis ſuis, ſanctæ eccleſiæ doctores ſubſannat, potius q; ſe diuinæ ſententiæ offerat. Quaſi alia intentione loquatur, & dicat eo nobis tale aliquid non facit, quo noſter eſt dominus ille quem nobis ad uindictam proponitis. Sequitur: Creuit autẽ Samuel, & dominus erat cum eo.] Quid eſt quòd poſtq; Heli uiſionem expoſuit, creuiſſe Samuel dicitur, niſi quia doctorum noſtrorum ordo poſtq; uerbo ſynagogæ filios repulit, maioris reuerentiæ gloriam apud gentilitatẽ inuenit? Creuit ergo, quia qui per uerbi miniſteriũ ſe prius in una gente cohibuit, poſtmodũ ſanctitatis atq; doctrinę famam in uniuerſo mundo dilatauit. Vnde & per Pſalmi
Pſal.18 ſtam dicitur: In omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Hinc iterum
Pſal.44 ſanctæ eccleſiæ loquens, ait: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Creuit itaq; cùm in uniuerſo mundo radiauit. Cum quo etiã dominus eſſe perhibetur: quia omne quod de fama ſanctitatis redoluit, omne quod clarum per uerbũ luxit, de præſentia redemptoris accepit, quem ſecum habuit. Nam etſi uerbo Paulus non ſolum infirma & terrena, ſed etiam ſumma & cœleſtia penetrat, ex eo hanc dicendi uirtutem obtinet, quem ſecũ eſſe affirmat,
2.Cor.13 dicens: An experimentũ eius quæritis, qui in me habitat Chriſtus? Qui enim in ſe loquebatur, ſecũ erat. Redolet omni mundo per uitã, ſed ex eo ui-
2.Cor.2 tæ odorẽ trahit quem oſtendit, dicens: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Omnia eſſe de præſentia redemptoris Ioannes inſinuat, quia dicit:
Ioan.1 De plenitudine eius omnes accepimus. Samuel ergo cùm creuiſſe dicit, cum eo dominus eſſe memoratur: quia doctorum ordo cum magnæ ſanctitatis atq; doctrinæ gratia omni mundo reſplenduit, ex eo tam magnus apparere potuit, qui eum in mundo poſitum non reliquit, ſequitur: Et cognouit uniuerſus Iſrael à Dan uſq; Berſabæ, quod fidelis Samuel propheta eſſet domini.] Quibus profecto terræ nominibus, Iudææ uniuerſitas deſignatur. Quid ergo in uniuerſa Iudæa, niſi omnis deſignatur eccleſia? Vniuerſitas itaq; Iſrael, quia Samuel propheta eſt domini, recognoſcit: quia profecto omnis qui fidelis eſt, credit, q; ſanctorũ prædicatorũ ordo uera de futuris dicit. Prophetæ nanq; officium eſt, & futura prædicere, & occulta reuelare. Prædicatores autẽ ſanctæ eccleſiæ dum latentia quęq; uitia in mente deprehendunt, dum ſpiritaliũ uirtutũ ſecreta aperiunt, dum ſanctarum ſcripturarũ latentes intellectus ad cõmunẽ notitiam proferũt, dum futura cœleſtis patriæ gaudia electis fidelibus repromittunt, prophetæ miniſterio utuntur. Ab uniuerſo igitur Iſraele propheta domini fidelis Samuel eſſe cognoſcitur, quia omnipotentẽ dominũ fide uidere non poteſt, qui ſanctæ eccleſiæ doctoribus fidẽ non adhibet. Et quia eadem diuinæ cognitionis gloria in ſancta eccleſia remãſit, quæ ſe doctoribus primis aperuit, ſubditur: Et addidit dominus ut appareret in Sylo.] Sylo quippe miſſus interpretatur. Et quia uſq; in mundi finem in prędicationis miniſteriũ mittit, in Sylo dominus apparet, quia ſe eis clarius oſtẽdit, per quos lucis ſuæ gloriã alijs aperit. Bene autem dicitur: Addidit, ut appareret,] quia inceſſanter eliguntur, quibus claritas diuinæ lucis infunditur. Vnde & cauſam cur additam uiſionẽ aſſerat, ſubdit, dicens: Quoniã reuelatus fuerat dominus Samueli.] Idcirco enim ut appareat addit, quoniam qui reuelatus fuerat dominus ſe iterum atq; iterum reuelat, & ſuæ oſtenſionis donum à ſancta eccleſia nequaq; ſubtrahit, quam ei exhibere ex eius exordio non ceſſauit. Sed qui Samueli reuelatus aſſeritur, quoties apparere addiderit, non refertur: quia nimirũ uſq; in mundi finem ſancta eccleſia ducitur, cui prædicatores præſunt, qui ex eo in infimis alta æternitatis gaudia prædicent, quo ſumma quæ prædicant, in alta dei manifeſtatione uidẽt. Quam profecto apparitionẽ iuxta uerbum domini factam perhibetur. Quid eſt autẽ uerbum domini, niſi promiſſio redemptoris? Addidit ergo ut appareret iuxta uerbũ domini, quia promiſſionis ſuæ ueritatẽ exhibere non deſinit. Verbum nanq; domini in additione apparitionis eſt, ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad Matt.ult.
cõſummationẽ ſeculi. Sequitur: Et uenit ſermo Samuelis in uniuerſo Iſraeli.] Sermo etenim uenire cognoſcitur, cùm prædicatorũ noſtrorũ promiſſio adimpletur. Promiſſio enim uerbi eſt gaudium ſine fine manſurũ. Vniuerſo igitur Iſraeli ſermo Samuelis uenit, quia omnis multitudo ſanctæ eccleſiæ ad gaudium æternæ beatitudinis peruenit, & quod nunc in fide ſermonis à ſanctis eius prædicatoribus repromittitur, per rei ueritatem eidẽ in regnis cœleſtibus exhibetur. Verbũ nanq; doctorũ in repromiſſione fidelium eſt, omnis qui Ioan.3
credit in ipſum, non perit, ſed habebit uitam æternam. Vel certè ſermo doctorũ in repromiſſione
munerum eſt, quæ oculus non uidit, nec auris au- Eſa.64
diuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ pręparauit deus diligentibus ſe. Sermo itaq; Samuelis in uniuerſo Iſraeli uenit: quia quiſquis ſanctis prædicatoribus, & uitæ præſentis religioſam conuerſationem ſuadentibus, & æterna gaudia iuſtis promittentibus credit, ad ea quæ piè uiuendo expectauit gaudia ęterna, carne moriendo tranſiuit. Vnde &
is in cuius fide promiſerat, affirmat, dicens: Amẽ Mar.13
dico uobis, cœlũ & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt. Vel certè ſermo Samuelis in uniuerſo Iſraeli iam uenit, quia per effectũ diuinę animaduerſionis, generalis impleta cognoſcit repulſio Iudæorũ. Vnde & ordinẽ quo idem ſermo in uniuerſo Iſraeli uenerit, latius exponens, ait:

Caput

Caput 11

Gressus nanq; est Israel obuiã Philistim in prælium, & castrametatus est iuxta lapidem Adiutorij, porrò Philistim uenerunt in Aphet, & instruxerunt aciem contra Israel. Inito autẽ certamine terga uertit Israel, & cæsa sunt in illo certamine passim per agros quatuor milia uirorum, & reuersus est Israel in castra.] Esse spiritalia prælia beatus apostolus ostendit, dum sanctæ Ecclesiæ castra ad
Ephes.6 uictoriam cohortatur, dicens. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinẽ, sed aduersus principes, & potestates, & contra spiritales nequitias in cœlestibus. De quibus profecto prælijs etiam consequendæ uictoriæ consilium prębens, ait: Et scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladiũ spiritus quod est uerbũ dei. Hinc
1.Pet.5 Petrus exhortans dicit: Solliciti estote, & uigilate in orationibus: quia aduersarius uester diabolus circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. Dum ergo Israelis prælia per literam referuntur, interna, & spiritalia designãtur. Philistim nanq; cadentes poculo interpretantur: quo nimirum nomine reprobi angeli exprimũtur: quia per abundantiorem potum superbiæ, statum perdiderunt æternæ uitę. Eis quippe uelut poculo cadere fuit, potum superbię sine omni mora retractionis assumere. Nam quod potatur, facilè sumitur. De quorum profecto cadentium principe, uelut de potante dominus dicit: Quia in ueritate nõ stetit.
Ioan.8 Velut enim potu corruit, qui superbiæ suę uelocitate ebrius, in ea qua fuerat cõditus ueritate, nec ad momentum stetit. Sed ualde quærendum est quomodo Israel secundum carnem, egredi in prę lium contra istos cadentes poculo intelligat. Nemo enim pugnat cum eo qui sibi subijcitur. Iudaicus ergo populus, qui malignis spiritibus per infidelitatem subiectus, contra eos in prælium quomodo egredi dicitur. Pugnare tamen asserit non ueritate fortitudinis, sed fallacia æstimationis. Veritate quippe fortitudinis à malignis spiritibus uictus est, sed tamen dum patrũ ueterũ traditiones seruat, cùm malignis spiritibus se certamen habere existimat. Vnde & sub captiuitatis suę uinculis tanto strictius ligat, quanto ipsa libertatis, quã nõ habet, fiducia ab eorũ sibi calliditate suggeritur. Versuti nanq; aduersarij occultis suggestionibus ei falsæ libertatis fortitudinem prædicant, ut eam qua premitur, caliginem non attendat, & eo securius iam eum deceptũ possideãt, quo ab eis, quibus tenet, infidelitatis uinculis solui, in redemptorem nostrum credendo non curat. Et notandum, quia de repulso populo dicit: Egressus est Israel.] Tunc recte exijt, cùm sacræ fidei monimenta dereliquit. Vnde & de ijs, qui à scripturæ sanctę my
1.Ioan.2 sterijs errãdo deuiauerãt, Ioannes dicit: Ex nobis exierũt, sed nõ erant ex nobis. Exire igitur Israeli secundum carnem est, rectæ fidei terminos errando, præterire. Sed quia alium Christum expectare non desinunt, iuxta Adiutorij, lapidem castra ponunt. Meritò igitur terga uertisse Israel dicit, quia & egressus fuisse perhibetur. Nam si intus maneret, uinci nequaquam potuisset, quia si se intra munitiões seruaret fidei, armatos spiritus debellaret erroris. Et quia fraude superatur, Philistim in Aphet aciem instruxisse perhibẽtur. Malignis nanque spiritibus aciem instruere est, incautis Iudæorum cordibus argumenta deceptionis ordinare. Sed inito certamine terga uertit Israel: quia dum mori metuit, malignis spiritibus non restitit. Ideo quippe pugnæ profugi terga hostibus uertunt, ne resistentes moriant. Quia uerò si in redemptorem Iudæi credant mori trepidant, idcirco non resistunt, ut uiuant, quia in redemptorem non credunt, ut in ueteri circuncisione saluentur. Resisterent quippe malignis spiritibus, si arma suę fortitudinis, in redemptoris nostri fide tenuissent. Sed ideo ne moriantur fugiunt, & ideo quia fugiunt, moriuntur. Hostis nanq; insequens eo facilius fugientem interficit, quo is qui fugiendo percutit, imminentis uictoris sui gladio non resistit. Vnde & in eodẽ certamine quatuor Iudæorũ milia cęsa memorant. Quę enim sunt hęc quatuor milia, nisi qui recipere quatuor Euangeliorũ ueritatem noluerunt. Quare & in agris mori perhibẽtur, quia in errorum suorum latitudine immorant. Et quia erroris sui latibula adhuc nequaquã derelinquũt, Israel in castra reuersus asserit. Nam (ut iam dixi) cum malignis spiritibus adhuc habere certamen se æstimat, cùm eorum uoluntati potius obediat, quàm repugnet. Quia uero etiam in bona significatione poculum accipitur, cadentes poculo, intelligi sanctæ ecclesiæ prædicatores possunt. De quo nimirũ poculo propheta gloriat, dicens: Im- Psal.22
pinguasti in oleo caput meũ, & poculum meum inebrians quam præclarũ est. Poculum nanq; inebrians, abundans est gratia spiritus sancti. Quæ aptè poculum dicitur, quia eius plenitudine electorũ corda in momẽto inebriant. Vnde & de primis sanctę ecclesię pastoribus dicit: Factus est re Act.2
pente de cœlo sonus, tanq; aduenientis spiritus uehementis, & repleuit totã domũ, ubi erãt sedẽtes. Quo nimirũ poculo prædicatores cadũt, quia dũ sancti spiritus gratiã abundanter excipiunt, statũ uitę carnalis ex toto derelinquũt. Quotidie nanq; per hoc poculũ uelut nimimè potãtes cadũt: quia etsi eos aliquando carnales motus ad perpetrandas culpas erigũt, uirtute tamen potati spiritus in statu peccati non inueniuntur. Cùm quibus profecto quia Iudaicus populus certamen habet fidei contra Philistæos istos, carnalis Israel quotidie egreditur ad campũ belli. Possunt aũt Philistinorũ appellatione idcirco sanctæ ecclesiæ prædicatores intelligi: quia de errore gentilium, ad gratiã fidei per dei misericordiam sunt perducti. Cum quibus nimirum Israel prælians terga uertit, quia loquenti per ora prædicatorum spiritui non restitit. In prælium nanq; Israel contra Philistim exierat, cùm prædicanti Stephano Iudæi obsisterẽt, & de fidei nostræ ratione disputarent. Sed prælians

Universidad de Deusto
Biblioteca

terga uertit, quia resistere disputando non potuit. Nam de terga uertentibus, in apostolorũ actibus
Act.6 dicitur: Non poterãt resistere sapiẽtiæ & spiritui, qui loquebat̃. Cædi aũt Israelitis est ab infidelitatis uita separari. Bene quoq; in agris mori perhibentur, agri enim certaminis sunt sacri eloquij uirentes intellectus. In agris igitur cæsa pugnatorũ Israelitarũ milia assignantur, quia qui sanctorum prædicatorũ ministerio de Iudæa cõuersi sunt, in redemptorẽ humani generis per sanctarũ scriptu tarum documenta crediderũt. Quatuor uerò milia cæsorum fuisse memorant̃, quia eandem sacri eloquij authoritatẽ, de lege, Prophetis, Psalmis, atq; de Euangelio uouerunt. Sed & cæsis alijs, alij in castra reuertuntur, quia de Iudæa nõnulli prædicatorũ ministerio ad cognitionẽ redemptoris perducti sunt: sed eiusdem gentis plenitudo sanctæ ecclesiæ assertionibus tanto audacius aduersatur, quanto in infidelitatis suæ tenebris profundius electa, ad ueritatis lumen non ducitur. In castra quippe ei reuerti est, aduersari nõ desistere. Et quia eos qui crediderãt, uelut stultos, & nulla sufficienti ratione superatos arguũt, sequitur: Dixeruntq; maiores natu Israel. Quare percussit nos hodie dominus corã Philistim.] Quare em̃ hoc loco nõ est inquisitionis interrogatio, sed querela admirationis. Sub admiratione ergo de percussione interrogãt: quia ad eam rationem, qua religionis suæ homines fidem redẽptoris excepisse conspexerãt, pertingere nõ ualebãt. Et notandũ, quia qui admirãter interrogãt, maiores natu de Israel fuisse memorantur: quia profecto superbi quiq; in sua sapientia gloriantes, ad diuinorũ mysteriorum cognitionem pertingere nequaquam potuerunt. Vnde & in Euangelio dominus ad patrem
Matt.11 loquitur, dicens: Confiteor tibi pater rex cœli & terræ, quia abscondisti hæc à prudentib. & sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Qui profecto se percussos fuisse conqueruntur: quia dum per eos qui crediderunt, ueterem legis consuetudinem solui conspicerent, quædam percussionis uulnera incomprehensibili iudicio dei inflicta sibi arbitrati sunt, quæ communi dolore declamarent. Sed qui cecidisse alios conqueruntur, quo se cõsilio ad resistendum præparent, subdunt: Afferamus ad nos de Sylo arcam fœderis domini, & ueniat in medio nostri, & saluet nos de manu inimicorum nostrorum.] Et de effectu eiusdem consilij protinus subinfert̃: Misit ergo populus in Sylo, & tulit inde arcam fœderis domini exercituum, sedentis super Cherubim.] Hoc est certè consiliũ, hoc opus Israelis contra certamen cadentium poculo, sed profecto consilium, & opus inauditum: quia non est Israelis secundum spiritum, sed Israelis secundum carnem: uidelicet nõ deum uidere uidentis, sed deum, quem despicit, se uidere arbitrantis. Quid est enim ad Sylo mittere, nisi ad le-
Exod.3 gem Mosi recurrere, cui à dño dicit̃. Veni mittã te ad Pharaonem: Quid est afferre arcã domini, nisi ueteris legis sacramẽta, ad reprobandã nouæ fidei ueritatẽ recolendo, adducere? Et quia eandẽ legis scientiã suorum neminem ignorare patiuntur, in mediũ eorũ arca adduci præcipitur. Quid est item quod dicunt, & saluet nos de manu inimicorum nostrorũ: nisi quia dum pertinaciter defendunt uetera, repellunt noua, & hoc habent in fiducia salutis, si ad ueræ fidei rationem bonorũ prædicatorum studio trahi non possunt? Quia igitur ueritatem diuinæ cognitionis per ueterẽ legem habere se iactant, eandem arcã, quam ad saluationem suã deferri præcipiũt, Dñi exercituũ esse confirmant. Et quia incõparabili scientia eiusdẽ legis se pollere arbitrant̃, dum arca deferri dicitur, dñi exercituũ sedẽtis super Cherubim esse perhibet̃.

Cunq; arca uenisset, omnis Israel grandi clamore uociferatus est:] quia profecto de eo quod carnaliter scientiã legis accipiũt, in sanctæ ecclesiæ exprobratione garriunt, sine ostensione rationis. Qui em̃ clamasse, & nihil dicũtur dixisse, hoc profecto exprimũt, quod agunt: quia dum loqui spiritalia carnaliter satagunt, clamorem quidẽ in garrulitate habent, sed rationẽ ueritatis nõ habẽt. Voce quidẽ multa dicũt, sed sine ratione loquentes, sanctæ ecclesiæ electis in nullo obsunt: & in semetipsa synagoga loquens, inani deuotione cõcutitur, quia eius uerbis sancta ecclesia nõ mouetur. Vnde aptè nimis terra tantum sonuisse relata est. Terra quippe Iudæa nũc dicitur, nõ quia deo fructificet, sed propter carnalitatẽ: quia nimirum dum redemptoris fidẽ recipere noluit, cœlestem conuersationem penitus amisit. Sed dum uociferatione sua concutit̃, ea existimatione, qua semetipsam cõsiderat, esse se terribilem sanctæ ecclesiæ prædicatoribus exultat. Et audierunt Philistim uocem clamoris, dixeruntq;. Quænã est hæc uociferatio in castris Hebræorũ.] Terræ quippe sonitum, & castrorũ uociferationem Philistim audiũt, quia ñ qui in sancta Ecclesia poculo sancti spiritus refecti sunt, Iudææ quidem & garrulitatem, & uanam perfidiæ deuotionem cognoscunt. Et quia eorum æstimationem in contemptu derisionis habent, subditur: Et cognouerũt quod arca domini uenisset in castra. Timueruntq; Philistim dicentes, uenit deus in castra & ingemuerunt.] Arca in castra Hebræorũ uenisse, & cadentes poculo timuisse atque ingemuisse per ironiam dicitur: quia ad conflictum sanctæ ecclesiæ sacramenta legis ueteris à synagogæ carnalibus defensoribus, carnaliter exponuntur. De eo nanq; disputant, quod si secundum dei spiritum saperent, hostibus suis si quos haberent, in ueritate terribiles esse potuissent. Dũ ergo pertimuisse, & ingemuisse cadentes poculo dicunt̃, non passiones mentiũ in sanctis prædicatoribus scriptura ostendit, sed subsanationem Iudaicæ disputationis, quæ tanto contemptibilior, & risu dignior noscitur, quanto ad spiritalem conuersationem Iudaicus populus legem à domino spiritalem accepit, & hoc, quod spiritu donante acceperat, in spiritu nõ attendit. Quare, & eiusdẽ Iudaicæ derisionis uerba addentes dicũt: Væ nobis, nõ fuit tãta exultatio heri, & nudiustertiꝰ.] Et quia abũdantius deridẽdi sunt,

subden

subdētes dicūt. Quis nos liberabit de manu deo rum istorum sublimiū.] Et notandum, quia deorum appellatione deridentur, qui à fide ueterū patrum recedētes, se in ueritate fidei existere, atq; in filiorum dei numero confidunt. In se quidem illa diuinæ laudationis præconia prolata asserunt, quæ per prophetam dominus pronūciat, dicens:
Psal.81 Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Si itaque mendaci existimatione omnes Israelitæ secundū carnem nuncupati dij sunt, sublimes dij eiusdem Iudaicæ existimationis mendacio, sunt sapientes Iudæorum. Et quia periti synagogæ ad sanctæ ecclesiæ conflictum ueniunt, ipsi sanctorum prædicatorum uoce deridentur, qui de ea quam nō habent, doctrinæ uirtute gloriantur. Et quia de antiqua patrum ueterum conuersatione superbiunt, uerba subsannationum supponuntur. Hi sunt dij, qui percusserūt Ægyptum omni plaga in deserto.] Ipsi nanq; essent, si nobilitatem, quam trahunt ex carnis origine, rectæ fidei uirtutibus illustrarent. Nunc autē quia per carnis propaginem eorum sunt filij, quorum uirtutes non habent, de amissa earundem uirtutum successione, per contraria uerba deridentur. Hi sunt inquiunt dij.] Quasi aperta derisione Iudæorum sapientes, doctorum nostrorum ordo reprobet, dicens: Carne quidem magnorum uirorum se filios esse gloriantur, sed eorum, de quorum generatione superbiunt, nobilitatem fidei nō consequuntur. Ipsi ergo sunt dij subsecutiōe generis, sed quia ipsi nō sunt imitatione uirtutis, cùm ipsi esse dicūtur, qui uirtute claruerunt, deridentur potius quàm laudantur. Et quia eorum assertiones sanctæ ecclesiæ doctores pro nihilo ducunt, Sequitur: Conforta mini, & estote uiri Philistim, ne seruiatis Hebræis sicut ipsi seruierunt nobis.] Contra Iudęorū quippe uanas assertiones, sanctæ ecclesiæ doctores eo nihil fortius nouiter præparāt, quo quicquid à Iudæis de redemptoris cōtemptu falso asseritur, pro nullo pensant. Contra eorū quippe congressionē confortarentur, & quasi uirili fortitudine decertarent, si uelut à sapientioribus, & rationabiliter disputantibus, assertionis suæ munimenta infringi timuissent. Quasi enim dicat, contra eorum obiectiones eo robusta, & acuta aliqua nobis exquirenda non sunt, quo ipsi nequaquā subtilia, & timenda, sed debilia, & contemnenda obijciūt. Sed (ut dixi) prædicatores sanctæ ecclesiæ etsi contra Iudæorum uaniloquia nouiter nulla præparant, plana tamen, & humili ueræ fidei nostræ ratione, quocunq; modo defensorū synagogæ impetū debellant. Vnde & subdit: Pugnauit ergo Philistim, & uersus est Israel, unusquisq; in tabernaculum suum, & facta est plaga magna nimis, & arca dei capta est. Duo quoque filij Heli mortui sunt Ophni & Phinees.] Philistim, id est poculo cadētes pugnant, cùm doctores sanctæ ecclesiæ cum catholicæ fidei uexillo Iudæis impugnantib. obuiant. Israel autem auertitur, quia in omni disputatione, Iudæorū uersutia superat. Auerti ēm ei est, ex pari uirtute aduersari nō posse. Qui aūt prelian do auertitur, in prelio quidem est, sed fugiens, etsi uirtute deficiens, nocendi tamen desiderium non amittēs. Sic nanq; est omnis repulsus Israel. Fugit quippe, quia doctoribus sanctæ ecclesiæ respondere non sufficit: sed fugiens uellet resistere, quia uictus, & confusus cuperet sibi suppetere, unde ueritati, qua uincitur, refragari potuisset. Bene ita que cùm auersus Israel dicitur, caute subiunctum est, Vnusquisque in tabernaculum suū.] Tabernaculum quippe uniuscuiusque Israelitæ, est cor perfidiæ conclusione circunseptum. Quia igitur uicti à sanctæ ecclesiæ prædicatoribus, erroris sui latibula repetunt, singuli fugientes de prælio, in suum tabernaculum reuertuntur. Et quia hoc totum de adimpletione uerbi Samuelis, uidelicet de ecclesiæ primitiuæ comminatione, dicitur, plaga magna nimis facta fuisse perhibetur: quæ profecto plaga, pro lectoris arbitrio, & secundum spiritalem percussionem, & secundum materialem accipi conuenienter potest. Nam de spiritali eorum plaga, ad discipulos in prædicatione destinatos dominus dicit: Quicunq; non receperint uos, Matt.10
exeuntes foras de domo, uel ciuitate, excutite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis tolerabilius erit terræ Sodomorū, & Gomorrhæorū in die iudicij, quàm illi ciuitati. Hinc iterum dicit: Marc.16
Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, cōdemnabitur. Secundū materialem quoq; percussionem plagā magnam insinuat, cùm ad Hierusalem loquitur, dicens: Ve
nient dies in te, & circūdabūt te inimici tui uallo, Lucæ 19
& coangustabūt te undiq;, & filios tuos, & ad terram prosternent te, & non relinquetur in te lapis super lapidem. Hinc compatientibus sibi atq; lugentibus mulieribus, ad passionis suæ dignitatē proficiscens loquit̄, dicens: Filiæ Hierusalem no- Lucæ 23
lite flere super me, sed super uosipsas flete, & super filios uestros: quoniā ecce uenient in te dies, in quibus dicēt, beatæ steriles, & uentres, quæ nō genuerunt, & ubera, quæ non lactauerūt. tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. quia si in uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Quibus profecto uerbis ea quæ Iudæorū populo à Romanis principib. Vespasiano & Tito illata est, & mors, & captiuitas designat̄. Tūc quippe plaga magna facta fuit, quādo cū internitione populi Iudæorū ciuitas & capta extitit & euersa, quādo pro ultione diuini sanguinis, & hostili gladio populus corruit, & qui euadere ferrū potuit, pœnā sustulit æternæ captiuitatis. Quę profecto plagę immensitas, auerso iam Israeli perhibet̄: quia Iudaicus populus ante fuit à sanctæ ecclesiæ doctoribus & uictus, & reprobatus, q; à Romano exercitu expugnatus, peremptus & in captiuitatem ductus. Nam inde expugnari, occidi, & in captiuitatē duci temporaliter potuit, quia æternę libertatis securitatem oblatam sibi à sanctæ ecclesię doctoribus non recepit. Sed & eadem plaga in Israelem ueterem alta diuinæ bonitatis dispensatione decernitur, ut arca dei à gentilibus caperetur, & diuinorū sacramentorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

torum intellectus, sanctæ ecclesiæ fideles tanto se curius sub spiritali explanatione perciperẽt: quanto in Iudæa nihil remanere cernerent, quod carnaliter exhiberet. Volente nanq; deo ciuitatem, templum, arcam fœderis, uetus populus perdidit, ut noua plebs sanctæ ecclesiæ eo plenius ueri & noui sacrificij mysterium recognoscat: quo apud Iudæos nouis apparentibus, uetera penitus defecisse considerat. Arca itaq; dei à Philistæis capta aufertur: quia destructo more ueteri, ueteris scripturæ sacramenta, à gentilibus secundum ueritatem spiritus fideliter accipiuntur. Capit quippe arcam dei, qui diuinæ cognitionis mysteria in sacro eloquio per ueritatem intelligentiæ mentis deuotione comprehendit. Sed capta arca, duo protinus Heli filij moriuntur, quia profecto & maioris ordinis sacerdotes, atq; minoris, in officio immolationis ueteris nusquam uiuunt. Mori nanq; perhibentur, qui offerre sacra omnino desiere. Sequitur: Currens autem uir unus de Beniamin ex acie uenit in Sylo in die illo, scissa ueste, & consparsus puluere caput. Cumq; ille uenisset, Heli sedebat super sella, speculãs contra uiam. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiauit urbi, & ululauit omnis ciuitas.] Quid per uirũ istum exprimitur, qui de acie fugit: nisi ea pars Iudaici populi, quæ ad redemptoris cognitionem ueniendo, Iudaicam perfidiam dereliquit. Currere nanque ei fuit, à prauitate erroris sui deuotionis uelocitate desistere. Quia uero fortia agere in redemptoris professione disposuit, uir fuit. Qui nimirum eo die, quo uictus est, de prælio cucurrit: quia ea fidei illuminatione, qua perfidię tenebras deseruit, ad prædicandum ueritatem, quam nouerat, accessit. Vnde & in Sylo uenisse perhibetur, quia ad prædicationem mittitur. Qui uestem scidit, quia ueterem se hominem exuit, caput puluere consparsit, quia de splendore noui hominis, quo se induit, nequaquam superbiuit. Scissa nanque uestis ad decorem sanctæ conuersationis pertinet. Consparsio puluerís, ad æstimationem humilitatis. Quia ergo sanctis prædicatoribus, nec uitæ mũditia sine humilitate, nec humilitas sufficit sine sancta conuersatione, uir qui in doctorum typo ad annunciandum Israelis interitum uenit, & uestẽ scidit, & caput puluere consparsit. Hoc nanq; puluere caput
Gene.18 consparsum portabat qui domino loquens ait: Loquar ad dominum meũ, cum sim puluis & cinis? Consparso item capite loquebatur propheta cum
Psal.102 supplicaret, dicens: Memento domine quia puluis sumus. Vestem quoq; sciderat, qui cõfitens di-
Psal.29 xit: Conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia. Sed cum ecclesiastici prædicatoris humilitas commendatur, pariter & superbia Iudaici doctoris exprimitur, quia uidelicet Heli super sella sedere perhibet. In isto quippe loco Heli nõ pontifices, sed legisperitos synagogæ insinuat, Quid est autem, quod sedet super sella, nisi quia superbè extollitur de doctrina? Et quid est, quod spectat contra uiam, nisi quia dum superbè scripturas accipit, ei per quẽ ire ad æternã patriã debuit, cõtra A dicit? Via quippe salutis illa est, quæ semetipsam asserit, dicens: Ego sum uia, ueritas & uita. Non ita loan.14
que uiã, sed cõtra uiã respicit: quia redemptorem non cognoscit, cui contradicit. Et bene mortuis filijs, pater super sella sedere dicitur, quia qui ueteri more sacrificent, synagoga non habet, & tamen qui ueteri more doceant, adhuc habet. Et quia per sapientes doctores ad ministeriũ erudiebantur, dum cessauit qui sacrificaret, & adhuc qui doceat remaneret, aptè filij referuntur mortui, & pater super sella sedere: sed de ea quam audiuit annunciatione redemptoris, multitudo synagogæ nõ gaudium, sed mœrorem habuit. Vnde & postquam uir de prælio uenit, & captionem arcæ nunciauit, B ululasse omnis ciuitas dicitur. Quæ nimirũ tristitia, quia usq; ad doctores peruenit, sequitur: Et audiuit Heli sonitum clamoris dixitq;, quis est hic sonitus tumultus huius? Tumult⁹ est uociferatio populi, sed confusa, cum uidelicet sine disciplina audiendi, multis simul loquentibus, magnitudo fit murmuris, sine ostensione rationis. Heli ergo cum ululatum ciuitatis audiuit dixit. Quis est sonitus tumultus huius?] Quia uidelicet magisterium synagogæ, subiectis sibi perfidis, de prædicatione Iesu Christi dolentibus, dum causam doloris audire uoluit, non percepit responsionem rationabilẽ sed confusionem querelæ. Vt autem excusationẽ ignorantiæ habere non posset, is qui de circunci-
sione ad ministerium ecclesiasticæ prædicationis accesserat, ei rei ueritatẽ aperuit. Vnde & subditur. At ille festinauit, & uenit & nunciauit Heli.] Sed quia idem Heli statim mortuus, annunciationem susceptæ ueri uenientis, qualis sit ipse audiens, subsequenter innotescit. Heli aũt erat nonaginta & octó annorum, & oculi eius caligauerant, & uidere non poterat.] Perfectæ namq; senectutis esset si centenarium numerum annorum uiuendo peregisset. Cui profecto numero, quia duo anni deesse cõspiciuntur: quid est aliud, nisi quia perfectæ maturitatis existeret si sacramentũ geminũ in redemptoris nostri incarnatione cognouisset: uidelicet ueram diuinitatem, in humanitate eius: & ueram humanitatẽ in diuinitate. Nunc autẽ quia multa de lege ueteri, plurima de mandatis cœlestibus rectè intelligit, nonaginta & octo annorum D est. Et dum deum credit & ex uirgine nasci potuisse per carnem, & humanitatis eius naturam susci pi abnegat in diuinitate, centum annorum nõ est. Vnde & audita uiri relatione, iustè moritur: quia sine fide redemptoris ei bona, quæ cognoscit, & alia nequaquam prosunt. Et quia alto & incomprehensibili iudicio Dei cæcitas ignorantiæ eius menti incutit, caligasse, & uidere nõ potuisse memoratur, sequit: Et dixit ad Heli. Ego sum qui ueni de prelio, ego qui de acie fugi hodie.] Quasi in prælio se fuisse memorabat ille, qui dicebat. Audistis cõuersationẽ meã aliquãdo in Iudaismo, quoniam supra modũ persequebar ecclesiã dei, & expugnabã illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coętaneos meos in genere meo abundantius æmulator existẽs paternarũ mearũ traditionũ.

Sed

Sed de prælio uenit, qui dicit: Qui prius fui blas- A
phemus & persecutor, sed misericordiam conse-
cutus sum quia ignorans feci. Fugere ergo de acie
Iudæo quid est aliud quàm à perfidorũ errore se-
parari? Et de prælio uenire quid est, nisi rectæ fi-
dei bonũ aliis nunciare? Fugere nanq; metuentis
est, uenire uolẽtis. Quo in loco, quia prius dicitur
uenire de prælio, quàm ex acie fugere: cum prius
deseratur perfidia, quàm ueritas prędicetur, mirũ
non est. Nam hoc quod de acie se fugisse posterius
dicit, non ad ordinem quo factum est, dicitur:
sed ad certitudinem uerbi, quod præmisit. Quod
etiam secundũ historiæ ordinẽ demonstrat: quia
nisi prius de acie fugisset, uenire de prælio nequa-
quam potuisset. Nos autem, qui secundum spiritũ B
spiritalia, etiam in rebus Iudæorũ carnaliter gestis
inquirimus: illum uirum, quem loquentem paulo
superius introduximus, attendamus. Nam auditũ
est ab ecclesia, quia is, qui quondam persequeba-
tur, euangelizaret: sicut scriptum de eo iam euan-
Act.9 gelizante est: Cùm autem uenisset Hierusalem,
tentabat se iungere discipulis, & omnes timebant
eũ, nõ credentes, quia esset discipulus. Hinc item
ad Ananiã discipulũ, dominus Damasci apparẽs
ait: Surgens, uade in uicum, qui uocat̃ Rectus, &
quære in domum Iudæ Saulum nomine Tarsen-
sem, & impone sibi manũ, ut uisum recipiat. Qui
nimirũ confestim domino respondit, dicens: Do-
mine audiui à multis, quanta mala sanctis tuis fe-
cerit in Hierusalem, & potestatem habet à princi C
pibus sacerdotum, alligandi omnes qui inuocant
nomen tuum. Cùm ergo illũ Iudæis prædicabat,
quem impugnare minis solebat & cædibus, nimi
rum de prelio ueniebat. Sed dum ei prędicanti di
scipuli omnes se iungere timerent, de acie eum fu
gisse dubitabãt. De prælio quippe ueniebat, cùm
Act.9 à uocante domino in terrã prostrato dictũ fuerat:
Surge, & ingredere ciuitatem, & dicet̃ tibi, quid
te oporteat facere. Sed fugisse eũ de acie Anania
nõ credidit, qui ea mala quæ sanctis in Hierusalẽ
fecerat, & potestatem quam acceperat, domino
præcipiẽti intimauit. Vt ergo eum uenisse de præ
lio, & fugisse de acie ueraciter demonstraret, eidẽ
Ananiæ dominus præcipit, dicẽs. Vade, quia uas
electionis est mihi iste, ut portet nomen meum D
coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Et no-
tandum, quia eo die quo hęc nunciabat se uenisse
Ioan.12 de prælio, & fugisse de acie asserebat. In die quip
pe fugiũt: quia attestante ueritate, qui in tenebris
1.Thes.5 est, nescit quò uadat. Hinc etiam scriptũ est: Qui
dormiunt, in nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, in
nocte ebrij sunt. Et quia in exemplo beati Apo-
stoli Pauli, uirum de acie fugientem uidere cœpi-
mus, hoc quod in die fugiat attẽdamus. Nam nox
erat, quando aciem contra sanctam ecclesiã con-
struebat, quando acceptis epistolis à principibus
sacerdotum ad Damascum, minarum, & cædis spi
rans in discipulos, festinabat. Sed qui in nocte bel
lum parauit, in die fugit: quia in itinere lux de cœ
lo eum subito circunfulsit, in terramq; prostrauit,
ineffabili pauore terruit, ut tenebras immensi er-
roris agnosceret, & pro ea quam expugnabat no-
cte ecclesia, in diei lumine dimicaret. In die igitur
fugit, quẽ ut perfidiæ noctem desereret, de cœlo
ostensa Redemptoris claritas circũfulsit. Quid est
ergo quod eo die se fatetur uenire de prælio, quo
de acie fugerit, nisi quia rectæ prędicationis inten
tio designatur. Quidam nanq; eo die de acie fugi-
unt, sed alio uenũt de prælio: quia errores pristi-
nos amore æternæ uitæ derelinquunt, sed cũ ad
prædicationis ministeriũ assumuntur, de sua præ-
dicationis facundia, tẽporales retributiones appe
tunt. Alio igitur die quàm eo quo fugerant, ueni-
unt: quia nimirum recti sunt conuersatione, sed
prædicationis intentiõe peruersi. Sancti ergo præ
dicatores, qui per redemptoris nostri gratiam de
circũcisione crediderũt, nõ alio die, sed eo quo de
acie fugerant, de prælio uenerunt: quia profecto
utrunq; donum in superni amoris splendore con
secuti sunt, ueritatem scilicet conuersationis, cum
prædicatione uerbi. Et quia Iudaicum magisteriũ
& si non intentione cognoscendæ ueritatis, curio
sitatis tamen sollicitudine sanctorum prædicato-
rum assertiones audire uoluit, sequitur. Cui ille ait
Quid actum est fili mi.] Sub unius quippe descri
ptione, omnibus loquitur: quia gentis suæ homi-
nes uidit, quos aliquãdo doctrina legis instruxit.
Vel fortasse filium uocauit, non affectu amoris,
sed adulatione calliditatis: ut eo hunc facilius per
deceptionem caperet, quo se eũ paterno affectu
diligere demonstraret. Eum itaq; filium uocat, à
quo quid actum fuerit, scire appetit: ut profecto
ille pro impenso honore adulationis, seriem per-
uerteret ueritatis. Honor igitur appellationis nõ
ad amorem refertur, sed ad calliditatem. Sed qui
prælatæ laudis fauorem respuit, constanter uera
patefecit. Vnde & subditur: Respondens autem
qui nunciabat. Fugit (inquit) Israel coram Phili-
stiim, & ruina magna facta est in populo insuper
& duo filij tui mortui sunt, Ophni & Phinees.]
Hoc nanq; uir fugiens nunciauit, quod experien
tia didicit. Quid est igitur quod fugisse Israelem
asserit, nisi quia constanter affirmat, quòd dum Iu
daicus populꝰ legis sensum carnaliter retinet, spi-
ritalibus sanctæ ecclesiæ doctoribus resistere di-
sputando non potest. Et quid est quod magnã rui
nam factã fuisse in populo prædicat, nisi quia om
nes qui de Iudaico populo uerbũ fidei repulerũt,
æterna morte perijsse cõfirmat? Et quid est quod
duo Heli filij mortui referuntur, nisi quia uterque
ordo ueteris sacerdotij defecisse asseritur? Et quid
est quod arcã dei captam fuisse dicit, nisi quia co-
gnitionem diuinorum sacramentorũ à Iudæis ab-
latam, atq; à gentibus fideliter apprehensam asse-
rit: quia à gentibus iam dei gratia uocante, fideli-
bus diuina mysteria cognoscuntur? Sequitur:
Cumq; ille nominasset arcam dei, cecidit Heli de
sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus
mortuus est.] Quid est quod Heli audita Israe-
lis fuga, relata sibi ruina populi, intimata filiorum
morte, de sella nequaquam cadit: cognita autem
arcæ captione, & de sella cadit, & uitam perdit?

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed quia in Heli ſapientes Iudæorũ, & legis peritos deſignari diximus, audita Iſraelis fuga, de ſella non cecidit: quia quod ſimplices ſynagogæ filij à ſanctæ eccleſiæ doctoribus in prædicatione ſuperentur, pro paruo ducit. Nõ cadit relata ſibi ruina populi: quia dũ perire audit eos qui in Iudaiſmo moriuntur, nequaquam expaueſcit. Intimata filiorum morte non cadit, quia & obiecta ſibi ſacerdotij utriuſq; ceſſatione, ſuperbire non deſinit. Illata autẽ ſibi arcæ captione cadit: quia dum ſacramenta ſcripturæ ſuæ profundę, & ſpiritaliter ſciri à ſanctæ eccleſiæ prędicatoribus, & fidelibus uidet, de ea quam carnaliter tantum intelligit, ſacri eloquij eruditione ſuperbire non audet. De ſella igitur cadit: quia ſpiritali cognito, ſuperbire de carnali magiſterio nõ præſumit. Sed quia uera prædicari ſublimiter audit, & nequaquam credit, dum confunditur, & nõ ſaluatur, cadit, & moritur. Cadit quippe de ſella: quia extolli deſinit de doctrina. Sed cadens, moritur: quia ſi ratione uincitur, eiuſdem tamen rationis iudicio, peruenire ad æterna gaudia non meretur. Qua in re notandum eſt: quia qui cadens moritur, iuxta oſtium cadit. Quid eſt enim quod cadit iuxta oſtium, niſi quia dum cæcus errat, impingit in redemptorem? Qui nimi-
Matt.21 rum de ſemetipſo aſſerit, dicens: Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum cõfringetur, ſuper quem uerò ceciderit, conteret eum. Ipſe quoq; de ſemetipſo
Ioan.10 ait: Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſaluabitur, & egredietur, & regredietur, & paſcua inueniet. Iuxta oſtiũ ergo mortuus eſt Heli: quia ſynagogæ magiſterium idcirco periit, quia in redemptorẽ offendit: Ibi enim cecidit, ubi deliquit. Qui etiam cadens, ceruices fregit. In ceruice tumor temporalis potentię deſignatur. Fracta ergo ceruice moritur, qui perfidiæ magnitudine amiſſa, regni potentia condemnatur. Poteſt quoq; per oſtium, ſacræ ſcripturæ litera deſignari. Nam uelut per oſtium ad æterni tẽpli atria ducimur, dum per ſacri eloquij literam, ad allegoricam, & ſpiritalem intelligentiã ſubleuamur. Intus quoq; rex cernitur: quia promiſſus redemptor humani generis, in ſpiritali ſacræ ſcripturæ intelligentia inuenitur. Heli ergo iuxta oſtium mortuus cecidit: quia profecto ſynagogæ magiſterium idcirco interijt, quia per ſpiritalẽ ſcripturã eum, qui in ſpiritu promiſſus fuerat, redemptorem humani generis non ſpiritaliter, ſed carnaliter quæſiuit. Iuxta oſtium nanq; mortuus eſt, quia de eo interijt, ꝺd ſpiritalem redemptoris promiſſionem, nõ ſecundum intelligentiam ſpiritalem, ſed ſecundũ ſimplicem locutionem hiſtoriæ intellexit. Et quia per doctrinæ ſuæ ſtudiũ, multo tempore Iudææ non amore bona operanti, ſed timore à malo declinanti, præfuit, ſequitur: Senex enim erat: & grandęuus, & ipſe iudicauit Iſrael quadraginta annis.] Senex etenim fuit, & grandęuus diuturnitate temporũ. Quadraginta uerò annis præfuit per timorem legalium mandatorũ. Quadragenarius quippe numerus ad peccatores pertinet. Vnde & quadrageſimæ tẽpus in ſancta eccleſia eodẽ dierũ numero cõſecratũ eſt, ut uidelicet ea quę cõmittimus peccata, tergere pœnitẽdo ſtudeamus. Quadragenarius quippe numerus ex denario, & quaternario conſummat. Et quia peccãdo decalogũ diuinę legis tranſgredimur, ipſam uerò peccandi facultatẽ ex ea qua cõſiſtimus, quatuor elementorũ cõpactione contrahimus, ſub numero quadragenario quandiu in peccato exiſtimus, continemur. Heli ergo quadraginta annis Iſraelẽ iudicauit: quia ſynagogæ magiſteriũ, & auſteram legis diſciplinã, ad timorem ſubiectę plebis exhibuit, ut materiã humanę conditionis per cõcupiſcentiã fragilem, in ſtatu iuſtitię per timorẽ retineret. Sed iam mortuus eſt Heli, iam fractis ceruicibus iuxta oſtiũ iacet, ſed tamen prauę doctrinæ eius uirus in ſemine remanet. Iam quippe qui non credit de Iudęorum ſapientibus iudicatus eſt, ſed quia in eius inſtructione prauitatis ſemina mentes concipiunt, qui eius doctrina filij naſcunt, perfidię eius ueſaniam non relinquũt. Quare & ſubditur: Nurus aũt eius uxor Phinees prægnãs erat, uicinaq; partui: quę audito nũcio quia capta eſſet arca, & mortuus ſocer ſuus, & uir ſuus incuruauit ſe, & peperit. Irruerunt enim in ea dolores ſubiti. In ipſo aũt momento mortis eius dixerũt ei, quę ſtabãt iuxta eã, Ne timeas, quia filiũ peperiſti. Quę nõ reſpondit, neq; animaduertit.] Quæ aũt fuit nurus Heli niſi plebs Iudæorum reprobis ſacerdotibus ſubiecta? Quę quia per eorum prædicationem ſemina perfidiæ in mente ſuſceperat, prægnans erat. Et quia conceptam malitiã, ipſa quoq; cogitabat effundere, non ſolum prægnans fuiſſe dicitur, ſed etiam partui uicina. Quid eſt autem quod audita arcæ captione, & ſoceri, atq; uiri ſui morte, peperiſſe dicitur: niſi quia Iudaicæ plebis reſiduũ, dum ſpiritualia ſacramenta ſcripturarũ ad gentium eruditionem tranſiſſe cognoſcit, dum ſapientes ſynagogę cum utroq; ſacerdotio interijſſe iam conſpicit, ea quæ cõcepit hæreſis ſuæ ſemina, loquendo effundere non deſiſtit? Parere autẽ ei eſt, conceptã prauitatem loquendo alijs aperire. Et quia reproba prędicat, dum parere aſſeritur, incuruata memoratur. Velut enim non ſe curuantes pariũt, qui cœleſtia loquuntur: quia in ſtatu fidei auditorum ſuorum corda ad ſtudium erigunt bonæ operationis. Quæ igitur praua aſſerit, incuruata parit: quia profecto hoc ſibi loquendo agitur, ut quo attentius loquitur, in damnationis ſuę barathro profundius deponatur. Rectè igitur dum ad partum incuruatur, mori dicitur. Pariens nanq; moritur, quia in blaſphemiæ ſuæ merito condemnatur. Et quia mortis ſuæ tormenta non prędidet, ſubiti dolores in eam irruere dicuntur. Subiti nanque dolores ſunt, repentinę afflictiones mortis, ſine prędiſione uenientis. Subito enim dolores irruunt, cùm Iudaicæ plebi ſuppliciorum perenniũ retributiones obuiant: quæ nunc in contemptu ueritatis poſita, non formidat. Quia enim pro paternarum traditionum obſeruatione, ad æternam uitam moriendo ſe tranſire æſtimat, in ſubitos dolores tunc corruit, cùm ſuſtinere tormenta incho

at, quæ

at,quæ nō sperauit.Et notandū quia de moriente dicit,irruerūt in eam dolores subiti:quia uidelicet dum per carnis molestias ad exitum uitę cogitur, tunc flagella dolorū irruere in eā tēporaliter incipiunt:quibus eius impietas æterna uindicta puniatur.Et quia uicino exitu reprobæ Iudæorū mentes se alterutrū ad perfidiam cohortantur, in ipso autem momento mortis eius dixerunt ei quæ stabant iuxta eam: Ne timeas quia filium peperisti.] Filium quippe peperit:quia durum in nequitia,& insuperabilem populum erudiuit.Quę autem mulieres iuxta stant,nisi mentes æquali ordine impietatis astrictæ.Stant quippe non ueritate & rectitudine fidei:sed præsumptione,& iactantia religionis.Idcirco eam ne timeat,cohortantur,quia filium peperit:ut uidelicet tāto securius in ueteri traditione mori non timeat,quanto illos etiam in ea obduratos &inconuertibiles aspicit,quos suo magisterio eruditos cognoscit.Sed dum in se abundantius dolore compellitur,pro nihilo ducit,quicquid alij sua eruditione profecerunt: Vnde & subditur. Quæ non respondit, neq; animaduertit.] Nam dum æterni doloris experiri amaritudinem inchoat,hoc quod tēporaliter alijs præfuit, nō delectat.Vel certè idcirco de nato puero non lætatur:quia is qui gignitur sua institutione,in captiuitate conspicitur.Vnde &subditur.Et uocauit puerū Hichaboth,dicens.Translata est gloria domini:quia capta est arca dei.] Arca quidem capitur: quia iam authore deo,à ueris fidelibus,sanctę scripturæ sacramenta,ueræ intelligētiæ capacitate retinentur.Et Israel translata est:quia postquā à uera religione cecidit,redolere per bonæ famæ opinionem cessauit.Bene autem nō perire Israel gloria dicitur,sed transferri:quia religionis fama,quā perdidit, ad gentilitatē transiuit. Translata quippe est gloria:quia in sancta ecclesia ueræ religionis fragrātia redolet,quę in fide redemptoris posita,pro æterni splendoris certitudine, quam expectat,donum Sancti spiritus pignus tenet. Idcirco de nato filio lætari refugit:quia profecto dum ad gentes transisse præteritam gloriam conspicit, ad captiuitatem se parere ingemiscit.A translatione etiam gloriæ filium nominat,quia profecto impietatē,in qua permanet,quasi prælato nomine perpetuo repræsentat.Potest aūt per hoc quod à matre ei nomen imponitur,apertè intelligi quod uidemus.Ex ea enim nomen suscepit,à qua ei meritum impietatis uenit,Sequitur.

Caput v.

Caput quintum

Philistim autem tulerunt arcam, & asportauerunt à lapide Adiutorij in Azotum.Tulerunt Philistim arcam dei, & intulerūt eā in templum Dagon, & surrexerunt Azotij altera die,& inuenerunt Dagon iacentem ante arcam,pronum in terra.]Quid est quod arca à lapide Adiutorij asportatur,nisi quia præcones ueritatis ab eo quem Iudæi falsa opinione expectant Christo, mysteria scripturarum auferunt? Dum enim ad ueri redemptoris cognitionem , sanctæ scripturæ testimonia conuertunt, ab eo nimirum,in quem sui exilij spem Iudæi posuerant, arcam tollunt. Et quia gentibus fidei mysteria credunt,arca Dei in Azotum perducitur.Quæ profecto arca in templum infertur.Quid ergo fuit templum Dagon nisi una quæq; anima infidelis quondā idololatriæ superstitione polluta? Quid simulacrum Dagon,nisi totius idololatriæ superstitionē designat? Quid igitur erat aliud, mysteria fidei cordibus gentilium intimare,quàm arcam dei in templum Dagon inferri? Velut enim iuxta Dagon statuebatur arca, dum prædicatores sanctæ ecclesiæ gentiles admonerent, ut ad probandam fidei ueritatem, & prædicationem,quam audiebāt, & Idololatriæ quam tenebant,errores discuterēt. Bene itaque die alia Dagon pronum in terra ante arcam iacentem Azotij repererunt. Vnam quippe diem Azotus habuit,in audita prædicatione ueritatis,alterā in cognitione fidei.Primo nanq; die arca dei iuxta Dagon statuitur,quia in audita prædicatione redemptoris,erroris uetusti tenebras deprehendunt. Altera uero die surgentes,pronum in terra ante arcā iacentem Dagon inuenerunt:quia & in cognitione ueritatis statum idololatria perdidit. Vnde & bene cum lapsus Dagon asseritur, iacere pronus in terra memoratur. Ante arcā quidē cadit,quia ex mysteriorū diuinorū scientia innotescit. Sed pronus in terra iacet,quia authore iā deo, ad aspectū fidelium simulatæ rationis imaginē non habet.Qui enim pronus in terra iacet, faciem in terra deprimit.Per faciem uero simulachri simulatio exprimitur rationis.Pronum itaq; in terra iacere est, iā uera cognoscentibus,simulationis suæ fraudibus illudere nequaquam posse.Sed tamen ut certius gentiles uera cognoscerent,eandem fidei nostræ auditam rationem,& superstitionis suæ uetustam consuetudinem,magis ac magis discutere conati sunt.Aptè itaq; sequitur:Tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.] ideſt in templo, ubi arca dei posita fuerat. Quid est ergo Dagon in locum suum restituere, nisi iuxta iam cognitā spiritalium sacramentorū ueritatē,idololatriæ statum subtili consideratiōe perquirere? & quia quo subtilius idololatriæ error aspicitur, uerius condemnatur,subiunctum est.Rursusq; diluculo surgentes,inuenerunt Dagon iacentem super faciē suam coram arca domini.] Diluculo iterum surgunt,quia ad amorem auditæ bonitatis iam certitudine deliberationis se erigūt.Primus itaq; dies probationis est,sequens cognitionis,tertius uero deliberatæ iā certitudinis,& oblatæ professionis. Qui,pfecto dies quia illuminatis conuersorū mētibus,in splendore perfectæ & consummatæ fidei illuxit,sequitur: Caput aūt Dagon,& duæ palmę manuū eius abscissæ,erant super limen.Porro Dagon truncus remanserat in loco suo.] Quid enim Dagō,id est idololatrię caput,est aliud,nisi ipsum initium omnis iniquitatis diabolus? Et quæ sunt palmæ manuum eius,nisi uniuersa opera idololatriæ? Caput itaq; Dagon amisit:quia per idolorū

Universidad de Deusto
Biblioteca

culturam regnare maligni ſpiritus in corde genti
lium deſunt. Palmæ etiam manuum eius abciſſæ
ſunt, quia idolis uanis ſacrificia nuſquã offerunt.
Et quia à cunctis fidelibus eius deformitas ubiq;
conſpicitur, truncus Dagon in loco ſuo remanſiſ-
ſe memorat. Caput uero & manus abſciſſæ, & ſu-
per limen poſitæ memorant: quia profecto quiſ-
quis ad ueram fidem ingreditur, principia diabo
licæ ſuaſionis repellere, atq; uniuerſis eiuſdem Sa
tanæ operibus renuntiare præcipitur. Poſita ergo
hæc ſunt in limine, ut ab introeũtibus conculcen-
tur: quia uerè fidelis eſſe nõ poterit, qui & prauis
maligni ſpiritus conſilijs aduerſari, atq; iniquis o-
peribus non proponit. Nam qui Dagon caput at-
terere, & manus uitat, & ſi fidelium numero con
tineri uidetur, idololatra quodammodo eſſe con-
uincit. In oblectatione etenim dæmonũ non ſolũ
exteriora ſacrificia, ſed etiã iniqua deſideria ab eo
rũ cultoribus offerũtur. Qui ergo in ueræ fidei co-
gnitione receptus eſt, & ab immundis deſideriis,
& prauis operibus non remotus, quia Dagon col
lidere caput & manus deſpicit, maligno ſpiritui,
quem in oblatione cæremoniarum deſpicit per in
ternæ concupiſcentiæ, & exterioris uitæ immun-
ditiã oblationẽ facit. Quare, & ſubditur. Propter
hoc non calcant ſacerdotes Dagon ſuper limen
uſq; in hodiernum diem.] Sacerdotes quippe Da
gon ſe eſſe inſinuant, qui ſuper limen nõ calcant.
Quibus in uerbis cautè inſpiciendum eſt, quia nõ
dixit limen, ſed ſuper limẽ: ut caput, & manus Da
gon calcanda eſſe doceantur, quæ ſuper limen ab
ſciſſa eſſe referuntur. Idcirco autem ſacerdotes ſu
per limen non calcant, quia abſciſſas eius manus
et caput pede conterere uitant. Sacerdotes nanq;
Dagon uſq; in hodiernum diem remanent, quia
qui per immunda deſideria antiquo hoſti ſacrifi-
cent, adhuc ſunt. Qui profecto ſuper tẽpli limen
calcare refugiunt: quia nec immundis ſuggeſtio-
nibus, nec malis operibus reſiſtunt. Dagon itaq;
ſacerdotes ſunt, quia etſi manufactis ſe idolis non
humiliant, concupiſcentiarũ tamen ſimulachris
per nepharia opera ſe incuruant. Sequit: Aggra
uata eſt manꝰ domini ſuper Azotios.] Manus do
mini eſt uirtus diuinæ poteſtatis. Et quia in Azo-
tios primordia gentilitatis deſignata ſunt, quid
eſt quod manus domini ſuper Azotios aggrauа-
ta perhibetur? Sed manum ſuper Azotum aggra-
uauit, cum gentilium corda uirtute ſuæ potentiæ
ad conuerſionẽ mouit. Nam dum per internã aſpi
rationem eis uim æternæ mortis innotuit, de per-
petratis iniquitatibus, gentium mentes mirabili
terrore percuſſit. Quia ergo dum manus domini
aggrauata dicitur, interfici Azotij perhibent, gra
uedo hæc manus accipitur in multiplicatione cõ-
uerſorũ. Nam moris gentilibus fuit, ab infidelita-
te ſeparari. Manu quoq; domini occidi eſt, eandẽ
ueræ fidei cognitionem non miniſterio hominũ,
ſed diuina uirtute promereri. Leuis itaq; erat ma-
nus domini ſuper Azotum, cum adhuc per pau-
cos miniſtros fidei pauci errorem deſererent gen-
tilitatis. Vnde & quaſi de aggrauatione manus

A orare uerbi miniſtros dominus admonet, dicens:
Meſſis quidẽ multa eſt, operarij aũt pauci, rogate
dñm meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.
Quaſi aliter dicat. Qui per paucos miniſtros, ue-
lut leui manu paucos ab infidelitate ſeparat, roga
te ut miniſtros multiplicet, ut quaſi in conuerſorũ
multitudine manũ grauet. Sed & modus interfe-
ctiõis exponit, quia quiſquis mori hac interfecti
one dicit, dũ ad purgandũ uentrẽ exiret, in ſuperi
ori parte natiũ morderi à muribus perhibet. Ad li
terã una percuſſio hic oſtendit, ſed in typica ex-
poſitione geminatur. Nam per literæ ſignificatio
nem, & grauationem manus domini, & murium
morſus ad eiuſdem mortis effectũ pertinet: quia
B ad hoc dicitur, manus domini ſuper Azotios ag-
grauari, q̃d per muriũ morſus interfici. Quia uero
per ſpiritalem ſignificationẽ duas mortes agno-
uimus, unã uidelicet qua peccatores iuſtitiæ pec-
cando moriuntur: alteram, qua iuſti à peccatis in
quibus uixerant, pœnitendo ſe erigunt: unã quæ
ad humana corda diabolo ſuadente ingreditur, al
teram quam omnipotentis dei uirtus operat, ne-
ceſſe eſt ergo ut utranq; mortem in hoc loco ſpi-
ritualiter attendamus. Mors quidem qua peccato
res à peccatis pœnitendo reſurgũt, deſignat, quia
dicit: Aggrauata eſt ſuper Azotios manus domi-
ni. Illa autem mors, qua gentiles ſe immunditiæ
& iniquitati ſeruos exhibuerunt, deſignatur, cùm
C morderi à muribus & interfici dicunt. Mus quip-
pe immundum eſt animal, & per legem edi prohi
bitum. Quid ergo per mures, niſi dæmonia deſi-
gnantur? Et quid eſt morderi à muribus, niſi pec-
cati pœna lacerari? Sed mordebantur à muribus,
cũ ad purgandũ uentrẽ egrediebantur. Quid eſt
ergo purgare uentrem, niſi expletione peccati mi
ſerę famę fœtorem proferre. Qui ergo ad purgan
dum uentrem egreditur, murium morſu perimit,
quia qui peccando ad aliorũ notitiã per exemplũ
prauitatis extenditur, ad æternam quoq; mortem
graui dæmonum obligatione retinetur. In ſecre-
tiori enim parte natium percuſſi perhibẽtur: quia
peccator quiſq; ex ea parte uulnus accipit animę,
quam incuruat ad peccati delectationẽ. Cum er-
go manus domini ſuper Azotum aggrauatur, à
D muribus percuſſus aſſeritur, quia prædicantibus
æternæ uitæ doctoribus, dum ab infidelitate gen
tiles conuerſi ſunt, qua peccatorum morte ſuaſio-
ne dæmonũ obligati eſſent, cognouerunt. Morde
ri igitur Azotijs poſt aggrauatam manum domi-
ni eſt, poſt ueræ fidei cognitionem dæmonibus
non ſubijci, ſed quibus ſe peccati fœtoribus pœ-
næ mortis obtulerant, per fidei illuminationẽ in-
tueri. Quaſi enim tunc morſi ſunt, quando pecca-
torum ſuorũ morſus agnouerunt. ſequitur: Vi-
dentes autem uiri Azoti huiuſcemodi plagam, di
xerunt. Non maneat arca dei apud nos, quoniam
dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon de
um noſtrũ.] Nam cum cernerent tẽpla deſtrui, ſa
crificia ceſſare, uxores à uiros, & uiros ab uxoribꝰ
diuidi, à genitoribus filios, & patres à filijs ſepara
ri, quid aliud cũ & ſuper ſe, & ſuper ſuperſtitionẽ

ſuam

ſuã manũ domini durã eſſe putauerunt? Sed quid deinde factũ fuerit, ſequit̃: Et mittẽtes cõgregauerunt omnes Satrapas Philiſtinorũ, reſponderũtq; Gethæi, circumducatur arca dei.] Quia Satrapas Philiſtinorũ congregauerunt dicitur, quare aũt cõgregauerunt nõ dicit̃. Sed quia reſpondiſſe Satrapæ dicuntur, & circunducendæ arcæ conſilium tribuiſſe: quia ad tribuendũ pro eadẽ arca cõ ſiliũ uocati eſſent, aperte cognoſcit̃. Qui ergo ſunt Satrapæ Philiſtinorũ, niſi electi prędicatores gentilium? Satrapæ quidẽ principes dicunt̃. De quibus profecto principibus per Pſalmiſtã dicit̃: Principes populorũ cõgregati ſunt cũ deo Abraham. Populorum nanq; appellatione gentes deſignãtur. Qui ergo populorum nomen, & principum poſuit, nimirũ eos, de quibus loquimur Philiſtinorũ Satrapas deſignauit. Qui certe populorũ principes cũ Abraham deo conuenerũt: quando ad ſalutem conuertendarum gentium, hoc prædicatores ſonuerunt uerbo, quod omnipotens deus interno eis aſpirabat deſiderio. Quaſi enim in auditorũ gentiliũ cordibus mira erat cõuenientia dei & principum, cum ſimul & à ſanctis prædicatoribus rationẽ rectæ prædicationis acciperent, atq; à domino fructũ bonæ uolũtatis. Et quia aduerſarij eſſe cognoſcunt̃, qui dixerãt, non maneat arca dei apud nos, quomodo principes mittentes congregant? Sed mittere, & principes cõgregare eſt, ſanctorũ prædicatorũ mentes ad prędicationis inſtantiã prouocare: quia illic erat attentius prædicandũ, ubi gentilium corda in errore profundius mergebant. Hinc eſt quod egregius doctor nobiliorẽ de indomitis hoſtibus ſe elegiſſe uictoriam gloriatur, dicens: Ab Hieruſalem, uſq; Illyricum per circuitum repleui euangelium Chriſti: ſic autem hoc prædicaui euangelium non ubi de eo annunciatum fuerat, ne ſuper alienum fundamentũ ædificarem. Prouocati ergo ſunt principes nõ deſiderio, ſed errore infidelium, cum inde deo lucrũ maius facere arbitrati ſunt, unde caligo errorum per flatum ſuperbiæ ſublimius ferebatur. Quare & ſanctæ prędicationis inſtantia deſignatur, cum ſubditur. Reſponderuntq; Gethæi. Circunducatur arca dei.] Illi dicunt, non maneat arca dei apud nos, & iſti dicunt, Circunducatur.] Quid eſt enim arcam dei circunducere, niſi ueræ fidei myſteria publicè prædicare. Manet em̃ arca apud eos qui ueræ fidei ſacramenta, quæ audiunt, per amorem amplectuntur. Qui autem non maneat apud nos arca, dicunt, prædicationẽ fidei à ſe uerti concupiſcunt. Satrapæ ergo econtrario dicunt: Circunducatur arca dei: quia illis attentius diuina prædicabant, quos ad odium ueritatis grauis error accenderat. Et quia per ſanctorum prædicatorum miniſteria, etiam taliũ magna lucra regnis cœleſtibus illata ſunt, ſequitur: Illis autem circunducentibus eam, fiebat manus domini per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ nimis, & percutiebat uiros uniuſcuiuſque urbis à paruo, uſque ad maiorem, & computreſcebant prominentes extales eorum.] Arca quippe circunduci tur, cum myſteria fidei palam, & ſine timore prædicantur. Et quia inter initia fidei innumeri conuertebantur, interfectio magna nimis per ciuitates ſingulas facta perhibet̃. Item quia nõ ſolũ ſimplices, ſed ſapientes cõuerſi ſunt: eadẽ interfectio à paruo uſq; ad maiorẽ facta aſſeritur. Sed per eandem percuſſionem computreſcere extales referuntur. Extales quippe putreſcere eſt, peccati metatus ab effuſione conſueti fœtoris penitus interire. Bene nanq; percuſſus eſt, cuius prominentes extales computreſcũt: quia nimirũ nonnulli ſunt, qui poſt munditiam couerſionis, priſtina inuoluuntur ſorde flagitij: horum profecto prominentes extales minimè computreſcunt: quia ad cõſuetum peccatorum fluxum per iniqua opera recuruantur. Hos nimirum ab imperfecta percuſſione male ſanos ille redarguit, qui ad fœtores priſtinos deuolutos inſinuat dicẽs: Canis reuerſus ad uomitum, & ſus lota in uolutabro luti. Quaſi enim ad computreſcendum extales percutiebat ille, qui uerbi gladium ingerens, ait: Non regnet peccatũ in ueſtro mortali corpore, ut obediatis cõcupiſcẽtijs eius. Poteſt aũt per hoc quod Azotij dicũt nõ maneat arca apud nos, eorũ qui de eiſdẽ gentibus & uerbum fidei audierũt, & ad æternam uitam minimè prædeſtinati credere noluerunt, peruerſitas deſignari. Circunducere ergo arcam dei Satrapis fuit, ſanctis prædicatoribus eis uerbum ueritatis ſubtrahere, atq; illis qui digni erant, myſteria fidei reuelare. Circunducta ergo eſt arca: quia fidei noſtræ ſacramenta ab aliorũ notitia ſublata ſunt, atq; alijs reuelata. Vnde & cum circunduceretur interfectio magna nimis per ſingulas ciuitates fieri perhibetur: quia ubicunq; uerbũ ducebant fidei, gratia multiplicabat̃ couerſionis. Et quia ubicunque prædicabant, inter eos qui credebant, erant qui prædeſtinati ad æternam uitam non erant, ſequitur: Miſerunt arcam dei in Accaron. Cumq; ueniſſet arca dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes. Miſerunt ad nos arcam dei ut interficiat nos, & populum noſtrum. Miſerunt ergo & congregauerunt omnes Satrapas Philiſtinorum. Qui dixerunt. Dimitte arcam dei in locũ ſuum.] Satrapæ (ut diximus) ſancti prædicatores intelliguntur Accaronitæ, qui interpretantur ſteriles, gentiles deſignant inconuertibiles. Qui nimirũ prædicatores dimittẽdæ arcæ conſiliũ tribuerunt, ut ſi ſalutem ſuam de diuina prædicatione recuſarent, fidelibus ad æternã patriã cum ſacramentis fidei tendentibus, non obſiſterent. Locus nanq; arcæ diuinorum uidelicet ſacramentorum, ibi eſſe cognoſcitur, ubi quicquid de omnipotente deo nunc per ſcripturarũ myſteriũ dicitur, apertа poſtmodum nobis cognitione reuelatur. Proprium quippe arcæ locum cognouerat, qui dicebat, Videmus nunc per ſpeculũ in ænigmate, tũc autem facie ad faciẽ: nũc cognoſco ex parte, tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Conſiliũ itaq; Satraparum fuit, ut in locũ ſuum reuerti arcã dei permitterent: ut uidelicet qui de uerbi prædicatione nullum fidei fructum ferebant, eam ſaltem il-

Pſal.46

Rom.5

Rom.6

2.Pet.2

1.Cor.13

lis dimitterent,qui ex ea fructū ſibi in æternitate præpararent. Bene igitur qui remittendæ arcæ, conſiliū accipiūt,Accaronitæ nominant. Accaronitæ quippe interpretant ſteriles. Quia em̄ de audita fidei ueritate,nullū credulitatis,aut boni operis fructū dederāt,ſteriles erāt. Tollēdæ ergo arcæ principes conſiliū præbuerūt,ſed à ſterilibus, ut uidelicet uerbi dei ſemen,quod in peſſima terra germinare nō poterat,terrę optimę ſeruaretur, quæ de hoc labore hyemis,in perenni uita fructū centeſimum proferret æſtatis. Et cauſa protinus relaxādæ arcæ oſtendūt,cū prædicatores ſubdūt, Ne interficiat nos cū populo noſtro.] Accaronitę clamauerūt: miſerūt arcā dei ad nos,ut interficiat nos & populū noſtrū. Satrapæ conſiliū tribuunt, dicentes: Dimitte arcā dei Iſrael,ut nō interficiat nos cum populo noſtro. Quis eſt populus de quo Satrapæ,ideſt principes dicunt, ut non interficiat nos cum populo noſtro? Quis eſt populus niſi populus Chriſtianus: Dicunt ergo principes dimittite arcam dei Iſrael,ut reuertatur in locū ſuū. Quaſi dicat hoc:unde uos mori pertimeſcitis, nobis ad æternæ uitæ meritū exercere nō prohibeatis. Sed quod addunt, ut non interficiat nos cum populo noſtro,gentiliū quidem reproborū corda,in errore ſuo per hanc reſponſionē confundunt, dū inde ſe iſti affirmarēt mortē euadere,unde illi trepidarent mori. Arcam quoq; dei ſancti prędicatores auferunt,quia dum contemptoribus ſpiritalia panduntur,ad damnationem indiſcreti prædicatoris agitur,ſi eadem diuina myſteria,nō imitanda perfidis,ſed irridenda,& concludenda deferantur. Nam quaſi transferendæ arcæ non tam Satrapæ quàm Satraparum dominus pręceptum ponebat,dicens: Nolite ſanctum dare canibus,neq; ponatis margaritas ante porcos,ne conuerſi conculcent eas pedibus ſuis. Hinc iterum dicit: Si perſecuti uos fuerint in una ciuitate,fugite in aliā. Arcā itaq; ne moriantur auferunt,quia cōtemptoribus idcirco ſpiritualia abſcondunt,ne de eorum contemptu ij,qui temere ea proferunt, ex indiſcretione puniantur. Sed quia Accaronitis arca præcipitur dimitti,hoc profecto inſinuat, quod præmiſi: quia tempore perſecutionis, ſanctorum prædicatorum exhortatio facta eſt, ut ipſi crederent, aliquando autem,ut ſi ipſi uitę uerbū nō reciperent, illud recipientibus nō obſtarent,& ſi ipſi tormentorū metu,ſalutis uiā non arriperent, eis impedimento non eſſent,qui ad regna cœleſtia feſtinare nec minis,nec pœnis deſtitiſſent. ſequit̄: Fiebat enim timor mortis in ſingulis urbibus,& grauiſſima ualde manus dñi.] Hoc quidē ad exteriorem perſecutionē qualiter accipiat̄,ſupra expoſitū eſt. Sequitur, Viri quoq;,qui mortui nō fuerāt,percutiebātur in ſecretiori parte natiū:& aſcendebat ululatus uniuſcuiuſq; ciuitatis in cœlū.] De natiū quidē perſecutione quia ſuperius diximus, dicendum hic nō eſſet: ſi hic aliud quàm ibi nequaquā diceretur. Quid eſt ergo,quod dicit: Viri quoq; qui mortui nō fuerāt, percutiebant̄?] Nunquid uerò ij qui mortui non fuerāt, morderi iterū pro arcę pœna debuerunt: Sed & cùm percuſſorū clamor in cœlū aſcendiſſe dicitur,ſatis oſtendi poterat quia de uiuis,& non de mortuis diceret̄. Neq; em̄ in cœlū aſcendere clamor poterat uirorū mortuorū. Sed quia percuſſionē natiū ſuperius retulimus ad cognitionē peccatorū,ſunt profectò uiri, qui non ſunt mortui. Viri quippe ſunt,qui pro æterna uita,quā appetūt, agere fortia decreuerunt. Sed uiri adhuc nō ſunt mortui, qui agere magna deliberant, & tamen ad dolorē cōpunctionis,mala præterita nequaquā penſant. Mordent̄ ergo à muribus,ut moriant̄: quia in quibus nequiter ceciderūt recolunt,& pro præteritis actibus,ſe promereri æternę uitæ amiſſionē credunt. Quia ergo uiri ſunt, de dei miſericordia nō deſperāt: & quia mordentur, ut moriantur, de eo quod magni eſſe incipiūt,ſe non exaltant. Quorū profecto clamor in cœlum aſcendit: quia omnipotens deus cōuerſorum gemitus clementer accipit. Et quia in tēpore conuerſionis gentiū,magnus erat ad fidem cōcurſus,non ab aliqua una,ſed à pluribus ciuitatib. clamor aſcendiſſe perhibet̄. Vnde & in perſona uniuerſalis eccleſiæ propheta deprecat̄,dicēs. Intende orationi meæ,à finib. terrę ad te clamaui. Et in cœlū aſcendiſſe clamorē à finib. terræ clamātis oſtendēs,ait: Exaudiuit de templo ſancto ſuo uocem meā, & clamor meus in cōſpectu eius introiuit in aures eius. Cùm ergo unaquæq; ciuitas in cœlum clamaſſe dicit̄,uniuerſalis pœnitentia cōuerſionis cōmendat̄. Quod ſi percuſſio ad cōuerſionem,clamor aūt refertur ad diuinę laudis deuotionē: hoc profecto in myſterijs ſcripturarū legimus,quod uidemus. In dei nanq; omnipotētis laudibus unaquæq; ciuitas clamat: quia redemptoris præconia orbis uniuerſus nequaquā tacet: quem non abſconſe prædicat,ſed ineffabilis lætitiæ iubilatione collaudat. Quid enim aliud q̄; uniuerſas ciuitates ad clamorē cohortabat̄, qui dicebat: Omnes gentes plaudite manib. iubilate deo in uoce exultationis,quoniā deus ſummus & terribilis,& rex magnus ſuper oēs deos. Hinc iterū admonēs ait: Iubilate deo omnis terra,ſeruite dño in lætitia. Hinc rurſum,tam plagā mordentiū muriū, q̄; clamorem ciuitatum exprimit,dicens: Cōmoueatur à facie eius uniuerſa terra, dicite in gentibus,quia dominus regnauit. Præmiſerat enim: cantate dño canticum nouū, cantate domino omnis terra. Cōmotio quippe terræ pertinet ad dolorē pœnitentiæ, cantare domino, ſiue annūciare in gentibus: quia dominus regnauit: ad ſtudiū prædicationis, & ad deuotionē diuinæ laudis. Vniuſcuiuſq; ciuitatis clamor in cœlum aſcendit, quia in uniuerſo orbe tam prædicationis ueritas, q̄; deuotionū laudes à fidelibus ſanctæ eccleſię declamantur: quæ ad ſuperni auditus celſitudinē, per ſuſceptionem diuinæ dignationis aſſumuntur.

Matt.7

Matt.10

Pſal.60

Pſal.17

Pſal.85

Pſal.46 & 98

Caput. IIII

IVit ergo arca domini in regione Philiſtinorum ſeptem menſibus. Quid ſeptem menſes iſti, niſi totam uitæ præſentis prolixitatem deſignant? Quanquā Azotij & Acca-

& Accaronitæ clamarent, circunducatur arca dei Israel, & non maneat arca dei apud nos: ueritate tamen sanctæ historiæ dicitur, quod in typo sanctæ ecclesiæ cognoscamus quia in regione Philistinorũ arca dei septem mensibus fuit. Non ergo malorum, & impiorum hominum uoluntas, sed dei dispensatio in salute gentilium adimpleta est. Iam quidem de gentilitate sublati sunt impij, iam mortui sunt qui Christi confessores persequebantur, & tamen arca dei à Philistinorum regione nõ tollitur, quia diuina sacramenta apud gentes sancti spiritus poculo debriatas, per studiosam sollicitudinem reseruantur. Bene autem dicitur septem mensibus, quia sanctarum scripturarum mysteria usq; in mundi finem cum Christi fidelibus perdurabũt. Sed quisquis eiusdem sanctæ scripturæ mysteria per gratiam intimæ charitatis apprehendit, non de loco, in quo temporaliter arca dimittitur, sed de eo in quo æternaliter sistitur, sollicitus fuit. Quare & subditur. Et uocauerunt Philistæi sacerdotes, & diuinos dicentes. Quid faciemus de arca dei? Indicate nobis. Et quomodo remittamus eam in locum suum.] Qui sunt, qui sacerdotes & diuinos consulunt, nisi fideles sanctę ecclesiæ, qui æternę salutis uiam sine errore tenere concupiscunt. Et qui sacerdotes & diuini, nisi sanctę ecclesiæ prædicatores intelligũtur? Sacerdotes quippe sunt ob oblationem sacramenti, diuini uerò, ministerio prædicationis. Nam duo ista in pastoris persona cõueniunt, si ei adsit & sanctitas uitæ, & eruditio sapientiæ: quia ad purganda peccata subditorum cõstitutus est, & ad errorum caliginem prædicationis luce depellendam. Pastor ergo sanctæ ecclesię, qui uitæ sanctitatem habet, & diuinę prædicationis uirtutem non habet, sacerdos quidem & non diuinus est. Item si uerbi facundiam retinet, sine uitæ sanctitate, & si diuinus esse cernitur, sacerdotij honore nequaquam decoratur, quia quod sublimiter prædicat, terrena actione conculcat. Qui autem de arcæ loco, & & de remittenda arca dei interrogant, & sacerdotes, & diuinos uocant: quia nimirum ij qui de cognitione diuinæ prædicationis uenturæ uitę gaudia diligunt, ad salutis consilium nec carnales sapientes, nec multum simplices religiosos pastores quærunt. Sacerdotes itaq;, & diuinos uocant, quia eis se committunt, qui & superni rectitudinem itineris demonstrant sublimitate scientiæ, & pro subditis omnipotenti deo idonei intercessores sunt, per puritatem uitę. De remittenda igitur in locum suum arca interrogant, quia de ista cognitione scripturarum, quam in mysterijs uerborum accipiunt, transire ad perfectam dei cognitionem in æternitate concupiscunt. Veluti enim arca remittit, cùm parua ista cognitio per uitę præsentis transitum adimpletur. Et in loco suo ostensæ arcę dei gloriam cernimus, quando ab altis figurarum tegminibus speciem diuinæ maiestatis reuelata facie contuemur. De ista quippe in loco suo arcæ relatione per prophetam dicitur. Et non docebit uir ultra proximũ suum dicens, cognosce dominum, à minimo usque ad maximum cognoscent me. Hinc Ioannes repromittit, dicẽs: Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eum, sicuti est. Sed iam remittendæ quod consilium sacerdotes, & diuini quærentibus tribuant, attendamus. Nam sequitur. Qui dixerunt: Si dimiseritis arcã dei Israel, nolite dimittere eam uacuã, sed quod debetis reddite ei pro peccato, & tũc curabimini, & scietis quare non recedat manus eius à uobis.] Quidnã est arca uacua, nisi diuina scientia, sine bona operatione? Vacuam nanq; arcam remittere, est de cognitione spiritalium sacramentorum, fructum boni operis nullum ferre. Vacua ergo arca remittitur, cum mens ad fidem uenientis ad æternam dei cõtemplationem iam transire desiderat, & tamen in hac uita bonis operibus insudare nequaquam curat. Prædicatorum ergo uoce præcipitur, ut arca cùm dimittitur, uacua non relaxetur: ut si bona opera quisquis fidelis est nõ multiplicat, ad æternam dei omnipotentis cognitionem, quod transiturus sit, confidere non præsumat. Vacua autem arca non dimittitur, si illud ei pro peccato redditur, quod debetur. Quid est, quod pro peccato debetur arcę, nisi afflictio deuotæ pœnitẽtiæ. Quo in loco notandum est: quia eis loquitur, qui à muribus morsi sunt. Qui enim sunt morsi à muribus, nisi qui in fidei catholicę illuminatiõe positi, ante eiusdẽ fidei cognitionẽ, siue post praua egisse se recolũt? Nã qui ante gratiã regeneratiõis nulla crimina admisit, & regenerationis donum digna conuersatione retinuit, arcæ quidem debet, sed ei pro peccato non debet. Cognitione quidem diuini eloquij, boni operis reddere fructum cogitur, sed ad pœnitentiæ satisfactionem ex scelerum, quæ respuit, debito non urgetur. Qui ergo mordentur adhuc, debitum arcę pro peccato reddant, ut pro criminum memoria, humilem pœnitentiæ oblationem omnipotenti deo restituant. Et tunc quidem curant, quia tum conscientiæ uulnus obducitur, cùm afflicta mens per pœnitentiam ad sperandæ ueniæ securitatem releuatur. Tunc etiam sciunt, quare manus domini non recedat ab eis: quia tunc utilitatem compunctionis, seu afflictæ carnis bonũ intelligunt, cùm de fiducia diuinæ indulgentiæ ineffabiliter lætantur. Quid est enim dolor pœnitentiæ, nisi plagæ molestia ex dæmonũ percussione. Nam quasi in dolore plagæ adhuc acriter pungentis suspirabat cõuersus ille, cùm diceret: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Quid eñ ærumna nisi afflictionẽ insinuat pœnitentiæ? Sed in eadem ærumna conuersum se asserit, dum spinæ confixuram sentit. Quasi dicat. Dum recordatione flagitij mordeor, arcæ debitum reddere non desisto. Spina quippe configitur, dum per omnipotẽtis dei dispensationem, ad lachrymas conuersorum anima criminum recordatione inflammatur. Et arcæ debitum soluitur quando iam pro qualitate criminis, mensura extenditur lamentatiõis, cùm post diuturnas lachrymas afflictæ diu menti, interni solatij lux infunditur

Psal. 31

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, atq; à percussionis intimę pondere diuino do no leuigatur: cùm iam purgatę menti per gratiam suæ inspirationis omnipotẽs deus appropiat, atq; ex fiducia cõsecutę indulgẽtię eam exhilarat, quã ei ex præsentię suæ gratia sumministrat. Quasi em̃ de percussione sanatur, cum per refusæ indulgentiæ gratiã magnitudo doloris de pœnitentis afflicta mente remouetur. unde & is qui in ærumna conuertebatur, dum cõfigeretur spina, in eodem Psalmo omnipotentem deum curationis suæ au-
Psal.31 thorem lætanter alloquitur, dicens: Tu es mihi refugium à pressura quæ circundedit me, exultatio mea. Pressuram quippe uocat grauissimam ualde manum domini. De qua percussione grauissimæ
Rom.8 manus etiã Paulus loquitur, dicens: Ipse enim spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilib. Qui ergo à pressura inuenisse dñi refugiũ, & exultationẽ insinuat, ab interni doloris percussione, gaudio diuinæ indulgentiæ curatum se esse manifestat. Hinc item dolens adhuc cõfitetur, dicens:
Psal.50 Tibi soli peccaui, & malum corã te feci. Sed quia de curatione præsumit, insinuãs, ait: Auditui meo dabis gaudium & lætitiã, & exultabũt ossa humiliata. Debitũ ergo arcę redditur pro peccato, cùm peccatores ex scripturę sactæ cognitione affligun tur, & cruciatũ tergere culpas satagunt, quas carnis delectatione traxerunt. Curantur autẽ, quando iam expleta mensura afflictionis, ad fiduciam diuinæ indulgentiæ per auxilium releuantur interni solatij. Vnde & Psalmista loquitur, dicens:
Psal.79 Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Lachrymarũ quippe potus ad mensuram dat: quia profecto peccator etsi ex interna dei aspiratione, pro culpa compungitur, ex eadem cõpunctionis afflictione eo-
Deut.32 dem consolante releuatur. Vnde & per Moysen dominus dicit: Ego occidã, & ego uiuere faciam: percutiam, & ego sanabo. Percutit nanq;, & sanat: quia quos per compunctionem sauciat, per indulgentiæ securitatem curat. Bene itaq; curatis iam dicitur: Et scietis quare manus eius nõ recedat à uobis.] Nam antequam curet, quare manus domini ab eis non recedat, scire nõ possunt: quia tũc pœnitentiæ bonũ intelligunt, cùm in purificato iam corde sancti spiritus gratiam recognoscũt: & diuinæ indulgentię dona cõcupiscunt, de quibus ineffabili exultatione gratulantur. Nam curantis iam manus domini causam, qua ab afflictione nõ recesserat, eos scisse cõspexerat, qui percussorum exultationes exprimit, deo loquẽs, & dicens: Re-
Psal.89 pleti sumus mane misericordia tua, exultauimus, & delectati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus uidimus mala. Velut enim in nocte pœnitentiæ luctum exceperant, qui mane uidelicet diuinæ dignationis apparente claritate, se repletos misericordia cõgaudebant: qui se delectatos pro diebus, in quib. humiliati fuerãt, asserunt: per donum curationis, grauitatẽ manus domini, quare ab eis non recesserat, scire demonstrant. Sed quia à principibus adhuc per consiliũ dicit, ut quod debetur pro peccato arcæ reddat, & quid sit illud, quod debetur, nõ exponitur, adiunctum est. Qui respondentes dixerunt: quid est quod pro delicto reddere debeamus? Respon derunt illi: iuxta numerũ prouinciarũ Philistim quinq; anos aureos facietis, & quinq; mures: quia plaga una fuit uobis, & Satrapis uestris. Facietisq; similitudines anorũ uestrorũ, & similitudines murium qui demoliti sunt terrã, & dabitis deo Israel gloriã si fortè releuet manũ suam à uobis, & à dijs uestris, & à terra uestra.] Quid est quod quinq; anorum similitudines, & totidẽ similitudines murium, iuxta prouinciarum numerum fieri iubent, & sic arcæ debitũ soluitur? Hæc profecto si more Iudaico secundum literæ uilitatem pensantur, nõ solũ despicienda sunt, sed nec auditu digna. Quæ profecto dignè accipit, qui quo uiliora per literæ sonum audit: eo ea per spiritalem significationem utiliora esse intelligit. Nam sanctus spiritus quo inspirante tota hæc sacra historia scribitur, nunquam tam uilia promeret, si in huius uilitatis arcano magnæ quædam, & pretiosa ualde mysteria non signaret. Vnde doctor egregius fatetur, dicens: Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt aũt propter nos, in quos fines seculorũ deuenerunt. Eo igitur per spiritũ altius requirenda sunt, quo in expositа uelut carne literę uile cernitur, quod loquuntur. Quæ ergo sunt anorũ similitudines, quæ murium imagines? Et quia hæc tam ad tentantia dæmonia, quam ad membra peccatorum fœtoribus expositа, superius retulimus, similitudines anorum, & murium, qua significatione deaurantur? Sed profecto tunc arcę debitũ pro peccato bene soluitur, si anorũ, & muriũ similitudines ex auro fabricentur. In ani quippe similitudine emittendi fœtoris membrum cernitur, & tamen quia similitudo non ueritas est, fœtore iam nullo maculat. Et quia de auro efficitur, hoc profecto insinuat: quia ex splendore pulchritudinis, species cõmutat deformitatis. Peccator ergo conuersus ani similitudinẽ facit, cum quibus peccati fœtoribus membra sua deposuerat, ad memoriam ducit. Ani ergo similitudinem fabricare est membrorũ suorũ nuper peccantiũ turpitudinẽ, pœnitenti corde recolere. Non itaq; anum, sed ani similitudinem fabricat, qui & à peccati fœtoribus mẽbra abluit, & eadem mẽbra, quibus peccatis subdiderit, recolere nõ omittit. Et quidẽ ex auro fieri ani similitudo cernit, quia ad pretiũ æternæ salutis, peccatorũ turpitudines atterũtur. Vel fortasse memorando similitudines anorũ fiũt, flendo deaurant: quia & recolendo, quæ fecimus, fingimus, & dum cõmissa attentius lugemus, in iustitiæ splendorẽ membra deauramus. Anorũ ergo similitudo, non ueritas cernit, quia tunc peccator suæ deformitatis ignominiam respicit, cum praua opera, nõ solum cõmittendo nõ exercet, sed etiã in præterito se cõmisisse uehemẽter dolet. Quinque autẽ ani fieri iubent, quia uniuersalis omniũ gentiũ satisfactio imperatur. Vnde & cautè notarũ est, Iuxta numerũ prouinciarũ Philistim.] Quare enim quinq; sunt Philistinorũ prouinciæ,

nisi

nisi quia carnalis uita gentilium designatur? Quia enim quinq; sensus corporis non ad laudem creatoris, sed ad carnalem uitam contulit, per quinarium numerum Philistinorum prouinciæ exprimuntur. Quinq; anos aureos præcipiuntur ut faciant, ut de omnibus compungantur sensibus, & quia omnes peccauerũt, ideo ad supernæ uitæ claritatẽ membra omnia redigant, quæ per oblectamenta carnis, omnimoda polluerunt sorde flagitij. In auro quippe supernæ conuersationis fulgor ostenditur, quia per Ioannem de superna ciuitate Apoc.21 dicitur: Ipsa uero ciuitas aurũ mũdũ, similis uitro mundo. Membra igitur deaurantur, cùm corpus terrena & cœnosa concupiscentiarũ fœditate deforme, in splendorẽ cõmutatur æternæ uitæ, cùm uidelicet per sanctæ conuersationis pulchritudinem radiat, quod in appetitu mundanæ delectationis peccatorũ fœtore sordebat. Ad istam nanq; deaurationẽ, beatus Paulus auditores suos admo Rom.6 nebat, dicẽs: Sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, ita exhibeatis membra uestra, seruire iustitiæ in sanctificationem. Et quasi ad anorum similitudines eos respicere compellens, intulit, dicens: Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Anorum ergo similitudines ad ruborem fiunt, quia profecto fœditatis nostræ maculas ad memoriam ducimus, ut de eisdem maculis confundamur. Sed deaurantur ad securitatẽ: quia profecto dum deformitatẽ nostrã supernæ uitæ claritate obducimus, diuini examinis discussionẽ quadam securitate præstolamur. Mures etiam qui terrã demoliti sunt, de auro fieri iubentur: quia & immundi spiritus, qui carni nostræ corruptionis oblectamenta suggerunt, ad iustificationẽ nostrã memorantur. Quid est enim similitudines muriũ facere, nisi eas quas de nobis maligni spiritus habuerunt uictorias, memorari. Sed murium quoq; similitudines deaurãtur, cùm nos eorũ elisos uiribus suspiramus. Nam dum ipsorum nos fraudibus uictos plangimus, similitudines profecto muriũ aureas tenemus, dum præterita consilia dæmonum non habemus in blandimento operis, sed in cõtemptu reprobationis. Ex auro itaq; similitudines murium fiunt: quia præteritæ fraudes dæmonũ, ad fulgorẽ nobis bonæ uitæ proficiunt. Tanto enim humiliores iam sumus, quãto membra nostra per supernæ cõuersationis fulgorẽ radiant, & ipsi qui iam dei omnipotentis auxilio fortia agimus, immũdorũ spirituũ prostratos fuisse fraudibus, nosmetipsos uidemus. Quod profecto consiliũ: quia pluribus tribuũt, eiusdem quoq; rationẽ ostẽdũt: quia dicunt. Quia plaga una fuit & uobis & Satrapis uestris.] Quasi aperte dicant: Quia omnes peccato subditi fuistis, necesse est ut ad melioris uitæ studium corda pariter Rom.3 præparetis. Vnde & Paulus dicit: Omnes peccauerunt & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Et ut attẽtius meliorandæ uitæ propositũ cõmendent, inculcando repetunt, dicentes:

Facietis similitudines anorũ uestrorũ, & murium, qui demoliti sunt terrã, & dabitis deo Israel gloriã, si fortè releuet manũ suã à uobis, à dijs uestris, & à terra uestra.] Eis quæ prædictæ sunt similitudines factis, deo gloriam dare, est de studio boni operis, & de æstimatione humilitatis in semetipso inaniter non gloriari, sed dei omnipotentis laudibus omne quod agitur impẽdere. Et quia dicũt si fortè releuet manũ suã à uobis, quid aliud in hoc uerbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostẽditur reconciliatio criminosorũ? Vnde & per Ionã dicitur: Quis scit si cõuertatur & ignoscat deus? Quia ergo si fortè releuat manum dicitur, cõmoueri ad pœnitẽtiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus: quia etsi ij qui pœnitentiam austerã faciunt, uix fiduciã salutis inueniunt, negligentes salui fieri quando possunt? Quæ profecto reconciliationis difficultas si in pœnitentiũ æstimatione tenetur, apud omnipotentẽ deũ nequaq; inuenitur: quia & dum Niniuitæ uelut pro difficili reconciliatione graui pœnitentia se deijciunt, omnipotẽtis dei misericordiã facile meruerunt. Et cùm prophetæ Ioelis uoce acri se deo populus lamento prostraret, egit profecto, ut qui uidebatur ad placandum difficilis, eius iram leuigaret. Nam statim in eo scriptum est: Zelatus est dominus terram suam, & pepercit populo suo. Manus itaq; reuelatur, cùm mens in pœnitẽtia ualidè compuncta ad consecutæ misericordiæ donum, diuina aspiratione sustollitur. Et quia (ut dixi) in initio nascentis ecclesiæ sicut generalis peccatorum conuersio, ita & generalis erat reconciliatio conuersorũ: manus dei quæ releuanda asseritur, & ab auditoribus, & à dijs eorum, & à terra leuanda perhibetur. Per deos nanq; sublimes & sapientes uiri designantur. Nam & ad Moysen dominus dicit: Posui te in deum Pharaonis. Et in legis etiam Exod.7 mandato præcipitur: Dijs non detrahes. Per terrã Exod.22 uero simplicium uita exprimitur: quia dum prædicationem superiorum, uelut cœli pluuiam in se cadentem recipiũt, de irrigatione uerbi, fructum proferunt bonæ operationis. A dijs ergo & à terra manus domini releuatur, cùm tam sapiẽtes quàm simplices ad certitudinẽ diuinæ indulgentiæ aut occulto & spiritali solatio, aut prædicatorum iudicio reducuntur. Vnde & is qui paulo superius deaurari membra monuerat, dicens: Exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationẽ, quasi reuelatæ manus domini iudicium proferens, ait: Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum uestrũ in sanctificationem, finem uero uitam æternam. Hinc iterum conuersis à nequioris uitæ deformitate, integrũ auri fulgorem mirabatur, dicens: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Hinc idem suos collaudans, ait: In medio nationis prauę & peruersæ, in quibus lucetis, quasi luminaria in mũdo. Factis igitur ex auro similitudinibus anorum & murium & data deo gloria, manus domini releuatur: quia post pœnitẽtiæ luctũ, post meliorationẽ uitæ, & æstimationis humilitatẽ, ad plenã omnipotentis dei misericordiã peccatores reducuntur. Et

Ionæ 3

Rom.6

Ioel.2

Rom.6

Ephes.5

Philip.2

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia iſta omnia adhuc per conſiliũ præcipiuntur, prædicatorum uerò conſilium alij deuotè perficiunt, alij uerò contemnunt, qui de bonę uitæ ſplendore bonos laudibus efferunt, cõtra ſuperbos per inuectionẽ increpationis accenduntur. Nam ſequitur: Quare aggrauatis corda ueſtra, ſicut Ægyptus & Pharao.] Cor nãq; ut Ægyptus & Pharao aggrauat, qui iã cognitione ſacri eloquij, uulnera peccatorum ſuorum intelligit, & tamen per meliorationem uitæ, per amaritudinem pœnitentiæ, ad uera futurę uitæ gaudia animum non intendit. Bene ergo Ægyptijs in grauitate cordis ſimilatur. Ægyptus quippe tenebræ dicitur. Quid ergo Ægypti nomine accipitur, niſi à cœlorum ſedibus angelorũ lapſa multitudo? Et quid in Pharaone Ægypti rege, niſi ipſe tenebrarum author diabolus deſignatur? Bene ergo diſſimulatores pœnitentię Ægypto & Pharaoni in cordis aggrauatione ſimilantur. Reprobi quippe angeli ſemel à cœleſtibus lapſi, ſicut amorem amiſſę beatitudinis non recipiunt, ita & pœnitentiã agere de perpetrata ſuperbia nunq; poſſunt. Dum ergo ſancti prædicatores contra impudentes peccatores per acutam increpationem ſe inueniunt, Ægypti & Pharaonis ſimilitudinem ad medium ducunt: ut auditores eorum tanto facilius ad ſatisfactionem proruant, quanto per id quòd pœnitentiã nolunt agere, damnatis angelis ſe eſſe ſimiles non ignorant. Vnde & inſtanter ad ſtudium adimplendi conſilij eos cogunt, dum ſubinferentes dicunt:

Accipite ergo, & facite plauſtrum nouũ unum, & duas uaccas fœtas quibus non eſt impoſitũ iugum, iungite ad plauſtrum, & claudite uitulos earum domi. Tolletisq; arcã domini, & ponetis eam in plauſtrum, & uaſa aurea, quæ exſoluiſtis ei pro delicto ponetis in capſella ad latus eius, & dimittite eam ut uadat. Et aſpicietis, & ſiquidẽ per uiã confinium ſuorum aſcenderit, contra Bethſamis, ipſe fecit uobis grande malum hoc. Si autem minimè, ſcietis quia nequaquã manus eius tetigit nos, ſed caſu accidit.] Quid enim plauſtri nomine, niſi aut uniuerſa ſimul ſancta eccleſia, aut unaquæq; cuiuſq; fidelis anima deſignatur? Cuius profecto plauſtri rotæ ſunt utrũq; teſtamentum. Nam dum ſancta eccleſia, uel electa quælibet mẽs per uetus & nouum teſtamentum inſtructa, ad æternam uitam nititur, quaſi ſublimibus prælata rotis, ad propoſitum locum per altum fertur. Sed plauſtrũ fieri nouũ præcipitur, ut uidelicet qui ad æterna gaudia peruenire deſiderat, per præceptum dilectionis noui hominis ſplendore ueſtiatur. Hoc quippe plauſtrum innouari præcipiebat dominus, di-
Ioan.5 cens: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis inuicem, ſicut dilexi uos. Hinc Paulus præcipit, dicẽs:
Epheſ.4 Renouamini ſpiritu mẽtis ueſtrę, & induimini nouum hominem, qui ſecundum deum creatus eſt.
Rom.13 Hinc Romanos alloquens, ait: Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cõtentione & æmulatione, nõ in cubilibus & impudicitijs, ſed induimini dominum Ieſum Chriſtum. Plauſtrũ igitur nouum facit, qui & utrunq; teſtamentũ recte intelligit, & ſplendore ſanctæ cõuerſationis indutus, ad ſuperna ſeſe deſideria extẽdit. Poſſunt quoque rotæ quibus hoc plauſtrũ graditur, electi cuiuſq; geminũ deſideriũ deſignare: quia quiſquis iam opitulante deo præſentẽ uitam in ærumnam peregrinationis tenet, ad futuram beatitudinem idcirco peruenire deſiderat, ut impaſſibilis & immortalis fiat: ut uidelicet per unũ, eam quam horret miſeriam deſerat, per aliud, eam quam promeretur beatitudinẽ nunq; perdat. Vaccæ autẽ ſunt ſancti prædicatores. Qui quia & gemino præcepto charitatis inſignes ſunt, & in noua conuerſatione conuerſorum animas gignunt, recte tam binario numero quàm fœminino genere deſignantur. Vituli autem ſunt deſideria terrena. Cùm ergo uaccæ plauſtrum trahunt, domi uitulos claudunt: quia dum electis fidelibus ad ſupernam patriam ducatũ præbent, ea deſideria quæ eis reprobam uitam ſuggerunt, prodire ad effectum prohibent. Claudunt quippe uitulos, cùm iam ſuperba deſideria in ipſo ſuggeſtionis initio intra cõſcientiam conterunt, & proficere ea ad effectũ operis non permittunt. Vnde & uaccæ quibus non eſt iugum impoſitum, ad trahendum plauſtrũ exquiri perhibentur: quia prædicatores electis fidelibus prouidendi ſunt, qui per nulla onera criminis ſubiecti ſint imperio diabolicæ poteſtatis. De quo pfecto iugo per prophetam dicitur: Computreſceret iugum à facie olei. Bene autem proceſſus ſenſuum, ordini cõcordat uerborum, quia etſi aduerſa dominatione ſunt liberi, neceſſe eſt ut ſemper ſint de futura conuerſatione ſuſpecti. Vaccæ ergo & ſine iugo ſunt, & tamen earum uituli domi claudunt: quia ſancti prædicatores aduerſarijs ſpiritibus ex uirtute dominant, ſed ab edomandis prauis deſiderijs eo intentionẽ non auferunt, quo de ſanctitate qua ſe ornatos aſpiciunt, ſecuritatem in hac uita perpetuam habere non poſſunt. Et quia talibus diuinæ cognitionis gratia latius aperitur, aptè arca domini tolli, & ſuper plauſtrũ poni præcipitur. Quòd autem imponi arca auditoribus ſuper plauſtrũ iubetur, hoc profecto inſinuat, uidelicet quòd in ſancta eccleſia plures ordines præſulum inuenimus: quia dum prærogatiua alij alijs digniores ſunt, etiam authoritatẽ præcipiendi ſortiuntur ex culmine ordinis altioris. Cùm ergo arca domini reduci præcipitur, ſuper plauſtrũ nouũ poni perhibetur: quia profecto ad æternã patriam cum cognitione ſacramentorũ ſpiritualium recte graditur, qui hoc quod de ſancta ſcriptura didicit, per nouæ conuerſationis pulchritudinem non relinquit. Ad latus autem eiuſdem arcæ uaſa aurea, quæ ei pro delicto ſunt reddita, poni præcipiuntur. Vaſa quippe aurea uocat, quæ ſuperius memorat, dicens: Facietis ſimilitudines anorum ueſtrorũ & murium.] In quibus profecto uaſis, peccatorum atq; tentationũ memoriã deſignari dixeramus. Quid eſt ergo quòd ſuperius anorũ & murium ſimilitudines eſſe perhibuit, nũc uaſa aurea appellauit. Sed ibi de eo quod arcæ pro peccato exolui debebat, tractabat, hic autẽ de arcæ remiſ-

Eſa.10

ſione

sione. Quid ergo est, quòd res istæ eædem honestiori nomine exprimuntur, nisi quia peccata quæ pœnitentiæ fletibus tersa non sunt, in deformitate sua attentius uidenda atq; lugenda sunt: ea uero quæ iam sunt diluta magnis fletibus, non attentius, neq; in deformitate sua respicienda, sed æstimatione humilitatis aliquando cogitanda. Quasi enim in mente pœnitentis & acriter dolentis ani similitudo, & murium est: quando ut attentius lugeat eam quam ante mentis suæ oculos congerit, peccati massam coadunatam uidet. Sed cùm iam magnis & diuturnis fletibus quodāmodo de peccatorū suorū remissione securus, ad supernam patriam festinare cursu magnæ conuersationis cœperit, quasi aurea iam uasa conspicit: quia peccata uidet, non quibus obligatū uiderat, sed quæ omni potentis dei laudibus impendat. Bene autē in capsella ad latus arcæ eadem uasa reponuntur. Nam si arca diuinæ cognitionis secretū insinuat, ad latus uasa dependantur: quia dum altitudo diuinæ cognitionis mentē eleuat, ad uirtutē humilitatis infirma nostra præterita ad memoriam reducēda sunt. Non igitur ponenda sunt ante arcā, ne dum immoderatius infirma respicimus, attolli ad superna nequeamus. Cōstat itaq; quia ex latere dependantur, ut & superna uideamus liberè, & cùm expedit ad nostra infirma mētis oculos reuocemus. Quid est autē, quòd præcipiuntur: Et dimittite eam ut uadat?] Sed arca dimittitur, quando eruditæ mentes subditorū à suis rectoribus liberè uiuere permittuntur, ut uidelicet ad æternā patriam properent, non iam maioris imperio, sed propriæ arbitrio rationis. Tenēda est igitur ut plaustro imponatur, imposita quoq; dimittitur: quia nimirū electis subditis disponendæ uitæ suæ licētia à prælatis ante danda non est, quàm doctrinæ spiritualis eruditionē percipiant, & firmam cōsuetudinē bonę operationis. Nam nec simplicibus subiectis & bene uiuentibus, nec eruditis et infirmis, uiuendi libertas rectè conceditur. Illi quippe à callido aduersario decipi tanto facilius poterunt, quanto & deprehendere eius insidias per spiritalē eruditionē nequaq; didicerūt, isti uerò eo difficilius seruant bonū eruditionis, quo tentatoris laqueos eruditi conspiciunt, & eorū uincula deuitare eruditi non possunt. Tunc ergo cōpetenter arca dimittitur, cùm id cui imponi debeat plaustrū ante fabricatur, cùm ei uasa aurea quæ debētur pro peccato, ex latere dependantur: quia profecto tunc secura esse poterit uita liberè uiuētis subditi, cùm renouatione interioris hominis custodire longo usu didicerit, cùm ex uitæ puritate, celsitudinē diuinæ eruditionis apprehendit, atq; inter dona sublimia ea quæ aliquando praue egisse memorat, recolere ad humilitatē non negligit. Quæ profecto uiuendi libertas: quia ad solū studiū superni amoris bonis subiectis impēditur, aptè & causam qua eadem arca dimittatur, adiungit: Vt uadat inquit.] Quasi enim alijs uerbis dicat. Ad hoc solū liberius uiuere permittendi sunt, ut ad cœlestē patriam celerius proficiscantur. Sed quia nonnulli

A subditi tam conuersatione q̄ scientia humano iudicio perfecti sunt, non diuino: prouidendū bonorum rectorū studio est, ut eorū curā tunc nec omnino prætereant, cùm ijdem subditi se de eorū cura dimissos putant: sed pia calliditate explorent, iam liberi qualiter uiuant, quorū subditionis bona plenius nouerant. Quare & subiungit: Et aspicietis, & siquidem per uiam finiū suorū ascēderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande. Sin autem minimè, sciemus quia nequaq̄ manus eius tetigit nos, sed casu accidit.] Bethsamis (ut iam diximus) interpretatur domus solis. Dimissam autem arcam prædicatores aspiciunt, utrū recto itinere contra Bethsamis gradiat: quia & cùm proprio arbitrio dimittunt subditi, explo-
B rare prælati debēt, an bonū libertatis ad profectū conuertant cœlestis itineris. Sed & cautè notandum est: quia tunc rectè contra Bethsamis arca ascendit, cùm confiniū uiam gradiendo non deserit. Cōfines etenim nostri sunt electi priores. Confines quippe sunt, qui iuxta se possessiones dispositas habent. Confines igit̄ electorū sunt æterni regni perpetui cohęredes. Nam uelut iuxta se dispositis possessionibus habitant, qui in eandē æternę patriæ societatē uocati, de una & eadē conditoris maiestate sortiti sunt iura æternæ hæreditatis. Vel idcirco dicuntur cōfines: quia cùm de bona cōuersatione ad perennis uitæ gaudia electi peruehiāt, qui rectè uiuunt in hoc mūdo, cœlestibus ciuibus uicini sunt. Quæ est ergo uia cōfiniū nisi afflictio
C tēporalis? Hanc uiam Bethsamis per semetipsum dominus demonstrat, dicēs: Arcta est uia quę ducit ad uitā. Hanc itē cōmendat, cùm discipulos increpans, ait: O stulti & tardi corde ad credēdum, nónne oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriā suā? Hinc Paulus ait: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Cōtra Bethsamis ergo tūc arca dirigit̄, cùm per uiā cōfiniū ascēdere uidetur: quia in superna cōuersatione ille uerius proficit, qui ad æterna gaudia peruenire non per mundanas delectationes, sed per carnis afflictiones, & mūdi aduersitates quærit. Sed quia nō ire, sed ascendere dimissa arca dicitur, altior uia dimissis in libertate subditis indicatur: quia per uiā Bethsamis non rectè gradiuntur, si non quotidie
D de bonis ad meliora proficiunt. Ascendere enim meritis uirtutū, quotidie ad meliora proficere est. Sed cùm rectè contra Bethsamis arca ducitur, malum grande quod perpessi fuerant, omnipotentis dei operibus adscribunt. Malū nanq̄ grande eam percussionē uocāt, de qua superius legitur: fiebat manus domini super singulas ciuitates, interfectionis magnæ nimis. Et quia eandē interfectionē tam ad cōuersionē gentiliū, q̄ ad fideliū delinquentiū salubrem compunctionē retulimus, cùm arca rectè contra Berhsamis graditur, malū illud grande quod acciderat, à deo esse indicatur: quia profecto electorum singulorū finis indicat, qualiter prædicatoris animus eorum prima opera recognoscat. Nam si in fine deficiunt, apertè cognoscitur, quia bona eorum principia à domino

Matt.7

Luc.24

Act.14

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non fuerunt. Vnde & subditur: Sin autem mi-
nimè, scietis quia nequaq; manus eius tetigit nos,
sed casu accidit.] Manus domini quid est, nisi uni
genitus patris æterni? Manu nāq; domini non tan
guntur, qui non inspiratione diuini uerbi, sed su-
bita deliberatione cordis sui à pristina conuersa-
tione separantur. Qui certè tanto celerius ab ince
pta bonitate deficiunt, quanto quod per arctam
uiam ingredi ad æternam patriam proposuerant,
qua fortitudine exequendum esset, præcogitare
nescierunt. Quare & aptè dictum est: Casu acci-
dit.] Quod enim casu accidit, subito & sine consi
lio & prouisione cōtingit. Cùm ergo ij qui à mun
di amore, siue qui ab infidelitate discessisse uide-
bantur conuersi, ad prioris uitæ nequitiam reuiui
scunt, apertè cognoscitur: quia non manu domini
ut uidebantur interfecti, sed accidente casu, à pri-
stina sint conuersatione separati. Sequitur: Fece
runt illi hoc modo, & tollentes duas uaccas iunxe
runt ad plaustrū, uitulosq; earū clauserunt domi,
& posuerunt arcā dei super plaustrū, & capsellam
quæ habebat mures aureos, & similitudines ano-
rum.] Quia hæc supra latius exposita sunt, quid
iam in se de spiritali eruditione contineat ipsa pro
fectio arcæ uideamus. Nam sequitur: Ibant au-
tem in directū uaccæ per uiam quæ ducit Bethsa-
mes, & itinere uno gradiebant, pergentes, & mu-
gientes, & non declinabant neq; ad dexterā, neq;
ad sinistrā.] In directū per uiam quæ ducit Bethsa
mes ire, est in studio cœlestis professiōis, afflictio
nem carnis tenere per uirtutē discretionis. Nam
indirectum uaccæ nequaq; gradiuntur, si in affli-
ctione carnis discretio non seruatur. Deniq; dum
ultra modum caro affligitur, conferre opem spiri
tui eadem caro omnino defecta non sufficit. Et si
dignè non affligit, dum superbit, uelut libera ser-
uire mēti indomita dedignatur. Bene igitur dum
per uiam Bethsamis indirectū uaccæ ire referun-
tur, subiunctum est: quia non declinabant neq; ad
dexterā neq; ad sinistrā. Ad dexterā quippe decli
nare, est uirtuti abstinentiæ immoderatè insistere:
quia per bonū quod uidetur uiā deserimus, dū sic
necessariā abstinentiæ uirtutē sequimur, ut alia no
bis auxilia de carne subtrahamus. Ad sinistram
quoq; declinare, est carni abundantius indulgere.
Nam per apertæ remissionis uitiū à Bethsamis uia
deflectimur, dum carnē per delicias deducimus,
qui paradisi uiam in afflictione dispositā noueram-
us. Et quia nulla est uitæ parcioris sinceritas, si
munditiæ boni operis simplicitas non concordat
intentionis, cautè expressum est. Et itinere uno
gradiebantur.] Vno quippe itinere graditur, qui
uirtutem quam prætendit in bono opere, in recta
seruat intentione. Quo cōtra de unoquoq; repro-
Eccls 2 bo dicitur: Væ peccatori ingredienti terram dua-
bus uijs. Duabus quippe uijs peccator terram in-
greditur, cū dei uidetur esse quod agit, sed ex om-
ni quod religiosum foris exhibet, intus seculi in-
tentionē tenet: Vno autem itinere gradi electos
Matt.6 suos dominus insinuat, dicens: Si oculus tuus fue-
rit simplex, totū corpus tuum lucidum erit. Hinc

A Paulus ait: Gloria nostra hæc est, testimoniū con- 2.Cor.1
scientiæ nostræ. Hinc Dauid: Omnis gloria eius fi Psal.44
liæ regis ab intus. Vno igitur itinere contra Beth-
sames uaccæ gradiuntur: quia electi ad æternam
patriā festinantes bona foris agunt, sed ex eisdem
bonis operibus secuii prēmia non requirūt. Quid
est autem quod de eisdem uaccis dicitur: quia

Ingrediebantur pergentes, & mugientes.] Sed
pergere dicuntur: quia sancti uiri bona incessan-
ter faciunt: mugiunt uero, quia carnalia desideria
in semetipsis extinguere, sine magna quotidie tri-
bulatione non possunt. Mugire nāq; ad laborem
edomandæ carnis pertinet, pergere aūt ad perse-
uerantiam bonæ uoluntatis. Nam dum contra na
turam caro carnales motus comprimere cogitur,
B uelut mugit, dum graditur: quia propria desideria
adimplere prohibetur. Bene quippe duo hæc in
sanctorū professione describuntur, uidelicet per-
gere, & mugire. Quia & si eis ad supernā patriam
festinantibus, magna est instantia desiderij, est ni-
hilominus inuincibilis patientia laboris. Nam de
his uaccis pergentibus per Ezechielem dicitur:
Non reuertebantur cùm incederent. Vaccarum Ezech.1
quoq; mugitū & causam exprimit Paulus, dicens:
Video aliam legem contradicentem legi mentis Rom.7
meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati.
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore
mortis huius? Mugiunt ergo uaccæ, sed pergunt:
quia sancti uiri etsi magna sunt tentamenta quæ
perferunt, uiam tamen supernæ patriæ non relin-
C quunt. Pergunt item, sed mugiunt: quia etsi mag-
nis desiderijs ad superna properant, profectum ta
men superni itineris non de quiete pacis obtinēt,
sed ex triumpho tentationis. Sequitur: Sed & sa
trapæ Philistinorū sequebantur usq; ad terminos
Bethsamis.] Quinam sunt termini ad quos sequi
proficiscentē arcam dei prælatis necessarium est,
& quos in arcæ dei comitatu progredi congruum
non est? Quos nimirum terminos si accipiamus
in eruditione sacri eloquij & bona operatione cō
trariū non uidetur. Sed hi profecto termini Beth-
samis, sequentium principum termini sunt, cùm
pro modo suo quisq; super subditis perfectius est
doctrina sacri eloquij, & usu bonæ operationis.
Eo enim iam de isto securus pastor efficitur, quo
D & cautè iam spiritalia conspicit, & ea quæ ratione
comperit, fortitudine boni operis apprehendit.
Qui profecto termini, Bethsamis esse termini di-
cuntur: quia nimirum dum eruditos dei opera-
rios dignanter excipiunt, ad contemplationem
supernæ patriæ introducunt. Termini nanq; sunt:
quia & dignos ad contemplationem suscipiunt,
indignos expellunt. Indocti quippe si ad contem
planda subtilius superna se sustollere præsumunt,
potius errando deuiant, quàm lumen ueritatis ap
prehendant. Et nisi quis bona opera præmittat,
hoc profecto agit, ut illam quam appetit claritā-
tem internæ uisionis nunquam inueniat. Vnde
& dominus in Euangelio quasi ad terminos Beth
samis contemplatiuæ uitæ amatores transmittēs,
ait: Qui habet uerba mea & facit ea, hic est qui me Ioan.14
diligit

diligit: Qui autē diligit me, diligetur à patre meo, A & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Qui enim se manifestaturum non nisi diligētibus dicit, se autē diligere eos, qui seruāt mandata eius: aperte docet, quia lucē suæ occultæ uisionis non tribuit, nisi pro retributione bonæ operationis. Sequitur: Porrò Bethsamitæ metebāt triticum in ualle.] Qui enim Bethsamitæ rectius possunt intelligi, quàm ij qui perfecti iam uiri sunt in sublimitate contemplationis? Nam uelut de domo solis sunt, qui contemptis terrenis omnibus, ueri luminis splendoribus illustrātur. De domo quidem solis sunt, qui iam omni mundo sepulti, ad uidendam conditoris sui claritatem, flamma miræ dilectionis inardescunt. Qui ad ciuitatem suam duobus modis ascendunt: quia ad supernæ patriæ cla- B ritatem, & nunc per cōtemplationē, & in fine per ueritatem gloriæ perducuntur: nunc ad domum solis contemplando euolant, sed quod nunc mentis puritate aspiciunt, tūc per præsentem lætitiam æternæ retributionis ueritatem apprehendunt. Bethsames ergo arca dei perducitur, cùm mēs electa aut per contemplationis altitudinē, aut per assumptionē retributionis ad æterna gaudia sublimatur. Qui ergo æternum illum, & ineffabilem arcæ situm scire non possumus, ea quæ de isto quem nouimus dicuntur audiamus. Quid est ergo quòd Bethsamitæ metunt triticū in ualle, nisi quia contemplatiuæ uitæ dediti, delicias internæ refectionis colligūt in uirtute humilitatis? Vallis quippe in sacro eloquio æstimationē designat humilium, C
Psal.64 Psalmista testante qui de domino loquēs, ait: Qui emittis fontes in conuallibus. Nam infusionē supernæ gratiæ mentibus infundit dispositis per humilitatem. Bethsamitæ ergo in ualle triticum metunt: quia contemplationi uacantes, dum pro humilitatis merito clarius superna conspiciunt, ad suauiorem refectionem mentium, ligant manipulos gaudiorum. Nam triticeus panis, sicut aspectu candidior, ita & sapore delectabilior est. Sed fortasse in ista uita adhuc positi nō sumimus panem, sed spicas metimus: in illa autem superna uita beatitudinis, non spicas, sed panem manducamus. In ista etenim uita, cùm ad contemplanda æterna sustollimur, supernarum rerum similitudines capere de rebus istis infimis & uisibilibus nitimur, ut D
Rom.1 iuxta egregij doctoris uocem, inuisibilia à creatura mundi, per ea quę uisibilia facta sunt, cognoscamus. Quare & ille uerus Bethsamita, & domestici
Psal.91 cus solis iustitiæ exultans, ait: Delectasti me domine in factura tua, & operibus manuū tuarū exultabo: quàm magnificata sunt opera tua domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Sed dum in rebus uisibilibus inuisibilium rerum gaudia excipimus, uelut intra paleas adhuc triticum tenemus. Tunc autem nobis purum triticum, siue de tritico panis erit. Nam cùm absorpta iam morte, in æterna uita reuelata facie clarius redemptorem cernemus, ad eius cognitionem thecis similitudinum non egemus. Bene ergo de Bethsamitis dicitur, quòd metebant triticū in ualle: quia perfecti uiri, etsi pro humilitatis merito sublimitatē supernæ contemplationis accipiunt, ad illam omnipotentis dei puram substantiam contemplandam eo pertingere nequeunt, quo refectionē suæ mentis adhuc uelut inter paleas metunt. Cuius profecto humilitatis bonum designatur, cùm subditur:

Et eleuantes oculos uiderunt arcam dei.] Oculos quippe eleuant: quia dum de se alta non sentiunt, æstimatione sua uelut in plano sunt. Oculos eleuant: quia eos quos diuina gratia dignos aspiciunt, in alto positos meritorum culmine contemplantur. Sed eleuantes oculos arcam uident: quia quo se humilius per æstimationem dejiciunt, proximorū bona cognoscere melius possunt. Ea etenim ueritas quę superborū corda per semetipsam deserit, illa eis etiam dona quæ confert humilibus abscondit: ut uelut obcæcati penitus, nec in terra diffusum iam solem uideant, qui eius claritatis radios uidere in cœlo desierunt. Sed quia regressionem arcæ dei ad propositum contemplatiuę uitæ retulimus, eleuatio etiam oculorū ad studium discernendorū spirituum non inconuenienter referri potest. Bethsamitæ quippe oculos leuant, cùm uitæ secretioris proposito confluentium ad se dona, subtili inspectione considerant, cum intenta mente discutiunt, an uitæ altioris propositū, quod accedendo expetunt, recta ualidaq; intentione prosequantur. Leuare igitur oculos eis est nouitiorum spiritum altius considerare. Sed leuantes oculos arcam dei respiciunt: quia dum subtilius eius conuersiones discutiunt, qua uirtutum spiritualiū gratia fulgeant, deprehendunt. Et quia per affectum dilectionis, de cognitis eorum bonis hilarescunt, aptè subiungitur: Et gauisi sunt cùm uidissent.] sequitur: Et uenit plaustrū in agrum Iosuæ Bethsamitæ, & stetit ibi.] Si Bethsamis interpretatē domus solis, domus solis ciuitas est cœlestis. Hic Iosue Bethsamita non tam typo, quàm ipso nomine & dignitate humani generis redēptorem significat. Iosue quippe saluator nostro eloquio dicitur. Et de semetipso dominus dicit: Ve- Luc.19 nit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Hinc est etiā quod Ioseph in somnijs per angelum repromittitur: Ipse saluum faciet popu- Matt.1 lum suum à peccatis eorum. Bethsamitam quoq; se esse per semetipsum manifestat, dicēs: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Hinc Ioannes Baptista ait: Qui de cœlo uenit super oēs est. Quis Ioan.6 est ergo ager Iosue Bethsamitæ, nisi amœnitas ui- Ioan.3 tæ cōtemplatiuæ? Ibi enim & herbarū uirores, & odores aromatū, & florū diuersa pulchritudo cernit: quia nimirū quo superna illa societas clarius aspicit, quod incorruptibile floret angelis, quod immarcessibile uiret sanctis, quod inuiolabile in uirginibus redolet, contemplantiū oculis gratius exhibetur. Bene autem idem ager saluatoris esse perhibetur: quia contemplatiuæ uitæ amatores, quo secretius conuersantur, redēptori nostro graciores & familiariores sunt. In agrum quoq; Iosue Bethsamitæ plaustrū uenit, cùm mens electa à seculi intētione diuisa, solis cœlestibus intēdit, cum

cœlesti-

cœleſtis iam amœnitate uiſionis fruitur: quia terrena reſpicere per amorem dedignatur. Et notandum: quia hoc plauſtrum nouum fuiſſe, non ualde ſupra relatũ eſt: quia profecto mens criminum uetuſtate reſoluta, ad tantam gloriam recipi non meretur. Sed habet uita ſecretior delicias in amœnitate uiſionis, habet ingentem laborem in ſtrenuitate certaminis: quia nimirum diuina præmia ſicut ex triumpho conſequimur, ita & ſtrenuè dimicando cuſtodimus. Bene ergo de ueniente in agrum Ieſu plauſtro ſubiungitur: Et ſtetit ibi.] Stare quippe ad prælij cuſtodiã pertinet, non ad pacis quietem. Stetit quippe plauſtrum in agro: quia etſi mens amœna iam illius ſupernæ & ſemper uirentis patriæ uidendo atq; amando inhabitat, tamen quod amorem uiſionis delectabiliter poſſidet, ſine inceſſantis curæ ſollicitudine nequaquam ſeruat. Sed nimirum in tanto agone poſita mens humana deficeret, ſi ille, qui humanam infirmitatem in ſua diuinitate roborauit, ei præſentiæ ſuæ auxilium non præberet. Quare & cauſam exponens, qua ſtare in agro plauſtrum potuerit, addidit, dicens: Erat enim ibi lapis magnus.] Lapis quippe magnus redemptor intelligitur generis humani. De quo lapide per Pſalmiſtã dicitur:

Pſal.17 Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, factus eſt in caput anguli. Hinc doctor egregius collau-

Epheſ.2 dans, ait: Superædificati ſupra fundamentũ Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo & uos tanquam lapides uiui ſuperædificamini. Et magnus quidem lapis dicitur: quia incomparabili fortitudine prædicatur. Cũ ergo ueniſſe & ſtetiſſe in agro plauſtrũ dicitur, additum eſt: Erat ibi lapis magnus,] ut latentibus myſterijs deſignaret: quia contemplatiuæ uitæ dediti, ſeruare dona tam ingentia ideo poſſunt: quia iuxta eum per gratiã ſunt, à quo eadem dona perceperunt. Sequitur: Et concideruntligna plauſtri, uaccasq; impoſuerunt ſuper ea in holocauſtum domino.] Quæ ſunt ligna plauſtri arcæ dei, niſi ſanctæ ſcripturæ ſententiæ, & exempla iuſtorum? Bethſamitę quippe ligna concidunt, cum ſecretioris uitæ præpoſiti ſubiectorum ſuorum mentibus ſcripturarũ ſenſus ſubtilius aperiunt, cũm excellentiora exempla patrum, ad eorum imitationem proferũt, ut in eorum cordibus ſuperni amoris flamma tanto feruentius ardeat, quanto fomentum incendij uelut cõciſa ligna citius ſubminiſtrãt. Plauſtri quippe ligna ſunt: quia mens per dei gratiã renouata, ea per memoriã retinet. De quibus profecto lignis ſanctus legisla-

Leuit.6 tor decernit, dicẽs: Ignis in altari meo ſemper debet eſſe, quem nutriat ſacerdos, ſuggerens mane ligna per ſingulos dies. Quia uero concidi ligna memorantur, apertius indicant: quia contemplatiuæ uitæ puritatem quærentibus, non cõmunia de ſacro eloquio, ſed altiora & excellentia quæq; pandenda ſunt, ut eo fortius ſe in alta uidẽdo ſubleuent, quo eis nobiliora bona quæ audiunt, magis placent. Vnde & bene ſubiungitur: quia uaccas impoſuere ſuper ea in holocauſtum domino. A Holocauſtum nanq; combuſtum dicitur. Cùm ergo ligna conciduntur, holocauſta deſuper impoſitis uaccis fiunt: quia qui eximia de ſcripturis deuota mente ſuſcipiunt, quo in ſuperna ſe deſideria altius extendunt, eo nil in eis deſeritur, quod non diuini amoris flamma comburatur. Et tunc quidem curare doctorem neceſſe eſt, ut religioſi ſubiecti altã conſiderent, & tamen per æſtimationem de ſe alta non teneant, ne quo celſius ſumma uidendo proficiunt, per elationem corruentes, periculoſius elidantur. Vnde & hic quoq; ſubditur:

Leuitæ autẽ depoſuerunt arcam dei, & capſellam, quæ erat iuxta eam, in qua erant uaſa aurea, & poſuerũt ſuper lapidem grandem.] Leuitæ interpretantur aſſumpti. Qui ergo ſunt leuitæ, niſi B qui ſic ſunt diuina gratia cõfirmati, ut à ſancto ſpiritu deſeri nunq; poſſint? Areã quippe leuitæ deponũt, cùm perfecti prædicatores ſuos ſubiectos admonent, ut eos ſpiritalis ſciẽtia nequaq; inflet. Capſellam quoq; cum uaſis aureis deponũt, cùm eos etiam de uitæ ſplendore conueniunt: ut eo de ſe humilius ſentiant, quo etiam redemptorem noſtrum ad exaltationis ſuæ præmium, eorum quiſq; iam perueniſſe didicit, quia de ſe inaniter alta non ſenſit. Bene itaq; depoſita arca, & uaſa aurea ſuper grandem lapidem poſita memorantur: quia inter dona ſublimia de ſe humiliter ſapere illi uerius poſſunt, qui redemptoris magnitudinẽ & humilitatem recolere ſæpius didicerunt. Nam deponere arcam dei, & ſuper lapidem grandem uolebat

Philip.2 C ponere qui dicebat: Hoc ſentite in uobis quod in Chriſto Ieſu. Qui cùm in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem deo. Sed ſemet ipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit ſe factus obediens uſq; ad mortem crucis. Sed qui de ſubditorum cordibus amoris hoſtiam miniſterio prædicationis deo immolant, de ſuis etiam mentibus excellentiora ualde oblationũ dona repræſentant. Vnde & ſubditur:

Viri autem Bethſamitæ obtulerũt holocauſta, & immolauerunt uictimas in die illa domino.] In qua die, niſi in illa, in qua holocauſtum domino uaccas ſuper plauſtri ligna poſuere. Quæ eſt igitur dies illa, niſi illuminatio diuinę prędicationis? D Ea nanq; die Bethſamitæ holocauſta domino offerunt, ea die uictimas immolant, qua ligna concidunt, qua ſuper ea holocauſtũ domino uaccas imponunt: quia ſancti prædicatores ea luce uerbi qua ſubiectis emicant, ſibi quoq; ad rectitudinem ſuperni itineris officium uiſionis adminiſtrant, & cõtemptis rebus infimis, per uim dilectionis omnipotenti deo tanto ſe liberius exhibent, quanto etiam auditores ſuos ei iam magna familiaritate cõiunctos uident. Quia uero non ſolum holocauſta obtuliſſe, ſed immolaſſe uictimas uiri Bethſamitæ relati ſunt, perfectorũ uirorum ſpiritalis oblatio deſignatur. Nam holocauſta offerunt, cùm per contemplationis aſcenſum ſe deo omnipotenti ineffabili affectione coniungunt. Sed holocauſtis uictimas ſociant: quia nimirum tantæ iucunditatis

ditatis bonum non suis meritis, sed diuinæ referũt bonitati. Sine uictimis quidem holocaustũ offert, qui iam supernis in magna delectatione coniungitur, & insurgentibus elationis occultę motibus per humilitatis uirtutẽ nequaq; dominatur. In oblationibus ergo perfectorum simul holocausta & uictimæ conuenisse describuntur: quia & diuina frui dulcedine digni sunt, & in omni quod totos se iam cœlites faciunt, elationis ignari. Et quinque Satrapæ Philistinorũ uiderũt, & reuersi sunt in Accaron in die illa.] Satrapæ Philistinorũ (ut iam superius dixi) electi sunt prædicatores gentilium. Qui nimirũ quinario numero continentur: quia ad refrenãdos quinq; sensus corporis, aut rudibus adhuc fidelibus, aut carnalibus præsunt. Hi profecto plaustrum cum dei arca comitãtur: quia ad studium spiritalis uitæ trãseuntes iam eruditos discipulos, sollicitudinis suæ cura prosequuntur. Sed applicante in agrum Iosue plaustro, & uaccis immolatis in Accaron redeunt: quia cùm eorum perfectionem iam considerauerint, cõuersationis eorum itinera ulterius non explorãt. In Accaron autem redeunt: quia ad cõuertendos alios se conuertunt. Accaron quippe nostro eloquio sterilis dicitur. Steriles quoq; sunt, qui aut fide carent, aut bona conuersatione. Bene autẽ cùm reuersi principes dicuntur, additum est in die illa: quia nisi in eis claritatem tantæ perfectionis agnoscerent, ab eorum sollicitudine securitatis certitudine non redirent. Sequitur: Hi sunt ani aurei, quos reddiderunt Philistini pro delicto. Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unũ, & Accaron unum. Et mures aureos, secundum numerum urbium Philistim, quinq; prouinciarum, ab urbe muA rata usq; ad uillam quæ erat absq; muro, & usq; ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam domini, qui erat usq; in die illa in agro Iosue Bethsamitæ.] Quid hæc omnia designent, late supra expositum est. Quid est autem, quod cùm reddi pro peccato debitum arcæ præcipitur, quinq; ani aurei, & quinq; mures simul nominantur: cùm uerò iam redditum quod debebatur asseritur, urbes singulæ separatim unum reddidisse referuntur? Sed simul supra nominantur: quia simul omniũ membrorum demõstrabatur ornatus, in cõmutatione bonorum operum: hic autem cùm redditum debiB tum arcæ describitur, caute ostenditur, quia urbes singulæ anos aureos singulos, & mures obtulerunt: ut profecto peccatori conuerso insinuetur, ut semel peccata deserat, quæ per solitam prauitatem ulterius non requirat. Vrbes quippe singulæ anos, & mures singulos reddũt, cùm cõuersi peccatores semel tersa lachrymis pœnitentiæ peccata non repetũt. Vnde & sacra scriptura admoner, Eccls 7 dicens: Non iteres uerbum in oratione. Verbum quippe in oratione iterat, qui precibus purgare peccata conatus est, sed tamen cõmittere non omittit alia, pro quibus oret. Qui profecto anum unum, & murem deo pro delicto non offert: quia etsi pœnitendo compungitur, fœditates multiplicat, quas deo confitens ei repræsentat. Cùm ergo

anum unum & murem unum urbes Philistim, siue prouinciæ singulæ reddidisse describunt, quid aliud designat, nisi perfectionem uerę conuersionis. Perfectè enim cõuertitur, qui cũ semel quod praue egerat, plangit, quod rursum plangat, ultra non repetit. Igitur anum unum & murem unum pro peccato offert, qui sic cõmissa luget præterita, ut perfectè caueat futura. Et quia ista forma cõuersionis tam sapientibus quàm indoctis, tam fortibus quàm debilibus in sancta ecclesia obseruanda est, bene ab urbe murata, usq; ad uillã sine muro hæc solutio debiti extensa perhibetur. Nulli enim intra sanctam ecclesiam constituto liberum est peccare, nulli innoxium praua cõmittere. Qua re per prophetã dominus cõminatur, dicens: Ani Hier.31 ma quæ peccauerit, ipsa morietur. Muratæ quippe urbes sunt mentes sanctarum scripturarũ eruditione circundatę. Villæ autem absq; muro sunt mentes simplices. Vnum ergo anum aureum non solum singulæ urbes reddunt, sed etiam uillæ, ut quicunq; ad religiosam uitam deo authore cõuertitur, ablutis iam fœtoribus, ulterius nõ fœdetur. Et quia nemo tam sanctus est, qui in se nõ habeat aliquid fœditatis quod plangat, solutio huius debiti usq; ad Abel magnum, super quem posuerant arcam dei pertẽditur. Abel quippe interpretatur luctus. Quo nimirum nomine, lapis ille in quo arcam dei posuerant uocabatur. Sed hoc profecto redemptori nostro nomen cõgruit: quia & si propria quę fleret nõ habuit, nostra tamẽ quotidianis precibus & fletibus peccata purgauit. Sunt quoq; C in sancta ecclesia uiri perfecti, & illi summo lapidi, charitatis cõsummatione cõiuncti. Huic nanq; unitus erat lapidi qui dicebat: Nemo me separat à Rom.8 charitate Christi. qui an arcæ debitum soluat, audiamus. Primum (inquit) fui blasphemus & per- 1.Cor.15 secutor. Hinc iterum confitens, ait: Non sum dig- 1.Tim.1 nus uocari Apostolus: quia persecutus sum ecclesiam dei. Notandum etiam quod usq; ad lapidem excurrisse arcæ debitum legitur, qui usq; in die illo in agro Iosue manere, & in quo posita arca dei memoratur. Qua in re quid aliud tenemus, nisi q̃d in sancta ecclesia cernimus; quia illi etiã deo proculpa satisfaciunt, qui non solũ à peccatis per dei gratiam erepti, sed etiam per magna sanctarũ uirD tutum culmina, in eius tabernaculum sunt assumpti? Sequitur: Percussit autem dominus de uiris Bethsamitibus eo quòd uidissent arcam domini, & percussit de populo septuaginta uiros, & quinquaginta milia plebis.] Qui sunt Bethsamitæ percussi, nisi falsa contemplatione decepti hæretici? Bethsamitæ enim non ueritate fuerunt, sed præsumptione. Dum igitur arcã uidere in lapide præsumerent, percussi sunt: quia cũ domini ac redemptoris nostri sacramenta indigni discuterent, æternæ damnationis laqueis, per fallaciã proprij sunt depressi erroris. Quid est autem quòd de populo septuaginta uiri, de plebe autẽ quinquaginta milia percussa sunt? sed quia appellatione populi etiam urbium nobiles continentur, plebs autẽ uulgus est reliquũ sine nobilibus, potest hoc colligi:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia hæreticorum alij inter alios quasi nobiles exti-
terunt, qui in munditia operum solo errore pe-
rierunt: cæteri uerò quasi plebis rusticitatem secu
ti, cum errore fidei obscurati sunt sorde prauę ope
rationis. Vnde & alij quinquagenario, alij septua
genario numero exprimũtur: quia & illi per quin
que sensus corporis concepta flagitia perfecerũt,
illi dum falso sibi dona asciberent spiritus septi-
formis, æterna obruti sunt caligine cæcitatis. Et
quia de eorum percussione ueri fideles contristā-
ti sunt. Sequitur: Dixeruntq; Bethsamitæ. Quis
poterit stare in cõspectu domini dei sancti huius?]
Quasi eũ ueri fideles, sed simplices dicant. Si tam
sapientes & philosophi in summæ ueritatis cogni
tione falluntur, indocti & simplices quãdo ueni-
re ad eius notitiam possunt? Sed & si de sua men-
sura diffidunt, donum tamen diuinæ cognitionis
adesse ecclesiæ non diffidunt. Quare & subditur:

Et ad quem ascendet à nobis.] A nobis quippe
dominus ascendit, quando id quod de eius cogni
tione nobis absconditur, per electorum fidelium
uocem prædicatur. Velut ascendere nanq; eius à
nobis est, quod simplicioribus siue infirmioribus
de æterna contemplatione cælauerit, sublimibus
per humilitatem cordibus reuelare. Quid est ergo
dicere, ad quem ascendet à nobis, nisi dignum do-
ctorem quærere, qui sic diuina prædicet, ut à uia
ueritatis non erret? In quibus etiã uerbis si histo-
ricum sensum requirimus, apertè cognoscimus:
quia qui ideo mortui sunt quia arcã domini uide-
runt, intelligimus nempe quòd eadẽ uisione dig-
ni non fuerunt. Merito igitur qui percussos aspi-
ciunt dicunt: Quis poterit stare in cõspectu do-
mini dei sancti huius?] Nam si ij qui indigni sunt,
uidendo moriuntur, contrectantes quõ uiuunt?
Bethsamitæ quidẽ in sancta ecclesia sunt mortui
sacerdotes & ministri sacri altaris reprobi: quia de
domo quidem solis iustitiæ sunt dignitate ministe
rij, nõ uirtute & gratia sanctitatis, Bethsamitæ qui
dem sunt: quia per sacræ oblationis officium con-
uersantur in domo dei, sed tanto sunt acriori dam-
natione percutiendi, quanto non solum uidere au
dent sacra mysteria, sed contrectare: quanto non
iam ueteris testamẽti arcam respiciunt, sed quod
omnia superat, indignè se corpori & sanguini in-
gerũt redemptoris. Quos percussos insinuat Pau
1.Cor.11 lus, dicens: Qui manducat & bibit indigne, iudi-
cium sibi manducat & bibit. Veri etenim fideles
dicunt: Quis poterit stare in conspectu domini
dei sancti huius?] Altitudinem quippe tantæ ad-
ministrationis cõsiderant, & tanti sacramenti dig
nitatem formidant. Sed dum tantæ rei subitæ offi
cium metuunt, qui id exhibere ualeant, digniores
quærunt. Vnde & sequitur: Et ad quem ascen-
det à nobis.] Quasi ergo sacra mysteria humiliter
fugientes dicant, Quia nos infirma conuersatione
percutimur, ministri ex altiori uita quærendi sunt:
quos dum in altissimam uirtutum sanctificationẽ
conuersatio sublimis erigit, adsistere deo per offi-
cium tantæ oblationis possint. Sequitur: Mise-
runt ergo nũcios ad habitatores Cariathiarim, di
centes, remiserũt Philistim arcam domini, descen
dite & reducite eam ad uos.] Cariathiarim dici-
tur ciuitas eorum. Quæ est sanctorum ciuitas, nisi
illa Hierusalem quæ sursum est? Qui sunt ergo ha
bitatores eius, nisi perfecti uiri ab amore mundi
alta cõuersatione separati? Quorũ profecto unus
cæteris efficacior ait: Nostra conuersatio in cœlis Phil.3
est. Ad hos quippe nuncij mittendi sunt, ut dei ar-
cam suscipiant: quia ad electionem sacerdotũ uiri
sancti non solum recipiendi sunt, sed etiam inui-
tandi. Et notandum, quia uiris sublimioribus per
nuncios dicitur: Descendite & reducite eam.]
Descẽdunt quippe: quia obediunt, nequaq; enim
descenderent, si id quod ab eis fraternus amor ex-
petit, impendere superba mente refutarent. Tũc
quidẽ uerè sublimes sunt, cùm se Christo non au-
ferunt, cùm id quod ex fraterno iudicio eis impo-
nitur, non repellunt. Vnde aptè subinfertur.

Caput V

VEnerunt ergo uiri Cariathiarim, & reduxerunt arcam domini, & intulerunt eam in domum Ami-
nadab in Gabaa.] Aminadab interpretatur populus meus spon-
taneus, Gabaa sublimis. Et nimi-
rum talibus arca dei cõmittenda est. Populus nãq;
sponraneus est, quem ad exercenda uirtutum ope
ra, sola bona uoluntas trahit, quem ad implenda
mandata dei necessitas non cõpellit. Quos nimi-
rum sub unius descriptione beatus Paulus præ-
car, dicens: Hilarem datorem diligit deus. Quę est 2.Cor.9
domus spontanei populi, nisi munimentũ sanctæ
dilectionis? Nam in uirtutum ministerio sponta-
neus esse non posset, si mansionẽ sibi dilectionis
non conderet. Quæ profecto domus in Gabaa, id
est in sublimi sita cognoscitur: quia charitatis alti-
tudine ad cœlestia subleuamur. Vel certè in subli-
mi est domus: quia charitas omnibus uirtutibus
antefertur. Nam sublimitatis huius altitudinẽ insi
nuans Paulus, ait: Adhuc excellentiorẽ uiam uo- 1.Cor.12
bis demonstro. Si linguis hominum loquar & an-
gelorum, charitatem autem non habeam, factus
sum uelut æs sonans, aut cimbalum tinniẽs. Quid
est autem quòd Eleazarum sanctificant ad custo-
diendam arcam dei? Sed hoc nimirum ex usu san-
ctæ ecclesiæ nouimus: quia electus minister prius
benedictionẽ consecrationis à summis uiris accí-
pit, quàm ministerium impẽdat oblationis. Quia
uero Eleazarus dei adiutor dicit, profecto osten-
ditur: quia non solum sanctificari dei ministri de-
beant, sed etiam inspici quales sint ad eiusdẽ con-
secrationis ordinem promouendi. Qui enim sunt
dei adiutorium, nisi qui cum diuina gratia mini-
strando conueniunt, & quos omniporẽtis dei dig
natio intus uisitat, quam ipsi per exterius minis-
terium bene uiuendo & docendo confirmant. Vn-
de & cum Paulo non inaniter gloriantes dicunt:
Dei etenim sumus adiutores. Qui nimirum con- 1.Cor.3
uersatione fortissimi, scientia eruditi, amore fer-
uidi, constantia robusti, non solum alieno non e-
gent auxilio, sed quocũq; se conferunt, subuenire

alijs

alijs possunt. Bene itaq; dicitur: Eleazarū sanctificauerūt ut custodiret arcam: quia ij quibus adhuc aliena auxilia necessaria sunt, ad subueniēdū alijs, promouēdi non sunt. Bene item idem Eleazarus filius Aminadab esse dicitur: quia certè qui ad ministerium prędicationis eligitur, in imitatione sanctorū positus, auxilium omne quod exhibet, esse debet ex dilectione. Quia uerò nos superius plaustrum scripturam sacram, arcam uerò scientiam eius spiritalem esse diximus, uaccas quoq; electas animas, timor Bethsamitarū, quem inesse electis ostendimus in oblatione sacramenti, potest referri etiam ad onus prelationis. Non enim minor sanctitas idonea est animabus instruendis quàm offerendis sacris mysterijs. Et idcirco Bethsamitæ perhibentur percussi: quia pleriq; uiuunt subditi, qui moriuntur prelati. Habet enim arca dei etiam extrinsecus pulchritudinem, quam si minister infirmus non ad spiritalem ueneratione, sed ad concupiscētiam secularem inspexerit, nequaq; uiuit. Bene itaq; causa percussionis eorum declaratur, cùm dicitur: Quia uiderunt arcam dei.] Quid est enim uiderunt, nisi quia eius gloriam uidendo concupierunt? Nunc autem authore deo per orbem uniuersum sanctæ ecclesiæ gloria est copiosa. Quæ profecto gloria, quia à reprobis sacerdotibus seculariter appetitur, Bethsamitę uiri arcam dei exterius uidendo moriuntur. Non enim spiritalem eius honorem pro interna uirtutum gloria appetunt, sed ut arcæ dei splendorem rapiant, & ecclesiasticæ prælationis fulgorem, in flore seculi suis cultibus ferant. Arca quoq; dei male foris ad percussionem respicitur, quando flagitiosi præpositi subditarum personarū exteriori specie deuicti, ad carnalem cōcupiscentiam pertrahuntur. Viri timorati ingentem multitudinem concupiscentiæ telo prostratam intuentes, dicunt: Quis poterit stare in conspectu domini dei sancti huius?] Stat quippe in conspectu dei, qui fortis est in ordine diuini ministerij. Stare etenim fortitudinis est, ministrare obsequij. Stare ergo in conspectu dei, dicit, qui ordinē superni officij, in altitudine disponit dignæ conuersationis: qui in ministerio quo fungitur nullo appetitu ecclesiastici honoris decipitur, nulla carnali concupiscentia superatur. Quia uerò tam idonei ministri raro inueniuntur, merito dicunt: Quis poterit stare in conspectu domini dei sancti huius?] Et quia tantū onus paruuli Christi uiris fortioribus deserūt, subdunt: Et ad quem ascendet à nobis?] Quomodo autem ad habitatores Cariathiarim miserit, quomodo arcam dei in domū Aminadab intulerūt, quomodo Eleazarum sanctificauerint, sicut supra expositum est, non mutamus. Et factum est ex quo arca dei mansit in Cariathiarim multiplicati sunt dies. Si ad historiam respicimus dies mansionis arcæ multiplicati sunt: quia illic multo tēpore fuit. Vnde & subditur: Erat enim annus uigesimus.] Et ad quid istam dierum multiplicationem introduxerit, subdens, ait: Et requieuit omnis Israel post dominum.] Quæ nimirum requies in illo uetteri populo non bonorum operum, sed bonæ deuotionis intelligenda est. Nam sequitur: Ait autem Samuel ad uniuersam domum Israel, dicens: Si in toto corde uestro reuertimini ad deum, auferte deos alienos de medio uestrum, Baalim & Astaroth, & præparate corda uestra domino, & seruite ei soli, et liberabit uos de manu Philistim.] Qui deos alienos de medio sui non abstulerant, nisi bona uoluntate post dominum quomodo requiescebant? Quæ nimirum omnia si spiritaliter inquirantur, dies mansionis arcæ multiplicantur, sed cùm manet in Gabaad, cùm manet in custodia Eleazari: quia cùm animarum fidelium cura apud religiosos prædicatores recōditur perfectio religionis, quæ sublimi doctrina impenditur, bonorum operū studio adimpletur. Vnde & annus uicesimus tūc instare relatus est. Si enim denarius numerus perfectionem antiquæ legis designat: quid uicenarius, nisi splendidiorem nouę uitæ religionē significat? Vicenarius quippe numerus, denarius est duplicatus. Qui certè numerus in electorum conuersatione perficitur, cùm per amorē uitant legis prohibita, & sublimia Euangelij mandata cōplent. Quia uerò nos arcæ profectionē ad contemplatiuæ uitæ perfectionem retulimus, in Cariathiarim manet arca dei, cùm eruditæ mētes contemplantium eiusdem eruditionis suæ domū, in oblectamento perficiunt reuelatæ sibi supernæ claritatis. Viginti quippe annis manet ibi tunc arca dei: quia electæ animæ ad exultationis intimæ culmen euectæ, habent denariuum numerū in perfectionē scientiæ, uicenarium uero in superna delectatione. Potest etiam dierum multiplicatio ad uirtutum spiritalium incrementa referri. Cùm igitur causa qua dies multiplicentur, expressius dicitur, annus uicesimus esse perhibetur: quia uidelicet electæ mentes contemplantium, quo uberius superna cōtemplatione pascuntur, eo plenius uirtutum spiritaliū fulgoribus illustrantur. Quid uerò est, quòd anno uicesimo requiescere omnis Israel post dominū dicitur, nisi quia sublimitas perfectionis electorū non consistit in fortitudine boni operis, sed in uirtute contemplationis? Quiescere nanq; post dominū, redemptoris nostri imitationē inuincibili charitate retinere est. Et quisquis illa supernæ ciuitatis ineffabilia gaudia contemplando fortiter amare nō didicit: quia sæpius ad mundi amorem potest deijci post dominū nequaq; requiescit. Cùm ergo manet arca in Cariathiarim, & dies multiplicantur, uniuersus Israel post dominum requiescit: quia profecto dum electæ mentis scientia in experientiam supernæ delectationis erigitur, dum luce refusæ gloriæ, uirtutum spiritalium sibi claritates glomerantur, imitationem dominicam tenere eo perseuerantius potest, quo immensis illustrata claritatibus, eas tenebras, quibus à uero diuidatur lumine sentire non potest. Vnde & bene qui post dominum requiescere dicitur, Israel esse perhibet, uidelicet uidens deum: quia quo altius contemplator in diuina rapitur, eo ab humanis quæ potenter cohibet, ne-

quaq; ſuperatur. Verum quia authore deo, arcam eius proficiſcẽtem uſq; ad ſublimitatis eius ſitum deduximus, quo ſtudio prædicator erga ſubditorum correctionem inuigilet, uideamus. Nam ſequitur: Et ait Samuel ad uniuerſam domum Iſrael: Si in toto corde ueſtro reuertimini ad dominum, auferte deos alienos de medio ueſtrum.] Quos autem alienos deos ſcriptura ſacra appellare conſueuit, niſi dæmonia quæ in manufactis ſimulachris habitant. In Samuele nouos ſanctæ eccleſiæ prędicatores deſignari diximus. Recte itaque de medio ſui deos alienos in uniuerſam Iſrael domum auferre præcepit: quia in accedẽtibus ad fidem gentilibus, non ſolum rectæ profectionis ueritatem prædicatorum ordo perijt, ſed etiã damnationem antiquæ ſuperſtitionis. Nil enim eis prodeſſet ueritatem profitendo colere, uel obſequendo, niſi falſa prius deteſtanda reliquiſſent. Quiſquis etiam nunc intra ſanctam eccleſiam poſitus eſt per fidem, ſed deo rebellis per iniquam operationem, admonendus eſt, ut alienos deos de medio ſui auferat. Nã etſi manufacta ſimulachra deteſtatur, dæmonum tamẽ imperijs praua actione ſubmittitur. De medio autẽ ſui alienos deos abijcit, qui ſic ad deum conuertitur, ut per mala opera immundos ſpiritus nunq; ueneretur. Poteſt etiam cautioris uitæ ſtudium per hæc exhortationis uerba deſignari. Nam in medio noſtri quid eſt, niſi cor noſtrum? Sunt tamen nonnulli operatione mundi, ſed infirmitate cordis, uſu fœdantur prauæ cogitationis. Bona quidem inceſſanter faciunt, ſed cogitare reproba nunquam prætermittunt. Quia uerò tot in eorum cordibus dæmonia requieſcunt, quot deſideria immunda auferre de medio ſui alienos deos inſtanter admonenẽ, quatenus omnipotenti deo non ſolum rectitudinem impendant operis, ſed & gloriam internæ puritatis. Vnde & aptè ſubditur: Et præparate corda ueſtra domino.] Cor quippe domino præparat, qui mentem non ſolum ab immunda cogitatione ſeparat, ſed etiam cogitationum ſanctarum, ac uirtutum fulgoribus illuſtrat: ut uelut abiectis & cõminutis idolis ſe dei templum efficiat, dum illic diuinæ gratiæ ſedem erigit, ubi reprobos ſpiritus manere per ſubiecta eis praua deſideria non permiſit. Bene itaq; prius auferre alienos deos de medio ſui Iſraelitas admonet, deinde corda deo præparare: quia rectus ordo inchoatæ religionis eſt, ut prius unuſquiſq; praua reprobet, deinde ad omnipotentem deum ſtudio bonę intentionis appropinquet. Ad extremũ uerò neceſſe eſt, ut qui iam deo bonæ uoluntatis propoſitum, & puri cordis munditiam obtulit, id quod intus bene uiuendo deliberat, in rectitudine boni operis exponat. Quare & ſubdit: Et ſeruite ſoli deo.] Soli quippe domino ſeruit, qui bonis operibus praua non inſerit. Nam qui ſic bona agit, ut mala nõ deſerat, deo ſoli nequaquã ſeruit: quia malo ſpiritui obſequium exhibet, cuius perficere nõ metuit uoluntatem. Vnde agitur, ut etiam bona agens deo non ſeruiat: quia qui totum hominem condidiſſe creditur, habere eum cõmunem cum aduerſario non dignatur. Hinc nanq; eſt, quod ipſa ueritas per ſemetipſam denunciat, dicẽs: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Hinc Paulus exquirens, ait: Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli, aut quis conſenſus templo dei cum idolis? Soli ergo domino ſeruire præcipimur, ut qui iam aſpirante deo pro obtinenda peccatorũ noſtrorum remiſſione agere bona cœpimus, eiſdem bonis praua nulla miſceamus. A peccatorum nanq; noſtrorum obligatione tunc ſoluimur, cùm bona quæ pro eorum impendimus abſolutione, malis admiſta non ſunt. Deuotis nanq; pœnitentibus loquens prædicator, dicit: Si in toto corde ueſtro reuertimini ad dominum, auferte deos alienos de medio ueſtri, & ſeruite deo ſoli.] Quaſi dicat: Tunc à peccatis ſolui poteritis, cũ cordis & operis bona quæ pro ueſtra abſolutione impenditis deo, ſuperuenientibus criminibus alijs non fœdatis. Quare & repromittens, dicit: Et liberabit uos de manu Philiſtim.] Qui hoc loco alij Philiſtim, quàm maligni ſpiritus deſignantur? Qui nimirum dum ſuperbiæ ſuæ calice in momento debriati ſunt, à ſtatu gloriæ tumeſcendo ceciderunt. Quæ eſt igitur manus Philiſtim, niſi poteſtas illa dæmonum, qua mortuas in peccato animas ad æterna tormenta perducunt? Ab iſta Philiſtim manu ſolus liber fuerat, qui dicebat: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicq;. Hinc Paulus ait: Omnes peccauerunt, & egent gloria dei. Hinc iterum dicit: Eramus & nos filij iræ, ſicut & cæteri. O quàm magni muneris eſt iſta promiſſio, qua dicitur:

Liberabit uos de manu Philiſtim.] Nam ille ſolus liber huius manus extitit, qui peccatũ non fecit. Ab ea utiq; omnes cõtra meritum liberamur. Vnde & Paulus dicit: Iuſtificati gratis per gratiã ipſius, per redemptionem iuſtitię ſuæ, propter redemptionẽ præcedentium delictorum, in ſuſtentatione dei ad oſtenſionẽ iuſtitiæ eius in hoc tempore, ut ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum qui eſt ex fide domini noſtri Ieſu Chriſti. Hinc itẽ dicit: Gratia liberati eſtis. Tale eſt, ac ſi dicat: Liberabit uos de poteſtate ſpirituum malignorũ, ut uelut fugatis de itinere crudelibus hoſtibus, dum mors carnis interuenit, ea quæ cupitis æterna gaudia, ſecurius adeatis. Magna itaq; promiſit, qui magna prę cipiendo docuit, ut magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Magnũ quippe eſt ſoli domino ſeruire, uidelicet inſtãter bona agere, bonis actibus reproba nõ miſcere: ſed ò quàm maximum in uitæ huius tranſitu poteſtatem cruentorum ſpirituum non incurrere, nullas in uia horribilitates cernere, contrarietates obiectionũ nullas inuenire, æternas pœnas euadere, liberatoris noſtri præſidia ſentire, momentaneã ſeculi lucem perdere, ſed repentè ineffabilem claritatem æternitatis inuenire. Audiant, ergo audiant, qui de manu Philiſtim liberari deſiderant: Præparate corda ueſtra domino, & ſeruite illi ſoli:] ut hic ſibi quiq;

Matt.6
2.Cor.6
Ioan.14
Rom.3
Epheſ.2
Epheſ.2

quiq; colligere studeant, unde illic manus tantorum hostiũ non incurrant, & securi ad uitam transeant, qui inter salutis suæ thesauros, quos hic bene uiuendo congregant, mortis opera nulla portant. Electorum uero mores insinuantur per hoc quod subditur: Abstulerunt ergo filij Israel de medio sui Baalim, & Astaroth, & seruierũt domino soli.] Electorum quippe mos est, ut cùm diuinæ prædicationis hortamenta suscipiunt, ad studium auditæ bonæ operationis accẽdantur. Nam reprobi & frequẽter uerba dei audiunt, & eisdem tamen uerbis nulla bona opera proponunt, pigri in suis actionibus remanẽt, quia à diuina luce proiecti, omnipotentis dei gloriam, cuius uerba audiunt, interna contemplatione non uident. Recte ergo qui obediunt, Israel filij dicuntur: quia quo dei maiestatem apertiori manifestatione conspiciunt, eius præceptis obedire deuotius agnoscuntur. Sed quia conuersis loquitur, quid eis adhuc deesse cõspiciat audiamus, nam sequitur: Dixit autem Samuel: Congregate uniuersum Israel in Maspha, ut orem pro uobis dominũ. Et cõgregauerunt in Maspha.] Maspha dicitur speculatio seu cõtemplatio. Quam profecto speculationem
1.Cor.13 beatus Paulus exponit, dicens: Videmus nũc per speculũ in ænigmate. Speculari etenim nobis est, de altitudine scripturarum æterna bona contemplari. Quasi enim speculamur, quod iam fidei ueritate cognoscimus, & adhuc reuelata facie non uidemus. Conuersis uero peccatoribus in Maspha cõuenire est, per mentis intentionem de dei omnipotentis miseratione cõfidere. Sed sic de dei misericordia præsumant, ut tamen id quod se neguiter egisse recolunt, per pœnitentiã delere non negligant. Vnde & illic repentè subiungitur:

Hauseruntq; aquam, & effuderunt in cõspectu domini.] Quid enim est aquã haurire, nisi de profunda animi pœnitentis cõfusione lachrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus dum q̃ profunda iniquitate cecidimus cõsiderantes plangimus. Quã profecto aquã in conspectu domini effundimus, si cum pœnitendo cõpungimur, de eiusdem compunctionis fletu non quærimus fauorẽ seculi, sed solũ fructũ diuinæ placationis. Sed & dum mens flendo cõpungitur, necesse est ut etiã caro quæ delectationibus subiacuit, affligatur. Vnde & subditur: Et ieiunauerunt in die illa.] Dies peccatricis animæ est spes consequendæ indulgentiæ, in diuini uerbi repromissione. Vnde & per prophetã dominus repromittit,
Ezech.33 dicens: Nolo mortẽ peccatoris, magis autẽ ut conuertatur & uiuat. In die igitur illa ieiunant, qui idcirco carnẽ pœnitendo atterunt: quia in luce spei peruenire ad indulgentiã se indubitãter credunt. Quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demũ idonea est, cũ sacerdotis fuerit iudicio imperata, cùm ab eo cõfitentiũ actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis. Bene itaq; sequitur: Dixeruntq;, tibi peccauimus domine. Iudicauitq; Samuel filios Israel in Maspha.] In Maspha quippe sacerdos iudicat, cùm non humanũ arbitriũ sequitur, sed diuinum, cùm in omni quod disponendũ est, se in alta cõtemplatione subleuat, & hoc in subditorũ iudicio disponit quod æquum esse in superna uisione cognoscit. Hinc nanq; est q̃ in omni ferè negotio Moyses in tabernaculo fœderis dominũ consulit; quia nimirũ prædicator sanctæ ecclesiæ in intima debet ueritatis cõtemplatione cõspicere, ut subditorũ uitã foris irreprehensibiliter ualeat ordinare. Tunc enim & tenere peccata, & dimittere uerius potest, cũ in arcano speculatiõis domino loquẽte audit quod loquitur. Vnde & resurgẽs à mortuis dominus prius in discipulorũ faciẽ insufflauit, & postea dimittendi retinẽdiq; peccata autoritatem tribuit: ut profecto monstraret quia qui illã mẽtis speculationẽ non habet, iudex animarũ esse non debet. In electorũ quippe prędicatorũ faciẽ dominum insufflare est, intimas secretasq; uias spiritalis examinis eis per spiritũ sanctũ reuelare. Hinc Paulus ait: Spiritalis iudicat omnia. Hinc item di- 1.Cor.2
uinæ gratiæ largitatẽ cõmendans, ait: Nos spiritũ huius mundi non habemus, sed spiritũ qui ex deo est: ut sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Qui autẽ huius mundi spiritũ habet, in Maspha, id est, in speculatione subditos iudicare nõ potest: quia dum per spiritũ interiora non penetrat, in causis examinis, quas exquirit, mundano spiritu foris erat. Bene igitur Samuel filios Israel in Maspha iudicasse dicitur: quia nimirũ prædicatores sancti in subditorũ iudicijs, aliud extra nequaq; diffiniunt, nisi quod intus eis diuina inspiratione reuelatur. Sed dum boni subditi maiorũ iudicio semetipsos subijciunt, spiritualium hostium iras contra se ualidius accendunt. Vnde & subditur: Et ascenderunt Satrapæ Philistinorũ ad Israel.] Ablatis nãq; dijs alienis, peracto ieiunio, exhibita à prędicatore censura examinis, ad Israel Philistinorũ principes ascendunt: quia cum altiori uita proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus inuident, nobis infestiores sunt. Et quia de innocentis uitæ sublimitate nos deponere appetunt, ascendere dicuntur. Ascẽdere quippe malignis spiritibus est, se ad expugnanda alta per cœleste desiderium corda subleuare. Quia etiam contra perfectiores Christi milites non quorumlibet malorũ spirituũ, sed fortiorum dæmonum prælia excitantur, non Philistim contra Israel ascendere, sed Philistinorũ Satrapæ perhibentur. Principes quoq; pluribus præsunt. Per hoc ergo quod contra Israel Satrapæ ascẽdere dicunt, potest rationabiliter colligi: quia ad probandam electorũ patientiã, nec unus spiritus malus electorum singulis, sed innumeri deputantur: ut de consecuta eorũ uictoria tanto sit copiosior fideliũ gloria, quanto eis irrogata fuerint prælia grauiora. Tamen inter eadem prælia nuper conuersi uehementer pauere solent: repentè etenim inueniunt se in campo laboris, præter experimentum consuetudinis. Armata hinc contra se aspiciunt desideria quæ sibi dudum pacata seruiebant, illinc supernus amor inuitat, ut cœpta bona non deserant. Hinc spiritus mentem eleuat, illinc

caro grauat, ac dum finis sui modũ scire non pos- A
sunt, de electionis suæ incertitudine uehementer
expauescunt. Vnde & hic aptè subditur: Quod
audientes filij Israel, timuerunt à facie Philistino-
rum.] A facie enim Philistinorum timent, ut eo-
rum posteriora non timeant. Quæ est enim malo-
rum spirituum facies, nisi concupiscentia secula-
ris? In hac enim specie quicunq; componitur, eo-
rum imagini conformatur. Quia uero non Phili-
stinorum faciem, sed ab eorum facie timuisse Is-
rael dicitur, sic electorũ mentes insinuat, ut etiam
reproborum stultitiam latenti ratione reprehen-
dat. Non enim faciem, sed à facie timuerunt: quia
uidelicet sancti uiri aliud est quod foris aspiciũt,
aliud quod intus expauescunt. Nam etsi aliquan-
do florentem mundum humana ratione conside- B
rant, repentè mentis oculos ad ea mala quæ mun-
di gaudia sequuntur retractantes leuant, & uelut
à facie trepidant qui pœnis sequentibus contin-
gere præsentes delectationes uitant. At contra re
probi qui hanc Philistinorũ faciem nequaq; me-
tuunt, sequentes ferocitatis eorum impetus non
euadunt. Dum enim uana mundi gaudia tota uir-
tute suscipiunt, afflictiones perpetuas, dæmonum
uirtute capiuntur. Quibus nimirũ ueritas cõmina
tur, dicens: Væ uobis diuites, quia recepistis con-
solationẽ in uita uestra. Hinc item denũcians, ait:
Væ uobis qui ridetis, quia flebitis. Quasi aliter di
cat: Quia à Philistinorũ facie nequaq; pertimesci-
tis, cùm sequentes eorum uires irruunt, salutis in-
uenire refugiũ non potestis. Tunc quidem timor C
adest, sed qui adiuuet, non adest. Vindicta datur
flagitij, sine spe liberationis, & q; sint Philistino-
rum horribilia posteriora sentiunt, qui faciei eorũ
blandimenta, in mundi amore uoluerũt. Bene igi
tur de Israelitis in electorũ typo dicitur: Timue-
runt à facie Philistinorũ,] quia nimirũ dum con-
uersandi modum sibi solerter ordinãt, non dispo-
nunt metuere æterna mala, cùm ueniũt, sed à tem-
porali concupiscentia trepidant, cuius merito ir-
rogantur. Et quia non tam suis meritis, q; maiorũ
hoc intercessione posse obtinere credunt, sequi-
tur: Dixeruntq; ad Samuelem: Ne cesses clama
re pro nobis ad dominũ deum Israel, ut saluet nos
de manu Philistim.] Sed & tentatis subditis, pa-
stores boni non solum orationũ præsidia confe- D
runt, sed etiam sacrificiorũ. Vnde subditur: Tu-
lit autem Samuel agnum lactentẽ unum, & obtu-
lit illum holocaustum integrum domino, & cla-
mauit Samuel.] Quid est clamor Samuelis, nisi in
supplicatione pontificis magna uirtus desiderij?
Vnde ad tacentẽ labijs Moysen, licet populi sub-
diti salutem feruenti deuotione cupientẽ à domi-
Exod.14 no dicitur: Quid clamas ad me? Quis uero est ag-
nus lactens, nisi ille quem præcursor eius ostẽdit,
Ioan.1 dicẽs: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mun
di. Et lactens dicitur: quia in eius innocentia uera
humanitas prædicatur. Sed unus agnus offertur:
quia præter ipsum qui mundi tollat peccata ne-
quaq; reperitur. Quem profecto agnũ integrũ ob
tulit. Integritas quippe agni ad soliditatẽ pertinet
catholicæ professionis. Velut enim agnus diuidit
qui à canone fidei per gladium separatur erroris.
Agnus itaq; dicitur pro innocẽtia, lactens pro as-
sumptione naturæ, unus pro singularitate poten-
tiæ, integer pro fidei nostræ firmissima soliditate.
Quod si quis hæc non ad ipsum, sed ad eius imita-
torem referre uoluerit, potest. Agnum quippe of-
ferimus cùm per bonum castitatis & innocentiæ
redemptori nostro conformamur. Et cũ doctrina
innocentiũ patrũ nostrorũ pascimur, uelut ubera
sugimus, quibus ad ęternã uitã nutriamur. Vnum
quoq; agnũ offerimus, si post initia religiosæ con-
uersationis, nulla polluimur inquinatione praui-
tatis. Vnum quippe agnum offert, qui à proposi-
to innocentiæ, ad pollutæ uitæ maculas nequaq;
defluit, à quibus redeat per iterationẽ bonæ ope-
rationis. Integrum quoq; agnum offerre est, ad æ-
ternam uitam non solum carnis cõtinentiam, sed
mentis integritatẽ præparare. Integrũ quoq; ag-
num domino nequaq; offert, qui carnem deo per
cõtinentiam consecrat, sed mentis suæ secreta ab
immundarũ cogitationũ lasciuia nõ refrenat. Ve-
lut enim agni partem sacrificio subripit, qui puri-
tatem cordis corporis continentiæ non coniun-
git. Vnde & ipse agnus agnum integrum offerre
discipulis præcipiens, ait: Audistis quia dictũ est Matt.5
antiquis, nõ mœchaberis: ego autem dico uobis,
qui uiderit mulierẽ ad concupiscendum, mœcha-
tus est in corde suo. Hinc etiam fatuæ uirgines in
euangelio norantur, quæ lampades parauerũt, &
oleum non parauerunt. Lampades nanq; paratas
habent, qui bonum pudicitiæ seruant in corpore:
oleum quoq; habent, qui nitorẽ puritatis tenent
in mentis suæ circumspectione. Dicatur ergo de
Samuele obtulit agnum integrum domino: quia
ut bonũ pudicitię diuinæ placationi sufficiat, non
solũ in candore corporis seruari debet, sed in splẽ-
dore internæ puritatis. Merito itaq; subditur:

Et exaudiuit eum dominus.] Ille nanq; exau-
diri à domino pro alijs orans potest, qui ex parte
aliqua ei, cui supplicat, domino odibilis non est.
Nam si adhuc propria infirmitate deprimitur, pro
obtinenda proximorũ fortitudine nequaq; exau-
ditur: & eo desiderium suum ad diuinæ celsitudi-
nis arcem non subleuat, quo ipse de imo quo per
lapsum iacet, conatu feruentioris studij ascendere
nequaquam curat. Sed & modus exauditionis ex
ponitur, cùm subinfertur: Factum est dum Sa-
muel offerret holocaustum, Philistæos inire præ-
lium contra Israel. Intonuit autem dominus frago
re magno in die illo super Philistim, & exterruit
eos, & cæsi sunt à filijs Israel. Egressiq; filij Israel de
Maspha, persecuti sunt Philistæos, & percusserũt
eos usq; ad locum qui erat subter Betchar.] Offe-
rente holocaustum Samuele, Philistim contra Is-
rael prælium ineunt: quia maligni spiritus tũc ad-
uersus fideles subditos grauiores tentationes cõ-
mouent, cùm contra se stare instantius pastores
uidẽt. Sed super Philistęos dominus intonat: quia
orantibus doctoribus, fidelibus subditis diuina
gratia robur administrat. Tonitrua enim fieri per
nubila

nubila solent. Nubes autem sublimes per cœleste A mus agni, nisi illa sublimis, & singulariter munita
desideriũ animę intelligũtur. Vnde & propheta conuersatio redemptoris, quæ dum culpa caruit,
mentes electorum in amore cœlestiũ eleuatas ad- cunctis nequã spiritibus inaccessibilis extit. Ad
mirãs, dixit: Qui sunt isti, qui ut nubes uolãt? Quę Bethchar, id est domum agni peruenire nemo po
sunt autem tonitrua nubium, nisi illa feruentia & test: quia quisquis multum proficit, sanctitate re-
superna electorum desideria: quibus dum per di- demptoris inferior est. Vnde & prædicator egre-
uinam gratiã eorũ mens succenditur, omne quod gius eiusdẽ redemptoris laudibus insistens, dicit:
maligni spiritus decipiendo suggerunt, ab ea pe- Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, in- Heb.7
nitus expellunt. Bene ergo dicitur intonuit domi nocens, impollutus, segregatus à peccatoribus,
nus super Philistæos, & exterruit eos. Nam dum & excelsior cœlis factus, qui non habet necessita
per gratiam suam electis mentibus superna desi- tem sicut sacerdotes prius pro suis delictis hostias
deria infundit, quia etiã terrena omnia facit con- offerre. Quis est ergo locus subter Bethchar, ad
temnere, eos etiam qui ea eis appetere suggerũt, quẽ usq; Philistim cædere, & persequi debemus?
nequam spiritus in fugam uertit. Velut enim to- Sed si Bethchar perfectionem signat dominicæ
nitruo territi fugiũt, dum in electis mẽtibus, quas B cõuersationis, locus subter Bethchar, cõmunem
tentando pulsauerant, ingentem sonitum diuinæ sanctorum summam exprimit sanctitatis. Qui &
uirtutis expauescunt. Quia uerò fragore magno eidem redemptori se obediẽdo humiliant, & eius
intonuisse dominus dicit, quid est aliud, nisi quia gloriæ per studiũ uitæ innocentis appropinquãt.
imperfecta Christianorum desideria dæmonibus Locus enim qui subter Bethchar situs ostenditur,
terribilia nõ sunt? Fragor enim magnus tonitrui, eidem loco, cui subest, & inferior esse cognoscit,
perfectum est uniuscuiusq; desideriũ electi. Cùm & uicinus: quia sancti uiri quo deo per uitæ altitu
igitur fragore magno super Philistæos dominus dinẽ uicini sunt, eo & humiliori cogitatione sub-
intonat, tunc à filijs Israel cæduntur: quia dum ele iecti. Dum ergo nouitiorum fidelium triumphus
ctorũ mentem perfecta deuotio ad superna gau- sub Israelitarum gestis ostẽditur, usq; ad locũ sub
dia erigit, omne quod aduersæ parti militat, à se domo agni cæsi alienigenæ dicuntur: quia profe-
penitus abscindit. Bene quoq; prius territi Philis- cto per indesinentem conatum certaminis, con-
tæi, deinde à filijs Israel cædi memorantur. nam tendere debemus ad arcem perfectionis, ubi iam
terrentur electorum deuotione, cæduntur opere. tanto simus hostibus nostris terribiliores, quanto
Et quia opere deuotio prior est, terreri prius, po- redemptori nostro uiciniores. Ibi enim iam quæ-
stea uerò cædi rectè perhibentur. Nam prius do- C dam securitas est, quę perturbari hostium pauore
num bonæ uolũtatis à domino accipimus, ut con non potest. Talibus nanq; concessæ uirtutis dona
silia malorum spirituum postmodum cõfutare ua insinuans dominus, ait: Ecce dedi uobis potesta- Lucæ 10
leamus. Bene etiam dominus super Philistęos in- tem calcandi super serpentes, & scorpiones, & o-
tonare, & exterrere eos dicitur, filij autem Israel mnem uirtutem inimici. Vnde & is qui ad locum
illos cædere perhibentur: quia bona desideria no- domui agni uicinũ peruenerat, dicit: Quis nos se- Rom.8
bis per diuinam gratiam ministrantur, sed nos do parabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia,
na gratiæ per conatum liberi arbitrij ad uirtutũ ui an fames, an cætera talia? Potest etiã domus agni
ctorias promouemus. Ordo igitur cœlestis mili- cœlestem patriam designare. Vnde & Ioannes di Apoc.14
tiæ est, ut ante tonans fragore magno audiatur cit: Vidi supra montem Sion agnũ stantem, & cũ
deus, & post miles ad cędenda hostiũ agmina pro eo centũ quadraginta quatuor millia, habẽtia no-
grediatur, ut uidelicet in se prius dona gratiæ ui- men eius, & nomen patris eius scriptũ in frontib.
deat, deinde ad certaminis campũ ualidius erum- suis. Quis est igit locus qui est sub domo agni, nisi
pat, & securus uictoriæ prouentum speret, qui eis terminus tẽporalis uitę? ex quo ad supernę patrię
quibus coronetur uiribus, ante cõgressionis tem gaudia assumuntur electi. Qui enim usq; ad statu
pora fultus est. Bene aũt qui Philistæos cædũt, de D tum nobis terminum ducimur, quẽ præterire ui-
Masphat egressi perhibẽtur. In Masphat etenim uendo non possumus, uelut ad locum uenimus,
quæ speculatio dicitur, morantur, qui in diuinarũ unde aliò transferamur. Sed terminus uitæ electi
rerum contemplatione persistunt. Sed ad cæden uiri sub domo agni situs ostendit : quia unde per
dos Philistæos exeũt, cùm ex arcano internæ me- angustias mortalitatis demergit, inde ad uitæ in-
ditationis consulti uenientes, cõprimũt uires ad- deficiẽtis gaudia subleuat. Nam & agnus ipse, qui
uersæ dominationis. Intus enim latenter ordinãt, in citharœdorum citharizantium & cantantium
qualiter foris in apparato opere, hostium cuneos domum suam lætus inhabitat, antequã ad huius
irrumpant. Tanto quidem grauiores pugnas eis domus lætitiã duceret, sub domo fuit. Hinc nanq;
procedentes exhibent, quanto dum interna cogi est quod immolationis suæ tempore dicit: Tristis Marc.14
tant, apud se quietiores latent. Et quia maligni spi est anima mea usq; ad mortẽ. Electi ergo uniuscu
ritus ab electis dei semper cõprimendi sunt, usq; iusq; finis dum loco ostẽditur, subter Bethchar, id
ad locũ subter Bethchar Philistim percussi fuisse est, domo agni esse memorat : quia sancti uiri cum
memorantur. Bethchar quippe domus agni inter per mortis pœnam temporalia deferunt, de uici-
pretatur. Hunc agnum nobis Esaias insinuãs, ait: no præeminentem sibi supernam patriam con-
Esa.53 Tanquã agnus ad occisionem ducetur, & tanquã scendunt. Nam Paulus cõfidenter asserens, dicit:
ouis coram tondente sine uoce. Quæ igit fuit do- Scim⁹ quia si terrestris dom⁹ nostra dissoluat, ha

Universidad de Deusto
Biblioteca

bemus habitaculum ex deo, non manufactum in cœlo. Igit̃ uſq; ad locũ, qui eſt ſubter domo agni Philiſtæos cędimus: ſi quandiu in hac uita ſumus, de malignis ſpiritibus triumphamus. Sequitur:

Tulit aũt Samuel lapidem unũ, & poſuit eũ inter Maſphat & Sen, & uocauit nomen eius lapis adiutorij, dixitq;: Hucuſq; auxiliatus eſt nobis dominus.] Lapis in ſacro eloquio dominum, & redemptorem noſtrum ſignificat. Lapis uero unus à Samuele tollitur, cum à ſanctæ eccleſię prædicatore redemptoris fortitudo ſingulariter prædicatur. Qui profecto inter Maſphath, & Sen præfigitur: quia in uitæ exitu electos protegit, reprobos confringit. Sen quippe excuſſio dicitur. Excuſſi autem ſunt reprobi, id eſt à fidelium ſocietate ſeparati. Dum ergo uſque ad locũ ſubter Bethchar Philiſtæi cæſi perhibẽtur, lapis inter Sen, & Maſphat præfixus aſſeritur: quia dum electi dei uictoriæ ſuæ titulum in fine percipiunt, redemptoris iudicio à malorum ſocietate ſeparantur. Modo uerò uelut in area frumentum, & palea ſimul ſumus: ſed dum ad uitæ terminum ducimur, electi à reprobis dominica uirtute diuiduntur, & uelut inter ſe lapidem habẽt medium, dum illi pondus redemptoris in damnationis ſuæ iudicium ſuſtinent, & iſti in eius fortitudine æternæ gloriæ palmas tenent. Poſſunt per Sen etiam maligni ſpiritus deſignari. Excuſſi quippe ſunt, quia à cœleſti ſecreto per ſuperbiã proiecti. Et quia nunc in hac uita nobiſcum præliantur, bene cùm uictoriæ noſtræ tempus aſſeritur, lapis inter nos, & eos poſitus perhibetur: quia cùm militię noſtræ donatiua percipimus, ultra nobis eorum prælia nequaquã renouantur. Samuel aũt hũc lapidem in medium ponit: quia nobis redẽptoris noſtri bonitatẽ ſanctæ eccleſiæ doctor oſtendit. Et quia omne quod à nobis in omni uita noſtra proſperum geritur, diuinæ gratię adſcribitur: aptè ab eo lapis ille, qui in medio ſiſtitur, lapis adiutorij uocatur. Ipſe eſt nanque lapis adiutorij, qui ſi nobis ſubuenire noluerit: uinci poſſumus, uincere nequimus. De quo iam in medium poſito dicitur: Vſque huc auxiliatus eſt nobis dominus:] quia eius præſidia electos ſuos uſque ad æternæ retributionis tempora perſequuntur. Et quia (ut diximus) iam tunc nobis in æterna requie ſuſceptis à depreſſis hoſtibus prælia nulla commouentur, ſequitur. Et humiliati ſunt Philiſtim, nec appoſuerũt, ut uenirẽt ultra in terminos Iſrael.] Hæc profectò ſic electorum ſingulorum facta exprimunt, ut ſanctæ catholicæ eccleſiæ & procinctum innuant belli, & gaudia remunerationis. Hanc nanq; uniuerſalis eccleſiæ uictoriam iam poſt reſurrectionis noſtræ gloriam futuram, beatus Paulus oſtẽdit: qui quaſi futuræ incorruptioni præſens, morti inſultabat, dicens: Abſorpta eſt mors in uictoria, ubi eſt mors uictoria tua, ubi eſt mors ſtimulus tuus? Humiliatos etiã Philiſtæos uidit: quia apoſtatarũ angelorũ memorãs, ad amorẽ futurę dignitatis electos accẽdit, dicẽs: An neſcitis, quia angelos iudicabimus? Tunc quippe Philiſtæi humiliantur, cũ in præparata ſibi ab origine mũdi æterni ignis incendia dęmones mittũtur. Et in terminos Iſrael uenire ulterius non apponunt: quia ad tentanda electorum corda non exeunt. Qui aũt ſunt Iſraelis termini, niſi cœli? Quomodo autem mali ſpiritus in Iſraelis terminos uenient, qui ſic in inferni profunda damnati ſunt, ut à ſummerſione pœnarum nunquam reſurgant? Quia ergo æterna oppreſſione deiiciuntur, aptè ſubinferẽ. Facta eſt (inquit) manus domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis.] Qui em̃ ſunt dies boni doctoris, niſi uernantes illi radij fulgentis æternitatis? Qui aptè Samuelis eſſe referuntur: quia etſi communes ſunt electorũ omnium, ſpeciali quadam gratia ad gaudia lucent prędicatorum. Vel certè prędicatorũ ſunt, quia ſpecialius eorũ mentibus fulgent, quorũ prędicatione nunc ſanctę eccleſię demonſtranẽ. Manus aũt domini ſuper Philiſtæos cũctis diebus Samuelis facta perhibetur, quia diuina poteſtas malos ſpiritus ſemper opprimit, quę in æternę claritatis gloria etiam electos exhilarare nunquã deſiſtit. Tunc uero angelorũ damna reparantur, tunc quicquid de ordine conditorum ſpirituum, eorum ſuperbia ſublatum beatitudini fuerat, de electis hominibus adimpleẽ. Quare & ſequitur: Et redditæ ſunt urbes, quas tulerant Philiſtim Iſraeli.] Vrbes ſublatæ ſunt illæ perditæ multitudines angelorum. Sed tunc reddũtur, quando de electa natura humana aſſumitur, unde quod de angelis periit, ſuppleaẽ. Quod etiam in conuerſione flagitioſorum hominum accipi conuenienter poteſt. Vrbes nanq; Philiſtim tollunt: cum unitas fidelium mentes tentando decipiũt, & ſibi eas peccatis immergẽdo ſupponũt. Sed ablatæ urbes Iſraeli reddũtur: quia ſic in hac uita pœnitentes ſatisfaciunt, ut in perenni gloria ſplendidi ad electorũ gaudiũ exhibeantur. Quia uerò nõ ſolum qui agere bona negligunt, ſed etiã qui abundanter iniquitatem faciunt pœnitendo ſaluantur, ſubditur: Ab Accaron uſque Geth. Accaron dicitur ſterilis, Geth torcular. Steriles quidem ſunt, qui bona opera non agunt. In torculari autem uua premitur, & uinum promulgatur. Quid eſt autem concupiſcentia ſecularis, niſi uua reprobæ mentis? Quid uero eſt feruor peccandi, niſi liquor uini, qui peccatoris mentem æternorũ bonorum immemorem facit? Dum enim ex concupiſcẽtia cordis peccatũ generatur, quaſi in torculari de uua uinũ producitur. Ab Accaron ergo uſq; Geth ſublatæ urbes Iſraeli reddũtur, quia bona agere negligentiũ & mala audacter perpetrantium mentes, quæ pœnitendo ad dominũ modo redeunt, tunc in cõmuni electorũ gloria ſplendidæ demonſtrantur. Earum quippe mala in dei memoria nequaquam ueniunt: quę ipſi pœnitentiæ afflictione delere oblíti nõ ſunt. Sequit̃: Eratq; pax inter Iſraelem, & Amorreum.] Quæ eſt iſta pax, niſi quã propheta Micheas aſſerit, dicens: Et erit iſte pax in terra, cùm uenerit. Hinc Paulus ait: Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unũ. Quid eſt autẽ quod inter Iſraelem, & Amorreũ pax oſtenditur

1.Cor. 15

1.Cor. 6

Mich. 5

Eph. 2

ditur? Sed quid per Amorreum nisi pars hominũ reproba designatur? Qui uero per Israelem figurantur, nisi electi? Et quia electi in dextera dei, reprobi uero in sinistra futuri sunt, dum pax esse inter utrosq; asseritur, sanctorum beatitudo inclyta demonstratur: qui iustitiæ conditoris tanta æquitate conueniunt, ut de conspecta reproborũ pœna, nulla compassione moueantur. Dum ergo inter Israelem, & Amorreũ pax esse ostenditur, nõ demonstratur bonum, quod commune cum sanctis habeant reprobi, sed quo muniantẽ electi. Vnde & sub Israelis specie per prophetam sanctæ ec-
Psal.147 clesiæ repromittitur: Qui posuit fines tuos pacẽ, & adipe frumẽti satiat te. Pacem quippe ecclesiæ fines posuit: quia dum redemptoris potẽtia, eã in intimæ æquitatis celsitudinem erigit, per dolorẽ compassionis, perditorũ miseria non affligit. Sed ad tantam beatitudinem quo pastorũ studio, boni subditi promoueantur, exponit dicens: Iudicauit quoq; Samuel Israelem omnibus diebus uitæ suæ.] Qui sunt dies uitæ uniuscuiusq; doctoris, nisi uirtutum spiritalium claritates? Omnibus nanque diebus uitæ suæ Israelem iudicat, qui lucem iustitiæ, quam loquendo asserit: ad subditorũ fidelium exemplum, perfectione repræsentat bonæ conuersationis. Qui aũt uirtutũ spiritalium lucẽ non habet, quia ad docendum assumit bona con uersationis extraneæ, diebus profecto iudicat ui-
Hie.23 tæ alienæ. De quibus profecto per prophetã dominus dicit: Ecce ego ad prophetas, qui furantur uerba mea unusquisq; à proximo suo. Verba quippe furantur, qui bonum quod docendo prædicãt operando non sequuntur: quia ueluti clã de alieno tollunt, quod dato proprij laboris precio suũ nequaquã faciunt. Post denunciatam itaq; futurã beatitudinem, qualis interim debeat esse fidelium pastor ostenditur: quia omnibus uitæ suæ diebus Samuel Israelem iudicasse perhibetur. Perfectionis etenim uiam male insinuat si lucis iter quis uoce uolens pandere, actione tenebrescat. Nam qui cunctos uitæ suæ dies ad iudicandum Israelẽ con
Rom.15 tulerat, dicit: Non audeo loqui horũ aliquid, quæ per me non efficit deus, inobedientia gentiũ uerbo & factis. Iudicet igitur doctor, sed qui dies uitæ suæ inclytos habet: ut uidelicet in se prius uirtutum spiritualium radios bene uiuendo foueat, quos prouidendis subditorum itineribus loquẽs administret: quia & lucerna tunc ijs, qui in domo sunt utiliter ostenditur: si ipsa antea eo, quod spar sura est, bene repleatur lumine. Sequitur: Et circuibat Bethel, & Galgal, & Masphath, & iudicabat Israelem in supradictis locis.] Bethel dicitur domus dei: Galgal rota: Masphat (ut iam superius replicatum est) speculatio interpretatur. Quid ergo Bethel, nisi uiros officio sacri altaris deputatos significat: qui dum spiritalibus studijs inhærent, uelut domestici, dei omnipotentis familiares sunt? Et quid Galgal, quæ rota dicitur, nisi coniugatorum ordinem designat? Velut enim in rota circũeunt, dũ uolubilis mundi curis, penitus carere nõ possunt. Et quid per Masphath, quę speculatio in terpretatur, nisi illi exprimuntur, qui diuinę contemplationi uacantes, solis supernis gaudijs inardescũt? Quid ergo est quod Samuel & Bethel, & Galgal, & Masphath, circuire dicit, & in eisdẽ locis Israelem iudicare: nisi quia electus prædicator omniũ electorũ ordinũ exẽpla sequit, ut subditorum fideliũ esse ualeat censor doctus? Non enim esse poterit æqui examinis, si de exẽplis præcedentium electorũ dedignat assumere quod decernit. Sed & per singulos annos ista circũeat, ut doctor prouidus ordinũ singulorũ perfectionẽ sigillatim respiciat: ut quo subtilius præcedẽtiũ bona uiderit, præsentia disponere decentius possit. Ibi ergo, ibi iudicet Israelẽ, ut subiectos fideles, quos ad dei uisionem erudit, illorum rectitudine corrigat, quos deo placuisse indubitanter credit. Potest etiam per Bethel, quæ domus dei dicitur, uniuersa electorum ecclesia designari: per Galgal, quæ interpretat rota, scriptura sacra. Quicquid uero in subditorũ profectu doctor exhibet, aut de exemplo electorũ accipit, aut magisterio sacri eloquij, aut reuelatione internæ, ac secretæ contemplationis. Samuel itaq; Bethel circuit: cum prædicator ecclesiæ authoritatẽ disponendorũ operũ, de exemplis maiorum quærit. Galgal, id est rotam circuit, quando doctrinæ suæ authoritatẽ, de magisterio sanctæ scripturæ cõprehendit. Masphath quoq; circuit: cùm per secretæ contemplationis meditationem, reuelationẽ meretur suscipere ueritatis. Ibi eñ iudicat Israelem: quia quicquid subditis proponit ad normã rectitudinis, aut de exemplis electorũ accipit, aut doctrina sacri eloquij, aut ex reuelatione internæ cõtemplationis. Quibus profecto uerbis ostenditur, non tantũ quæ doctor perfectus agat: sed etiam quia perfectus nõ sit, si agere hæc nõ possit. Nam si solũ bonorũ exempla nouerit, aut si sacrę scripturę etiã quis eruditus sit, & contemplationis reuelatione caruerit: in ordine prædicationis uir perfectus non erit. Contemplatio eñ uirtus est, per quã non solum ipsa scriptura condita recognoscitur, sed per quam nondum condita conderetur: & per quam condita, ad dei uoluntatem quotidie disponatur. Bene ergo dicitur: Et iudicauit Israelem in supradictis locis.] Nam non solum in Bethel, & Galgal, sed etiam in Masphat: ut qui ad perfectionẽ prædicationis inniti tur, dum per humilitatem exempla maiorum sequitur, dum per studium sacri eloquij eruditione fulcitur: curet omnino necesse est, ut puritate mentis ea quæ disponenda sunt, contẽplando cognoscat. Dei nanq; debet esse docibilis, qui suscepto prædicationis officio, docere homines cupit. Tamen sic præsumat de eo q̃d secretę contẽplationis eruditione instruit: ut nec editas per spiritum sanctũ scripturas fastidiat, nec sequi electorũ exẽpla dedignetur. Samuel eñ Bethel, & Galgal, & Masphat circuire describitur, ut alterum ab altero per discordiã nequaquam diuidatur: ut uidelicet, & exempla recipiat, quę sacra scriptura approbat, & illas sacras scripturas, quas electi homines scripserant, recognoscat: atque eas reuelationes contem-

contemplationis à deo sibi ostensas sentiat, quæ nec ab electorum operibus, nec à sanctæ scripturæ authoritate discordãt. Sed & omne quod agit, ad rectitudinem redigat supernæ intentionis. Vnde & subditur. Reuertebatur in Ramatha, ibi enim iudicabat Israelẽ. & ibi erat domus eius.] Vt longe supra iã diximus, Ramatha interpretatur uisio consummata: & supernorum ciuium illam beatã & perfectam societatem significat, ad quã Samuel reuertitur, ne laboris sui onere deprimat. In Ramatha quippe Samuel reuertitur, cũ mens prædicatoris per amorem cœlestium releuatur: nam inter officij sui onera tam immensa corrueret, si ad amorem cœlestium, per spei suæ desiderium non rediret. Reuerti etenim prædicatoribus est, intentionem mentis suæ ad gaudia patriæ cœlestis reducere. Et ibi Israelẽ iudicãt: quia supernæ patriæ pulchritudini, quam in mente retinẽt, fideles subditos facere conformes, prædicando student. Ibi iudicant Israelem: quia ex illa iam perfecta ciuitate formam uidentes trahunt, quam filiorum mentibus loquentes imprimunt: & quicquid illa pulchritudine indignum cõspiciunt, ab eorum mentibus abscindere conantur: Et quia in illius beatæ patriæ gloria tota dilectione requiescunt, ibi eius domus esse perhibetur. Eius nanq; domus esse cognoscitur, in qua amando conuersatur: Vnde &
Philip.3 ille egregius prædicator gloriatur, dicens: Nostra cõuersatio in cœlis est. Bethel nanq; circuit, Galgal, & Masphath, & in earũ aliqua nõ habet domũ: in Ramatha aũt domũ habet. quia doctores sanctæ ecclesiæ quicquid nunc accipiũt de exemplis electorum, quicquid de eruditione sacrorũ uoluminum, quicquid de altitudine supernæ reuelationis transitorie rimantur, ad adiutoriũ habent itineris, non ad amorem remunerationis. Illud uero quod in superna ciuitate diligunt, nõ ad profectum itineris, sed ad sufficientẽ, imò ad abundantem largitatem mercedis. Et quia illuc cuncta bona congregant, sequit: Ædificauit ibi etiam altare domino.] Quid est enim altare domini, nisi cor iusti? Veritatis aũt iudicio dicitur: Vbi
Mat.6 est thesaurus tuus, ibi & cor tuũ. Qui aũt pro amore supernę patriæ bona agit, dum ardenter ad ea quæ sursum cõgregat, peruenire desiderat: profecto altare ædificat, super quo quotidiani desiderij hostias incendat. Bene autem dicitur ædificauit ibi altare domino, quia ex incremento studij cœlestis, sicut flãma crescit in corde boni desiderij, ita & uelut additis lapidibus altare sursum cõstruitur, ubi deo holocausta offerantur amoris. Quod etiam ad lucrum animarum referri conuenienter potest. Doctor nanq; in Ramatha altare domino ædificat, cùm subditorum merita in cœlo locat: & dum quotidiano eius studio electæ animæ ad cœlestia regna conscendunt, uelut ad structuram superni altaris lapides mittũtur. Dicatur ergo de Samuele, dicatur: Ædificauit ibi altare domino:] quia nimirum ualde otiosum est doctoris studium, si per hoc quod ab illo in terris agitur, cœleste ædificium non augetur.

LIBER QVARTVS

Caput I.

Sanctorum uirorũ facta præcedentiũ, sępe electorũ sequentiũ solatia sunt. Mira etẽ dispẽsatione diuini cõsilij, & altissimæ cõuersationis arce sic sublimati sunt, ut fortia agerẽt, sibi recta subditis prouiderent, sic sibi quandoq; derelicti, ut ea quæ recta intentione disponerent, secundũ dei prouidentiam recta non essent: quatenus illorum infirmitas, electorũ sequentiũ firmitas fieret: quia etsi ut homines in disponendis sanctæ ecclesiæ negotijs falli possunt, ipsæ tamen ecclesiasticæ dispositiones deserendæ non sunt. Ecce etenim dicit: Factum est autem cum senuisset Samuel posuit filios suos iudices Israel, fuitq; nomen filij sui primogeniti Iohel, & nomen secundi Abia, iudicũ in Bersabeæ. Et nõ ambulauerũt filij sui in uijs eius.] Ecce qui prophetiæ spiritu plenus fuerat, ij quos iudices Israeli ponebat, quia post auaritiã postmodũ declinare debebãt, & munera accipere, & peruertere iudicium nõ cognouit. Quid ergo mirũ si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetiæ gratiam nõ accipiunt: si ij, qui prophetiæ spiritum habent, eundem spiritum ad disponenda cuncta non habent? Quis aũt de tanto uiro dubitet? quia si futuram peruersitatẽ filiorũ prænoscere et, eos utiq; forensibus honoribus non præferret. Qui ergo reprobos scienter prouehũt, hoc prophetæ exemplo sibi blandiri nequaquam possunt: quia tunc solum innoxie agitur, cùm in eis, tempore quo promoti sunt, subsecutæ iniquitatis signa nulla patuerunt. Quare & aptè ij, qui iudices Israeli à Samuele positi sunt, cum ponerentur eius filij dicebantur: ut ex eo non solũ per carnem credantur geniti, sed etiam conuersationis eius splendoribus adornati. Quare & eorũ nomina cautè assignantur: ut ex titulo nominis, illa quæ tunc eis inerat, cognoscat forma uirtutis. Nomen (iniquit) uni Iohel, alterius Abia, iudicum in Bersabeæ. Sed & de illis qui post acceptam dignitatem declinasse ad auaritiam dicuntur, apertè ostenditur: quia antequam eiusdem dignitatis culmen attingerẽt, in eis futuræ prauitatis signa nulla uidebant. Sed ecce dum pastorũ solatia attendimus, gregis dominici non parua pericula intuemur. Nam steterũt subditi, sed in culmine prælationis positi prophetæ filij ceciderunt: ut si nobis sub cura maiorum positis indesinẽs sanctæ uitæ studiũ, aut securitas magnæ conuersationis arrideat, præesse tamen alijs non habeamus in appetitu desiderij, sed in magnitudine timoris. Sed carnales quiq; dum sola uisibilia attendunt, spiritalem sanctorũ cõuersationẽ cognoscere nõ merentur. Pastorũ quidẽ sanctæ ecclesiæ culmen aspiciunt, sed cogitare nesciũt, quàm inuiti illi intus decorem tollerent, quem in splendore culminis foris tenent, quod sublimitatẽ honoris in oppressionẽ magni sustinẽt oneris, quod magno desiderio fugiunt

fugiunt, quod exteriori ministerio prosequũtur.
Conn.2 Testante etẽ egregio doctore didicimus, quod animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Vnde & tanto dementius carnalia sequens erat, quanto per discretionis uirtutem spiritalia nulla iam penetrat. Et nonnulli tales in tantũ dementiæ malum proficiunt, ut commouere ipsum etiã statum ecclesiastici culminis non uereantur. Vnde & sequitur: Congregati ergo uniuersi maiores natu ex Israel uenerunt in Ramatha, dixeruntq; ei: Ecce tu senuisti, & filij tui nõ ambulant in uijs tuis. Constitue super nos regem ut iudicet nos, sicut uniuersæ habent nationes.] His autem qui uiuebant sub spiritali regimine, regem petere, quid aliud est: quam eandem spiritalem prælationẽ in secularem dominationem transferre gestire? Sed sancti uiri cum se à subditis contemni conspiciunt, non tam eis displicet quod contemnuntur, quàm quod contemptores sui deo placent. Eorũ quippe contemptu, suæ internæ gloriæ dari incrementa conspiciunt, sed augeri merita sua subditorum defectibus ingemiscũt, quos sic meritis uellent proficere, ut in æterna meritorum retributione, secum eos, quibus præsunt, habere potuissent, Quare & subditur: Displicuit sermo in oculis Samuelis eo, quòd dixissent da nobis regem, ut iudicet nos.] Hoc nanq; ei displicuit, per quod displicere deo, qui loquebantur, existimauit. Quia uero non simpliciter dicitur, displicuit sermo Samueli, sed in oculis Samuelis, & statim subditur. Et orauit Samuel pro populo dominum,] paulo subtilius ea nos considerare oportet. Sancti uiri qui omnipotenti deo ualde displicere metuũt, in suis iudicijs faciles non sunt, sed cuncta prius rationabiliter intus ordinant, ut ea foris in opere irreprehensibiliter disponant. Nam electionem accipiunt nullam iudici, si non probatur contemplatione rationis. Hos profecto oculos prophetæ dominus aperire uolebat, cum dicebat: Vide oculis tuis et auribus tuis audi. Hinc in euãgelio discipulis dixit: Beati oculi qui uident, quæ uos uidetis.
Ezec.40 Luce 10 Oculi quippe sanctorũ sunt intellectus rationis, reserati per gratiã spiritus sancti. Et idcirco Samuelis esse dicuntur, quia carnales quiq;, etsi per humanã sapientiã rationales esse uidentur, ab huius lumine rationis eo cæciores sunt, quo illis solis oculis uident, quos serpens aperuit. Nam si spiritualiũ uirtutũ fulgorẽ aspicerent, eũ profecto in ornatu suæ mentis habere desiderarent. Tantus siquidem decor earũ est, ut uisus nunquã nõ possit uidentis desiderio cõcupisci. Sapientes ergo seculi cum se oculos rationis habere arbitrant, ex hoc cognoscere possunt: quàm demẽter insaniãt, quia uirtutum sanctarũ pulchritudine non illici, earũ profecto gloriam non solum cernere sed nec somniari est. Sancti ergo uiri, qui iam illuminatione sancti spiritus in internorum amore obligati sunt mentis suæ oculos ad uidendam intimæ claritatis gloriã tanto clariores habent, quanto de mũdi caligine in desiderio nihil habẽt: & discernere carnalia tanto rectius possunt, quanto longe à carnalibus assumpti in spiritus sancti gratia altius profecerunt. Vnde & apostolus Paulus de experientia tantæ uisionis sententiam prorulit, dicens: Spiritalis iudicat omnia. Bene ergo dicitur: Displicuit sermo in oculis Samuelis,] quia à uiris spiritalibus nil ante despiciũ, quã despiciendũ esse per spiritalem mentis intuitum iudicetur. Et quia quo abundantiori gratia spiritus sancti pleni sunt, de uirtutis suæ celsitudine nõ præsumunt, Sequitur: Et orauit Samuel dominum.] Quid enim dominum orauit, nisi ut sibi dignaretur ostendere si tumultuãtis populi petitioni assensum dare debuisset? Dixit autem dominus ad Samuelẽ: Audi uocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim abiecerunt te, sed me, ne regnem super eos, iuxta omnia opera sua quę fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto usq; ad diẽ hanc.] Quia oranti prophetæ dicitur, constitue super eos regẽ, planè ostenditur, quia an hoc faciendũ esset, sibi reuelari postulauit. Et quia subdens ait: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.] aptè ostenditur, quantum sibi sermo displiceat, quem in oculis Samuelis displicuisse perhibet. Quæ cõuenientia iudicij in sanctis orit ex uirtute charitatis: quia dũ ex tota mente conditorem diligunt, & eius uoluntati obedire deuotè conant, ex præmio supernæ retributionis accipiũt, ut ab eadẽ dei omnipotẽtis uolũtate aliter sentiẽdo nõ discrepẽt, quã in bonis operibus semper tenẽt. Scriptũ quippe est: Qui adhæret deo, unus spiritus est. Dño quippe adhæret, qui præcepta uolũtatis eius facere semper studet. Sed unus spiritus cũ eo fit, quia ex diuturna deuotiõe pij operis, in tantã gratiã diuinæ cognitionis assumit, ut ab interni eius æquitate iudicij per errorem mundani spiritus dissentire ultra non possit. Sed ualde difficile respondet, si quæritur cur omnipotẽs deus & abiectum se in regis petitione cõquerat: & tamen id quod petebat fieri decernat. Rursumq; si dignitas regia ordinãda fuerat, cur uelut indignata dei maiestate fuerit permissa. Et cũ postea rex eligi decernat, cur reprobãdus eligit? Quid ad hęc aliud respõdere possum⁹, nisi id ipsum apostolus Paulus, ineffabilẽ abyssum iudiciorũ dei perscrutari audentib⁹ respõdebat: Ho Rom.9 mo (inquit) tu quis es, qui respondeas deo. Sed si hoc efficaciter diffinire nõ possumus, tangere inquirendo possumus. An fortasse abiectũ se in regis petitione conquerit, pro reproba uolũtate male petentis populi: petitus rex concedit, pro uindicta: Quod si rationabiliter dicitur, dum utrunq; posuit, & culpã, & ultionẽ pariter ostendit. Ex reproba quippe uolũtate iniusta postulasse conuincitur, qui abiecisse conditorem petendo monstratur. Culpam ergo malę petitionis, insecuta est pœna districtę æquitatis. Magna etenim uindicta est quæ ex districtione procedit interni examinis: quando reproba mens sic proijcitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Qui ergo in petendo rege dñm abiecisse cõuicti sunt, dũ id eis permitteret agere, per quod à se dominũ abijcerent: grauior pœna non erat, qua hic plecti debuissent.

Quo in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo in loco notandum est quia abiectionem pro phetæ dominus suam facit. Non enim simpliciter dicit abiecerunt me, ne regnem super eos: sed nō te abiecerunt sed me, ne regnē super eos. ut profecto ostēdat, quia in persona electi præsulis ipse suis subiectis præeminet, & cum ad spiritale culmen electorum carnalis rector assumitur, ipse abiici uidetur, cuius præcepta dissipantur. Ergo q̄ reuerendi sint optimi pastores sanctæ ecclesiæ liquet. Ecce enim dū fideliter deo seruiūt, tanto eis amoris uinculo cōiungit̄, ut quicquid eis ingerit̄, diuinæ iniuriæ adscribatur. Vnde & in euangelio primis ecclesiæ pastoribus dicit: Qui uos spernit,
Lucæ 10 me spernit. Vbi etiā aliquid grauius cernit̄: quia cum abiectum pastorem conqueritur, abiicientiū peccata omnia, & parentum etiam mala memorātur. Iuxta omnia (inquit) opera sua, quæ fecerūt à die qua eduxi eos de terra Ægypti.] Summum nanq; crimen agnoscitur, ad cuius discussionem in dei memoria præterita cuncta peccata reducuntur. Et abiectum ergo se dominus conquerit̄, & tamen ordinare in quo abiicitur cōcedit: quia cum districtæ æquitatis suæ uirtutem exequitur, ab eo carnalium desideria impleri per eius miseri cordiam nequaquam prohibentur. Sed & quæ cōcedi dignitas pro uindicta potuit, non tranquilla maiestate diuinitatis concedi debuit, sed uelut indignata. Indignatam uero maiestatem dei non in seipsam asserimus, quæ passioni non subiacet: sed quia dum culpas discutit indignationis uerba per scripturas dicit. Item quia in typū carnaliū prælatorum assumitur, reprobandus rex eligitur, non electus. Vel fortasse idcirco reprobus rex eligit̄, ut electus successor eius rex Dauid in eo cognosceret, quid cauere debuisset. Sic nimirum & de illa angelorum curia legimus, quia de apostata primo angelo scribitur, ipse est principium uiarum dei: sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, & in eius ruina sancti angeli didicerūt
Iob. 40 qua uirtute stare potuissent. Quod nimirum, qui apertis rectæ fidei oculis, intueri poterit, pariter attendit: quia omnipotens deus etiā tunc magnæ misericordiæ dona tribuit, cum uindictā irrogat: quia dum reprobos punit, sanctos erudit: ut unde illi deficiunt, isti in suis profectibus adiuuent̄. Districto siquidē iudicio permittit mala fieri, sed misericorditer prouidet de his malis, quę per iudicium irrogat, quæ bona facere disponat. Nā quæ maior culpa quā illa qua omnes morimur? Et quę maior bonitas quàm illa per quàm à morte liberamur? Et quidem nisi Adam peccaret, redemptorem nostrum carnem suscipere nostrā non oporteret: non enim uenit uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiā. Si ergo pro peccatoribus uenit, si peccata deessent, eum uenire non oportere t. Si peccata, ad quæ delenda uenisse credit̄, per iustitiam dei permissa esse sentiuntur: dū pro peccatoribus deus homo nasciturus erat, ex illo malo quo morituri erant, bonum quod malum illū uincere t, omnipotens deus sese facturū prouiderat. Cuius profecto boni magnitudo, quis fidelis non uideat, q̄ mirabiliter excellat? Magna quippe sunt mala, quæ per primæ culpæ meritū patimur, sed quis electus nollet peiora perpeti, q̄ tantum redemptorē nō habere? Eligatur ergo rex, sed reprobandus, eligatur uelut in indignatione, nō uoluntate dei: subsequatur ergo rex iuxta cor dei, ut ex iudicij eius districtione uindictæ malum procedat in reprobos, & bonum, quod ex malo facturus erat, per largitatem diuinæ gratiæ redundet in pios, dum illi in malo, quod cupiunt, cadere permittuntur, sed unde se illi præcipitāt agitur, ut alij nequaquam cadant. Sed quia his uerbis iudicium diuinæ districtionis asseritur, uideamus iam quanta dispensatione utitur, ne id male deliberantes agant, unde puniantur. Nam sequitur: Nunc ergo audi uocem eorū: Veruntamen cōtestare eos, & prędic eis ius regis, qui regnaturus est super eos.] Quasi aperta ostensione clementiæ dicat. Sic audi uoces eorum, ut tamen ipsi prius de iure regis, quē petunt audiant quod expauescāt, & uelut tūc male cœpta deserant, cū quàm sit res onerosa, cognoscitur, quam petebant. Sequitur. Dixit itaq; omnia uerba domini ad populum, qui petierat à se regem, & ait. Hoc erit ius regis, qui imperaturus est uobis, filios uestros tollet & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites, & persecutores quadrigarum suarum: & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorū, & curruū suorū. filias quoq; uestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas: agros quoq; uestros, & uineas & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes uestras, & uinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam uestros, & ancillas, iuuenes optimos & asinos auferet, & ponet in opere suo, greges quoque uestros addecimabit, uosq; eritis ei serui.] Cū à carnalibus subiectio quæritur, profecto quicquid præcipitur eis graue est, & si non sit difficile: quia cùm ex superbiæ tumore habeant, ut propriæ uoluntatis arbitrium sequantur, quicquid eorū deliberationi obuiat, grauissimum pensant. Iam uero cum dura & contraria iubentur, quæ eis est moles oneris? qui tumor cordis? cum ferre etiā blanda, & leuia uix nolentes possent, quæ si uellēt, facillime pertulissent. Videamus ergo stultæ audaciæ hominis, quàm dignè respondeat pia dispensatio conditoris. Iura hominum proponuntur cōtemnentibus iura dei: & his qui mitia & salubria diuinitatis consilia spreuerant, dura & importabilia humanæ seruitutis onera prædicuntur: ut ex his secū rationem facerent q̄ intolerabilia essent imperia hominis eis, qui nō tam imperātis quàm monentis dei, ne id peterent, consilijs obedire noluissent. Sed habent corda carnalium temeritatē ex incremento audaciæ, habent duritiam ex simulationis ratione: Ex temeritate quidem facile agēda deliberant, sed quia quod malè proponunt, nō intelligunt, meliorum consilijs adiuuari non possunt. Quare & hic quoq; subditur. Noluit populus audire uocem Samuelis, Et dixerunt nequaquam

Christū incarnari non oportuisset, nisi Adam peccasset.

Regis iura

quã. Rex enim erit super nos, & erimus nos quo- A
que sicut omnes gentes, & iudicabit nos rex no-
ster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella no-
stra pro nobis.] Magnæ quidem temeritatis extit,
cõtra dei uoluntatẽ regem petere, magnæ du-
ritiæ cõsilijs prophetæ uinci non posse. Magnę te
meritatis fuit ei rationes proponere, quẽ sciebant
cuncta quæ acturus erat, reuelante domino prius
scire: magnæ duritiæ illi non acquiescere, quẽ no-
uerant ea tantum, quæ domino reuelante didice-
rat, imperare. Nam quid est quod respondentes
dicunt, Nequaquam, sed rex erit super nos?] Sed
qui nequaq; dicunt, profecto id negant, q; audi-
unt. Aperte ergo in hoc uerbo ostendit, quia ad
hoc propheta graue ius regis exposuit, ut nequa- B
quam peteretur. Ius uero regis audiunt, & id pro-
pter quod exponitur detestantur: ut reproborum
cordium profectus exprimat, in quibus mali pro
positi consummatio est, & incõuertibilitas uolun
tatis sed nos antiqua tempora reprehendimus,
qui nostra uidere non curamus. Quæ nimirũ tem
pora, quo senescente mundo uetustiora sunt, eo
& in pluribus per teporis ac negligentiæ uitiũ re-
missiora. Tanto etenim audacius nũc mala propo
nimus, quãto iam cum robusta iuuẽtute seculi, ro
bur exaruit humanę conditionis: tanto difficilius
quod male est propositũ reuocamus, quanto ex
laxato uigore spiritus, mens nostra carnalis effici
tur. Ita enim sunt humani lapsus, ut quod in spiri-
Osee.10 tuali uirtute deficit, in carnali uita roboretur. Om C
nia quidem hæc iuxta egregij doctoris uocẽ: in fi
gura contingebant illis, scripta sunt autẽ propter
nos. Iam quidem aperte cognoscimus horum Isra
elitarum audaciam, quæ diuinæ indignationis iu-
dicia secuta sunt: & tamen contra uoluntatem dei
contra prælatorum sanctæ ecclesiæ consilium a-
genda proponere non timemus. In malo quoque
proposito reprehensi resistimus, & salubria maio
rum consilia insuperabili malo peruicaciæ uince-
re conamur. Videmus quanti mali incrementũ
sit, pereuntes aspicere, & sequi ad perditionem eo
rum uestigia non timere: pœnales laqueos mor-
tis incurrentes cernere, & eisdem laqueis irretiri,
nequaquam metuere. Et illi quidẽ contra domini
uoluntatem regem petierunt, sed à regia dignita- D
te postea actum est: ut populus, qui deum abiece-
rat, idola coleret, simulachra adoraret: Quam re-
uerenda ergo sint maiorum consilia cernimus, si
hoc sollicitè cõsideramus: quia qui ea despicere
ausi sunt, hoc se non prouiderunt agere, unde tam
profundo erroris pelago demergi potuissent. Me-
rito igitur se abiectum dominus in regis petitio-
ne conqueritur, merito regiam dignitatem conce
dit indignatus. Tanta quidem erat iniquitas po-
stulantium, ut cum illud peterent, per quod à deo
recederent, ex dei iudicio permitti posset, prohi-
beri non posset. Quia uero hæc iuxta literam dixi
mus, quid etiam spiritualiter designent ea quæ eõ
tinentur in iure regio, uideamus.

Caput 11

Biecto etenim Samuele, rex peti
tur: quando reproba multitudo
populi spiritualem pastorem de-
spicit, & præesse sibi carnalẽ quæ
rit. Cũ quibus sæpe diuinæ æqui-
tatis districtione agit, ut eo ipso
quod electum prædicatorem despiciunt, sub esse
reprobo permittantur: ex cuius imitatione tanto
deterius pereant, quanto maiori superbia id, ex
quo uiuere in æternũ poterant, audacius contem
nebant. Cum ergo ius regis prædicitur, nimirũ in
unius carnalis præpositi conuersatione ostendit,
quod carnales cæteri ex tyrannide acturi sunt, nõ
quod electi debeãt imitari. Nam in eadẽ Regum 3.Reg.21
historia legitur, quia cum rex Achab Naboth ui-
neam abstulit, iram dei omnipotẽtis incurrit. Hic
uero cum ius regis prædicitur, agri, uineæ, & opti
ma oliueta tollenda esse memorantur. Cum ergo
hic prædicitur, quod commissum illic punitũ est:
ostendit, quod diuino iudicio non iubetur. Quare 1.Para.21
& electus rex Dauid cum ad ædificandum altare
domino, Ornam Iebusæi aream peteret, regio il-
lo tyrannorum iure non uti uoluit: cum eam acci
pere nullatenus acquiesceret, nisi ante pro ea di-
gnum precium dedisset. Quia igitur ea, quæ in iu-
re regio continentur uitanda potius quam imitan
da prædicuntur, eo subtilius consideranda sunt,
quo uitari nequeunt si nesciantur. Ait ergo: Filios
tollet, & ponet in curribus suis.] Filij electorũ ij
sunt, qui eorum uirtutes imitantur. Currus etiam
carnalium prælatorum sunt, fastus mundanæ ela-
tionis. Nam dum cæteris se sublimiores esse glori
antur, quasi curribus uecti, per alta gradiuntur.
In curribus ergo fidelium filij ponuntur quan-
do pastores reprobos, per appetitum mundanæ
gloriæ sequuntur: cum relictis spiritualibus stu-
dijs, carnalis uitæ commoda expetunt: & deposi-
ta illa sublimi intentione cœlestium, alta seculi as-
sequi conant: Bene itaq; non in curru, sed in curri
bus ponendi Israelitarum filij dicuntur: quia ex o-
mni, quod præcellit in carnalium prælatorũ cul-
mine, proficiunt in elatione, & quasi tot sublimi-
bus curribus in alta se eleuant, quot alta conspici-
unt, quibus alijs se superiores putant. Bonorum
ergo filios rex in curribus ponit, quando carnalis
rector electorum imitatores exemplo suæ praui-
tatis ad elationis uitia pertrahit, ut cœlestia post-
ponant, terrena appetant, & in hoc solo gaudeãt,
si ex eo, quòd temporaliter altum uoluitur, cæte-
ris præferantur. Et quia contra minores no solum
erecti: sed etiam fortes sunt. Sequitur: Et faci
et sibi equites.] Velut enim in equis sæuiunt,
qui & sublimes sunt dignitate, & potentia truces:
Equites quoq; sunt, quia dum feroces cordis sui
motus cõtra impotẽtes dirigunt, ad omne, quod
per tyrannidem exercere appetunt, ueloces sunt.
Anhelant quippe impetu: spumant rabie, & quos
cursu tyrannidis impetunt, elidunt. Sed dum in
pastoribus reprobis alij mũdanæ elationis fastus
æmulantur, alij eorũ exemplo quos ualent oppri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

munt,nonnulli etiam sunt qui ad exercenda ma- A
la,quæ per seipsos bonis inferre nequeunt,nequi-
ores se alios introducunt. Vnde & sequit:Et præ-
cursores quadrigarum suarum.] Quæ sunt enim
quadrigæ regis,nisi peruersæ mentes malorũ sub-
ditorum,in quorum consilijs prælatus reprobus
requiescit? Quadrigæ etenim sunt,quæ reges por
tant:dum per iniqua consilia prauorũ,acta recto-
rum adiuuantur. In eis quippe quasi per sublime
rex ducitur:dum per eos, qui ad temporales ho-
nores eis fauent, quicquid carnales præpositi de
altitudine seculi in desiderio uolunt,exequuntur,
Qui rectè quadrigarũ nomine designantur. Qua
driga enim inde stat unde uoluitur: quia reproba
mens finem suæ intentionis habet seculi uolubili B
tatem. Inde quidem requiescit, quo per innume-
ras curas mentis rotantis mundi negotia uentila-
re non desinit. Regũ ergo quadrigæ sunt, dũ per
omne,quod altum uoluendo cogitant, in se car-
nalium præpositorũ iussa portant. Sed qui locũ fa
miliaritatis iuxta carnales prælatos habent,habẽt
minores quibus imperent. Ipsi ergo uelut quadri
gæ regis sunt,illi præcursores quadrigarũ:quia eo
modo,quo carnalem præpositum ad opprimen-
dos humiles inuehunt,ipsi quoq; ad nocendũ qui
bus possunt,per aliorum ministerium deducunt.
Quasi enim quadrigarum præcursor est, qui ini-
qua mentis suæ uersutia artem cogitat, per quam
illum ad inferẽda mala mitibus introducat. Si ue-
ro ut plerique codices habẽt, non præcursores, sed C
persecutores quadrigarum legimus, profecto ij
sunt qui reprobos ad malum currentes imitãtur.
Quadriga etiam honoris causa portari regibus so
let. Quali ergo in quadriga rex sistitur, quando
carnalis rector de magnorum, qui uidentur iuxta
se,adulationibus gloriatur. Qui uerò istos in eorũ
laudibus præcedit,aut sequit, præcursor seu per-
secutor est quadrigarũ, quia adulationes isti uel
post,uel antea proferunt,quas illi in auribus po-
puli præeundo, aut subsequendo sparsere. Se-
quitur: Et constituet sibi tribunos, & centurio-
nes.] Tribuni,& centuriones fiunt, cum in tantũ
mali profectum ueniunt,ut ad exequenda tyran-
ni imperia, impijs satellitibus principantur, cum
mundanarum uirium acies ordinant, quas ad in- D
nocentium bella producant. Tribuni quidẽ sunt,
qui per plures sibi fautores rectè uiuentibus insi-
diantur. Centuriones uero sunt,qui nulla nocen-
di genera prætermittunt. Ex eo enim perfectio-
nem iniquitatis obtinent, quo multa & ingentia
mala quæ possunt,inferre semper studeant. A cen-
tenario quippe numero centurio dicitur. Et quia
centenarius numerus perfectionem significat, in
mala parte perficitur,quando ad summam nequi
tiæ ab impijs peruenitur. Qui nimirum calliditate
suaues sunt,terrore uiolenti. Suauiter quidẽ blan-
diũtur alijs,ut eorũ auxilio terrere alios ferociter
possint. Bene itaq; subditur:Et aratores agrorũ su
orũ,& messores segetum.] Carnalis præpositi a-
gri mentes sunt subditorũ: aratores uero horum
agrorũ sunt,qui arte secularis ingenij,eis suadent

acta prauitatis. Velut enim agrorũ soliditatem lo
quendo aperiunt,qui per reproba consilia simpli
ciũ corda corrumpunt. Et segetes metunt, quan-
do semine praui consilij decepta corda minorum
fructũ reddũt malę operationis. Quæ profecto o-
pera segetũ appellatione designantur: quia per-
uersitas reprobi subditi, dum à carnalibus rectori
bus gaudenter excipitur, eorum quasi electus est
cibus mentis. In qua certè peruersitate, quia pau-
latim proficiunt,Sequit:Et fabros armorũ,& cur
ruũ suorũ.] Quæ sunt arma & currus tyrannorũ,
nisi illa omnia nocendi instrumenta, quæ ad euer
tenda corda minorũ præparantur? Sed quia cur-
ru peruenit,quo armis feriatur:armorũ & curruũ
regis fabri fiunt,quando nequissima cordiũ suorũ
machinatione inueniunt,& mala quæ agant & ea
dem mala inuenta qualiter inferant. Arma quip-
pe fabricare est, nocendi genera reproba mente
colligere. Et currus fabricare est,ad eadẽ mala in-
ferenda artem,qua accedere possint,inuenire. Se
quitur: Filias quoq; uestras faciet unguentarias,
& focarias,& panificas.] Filiarũ nomine infirmo
rum mentes intra sanctam ecclesiam positæ desi-
gnantur. Quæ regis unguentariæ fiũt:quia dũ car
nales præpositos in celsitudine gloriæ transeun-
tis aspiciunt,eos delinire adulationibus conãtur.
Horum profecto unguentorum usum Psalmista
reprobans,ait:Oleum peccatoris non impinguet
caput meum. Filiæ ergo unguentariæ fiunt: quia
dum carnalibus præpositis infirmi displicere me
tuunt,eorũ feritatẽ,cui timendo subiacent, blan-
dimento demulcent. Et notandum quia filij prius
dicuntur à rege tolli,& sic equites,& centuriones
siue armorũ fabri fieri:filiæ uero non tolli, sed sim
pliciter unguentariæ,& panificæ fieri. Tolli ete-
nim uiolentiæ est. Filij ergo tolluntur,quia robu-
sti difficile euertuntur. Dum igitur filiæ non tolli,
sed unguentariæ fieri perhibentur, quid est aliud,
nisi quia infirmi in bono sunt,per exempla prauo
rum facile dissipantur? Quæ etiã focariæ,& pani-
ficæ regis fiunt: quia qui tyrannis adulando serui
unt, dum fauendo placent, uelut cibos exhibent.
Focariæ etenim sunt,quæ focis coquunt, quæ re-
ges comedunt. Focariæ ergo sunt, quæ per obse-
quia fauoris carnali præposito accendũt tumorẽ
cordis,ut eo audacius fauores excipiãt,quo uelut
delicatores sibi cibos ignis excitatæ deuotiõis pa
rat. Quę etiã panificæ fiũt: quia dum reprobã uitã
laudant, carnalem mentem tyranni ad exercendã
prauitatem roborant. Sequitur: Agros quoq;
uestros tollet,& uineas, & oliueta,& dabit seruis
suis.] Qui sunt agri bonorum,nisi deuotę mentes
subditorum: quæ dum eorum uerba libenter au-
diunt, bonorum operum uberem fructũ reddũt?
Quæ autem uineæ eorũ, nisi mentes eorũ ita imi-
tatione proficientium, ut etiam alijs uerbum uitæ
præbeant,& quos loquendo in amorem condito
ris accendũt, uelut potando ebrios faciant. Quæ
uero oliueta sunt,nisi corda auditorum,qui bono
rum exemplo,& exhortatione proficiunt in opus
misericordiæ? Sed dum rex constituit agri tollun

tur

tur:quia dum carnales perueniunt ad culmen regiminis, nonnulli bonorū auditores exempla suscipiunt prauitatis. Tolluntur ergo agri, cùm nuper deuota corda seducuntur:quando ex nequitiæ semine fructū reddunt in maligna conuersatione. Oliueta, & uineæ tolluntur, cū exemplo mali præpositi misericordiæ opera, & sanctæ prædicationis uerba exhibenda, & loquenda deseruntur. Bene aūt seruis regis dari ablati agri, & uineæ, & oliueta memorantur. Serui quippe sunt, qui dominorū iuri semper subditi, euadere nequeunt iuga dominationis. Serui itaq; sunt regis qui per abūdantem iniquitatē, sic se tyrannorū uoluntatibus obligant, ut ab eis ulterius non recedant. Ablatos ergo agros, & uineas, & oliueta serui suscipiūt: quia reprobi fautores prælatorum carnalium, dum decepta corda in propositū transferunt praui operis, uelut electorū agris, uineis, & oliuetis titulum imponunt tyrannicæ potestatis. Sequit. Sed & segetes uestras, & uinearum redditus addecimabit ut det Eunuchis & famulis suis.] Cum mali præsunt, difficile ualde est, ut qui eis subijcit, nulla religionis damna patiatur. Aliorū nanq; mentes omnino pereunt: sed ij quos peruertere penitus nequeunt, dum incessanter & uerba & opera eorū praua conspiciūt, qualicunq; sorde maculant. Bene ergo dicitur segetes uestras, & uinearū redditus addecimabit. Quasi dicat sub pastore reprobo electorū etiā bona integra nō sunt. Sed quod bonis demitur, eunuchis, & famulis regis datur. Eunuchi, & famuli carnaliū prælatorū, sunt eius audi tores hypocritæ. Eunuchi quidē sunt, quia seculārem uoluptatē se abiecisse ostendūt: sed regis sunt famuli, quia per omne quod de uirtutibus se habere simulant, in se reproborum præpositorum impositum iugum portant. Bene autem segetum, & uinearum decimæ eunuchorum esse referuntur: quia hypocritarum uirus leuiter nō agnoscit. In quo dum sancti etiā uiri possunt decipi, quod perdunt, illis adscribitur, quorum fraude capiuntur. Sequitur: Seruos etiam uestros & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.] Serui, & ancillæ sanctorum sunt, qui eis temporalia necessaria subministrant. Serui, & ancillæ sunt, quia dum eis corporū necessaria tribuunt in eodē opere misericordiæ, alij alijs robustiores sunt. Et optimi iuuenes, quia & qui multū, & qui parum possunt, dum omne quod præualent, in opere misericordiæ expendunt, uelut electi iuuenes diuina seruitia ualenter operant. Asini quoque electorū sunt, quibus ferenda onera obedientiæ imponunt, ut eorū fragilitatē adiuuent, dum ea cum eis portāt, quæ sine eis portare nequaquā possent. Quid est autem, quod in opere regis ponendi prædicūtur? Sed qui in opere regis ponuntur, diebus constitutis, debitum persoluunt angariæ, iuri publicę potestatis. Quid est ergo quod in opere regis serui & ancillæ, & iuuenes optimi ponendi prædicuntur, nisi quia præeminentibus carnalibus, & electorum ministri, & deuotè obedientiū corda plerunq; maculant? Nā dū reprobā eorū uitam indesinenter aspiciūt, paulatim sic decidūt, ut aliquid de eorum factis imitent. Ex longo quidem usu electis seruiunt, sed dum sæpe uident eorum excellentiā culminis, seruiri sibi ab alijs quādoq; appetūt per impulsum elationis. Sua quoq; misericorditer tribuunt, sed tyrannorū sępe exemplo aliena tollunt. Sed quia serui sanctorum sunt, de iure eorum exire non possunt. Ad horam quidem possunt deseri, sed ab errore in quem decidunt, per diuinam misericordiam facile subleuantur. Quia ergo per exemplа prauorum corruunt, qui cito resipiscunt, uelut per angariā ponuntur in regis opere, in quo diu non permanent per cōtinuam seruitutem. Sequitur: Greges quoq; uestros addecimabit, uosq; eritis ei serui.] Quasi dicat, dum pastor uobis carnalis præponitur, nō solum uestris, sed etiam uobismetipsis uirtutum prędę inferuntur. Greges etenim electorum, sunt turbæ uirtutum spiritalium. Quia uero & ipsæ spirituales uirtutes exemplo prauorum dissipant, rex decimas tollit gregis, quādo is qui carnaliter præeminet, in sanctorum cordibus aliquas uirtutes perimit. Decimas tollit, quia dum mentis integritatem dissipat, uirtutum numerum imperfectum derelinquit. Denario quippe numero perfectio designatur. Vnde & cum lapsæ humanitatis nostræ damna dominus aperta comparatione ostenderet, mulierem, quæ de decem dragmis unā per Luc.15
diderat, in medium ducit: ut per hoc quod denarius numerus perijsse ostenditur, superna illa societas, quæ nouenario numero remansit in Angelis sine reparatione conditionis nostræ, imperfecta esse doceatur. Et quia decimæ per annos singulos exiguntur, aptè qui decimas offerre nō desinunt, serui esse regis perhibētur. Eis quippe per annos singulos seruiunt, quorū exemplo sæpe peiores fiunt. Possunt & per hoc quod post datas decimas seruitus ista asseritur, mali profectus ostendi. Nā qui paulatim deficiunt, quotidie agunt, unde ad iniquitatis profunda deducant. Dicit ergo: Greges uestros addecimabit, uosq; eritis ei serui.]
Quasi dicat: Malorum exemplo paulatim decidētis, sed cadendo agitis, ut ab eorū imitatione nunquā recedatis. Scriptū quippe est: A quo quis uincitur, eius seruus efficitur. Quia enim per imitatio 2.Pet.2
nem pastoris reprobi, in peccati seruitutem incidunt, etiā ab eius iugo quando uolūt solui nō possunt. Vnde & subditur: Et clamabitis in die illa à facie regis uestri quem elegistis uobis, & nō exaudiet uos dominus in die illa, quia petistis uobis regem.] Quasi dicat, in notitiam prauæ imitationis eius paulatim defluitis: sed prauitatis eius exempla, quib. uos sponte submittitis relinquere spōte minime potestis. Omnis enim qui facit peccatū, ser- Ioan.8
uus est peccati. Quibus ergo peccata dominātur, per se ab eorum iugo liberari nequeunt. Nam sæpe ad dominum cum precibus ueniūt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Diuino siquidem iudicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala uitare, cum possent: non possint uitare, cum uolūt: & qui sponte incurrunt mala prægnita, fugere nō

Universidad de Deusto
Biblioteca

possint experta. Quare & causam insinuans, qua exaudiri prohibeantur, ait: Quia petistis uobis regem.] Quasi aperte dicat: Quia illud uobis dari postulastis, in quo hæc omnia futura, me prædicente, cognouistis. Hæc (ut superius dixi) in typo prælatorum carnalium, de futura regis cõuersatione prædicuntur: ut ab eius petitione quiescerent, in quo tãta mala cognouissent. Sed habent corda reproborum, ut malum cito proponant: & à malo proposito non celerius resipiscant. Quare & subditur: Noluit aũt populus audire uocem Samuelis, sed dixerunt, nequaquam. Rex enim erit super nos, & erimus nos quoq; sicut omnes gentes, & iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.] Quibus profecto uerbis mores subditorum carnalium aperte describunt: quia dum exteriora appetunt, interiora damna etiã exposita non attẽdunt. Sed qui carnaliter prẽsunt, ipsa ostensione temporalis potentiæ subditis sibi minoribus magnã spem dant tutelæ. Dum ergo dicũt rex erit super nos, & pugnabit bella nostra pro nobis: quid aliud, quàm reproborum subditorũ mores insinuãt, qui humiles & spirituales prædicatores despiciunt, ut tẽporaliter à carnalibus adiuuentur. Quod certe nullatenus agerent, nisi prius lumen cordis amisissent. Nam si spiritalium uirorum humilitatem foris despiciunt, sed qua potestatis sublimitate intus emineãt, cernere non merentur. In illis quoq; externã potestatis tyrannidem uidẽt, sed qua infirmitate intus deprimantur non uident. Isti quia deo adhærent, cum uolunt, etiam in exterioribus potentes sunt: illi quia à domino recedunt, spem quã promittũt de potentia seculari, exhibere non possunt fortitudine operationis. Infra.10 Nam ut de uicino exẽpla capiamus, Saul ad pugnanda bella regem postulantium, fortis, & potens eligitur: ita ut sacra hac historia teste, ab humero, & sursum populo uniuerso emineret: à deo igitur ad regni gubernacula electus, cũ bonus existeret, & de filijs Israel aliquis melior illo non esset, tamen cũ tantus, ac talis uir carnali fortitudini relinquitur, bella perdidit, quę Infra ulti. pugnaturus acceperat, & uitam pariter amisit. Samuel autem, qui seculi potentia sublimis non extitit, qui humiliter non solum deo, sed etiam hominibus ministrauit: de exterioribus quoque bellis trophea potenter exhibuit. Nam non ualde supra Supra 7 de eo dictum est: Tulit Samuel agnum lactantem unum, & obtulit illum holocaustum integrũ domino, & clamauit Samuel ad dominum pro Israel, & exaudiuit eum dominus. Factum est autem cum Samuel offerret holocaustum domino, Philistim iniere prælium contra Israel. Intonuit autẽ dominus fragore magno in die illa super Philistim, & exterruit eos, & cæsi sunt Philistim à filijs Israel. Dicat ergo noluit populus audire uocẽ Samuelis, ut in eorum inobedientia superborũ corda designentur. sic diuinæ æquitatis iudicio proiecta, ut magna mala immineant, quæ incursuri sunt: sed tamen ea uidere non possint. Sequit: Et audiuit Samuel omnia uerba populi.] Hoc profecto Samuel audiuit, quod populus locutus est, sed ipsum populus nõ audiuit. Populo eñ reprobo loqui, & non audire fuit, uerba contra dei uoluntatem promere, sed pœnam prauæ locutionis minime prẽuidere. Samuel aũt populi uerba audiuit, quia spirituales uiri dum superbę locutiõis uoces audiunt futurum in eis diuinæ ultionis meritum recognoscũt. Dicat ergo audiuit Samuel omnia uerba populi: quia sancti, ac spirituales uiri quicquid carnales superbè foris insonãt, quale sit in diuino iudicio intus pensant. Sed quia dũ carnalium subditorum damnabilem uitam reperiũt, pro delendis eorũ criminibus intercedũt, sequit: Et locutus est ea in auribus dñi.] In eorũ auribus loquimur, apud quos magnæ familiaritatis gratiam habemus. Sancti autem uiri, quia omnipotenti deo in magni amoris uinculo coniuncti sunt, ei in auribus loquuntur: quia diuinæ propiciationis eius auditum tanto fiducialius expoſcunt, quãto apud eius misericordiam impetrandi locum sublimius acceperunt. Peccata uero populi loquuntur pro humilitate confessionis, sed in auribus loquũtur domini: quia cum magno affectu precis, ianuam pulsant dominicæ propiciationis. Sed fortasse in auribus domini loqui dicitur, quia dum sancti uiri pro peccatoribus obsecrant, preces, quas pro eis deo offerunt, hominibus non reuelant. Vnde & in euangelio dominus prohibet discipulos, dicẽs: Cum oratis nolite fieri sicut hypocritæ tristes Mat.6 qui amãt in synagogis & in angulis platearũ stantes orare, ut uideãtur ab hominibus: Verba ergo siue opera populi loquuntur, cum delicta locutionis & operis orationibus delenda domino exponunt. Ea uero in auribus domini loquũtur, ut dũ hominum testimonia orantes fugiunt, ab eo qui occulta respicit, celerius audiantur. Dum ergo in auribus domini Samuel loqui perhibetur, modũ profecto insinuat, quo quis aditum mereatur diuinę dignationis. Nam peruenire ad deum oratio nequaquam potest, quæ ex intentione promitur, ut ab hominibus agnoscatur. Vnde & qui in auribus domini locutus asseritur, responsa eius etiam percepisse perhibetur. Nam sequitur: Dixit autẽ dominus ad Samuelem: Audi uocem populi, & constitue super eum regem.] Qua in re notandũ, quia Samuel uerba populi, quibus regem petierat in auribus domini locutus est, & dominus se abiectũ asserit in eo quòd populus regem petit. Dum igitur oranti respondet, & regẽ facere orantem iubet, quid aliud insinuat, nisi quia deuota electi uiri oratio nunquam est infructuosa? Nã si populi correptionem non obtinuit, eruditionis suæ bonum obtinuit, cum abiectum populũ pro mala petitione cognosceret, sed & nihilominus sciret, quid facere proiectis ipse debuisset. Audiri ergo propheta potuit, & non audiri: quia orando qualis esse deberet nouit, sed à populo reproba postulante duritiã cordis nõ abstulit. Sed hoc obtinere ille potuit, qui in auribus domini locutus est: quia sancti uiri eoipso, quo deuotè pro peccatoribus dominũ obsecrant, diuinę propiciationis

auxilio

auxilio muniuntur,ut eorum criminibus nequaquam polluantur quorum sordes delere precibus nequeunt. Quid uero est,quod Dominus ait: Audi uoces eorũ,] cũ superius dictũ sit audiuit Samuel omnia uerba populi. Sed uerba populi audierat,ut sciret,quæ dicebantur,nõ ut quæ petebantur,concederet. Dum ergo ei à dño dicitur: Audi uocem populi,& constitue super eum regem, fauere uolũtati populi prophetam iussit. Et ecce ut palam cernitur,propheta orans,non auditur, populus deũ abijciens,regemq; petens auditus est.] Quid hoc esse dixerimus, nisi quia miro & tremendo diuinæ incomprehẽsibilitatis iudicio sancti uiri pro reprobis orantes exaudiri nequeunt, in adimplendis uero suis prauitatibus, audiri ipsi reprobi delinquẽtes possunt: ut illis libera iniquitas æternæ uindictæ meritũ augeat, & istis ex affectu compassionis merces perpetuæ retributionis accrescat. Et statim eum ordinẽ quo ad eiusdẽ regis constitutionem uentum sit ostendere incipiens,ait: Et ait Samuel ad uniuersos filios Israel: uadat unusquisq; in ciuitatem suam.] Cum spiritualia discutere uolumus,necesse est, ut ab intentione nostra carnalia remoueamus: quia mens interna non penetrat,quam exteriorum actuũ puluis cæcat. Dum igitur propheta domini omnem populum abire ad propria loca præcipit,à se utiq; tu multum carnaliũ repellit: ut eo spiritualia quę disponenda sunt,clarius uideat quo mentis eius acie m terrenorum actuum intentio non obscurat. Sed qualis sit,qui diuino iudicio prœuidetur,insinuans,ait.

A

B

C

Caput III.

Rat uir de Beniamin nomine Cis filius Abiel, filij Seor, filij Bechorath,filij Aphia,filij uiri Gemini fortis robore. Et erat ei filius nomine Saul electus,& bonus,& non erat uir de filijs Israel melior illo, ab humero,& sursum eminebat super omnem populum.] Cum ordinandi regis persona exponitur,cur patrum eius nomina describuntur, nisi ut regnum eius durabile non sentiatur. Nam de regno,quod futurum præuiderat Moyses,ait: Non deficiet sceptrũ de Iuda, & dux de fœmore eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium: Quia ergo tribus Iuda ad regni diuturnitatem præuisa extiterat,Cis generatio memoratur,ut regia digniras,quæ condebatur in filio,apertè sciretur esse dispensatoria,non mansura. Sed qui carnalem regem generat,Cis,idest,durus nostro eloquio dicitur,& is fortis robore prædicatur. Nunc quoq; pleriq; carnales intra sanctã ecclesiam sunt qui magna agere uidentur: carnales uero sunt quia sancti spiritus gratiam non habent. Fortes ergo sunt robore: quia omne, quod magnum uidentur agere, corporale est. Nã & Cis pater Saul ideo fortis robore dicitur, ut uires corporis magnas habuisse sentiatur. Fortis ergo robore durus est; quia qui magna carnaliter exhibet cor molle per compassionem, in fraterna charitate non habet. Valenter agit,quæ non imitari homines foris possint,sed intus coniungi fraternis mentib. nescit per affectũ dilectionis. Fortia agit quæ deus reprobat: & affectum charitatis, quem approbat, exhibere non curat. Durus ergo est, quia dum superbo corde corporalia agit, eius mentem gratia sancti spiritus non emollit. Quo contra sanctus uir gloriatur,dicens: Deus molliuit cor meum,& omnipotens turbauit me. Et sæpe qui talium mores imitantur,dei iudicio rectores fiunt. Vnde & aptè Saul filius Cis fuisse memoratur. Sed quærendum est, cur idem Saul electus dicitur,qui duri filius esse perhibetur? Sed electus dicitur non secundum gratiam, sed secundum iudicium. Bonus etiam dicitur,ut diuinæ æquitatis dispositio commendetur. Nam & mala, quæ pro peccatis nostris sæpe patimur, quia per diuinam iustitiam nobis irrogantur, bona sunt. Bonum profecto est,quicquid est iustum. Per iustitiam quippe dei pastores reprobi ad regimen sanctæ ecclesiæ ascendere permittuntur, sed qui mali sunt per iniquitatem,boni sunt diuina dispositione: & occulta nunc ordinatione dei electi sunt, qui ultimo erunt uniuersali iudicio reprobandi. Pastor ergo reprobus,quia ut sit, dei indignatione decernitur,dicatur electus: & quia iustè permittitur,dicatur bonus. Item quia ad exequenda diuina iudicia cæteris utilior prouidetur, melior illo esse de filijs Israel nemo dicitur. Qui etiam ab humero, & sursum eminere super omnem populum memoratur: quia qui carnalium mores uiuendo sequitur,ualde nititur,ut ea agat, quæ agere alter non ualeat. Carnalis etenim rector ab humero,& sursum uniuerso populo eminet: cum in exterioribus fortis est sine comparatione. Possunt & hæc omnia uerba laudis intelligi,quibus dum ordinandi regis persona prædicatur,regem petentium intentio cõfundatur. Nam dicunt: Rex erit super nos, & iudicabit nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.] Dicitur electus & bonus,& quia non sit de filijs Israel melior illo,ut bona omnia in petiti regis persona excellant: sed dum ad ea non sufficit, quæ populus præposuerat,præsumptio humana confundatur, & uicta tabescat. Et quidem (ut supra dixi) rex qui populum præiturus eligitur,eorum bella pugnaturus: cùm à diuino auxilio deseritur, bello depressus obijt: & populo,quem ad eadẽ bella præiuit,tunc non salutis causa,sed mortis fuit. Quod denique deo populus adscriberet,si is qui dei iudicio electus rex fuerat,ad agenda, quæ uolebat populus,non tam idoneus extitisset. Potest etiam electus,& bonus intelligi,dum asseritur,non qualis in futuro prœuidebatur. Dicitur ergo electus, & bonus,ut talis à domino sentiatur electus, qui per inobedientiam postea fuit reprobatus. Quare & ipsa ratio exigit,ut quæ de electo,& bono usq; ad reprobationis tempora dicunt,& in bona parte sentiamus.

D

Gene.41

Iob 23

Universidad de Deusto Biblioteca

Caput IIII

SVmmatim ergo cuncta repetentes, quid ædificationis in se continent, secundum aliam significationem uideamus. Quia in Samuele nouum sacerdotium diximus designari, quid est quod senuit, nisi quia dum per decurrentium spatia temporum sancta ecclesia ducitur, in nonnullis sacerdotibus conuersationis pulchritudo ueteratur. Senuit aũt Samuel, quia uigor authoritatis emarcuit. Quasi enim iuuenis erat Samuel, quando sacerdotũ ordo solis cœlestibus desiderijs inhians, dum nulla terrena quæreret, quo efficacius superna prædicare poterat, eo ad ea nihilominus uerbis, & exemplis subditorum animos accendebat. Valebat enim robore, & iuuenili pulchritudine radiabat, dum uim cœlestis uerbi in splendore ostenderet sanctæ conuersationis: quia quicquid ualidum loquendo poterat prædicare, nitebatur etiam sublimiter uiuendo ostendere. Nam & mortuas animas uiuificabat uerbo, sed miro flore iuuentutis emicans, mortua corpora resuscitabat imperio. Cùm & cæcis uisum, claudis gressum, & omnibus ægritudinibus medelam tribueret, & adeo sanctissimæ conuersationis pulchritudine radiabat, ut maioris uirtutis esset, hoc modo posse uiuere: quàm illo alijs subuenire. Velut ergo in iuuentute uigebat Samuel, quando in ordine sacerdotum pariter fulgebat & mira uirtus operis, & tam immensa pulchritudo sanctæ conuersationis. Sed iam diu est, quod Samuel senuit. Multa enim tempora elapsa sunt, ex quibus multi eorum amorem seculi sequuntur quorum uirtute depelli gaudia mundi ab aliorum cordibus debuerũt. Quod tamen non idcirco dicimus, ut sancta ecclesia nullos uiros religiosos habeat: sed quod pauci sunt, qui in prædicationis culmine perfectè nouerint mundum contemnere, & summis desiderijs inhærere. Quare aptè Samuel & senex dicitur, & prophetare. Senex quidem est, quia rigorem asperæ conuersationis in pluribus perdidit: prophetare tamen non desinit, quia dum aliquantos uiros spiritales habet, uirtutem prouidi spiritus ualenter exhibet. Quod in uno eodemq; prædicatore intelligi conuenienter potest. Senes quidem sunt, & prophetant, qui sic per negligentiam resoluuntur, ut bene doceant, sed male uiuant. Qui filios suos iudices ponunt, quando illos in sacerdotij dignitate constituunt, qui remissioris uitæ eorum tempora contemplantur. A senibus tamen iuuenes ordinantur: quia qui promouendi ueniunt, fortia promittunt. Sacerdotalis quippe uitæ fortissimam professionem spondent, cuius uirtutem in futura conuersatione non habent. Iuuenes igitur promouentur: quia qui eos ordinant, prius quàm ab eis professionem uirtutis accipiant, eos ad tanti ordinis celsitudinem non assumunt. Prius nanque eis insinuant, & quàm sublimiter uiuant, & quàm subtiliter doceant, quòd idcirco debent sublimiter uiuere, ut utiliter ualeant prædicare: ut uitæ propositum semper ad superna dirigant, ut de labore prædicationis temporalia præmia non requirant: ut personas in iudicio non accipiant, sed iusta æquitatis lance cuncta disponant: quatenus uiarum dei difficultates audiant, & an uelint subire earum labores dicãt. Has profecto difficiles uias plerique dum sacros ordines ambiunt, se ambulare profitentur: sed dum ad id quod ambiunt, perueniunt, sponsionis suæ tenere fortitudinem prætermittunt, Vnde & Samuelis filij non ambulasse in uijs eius, sed accepisse munera, & peruertisse iudicium aptè relati sunt. Samuelis enim uiæ sunt, quia prædicatoris officio exponuntur. Filij ergo in uijs patris sui non ambulant, quando ij, qui ad sacros ordines ambitiosè perueniunt, ardua religionis itinera à maioribus sibi ostensa deserunt, & peruersa intentione in appetitu terrenarum rerum altius immerguntur. Vnde & post auaritiam declinare, munera accipere, & iudicium peruertere apertè perhibentur. Qui enim laborare pro cœlestibus negligunt, necesse est ut in appetitu terrenorum arctius inferantur. Declinare quidem post auaritiam, est ambitione rerum terrenarum tota intentione defluere. Nam nõnulli sunt, qui terrena lucra per auaritiam expetunt, sed tamen post auaritiam nõ declinant: quia & temporalia appetunt, sed in appetitu eorum incurrere crimen uitant. Declinant ergo post auaritiam, qui pro terrenis, quæ ardenter ambiunt: incurrere crimen nequaquam pertimescunt. Animam quippe suam æstimant inferiorem omni re, quam possunt concupiscere. Hinc nanq; est rapina uiolenta: hinc fiũt furta latentia: quia eos quibus auari prævalent, uiolenter opprimunt: & quorum rebus inferre uiolentiam nequeunt furta inferre moliuntur. Sæpe & quibus non prævalent furto manuum, insidiantur falsitate uerborum. Vnde & filij Samuelis ordinato processu, in inordinata auaritiæ confusione denotantur, cũ dicitur: Declinauerunt post auaritiã, acceperemunera, peruerterunt iudicium.] Qui enim ut munera acciperent, iudicium peruerterunt, ad inferendum furtum concupitæ rei, non quæsierunt obscuritatem noctis, sed tenebras rationis. Et notandum quia ardor auaritiæ causa est accipiendorum munerum, & acceptio munerũ causa est peruertẽdi iudicij, ut prophetæ narratione huius uitij prauitas ostendatur, non solum qualiter in reproborum cordibus proficit, sed à sanctorũ mentibus qualiter extirpari funditus possit. Nam si peruersitas ista iudicij ex acceptione munerum nascitur, qui munera non accipit, iudiciũ nõ peruertit, & oblata munera leuiter respuit, qui auaritiæ radicem à corde suo penitus extirpauit. Sed istam culpam filiorũ Samuelis plenius uidendo, q; loquendo colligimus. Nam si ad destituta ecclesiarum loca respicimus, ubi pater senescit, notam auaritiæ suscepti muneris, & peruersi iudicij filij incurrunt, quia ubi per lucra turpia rectoris persona dissoluit, subiecti gregis corda facile dissipantur, ut in se nequiter uiuant, & alijs exempla prauitatis

uitatis præbeant. Sed libet in ijs ualde admirari iu dicia omnipotentis dei. Nam filij Samuelis dum post auaritiam declinant, dum causa peruertendi iudicij munera suscipiunt, populo cui prę sunt exempla prauitatis impendunt. Ipse autem populus dum regem petit, de culmine potestatis prophetæ filios abijcit. Deus uerò omnipotens & regem petentium preces suscipit, & irascitur quod petatur. Quibus profecto rebus turbari possumus, si eorum rationem non subtiliter uideamus. Quid enim iustius est, quàm ut populi iudicio corruat, qui reprobo mentis suæ iudicio sic studuit, ut se sequens populus periret. Sed tamen cùm sacerdotes malè uiuunt, à laicis iudicandi non sunt. Dignè ergo indigniorem recipiunt, qui indignum indignè ejicere præsumpserunt. Nam de filijs Samuelis dicitur, acceperunt munera, & peruerterunt iudicia. De eo autem rege quem filij Israel petunt, terribiles ualde minæ proferuntur, quia dicitur: Agros uestros tollet & oliueta, & dabit seruis suis. Et quis sapiens non attendat, quia nequius sit publica uiolentia agros & uineas tollere, quàm ut acciperent munera, prætextu ueritatis iudicium permutare. Hęc culpa quadam uerecundia tegitur, pudore obumbratur. Culpa uerò illa tanto nequior cernitur, quãto manifestius, atq; atrocius perpetratur. Sed nos nondum ad illa regni tempora discutienda peruenimus, in quibus ista fieri mala etiam ad literam describuntur, dum ergo iuxta propositum nostrum de electo & bono loquimur, utile uidetur, ut etiam ius regis quod prædicitur, qualiter in bona parte possit accipi, subtiliter uideamus. Nam si aliquid boni spiritualiter non ostenderet, nequaquam in hac sacra historia diceretur. Locutus est Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram domino.] Quid est quòd Israelitarum filij ponendi in regis curribus dicuntur? Sed prælatorum sanctæ ecclesiæ currus eorum deuota sunt desideria. Nam dum superna gaudia feruenter appetunt, uelut in curribus per alta feruntur.
4.Reg.3 Hinc est quòd Helias in curru igneo in cœlum subleuatus asseritur, quia profecto ad superna gaudia sustolli non poterit, qui ea per alta & feruentia desideria non inquirit. Cùm ergo boni auditores per exempla prædicatorum terrena contemnere, & amare æterna incipiunt, Israelitarum profecto filij in regum curribus ponuntur. Et notandum quia & tolli dicuntur, & in curribus poni: quia prius debent à carnalibus desiderijs abstrahi, ut bene ualeant superni amoris ignibus inflammari. Quæ nimirum terrena desideria, quia non facile deseruntur, tolli filij perhibentur. Nam per magnam uiolentiam fieri oportet, ut terrena desideria electus auditor penitus deserat, & in cœlestibus sublimiter se sustollat. De hac quippe uio-
Matt.11 lentia dominus ait: Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti diripiunt illud. De hac Paulus ait:
1.Tim.2 Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Quod etiam his uerbis latenter ostenditur, quia filij qui tolluntur, non in sedibus, sed in curribus poni perhibentur. Curru quidem antiqui pugnare consueuerunt. Sed & qui curru ducitur, sublimis ac terribilis contra hostem fertur. Electi etenim uiri tanto sublimiores atq; terribiliores sunt occultis hostibus, quanto interni amoris celsitudine altius profecerunt. Sublimes quippe sunt, quia usq; ad eorum intentionem malignorum spirituum suggestio non pertingit. Terribiles etiam sunt, quia reprobare eorum consilia tanto facilius possunt, quanto per intimi affectus uigorem in superni gaudij contemplatione cõsistunt. Hoc quidem quoties his dicitur, qui adhuc carnales sunt, piarum minarum illis bonitas exhibetur. Quod tale est, ac si dicat: Quia uirtutis personam petitis, sub eius disciplina uacare uitæ ocio non potestis.

Quare & equites regis, & persecutores regaliũ quadrigarum tribuni & centuriones fieri perhibentur.] Omnia quidẽ hæc militiæ terrenæ sunt. Dum ergo equites et persecutores quadrigarum, tribuni & centuriones fieri prædicuntur, ad omne belli exercitium summouentur. Equites quippe sunt, quando in uirtute spiritus carnis suæ uoluptatis fluxa restringuntur, & cunctis illecebrosis motibus magna potestate dominantur. Velut enim equo sublimis inuehitur, qui per bonum castitatis carni suæ præpositus, liber, & uelox, & effugere hostem cùm dedignatur poterit, & inuadere, cùm dignatur. Per hoc quidem quod bene præsidere didicit, tanta uirtutis incremẽta accepit, ut uelut irruẽtis equitis impetũ sustinere hostis non possit. Et quia in uirtutis suæ robore exempla electorum patrũ sequuntur, persecutores sunt regalium quadrigarũ. Quadrigę etenim regis sunt, bona exempla electi prædicatoris. In eis quippe & pugnans, & triumphans ostenditur: quia dum sancta opera prædicatoris aspicimus, hunc profecto sublimem uidemus & in agone certaminis, & in uirtute triumphi. Sed carnalibus desiderijs oppressi uidere hunc in quadrigis suis possunt, persequi eius quadrigas non possunt. Velut pedites quippe in plano sunt, pigri ad cursum, debiles ad conflictũ. Vt ergo regales quadrigas persequi ualeant, prius equites fiant, terrena desideria conterant, carni suæ prę sideãt, pudicitiæ armatura candescant. Tunc quidem post electos patres in spirituali cõflictu currere tanto decentius possumus, quanto per id quod nobis laudabiliter prę sumus, occultorum hostium agmina potenter ferimus. Quod si uelut plures habent codices, non persecutores, sed præcursores legimus, à bono intellectu non uacat. Regalium quidem quadrigarũ prę cursor est, qui laudat uerbo exempla iustorũ. Qui nimirum eques esse debet, quia reprobus laudator est, qui altam uitã atq; doctrinam sanctorum prædicat, quam sublimi proposito imitari nequaquam curat. Sed qui aliorum uitam atq; doctrinam proponere alijs ad imitationem nouit, iam quidem spiritalis militiæ esse magister incipit. Bene ergo subiunctũ est: Et cõstituet sibi tribunos & centuriones.] Tribuni sunt, cùm incipiũt: centuriones, cùm in spiritali magisterio perficiuntur

tur. Etenim (ut superius diximus) à centenario numero dicitur centurio. Tribuni etiam intelligi possunt spirituales uiri, scientia simplices, sed amore dei & proximi inflammati. Qui licet alta & spiritualia loqui nesciant, tamen per exempla electorum quæ norunt ad amorem conditoris quos prę ualent accendere conantur. Tribus quidem cognatio siue curia dicitur. Si ergo tribuni dicuntur à tribu, quia ad profectum proximorum sanctorum exempla proferunt, tribuni nominantur. Ad rusticitatem quidem nostram destruendam, uelut curia ueniunt, quando nobis illa proponunt, per quæ sancti uiri omnipotẽti deo placuere. Et cùm plurimorum sanctorum proprias uirtutes exponunt, quasi spiritualium cognationum nobilitatem nobis aperiunt. Centuriones ergo intelligi uiri perfectiores possunt, qui prædicatorum magisterio dum bene proficiunt, eorũ adiutores atq; cooperatores fiunt. De quibus profecto in euan-
Matt.13 gelio dominus ait: Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Tales quippe non solum operatione præcipui sunt, sed etiã uerbi dei scientia eruditi. Vnde & ad spiritalis militiæ conflictum cohortari proximos tanto utilius possunt, quanto & alta quæ prædicare sciunt in opere uirtutis ostẽdunt. Habent in eruditione uerba, habent ad exempla simplicium opera, ut alta quæ loquuntur sapientes intelligant, & qui uerborum secreta non uident in intimis, imitentur opera quæ uident foris. Centuriones ergo constituuntur, quando perfectione uirtutis culmen obtinẽt dignitatis, ut sublimiter uiuant, & quo altius uiuunt, utilius doceant. Sed qui centuriones sunt, cùm belli tempora ordinant, proficere debent, ut pacis etiam fructus ferre cognoscantur. Post tribunos ergo & centuriones, agrorum fiunt aratores, & messores segetum, ut uictorum iam corda uomere adhortationis aperiãt, ex quibus uberius bonorum operum triticum metant. Velut in pace iam quidem arant, qui ea corda quæ spiritalia impugnamenta deuicerant, ad exercenda opera pietatis excitant. Et segetes metunt, quando de diuini uerbi semine quod in auditorum cordibus sparserant, electa opera prorupisse gratulantur. Velut enim de agro triticũ falcibus metunt, quando amplexu charitatis id de superna conuersatione accipiunt, quo interna deuotione satiẽtur. Sed quamdiu in hac uita uiuimus, in pace nulla possidemus. Antiquus etenim hostis quia semper bene agentibus aduersatur, necesse est semper nos ea quæ bene agimus, defendamus. Quare & bene post aratores agrorum & segetum messores, armorum fabri, & curruum regis fieri perhibentur. Arma & currus fabricant, ut ipsos agros quos excolunt, easq; segetes quas metũt, defendant. Currum quippe fabricant, ut ad occursum aduersariorum ueloces sint: arma uero ut sint potentes. Currum quidem conscendunt, ut magno impetu castra dæmonum atterant, & ut extinguant quos impetunt, arma portant. In hac quippe currus sublimitate stabat, qui dicebat: Nostra conuersatio in
Phil.3 cœlis est. Vnde & securus iam qui superior cunctis suis hostibus apparebat, affirmans, ait: Nulla
Rom.8 creatura poterit nos separare à charitate Christi. Sed qui currum conscenderat, arma tenebat: unde exponit, dicens: Ego autem sic curro, non quasi
1.Cor.9 in incertum: sic pugno, non quasi aerem uerberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Quid ergo in hoc curru rectius exprimitur, quàm rectæ intentionis sublimitas? Currum ergo fabricare est, in mentibus auditorum altitudinem rectæ intentionis erigere. Qui enim per exempla meliorum prædicationis ministeriũ sortiuntur, currus post aratri & messionis studium fabricant, quando bene agentes subditos docent, ut ex omnibus operibus bonis quæ agunt, sola æterna retributionis præmia præstolentur. Terrena quidem despicere, nulla transitoria desiderare: æterna diligere, atq; ad illa magnis desiderijs festinare, iam quidem sublimi curru præsidere est. De quibus nimirum curribus per Psalmistam dicitur: Currus dei decem milibus multiplex, milia
Psal.67 lætantium, dominus in illis ascendit. Arma uero eorũ sunt acuta consilia, quibus tanto ualidius hostes feriunt, quanto celerius eorum astutias deprehendunt. Vnde & quasi armatus ille potens loquebatur: Non ignoramus eius astutias. Arma e-
2.Cor.2 tiam fabricabat, cùm dicebat: Et scutum fidei in
Ephe.6 quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbũ dei. In illis quidem curribus & armis positi electi, ueloces atq; potentes sunt. Veloces quidem, quia dum spiritualia cupiũt, nequitias spirituales in momento deprehendunt. Potentes uero sunt, quia dum ardentius summa desiderant, quicquid eis de imo seculi amore suggeritur, pro nullo pensant, & quasi currus uecti pondere, in hostes magnum impetum habẽt, qui sanctis uirtutibus & acutis consilijs pleni, tentamenta omnia quę ingeruntur in momento destruunt. Nec uacat ab isto sensu, quòd currus dum per terram uoluitur, & inferiorem partem leuat sursum, & superiorem deprimit deorsum. Sic nimirum & sanctorum uirorum recta intẽtio, dum de terrenis quæ agit cœlestia expectat, uelut partem quam per terram trahit, ad summa dirigit. Et quia se tam de bono opere quàm de expectatione eternæ retributionis in conspectu cõditoris humiliat, uelut ad terram mergit partem quam sursum leuat. In rotis quippe suis currus noster incessanter uoluitur, si de bono opere semper æterna intendimus, & de omni profectus nostri altitudine humiles esse curamus. Quæ profecto arma & currus tunc sunt regis, cùm à prædicatorum sanctæ ecclesiæ forma & doctrina discrepare minimè uidẽtur. Currus ergo & arma electi prędicatores fabricãt, quando auditores suos ad supernã patriam festinare docent, & intentionis rectitudine & munitione uirtutis. Sed hæc omnia quæ in profectu unius ostẽdimus, nihil obstat, si per se in plurib⁹ distributa sentiamus. Electos quidẽ per uirtutũ gradus

dus proficiscentes, ostendimus prius in curribus A poni, deinde equites, & regalium quadrigarũ præcursores ordinati, tribunos, centuriones, aratores, & messores constitui, ad extremũ uero fabros armorum fieri. Sed quia sancta ecclesia diuersis electorum ministerijs utitur, qui uult, potest gratiarum dona singula ordinibus attribuere singulis, ut eorum quæq; sint propria illis, qui eorum affectibus strictius inserũtur. Quid ergo est quod subdit, Filias Israelitarum unguentarias, & focarias, & panificas esse futuras? Sed filiarum appellatione aliquando infirmitas, aliquando fœcunditas designatur. Quæ ergo Israelitarum filiæ nisi mentes electæ sunt, ad diuini uerbi conceptum præparatæ? Quæ regis unguentarię fiunt, quia dum prædicatoris sui institutione proficiũt, in se abundan- B tem gratiam spiritus sancti percipiunt, per quam mederi contritis cordibus salubriter possunt. Focariæ etiam fiunt, quia dum feruore sancti spiritus plenæ sunt, exemplo suo proximorum corda in amorem conditoris accendunt. Panificæ fiunt, quando electas mentes uerbi dei alimento reficiunt. Vnguentariæ ergo fiunt filiæ, quando uulnera peccatorum curant. Focariæ quando purgata à sordibus peccatorum corda, ad studium boni operis exemplo suæ uirtutis inflammant. Panificæ uero sunt, quãdo proficientibus per exempla, non iam exempla proponunt, sed altæ scientiæ uerba proferunt: ut uelut solido cibo pasti, tanto fortius agant, quanto iam spiritaliter instructi, feruentius æterna desiderant. Sequitur: Agros C quoq; uestros, uineas & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.] Quinam sunt agri, quæ uineæ, quæ oliueta, quæ iure prelatorum nobis auferuntur? Sed prædicatores sancti quando ad correptionem peccatorum loquuntur, delectationes carnis, concupiscentias mentis, simulationes bonorum operum reprehendunt. Nam si carnis delectationes iniquæ possessionis agri non essent, A- Galat.6 postolus nequaquam diceret: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. In carne quippe seminare est, propositum mentis obruere in delectationes corporis. Qui profecto corruptionẽ de carne metunt, quia in electorum resurrectione renouationem æternæ incorruptionis nequaquam recipiunt. Vinearum quoq; appellatione D mentis concupiscentiæ recte figurantur, quia reproborum corda inebriant, & à cognitione ueritatis alienant. Huius uineæ fructus uituperans Deut.32 Moyses, ait: Ex uinea Sodomorum uinea eorum, & de suburbanis Gomorrheæ, uua eorũ uua fellis, & botrus amarissimus. Ex Sodomorum quippe uinea uitem, ex Gomorrha ducit propaginẽ, qui nefandissimis cõcupiscentijs mentem replet. Quasi enim uineam facit, qui inde æterna obliuiscitur, unde per concupiscentias debriatur: & qui se quasi sub umbra uineæ, & amœnitate prauæ delectationis refrigerat, æterni sibi incendij retributionem parat. Vnde aptè nimis eiusdem uineæ fructus exponens, uuam fellis, & botrum amaritudinis dixit. Vua quippe in usu est, fel in sapore: uisum oblectans, gustũ amaricans: quia nimirum reprobæ menti ualde placet quod cõcupiscit, sed in æterna pœna, quod sibi modo est dulce, amarescit. Rex ergo nobis agros tollit, cùm electus prædicator lætos in delectatione motus carnis nostrę loquendo subtrahit. Vineas tollit, cùm debriãtes concupiscentias à corde nostro penitus abscindit. Oliueta etiam tollit, cùm fallæ misericordiæ opera reprehendit, cùm recte exhortando suggerit, nullum esse meritũ operis, nisi prodeat de proposito bonæ intentionis. Sed ualde quærendum est, cur dari seruis regis asseruntur. Nam si hæc nobis iure auferuntur, qui nam erunt, quibus non indignè tribuantur? Quod tamen si subtiliter quærimus, magnos in imperijs suis sanctos prædicatores nostros inuenimus. Qui sunt ergo ñ seruí, nisi illi de quorum capite ad beatum Iob domi nus dicit: Nunquid accipies eum seruum sempi- Iob 40 ternum. Maligni nanq; spiritus serui sunt sanctorum hominum, sed in hac uita serui perpetui, in illa uero serui sempiterni. Quotidie nanque hoc ingerunt, unde sancti uiri coronentur. Nam cùm ex prælio huius uitæ, æternæ gloriæ uictoria nobis præbeatur, qui contra nos ea bella innouant, quibus ad æternam requiem ducimur, profecto nobis magna seruitia impendunt. Serui quoque uictorum sunt, testante ueritate: A quo quis uin- 2.Pet.2 citur, eius seruus efficitur. Nam dum prælia contra eos, qui uicturi sunt excitant, seruiunt eis, qui inde coronantur, unde ad tempus eorum prælia potenter excipiunt. Sed quia quod ad sanctorum gloriã proficit, malignis spiritibus crescit in damnationis augmentum, ablati agri, & uineæ, & oliueta seruis tribuuntur. De omni quidem malitia sua dæmones in æterna pœna punientur. In congressione quidem occulti certaminis, quando electi uincunt mala quæ repellunt, suis hostibus tribuunt: quia isti tanquam aurum in fornace probantur, illi pro reproba suggestione puniuntur. Agros ergo, uineas, & oliueta serui suscipiunt: quia cùm peccatores ad uitam prædicantibus doctoribus redeunt, hoc etiam ad damnationis cumulum dæmonibus proficit, quod pœnitentes in culpa præterita tam diu eorum fraude retenti sunt. Dantur etiam hæc seruis, quando officio prædicatoris conuersi peccatores ad dominum agnoscunt, quòd in amore præteritorum criminum fraude dæmonum tenebantur. Quid uero est quòd segetes & uinearum redditus addecimari, & eunuchis famulis regis dari ea perhibentur? Sed segetes electorum addecimantur, quando excellentiora eorum opera colligimus, ut ea ad exemplum fidelium producamus. Vnus deniq; solus fuit, qui in se omnium uirtutum plenitudinem habuit, cui se omnis plenitudo diuinitatis corporaliter infudit. Nos autem quia Coloss.2 de plenitudine eius omnes accepimus, dona gratiarum per partes diuisas possidemus. Hinc Pau- 1.Cor.12 lus ait: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonũ, alteri fides in eodem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem ſpiritu,alíꝫ operatio uirtutum,alij prophetia, alíꝫ diſcretio ſpirituū. Denario uero numero quia perfectus eſt,uirtutes addecimamus, cùm ſingulorum dona electorum colligimus, quæ minores
Num.12 imitentur.Nam de Moyſe ſcriptum eſt:Quia erat mitiſſimus ſuper omnes homines terræ.De Abra
Gene.15 ham quoq; dicitur:Credidit Abraham deo,& reputatum eſt ei ad iuſtitiam.Cùm ergo manſuetudinem, cum fide imitari uolumus, neceſſe eſt, ut de exemplo Moyſi & Abrahæ ad refectionē mentis noſtræ,uelut electarum ſegetum cibi decimen
Gene.36 tur.Sic ſic nimirum caſtitatem Ioſeph, ſic Iob pa-
Num.25 tientiam,ſic zelum Phinees ad exemplū noſtrum prædicatores proferunt: quia dum perfectorum uirtutes oſtendunt, uelut electarum meſſium decimas congregant, quas bene proficientibus apponāt.Vnde & bene eunuchis & famulis eædem frugum decimæ dari prędicuntur. Eunuchi quippe ſunt, qui animi uirtute omnia in ſe libidinis fomenta contriuerunt.De quibus nimirum in euan
Matt.19 gelio dominus dicit: Sunt eunuchi, qui caſtrauerūt ſe propter regnum cœlorum.Famuli ſunt,qui adhuc ſtudijs uitæ actiuæ ſub aliena cura inſeruiunt,& ad altitudinem charitatis liberi adhuc exi-
Exod.31 re non poſſunt.Qui & apud Moyſen ſex annis ſeruire dominis ſuis debere inueniuntur, ut ſeptimo liberi egrediantur: quia nimirū prius debent perfecti eſſe in opere, ut ordinatè in ſumma contemplatione exire ualeant.Eunuchis ergo famulis doctor meſſiū decimas tribuit, quando ij qui in candore caſtitatis obediunt ſibi, opera maiorum electa ſequuntur. Vinearum etiam decimas tribuit, cùm eis quàm mira charitate patres noſtri deum & proximum dilexerunt oſtendit:ut & ipſi etiam eiuſdem charitatis abundantia repleri ſtudeant, ac uelut ebrij præteritorumq; obliti, ſola futura diligant,atq; ad illa feruenter currere non omittant. Poſt iſta uero omnia ſerui Iſraelitarum,& ancillæ, iuuenes optimi, tollendi prædicuntur, atq; in regis opere ponendi.Qui ſunt ſerui carnalium, niſi qui malorum exemplo diuturna conſuetudine ſic deprauati ſunt, ut colla mentis ſub iugo nequiſſimæ imitationis perpetuo ſubdidiſſe uideantur? Serui ergo illorum tolluntur, quando electorum prædicatorum ſtudio illi etiam peccata deſerunt, qui reprobæ imitationi carnaliū uehementer ſubdi uidebantur. Qui etiam iuuenes optimi dicuntur.Iuuenes quidem ſunt,quia in malo fortes:optimi etiam dicuntur,quia cæteris peccatoribus nequiores ſunt. Quibus nimirum per prophetam di
Eſa.5 citur: Væ qui potentes eſtis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miſcendam ebrietatem. Vinū denicq; bibunt,qui deliberatione mentis feruorē concupiſcentiæ præcipitanter excipiunt, & ebrietatem miſcent,quia dum concupiſcentiarum ardoribus inflammantur, ad uias rectitudinis perdita ratione redire neſciunt. Potentes uero & fortes tam ad bibendum, quàm ad miſcendam ebrietatem ſunt,ut pro feruenti propoſito mali, uelut optimi ſerui eſſe doceantur. Hos optimos iuuenes item diuinus ſermo demonſtrat, cùm diaboli auiditatem exponit,dicens:Eſca eius electa.Nam an Abac.1
tiquus hoſtis in corū nequitia ualde reficitur, qui nequiſſimis nequiores ſunt. Ancillarum uero nomine illa nequiſſima peccatorum conditio deſignatur,qui per iniquitatem ualde ſunt peſſimi, & alijs præbent exempla prauitatis. Velut enim ancillæ ſeruos pariunt, dum magnæ iniquitatis non ſunt ſolum operatiæ,ſed etiam matres. Quia uero ſanctorum prædicatione tales etiam conuertuntur,qui magna poſtmodum omnipotenti deo ſeruitia impendunt,aptè ſerui & ancillę dicuntur auferri,& in opere regis poni. An non tūc ancillam rex regum tulit,quando de illa magna peccatrice
Lucæ16 dixit:Remittuntur ei peccata multa,quoniam di-
Idem10 lexit multum? Et hanc in opere ſuo poſuit, quando in caſtellum intrauit, & cum illa in domo ſua recepit. Hanc etiam in opere ſuo poſuit: quia re-
Ioan.20 ſurgens à mortuis,ei prædicationem ſuæ reſurrectionis iniunxit.Seruū quoq; tulit, quando à theloneī lucro Matthæum ad ſe ſequendum uocauit.
Matt.9 In opere ſuo hunc etiam poſuit, quia ei in domo ſua cōuiuium præbuit,& Æthiopiæ prædicatorē & conuerſi orbis Euangeliſtam fecit. Quia ergo prædicatorum miniſterio hi etiam ad dominum redeunt,de quorum ſalute humana cogitatio deſperare poterat, bene ſerui & ancillæ & optimi iuuenes in regis opere ponendi deſcribuntur. Poſſunt ſeruorum & ancillarum nomine motus cordis & affectiones intelligi. Nam quando nobis reproba ſuggerunt, ſerui ſunt: quando affectiones mentis prauorum motuum ſuggeſtionibus ſubſterni appetunt,ancillæ. Tunc quidem neceſſe eſt per rigorem propoſiti utriſq; dominemur.Seruos noſtros & ancillas prædicatores tollunt, cùm motus cordium noſtrorum & affectiones inſtruunt, qualiter ad dei ſeruitium dirigantur. In opere regis ponunt, quando iam idem dei omnipotentis ſeruitium,quod eorum magiſterio didicimus,exercemus,Quare & in aſinis quid aptius quàm laſciui motus animę figurantur? In opere autem regis ponuntur, quando illa mens quæ prauis cogitationibus moueri ad laſciuiam ſolebat, prædicatione doctoris proficit, & affectus ſuos in appetitu imitandæ caſtitatis ponit. Poſſunt ſeruorum & ancillarum & aſinorum nomine deſignari,qui ſecularibus hominibus corporalia obſequia fortiter impendunt.Sed in opere regis ponuntur,quia conuerſi ad dei omnipotentis ſeruitiū, ſpiritualia tanto deuotius pro æterna retributione tolerant, quanto clarius agnoſcunt,quia magna ſine fructu tolerabant, Greges etiā rex addecimare dicitur: quia quiſquis omnipotenti deo placere appetit, oportet ut mūdus ſit per innocentiā, & ſtudio boni operis intentus. Per illud quidem arbor eſt bona,per iſtud etiam fructus facit. Quia uero multis utimur,ut ſeruare innocentiam & bona opera exhibere ualeamus, ipſe cogitationū innocentium turbæ greges noſtri ſunt. Quid ergo eſt quod addecimamur, niſi quia cogitationū ſubtilitas facilè non uidetur? Nam ſæpe bona nos cogitare putamus, quę ſubtiliter diſcuſſa,bona nō ſunt.Addeci

mari

mari ergo greges debẽt, ut illud solum regij iuris sit, quod denario numero continetur. Quod in nobis tunc bene agitur, cùm prędicatorũ nostrorum magisterio discimus, perfecti esse non solum exhibitione operis, sed etiã in exquisitione cogitationis. Ad extremum uero dicitur: Voscꝫ eritis ei serui,] ut uidelicet sic eius iuri se subditos sciant, ut eius mandata præterire non audeant. Hãc profecto regiam dominationẽ uolebat dominus sta-
Matt.16 tuere, cùm dicebat: Quodcũqꝫ ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis: & quodcũqꝫ solueris super terram, erit solutum in cœlis. Hanc etiam po-
Galat.1 testatem exigebat à subditis, qui dicebat: Si quis euangelizauerit uobis aliud quàm ego euangelizaui uobis, anathema sit. Hinc item dominus di-
Luce 10 scipulos mittens in prædicatione, dicit: Qui uos audit, me audit: & q uos spernit, me spernit. Hinc de Iudææ prædicatoribus, eisdem discipulis domi-
Matt.23 nus dicit: Quæcunqꝫ dixerint uobis, facite. Serui ergo regum nostrorum sumus, quando sic prælatorum nostrorum imperio subdimur, ut præter eorum autoritatem agere nulla præsumamus. Quia ergo eis præsunt, qui in uirtute obedientiæ suas uirtutes roborant, in fine regij iuris dicit: Voscꝫ eritis ei serui:] ut fideles subditi, tunc etiam si subditos prædicatorum præcepto debere esse cognoscant, quando per uirtutum profectum, ad perfectionis culmina perducuntur. Quod etiam eisdem uerbis ipsa ueritas discipulos edocens, ait:
Luce17 Cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus. Verumtamen quia carnalibus ista loquebatur, adiunxit, dicens: Et clamabitis in die illa à facie regis uestri, & nõ exaudiet uos dominus die illa, quia petistis uobis regem.] Qui regem petierant, à facie regis clamant, quando ij qui agere spiritualem uitam sub bono rectore nouerant, eiusdem uitę relinquere labores tentãt. Facie quidem omnes agnoscuntur. Facies ergo regis est cognita conuersatio, & eruditio boni prędicatoris. Qui nimirum, quia dura, & aspera pro æterna uita agunt, & dura præcipiunt, eorũ uitam atqꝫ doctrinam carnales subditi nõ imitari, sed fugere conantur. Faciem quippe regis tunc uident, qui regẽ petierant, cuius aspectum ignorabant: quia in prælato suo cœlestis itineris districtio, quam sit laboriosa considerant, quam uelut rem facilem anteqꝫ cognoscerent appetebãt. Tũc à facie regis clamãt qui regem petierunt: quia dum carnalis uitę deserere morem uolunt, eius quem sibi pręesse uoluerunt, optimi pastoris sui laudabilem imitationem effugere nituntur. Et quia cæco corde lucem uidere non possunt, ad dominum clamant, id est, ut euadere spirituale iugum dei possint, dominũ obsecrant. Sed non exaudit eos dominus in die illa. Quæ est dies illa qua reprobi subiecti dominum obsecrant, nisi intentio uanæ prosperitatis? Non exaudiuntur: quia profecto per diuinam gratiam nunquam fit, ut bonis rectoribus semel promissa subiectio, libera egredi ad mundi delectationes possit. Quare & causam subiunxit, dicens: Quia petistis uobis regem.] Quasi dicat: Pastoribus spiritalibus promissa subiectio indissolubilis est. Facile quidem uobis regem petitis, sed quia dignitas regia grauis est, eorum potestatem effugere facile non potestis. Hoc quia ad historiam dicimus, notandum esse censemus, quia omnipotens deus dum ius regis prædicit, religiosis præpositis formam institutionis impendit. Quare ut qui arctissimam cõuersationis uiam imperant, nouiter accedentibus facile aditum non impendant. Quare & eiusdem arctissimæ uitæ magister optimus, summæ ueritatis discipulus eruditus præcipit, dicens: Probate spiritus si ex deo sint. Et item nuncientur 1.Ioan.4
ei dura & aspera, per quæ itur ad deum, ut sciat ad quod intrat. Prædicat ergo dominus ius regis, dicat, sciat omnia, quales carnales futuri sunt in eius obseruatione, & ut ad uitam uirtutis debiles facile non accedant, fortes præpositi facile debiles ne quaqꝫ accipiant. Celeritas quidem conuersionis plerunqꝫ oritur ex præcipitatione consilij, non ex incremento deuotionis. Nam cùm infirmi fortia promittunt, non expertum robur animi, sed confusio discretionis. Quos omnes sub unius denotatione sapiẽs admonet, qui dicit: Super te onus ne leueueris. Qui ergo in regularis uitæ forti proposito alijs præsunt, tanto discretius debent ad eandem uitam conuersos recipere, quanto & utilius prænoscendum est, accedentium petitio ex uirtute sit animi, an ex precipitatione uoluntatis. Nam qui in suis actibus faciles sunt, solent tam instãter uitæ spiritalis asperitatem appetere, ut uideantur magna animi uirtute quod expetunt desiderare.

Noluit autem populus audire uocem Samuelis, & dixerunt nequaqꝫ, sed rex erit super nos, & erimus nos quoqꝫ sicut omnes gentes, & iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.] Hoc quia superius latè expositum est: In eorũ exquisitione otiosè retinemur. Sequit: Et audiuit Samuel omnia uerba populi, & locutus est ea in auribus domini.] Audire uocem populi est, quæ sanctę conuersationis habitum petentes exterius dicant agnoscere. Nam uelut solam accedentium uocem audimus, cùm scimus quæ exterius asserũt, sed quales inter spõsionis assertiones futuri sint, non uidemus. Loqui ergo ea in auribus domini debemus, ut ipse sponsionis uerba suscipiant, qui dum uerba audit, corda discutit, & ex textu profectionis usuras exquirit robusti operis. Hoc nanqꝫ nouitiorũ nostrorum mentes audiant & expauescant: quia uidelicet quod nobis dicunt, in auribus domini loquimur. Nam quod corã nobis promittunt, deo offerimus, ut ipse iam de manibus nostris teneat quod exquirat. Quæ profecto libertas rectoris, est obligatio subditi: quia tãto districtiori sentẽtię subditur, quanto apertius scire potest, quia de eo, q̃ respondet, omnipotenti deo reddere rationẽ debet. Cùm ergo ea quæ nouitij promittunt, deo offerimus, quasi chirographum quod nobis faciunt, illi damus. Et quia latenter hoc agitur, in auribus domini Samuel ea quæ populus dixerat, locutus fuisse perhibetur. In auribus quippe amicorũ loquimur

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur,quando ea quæ dicimus, extraneis cælamus. Sequitur: Dixit autem dominus ad Samuelem: Audi uoces eorum & cõstitue super eos regem.] Superius propheta futura prospiciens,ait: Clamabitis ad dominum, & non exaudiet, quia petistis uobis regem. Nunc uero dominus dicit: Audi uoces eorum,& cõstitue super eos regem.] Quid per hoc nobis ostenditur,nisi quòd sępe bonis rectoribus sanctæ ecclesiæ diuinitus inspiratur,ut cœlestis uitæ studijs eos subdant, qui sub disciplina eiusdem professionis postea deuoti nõ sunt? Qui profecto postea à facie regis clamaturi sunt,& tamen diuino præcepto regem recipiunt:quia diuinitus inspirantur ad seruitutem dei deuotè accedere,quos in augmento mercedis æternæ,pastorum sollicitudo magni laboris sub eiusdem seruitutis uinculo debeat cohibere. Ad dominũ nempe clamare dicuntur à facie regis sui, sed quid à domino missus propheta respondeat,ipsi reges audiant,ut quid agere debeant, inter ipsos clamores sciant.

Non (inquit) exaudiet uos.] Ergo nec ipsi exaudire debent. Qui enim in sanctis monasterijs sunt tepidi,medendi sunt quasi ægri,non sunt ejciẽdi,ut mortui. Nam si à domino missi sunt,inter spiritualium unguentorum fomenta resipiscent. Dicat ergo dominus: Constitue super eos regem:] quia profecto nonnulli ad seruitutem dei ueniunt deuoti,qui & refrigescere permittuntur, sed pastorum studio,quorũ se præcepto subdiderant diuina inspiratione ad amorem cœlestis patriæ recalescunt. Sed iam qualis pastor ad hæc sit idoneus exponit,dicens: Erat uir de Beniamin nomine Cis filius Abiel,filij Seor,filij Bechorath, filij Aphia, filij uiri Gemini, fortis robore. Et erat illi filius uocabulo Saul, electus & bonus, & non erat uir de Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnẽ populum.] Quid est quod cùm rex constituendus ostenditur,patrũ nomina prædicantur, nisi quia indignè assumitur ad principatum sanctæ ecclesiæ, qui sanctorum patrum in moribus nobilitatem non tenet. Sex autem patrum nomina assignantur,ut sanctæ conuersationis eorum in bona actione perfectio designetur. Sex enim diebus mundus conditus est, sex ætatibus consummatur. Sex ergo sunt patres, qui in genealogiæ ordine electorum pastorum sanctæ ecclesiæ nominãtur, quia nimirum illorum sunt per imitationem filij,qui in forma sequẽtium culmen obtinent perfectionis. Pater uero regis Cis,id est, durus dicitur:quia profecto ij quorum sancti prędicatores imitatores sunt,uita & zelo remissi non sunt. Duri nanq; sunt, quia peccatoribus mollia non loquuntur:duri etiam sunt,quia ut alios bene corrigant,dura,quæ illis præcipiunt,in sua cõuersatione demonstrant. Durus nanq; uidebatur qui Iudæos arguebat,dicens:Genimina uiperarũ quis ostẽdit uobis effugere à uentura ira? facite dignos fructus pœnitentiæ. Sed qui alijs durus erat, sibi remissus non erat. Nam ut pœnitentiæ duritiam, quam prædicabat,Euangelista eum tenere ostenderet,ait: Habebat uestimentum de pilis camelorum,& zona pellicea cinctus lumbis: esca autem eius locustæ & mel syluestre. Ad Ezechiel quoq; dicitur: Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem & silicẽ dedi faciem tuam. Sed qui tam durus contra duros in malo uiebat,ut dura quæ uentura erãt,locuturus ostenderet,diebus septem in medio eorũ antequam loqueretur flebat. Sic enim dicit & sedi ubi illi sedebant, & mansi septem dies mœrens in medio eorũ. Quia ergo sancti prædicatores,obstinatis peccatoribus,lenes,& mansueti non sunt, & quod asperum prædicant, operantur: duri filius Saul recte perhibetur. Illos enim imitari electus prędicator debet,qui & acuta prædicant,& quæ loquuntur,obseruant: unde & de eodem regis patre subiungitur: Fortis robore.] Sunt nonnulli intra sanctam ecclesiam, qui elatione sunt,& arrogantia fortes. Nam magna agunt, sed cùm laudare homines ea quæ agunt,desinunt: eadem magna ipsi agere prætermittunt. Fortis ergo robore est, qui uirtutem quam monstrat in opere bono, habet à spiritu sancto. De quo nimirum robore superius Anna in cantico uaticinata est, dicens: Infirmi accincti sunt robore. De hoc dominus discipulis repromittit,dicens:Sedete in ciuitate,donec induamini uirtute ex alto. In hoc robore fortiter gradiebatur ille de quo scriptum est: Regressus est Iesus in uirtute spiritus in Galilæam. Qui ergo durus dicitur,fortis robore perhibeẽ: quia electi uiri dum summa prædicant, ingentia demonstrant, & omne quod altũ præcipiunt, omneq; quod magnum agunt,in uirtute sancti spiritus operãtur. De quo dignè subiungitur: Et erat ei filius Saul nomine, electus & bonus.] Nam qui talium imitator est, utilis non solum est ad laborem ministerij,sed aptus ad fructum hæreditatis. Electus quippe etiam Iudas ad ministerĩ fuit, sed quia bonus non fuit, ius amisit successionis. Qui ergo in Saul adhuc electo & bono significantur, nisi sanctorũ patrum electi imitatores? qui per doctrinam alijs utiles sunt,& per conuersationem sibi, qui sic alios possunt regere,ut sibimetipsis nequaq; desinant prouidere. Electi nanq; & boni sunt, quia sic lucra aliorũ expetunt,ut sui nulla damna patiantur. Pleni quippe in seipsis sunt, effluentes alijs, & de abundantia sui sic alijs tribuunt, ut suæ plenitudinis aliquid non amittant. Habẽt quæ alijs præbeant, sed habentes quæ sibi possint sufficere, nulli præbent. Sic alijs præbere oleum nituntur, ut à se fomenta luminis non tollantur, ut dum illuminant alios,se non extinguant. Bene ergo electus & bonus dicitur:quia certè qui sanctæ ecclesiæ regimẽ suscipit,dives esse debet, & ornatus donorum spiritalium,& plenitudine meritorũ. Et quia de communi ordine qui præcellant,eligendi sunt. Sequitur: Et non erat de filijs Israel melior illo.] Cuius profecto excellentia cõmendatur,cùm subditur: Ab humero,& sursum eminebat super omnem populum.] Hac quippe specie corporis in persona ordinandi antistitis præsignant acta uirtutis. Quid enim in humero nisi fortitudo designatur

Matt.3

natur? Sed qui ab humero & sursum super omnē A populum eminebat, tam sublimis staturæ erat, ut qui altior esset in populo, capite usq; ad humerum regis pertingeret. Futurus uero rex collo & capite altitudinē omnium superaret. Capita uero quæ sunt, nisi subiectæ plebis mentes? Quę cùm ualde tenduntur, usq; ad humerum ordinandi regis pertingunt: quia is qui ad regendum culmen sanctæ ecclesiæ quæritur, tantæ debet esse perfectionis, ut quicquid populus de bono opere sibi uult proponere, in sua conuersatione debeat demonstrare. Quasi enim regis humerum capita plebis tangunt, quando eorum corda, quicquid uirtutis in suo pastore quærunt, inueniunt. Sed rex præcellit collo, præcellit & capite. Quid enim in collo, nisi locutio: quid in capite, nisi mentis contemplatio B designatur? Capite ergo & collo subditorum omnium capita excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, & sublimitate doctrinæ. Quasi enim capite sublimis est, cùm illa de secretis cœlestibus contemplatur, quæ alij contemplari non possunt. Collum quoq; super alios habet, qui altitudine locutionis suæ mirabilis est, æquandus ab alijs non est. Quasi enim caput in sublime extule-
1.Cor.2 rat, qui dicebat: Veniam ad diuisiones gratiarum, & reuelationes domini. Scio huiusmodi hominē siue in corpore siue extra corpus nescio, deus scit. Sed uelut electus & bonus rex, ut collum etiam super capita omnia se tenere ostenderet, ait: Audiuit arcana uerba, quæ nō licet homini loqui. Quid uero quasi eminens collū eius miramur in ijs quæ C tacuit? adæquemus eum, si possumus, in ijs quæ dixit. De collo apostoli Pauli processerunt epistolæ eius, & cùm ab illo tempore cœperint eas uiri sapientes exponere, adhuc conantur ea quæ dixit, melius scire. Cumq; quotidie in eius eruditione proficiunt, quasi ad summitatem colli innitentes, pertingere nequaquā possunt. Emineat ergo rex collo, emineat capite: sit humero sublimis, ut conuersatione perfectus sit, eloquio mirabilis, præ cæteris arduus in arce contemplationis. Sed qui conuersatione magnus est, eloquio pręcipuus, præ omnibus contemplatione suspensus, prius quàm perueniat ad culmen regiminis, signa exterius habere debet fraternę charitatis, ut uidelicet sic proximorum sollicitudinem habeat, ut ad æternam D uitam lucra animarum quærat. Bene ergo in eorum typo subiungitur: Perierant autem asinæ Cis patris Saul, & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, & surgens uade & quære asinas. Qui cùm transissent per montē Ephraim, & per terrā Salisa, & nō inuenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant, & per terram Gemini, & minime reperere.] Cis qui durus dicitur, non solū electos eius, sed ipsum etiam redemptorē significat. Nemo enim sibi eo durior extitit. Huius nanq; duritiæ asperitatem prophe-
Esa.53 ta insinuans, ait: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Mori em̄ mortalibus non est pati, passibiles damnatæ naturæ. Ille ergo sibi durus uehementer extitit, qui in se unde pateretur, non habuit: sed ut nos patiendo liberaret, in quo sibi durus esset, & pati posset dignanter assumpsit. Asinæ Cis sunt animæ peccatrices. Quia etiam in fide redemptoris regeneratæ sunt, duræ esse dicūtur: perditæ autem asinæ, quia per immunditiam ab eius sunt seruitio separatæ. Hinc est enim quod ad passionem tendens, absolutæ asinæ, & pullo insedit, ut patenter ostēderet, Matt.21 quia ad hoc pati uenerat, ut peccatoribus subueniret. Pereuntes nanq; asinas se quærere fatebatur, cùm dicebat: Venit filius hominis quærere, & Lucæ 19 saluum facere quod perierat. Has asinas & per semetipsum quęsiuit, & adhuc prędicatores ad quę rendum mittit. Dicit ergo Cis filio suo, ut asinas quærat, quando electorum cordibus spirituali inspiratione redemptor imperat, ut in prędicationis ministerium pergant. In prædicationis autem officio pergentes, quia solū spiritalem sensum secum debent ducere, unum de pueris tollere iubetur. Vnum nanq; puerum tollit, qui dum ad præbendam alijs formam uiuendi pergit, in omne quod agit spiritualis est. Vnum nanq; de pueris tulit, de quo prædictū est: Ipse præcedet ante illum in spi- Lucæ 1 ritu & uirtute Heliæ. Vnum puerum secum tulerat, qui ait: Non habemus spiritum huius mundi, 1.Cor.2 sed spiritum qui ex deo est. Hinc iterū dicit: Nos sensum Christi habemus. Hinc per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur: Vbi erat impetus Ezech.1 spiritus, illuc gradiebantur. Quærens ergo asinas, unum de pueris tollit: quando is qui nouiter animarum lucra quærere incipit, quę agere putat omnia spiritaliter agere disponit. Inuenire autem asinas est, peccatores in luce sanctitatis conuersos aspicere. Nam uelut perditæ asinæ non inueniuntur, quando in peccatorum tenebris reproba corda se obruunt. Et quia per quinq; sensus corporis ad easdem peccatorum tenebras decidunt, quinque regionibus non inueniendæ perquiruntur, uidelicet monte Ephraim, terra Salisa, & Salim, & uiri Gemini, & Zuph. Vnusquisq; etenim ubi per peccatum proijcitur, ibi occultatur, & quasi perditus ubi sit nescitur: quādo iustitiæ lucem, in qua eum deus posuit, derelinquit. Hinc est quòd in paradiso post peccatum primum hominem quærit, dicens: Adam ubi es? Quasi dicat: Quia te in luce Gene.3 qua posui non inuenio, demōstra, te ubi posuisti. Hinc de mortuo Lazaro exquirit, dicens: Vbi po Ioan.11 suistis eum. Sed quem quasi perditum quærebat, ut inueniret progredi imperabat, dicens: Lazare ueni foras. Perditur ergo homo cùm peccat: inuenitur, cùm peccatum aduersum se iam pœnitēdo pronunciat. Quia enim per sacra eloquia peccatori præcipitur, dic tu prior iniquitates tuas ut iustificeris, dum ille qui peccauit confitendo iustificari incipit: in luce iam cernitur, ubi iam positus inuenitur. Saul autem, qui asinas quærēs, non inuenit: eruditi quidem prædicatoris personā designat, sed nouiter incipientis. Quem profecto omnipotens deus prædicationis fructū afferre non patitur, ne uilē peccatorū conuersionē æstimet, dum leuiter conuertere eos ad dominū potest. Differ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ergo conuersio,ut conuersi diligantur, & eos prędicator tanto amplius amet quanto clarius uidet,quia eos lucrari cito non prævalet. Sed dū sancti uiri de prædicatione sua alios conuertere non possunt,de se uehementer timere incipiunt,ne inde omnipotenti deo displiceant, unde se ei uehementer placere cogitabant: & plerunq; agitur, ut sic nouorū prædicatorū corda terreantur, ut iam proponant eiusdem prædicationis officium deserere,& deo per silentium uacare. Quare & subditur: Cùm autem uenisset in terra Zuph, & non inuenisset, dixit Saul ad puerū suum. Veni reuertamur,ne fortè dimiserit pater meus asinas,& sollicitus sit pro nobis.] Ad patrē reuerti deliberat, qui postposita intentione prædicationis, deo uacare appetit in secreto silentij. Reuerti quidem dicitur qui missus ante perhibet. Quasi enim coram patre sunt filij, quando electi uiri immorantur in secreta contemplatione redemptoris. Reuertuntur itaq; quando à publico sanctæ prædicationis ueniunt ad rimanda gaudia æternæ claritatis. Sed quia sancti uiri nihil agunt inconsulti, Saul de reuersione ad patrē puerū cōsuluit. Tunc nanq; pue rum consulimus,quando intenta mente prouidemus,ut quod tentamus disponere, à spirituali sensu non debeat differre. Ad patrē quippe reuerti
Psal.89 disposuerat,qui dicebat:Dixi custodiā uias meas, ut non delinquam in lingua mea: Posui ori meo custodiā cùm consisteret peccator cōtra me. Aduersus prædicatores peccator cōsistit, quando ad prędicationē eorū,statū suæ iniquitatis non deserit.Et quia tunc prædicator ei silere & deo uacare proponit, ut ad patrem redeat, obmutescit. Sed quia per silentiū uoluntatē dei melius didicit, cor eius concaluit,& exardescente igne internæ meditationis locutus est. Quod in hoc etiam loco ostenditur, quia consultus puer consulenti se consilium impendit, dicens: Ecce est uir dei in ciuitate hac uir nobilis, omne quod loquitur absque ambiguitate uenit.nunc ergo eamus illuc,si fortè indicet nobis de uia nostra propter quam uenimus.] Virum dei Samuelem dicit, in quo prædicatores sanctæ ecclesiæ designari iam diximus. Qui uir quidem dicitur, pro reuerētia sanctæ conuersationis,& omne quod loquit absq; ambiguitate uenire perhibetur: quia quicquid minatur de æternis supplicijs,quicquid de æterna lætitia promittit iustis, ita ut denunciat, & impij abibunt ad pœnam,& electi ad gloriam.Qui etiam in ciuitate esse perhibetur, quia electus pastor in cōmuni subiectæ plebis custodia semper uigilare cognoscitur.In ciuitate est pastor, quia cū custodit alios, in se munitus est. Vnde & per prophetam in omnium uirorum dei laudibus,sub unius descriptione dicitur: In excelsis habitat,munimēta saxorum sublimitas eius.Nam quo altius in æternorum ciuium uisione suspenditur, eo & sibi fortior & proximis utilior inuenitur. Nobilis etiā dicitur: quia superna conuersatione conspicuus est, & de mundanæ uitæ rusticitate nihil habet.Inde enim nobilis cernitur,unde ciuis.Secularium quippe hominum quia nulla est morū compositio, quasi in exterioribus locis nutriti, rustici sunt. Ex consueta nanq; animi inhonestate, turpes proferūt motus corporis,& uelut ualde degeneres, urbanæ consuetudinis gestum nesciunt, dum per omne quod agunt,uitæ suæ speciem usitate terrenæ obscuritatis operiunt. Quo contra uiri dei nobiles sunt, qui dum fortiter ea quæ diuina sunt agunt,in omni suo opere superna luce resplendent,& nihil degenerositatis habēt,qui in magna luce omnis suæ conuersationis radios proferūt cœlestis originis. Ad hoc ergo à puero Saul ducitur, ut instruatur: quia qui in arce prelationis ponēdi sunt,spirituali sensui perfectorū prædicatorū magisterio subijci monentur. Ab hoc puero nos duci admonet, qui
B dicit:Si spiritu ducimini,non estis sub lege.Quæ- Galat.5
rendū uero est, cur dubitatiuè dicatur: Si fortè indicet nobis de uia nostra per quam uenimus.] Sed quia spiritualia discere appetit, quia ingentia dona gestit accipere, utrū eisdē donis sit dignus, scire non potest. Dubitare ergo incipit, qui tam magna promereri se suis meritis non præsumit. Quæ nimirū dubitatio electis oritur ex uirtute humilitatis.Quare & comitantis pueri uoce Sauli dicitur: Si fortè indicet nobis de uia nostra.] Quia nimirū spiritualis sensus non alta nobis sapere suggerit,non audacter de omnipotenti deo prēsumere,sed eius dona cum summa sancti timoris reuerentia postulare.Merito ergo puer dicitur, qui humilia semper docere prædicatur.Dum ergo dicit:
C Eamus illuc,] & repentè subiungit: Si fortè indicet de uia nostra] apertè indicat, quia in sensu electorū dei spiritus operetur,dum ad spiritualia dona expetenda,& deuotè eos facit accedere, & de largitoris omnipotētia magna cum reuerentia formidare. Vnde & qui à spiritu ducitur, inopiam meritorū suorū respicere perhibetur, cū subditur: Dixitq; Saul ad puerū suū: Ecce ibimus, quid feremus ad uirū? panis defecit in sistartijs nostris,& sportulā non habemus, ut demus homini dei,nec quicq; aliud.]Habent propriū mentes humiliū,ut spiritualia dona habeant,sed in ijs quę habent,se non attendant.Quia enim à spiritu sancto uirtutū dona percipiunt,ideo sanctus spiritus qui dona tribuit,ea eis ab æstimatione tollit,ut in uir-
D tute cōuersationis hęc habeant,in tumorē elationis non habeāt.Bene ergo de Saule dicitur, ab humero,& sursum eminebat super omnē populum.

Et dixit ad puerū suū, panis defecit in sistartijs nostris,& sportulā non habemus:] quia electi uiri,& ad disponendū sanctæ ecclesiæ culmen idonei,in ijs etiā se per humilitatē paruos aspiciūt, in quo per uirtutē magni sunt. Et panē quidē ad refectionē fideliū animarū habent in sapientia uerbi, sportulā uero in memoria internæ meditationis.Cùm enim ea quæ in secreta meditatione colligunt,seruant in memoria ad eruditionē fideliū, uelut panē in sportula reponūt.De his enim sportis in euangelio dicitur: Impleuerūt septē sportas Matt.15
de fragmentis.Cùm in mensa domini panes abundant, sportæ impleri præcipiuntur: quia cū electi

anima

anima in superna redemptoris contemplatione reficitur, in eadem contemplatione ueritatis eruditur, ut uerbi alimonia quæ in se excrescere cernitur, in memoria ad eruditionē fidelium reponatur. Aliud etiam præter panē & sportulā abundanter habent, qui cum uirtute contemplationis & doctrina uerbi abundant copia sanctæ operationis. Vt ergo humilitas sanctorū in ordinandi regis locutione resonet, dicit: Panis defecit in sistartijs nostris, & sportulā non habemus ut demus homini dei, nec quicq; aliud, quia sanctus spiritus eos qui ad ecclesiastici culminis regimen præparant, magnos facit in uirtute interni muneris, sed omnino paruos in respectu propriæ æstimationis. Dicat ergo puer: Eamus illuc, si fortè indicet nobis de uia nostra. Saul autem uacuū se inspiciat: quia spiritus sanctus dum sensus honestè uiuentiū instruit, audaces modo, modo timidos reddit. Audaces quidem, ut præsumant: timidos, ne superbiāt. Impellit, ut necessaria postulent: retrahit, ne nimis præsumendo uitiū incurrant temeritatis. Et quia quos pauidos facit, per robur fiduciæ ad præsumendū erigit, repentè subinfertur: Rursus itaq; puer Sauli respondit, & ait: Ecce inuēta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini dei, & indicet nobis de uia nostra. Quasi puer bona loquitur sensus electi hominis, quando ad loquendum impellitur, nutu spiritus sancti. Quid est ergo quòd dicit, inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti? Quæ est ista pars stateris argenti? Sed quia argenti nomine diuina eloquia designantur, argentū in manu pueri est, sermo diuinus in uirtute sciendi. Sermonē quidē aliud est posse dicere, aliud est posse sentire. Nam diuina eloquia etiā reprobi eloquuntur, sentire autem nisi electi possunt. Sentitur etenim ea res cuius uirtus agnoscitur. Nam & ægri pisces comedunt, sed uis ægritudinis tollit eis experimētū saporis, ut quod uidentur comedere, prohibeantur & sentire. Sic sic nimirū carnales quiq; dum cœlestia loquūtur, quæ non diligunt, uelut ægri rebus utuntur, quas sentire prohibentur. In manu ergo pueri argentū inuenit, quando per humilitatis meritū sancti uiri cœlestia quæ loquuntur in magno affectu charitatis excipiunt, ut ualde dulce sit eis superna dicere, eo q; dulciter, ac ualde dulcius per amorē saturantur. Vnde etiā scriptū est: Edent pauperes, & saturabuntur. Quia enim cibus animæ est sermo dei: Psal.21 pauperes edunt, & saturātur, diuites saturari non possunt: quia nimirum electi uiri qui superna diligunt, quoties hæc audiunt, ad hæc feruentius ingrescunt, quoties hæc audiunt, ad hæc feruentius incalescunt: reprobi superna loquuntur & audiunt: quæ in nulla dulcedine ad mētis suæ refectionem suscipiunt. Quarta uerò pars stateris argenti dicitur pro qualitate tēporis. Nā ut alias partes huius stateris uideamus, Prophetæ, Apostoli, Martyres intuendi sunt. Quia enim pro qualitate temporis, singulis ordinibus distributa est sonoritas prædicationis, uelut singuli quartam partem stateris habuere. Quartam ergo partem stateris illi exhibuerunt, cùm synagogæ aduentum redemptoris promitterent. Apostoli partē suam dederunt, cùm Iudæis eum qui promissus fuerat, iam uenisse prædicarent. Martyres etiam partem suam tribuerunt, cùm infideles ad fidem redemptoris adducerent. Quarta ergo pars stateris remansisse cognoscitur: quia per episcopos & doctores sanctæ ecclesiæ uerbū fidei usq; ad mundi finem electis fidelibus exhibetur. Sed ab his uerbū fidei bene prędicatur, quibus per manus pueri sumministratur: quia nimirum illi debent superna prædicare, qui in mentis suę dulcedine meruerunt eorum suauitatē cognoscere. Hæc nanq; pars stateris datur, ut uiā quis rectæ prædicationis plenius mereatur agnoscere: quia summi doctores sanctæ ecclesiæ authoritatē prædicationis alijs non committunt, nisi eis quos sciunt cœlestia diligere quæ loquuntur. Quibus uerbis simpliciores ad literam admonendi sunt, ut in uiro dei prauitatē auaritiæ suspicari non audeant, per hoc quod dicitur: Vt demus homini dei, & indicet nobis de uia nostra. Nam si prophetā uenalem sermonē haberet, homo dei non esset, & ipsius prophetię spiritum habere nequaq; posset. Hoc ergo cùm dicitur, non exponētur mores hominis dei, sed deuotio accedentis, quia in magna eum Saul habebat ueneratione, in cuius conspectu apparere uacuus erubescebat. Et quia ad eiusdem uiri dei uenerationem eos fama celebris inuitabat, adiūgitur: Vocabatur enim uidens.] Vocari etenim est publica relatione dici. Videns autem est, qui interna etiā respicit, quæ mens carnalium non attendit. Vnde & de sanctis animalibus dicitur: In circuitu, & intus plena erant oculis. Quia in exterioribus circumspecti, & intrinsecus prouidi sunt. Quo contra carnaliū doctorum præsumptionē in euāgelio dominus arguens, ait: Si cæcus cæco ducatū præstat, ambo in foueam cadunt. Videns etiam dicitur, cui remota & absentia præsentia sunt. Quod sanctis prædicatoribus bene conuenit, qui per cognitionē tanto sunt prę sentes spiritalibus, quanto in exterioribus intentionem figere dedignantur. Velut enim occulta patentia, & remota præsentia habent, qui ea quæ carnales scire nequeunt, semper intelligunt. Talis nanq; esse pastor sanctę ecclesię debet, quia in uia cœlestis patriæ ad præbendū lumen subditis constitutus est. Semper ergo spargat radios lucis, ut fideles subiecti ex illuminationis suæ experientia, alios ad illuminationē trahant. Sequitur, & dicit:

Olim sic loquebatur unusquisq; uadens consulere deum, uenite eamus ad uidentē.] Dominum imus consulere, quando ad eruditos prędicatores pergimus, ut salutis nostræ cōsilium inueniamus. Sed quia modo tam perfectorū uirorū raritas est, dum antiquorū temporū florem religionis attendimus, defectum eius in præsenti tempore deflea mus. De miseria prędentis temporis & calamitate compuncti, florem elapsi temporis, cum pulchritudine sanctitatis emarcuisse suspiremus. Dum ergo pastores ecclesiarum cernimus terrenis inhærere, labētia quærere, nulla spiritalis uitæ insignia proferre, dum nulla nobis prælatorū nostrorū lux

Ezech.1

Matt.15

infunditur, ad laborem compunctionis illa quæ prærierunt memorantes, dicamus: Olim sic loquebatur in Israel unusquisq; uadens cõsulere dominum. Venite eamus ad uidentẽ.] Israel dicitur uidens deum, siue in quo est deus. Quod certè nomen sanctæ ecclesiæ conuenienter aptatur, cuius
Matt.ult. populus dicitur. Nam & in euãgelio dicitur: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationẽ seculi. Quæ nimirũ quia in priori tempore pastores habuit spirituali conuersatione floridos, magna scientia eruditos, qui magno despectu terrena uilipenderent, cœlestia cogitarent: ad lumen quod in eis uidebat populus, se inuicem exhortari poterant, dicentes: Eamus ad uidentẽ.] Si ergo eundum est ad uidentes, pariter est diuertendum à cæcis: quia reproborũ prælatorũ exemplа nõ debemus B imitari, sed fugere: ab eis autem qui cõuersationis merito spiritualia cognoscunt, semper ædificationis nostræ eruditionẽ postulare. Et quia hoc non nisi uiri spiritales faciũt, sequitur: Et dixit Saul ad puerũ suũ. Optimus sermo tuus, ueni eamus.] Optimus sermo est quo melior audiri nequaquã potest. Quoties nobis ergo salutis nostræ consilia spiritaliter suggerũtur, intus nobis sermo fit, quo melior inueniri non possit. Pueri ergo sermonem laudamus, quoties nobis in spiritualis sensus nostri proposito cõplacemus. Et cum eo ire promittimus, quando spiritualibus cogitationibus consentimus. Sed quia tunc fructuosa est bona cogitatio, quando in operatione perficitur. Sequitur:

Et uenerunt in ciuitatẽ in qua erat uir dei. Cũq; C ascenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerũt ad eas: Nunquid hic est uidens?] Qui uirũ dei quærunt, in ciuitatem ueniunt: quia plerunq; fit ut uita atq; doctrina prælati in subditorũ conuersatione requiratur. Sic nimirum & arbores sæpe requiruntur, quarum species non in solijs, sed in fructu inueniunt. Plerunq; autẽ suborta fructeta magnis arboribus admiscentur, & fructus suos earum arborum quibus sunt mistæ esse mentiuntur. Qui ergo fructum discernere uult, prius discernat & ramos, ut ex qua arbore fructus procedat agnoscat. Sic sic nimirum est in cõuersatione fidelium: quia in electa plebe boni prædicatoris, dum plures mali admisti sunt, uelut inter bonas arbores D spinæ oriuntur. Conuersatio itaq; electi prædicatoris non est exploranda in omnibus subditis, sed in solis electis. Tunc quidẽ uelut ramos bonæ arboris cum discretione secernimus, quando in plebe rectoris illos uelut electa poma imitamur, qui magistri sui exemplo proficiunt: & illos uelut uepres fugimus, qui antiqui hostis fraude reprobantur. Bene ergo de Saul & eius puero dicitur: quia uenerunt in ciuitatẽ, & cliuũ eiusdẽ ciuitatis ascenderunt: quia nimirũ perfectio sanctorũ uirorum cùm in subditis quæritur, nõ imperfecta membra, sed electa atq; perfecta requirenda sunt. Nam & artifices opera sua prius inchoant, deinde comũt. Pictor etiam cùm pulchros colores aut aurum superducere appetit, prius uiliorẽ colorem sternit. A Qui ergo iudicare de peritia artificũ uult, non inchoata eorũ opera, sed perfecta respiciat. Cliuum ergo ciuitatis ascendat, ut qui inuenire appetit uidentem, reperiat. Cliuum enim infimus & defossus locus est. In qua nimirũ parte ciuitatis illi signantur qui adhuc in altiorẽ cõuersationẽ minimè profecere. Cliuum ergo ascendimus, cùm planitiem infirmorũ auditorũ ad exemplum nobis proponere uitamus. Et tunc quidẽ puellas egredientes ad hauriendam aquam inuenimus: quia pulchritudinẽ sanctarũ mentium in perfectiori conuersatione respicimus. Puellæ quidem sunt mentes electorum, integræ per innocentiam, decoræ per uirtutũ claritatẽ. Et quia in secretiori uita pulchritudinem suam conseruant, uideri nequeunt, B nisi cùm ad hauriendã aquam egrediuntur. Puellæ aquam hauriunt, quando electæ animæ ex profundo dolore præsentis exilij fluenta lachrymarũ fundunt. Haurire quidem aquam dicuntur: quia dum se proiectas in hac ualle lachrymarũ lugẽtes memorant, quasi ad profundum funem cogitationis mittũt, à quo cum labore aquas lachrymarum trahunt. Tunc etiam egressæ uidentur: quia quæ quales sunt intus latent, apparent tamẽ in oculis, & quantum diligant cõditorem indicant, quæ in tanto dolore præsentis seculi uiam sustinent. Ab istis ergo quærendũ est, ubi est uidens: quia locus perfectiorum tunc bene cognoscitur, cùm ab eis nobis ostenditur, qui per profectũ uitæ eorũ conuersationi uicini sunt. Sed habent prædicatores loca diuersa. Alium quippe locum habent pro se, alium pro subditis: quia nimirũ in seipsis in altissima contemplatione morantur, pro subditis ad doctrinæ montem descendunt. Per contemplationẽ uelut in cœlo sunt, & quia alta sunt quæ docent, & descendunt cùm docent, & sublimia loquentes in alto se retinent. Perfectiores igitur auditores uicini suo rectori sunt, non cùm in summa cõtemplatione est, sed in inferiori monte doctrinæ. Quare & puellæ respondentes dicunt: Hic est, ecce ante te: hodie enim uenit in ciuitatẽ.] Quasi dicant. Ideo locum eius indicare possumus: quia illuc uenit, ubi eum uidere solebamus. Nam si in suæ sublimitatis arce resideret, eum tibi nemo ostẽderet. In ciuitate etenim doctor est, quando per ministerium prędicationis moratur in eruditione populi subiecti. In ciuitate est doctor, quando relinquit propria, ut cõmunia disponat. Quia eñ boni prędicatoris plebes per eorum exhortationem muntæ ac fortes sunt, quando in eorũ ministerio moratur, in ciuitate esse cognoscitur. Item quia in subiectæ plebis multitudine alij simplices, alij sapiẽtes, puellæ subiungunt: Festina nunc, hodie uenit in ciuitatẽ: quia sacrificium est populi in excelso. Ingredientes autem statim inuenietis eum, anteq; ascendat in excelsum ad uescendum. Neq; enim comesturus est populus donec ille ueniat: quia ipse benedicet hostiæ, & deinde comedent qui uocati sunt.] Cùm in ciuitatẽ uenit Samuel, in excelsum ascendit: quia electus prędicator in eruditione subditorũ, modo plana uerba, modo alta pronunciat

nunciat. Quando igitur plana & intelligibilia prę cipit, in ciuitate est, quando sublimia, & quæ uix intelliguntur, in excelso. In ciuitate est quando simplicibus proponit exempla, in excelso autem quando perfectis uerborũ spiritualiũ alta pronun
1.Cor.2 ciat. Quasi enim in ciuitate erat, qui dicebat: Nihil iudicaui me scire inter uos, nisi Christũ, & hũc crucifixũ. Item in ciuitate erat, quando infirmis re media demonstrabat, dicens: Propter fornicationem uir suam uxorẽ habeat, & uxor suum uirum habeat. Sed in excelsum ascendit: quia non multo post subdit: De uirginibus autem præceptũ non habeo, consilium autem do. Vellem omnes homines esse sicut meipsum. In excelsum etiam uerborum se sæpe ascendere fatetur, quia dicit: Sapientiã loquimur inter perfectos. Quid est ergo quòd dicunt puellæ: Festina nunc, hodie uenit in ciuitate,] nisi quia raro uidebatur in ciuitate, uidelicet tarde ueniens, cito recedens? Quo nimirum magisterio sanctæ ecclesiæ doctor instruit, ut uidelicet raro sit in publico, frequens in secreto, ut quo tardius aspicitur, deuotius ueneretur. Tunc quidẽ quasi cœlestis excipitur: quia quo amplius in secreto cõtemplationis latuit, uerbi dei thesauros ad eos qui se expectant ditiores trahit. Ille etenim potest multa bona in infimis dicere, cui per secretũ mentis intuitũ conceditur summa uidere. Et quia dulcius uidentur illa quæ dicũtur, puellæ dicunt: Festina.] Quasi dicant. Si id pro quo in ciuitate uenit expleuerit, uidere in secreto suo repositũ non potestis. Quod profecto uerbũ iam literam non ad uerbũ, sed exemplũ religiosorũ est. Nam sanctus uir tantæ erat districtionis, ut statutas dies & horas haberet, in quibus eum qui cuperet, uidere potuisset. Dicunt ergo Festina.] Ac si dicant. Si statutũ tempus transierit, in horis suæ quietis, uerbis aut actionibus non intendit. Qui ergo remotæ uitæ ordinẽ sumpsimus, hoc obseruare attentius debemus. Statuendæ sunt nobis horæ ministerij, ut breuiter persistamus in opere, festinanter redire ualeamus ad contemplationis arcem. Ipsæ autẽ secreti silentij nostri moræ tanta lege districtionis custodiẽdę sunt, ut ipsi etiã qui accedere solent sciant, quia contra propositũ nostrũ ad nos accessum non habeant. Quia uero hęc spiritaliter explanare cœpimus, cõtra simplices hoc dici conuenienter intelligi potest. In ciuitate quippe is qui uidetur extraneus Samuelẽ alloqui posse putatur, in excelso autẽ non putatur: quia quos simplices esse credimus, plana non alta eruditione eos indigere existimamus. Tunc ergo prædicatores sanctos audire debent, quando plana simplicibus loquuntur quæ intelligunt, non quando dicunt alta quæ intelligere nequaq; possunt. Dicũt ergo, Festina nunc, hodie uenit in ciuitatẽ: quia sacrificiũ est populi in excelso.] Quod tale est, ac si dicat. Quia multi sunt qui summa audire desiderant, nunc tu debes festinare, quando ille similes tui simplices uidetur instruere. Sacrificiũ quidem populi est deuotio electæ plebis. Quæ nimirũ deuotio quia uerbo prædicationis in electorũ cordi

A bus excitatur, quasi à Samuele perficiẽ. In excelso est autẽ sacrificiũ populi, quãdo corda fideliũ sub ditorũ alta uerba sanctæ prædicationis deuotè audire concupiscunt. Vnde & aptè dicitur: Quia populus nõ comedit, nisi prius Samuel hostiæ benedixerit:] quia perfectiores auditores, dum ad summã uirtutũ perfectionẽ peruenire desiderant, uerbũ scientiæ, per quod ad desiderata peruenĩãt, in magno desiderio expectãt. Quo in loco notandum est: quia oblatũ sacrificiũ nondũ erat, & tamen dicit, sacrificiũ est populi in excelso. Si enim sacrificiũ anteq; offerri incipiat non est, quomodo erat sacrificiũ, quod non erat? Sed quia nos spiritalia sequimur, nondũ erat sacrificiũ, & erat: quia cùm electi fideles altius erudiri appetunt, iam qui
B dem magnam deuotionẽ audiendi habent, quam post auditam prædicationẽ ualde maiorẽ habent. Non est ergo adhuc oblatum sacrificiũ: quia illa magnitudo deuotionis quæ nascitur in corde electi de uerbo prædicationis, ante prædicatoris uerbum in corde non est. Et est quidem in excelso sacrificio: quia de expectatione uerbi, magna iam est in corde audire uolentis uis deuotionis. Quare & bene dicitur, Quia populus non comedit, donec ille hostiæ benedicat.] Qui enim summa inhianter diligunt, donec eadem summa percipiũt, non quiescunt. Si enim hostia mẽtis eius deuotio est: hostiæ benedicitur, quando ad uocẽ prædicationis sanctificatur, ut quo purior efficitur, diuina susceptione acceptior habeat. Quod enim in dei
C sacrificio benedicitur, mundum quidem est cùm offertur, & materiale: oblatũ uero tanto est mundius, quanto non solum materiale, sed spirituale, quanto non solum mundum, sed etiam mundans est. Hostiarũ quippe oblationibus mundari peccata quis dubitet? Sic nanq; sic est mẽtis deuotio, nam cùm bona audire gestit, munda est: sed cùm sanctæ prædicationis accepta & benedicta manibus fuerit, tanto ardentior & sacratior redditur, quãto clarius didicit, quem amare dulcius notum possit. Munda quidem ante, uelut præparatio sacrificij fuerat, quæ bonũ nosse cupiebat, & tamen materialis erat apparatus: quia nondũ nouit quæ discere appetit, sed munda ualde & spiritalis, cùm iam doctrinæ sanctificata uocibus, non iam appe
D tit audire quod sciat, sed audita delectatur experiri quæ amat. Tunc etiam non solũ munda est hostia, sed mundans: quia quo feruẽtiori cœlestium amore succenditur, ab ea negligentiæ carnalis tenebræ potentius effugantur. Scriptũ quippe est, Iacobi uit. quia charitas operit multitudinẽ peccatorũ: quia nimirum carnalia nostra destruimus, cùm ardenti deuotione ad cœlestia subleuamur. Et quia subditur, Et tũc comedent qui uocati sunt.] quid aliud designat, nisi quia deuotionis affectus mẽtis est cibus. Tunc nanq; comedemus cùm hostiæ benedicitur: quia cùm ad prędicatorũ uocẽ deuotio nostra in amorem cõditoris extollitur: anima quę ad dulcedinẽ conditoris peruenit, habet iam cibũ suum. Tunc ergo comedunt, qui ante benedictionem hostiæ comedere noluerũt. Nam qui summa

Universidad de Deusto
Biblioteca

intẽtionis expectatione ad diuinæ dulcedinis per
ceptionem se præparant, dum mala desideria per
appetitum nulla recipiũt, uelut ieiuni, refectione
deuotionis auidius replentur. Velut enim benedi
ctionem hostiæ ad refectionẽ expectant, qui cun
cta illicita desideria fugiunt, ut de uisione internæ
gloriæ per deuotionem satientur. Scriptũ quippe
Matt.5 est: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uide-
bunt. Qui enim in corde inepta non recipit, dum
superna desiderat, mundus corde est, & dum per
bonum prædicationis ad diuinæ cõtemplationis
dulcedinẽ ducitur, quasi benedictionẽ hostiæ ha-
bet in animæ saturitate. Dicit ergo: Deinde co-
medent, qui uocati sunt.] Ieiuni quippe uocantur
ad comestionẽ, dum prædicator foris loquit, qui
à prauis desideriis mentẽ custodiunt, & per gratiã B
spiritus sancti ad internæ dulcedinis experiẽtiam
trahuntur. Vocati enim tunc erant inuitati, qui ue
nerant. Vocati ergo ieiuni tunc comedunt, quan-
do hi spiritualis gratiæ deuotione pascuntur, qui
ad eam percipiendam se magna mentis suæ custo
dia parauerunt. Quid uerò est q̃ dicunt: Ascen-
dite quia hodie reperietis eum?] Sed dum electi,
bona prędicatorũ laudant, auditorũ corda magna
luce irradiant. Cœlestis nanq; illa conuersatio bo-
ni doctoris quam prædicat, dies est. Dicant ergo:
Hodie reperietis eum.] Eo nanq; die prædica-
tor inuenitur, quando non est minor uita q̃ fama,
quando electorũ uoce laudatur, sed qui laudes au
diunt, omne quod audiunt, in eius laudabili con-
uersatione inueniunt atq; cognoscunt. Quo cõtra C
Matt.23 Pharisæos increpans dominus, ait: Væ uobis scri-
bæ & pharisæi, qui similes estis sepulchris dealba-
tis, quæ foris uidentur hominibus pulchra, intus
autem plena sunt ossibus mortuorũ. Hinc iterum
Ioan.5 uanè glorioſos infidelibus comparat, dicẽs: Quo-
modo potestis credere, gloriã ab hominibus acci-
piẽtes. In die quidem laudant, qui eiusmodi sunt,
sed eo die non reperiũtur: quia qui eorũ laudes au
diunt, quasi candorem sepulchri à foris aspiciunt,
sed cùm laudatas uirtutes quærunt, intus peccato
rum noctem, quasi tristia atq; putẽtia mortuorum
ossa inueniunt. Dicant ergo pro significanda uera
gloria iusti, Hodie reperietis eum:] quia cùm
iusti laudantur, in ueritate cõuersationis habent,
quicquid lucidum emicat de eis uoce laudis. Et D
quia tanti uiri festina deuotione quærendi sunt,
sequitur: Et ascenderunt in ciuitatẽ. Cumq; illi
ambularẽt in medio urbis, apparuit Samuel, egre
diens obuiã eis, ut ascenderet in excelsum.] Cùm
sanctorum uirorum præconia audimus, in ciuita-
te ascendimus: quia illic eos quærimus, ubi descen
dunt, non ubi sunt. Sed (ut superius dixi) prædica
torum locus, quem pro se habent, secreta diuinita
tis contemplatio est, locus autẽ pro subditis, præ-
dicatio. Aliquando uerò plana, aliquando alta lo-
quuntur. Habent ergo cõmunem locum pro om
nibus, habent sublimem specialemq; pro quibus-
dam, habent secretum pro se. Hæc nimirũ tria spi-
ritualia loca signãtur: quia Samuel egredi dicitur,
& apparere in medio urbis, & ascendere in excel-
sum. Nam qui ut appareret, egressus est, erat ubi A
anteq; appareret, latuisset. Egrediũtur ergo sacer-
dotes, quãdo à secreto meditationis ad prædican-
dum ueniunt. In ciuitate apparent, quãdo planio-
ra, id est, ad agendum uel ad intelligendum dicũt.
In excelsum ascendunt, quando sapientibus aut
fortia præcipiunt operis, aut reuelant alta myste-
rij. Ordinatus ergo ascensus noster ostẽditur, per
hoc quod Saul in ciuitate ascendere perhibetur.
Nam nobis pastorũ nostrorũ loca, in quibus ora-
re aut secreti esse consueuerunt, ueneranda, non
adeunda sunt. Quod non solũ exemplo, sed etiam
diuina cohortatiõe cognoscere possumus. In Can
tico quidem canticorũ sponsus denunciat, dicẽs:
Obsecro uos filiæ Hierusalem ne euigilare facia- Cant.2
tis dilectam quousq; ipsa uelit. Mentes enim perfe
ctorum sponsę sunt: quia dum secreto diuini amo
ris se uelut in thalamo collocant, ibi per uisionem
inueniunt, cui ineffabili amore iunguntur. Cùm
ergo sponsa dormit in thalamo, coniungitur spon
so: quia dum electa prædicatoris anima in secreta
contemplatione reconditur, quasi in sponsi thala-
mo collocatã. Qui ergo hanc suscitat sponso tollit:
quia nimirũ requies electę animæ non solum sua,
sed etiã delectatio sponsi est. Vnde & per prophe
tam dicitur: Gaudebit sponsus super spõsam. Me- Esa.62
rito ergo Hierusalẽ filias sponsus adiurat, ut ab eis
sponsa quandiu dormire uoluerit, non excitetur,
ne dum illa surgit à quiete thalami, ipse perfruitio
nem perdat amoris. Egressus ergo Samuelis expe
ctetur: quia uiri sancti in secreto sui silentij uene-
randi sunt, inquietandi non sunt. In ciuitate igitur
ascendendum est: quia electus doctor in cõmuni
loco doctrinæ tanto lucro suis uidetur, quanto ut
prosit exire cognoscitur. Quo in loco notandum:
quia de Samuele non dicitur, hodie ascendit in ci
uitate, sed hodie uenit in ciuitatẽ: de Saule autem
& puero non uenerunt, sed ascenderunt dicitur.
Ille enim uelut per planum uenit, iste uelut in alta
conscendit. Quid aliud per hoc nobis ostenditur,
nisi quia plana quæ loquuntur prædicatores, no-
bis plana non sunt. In ciuitate ergo non uenimus,
sed ascendimus, quando aut plana prædicationis
difficulter aspicimus, aut parua, quæ præcipimur,
cum labore portamus. Sed quia stare in ciuitate,
munitũ esse est, idcirco ascendimus: quia cũ nos
summi uiri parua bona agere docent, malignorũ
spirituũ cõsilijs acquiescere uehemẽter prohibẽt.
Et quia ualde laboriosum est, omnia tentamenta
uincere, ad uerba doctorũ, quæ hoc nobis præci-
piunt, quasi per ascensus laborẽ conamur perue-
nire. Sed quia scriptũ est, q̃ unusquisq; mercedem 1.Cor.3
accipiet secundum suum laborẽ (quod nimirum
non solũ de æterna retributione accipitur, sed e-
tiam de præsenti) omnipotens deus pro merito
operis, electis suis tribuit augmẽta uirtutis. Nam
& Abrahæ filio non parcenti, dicitur: Per memet Gene.22
ipsum iurauí: quia fecisti rem hanc, & non peper-
cisti filio propter me: benedicã tibi, & multiplica-
bo semen tuũ. Plerunq; enim qui fideliter laborãt
in faciendis ijs quæ sciunt, per diuinam gratiam

maiora

Universidad de Deusto

maiora quæ agant, cognoscere merentur. In quorum typo bene Saul in ciuitate prius ascendere dicitur, in excelsum postea à Samuele ductus perhibetur. Verum obuiam uenire est per eandē uiā uenienti occurrere. Cum ergo à sanctis prædicatoribus salutis uiā discere uolumus, nobis quidē obuiam ueniunt, quando cum uerbo salutis, quod quærimus occurrunt. Quasi enim eadem uia ueniunt, cum id nos docere festinant, quod nos proposuimus discere. Hoc profecto morale est omniū, si enim ea quæ spiritualiter quibusdam competūt indagamus, obuiam uenit: quia ordinandum regem ad se uenire præcognoscit. Vnde autem cognoscat adiungitur. Dominus autem reuelauerat auriculā Samuelis ante unā diem q̄ ueniret Saul, dicens: Hac ipsa, quæ nunc est hora, cras mittā ad te uirum de terra Beniamin, & unges eum eū ducem super populū meū Israel, & saluabit populū meū de manu Philistim.] Exijt ergo ei obuiā, ut in excelsum ducat: quia is, qui ad sanctæ ecclesiæ regimen quæritur, & diuino munere demonstrandus est, & ad sublimem conuersationē uocandus. Auricula Samuelis quia diminutiuè dicitur, quid designat, uisi humilem intelligentiā doctoris spiritalis? Auricula ergo reuelatur à domino: quando humilis intelligentia prædicatoris à spiritu sancto instruitur: ut quæ facturus est, audiat: & audita disponat. Sed subtiliter est intuendum quod dicitur, ante unā diem. Dies enim est uita iusti, Paulo attestante, qui ait: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Quando autem uita electi ostenditur, dies latens reuelatur. Nam homo uidet pretextum boni operis, deus etiam lucem cordis. Quia ergo electi, & reprobi intentione cordis absconditi sunt, ante unam diem dominus uenientem regem insinuat: quando per eius gratiam sancti prædicatores agnoscunt in eis, qui promouendi sunt, testimonium boni operis, præcedere puritatē intentionis. Nulla em̄ est lux operis, quā nō præcedit rectitudo intentionis. Rectè ergo ante unam diem rex ordinādus agnoscitur, Sed subsequentem quidem diem non aspiciunt, nisi ex præcedente nascatur: ut diē ante diē, intentionē ante operationem cōsiderent, & à deo missum in luce sanctæ operationis aspiciant, quē luce re per propositū cordis diuina gratia demonstrat. Et quia eadem hora, qua promittit̄, exhibet̄: quid dat intelligi, nisi quia perfectus debet esse, qui eligit̄, nō solū corpore, sed mente? Nam quando deus loquitur sanctis uiris, plena lux diei est. Habet nanq; originem dies, habet & finem. Iuxta finem peccatorem arguit, dicens: Adam ubi es. Et quia nec qui bona incipiūt, nec qui à bono opere torpescunt promouēdi sunt: hora perfectæ locutiōis prædicator mitttitur, quādo talis exhibetur, qui plena fulgeat luce boni operis, & pleno resplendeat fulgore ueritatis. Qui etiā uir de terra Beniamin uenire describitur. Vir quidē dicit̄, pro operis fortitudine: de terra Beniamin, pro recta fidei cōfessione. Beniamin quidē dicit̄ filius dexteræ. Quis ergo hic filius dexteræ dicitur, quàm ille de quo scriptum est: Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris. Terra ergo Beniamin sancta ecclesia est. Quia ergo hæretici ab hac terra expulsi sunt, de terra Beniamin uenit rex, quando non aliqua hæresi pollutus, sed fide catholicus sanctæ ecclesiæ primatum suscipit. Qui uiri præconio fruitur: si fide firmus est, operatione fortis. Hic nimirum super populum domini dux ungi præcipitur: quia exteriora sacramenta sacerdotibus illis prosunt, qui eorundem sacramentorum donis, indigni non sunt. Vel sacerdotes unguntur, quando per ordinantium se ministerium gratiarum spiritualium incrementa percipiunt. Vnde & sequitur. Saluabit populū meū de manu Philistim.] Velut uncti saluare alios possunt: quia spirituales gratias abundantius perceperūt. Nam qui populum saluant, super populum uncti sunt: quia qui à domino ad regendos alios ordinantur, spiritualia charismatū dona: quibus eis prodesse possunt, accipiunt: & eis quos ordine præcedunt, meritis etiam superiores sunt. Et quia plerunq; bonus pastor merito bonæ plebis eligitur: bene subiunctū est: Quia respexi populum meum.] Item quia magnis precibus à domino bonus pastor quærēdus est, subditur: Venit clamor eorū ad me.] Sed fortasse nonnulli mouentur: quia contrarium uidetur: quod hic dicitur, & quod superius dicebat̄. Ibi enim ait: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos iuxta oīa opera sua, quę fecerunt à die qua eduxi eos de terra Ægypti, usq; ad diē hanc. Nunc dicit: Vnges eum ducem super populum meum Israel, & saluabit populum meū de manu Philistim: quia respexi populum meum, uenit enim clamor eorum ad me.] Superius quasi ab irato rex ordinari permittitur, nunc quasi à pio, & benigno ordinatur. Huius etiam benignitatis uerba quis non uideat, quantum à sentētia illa differtiāt: quæ eidē à Samuele illata fuit? Quia (inquit) proiecisti sermonem domini, proiecit te dominus, ne sis rex. Quod profecto celeriter soluimus si ipsam uerborū uim subtiliter intueamur. Nam omnia hæc diuinæ benignitatis uerba populi meritis ascribuntur. Saluabit populum meum, & respexi populum meum, & clamor eorum uenit ad me.] Pro illis ergo rex ordinari decernit̄, quorum clamor exauditur. Nam etsi pro futura nequitia repellendus à regno erat Saul, tamen habebat in se donec regnaret, unde populo sibi subdito ꝑdesse potuisset. Futurus certè erat bello strenuus, mente elatus. Habiturus erat unde sibi caderet, & unde alijs staret. Illud ergo unde prodesse subditis poterat, dominus prouidens dicit: Saluabit populum meū de manu Philistim. Et uenit clamor eorum ad me.] Adhuc tamen ualde contrarium uidetur, ut eius populi clamorem exaudire credatur, qui eum abiecisse reprehenditur. Ad quod respondendum est: quia erant in illo populo & reprobi, & electi: ibi ergo abiecisse dominum reprobi arguunt̄, hic electorū desideria ad omnipotētis dei aures perueniunt. Qua ex re quid colligendū est nisi quia sępe electis bonū est q̄d mali rectores

Ephes. 5

Gene. 3

Supra 8

Infra 15

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinatur. Non ergo mirũ est, si deus quasi de abiectione sua trasciturꝫ & regem ordinat: quia ipsa dignitas futuri regis & mala erat, & bona. Mala quidẽ, quia superba: bona uerò, quia in defensione subiectorũ strenua. Quod totũ & in sancta ecclesia nunc fieri cernimus: quia plerunqꝫ ille eius primatũ suscipit, qui uerbo utilis est alijs, mẽte tumidus sibi. Prædicãdo uirtutes, uelut stando uitia destruit, sed alta de se sentiẽdo, cadit. Hic itaqꝫ prędicando populum dei saluat, sed semetipsum tumendo præcipitat. Quasi rex potens uerbo populi dei occultos aduersarios atterit, sed elatione à regni sublimitate cadit. Non ergo pro se, sed solũ pro populo rex cõstituitur: quando ille in sancta ecclesia præesse permittitur, qui bona, quæ prædicat, superbiendo, aut nequiter uiuendo cõculcat. Quo in loco notandum est: quia cùm in sancta ecclesia pastor eligitur, aliquando ordinatur pro se, & populo: aliquando nec pro populo, nec pro se: aliquando pro se, non pro populo: aliquãdo uerò pro populo, non pro se. Pro se, & populo, quando electus prædicator electis subditis datur: quia unde subiectorum multitudo ad æternam patriam ducitur, bono pastori meritorum dona cumulantur. Nec pro se, nec pro populo pastor datꝫ, quãdo reproba plebs reprobũ pastorem habere permittitur: cùm sicut ille præest, sic illi obediũt, ut ad æterna bona nec ille, qui docet: nec illi, qui docentur, peruenire mereantur. De quibus per Oseam

Oseæ 13 dominus dicit: Dabo eis reges in furore meo. In furore etenim dei rex datur, quando malis peior præesse decernitur. Talis quippe pastor tunc datur, talis populus regendus suscipitur, qui pariter æterna pœna damnetur. Pro se, nõ pro populo pastor datur, quando bonus malis præponitur: sicut

Ezec.2 ad Ezechielem dominus dicit: Mitto ego te ad filios Israel, ad gentem apostatricem, quæ recessit à me. Pro se quidem, non pro populo tunc pastor datur, quando etsi auditores suos electus prædicator cõuertere ad deum non poterit, ipse tamen laboris sui æterna lucra nõ perdit. Pro populo aũt, non pro se, quando bonis subditis, pastor tribuitur, qui dona habeat, per quæ illis prosit, & sibi non prosit. Tales quidem erant de quibus domi-

Matt.23 nus discipulis præcipit, dicens: Quæ dicũt facite, quæ aũt faciunt, facere nolite, quasi dicat: Quod utile pro uobis acceperunt, ab eis quasi uestrũ tollite: & in eis quasi suũ dimittite, quod nõ habẽt ad lucrum uestrum, sed ad interitũ suum. Saul ergo abiecto domino eligitur, & tamen populum domini de manu Philistinorum liberaturum perhibetur: quia omnipotens deus sæpe suis bonis fidelibus per illos prelatos prodest, qui de officio eiusdem prelationis sibi non placent, sequitꝫ. Cunqꝫ aspexisset Samuel Saul, dominus ait ei: Ecce uir, quem dixerã tibi, iste dominabitꝫ populo meo.] Hoc nanque in sequenti die actum est, quod precedenti dominus repromisit, dicens: Cras hac eadem hora mittam ad te uirum de terra Beniamin, & unges eum super populum meum Israel. Aspicitur ergo in secundo die, qui primo promittitur:

A quia prædicatores sanctæ ecclesiæ uirtutes electorum in secreta eorũ uita perquirunt. Hi enim qui promouendi sunt, dum bona proferunt, aliquid magnũ ex se repromittũt. Primo igitꝫ die rex promittitꝫ: quia magna electorũ opera prædicatores aspiciũt, & quasi dño loquente intus agnoscunt, quos ordinare sanctæ ecclesiæ rectores uolũt. Aspicit ergo Samuel in sequenti die, quando prædicator eũ qui promouẽdus est, in magna luce conuersationis uidet. Et tunc quidem quasi indicãte dño, ordinandum regem cognoscit: quia eũ, qui in alta arce sanctitatis preeminet, præferre alijs dignum uidet. Et quia qui magni sunt meritis, parui sunt per humilitatem, sequitur: Accessit Saul ad

B Samuelem in medio portæ, indica oro mihi (inquiens) ubi est domus uidẽtis.] Si in ciuitate tũc est prædicator, cum plana & communia loquitur, quæ intelliguntꝫ: porta ciuitatis huius quæ est, nisi humilitas? Nã diuini uerbi cognitio superbis absconditur, humilibus reuelatur. Vnde & in Euan

Matt.11 gelio patri loquitur, dicens: Confiteor tibi pater rex cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sapientes quidẽ superbos, & alta de se sentientes, paruulos uerò dixit humiles. Quorum certè alia scri-

1.Pet.5 ptura meminit, dicens: Deus superbis resistit, humilibꝰ dat gratiam. Resistit nanqꝫ superbis, ne æterna bona intelligant, sed paruulis gratiam dat, ut eadem bona ęterna, ipso reuelante, cognoscãt.

C Electi ergo quia ad spiritualem scientiam per humilitatem ueniunt, ad audiendos prædicatores, quasi per portam uadunt. Electus etiam prædicator quia spiritualia humiliter dicit: Samuel Sauli in eadem porta occurrit. Quasi eñ ambo in porta sunt, quando ea quæ electus prędicator loquitur, ab electo alio humiliter audiunt. Sed qui nouiter uenerat, quem quęrebat, inuenerat, & ignorabat. Quare & idem Saul ad Samuelem dicit: Indica mihi oro ubi est domus uidentis.] Hoc nanqꝫ proprium magnorum uirorum est, ut à minimis difficile cognoscantur. Carne quidem despecti sunt, sed mente sublimes. Foris contẽptibiles apparere appetunt, sed agere uenerabilia nõ desistũt. Quia ergo ualde proficere per eorũ exempla appetũt,

D eos non solũ in exterioribꝫ. sed in intimis admirantur. Vident ergo in eis exterius, quod possit à carnalibus despici: sed & pariter attendunt, quod intus spirituales uiri magna admiratione debeant uenerari. Quos dum fama sublimes audiunt, in altitudine suæ conuersationis agnoscere concupiscunt. Secundum historiam ergo Saul Samuelem uidebat, & nõ cognoscebat: ut quod in figura contingebat illis, nobis spiritalia designaret. Nam cũ paruuli sumus, quasi uidemus perfectos uiros, dũ eorum uirtutes à referentibus audimus, sed quos uidemus, non cognoscimus: quia per experientiã scire nõ possumus, quia hoc, quod auditu percipimus, in cordis oculis tenemus. Quãdo igitꝫ ab eis cõuersationis eius secreta ad imitandũ requirimus, eos nimirũ quasi de ꝓpria domo interrogamus. Domus nanqꝫ eorũ cõuersatio est. Hanc domum

Ioan.1 mum scire uolebat discipulus Ioannis, quãdo dominum interrogauit, dicens: Magister ubi habitas? Qui nimirũ quia ad familiaritatem illius quasi domesticus perducẽdus erat, audiuit. Veni, & uide. Hanc domum uisam Philippus non cognoscebat, cui dicit: Tanto tempore uobiscũ sum, & non cognouistis me, Philippe qui uidet me, uidet & patrem meũ. De domino etiam scriptum est, quia loquebatur Moysi sicut cum amico suo, sed idem Moyses uidens, & nõ cognoscens, interrogabat,
Exod.33 dicens: Si inueni gratiã in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuã. Spiritualis aũt cõuersatio sanctorum, quia nõ nisi deuotis, ac supplicibus pandit, domum Samuelis Saul indicari sibi humiliter deprecatur. Sancti etiã prædicatores cùm de se magna audiunt, per humilitatem se deijciũt, non inflant. Sciunt se petentibus magna quæ imitentur, ostendere: sciũt inter magna, quę ostendũt magni per iactantiam non apparere. Quare & subditur:

Et respondit Samuel Saul dicens: Ego sum uidens. Sed ascende ante me in excelsum hodie, ut comedas mecũ, & dimittã te mane.] Quid est dicere, ego sum uidẽs: nisi se sicut in oculis uidebat, humilem demõstrare? Quasi dicat. Tu in æstimatione tua magnũ habes, quẽ quęris, sed paruus est ille, quem uides. Hoc nanq; in uerbo uidens non prædicat, sed ego. Quasi dicat, uidens ille, est ego, non quod æstimas, sed quod cernis. Sed qui humiliare se nouit, nouit dare dona nõ humilis, sed sublimis. Quare & in excelsum ante se ascendere eũ, ut secum comedat, pręcipit. In excelsum ascendit, qui ad scienda altiora mentem erigit. In excelsum quidem ascendere est, cor ad altiora intelligenda
Matt.17 præparare. Vnde & Petrus in monte assumitur, ut gloriam transformati redemptoris uidere mereatur. In illo enim ascensu montis, sublimis præparatio mentis exprimitur: quia alta uidere non poterit, qui per intentionem animum in sublimibus non ponit. Quia ergo sublimia præparati melius intelligimus, ante Samuelẽ Saul in excelsum ascendere iubetur. Quasi enim ante prædicatorẽ in excelsum ascendimus, quãdo nos prius ad alta scienda animũ intendimus, & ipsi nobis ea, ad quę intendimus, postmodum loquunt. Quid uerò est, quod ait, Vt comedas mecũ hodie.] Sed quãdo prædicatores sancti cœlestia loquunt, electorum suorũ auditorũ corda reficiũt. testãte etenim ueri
Matt.4 tate (quia cibus animæ est uerbũ dei) Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore dei. Panis nanq; alimentũ corporis est, uerbum mentis. Qui uerò corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne uiui. Quare &
1.Tim.5 de delicata uidua Paulus ait: Viuens mortua est. Nam per ciborum delicias non moreretur uidua, si animã uerbi dei cibo satiaret, cùm ipse Paulus
1.Tim.4 dicat, nihil esse immundum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Sed uiuens uidua moritur, quando cibo corpus nutrit, animam fame interficit. In solo ergo pane homo non uiuit: quia cùm ex anima & corpore cõstet homo, sicut aliter per animã aliter per corpus uiuit, ita & necesse est, ut alimen-

A tis diuersis singula nutriant. Vt comedamus itaq; cum Propheta ascendimus, quando ad alta diuini uerbi mentẽ erigimus, ut eius cœlesti sapore per deuotionẽ satiemur. Et quia ipsi prædicatores ualde amãt cœlestia quę loquunt, quasi simul comedimus, cum deuote illi loquendo proferũt, quod nos deuotè audiendo, in uentre animę locamus. Simul eñ comedimus: quia uerbũ dei pariter audimus. Prædicatorib. nanq; ueritas dicit: Nõ uos Matt.10
estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquit in uobis. Quod & Paulus probat, cũ suos auditores interrogat dicẽs: An experimentũ quæ 2.Cor.13
ritis eius, qui in me habitat Christus? Quia ergo in sanctis prędicatoribus Christus, & eius spiritus
B loquitur, ipsi prædicatores tanto clarius loquentẽ audiunt, quãto eis uiciniores sunt, cuius sedes esse merentur. Tanto ergo plenius de uerbi alimento poterũt refici, quanto iam intra se habent cellam refectionis. Amici etenim sponsi sunt, & stant, & gaudio gaudẽt propter uocem sponsi. Cùm ergo diuina loquuntur sancti prædicatores, audiũt, sed quia certa experientia norũt, quando in eis loquitur spiritus, audiunt se, sed non in se: quia & ipsi loquuntur, sed in se locuti, loquentẽ aliũ uenerantur. In eo igitur, quod audiunt & loquuntur, & reficiunt & reficiuntur. Reficiunt quidem auditores, dum uerbum proferunt uoce sua: reficiuntur ipsi dum uerbum quod proferũt, profertur eis reuelatione diuina. Ipsi tamen deuotius saturantur,
C qui in locutione spiritus, mentis delicias experti sunt. An non experientia loquẽtis spiritus est, inconsultos & impræmeditatos se cernere, subitoq; consultos & paratos esse? Scire, quæ nescierant: habere, quæ non habuerãt. Torporẽ mentis amittere, repentè mira deuotione feruere: plenitudine scientiæ statim & in momento mirabiliter repleri, mira uerbi facundia intellecta proferre? Habent ergo electi prædicatores experientiam spiritus in se loquẽtis, in repentina reuelatione ueritatis: habent subito ardorẽ charitatis: habent in plenitudine sciẽtiæ, habẽt in facundissima uerbi prædicatione. Nam & subito instruuntur, & repentè feruescunt, & in momento replentur, & mirabili eloquij potestate ditantur. De illa nanq; repentina experientia dominus dicit: Dabit uobis in illa
D hora quid loquamini. De illo autẽ subitaneo feruore charitatis Cleophas dicit. Nõne cor nostrũ Lucæ 24
ardens erat in uia dum loqueretur, & aperiret nobis scripturas. De repletionis quoq;, & facundiæ experientia Lucas meminit, dicens: Factus est re Acto.2
pentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus uehementis, & repleuit totam domũ ubi erãt sedẽtes. In eodem quippe spiritu repleti, & locuti sunt, ut hoc quod asserimus, designarent: quia uidelicet loquendo alios pascũt, qui de eo quod dicunt, audiendo pascuntur. Et quia sonũ uehementis spiritus ardorẽ, siue locutionẽ, aut repletionẽ cognoscũt: tanto dulcius in donis spiritualib. epulantur, quanto ad eius recubitũ dignius assumpti sunt. Dicit ergo: Ascende ut comedas mecum hodie:] quia bonus doctor, dũ dulciter quæ dicit,

in de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in deuotionem mentis accipit: se & eos, qui audiunt, simul pascit. Quo cõtra doctores reprobi: qui quæ dicunt, non amant: cum alios uerbo pascunt seipsos nihilominus famant. Nam cum animæ refectionẽ uerbũ dei esse dominus dixerit, uerbum uerò dei in mente plena sit eruditio, plena deuotio, uerbo dei nõ pascuntur; qui deuotè quod loquuntur, non audiũt. Apostolus quidem, quasi iam illa uerbi dulcedine repletus, ait: De plenitudine eius omnes accepimus. Alia quidẽ est plenitudo uerbi, alia libri. De plenitudine quidem uerbi accipere non nisi electi possunt, de plenitudine uerò scripturæ possunt & reprobi. Liber nanq; beati Ioannis apostoli, & liber beati Pauli apostoli plenitudines quidẽ sunt, quæ de eis habentur. Eorum nimirũ uerba Paulus siue Ioannes scripsit, sed quod quisq; scripsit, loquens in eis uerbum, inspirauit. Qui ergo uerbum scripturæ accipit, non in amore, sed in scientia, de plenitudine accipit, non uerbi, sed libri. Et quia rem mortuam accipit, in eius ipse acceptione non uiuit. Sed quid dico scripturã mortuam. Non est mortua tantum, sed interficiẽs. Nam scriptũ est: Litera occidit, spiritus autẽ uiuificat. Hoc quidem facit omnis diuina litera. Nam litera corpus est, huius uerò corporis uita spiritus. Viuificatum quippe, & uiuificans corpus accipit, qui literam legit, & in amorem intelligentiæ mentem reficit. Reprobi ergo, qui scripturas rimant, quas nõ amant, qui audacter foris loquuntur, cuius saporem intus nõ intelligunt: dum refectionem scripturarum quas exponunt, alij deuota mente percipiunt quasi de eo, quod ipsi dant, alij saturantur non ipsi. Dicat ergo Samuel. Ascẽde, ut comedas mecum hodie,] quia ex eo quod subditis de uerbo electi doctores tribuunt, & pariter audiunt, & pariter saturantur. Ecce enim in eodem ipso uerbo, quod dicimus, demonstratur. Nam quis dubitat, quod hanc scripturam, quam exponimus, Samuel scripserit? & tamen ipse, qui scripsit, hæc dicit. Respondit Samuel:] ut profecto ostenderet: quia quod ipse scribebat, alius impartiebat. Quia ergo spiritus sanctus qui per eum loquitur, per eũ de eo dicit, Respondit Samuel Sauli. Ascende ante me in excelsum, ut comedas mecum hodie.] Hoc dicit, quod audit: & simul audit, & dicit. Dũ ergo magna ueneratione amoris audit, & loquit prædicator electus, magna deuotione auditores boni, quæ dicuntur, excipiunt: Saul & Samuel pariter in excelsum comedere dicuntur. Item quia prædicatores auditoribus in eiusdem uerbi refectione digniores atq; feruentiores sunt: non Samuel, cum Saule, sed Saul cum Samuele comesturus asserit. Sed & quia tam splendida mentis eruditio, in magna luce spiritualis uitæ est, nõ dicit, ut comedas mecum hac nocte, sed hodie, Quem etiam mane dimittit. Mane dicit initium diei sequentis. Sequens uerò dies est, serena lux sanctæ cõuersationis. Dicit ergo dimittã te mane. Mane quidẽ ab excelso dimittit, qui cũ ad altioris scientiæ lumen pficit, in magna luce boni operis se proponit immorari. Vel mane dimittit, qui uerbum magnæ scientiæ, quod prædicatoris ore didicit, prædicare alijs intẽdit. Quando eñ bona ꝓponimus quasi mane in initio diei fumus: quia boni claritatẽ iã aspicere cœpim⁹, quã sequamur. Sed hoc mane in plenũ diẽ crescit, quãdo is, qui magna bona agere, aut alta æternitatis gaudia prędicare proposuit, id quod proposuit, in magna exhibet luce uirtutis. Mane ergo Saul ab excelso dimittitur: quia auditores prædicatorum bonorum, quod ab eis sublime audiunt, exercere sublimiter non morantur. Sed electi uiri bona, quæ habent, & abscondere, & manifestare sciunt. Abscondunt quippe ne per elationem pereant, sed ne infructuosa remaneant, manifestant. Dum abscondũt tũc custodiunt: sed dũ manifestant, proferunt fructum. Nam sequitur. Et omnia, quæ sunt in animo tuo indicabo tibi, & de asinis, quas perdidisti nudiustertius, ne sollicitus sis: quia inuentæ sunt.] Cælare se quidem prædicatores qualiter studeant, superius in uerbo Samuelis ostenditur: ubi dicitur, ego sum uidens. Nunc autem quia dicit, Omnia, quæ sunt in animo tuo, indicabo tibi:] quid aliud tenemus nisi quia sæpe uiri sancti uirtutes, quas habent, & abscondunt, & proferunt. Sed (ut dixi) abscondũt ne in magnis uirtutibus magni uideant: proferũt eas, ut electi imitentur. Verbo itaq; sapientiæ, aut prophetiæ spiritu se pollere asserunt: non ut uenerentur, sed ut audiãtur. Quare & Psalmista uerbi gratiam se habere insinuans, ait: Super omnes docẽtes me intellexi. Certus ergo de peritia spiritus: confidenter nos inuitat, dicẽs, Venite filij, audite me, timorem domini docebo uos. Prophetã nanq; se affirmabat Michæas, cum diceret: Vtinã non essem uir habens spiritum: & mendacium potius loquerer. Hinc Helisæus de Naamam Syro dicit: Veniat ad me, & sciat Prophetam esse in Israel. Hinc Paulus ait: Hebræi sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego: ministri Christi sunt, & ego: ut minus sapiẽs dico, plus ego. E cõtra aũt Amos dicit: Non sum propheta sed armentarius uellicãs sycomoros. Hinc etiam Paulus cum se uult abscõdere ad custodiã dicit: Non sum dignus uocari Apostolus: quia persecutus ecclesiam dei. Hinc interrogat⁹ Ioannes Baptista ait, Non sum Propheta. Non erat quippe ad elationẽ, sed erat propheta & plus quàm propheta ad ministeriũ. Samuel ergo, ut se custodiat, ait: Ego sum uidens:] & ut se ad lucrum exhibeat, dicit, Omnia indicabo tibi.] Quod si aliquis uult eodem modo intelligere potest: quia cum dicit, Ego sum uidens,] si uidentẽ se asserit, ad hoc dicit: ut bonum, quod habet cum electis cõmunicet. Vt ergo quod asserit, probet: subsequenter adiungit. Omnia indicabo tibi.] Quod sanctæ ecclesiæ doctores agunt: quia dum uirtutes mentium intuentur, & uitia: & mederi uitijs, & promouere uirtutes euidenter sciunt. Omnia ergo quæ sunt in corde indicat, quando uirtutis uiã quã bonus auditor cupit tenere, ipse documento manifestæ eruditiõis dignatur exponere. Quod si magn⁹ est, & bona nõ solũ agere, sed etiã prædicare disposuit. Oñia, quę sunt in eius corde

1. Corin. 3

Psal. 118

Idem. 3

Mich. 2

4. Reg. 5

2. Cor. 11

Amos 5

1. Timo. 1

Ioan. 1

prædicatores

prædicatores indicant: quando eorum mentibus aperiunt, quicquid cupiunt de doctrina. Quia uerò ei, cui loquitur, eum significat, qui ad lucra prędicationis iunititur, subdit, atq; ait. Et de asinis, quas perdidisti nudiustertius ne sollicitus sis: quia inuentæ sunt.] Hoc superius in persona Saul qualiter rudibus prædicatoribus conueniat, expositum est. Asinas quippe perdidit, qui peccatores, quibus uerbum uitæ præbuit ad pœnitentiã, nequaquam traxit. Inueniret quidem si ij qui in nocte prauitatis absconderant, ad lucem iustitiæ redirent: in qua uiri inueniri potuissent. Cur ergo dicit, inuentæ sunt: nisi quia sæpe in eis summi uiri salutis bonum facile inueniri posse considerant: de quorũ uita ineruditi desperant. Nam & periti medici corporum illos sæpe curare præsumunt, de quorũ salute imperiti præsumere non possunt. Sic nimirũ & ab eruditis doctoribus sæpe ad pœnitentiæ satisfactionem peccatores trahũtur, qui trahi ab ineruditis rudibus nequierunt. Quia igitur tam prædicatione, quàm exemplo perfectorũ illi ad dominũ pœnitendo redeunt, qui conuerti per aliorum ministeriũ nequierunt: bene Samuel inuentas asinas dicit, quas Saul inuenire non potuit. Potest etiam hoc dictũ ,p profectu ordinandi rectoris intelligi. Quasi dicat. Dum eruditione, & uita proficis, illos etiam lucrari domino poteris, quos nondum potuisti. Tam certa quidẽ uirtus perfectionis est, ut fructus eius, qui nondum constant in re, constent in spei certitudine. Et quia his uerbis ad perferendos labores sanctæ prædicationis inuitatur, quæ mercedis lucra expectare debeat, exponit, dicens: Et cui erunt quæq; optima Israel, nonne tibi, & omni domui patris tui?] Israel, qui dicit̃ uidens deũ, quẽ rectius hoc loco significat, quàm æternorum ciuiũ illam beatam societatem, qui ex labore uitæ huius ad æternam omnipotentis dei uisionem, peruenerunt? Quæ ergo sunt Israel optima, nisi æternæ retributionis dona? Paulus quidẽ dicit: Vnusquisq; mercedem accipiet secundum laborem suum. Hinc item dicit: Alia est gloria solis, alia lunæ, & stellarum. Stella eñ differt à stella in claritate. Omniũ ergo fidelium retributiones, & prędmia, bona sunt Israel. Quia uerò electorum prædicatorũ merces summa est, eorum sunt optima Israel. De his quippe Israelis optimis dñs fideli seruo suo repromittit, dicens: Amen dico uobis, super omnia bona sua constituet eum. Qui enim nõ in omnibus, sed super omnia constituitur: non tantũ bona Israel, sed etiam optima habere declaratur. Dicat ergo Samuel: Cui erunt quæq; optima Israel, nonne tibi & omni domui patris tui?] Quasi dicat. Et si magnus est labor prædicationis, tanto deuotius ferri debet, quanto maiora lucra mercedis habet. Sollicita ergo mente doctor sanctæ ecclesiæ pensare debet: quia Israel nõ bona tantũ, sed etiã optima eius sunt: ut maiora, & excellentiora agat semper, qui tam summa, & optima expectat. Eadem quippe summa, non summo ordini debentur, sed summo labori. Nam & doctor egregius nõ dixit,

A Vnusquisq; mercedem accipiet, iuxta suam dignitatem, sed iuxta laborem. Cùm ergo prædicatorum æternæ uitæ optima referuntur, magnus eis in hac uita labor iniungitur: quia nimirũ meliora cæteris habere non prævalet, qui melior esse non studet. Et quia hoc omniũ prædicatorum sanctæ ecclesiæ cõmune est, non solũ Saul: sed omni domui patris sui Israel optima esse referuntur: Quasi enim ex patre filij nascuntur, quando in ordinem prædicatorum nouiter alij alijs, eadem nobilitate sanctitatis splendidi subrogantur. Domus quoq; prædicatoris est spiritalis eius conuersatio. Omni ergo domui patris eius, Israel optima sunt: quia ubicunq; sacerdotalis conuersatio est, illa nimirũ B est, & tam summa est, ut ex celsitudine meriti, in æterna uita sua sint optima retributionis. In hoc ergo se subtiliter prædicatores aspiciãt: quia non solum sibi, sed omni domui eius optima erunt Israel: quia si de domo exeunt, optima non habebunt. Nam si solam prædicationis sublimitatem tenent, optima non habebunt: quia altitudinem uitæ non tenent. Sed electus quisq; dum de se magna audit, infirma sua ad memoriã ducit, ut se ab elatiõe custodiat: ne bona quę habet, amittat. Vnde & subditur. Respondens Saul ait: Nunquid nõ filius Gemini ego sum de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin. Quare ergo locutus es mihi sermonẽ istum?] Quasi dicat: Quare mihi tam magna adscribis, cùm sim nihil? Gemini quippe filius C est, qui negligẽtes imitat̃ in cura sui, & in exẽplo proximi. Geminus quippe est: quia dum curã sui negligit, exempla boni operis alijs nõ impendit. Qui ergo tales imitat̃, filius Gemini dicitur. Qui de minima tribu Israel esse dicit̃: quia ultimus ordo sanctæ ecclesiæ conuersorum peccatorum est. Merito igitur qui peccatorem se esse fatet̃, de minima tribu Israel esse dicitur. Cuius etiã cognatio nouissima inter alias esse perhibet̃: quia iuxta ueritatis uocem: Qui minimũ mandatum soluit, mi- Matt. 5
nimus est in regno cœlorum. Beniamin quippe dicitur filius dextræ. Qua profecto appellatione sanctæ ecclesiæ populus designatur: qui dum fide redemptoris nascitur, per bona opera ad cœlestis patriæ bona præparatur. Dextera quidem dei D illa æternæ uitæ fortitudo est. Cognatiões tribus Beniamin sunt diuersæ conuersationes electorũ. Nam uelut ab uno generationis principio diuersæ cognationes ueniunt: quando ab una origine orthodoxæ fidei, conuersationes fidelium plures oriũtur. Sancti ergo uiri cùm se per humilitatem deijciũt, quia peccatores se esse fatentur, & tamen rectè in deũ credere: quasi se & Gemini filios asserunt, & de nouissima Israel cognatione. Sed quia Lucæ 4
quanto plus se humiliant, iuxta ueritatis uocem amplius exaltantur, sequitur. Assumens itaque Samuel Saul & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorũ, qui fuerãt inuitati.] Samuel Saul assumit, quãdo prædicator sanctæ Ecclesiæ electo auditori suæ altæ prędicationis aperit. Assumitur quippe subditus,

quando

1 Cor. 8
1 Cor. 15
Matt. 24

quando per uerbũ doctoris in cognitionem cœ-
leſtium eleuat̃. Et quia non carnali intentione ſpi
ritualia ſcire appetit, nõ ſolũ ipſum Saul, ſed etiã
Pſal.37 eius aſſumpſit puerum. Quaſi enim ſine puero in
imis remanſerat, qui dicebat: Cor meũ dereliquit
me. Cor quippe noſtrũ nos derelinquit, quando
ſic à cõcupiſcentijs carnalibus uincimur, ut inten
tionem cordis in terrenis, & carnalibus, atq; cor-
poreis, & non in cœleſtibus, & ſpiritualibus poni
mus. Hunc puerũ perditũ inuenerat, qui dicebat.
Inuenit ſeruus tuus cor ſuũ. Cor quippe noſtrum
inuenimus, quando per intentionem cordis ſpiri
talia quærimus, quando hãc à terrenis auellimus,
ut ad cœleſtia dirigamus. Electus ergo prædica-
tor ijs qui adhuc carnales ſunt, nec fortia imperat,
nec ſpiritalia manifeſtat. Nã & Paulus Corinthijs
1.Cor.3 dicit: Non potui uobis loqui tanq; ſpiritualibus,
ſed quaſi carnalibus, tanq; paruulis in Chriſto lac
uobis potum dedi, nõ eſcam. Quaſi his uerbis di-
cat: Idcir co uos ad excelſum non duxi: quia ſpiri-
tualem ſenſum uobiſcũ uelut Saul puerũ non ha-
bebatis. Quare & cauſam inſinuãs, ait: Adhuc eẽ
eſtis carnales. Bene ergo Samuel Saul & puerum
aſſumpſiſſe dicitur: quia doctores ſanctæ eccleſiæ
illis fortia imperant, illis alta manifeſtãt, quos ſpi-
rituales eſſe conſiderant: Qui etiam in triclinium
introducunt̃: quia eis charitatis latitudo monſtra
tur. Velut enim in triclinio ponit̃, qui per id quod
altũ didicit, moratur in latitudine charitatis. Vel
certè introitus noſter ad triclinium, amor eſt: tri-
clinium, pulchritudo eſt ſpiritualis uitæ. Vnde Io
1.Ioan.3 annes dicit: Qui non diligit, manet in morte. Si
enim qui non diligit manet in morte, ille qui di-
ligit in uita manet. In triclinium ergo introduci-
mur, quando in affectum ſupernæ couerſationis
ſurgimus per affectum charitatis. In hac nimirum
manſionis latitudine ſuperiorem locũ ſancti præ-
dicatores obtinent: quia beatus Ioannes Euange
Apoc.4 liſta dicit: Et in circuitu ſedis ſedilia uigintiqua-
tuor, & ſuper ſedes uigintiquatuor ſeniores. Se-
niores quippe ſancti ſunt prædicatores maturi
ſenſu, moribus graues. Qui thronũ dei iuxta poſi
tis ſedibus ambiunt: quia qui præ cæteris condito
rem diligunt, per altiſſimam cõuerſationem ei ui
cinius requieſcunt. Bene itaque Saul cum puero
ſuo locum in capite eorum, qui inuitati fuerant,
ſortiuntur: quia in eis eligendorum paſtorũ typus
oſtenditur. In capite quidẽ rector ſtatuitur, quan-
do per uim magni amoris ſupernæ uitæ ſingulare
propoſitum accipit: cùm fidem catholicã cum cæ
teris communem tenet, ſed præ cæteris uirtutem
ſublimem. Vnde & ſequitur. Erant eẽ quaſi tri
ginta uiri.] Ter decem triginta fiunt. Ternarius
uerò numerus fidem ſanctæ, & indiuiduæ trinita-
tis inſinuat. Denarius uerò per decem præcepta
legis boni operis profectionem deſignat. Trice-
narius ergo numerus eos deſignat, qui eam fidem
tenent, quæ per dilectionem operatur. In horum
capite Saul ponitur, quando per diuinã gratiã is,
qui futurus eſt paſtor eccleſiæ, ſublimior fit meri-
to, quibus debet eſſe ſuperior dignitate. Hũc ſub-
limem locũ Samuel tribuit: quia qui tantam uitæ
meretur celſitudinem, ad eam maiorũ proficit in-
ſtitutione. Cui nimirũ quia iam magna, quæ agat,
& non minima demonſtrantur, ſubditur. Dixit
Samuel coco, da partem quam dedi tibi, & præce
pi ut reponeres ſeorſum apud te. Tulit ergo cocus
armum, & poſuit ante Saul. Dixitq; Samuel: Ecce
quod remãſit pone ante te, & comede: quia de in-
duſtria ſeruatum eſt tibi, quando populum uoca-
ui: & comedit Saul cũ Samuele in die illa.] Quid
in armo pectoris, niſi fortitudo ſignatur actionis?
Quæ à Samuele coco tribuitur, quando à ſummis
prædicatoribus minoribus demonſtrat̃. Coci ete
nim ſacerdotes ſunt: quia dum electis fidelibus in
feruore ſpiritus loquunt̃, cibos mentis uelut per
ignem coquũt. Sed pars quę datur, poſita ſeorſum
dicitur: quia fortitudo boni operis in prædicato-
re debet eſſe ſingularis. Quam ante Saul ponit,
quando ordinandum paſtorem ſanctæ eccleſiæ,
quantæ fortitudinis eſſe debet, conſiderare præci
pit. Sed & de eo, ꝙd cocus appoſuit, Samuel Saul
dicit: Ecce quod remãſit, pone ante te. Remanſit
quidem, quia nõ omnia noſtra Chriſtus expleuit.
Per crucẽ quidem ſuã omnes redemit, ſed reman-
ſit, ut qui redimi, & regnare cum eo nititur, cruci-
figatur. Hoc profecto reſiduum uiderat, qui dice-
bat: Si cõpatimur, & cõregnabimus. Quaſi dicat, 2.Tim.2
quod expleuit Chriſtus nõ ualet, niſi ei, qui id ꝙd
remãſit, adimplet. Hinc beatus Petrus apoſtolus 1.Pet.2
dicit: Chriſtus paſſus eſt, p nobis, uobis relinquẽs
exemplũ ut ſequamini ueſtigia eius. Hinc Paulus
ait: Adimpleo ea quæ deſunt paſſioni Chriſti in 2.Cor.2
corpore meo. Sed notãdum: quia armũ ante Saul
cocus poſuit, & tamen Samuel Saul præcipit, ut
ante ſe eum ponere debeat. Quid eſt hoc? Sed po
nere ante diſcumbentes dapifer in menſa ferculũ
ſolet: quod dum is, qui diſcũbit, trahit ad ſe, illud
ponit ante ſe uicinius, quod paulo lõgius erat an
te ſe. Cocus ergo ponit armum ante Saul, Samuel
Saul præcipit, ut ponat ante ſe: quia hoc quod no
uo prædicatori iniungitur de fortitudine boni o-
peris, uelut ad ſe propius debet trahere per ſtudi-
um conſiderationis. Quod etiã poſtq; ad ſe traxe
rit, comedit: quia diu conſideratũ agere diſponit.
Armum quippe manducare eſt, quod exterius de
forti actione præcipit̃, per propoſitũ in mente re-
condere. Quaſi enim armũ ante ſe ponere, & man
ducare electo cuiq; ſuadebat, qui dicebat: Si ſede Prou.23
ris ad menſam potentis ſapienter attende, quæ ap
ponuntur tibi: quia ſimilia oportet te præparare.
In menſa quippe potentis uirtutem armi deſigna
uit. Et dum dixit ſapienter attende, quæ apponun
tur tibi, armum ante ſe eum, cui dixit, ponere do-
cuit. Sed manducare eum debere inſinuauit: quia
dixit ſimilia oportet te præparare. Similia eẽ præ
parando manducamus: quia dum fortia quæ audi
mus, proponimus agere, uelut comedẽtes, in cor
dis uentre reponimus cibos uitæ. Sed ipſis ſum-
mis doctoribus uas electionis ſub unius diſcipuli
eruditione imperat, dicens: Manum cito nemini
imponas. Quia enim magna retractatione cõſilij
cito

cito nemini imponas. Quia enim magna retracta tione consilij eligendi sunt, qui in culmine sublimentur, apte subiūctum est: quia de industria seruatum est tibi, quando populum uocauí. Quasi dicat. Pone ante te, quod antequam apponeretur, ego posui ante me: considera quod ego considerauí. De industria quippe pars armi seruatur: quia fortissima prædicatoris actio illi bene committit̄, qui à summis uiris magna consideratione dignus tanto ministerio iudicatur. Ista uerò pars tūc seruata est de industria, quando populus uocatur: quia cum ad suscipiendū prædicationis ministeriū subditi fideles ueniunt, bonis prædicatoribus nō infirmis, infirma: sed fortibus fortia iniungunt̄. Sed qui bene proficiunt, in sublimi sua conuersatione ante omnia tenere studeant bonum obediētiæ. Bene itaq; subiunctū est. Et comedit Saul cū Samuel in die illa.] Vt (iam dixí) promouendo doctori comedere est, hoc quod sibi de uirtute præcipit̄, se ad faciendū præparare. Bene autem cum Samuele comedisse dicitur: quia cū ij qui nouiter ueniunt, magna agere proponūt, in uirtute boni operis summi uiri feruētiores fiunt. Potest etiā in ista comestione illa signari, de qua superius repromisit, dicens. Ascende ante me, ut comedas mecum hodie. Saul ergo cum Samuele comedit: quia cū intus prædicator cœlestē uerbi dei suauitatē audit, quod loquente ipso subditi foris audiunt, de diuina refectiōe utriq; sentiant̄. Sequit̄. Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est Samuel cum Saul in solario.] Quicunq; ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet, & uitæ propriæ altitudinem, & alienæ infirmitatis cōpassionē. Ascendat ergo Saul cum Samuele, descēdat in oppidū. Sciat rector, quæ agat alta: sciat, quæ disponat, cō
Philip.3 munia. Dicat cum Paulo, nostra cōuersatio in cœ
Rom.7 lis est: dicat nobiscum, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? uideo aliam legem contradicentem legi mentis meę, & captiuū me ducētem in lege peccati. In excelso est rector, cum sapientiam loquitur inter perfectos. Carnalia quando disponit, descendit in oppidum, dicēs:
1.Cor.2 Propter fornicationem unusquisq; uxorem habe
1.Cor.7 at, & unaquæq; uirum: uxori uir debitum reddat, uxor uiro similiter. In excelso est quando dicit:
Roma.8 Nulla creatura poterit nos separare à charitate Christi. In oppidum uerò descendit, quia loquens
1.Cor.9 ait: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam: omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem saluos. Samuel ergo Saul ad excelsum tulit, & in oppidum deposuit, quia summi uiri cum sanctæ ecclesiæ culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter uiuere, plana prædicare, sibi esse rigidos, sed subditis temperatos: sic attendere propriæ saluti, ut cum infirmis possint infirmari. Infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis. Nam si per mentis languorē doctor iacet, curare ægros, & iacentes erigere non potest. Bene ergo cum Samuel Saul in oppidum descendisse, & in solario locuti esse referuntur. Oppidum quippe in plano est, solarium uerò in alto. Ad excelsum quoque solarium planū est, ad oppidum non planum, sed altum. Sic nimirum electi prædicatores quando minoribus membris compatiuntur, quasi excelsum deserunt: sed in oppidum descendentes, in solario sunt, quia ab alto quidem ueniunt, sed infirmitatem subditorum miserendo & cōsulendo, non agendo & infirmādo assumūt. Infirmis nanque compatientes, uxorem ducere præcipiunt: nec tamen ipsi infirmando, uxorē ducunt. In oppidū ergo descendētes, in solario sunt: quia etsi plana iubent, in se ipsi infirma non retinent. Quia uerò non esse in solario, sed loqui cum Saul Samuel dicitur, hoc profecto significat: quia futurus doctor doceri debet sic infirmis subditis compati, ut ipse tamen teneat alta cōuersationis. Et quia ad hæc agenda multa consideratione nouus prædicator indiget, strauisse sibi Saul, & dormisse perhibetur. Dormire in solario nouo prædicatori est, in sublimi sua consideratione disponere, qualiter subditorū onera debeat portare. Nam si ad seculi intentionem uigilat, hoc profecto agit ut tantæ discretionis bonum in intimis non requirat. Dormire igitur debet, ut secularia nulla cogitet: quia spiritualia disponere oppressus secularibus nunquam potest. Sed & dormire non poterit qui sibi non sternit: quia nimirū si bonorū exempla, siue dicta non cogitat, impossibile est, ut ab exterioribus requiescat. Velut mollia quidem nobis subijcimus, quando electorum doctrinam aut uitam cogitamus, In eisdem quoq; stramentis dormimus: quia quiescere tunc bene cōsideratione possumus, quando in rebus spiritualibus occupamur. Dicat ergo: Quia strauit sibi Saul, & dormiuit:] ut electæ menti insinuet: quia si negligenter ad exteriora se occupat, intimæ quietis gratiā non acquirat. Sed qui spiritualia bene uult considerando disponere, donec ea intus perfectè ordinet, ad ea quæ foris sunt, euigilare nō debet. Aptè ergo subiungitur: Cumq; mane surrexissent, & iā diluceſceret, uocauit Samuel Saul in solario, dicens: surge & dimittam te.] Mane quidem luceſcit, quando quietæ menti ueritatis splendor se aperit, Humana etenim mens per ignorantiam tenebrosa, & per illustrationem ueritatis lucida fit. Ignorans ergo in nocte est, cum illustratur, in die. Mane aūt surgit, qui dormit nocte: quando adagenda se erigit ea, quæ per considerationē ordinauit. Et quia ordinandi regis negotiū tractabat̄, ambo surrexisse perhibent̄. Surgit quidē summ⁹ prædicator, ut auditorem suū ad ministerium eiusdē prædicationis ordinet. Surgit, qui ordinandus est ut tam sublimem ordinem imo cordis affectu recipiendum esse non speret. Pariter quidem surgunt: quia sublime officium datur, sublime recipitur. Quo in loco est aliud notandum: quia ambo prius surrexerunt, deinde Samuel, Saul uocauit, dicens: Surge, & dimittā te.] Sed ad historiam si ambo surrexerunt, à somno Saul quia consurgere præcipitur, ad opus præparari admonet̄. Quia uerò

uerò tam ſummi ſacerdotes, quàm ille, qui ad ordinem prædicationis aſſumitur, tanti miniſterij onus attente conſiderant, quaſi pariter dormiũt, pariter ſurgũt. Sed qui nouiter ordinãdus eſt, ſurgens à ſomno, ad opus itẽ ſurgere iubet: quia ad altitudinẽ ordinis quanquã penſare meditando ſtuduit, pertingere debet tamen per meritum cõuerſationis. Surgens ergo ſurgere iubetur, ut ſublimem ordinem, quem ſubire deliberat, æquare meritis proponat. Vnde & in ſolario uocat: quia ad alta conari præcipitur. Qui etiã dicit. Et dimittam te.] Surgit quippe, ut dimittatur: quia ille liber eſſe miniſterio prædicationis poterit, qui in altitudine magnæ cõuerſationis excreuit. Surrexit quidem, qui ſurrexerat: quia qui conſiderando dicit altitudinem dignitatis, in eadem dignitatis altitudine erigere ſe curauit per ſublimitatem uitæ. Vnde & ſubditur. Et ſurrexit Saul:] deinde ſubditur. Egreſſiq; ſunt ambo, ipſe uidelicet & Samuel.] Paſtor egreditur, quando à ſecreto meditationis uenit ad publicum operis. Quando enim diſponit, quæ uult agere, intus eſt. Quando autem ea agit foris, quæ cogitauit, quaſi exit. Exijt etiam Saul: quia in exteriori dignitate, is qui promouetur, illud ſuſcipit, quod an eſſet ſuſcipiendum diutius cogitauit. Ambo igitur dicuntur egreſſi: quia ambo fuerunt intus: dum ille ſollicita mente præuiderit, quid, aut cui daret: ille itẽ attentius cogitaret, qualis eſſet, qui tam ſumma perciperet. Quia ergo miniſteriũ ſanctæ prædicationis cum ſumma diſcretione tribuendum, atq; recipiendum eſt, dum rex Iſraelis ungitur, & rex, & Propheta unctur us eum, egreſſi perhibẽt. Pleriq; aũt codices habẽt. Cumq; mane ſurr exiſſent, antequam diluceſceret:] quod nimirum intelligi conuenienter poteſt. Mane eſt quidem, antequã diluceſcat, quandõ quodammodo aſpirare dies incipit, & tñ plena lux diei non eſt. Prædicatores autem ſanctæ eccleſiæ dum eorũ bonã cõuerſationem conſiderant, quos ordinare diſponunt, quaſi mane eſt. Sed quia eorum futura ſcire nõ poſſunt, mane eſt, ſed antequam diluceſcat. Quod bene in eius ordinatione dicitur qui omnipotenti deo poſtea diſplicuiſſe memoratur. Quaſi enim mane, antequam diluceſceret propheta uidit hunc, qui ei in luce bonæ conuerſationis apparuit. Sed plena diei claritas nondum erat, quia in eo futuras tenebras per præſentem cognitionis lucem uidere nõ poterat. Quod nimirum toties ſanctæ eccleſiæ agitur, quoties boni ſunt qui eliguntur in preſenti, ſed in eodem bono perſeueraturi non ſunt. Quaſi enim mane, & ante lucem egreditur, qui lucẽ boni operis præſentem monſtrat, caliginem uitæ futuram cælat. Sed quid inde actũ ſit, ſequitr. Cumq; deſcenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul. Dic puero ut antecedat nos & tranſeat: tu autem ſubſiſte pauliſper ut indicẽ tibi uerbum domini. Tulit autem Samuel lenticulã olei, & effudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum:] Quid eſt eñ quòd in extrema parte ciuitatis rex ducitur, & ungitur? Sed extrema pars ciuitatis, A eſt ultima pars populi ſubiecti. Qui ergo ultimũ locũ tenẽt in ſancta eccleſia, uelut in extrema parte, ciuitatis ſunt. Ipſius aũt eccleſiæ in ultima parte, cõuerſi peccatores eſſe uidentr. Nã iuſti quiq; in ſuperiori uel prima ſunt parte. Aut fortaſſe primũ locũ uirginitas tenet, ſecundũ cõtinentia, tertium cõiugalis uita, ultimũ cõuerſio peccatorũ. In extrema igitur ciuitatis parte rex ungitur: quia ſanctæ eccleſiæ rector ordinatur, pro peccatoribus, non pro iuſtis. Hinc enim per ſemetipſam ueritas dicit: Non ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad Matt. 9
pœnitentiã. Hinc iterũ dicit: Non opus habent ſani medico, ſed male habentes. Sed puerum Saulis ſpiritualem ſenſum deſignare diximus. Quid B eſt ergo, quòd præcedere, & tranſire à Samuele imperatur. Sed præcedit puer, quando hoc agitr, quod à ſpirituali ſenſu nobis ſuggeritr, nõ quod à motu carnali imperatur. Sed quoſdã præcedit, & tranſit, quoſdã præcedit & non tranſit. Non tranſit quidem præcedens puer arrogantes, tranſit humiles: nam dum arrogantes magna, & ſpiritualia agunt, in oculis ſuis magni ſunt. Quaſi enim ſecũ habent puerum, quem ſequuntur: qui in ſpiritualibus, quæ agunt, ſpirituales ſe eſſe gloriantr. Quibus profecto propheta exprobrat, dicens: Vę qui ſapiẽtes eſtis in oculis ueſtris, & coram uobiſmet Eſa. 5
ipſis prudentes. Electi ergo in omnibus, quæ agunt, eſſe quidẽ ſpirituales curãt, & tenere ſe ſpirituales uitãt. Magni quidẽ ſunt merito, humiles C æſtimatione: quia ſemper magna agũt, ſed in eiſdem magnis ſe magnos nunquã aſpiciunt. Quaſi ergo puerum, quem præmittũt, tranſire faciũt: cũ ſpiritualem ſenſum præſentem habent in opere, ſed lõge ab æſtimatione. Quid uerò eſt, quod pauliſper ſubſiſtere præcipitur, ut ei uerbum domini indicetur. Sed pauliſper ſubſiſtit, præmiſſo puero qui ad horam ſe proprio arbitrio ſubtrahit, & alienam uoluntatem facit. Tranſire ergo facit puerũ, & pauliſper ſubſiſtit: qui ad præceptum maioris illa etiam, quæ putat ſpiritalia, deſerit: ut ea quæ ſibi iniungunr efficere cõuenienter poſſit. Quod certè ordinando prædicatori conuenit: nam dum pondus paſtoralis curæ conſiderat, & infirmitatem ſuam, hoc ſibi ſe præcedẽs ſpiritus dicit: quia D tantum onus tam infirmus indignè ſuſcipit. Prætermittat ergo non ſolum, ſed tranſire faciat puerum, ut non arbitrium ſuum ſequatur, ſed illud ſuſcipiat, quod ei melioris prouiſione decernit. Et de ſubſiſtente protinus additur.

Caput IIII

TVLIT autẽ Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius.] Hoc profecto hac unctione exprimitur, quod in ſancta eccleſia nunc etiam materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur, ſacramenta ſuſcipit unctionis. Quia uerò ipſa unctio ſacramentum eſt, is qui promouetur, bene foris ungitur, ſi intus uirtute ſacramenti roboretur. Ipſas ergo olei uirtutes prius uideamus attentius. Oleum quippe liquoribus alijs ſuperfertur, oleũ ignem

ignem fouet, oleum uulnera curare cõsueuit. Per illud ergo misericordiæ bonũ significat: quia scriptum de domino est: Miserationes eius super omnia opera eius. Quia ignem fouet, prædicationis gratiam designat: quæ electorum mentes illuminat. Quia uerõ uulnera per oleum curantur, hoc profecto insinuat, quod detergenda sunt uulnera peccatorum. Vngatur ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est replenda doctoris. Habeat in unctione sua oleũ, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi uirtutibus alijs præferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem sancti spiritus in se nutrit, lucere uehementer alijs per uerbum possit. Habeat nihilominus oleũ medicinæ, ut sapienter disponat qualiter peccatorum fœtores tergat, & ægras mẽtes saluti restituat. Sed lenticula Saul ungitur, non pro præsignanda doctrina, sed ad exprimenda futura. Lenticula quidem paruum est uas. Quid ergo est quod lenticula olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur? Nam quia obedire deo postea noluit, à Samuele audiuit. Quia proiecisti sermonem domini, proiecit te dominus ne sis rex. Velut enim lenticula olei parum habuit, qui spiritualem gratiã proijciẽdus accepit. Quod in rectoribus quoque sanctæ ecclesiæ conuenienter accipitur. Plerunq; enim culmen prælationis accipiunt, qui in charitate dei, & proximi perfecti non sunt. Quendam nanque affectum charitatis habent, sed plenitudinem eius nõ habent. Illa ergo rudis, & imperfecta mentis affectio, quid est nisi lenticula olei? Nam dum ungit caput, & non replet: tota quidem effunditur, sed parum exhibet. Econtra autem cum electus rex ungi præcipitur, eidem Prophetæ dominus ait: Imple cornu tuum oleo, & ueni mittam te ad Isai Bethleemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem. Hinc est, quod idem electus rex plenitudinem unctionis suæ dei laudibus imputans, ait: Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians quàm præclarum est. Qui ergo gratiam unctionis nõ perseueraturus accepit, dispensante deo per illius uasis liquorẽ ungit, quo uncti defectio signaretur. sequitur: Et osculatus est eum, & ait. Ecce unxit te deus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum eius de manu inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt.] Ad culmen sanctæ ecclesiæ rector ducitur, ut hoc officium habeat, quo inter deum, & homines pacem ponat. Peccando etẽ inimicitias creatoris incurrimus. Dum ergo ad peccatorum correptionem rector ponitur, illud de medio tollit, quod dei nos inimicos fecit. Bene ergo Samuel Saul caput osculatus fuisse perhibet. Prophetæ nanq; osculum defixũ ille portat in capite, qui reconciliationis nostræ suffragiũ portat in mente: cùm uidelicet in se nulla gerit fomenta diuinæ discordiæ, qui in mente paci reddere discordes studet. Osculato ergo principe dicitur, Vnxit te deus in principem super hæreditatem suam. Quasi rebus eum admoneat, dicens: Qui te ad hoc positũ nosti, ut peccati inimicitias debeas soluere, quod in alijs destruis, in te non debes retinere. Nonnulli etenim & ungun tur, & osculum non accipiunt: liberare populum domini satagunt, sed se inimicorum iugo subijcere non paueſcũt. Nam qui alijs bona prędicat quę non agit, quasi osculum dat, quod non accipit. Amicos etenim dei alios facere quærit, ipse inimicus esse non desinit. Inimicitias peccati in se ædificat, quas in alijs destruere per uerbũ tentat. Quia ergo ille solum præeminet utiliter, qui per affectum magnæ charitatis dei amicus est: Samuel caput regis osculatus fuisse dicitur. Hinc ipsa ueritas prius osculatur, quos ordinat: deinde ad liberandos alios mittit. Vos (ait) amici mei estis, dein de addidit, dicens: Posui uos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructꝰ uester maneat. Hinc item resurgẽs à mortuis dicit: Pax uobis, deinde subdit, quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt. Vt uelut osculũ pacis in eorũ mente figeret, quos peccati odia soluere prę cepisset. Osculatus ergo rex super hæreditate domini constituitur, quia electus doctor eligitur, ut fidelibus subditis dignitate pręemineat, sed prælatione sua nõ suũ, sed domini lucrũ quærat. Quare ad hoc constitutus asseritur, ut qui sub eo sunt, de inimicorũ manibus liberẽtur. Hæreditas domini multitudo fideliũ est. Omnis ergo secularis intentio remouetur, cum rex super hæreditate domini unctus asseriꝰ. Vnctionis ergo fructus est, cultus diuinæ hęreditatis. Ille ergo officiũ unctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarũ. Super hæreditate quippe domini in principem se unctũ meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suũ ministeriũ Christus quæsiuit. Hoc igitur uerbo negligentiũ rectorũ intentio reprobatur. Audiunt nanq;, quia super hæreditate domini uncti sunt: quia de terra dominus nõ nisi electos quærit, norunt, quòd non terræ latitudinem, non auri copiam, non diuitiarum affluentiã, sed fideles suos hęreditatem suã dicit: & tamen terrenũ quærere, & quod perit congregare non desinunt. Ad id quod dominus non quærit, tota sollicitudine intendunt, & quod solum quærit, quærere negligunt. Dicitur ergo in quo se negligentes aspiciant, dicitur in quo boni meliores fiant. Vnxit te (inquit) deus in hæreditate sua in principem.] Quasi dicat. Hæreditatẽ suam tuã fecit, uide ut tu in ea aliter non regnes. Liberabis ergo populum de manu inimicorũ, qui in circuitu eius sunt. Grãdis labor prædicatori præcipitꝰ, per hoc quod inimici in circuitu esse referuntur. Satis enim graue prælitũ esset, si in una parte malignorũ spirituũ sæuitiã tolerarent. Hinc per prophetã denunciãs dicit: In circuitu impij ambulãt. Hinc beatus Petrus exhortans, ait: Aduersarius uester diabolus tanq; leo rugiens circuit quærens quẽ deuoret: cui resistite fortes in fide. Inimici igitur nostri in circuitu nostro sunt: quia immundi spiritus cogitationi nostræ, uerbo, & operationi semper insidiantꝰ. Nam dũ praua nobis suggerere appetũt, ab una parte sunt: cum ad mala pertrahunt, eotũ prælio ab alia parte pulsamur: cũ ad mala opera inuitãt, ex parte

Psal. 144

Psal. 22

Ioan. 15

reliqua bellum excitãt. In circuitu ergo hostes habemus qui in omni quod cogitamus, loquimur & operamur, malignorum spirituum bella patimur. Sed quia non à bello sed de manibus inimicorum liberare populũ dicitur, magna uirtutis insignia prædicatoribus adscribuntur: quia non solũ liberos, ne capiãtur debent protegere, sed etiã captos de eorum seruitute liberare. Hoc autem tunc à regibus nostris agitur, quando illi per eorũ prædicationẽ resipiscũt, qui per audaciam transgressionis, subiecti sunt iugo diabolicę potestatis. Quod profecto agere illi solummodo prędicatores possunt, qui ad culmen regiminis diuina ordinatione peruenĩunt. Nam quos omnipotens deus ordinat, ad tolerãda prælia antiqui hostis mittit: sed eos inter ipsa bella non deserit, quia milites suos protegit, & uictores facit. Sed cum sancti uiri ad primatum sanctæ ecclesiæ sustolluntur, uehementer expauescũt, ne onus tanti ordinis sibi iudicio hominum sit impositum, non ordinatione conditoris. Ad robur ergo humilium dantur signa, quibus se à deo non ab hominibus electos sciãt. Quare & Samuel subiungẽs, ait. Et hoc tibi signũ quia unxit te deus in principem. Cum abieris à me hodie inuenies duos uiros iuxta sepulchrũ Rachel in finib. Beniamin, in meridie saliẽtes magnas foueas, dicentq; tibi: inuẽtæ sunt asinę, ad quas ieras perquirendas, & intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro uobis, & dicit, quid faciam de filio meo.] Quasi enim humili pastori, & de tanto ministerio trepidãti dicat: Tu idcirco trepidas: quia an sit ex deo hoc, quod de te actum est, nescis: sed quia hoc scire potes, trepidare non debes. Hoc igitur tibi signũ, quia te nõ homo, sed deus in principẽ unxerit: duo uidelicet uiri illi tibi dicent, inuẽtæ sunt asinę, ad quas ieras perquirẽdas. Quasi dicat: *Si illos duos uiros inueneris, & hoc tibi dixerint, scito quia te de*ꝰ *principẽ, nõ ego cõstitui.* Quid ergo duo uiri isti *nobis, nisi perfectos quosque* sanctæ ecclesiæ prædicatores designãt? Duo quidẽ sunt: quia perfecti in utroq; præcepto charitatis: uiri quia in sancta conuersatione robusti. Qui iuxta sepulchrum Rachel inueniri perhibentur: quia per cõtemplatiuæ uitæ studiũ diuisi sunt ab intentione seculi: & dũ animarũ lucra quærũt, nõ sunt sepulti. Per Rachel quippe contẽplatiuæ uitę speciositatẽ signari, uenerabiliũ patrũ indubitata sentẽtia est. Iuxta sepulchrũ ergo Rachel stãt uiri: quia sic supernæ contemplationi perfecti doctores uacant, ut sanctæ ecclesiæ sollicitudinẽ gerant. Iuxta sepulchrũ Rachel stant: quia statũ boni operis dirigunt per uirtutẽ contẽplationis: & quia nihil gerunt in opere nisi quod contẽplando disponunt. Et quia in ipsa altitudine supernæ contemplationis nõ præsumptionẽ suã, sed rationem sanctæ ecclesiæ tenere studẽt, sepulchrũ Rachel in finibus Beniamin esse describit. Vt iam dixi, in Beniamin, qui filius dexteræ dicitur, redemptor humani generis designatur. Fines ergo Ben
Prou.22 iamin regulæ sanctarũ scripturarũ sunt. De quibꝰ profecto finibus scriptum est: Ne transgrediaris

A terminos, quos posuerunt patres tui. Quia ergo sancti prædicatores cum summa contemplando uident, à fidei regula non discordant, sepulchrũ, iuxta quod stant esse in finibus Beniamin rectè dicitur. Qui profecto uiri in meridie magnas foueas saliunt: quia per feruorẽ perfectæ charitatis, in qua assumpti sunt, cũcta, quæ uidentꝫ seculi alta despiciunt. Quicquid enim in hoc seculo altũ cernitur, non est uera altitudo, sed fouea: quæ omnes quos in sua ambitiõe recipit, ad inferna deponit. Alta ergo seculi uiris spiritualibus uitanda, nõ appetenda sunt: quia ex occulto se aperiũt, & quos absorbendo recipiunt, ad inferna perducũt. Viri ergo spirituales foueas saliũt: quia dum se per cœleste desiderium erigunt, terrena contemnũt. Velut enim uisis foueis saltum dant, quando ut terrena contẽnant, ad æterna bona concupiscenda se eleuãt. In meridie ergo foueas saliunt: quia seculũ nõ possunt contẽnere nisi qui plenã lucẽ, & ardorẽ supernæ charitatis habent. Tunc ergo Saul unctũ à domino in principẽ se intelligat, quando isti sibi dicent, inuentæ sunt asinæ, quas quærebas. Inuentas quippe asinas Saul dicunt, quando ad colligenda animarũ lucra idoneũ cernunt. Quasi aliter dicat. Electũ te à deo in ministeriũ prædicationis non ab hominibus credas, si illi hoc de te indicant, qui dũ dei spiritu pleni sunt, quæ dicũt non humana, sed diuina esse sentiuntur. Quia ergo de nobis non nobis, sed nobis melioribus credendũ
C est, aptè Saul à uiris in meridie magnas foueas salientibus, se à domino unctum in principem recognoscit. Sed alius est à quo ungitur, alij qui ipsam unctionem à domino esse atteſtantur: quia omne negotium sanctæ ecclesiæ sicut collatione sanctorum patrum magis probatur, ita & magis robustum est: Quasi enim signum suæ unctionis beatus Paulus tunc quæsiuit quando uidere Petrum Hierosolymã uenit, & cum eo, & cæteris apostolis euangeliũ contulit. Non enim ab homine neq; per hominẽ, sed à cœlo uocãte domino Iesu apostolatum susceperat: & tamen ministerium unctionis suæ per coapostolorum suorum collationẽ
Gal.1.&2 ꝓbabat. Nam de seipso ait: Contuli cum illis euangelium, ne in uacuũ currerẽ, aut cucurrissem. Præ
D cursor etiam redemptoris discipulos unxerat, sed ut signa suæ unctionis agnoscerent, quasi ad salientem magnas foueas mittebat dicens: Tu es qui
Mat.10 uenturus es, an alium expectamus? Sciebat enim Ioannes quem prędicauerat, quem baptizauerat: sed discipulos mittebat, ut uisis signis, quo firmius crederent, electionis suæ indicia securius tenuissent. Qui ergo ad prædicationis ordinẽ idonei prouidentꝫ, in signũ suæ electionis inuentas esse peccatorũ, quas quærũt animas recognoscunt. Et quia omnipotens deus non solum prædicatione, sed etiã cõuersatione electi doctoris gaudet: subdit, atq; ait. Et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro uobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?] Patrẽ Saul Cis, qui durus nostro eloquio dicitur, eos designare diximus, qui uerbo, & exẽplo docent terrena despicere, & ad cœlestẽ patriã

per du

per dura, & aspera conuersatione festinare. Hanc quoq; cœlestis uitæ duritiam tam in uerbo, q̃ in uita nostri redẽptoris agnouimus. Si ergo ad summam nostræ eruditiõis aspicimus, filij redẽptoris sumus. Pater ergo noster dimissis asinis, sollicitus est pro nobis: quia redemptor noster sic uult nos quærere salutẽ alienã, ut non negligamus nostrã. Vult ut uocent peccatores ad pœnitentiã, sed nõ uult, ut pereãt ij qui ipsos peccatores uocãt. Vult ut cõuersus peccator iustitiã quã nõ habuit, habeat: sed non uult, ut iustus eã, quã habet iustitiæ palmam perdat. Intermissis ergo asinis pro filio sollicitus est, quia prædicatores suos uult ad horã ab aliorũ sollicita intentione quiescere, ut sibi ipsis per quietem ualeant melius prouidere. Et quia ipsa sollicitudo sanctæ ecclesiæ à bono rectore resumenda est, intermittitur quies nostra: quia præuenit hanc sollicitudo prior, comitatur posterior. Electꝰ ergo prædicator uacet utilitati subditorũ, uacet suæ, sed sic suę curam habeat, ut statim ad eã quam deserit, alienam recurrat: quia tunc conditor noster nos quasi filios diligit, cũ & subditos nostros tanquã fratres diligimus, & ipsum quasi patrẽ amamus: dũ per affectũ sollicitudinis istis iungimur, & ad illũ per quietẽ nostrã quã diligit, quasi ad patrẽ festinamꝰ. Hęc nanq; dilectio quietis nostræ exprimitur in hoc, quod dicitur. Quid faciã de filio meo?] Hoc profecto pater dicit, qui tenere filiũ diligit. Hoc igitur non dicitur de præsente filio sed absente. Sed quia perditas asinas patris quærit, ei ualde dilectus est: quia qui peccatorum animas conuertere prædicando nititur, redẽptori nostro iã in magna charitate copulat: Qui certè per aliorum sollicitudinem ab eo quasi longè est, per quietẽ cõtemplationis, & affectũ orationis prope. Quia ergo nos sibi uicinos esse & per cõtemplationẽ, & per orationẽ appetit: quasi diligẽs pater dicit. Quid faciã de filio meo?] Quasi dicat. Quomodo absentem illum, mihi præsentem exhibebo? Quia uero prædicatiõis nostrę sollicitudinem magni sanctæ ecclesiæ uiri laudant, sed sollicitudinis nimietatẽ uituperant, illi qui inuentas patris asinas dicunt, sollicitum patrẽ pro filio asserunt. Signum ergo suæ unctionis cognoscere electi possunt quia nimirũ tunc à deo ad sanctæ ecclesiæ culmen perducuntur, cũ per uerba, & exẽpla idonei sunt ad salutem alienam, & per quietem studiosi ad suam: & cùm peccatores ad cœlum quærunt, semetipsos ad seculum non relinquunt. sequit: Cum inde abieris & ultra transieris & ueneris ad quercum Thabor, inuenient te tres ibi uiri, ascendentes ad dominum in Bethel, unus portãs tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius lagenã uini. Cumq; te salutauerint, dabũt tibi duos panes, & accipies de manu eorũ.] Cum bene proficere in sancta cõuersatione uolumus, necessariũ nobis est: ut electorũ plurimorũ nobis exempla colligamus. nã & apes cõponere mella nequeunt, si ea in floribus uarijs nequaquam legũt. Bene ergo Saul à uiris alijs, ad alios peruenit: quia exẽpla sanctorũ quo copiosius cernimus melius edocemur. Flores quippe æternorũ fructuũ sunt opera sanctorũ, quę dum superni amoris rore perfunduntur, ex eis carpimus, unde ad nostram doctrinã, & ad aliorũ utilitatẽ repleamur. Inde etenim abit, & ultra transit Saul: quando rudis prædicator per electorũ exẽpla proficit, & à conspecta uirtute unius, ad explorandã alterius cõuersationem uadit. Quem sæpe delectat in alijs mirari laborem prædicationis, sæpe in alijs fortitudinẽ boni operis: illos loquẽtes uenerat̃, istos operantes imitari nititur. Illos aspicit, qua pulchritudine foris fulgeant, istorũ splendorẽ nõ in exteriori cõuersatiõe, sed in intima perscrutat̃. Vnde & bene cũ trãsit, ad quercũ Thabor uenire perhibet̃. Quercus em̃ umbrosa est arbor, & fortis. In qua profecto arbore secretior cõuersatio sanctorũ exprimitur. Huius nanq; cõuersationis uiri, dũ ad exteriora opera actiuæ uitæ non exeunt, quasi in umbra sunt: quia incendia tentationũ sentire nõ possunt. Quia enim in cœlesti desiderio requiescunt, quo longius amoti sunt ab amore mundi, eo & quietiores manent in umbra refrigerij. Sed umbra hæc fortis est arboris, quia conuersatio sanctorũ tanto ualidius terrena nõ despicit, quãto purius in amorem cœlestiũ surgit. Fortis est etiã, quia seculi aduersa potenter tolerãt, qui sola cœlestia, quæ uident, amãt. Et quia in magno lumine interni splẽdoris sunt, qui terrena respicere per amorem dedignantur, quercus ipsa Thabor esse dicit̃. Thabor quippe ueniens lumen interpretat̃. Lumen etem̃ uenit, quando electæ menti se interna conditoris claritas aperit. Quercus ergo Thabor dicit̃: quia secreta cõuersatio, terrena despiciendo, agit: quo intimã cõditoris lucẽ clarius aspiciat. Secreti nanque sumus, quãdo sensus nostros in dei timore custodimus. Et tunc quidã ueniens lumẽ cernimus, quia cũ bene regunt̃ membra corporis, menti nostræ refunditur gratia cõditoris. Et notandũ: quia ad quercum Thabor uenire dicitur, qui à salientibus foueas sollicitũ pro se patrẽ esse sciebat. Nam prædicatores sanctæ ecclesiæ plerunq; uirtutes laudant, quibus ipsi uacare non possunt. Contemplatiuæ quidem uitę secretũ prædicant, sed dũ solliciti sunt pro subditorum custodia, illius uitæ adhærere secretis uitant. Quasi ergo Samuel dicat. Viri illi tibi contemplationis studium laudãt, sed quia quod laudant, tenere nõ possunt, in alijs quærendum est. Inde ergo ad quercum Thabor transimus, quando à sanctis prædicatoribus contẽplatiuæ uitæ studium laudabile noscimus: sed perfectionem eius in illis quærimus, qui ad eam spiritaliter intendunt. Tres ergo uiri, qui unctum regẽ ad quercum Thabor inueniunt, illos designant qui in contemplatiuæ uitæ studio perfecti sunt. Qui bene nõ inueniri à rege, sed regẽ illic inuenire perhibẽtur: Non em̃ inueniũtur: quia abscõditi sunt. Ipsi uero nos inueniũt: quia lucẽ suæ secretæ cõuersationis nobis aperiũt, cum dignantur. Non inueniũtur: quia uitã suã ab omni hominum testimonio auferũt. Sed nos inueniũt: quia per affectũ charitatis nobis ad imitandũ, aliquid

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuæ lucis oſtendunt. Qui item imitandas uirtutes ſuas nō proferūt, niſi ijs qui magno deſiderio eas obtinere, & exercere cōcupiſcunt. Prius ergo nos oportet ad quercum Thabor uenire, ut à uiris illis tribus ualeamus inueniri. Nam uelut iā in umbra ueniētis luminis ſumus, quando magnis ſummæ contēplationis deſideriſs inflammamur. Tūc ergo nobis tres uiri apparēt, quia qui ſe nobis deſiderantibus dignantur oſtendere, in cuſtodia locutionis, cogitationis, & operis fortes ſunt. Nam ſecretioris uitæ eſſe nō poſſunt, ſi oculorū, cordis, & oris oſtia aperta tenuiſſent. Quia ergo cor ab inepta cogitatione, os ab otioſo ſermone, totū corpus à praua operatione cuſtodiunt, tres ſunt: uiri autem, quia eandem cuſtodiam fortiſſimè obſeruant. Tres ergo uiri nobis apparent: quia cum tales cernimus, in eis robur uirtutis intuemur. Qui certè in umbra uenientis ſunt luminis: quia uidere internā lucē cōditoris tāto clarius poſſunt, quā to ſtudioſius mundum cor à mundi inquinatione cuſtodiunt, Talibus quidem à mortuis reſurgens apparuit dominus, tales repleuit ſpiritus ſanctus.
Ioan.20 De illo etenim ſecreto dicitur. Cum ſero eſſet una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli propter metū Iudæorū. Et rurſum, poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cū eis: uenit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis. Pax uobis. De alio itē ſecreto ſcriptū
Acto.3 eſt: Dum complerentur dies pentecoſtes erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus aduenientis ſpiritus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant ſedentes, Et apparuere illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſuper ſingulos eorum. & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Clauſas quidem ianuas habent, qui contra humani lapſus negligentiam, officia corporis ſub forti cuſtodia ſtricta retinent. Intus etiam ſunt: quia in interna dilectione ſupernæ uitæ requieſcunt. Quibus profecto reſurgens dominus apparet, quia eius gloriam tanto clarius aſpiciunt, quanto per mundi contemptum paſſionis eius myſterium ſtrictius ſequuntur. Hi etiam repleri ſpiritu ſancto quaſi in domo poſſunt: quia illic percipiunt abundanter gratiarum eius dona, qui ad ea percipienda, ſeſe uiſibilia contemnendo, parauerunt. Qui bene ad dominum in Bethel aſcendere dicūtur. Bethel quippe dicitur domus dei. Domus uero dei quæ eſt, niſi domus illa, quā inhabitat, inacceſſibilis? Lux etiam inacceſſibilis eſt, reuelatio diuinitatis eius. Lux quippe eſt: quia à mundis cordibus qualitercūq; uideri poteſt. Pleniſſima quidem in ſemetipſa replet omnia, ſed abundanter replens uniuerſa, non capitur. Capitur quidem ut repleat, ſed replens nō capitur, quæ repletis omnibus, non expletur. Reuelatio itaq; cōditoris quia tanta immenſitas lucis eſt, ut illuminet omnia, & anguſtetur in nullo: dum uidetur, & non comprehenditur, lux eſt inacceſſibilis. Viri ergo hi tres ad dominum aſcendunt: quia qui ſe in ſecretiori uita cuſtodiunt, in diuinæ lucis contemplatione ſublimantur. Sed quia ad ipſam dei omnipotentis ſpeciem adhuc pertingere nō poſſunt, in Bethel aſcendere dicuntur. Quicquid em̄ de omnipotentente deo humana mens poteſt cogitare, deus nō eſt. Sed dū cogitādo cuncta tranſcendit, dū quicquid poteſt intimæ lucis, quicquid internæ ſuauitatis & dulcedinis, quicquid ſpiritualis delectatiōis ſibi fingere, minus illa eſſe creditur: ad quandam lucem tamen peruenit, quæ nō eſt deus, ſed quam inhabitat deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammat̄, mirabiliter reſi citur, ineffabiliter delectatione fruitur: cogitare compellitur, quàm ineffabilis lux, dulcedo, & delectatio ſit, quæ ipſe eſt: ſi tam immenſa lux eſt illa quam inhabitat, & non eſt ipſe. Ad dominum quippe in Bethel Moyſes aſcenderat, quando cū eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem peruenerat, quam inhabitat deus: lucem, quam ipſe deus erat, quærebat dicens: Oſtende mihi faciem tuam. De quo etiam ſcriptum eſt, quia loquebatur Exod.33
Moyſi dominus facie ad faciem. Quid eſt, quod facie ad faciem Moyſes cum domino loquitur, & tamē dominum obſecrat, ut faciem ſuam dominus oſtendat? Sed facies dei, cognitio eius eſt. Cognoſcitur autem deus per ſpeculum, cognoſcitur per ſeipſum. Per ſpeculū hic, per ſemetipſum in cœlo. Speculum uero eſt illa lux, quā habitat deus: ipſe aūt lux illa, quæ ipſe eſt. Moyſes aūt qui facie ad faciem deum uidere dicitur, & eius faciem ad uidendum poſtulare, quid rectius deſignat, q̄; perfectionem electorū, qui iam ſpeculum illius ſummæ lucis intuentur, ſed tamen ad ipſam lucis ueritatem pertingere uehementer cupiūt? Iſta quidē cognitio lucis, electorū deſideria ſatiare nō nouit ſed excitare: illa uero & ſatiare, & excitare. Nam tam iocūda res eſt, ut ineffabiliter concupiſcatur, & tam plena, ut qui iam ſemper hanc in magno deſiderio uiderunt, ſemper ineffabili plenitudine ſatient̄. Viri ergo qui ad dominum aſcendūt in Bethel aſcendere dicuntur, quia cum multum in iſta uita proficimus, uidere ipſam lucem conditoris per ſpeculum poſſumus: in ſeipſam autē minimè ualemus. Et quia ad hanc ſublimē uiſionē non niſi humiles exaltantur, bene de eiſdem uiris dicit̄: quia unus tres hœdos, alius tres tortas panis ferebat. Tres deniq; hœdos portat, qui ore, corde, & opere ſe deliquiſſe pœnitendo conſiderat. Quia em̄ per hœdos peccatores ſignificantur ij qui in extremo examine ad ſiniſtrā æterni iudicis ſtatuendi ſunt, hœdorū nomine exprimūtur. Tres ergo hœdos ad dominū portat: qui peccata operis uerbi, & cogitationis pœnitendo conſidere nō deſinit. Et uir quidē eſt, & tamen hœdos portat: quia peccare fortiter cauet, ſed quaſi peccator non deſinit ſatisfacere. Nam uir erat, & hœdos portabat, qui dicebat: In multis offendim⁹ omnes. Et quia peccata, quæ confitent̄, delere pœnitēdo ſatagūt: unus tres hœdos, alius uero tres tortas panis portat. Tortas quippe panis ſuperius ad afflictionē pęnitētię retulim⁹: quia ſi panis aliquā do delectationē preſentis uitę ſignificat panis torquet̄, cū p̄ preterita carnis delectatiōe cruciamur. Iaco.3

Vnde

Vnde & rex Ezechias cùm pœnitendo compungitur, delectationes regias se torturū promittit, di
Esa.38 cens: Recogitabo omnes dies meos in amaritudine animæ meæ. Quando etenim carnalis mens in culpæ delectationes resoluitur, quasi diem habet: quia hoc quod agit, lętanter uidet. Dies ergo mentis reprobæ sunt delectationes malę. Omnes ergo dies suos peccator recogitat: quia cùm per diuinā gratiam resipiscit, satisfacere pro uniuersis malis non desinit. Prius enim dicitur unus portare tres hœdos, deinde alius tres tortas panis, ut electi cuiusq; uirtus appareat, qui fortis est in bono opere, humilis per æstimationē, afflictus per contritionē pœnitentiæ. Et quia tantæ perfectionis esse nequeunt, nisi qui amore æternorū bonorū temporalium obliti sunt: tertius lagenā uini portare dici- B tur. Lagenam quippe uini portat, qui mentem repleuit calore spiritus sancti, quo & anteriora fortiter currendo appetat, & ea quæ retro sunt, uelut in magna ebrietatis obliuione derelinquat. Nam
1.Tim.1 hœdos portabat, qui dicebat: Venit Christus uocare peccatores, quorum primus ego sum. Et quia
1.Cor.9 etiam tortā panis portabat, dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutē redigo. Sed quasi amphoræ
Philip.3 uino ebrius, dicit: Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea uerò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor brauium supernę uocationis dei in Christo Iesu. Viri ergo tres ad dominū ascēdunt, & tres hœdos, & tres panis tortas, & uini lagenam deferunt: quia remotioris uitæ studijs dediti, ad cōtemplationē ueri luminis surgunt ex C merito humilitatis. Sed quales sunt in se, quales uerò sint alijs exponit, dicens: Cumq; te salutauerint, dabūt tibi tres tortas panis, & accipies de manu eorū.] Salutant nos uiri sancti, quando nobis bona æternæ salutis annūciant. Qui uerò nos per corpus salutant, caput inclinant, ut reuerentiā salutatis exhibeāt. Viris autē spiritualibus caput inclinare est, mentē à summa contemplatione deponere. Nam si caput non inclinant, salutare non possunt: quia nos salutari eruditione non instruunt, si mentē à summa cōtemplatione cœlestium non deponunt. Tunc enim nobis magnā reuerentiam exhibēt: quia eos pro quibus ab alto suo culmine descendere dignant, paruos esse non tenēt. Sed dum futurus rex salutatur, duo ei panes tribu D untur. Duo em̄ panes ordinando prædicatori dantur, quando flere docetur peccata non solum sua, sed aliena. Habet ergo panem unum tortū, quando pro peccatis suis affligitur. Habet aliū, quando subditorū peccata plangere conatur. Sed & hunc
Psal.126 panē Psalmista clarius insinuās, ait: Surgite postq; sederitis qui manducatis panē doloris. Hinc do-
Psal.79 mino confitetur, dicens: Cibabis nos pane lachrymarū, & potū dabis nobis in lachrymis cum mensura. Panis ergo torta, panis est doloris, & panis lachrymarū. Et fortasse idcirco ille uir unus tres panis tortas portabat, quia tres erant, qui simul pergebant, ut cùm inter se eos diuiderent, singuli singulos panes haberent. Quod etiā de hœdis intelligi conuenienter potest. Qua in re quid notandū A est, nisi quia remotioris uitæ uiri dum singularem conuersationē tenent, sollicitudinē aliorū non habent? Vnū ergo hœdū, & unū panem habent, qui pro solis suis peccatis cōpunguntur, & alienis per pastorale officiū non grauantur. Et quia qui eiusdem perfectæ conuersationis sunt, in seipsis afflictionem carnis ęmulantur: bene tres panes unus, & alius tres hœdos, & tertius uini lagenā portat. Velut enim unus portat, quod oblaturi, aut comesturi sunt omnes, & omnes manducant, uel offerunt, quod portat unus, quando pia æmulatione eorū quisq; succensus, in se habet bona exempla pro alijs, & bona quę habēt alij, non negligit imitari. Et quia fœminino genere dicuntur tortæ panis, hoc profecto insinuat: quia qui ex consuetudine compungitur, ei nimirū ex lachrymis alijs, aliæ plures oriuntur. Quasi enim in fœmineo sexu fœcūda est pœnitētis afflictio, quia quo sæpius quisque compungitur, eo & largiora ei lachrymarum fluenta ministrātur. Saul ergo non unus panis, sed duo dantur, quia flere prædicatori pro se solo non sufficit. Accipiat ergo de uirorum manibus duos panes, ut uidelicet flere exemplo perfectorū discat, sed fletum necessarium sibi, & pro se & subditis recognoscat. Et quia in manu aliquando potestas accipitur, uiri tres panes habēt in manu: quia qui prouecti sunt in arce cōtemplationis, fletum habent in uirtute potestatis. Quia enim nolunt una lætitia dissolui cùm possunt, possunt merito flere cùm uolunt. Nos quippe infirmi & custodiam mentis nostræ negligentes, etiam cùm compungi & flere pro peccatis nostris uolumus, non ualemus. Quia enim ex magno feruore spiritus, spirituales lachrymæ producuntur, qui negligentiæ nostræ frigore constringimur, incalescere cito ad lachrymas prohibemur. Bene ergo panes in manibus habere dicuntur, qui ad quercū Thabor futuro regi apparere perhibent: quia qui in cōtemplatione uitæ priuatæ perfecti sunt, lucrū habent subditorū pro obseruatione uirtutū. Et notādum quia uncto regi Samuel præcipit, dicens: Et accipies de manu eorū.] Cuius uerbi quæ melior ratio colligi potest, quàm ea quæ palā cernitur: quia uidelicet in sanctis uiris afflictionē non libēter æmulamur. Nam qui honorē prælationis, & dignitatem ambiant, innumeri sunt: qui uerò laborem ministerij, & afflictionē carnis de eadem prælatione appetant, pauci. Libenter quidem uolumus super alios sublimari, sed eorū plangere peccata uitamus. Tunc enim panes nobis oblatos uidemus, sed de manibus offerētiū recipere nolumus: quia in electis uiris afflictionē cernimus, quā non imitamur. Præcipiat ergo propheta, dicens: Accipies de manu eorū, ut qui idoneus esse appetit rector ecclesiæ, quod dictū est, assumere nequaq; uitet. Bene quoq; Saul prius ad uiros salientes magnas foueas ducitur, deinde ad eos qui panes, hœdos & uinū portant: ut rudis prædicator in alijs discat seculi alta despicere, et in alijs carnis afflictionē, et lachrymarū hostias pro se & subditis omnipotēti deo offerre. Sed et adhuc ꝓfectus eius summā insi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuans propheta subiungit,dicens: Post hæc ue
nies ad collem domini, ubi est statio Philistinorũ,
& cùm ingressus fueris urbem,obuiũ habebis gre
gem prophetarũ, descendentẽ de excelso, & ante
eos psalteriũ,& tympanũ,& tibiam,& citharã,ip-
sosq; prophetãtes.Et insiliet in te spiritus domini,
& prophetabis cum eis, & mutaberis in uirum a-
lium.] Collis altitudo est montis. Quid uerò in
colle hoc rectius accipitur,q̃ sancta intentio scri-
pturarũ? Altitudo quidẽ montis est:quia nõ iacet
in plano literæ, sed nimis erecta est in spiritualiũ
sensuũ sublimitate. Recto igit̃ uirtutũ itinere ru-
dis innititur prædicator,si postq̃ publicos prædi-
catores & remotos anachoretas uiderit,scripturę
altitudinẽ uideat & agnoscat. Qua in re notãdum
Supra 9 est:quia Saul in eo,quod ab humero, & sursum su
pra omnẽ populũ eminet:eruditũ, & magnæ con
uersationis uirũ signare diximus. Cur ergo ad col
lem domini ascendit, ut ad scripturarũ altitudinẽ
ueniat, quam cognoscit? Sed simili modo de eo
quęri potuit,quòd ad uidẽdos uiros saliẽtes mag-
nas foueas ierit,qui magnæ conuersationis esse di
cebatur.Ad quod dicendum: quia magnos uiros
designare ostensus est in cõuersatione,sed ministe
rio prædicationis rudes. Qui ergo per exempla
meliorũ proficere,& in cõtemplationis puritate,
& officio prædicationis potest,redire ad altitudi-
nem scripturarũ debet:quia quo altiori uita profi-
cit,sublimitatẽ sacri eloquij ualde subtilius atten-
dit. Dicat ergo propheta: Post hæc uenies ad
collem domini.] Quasi dicat. Cũ perfectionẽ san
ctorũ uirorũ perfecta imitatione cõprehendis,in
tantã scripturæ sacrę intelligentiã proficies,ut pla
num iam esse uideas,quod in ea te sublimiter uide
re cogitabas.Ibi est statio Philistinorũ,quia qui su
perbiæ potu de cœlo ceciderunt,ludæis atq; hære
ticis per scripturas illudunt. Stant ergo in colle:
quia eorũ corda quæ possident,in scripturis deci-
piunt intelligentiæ falsitate. Quoties ergo ludæi
ad collẽ domini ascendere pręsumunt,à Philistęis
ibi stantibus captiuãtur. Dum enim scripturæ sen
sum se sublimiter intelligere æstimant,eis in ascen
su suo dæmones obuiant, & decipientes necant.
Merito ergo Saul non statim, sed prius uisis salien
tibus foueas, & panes & uinum portantibus, ad
collẽ domini ire præcipitur:quia uiri fideles mag-
na & doctrinæ meliorũ & exemplorũ tutela mu-
niuntur. Vnde & eidem Saul dicitur: Obuium
habebis gregẽ prophetarũ ueniẽtiũ de excelso.]
Quasi dicat,Philistinorũ stationẽ timere tanto mi
nus poteris,quanto ad securitatẽ obuios prophe-
tas habebis.Et quia grex prophetarũ dicitur,mag
na defensorũ nostrorũ multitudo signat. Timeat
ergo ludæus:quia dum solus ascẽdit interit. Quid
enim ijdem prophetæ nobis obuiã uenientes di-
Eccls 4 cunt? Væ soli, quia si ceciderit, non est qui erigat
eum.Solus nanq; est,qui à deo relinquitur. Hunc
certè cadentẽ nullus erigit,quia relictũ à deo san-
ctorum aliquis non assumit. Electus ergo quisq;
securus ascendit:quia solus non est. Qui enim per
nos loquitur, nobiscum est. Nam & repromittit,
dicens: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus Matt.ult.
usq; ad consummationẽ seculi. Solus quippe non
erat,qui dicebat: Solus non sum,sed qui misit me Ioan.8
mecum est. Solus item non erat, qui exquirebat,
dicens:An experimẽtum eius quæritis, qui in me 2.Cor.13
loquitur Christus? Quod non solũ de domini spi-
ritali prẽsentia,sed & de materiali electorũ doctri
na intelligi conuenienter potest. Sancti quidem
prædicatores in collẽ domini ubi est statio Phili-
stinorũ ascendunt,sed quia prophetarũ gregẽ ha-
bent obuium,ipsos Philistæos nequaq; metuunt.
Qui uerò sunt hi prophetæ, nisi magni prædicato
res sanctæ ecclesiæ? Prophetæ nanq; ministerium
est occulta reuelare, & futura prædicere. Docto-
res autem sanctæ ecclesiæ dum occultos scriptu-
rarum sensus ad cõmunẽ scientiã trahunt, secreta
quæ nesciuntur aperiunt, & dum æterna gaudia
prædicant, futura reuelant. Prophetæ ergo nobis
obuiã ueniunt:quia doctores sanctę ecclesiæ scri-
pturæ sanctæ ueritatẽ nobis ostẽdunt. Dum enim
ea quæ de sacro eloquio scire uolumus, nobis di-
cunt:per uiam,qua ad collẽ domini pergitur, eun
tibus occurrunt. Ibi ergo per occursum propheta
rum securi sumus,ubi Philistæi sunt: quia per au-
thoritatẽ sanctorũ prædicatorũ scripturæ intelle-
ctum agnoscimus,in qua Iudæi & hæretici erro-
rum suorum gladio à dæmonibus perimunt̃.Ecce
enim si ad legem Moysi recurrimus,collem profe
cto domini inuenimus. Ibi certè de tabernaculo,
ibi de magno pontifice,ibi de hircorũ,& uitulorũ
simul, & agni paschalis sanguine legimus. Iudæi
hoc suo spiritu iuxta literã intelligũt, in quo quia
nullum prophetarũ secum habẽt,moriuntur.Ego
si ad hunc montẽ ascendere uolo,ante descenden
tes prophetas uideo,& securus ascendo.Et ut no-
uos interim deseram: Esaias ascendenti prius oc-
currit,dicens:Quasi ouis ad occisionẽ ducetur,& Esa.53
quasi agnus corã tondẽte se non aperiet os suum.
Hinc Paulus ait:Christus assistens pontifex futu- Hebr.9
rorum bonorum per amplius & perfectius taber
naculum non manu factum, id est non huius crea
tionis,neq; per sanguinẽ hircorũ aut uitulorũ,sed
per propriũ sanguinẽ introiuit semel in sancta æ-
terna redemptione inuenta. Sed si plures habere
uolumus, in isto colle omnes prophetas requiren
tes inuenimus: quia quod ueteres doctores pro-
miserant,hoc in redẽptore nostro noui prędicato
res impletũ esse demonstrant.Quare,& collis no-
mine redẽptor humani generis cõueniẽter desig-
nari potest. Vnde Esaias uaticinãs,dicit:Erit in no Esa.2
uissimis diebus præparatus mons domus domini
in uertice montiũ. Collis quidẽ dicit̃ pro sublimi-
tate sanctitatis,domini uerò quia summi est filius
genitoris. In quo nimirũ colle statio Philistinorũ
esse dicit̃:quia & in signũ natus est,cui cõtradicat̃. Lucæ 2
Statio quidem Philistinorũ̃ est contrarietas hære-
ticorum. Velut enim in colle stantes,ad collem a-
scendentibus insidiantur,& dum scripturas sacras
male exponendo peruertunt, ad cognoscendum
redemptorem negligenter ascẽdentes perimunt.
Electus ergo ne trepider gregẽ prophetarũ ascen

dens

dens obuium habet: quia ei ipsum redemptorem annunciant omnes prędicatores testamenti ueteris & noui. Qui nimirum de excelso ueniunt: quia quæ in terra prædicant, in cœlo uident. Vnde & Ioanni quasi uero ex electo grege prophetarum à
Apoc.4 cœlo dicit: Ascende huc, & ostendā tibi quid oportet fieri post hæc. Qui cùm ascendisset, agnū quē Moyses occidēdū figurauerat, et ipse in cruce oblatū uiderat, iam regnantē cōspexit, & agnouit, & quantas grates agerēt ei, ꝙ pro quibus occisus fuerat, didicit. De excelso igitur prędicatores ueniūt: quia quod minoribus prædicant, in cœlesti contemplatione didicerunt. Bene etiam grex prophetarum Saul occursurus in ingressu urbis asseritur: quia summos prædicatores sanctæ ecclesię illic uidere possumus, ubi descendunt, non ubi subliman
B tur. Ea enim quæ nobis paruulis dicunt, audimus: sed ea quæ uident in cœlestibus, quomodo uide-
1.Cor.u ant, aut dulciter ament, non uidemus. Paulus nāq; apostolus raptus est in paradisum, & assumptus est ad tertium cœlum, audiuit etiam arcana uerba quæ non licet homini loqui. Quis ergo inuenire tantum prædicatorē possit in paradisum raptum, aut ad tertium cœlum assumptum? Sed ista de se coactus beatus Paulus dixit. Vnde & in fine expositæ sublimitatis se humiliās ait: Factus sum insipiens, uos me coegistis. Quanta ergo fuerūt illa quæ dicere noluit, si ad hęc manifestanda coactus uenit? Nam & qui audiuit, & quæ homini non licet loqui, uidit quæ homini non licet scire. Dicas fortasse: si uellet, humana tamen quomodo dice-
C re posset locutione illius tertij cœli pulchritudinem, intimæ illius claritatis lucem referre, angelorum fulgorem inenarrabilem, & inaccessibilē claritatem? quàm dulciter de plenitudine illius electi & beati illi æterni ciues omnes accipiāt, quàm desideranter sumant, quàm pleniter repleantur, ꝙ suauiter diuinæ bonitatis dulcedinē gustēt, quàm delectabili plenitudine satientur: qui splendores sunt singulis de una ineffabili illa luce conditoris, quæ simul omniū de una illa gloria pulchritudo, qua excellentia dignitatis alij præemineant alijs, qua sint boni melioribus ineffabilis lætitiæ iucunditate subiecti. Ad hoc ergo excelsum Paulū sequi non possumus, sed urbem ingredimur, in qua uelut ab alto descendens, nobis obuiā uenit. Nam
D qui cernere non possumus alta quæ prædicatores uident, uenerabiliter audire debemus plana quæ docent. Sed cùm descendunt ante se psalterium, tympanū, tibiā, & citharā deferunt. Psalteriū quippe habent, quia regnū cœlorū annunciant: tympa num habent, quia prædicant mortificationē carnis: tibiam habent, quia flere subditos iubent pro acquisitione æternæ lætitiæ: citharā quoq; habēt, quia gaudere pios pro certitudine ęternorū bonorum edocent. Psalterium quidem quia à superiori parte resonat, etiam æternorum gaudiorum prædicationē designat, quia dum superna amare suggerit, quasi à superiori parte suæ dulcedinis sonū mittit. Tympanum uero quia de mortui animalis corio tenditur, in eo non incōuenienter carnis no
A stræ morificatio figuratur. Tibiam autem quia in mortuorum hominum exequijs haberi soleat, de euangelio didicimus: quia dum dominus archisy- Matt.9
nagogi filiam resuscitare uellet, de domo illius tibicines eiecit, & turbam tumultuantem expulit. Quid ergo in tibia, nisi sanctorū luctus exprimit? Nam dum se ab illa uita æterna quam appetunt, proiectos aspiciunt, semetipsos quasi mortuos plangūt. Cithara autem ualde lætum musicum est instrumentū. Quo nimirū instrumento uerbū solatij electorū aptè figuratur: quia uelut ad sonum citharæ hilarescimus, quando nos electi prædicatores inter ærumnas præsentis exilij consolantur. Psalterium ergo primum in promissione prædicatorū ponitur: quia ante omnia cœlestis regni gloria prædicāda est, ut dum bonū agnoscimus quod amemus, laborare pro eodem bono adipiscendo cupiamus. Hinc est, quod cùm in euangelio Matthæus principia dominicæ incarnationis assereret, dixit: Cœpit Ioannes prędicare & dicere: pœ Matt.4
nitentiā agite, appropinquabit regnū cœlorum. Sed quia cùm cœlestia noscimus si ad ea peruenire uolumus, necesse est ut passiones carnis mortificemus, prædicatores sanctæ ecclesiæ uelut post psalteriū, sonū tympani faciunt. Ipsa autē mortificatio corporis quid est aliud ꝙ prępparatio æternę beatitudinis? Cœlestia ergo præparari diligimus & ardentissimis fletibus ea postulare iubemur. Quasi enim tibia mortuos plangimus, quando uehementer dolemus: quia adhuc in illa æterna uita nō uiuimus. Post tympanū ergo prædicatores nostri tibiam habent, quando & membra nostra nos docent mortificare, & pro amore æternæ uitæ ingemiscere. Citharā quoq; post tibiā ducunt: quia præcipiūt sic deflere ærumnas præsentis exilij, ut gaudeamus de promissione æternæ hæreditatis. Nam psalteriū insonabat propheta magnus, cùm dicebat: Oues meæ uocē meā audiūt, & uitā æter- Ioan.10
nam do eis. Psalteriū itē percutiens, ait: Exaltari o- &3
porter filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitā æternā. Tympanū sonabat, qui dicebat: Mortificate mēbra uestra quæ Colos.3
sunt super terram: fornicationē, immunditiā, libidinē, concupiscentiā. Tibiā sonabat, qui dicebat: Miseri estote, lugete, risus uester uertat in luctū, Iacobi 4
& gaudiū in mœrorē. Tympanū sonabat, qui dicebat: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Tibiā uerò ante se habet, qui itē deo loquitur, dicēs: Cibabis nos pane Psal.79
lachrymarū, & potū dabis nobis in lachrymis in mensura. Tibiam ante se habebat dominus, cùm dicebat: Amen dico uobis, quia plorabitis & fle- Ioan.16
bitis uos, mundus autē gaudebit, uos uerò contristabimini. Sed uelut citharæ sonū subiungens, ait: Tristitia uestra uertetur in gaudiū. Quasi citharā nobis sonabat, qui dicebat: Gaudete in domino Philip.4
semper, iterū dico gaudete: modestia uestra nota sit omnibus hominibus, dns prope est. Citharā nobis sonat, qui ciuitatis nostræ bona annunciās, ait: Gaudiū & lætitia inuenietur in ea gratiarū actio, Esa.51
& uox laudis. Quia ergo prædicatores sanctæ ecclesiæ

ecclesiæ cœlestę regnũ annunciãt, & pro eodem regno adipiscẽdo, mortificare carnẽ, flere captiuitatẽ, in spe futuræ beatitudinis nos exultare præcipiunt, prophetæ ab excelso descendentes, ante se psalteriũ, tympanũ, tibiã, & citharã habere perhibent. Et grex quidẽ prophetarũ dicit, quia multi sunt pastores sanctæ ecclesiæ, & pastorẽ unum habent dominũ Iesum Christũ. Et notandũ, quia psalteriũ, tympanũ, tibiã & citharã ante se habere prophetæ perhibent, ut electorũ prædicatorũ forma uideat. Reprobi nanq; post se, quæ prædicãt, habẽt: quia dicũt & non faciũt, negligũt bona agere, quæ cognoscũt. Vnde & adhuc regi Saul iam domini mãdata cõtemnenti dicit: Quia proiecisti sermonẽ domini, proiecit te dominus, ne sis rex. Hinc per prophetã de Iudæis dominus quærit, dicens: Proiecerũt me post corpus suũ. Sancti ergo doctores quia iter supernæ cõuersationis, quod prædicant, cõtinuo inceſſu boni operis seruãt: in eorum typo dicit, quia prophetæ psalteriũ, tympanũ, tibiam & citharã ante se descendentes habuerunt. Possunt enim hæc instrumẽta ad prędicationẽ redemptoris referri. Et quia non ualde superius collem domini ipsum esse redemptorẽ diximus, organorũ cõuenientiã intueamur. Qui regni æterni eũ regẽ nominat, nobis profecto psalteriũ sonat. Et qui disciplinã mortificationis nostræ in eo asserit, uelut tympanũ ferit. Tibiã sonat, qui mortuũ redemptorẽ pro salute mundi denunciat. Citharam percutit, qui eum à mortuis surrexisse & ad cœlos ascendisse dicit. Sed ad tantorũ organorũ iucunditatẽ hilarescimus, si ipsum prophetarũ gregẽ insonantẽ audiamus. Dauid nanq; dicit: A summo cœlo egressio eius, & occursus usq; ad summũ. Hinc itẽ dicit: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruiẽt ei. Velut enim psalteriũ in laudem redemptoris tenuit, qui superiorẽ partẽ laudis obtinuit, & redemptoris aduentum à summo cœlo prædicauit. Tympanũ mortificationis eius Esaias tetigit, dicens: Et uidimus eum, & non erat aspectus: & desideraũimus eum despectum, & nouissimũ uirorum, uirum dolorũ, & scientẽ infirmitatẽ, & quasi abscõditus uultus eius & despectus, unde nec reputauimus eum. Tibiam mortis eius item sonans, ait: Tanq; ouis ad occisionẽ ducetur, & quasi agnus obmutuit. Citharã resurrectionis Dauid increpitans, ait: Cõmoueatur à facie eius uniuersa terra, dicite in gentibus, quia dominus regnauit à ligno: etenim firmauit orbẽ terræ, qui non cõmouebitur. Citharã ascensionis etiam tangens, dixit: Regna terræ cantate deo, qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem. Prophetæ ergo de excelso descendunt, quando sancti prædicatores illa sacramenta nobis annunciant, quæ alta contemplatione didicere. Et psalterium, tympanum, tibiam, & citharã dicũt: quia redemptorem nostrum æterni regni dominũ asserunt, & per humanam conditionẽ humiliatũ, & morte sua mundum redimere, & resurgendo cœlestia reparare. Quæ nimirum laudis instrumenta ante se habent: quia ea quæ dicunt intelligunt. Econtra uerò Caiphas prophetare dicitur, & ea quæ dixit, ignorare, cùm tibiam dominicæ mortis quam tetigit, & non ut electus propheta haberet ante se, sed post se. Bene ergo de electis prophetis subiungitur:

Ipsosq; prophetantes.] Quia dum uident quæ dicant, uelut ante se habent instrumenta quæ tangant, & dum prędicant, illud proferũt, quod præuidendo cognouerunt. Saul ergo ad collem domini uenit, quando electus & rudis prædicator spirituali scientia proficit, & redemptorẽ humani generis non in plano humanitatis, sed in alta diuinitatis eius maiestate cognoscit. Tunc quidem prophetarum choros concinentes audit: quia omnes scripturas quę de ipso sunt, perfectè intelligit. Qui igitur uiros magnas foueas salientes uidit, qui hœdos, & tortas panis, & amphorã uini portantes aspexit, ad collẽ domini peruenit: quãdo is qui per electorũ exẽpla profecisse cognoscit, ad culmen scientiæ sublimat, & redemptorẽ sublimiter sciẽs, ineffabiliter diligit, à quo quod itẽ scire de eo appetit, quasi familiaris amicus possit. Bene itaq; subdit: Et insiliet in te spiritus domini, & prophetabis cũ eis.] Insilire spiritus domini dicit, quia electorũ corda donis eius subito replent. Qui statim prophetare incipiũt: quia qui diuino spiritu pleni sunt, dei magnalia tacere nõ possunt. Vel prophetaturus asserit, cui Samuel diuini uerbi gratiã pollicetur. Quod tale est, ac si dicat. Qui modo in illa abundantia in te superueniẽtis spiritus loqui non potes, quando illa se tibi plenitudo infuderit, loquẽdi copia abũdabis. Hunc quippe insilientẽ spiritũ discipulis promittẽs dominus ait: Cũ uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnẽ ueritatẽ, & quæ uẽtura sunt annũciabit uobis. In eos quidẽ superueniẽs spiritus insiluit, quorũ corda repentè ueniẽs illustrauit. Et illustrati prophetauere, quia redemptorẽ humani generis omni lingua prædicauerũt. Quod certè in sancta ecclesia etiã nũc fieri cernimus: quia sæpe qui diuina loqui appetunt, ab eodẽ spiritu subito docent, & loqui optimè ea etiã possunt, quæ præmeditatione nulla didicere. Pro custodia quippe mãdatorũ dei, præcipiũt gratiã uerbi in sublimi reuelatione redẽptoris. Quid emim mirũ si lucẽ scientiæ percipere subito possunt, qui per uitæ puritatẽ sedes sancti spiritus semper sunt? Sed quale esset sancti spiritus donũ, si scientiã daret, & affectũ magnæ charitatis non daret. Qui emim illo spiritu replent cœlestia prædicãt, sed quæ loquunt, amãt. Aptè ergo subiũgit: Et mutaberis in uirũ aliũ.] Amor electæ mẽtis quid est aliud q̃ immutatio uetustatis? Natura emim nostra per lapsũ primi hominis sic dãnata est, ut quotidie labẽdo deficiat, & deficiẽdo uetereſcat. Sed qui in nobismetipsis deficimus, cũ in nos ille spiritus insilit renouamur: qa statim quod nõ eramus efficimur. Tepidus erat quis, sed repẽtè uisitatus à spiritu feruẽs efficit. Incipit ardere per deuotionẽ, fortiter exerceri in bono opere. In uirũ ergo aliũ mutatus est: quia esse cœpit q̃d ante insiliẽtẽ spiritũ in se esse nõ potuit. Iã bonę cõuersatiõis est aliquis, cœlestia amat, terrena despicit; sed p̃ ijs q̃ sursum diligit

git,& pro ijs quæ odit in infimis,flere non præua- A perat, quibus se unctum regem à domino sciret,
let.Sæpe uero flere appetit,& non potest,qui plu probandus erat an ipsa signa cognosceret. Quod
ra quæ flere debeat cõmilisse recolit,sed cũ subito quidem magis spirituali quàm historicæ explana
ille spiritus insilit, in lachrymarũ fontes erumpit. tioni conuenit. Nam uenire in collem domini, ad
In uirum ergo alium mutatur,qui compunctionis perfectã cognitionẽ & amorẽ redẽptoris pertine
gratiam per aduenientẽ spiritũ suscipit,quam an- re diximus,prophetiæ dono repleri ad uirtutẽ spi
te aduentum eiusdem spiritus non habebat. Puri- ritus sancti.Dicit ergo: Quando tibi omnia hęc
tatem cordis quis obtinere appetit,cœlestia cogi- signa uenerint,fac quodcũq; manus tua inuenit:]
tare,nullis curarum secularium occursionibus im quia quisquis certus est de intima inspiratiõe san-
pediri,sed ad id quod per deuotionẽ appetit, assur cti spiritus pręsumere potest tam de proposito bo
gere nequit per affectũ puritatis. Repentè autem ni operis, q̃ de dispositione prædicationis. Dicit
raptus in uirtute superuenientis spiritus, essè car- item: Septem diebus expectabis me donec ue-
nalis desinit, potenter seculi curas abijcit, & in æ- niam,& ostendã tibi quæ facias,] quia summi pa-
ternorum contemplationẽ mira puritate consur- stores sanctæ ecclesiæ dum de minorũ perfectio-
git. Miratur se tunc esse,quod non erat:miratur se ne dubitant,sollicíti ualde sunt,ut hanc in eis cer-
tũc non fuisse quod est. Nam cùm in spiritualibus B tis indicijs recognoscant.Quæ autem sunt indicia
talem se uidit, miratur qui talis est, quòd talis fuis- spiritus, nisi excellẽtia dona humilitatis. Sanctus
se nõ potuit. In uirũ ergo alium mutatur,qui illud enim spiritus quo maiori luce uirtutũ electorum
quod non fuit se uidet esse, & illud quod fuerat, corda irradiat, eo & abundantiori dono humilita
non esse.Bene ergo de Saul, Mutaberis in uirũ tis ditat. Quo enim celsiores sunt meritis, planio-
alium:] quia prædicatores sanctæ ecclesiæ cùm res sunt per uirtutẽ humilitatis.Qui ergo ante pro
gratiam diuinæ prædicationis accipiunt,non acci phetã in Galgala descendere,& expectare iubet,
piunt solam scientiam uerbi, sed uirtutẽ amoris, ut ei nimirũ pro cognoscenda humilitate,obedictiæ
per uerbũ alijs prodesse ualeant, & per uerbi amo onus iniungit.Rectus quoq; ordo electæ cõuersa
rem ipsi meliores fiant. Quando etenim loquun- tionis est, ut obedientiã non iniungat alijs, quam
tur,mutantur in uirũ alium:quia cùm per eos spiri ipse alijs impendere non curauit. Expectare ergo
tus loquitur,ipsi mira charitate eidem spiritui cõ- pręcipitur,ut an sit uerè humilis agnoscat. Si ergo
iunguntur, & ab eius uolũtate iam nec uerbo nec signũ perfecti prædicatoris est repletio sancti spi-
operatione dissentiunt. Talem nanq; uirum sacra ritus,& uirtus humilitatis signũ illius plenitudi-
Cant.6 scriptura collaudãs,dicit: Qui adhæret deo, unus nis, quid in laude humilitatis dicit, nisi quia eius
spiritus est. Deo nanq; adhæremus,quando spíri- C dona sunt signa signorũ? Sed quia immolaturus
tus sancti gratiam abundanter accipimus,& unus rex per prophetã præire iubet, ea quæ dicuntur,
spiritus cum eo efficimur,quando diuinæ uolun- melius cernimus, si ex ordine uideantur. Galgala
tati mente,ore & opere concordamus. Bene ergo quidem interpretatur rota. Quid uero rota in isto
propheta Samuel subiunxit, dicens: Quando loco significat,nisi uitam obedientium: Rota qui
enim uenerint tibi omnia signa hæc,fac quodcũq; dem uoluẽdo graditur, & modo alta petit, modo
inuenit manus tua: quia dominus tecũ est.] Hæc inferiora.Sic nimirum uita obedientium,quia in-
quidem signa sunt,in quibus se prædicator agno- ferius agit quod sursum pertrahit, & sursum uidet
scat,& tunc omne quod disponit agere audeat:cũ quod inferius exhibet,quasi ad alta subleuatur,&
certa experientia nouerit, quia in magna charita- ad ima deponitur. Nam quod obediẽtes inferius
tis abundantia uirtutẽ suscipit spiritus sancti. Sed agunt, sursum tollunt: quia quando prælatorum
docere ea debet prædicator quæ agit, sicut de do- iussis obediunt,terrena sunt quæ operãtur, sed de
Act.1 mino Lucas dicit: Quia cœpit Iesus facere & do- terrenis quæ faciunt,superna præmia præstolant.
cere usq; in diem qua præcipiens Apostolis, per Item quod sursum habẽt, ad terrã flectunt:quia ut
spiritum sanctum quos elegit assumptus est.Hinc bene terrena agant,cœlestia cõtemplant, & illud
Rom.15 Paulus ait: Non audeo loqui ea quæ per me non D solummodo operantur, quod summæ illi felicita-
effecit deus,in obediẽtia gentium uerbo & factis. ti conuenire conspiciunt. Hanc profecto rotã flectere Moysi dominus præcipiens, ait:Omnia fac, Exod.25
Samuel itaq; uncto regi præcipit, dicens: Fac sicut ostẽsum est tibi in monte. Qui enim in sum-
quodcũq; inuenit manus tua.] Quasi dicat. Cùm mis uidit quod fecit in infimis, nimirũ superiorẽ
te diuina gratia plenum uideris, doce alios quic- rotæ partem ad terram flexit. Inferiorẽ quoq; par
quid facis: quia ex præsidente tibi eadem diuina tem ad superiora extulerat,qui dicebat: Viuit do- 3.Reg.17
gratia habes,& optimè uiuere, & utiliter prædica minus in cuius conspectu sto. In imo quidẽ stabat
re.Sed tamen quid ante hæc omnia obseruare de- per humilitatẽ obedientiæ,dum regi perfido ex-
beat subiungit, dicens: Et descendes ante me probraret:sed planitiẽ operis in sublimitate extu-
in Galgala. Ego quippe descendam ad te,ut offe- lit diuinæ cõtemplationis, ut uelut currentẽ rotã
ras oblationem, & immoles uictimas pacificas. optimè uolueret, dum in terreno opere quid cœ-
Septem diebus expectabis me donec ueniam,& leste mereretur aspiceret.Hæc profecto forma est e-
ostendam tibi quæ facias.] Quid est quod prius lectę obediẽtiæ,ut in omni quod foris agimus,ad
dicit fac quodcũq; inuenit manus tua, deinde iub potẽtiã cõditoris ubiq; præsentẽ respiciamus. Sic
dit. Septẽ diebus expectabis me donec ueniam nimirum in subditione obedientię nostræ habere
& ostendam tibi quæ facias.] Sed qui signa perce possumus

possumus & rectitudinem operis & incrementa deuotionis. Recti quidem tũc sumus opere, quia pro eo quem cernimus nos in labore obedientiæ exercemus. Deuoti etiam sumus, quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, & largitorem æternæ retributionis. Et quia maiorum imperia perfecta humilitate obseruãda sunt, bene Saul dicitur: Septem diebus expectabis.] Septenarius quippe numerus propter dona septiformis spiritus perfectus est. Septẽ diebus doctores ecclesiæ expectamus, quando per uirtutem septiformis spiritus, tantam intimæ deuotionis claritatẽ suscipimus, ut eorum præcepta nullatenus negligamus. Quo in loco notandum est, quia non dixit septem diebus eris in Galgala, sed Septẽ diebus expectabis me, postquam descenderis ante me.] Ante prædicatorem descendimus, quando hoc agimus quod eius nobis iudicio imperatur. Tunc quidem descendere dicimur, quia mentes nostras eorum imperio subiugamus. Septem uero diebus expectare est, bonum obedientię omni luce cordis implere. Quod tunc certè agimus, quando maiorũ mandata nec dura nec leuia præterimus. Nullã quippe dierum ab hac luce uacantem dominus esse uolebat quan
Matt. 5 do dicebat: Qui soluerit unũ de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Et quia perfecta obedientia quam hominibus exhibemus, munus est creatoris: qui septem diebus expectat, oblationẽ offerre dicitur, & pacificas uictimas immolare. Oblatio quidem domini est, quia hominibus pro deo offertur, sed oblata hominibus à deo suscipitur. Victimæ sunt obsequia obedientiũ, quia cum hominibus pro deo subijcimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidẽ uirtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam uincimus. Victores ergo sunt qui obediũt: quia dum uoluntatẽ suam alijs perfectè subijciunt, ipsi lapsis per obedientiã angelis dominantur. Sed notandum est, quia Samuel ante se Saul in Galgala descẽdere præcipit, sine se autem eum offerre oblationem & uictimas noluit. Nam dixit: Ego quidẽ descendam ad te, ut offeras oblationem & immoles uictimas pacificas, septẽ diebus expectabis me donec ueniam ad te, & ostendam tibi quæ facias.] Quid est hoc nisi quia ipsa bona nostra et ignorare sapienter, & scire aliquando utiliter debemus? Ignoranda quidem sunt, ne infirmis nobis elationem præbeant, sed à perfectioribus scienda sunt, ut per deuotionem crescant. Vnde & bene in euangelio de Eli-
Lucæ 1 sabet prægnante dicitur: Et occultabat se mensibus quinq;. Qui enim spirituales ac fortes esse nequeunt adhuc, per quinarium numerũ designantur. Quæ autem nouiter concipit, quinq; se mensibus cęlat, quia per sensus corporis bona agit, sed quia spiritualis ac fortis in hoc bono opere nondum est, ea quę agit, sapienter abscondit. Ille ergo uictimas deo, ille oblationem offert: qui septem diebus expectans, ueniẽtem prophetam recipit, quia tunc deo dignũ est quod impendit: cùm impendens iustus est uirtute obedientiæ, & diuinæ immensitatis consideratione timoratus, cùm se aliud esse non credit, nisi quòd maiorum probatione cognoscit. Quasi enim præsente propheta offerimus, quãdo illa solummodo opera nostra digna esse diuina susceptione credimus, quæ sanctorum prædicatorum iudicio comprobantur. Et quia corã propheta immolare dicit, hoc profecto signat: quia de operibus nostris sapiẽtibus atq; spiritualibus uiris credere debemus. Quia item septẽ diebus expectat Saul, prædicator sanctæ ecclesiæ uirtutẽ subiecti disponere sapienter debet, ut coram eo bona eius non laudet, nisi quando laudis suæ contemnere fauorem potest. Vnde & eadem oblatio, & uictimę deo offerri à Saul prędicit & non sibi. Deo quippe uictimas offert, qui de uirtute quam habet inaniter nõ extollit, sed omne quod perficit, gratiæ tribuit conditoris. Hoc etiam quia doctorum magisterio discimus, bene Samuel sermonem concludens, ait: Et ostendam tibi quæ facias.] Expectãti quidẽ quæ faciat indicat: quando is qui perfectè obedire cognoscitur, qualiter imperare alijs debeat edocetur. Sed istud Saul adhuc non exhibetur, sed promittit. Non enim mittitur ad immolandum, sed ad expectandũ. Et quia sanctorum collocutione proficimus, aptè illatum est. Itaq; cùm auertisset humerum suum, ut abiret à Samuele, immutauit ei deus cor aliud.] Cor eñ aliud immutatur, quando ad appetenda meliora dirigitur: cor etiam immutatur, quãdo ad malum deseritur. In Saul autẽ, qui prius bonus postea malus fuit, quomodo potius intelligi ad literam debeat, non ualde clarũ est. Sed si pro profectu eius dicitur, cor immutatum habebat: quia qui asinas quæsierat, iam de regni dispositione cogitabat. Si uero malum cor tũc recepisse cognoscitur, coram propheta humilis fuit, sed ut cœpit discedere, pariter cœpit & superbire. In mente sua iam non esse paruulũ se, sed regem cogitabat. Adhuc non erat sublimis ordine, sed erat sublimis æstimatiõe. Sed quia per hanc sacram historiam adhuc de eius superbia apertè nihil dicitur, rectius nos quoq; agimus, si interim quod de eo siniſtrum uideri potest reticemus. Quod uero adhuc manenti eius innocentiæ suffragari potest, in sequentibus dicit, quia Infra 13
filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpisset, & duobus annis regnauit super Israel. Si eñ duobus annis humilis rex fuit, immutatum ei cor asseritur, pro uigore propositi, nõ pro nouitate tumoris. In eo ergo quod immutatum cor Saul habere dicitur, nouis prædicatoribus sanctæ ecclesiæ similatur, qui cùm ordinẽ prædicationis accipiunt, per diuinam gratiam meliores fiunt. Samuel quippe Saul in principem unxit, deus autem ei cor aliud immutauit: quia sacrorũ ordinum sacramenta ab ecclesiæ doctoribus foris accipimus, sed sacramentorũ uirtute ab omnipotente deo interius roboramur. Virtus uero sacramenti gratia est spiritus septiformis. Quam certe gratiã qui accipiũt, quasi alio accepto corde immutantur: quia quos gratia sua sanctus spiritus roborat, esse eos facit protinus

protinus quod non erant. Sic nimirum & redemptoris discipuli ante metuebāt, sed ubi per aduentum sancti spiritus cor aliud eis immutatū est, uerbum dei cum fiducia prædicabant. Aliud quippe deus cor eis immutauit, quibus linguarū omniū peritiā tribuit. Aliud quippe cor eis immutauit, quos mira charitate induit, & uirtutum omnium splendoribus illustrauit. Et notandum: quia tunc ei deus cor aliud immutauit, quando ut abiret à propheta, humerum auertit. Quasi enim ut abeat, humerum auertit: quando is qui prædicationis ordinē suscipit, id quod sibi de pastorali officio præcipitur, agere disponit. Disponit quidem, sed non prævalet, si deus ei cor aliud non immutet: quia summus locus bene non regitur, nisi rectoris mēs diuini muneris summa gratia repleatur. Hæc autem quia ei in futuro promittitur, subiunctū est.

Et uenerunt ei omnia signa hæc in die illa.] Doctrina etenim electi prædicatoris quid est aliud q̄ dies eruditi discipuli? Nam qui in die ambulat, uidet & plana quæ ambulet, & præcipitia quæ declinet. Sic nimirū dum sanctorū prædicatorū doctrinis illuminamur, quod agendum & quod uitandum est, patenter aspicimus. In illa ergo die in qua propheta prędicat, bonus auditor suę electionis signa percipit, qui in se ea uirtutū dona conspicit, quæ ante ei affutura suus prædicator ostendit. Signa quidem sunt: quia per hæc se à deo electos intelligunt, qui ad prędicationis ordinem promouentur. Vnctum ergo se aliquis ad ecclesiæ principatum non teneat, qui diei illius signa adesse non uiderit in uirtute perfectionis. Primum ergo signum prius attentè cōspiciat, uidelicet si exemplo uirorum salire iam magnas foueas sciat. Sequens etiam signum cognoscat, si ad quercum Thabor tres uiros obuios habuit, quos hœdos & panis tortas portare in Bethel ad domum domini uidit, si panes duos de eorū manibus accepit. Tertium nihilominus uideat, si ad collem domini uenit, si prophetātes cuneos aspexit, si in eum spiritus domini insiliuit, & in eorum medio prophetare iam possit. Et uiros quidē salientes foueas uidit, si perfectorū exemplo omnia seculi confutare iam didicit. Ad quercū Thabor uenit, si contemplatiuæ uitę fortitudinē atq; amœnitatē experiri iam nouit. In qua & hœdos & panis tortas, & uinum ad dominū portantes aspexit: quia ab amatoribus uitæ contemplatiuæ iam didicit, & peccatorē se indesinenter agnoscere, & pro eisdem peccatis carnem affligere, & afflictionis suæ dolorē omnipotenti deo gratanter offerre. Ad collē domini uenit, si ad reuelatā intimā redemptoris gloriā, aut scripturarum sublimem intellectum proficiendo conscendit. Obuium gregem prophetarū habuit, si prędicatorum sanctæ ecclesiæ cōcordem scientiam intellexit. In quorum medio insilientem in se spiritum domini sensit, si illa ineffabili suauitate internæ experientiæ in se donum superuenientis diuinitatis agnouit, & notæ gratiæ abundantiam loquendo effudit. Hæc quoties sancti prædicatores imperfectis nobis ostendunt, per doctrinam, qua nos illuminant, quasi clarissimū diem produnt. Et ista quidem omnia iam promoti prædicatores, exponētibus ordinatoribus, sciunt. Quia ergo diem signorum habēt, salubriter attendant, si promissa signa iam uideant. Nam qui mundi gloriam contemnere nondum didicit, primum signum audire promissum potuit, sed non uidit ostensum. Si contemplatiuę uitę robur & dulcedinē nescit, sequentis signi bonū uidere non meruit. Si altitudinem scripturarū per intimæ eruditionis notitiam non cōscendit, ad collem domini nondum uenit. Si superuenientis in se spiritus sancti uirtutē nondum habet, prophetare non potest. Sine illo etenim spiritu pastor carnalis est, & quod loquitur, non ad dignitatem prædicationis referri potest, sed ad ausum temeritatis. Qua ergo formidine nos miseri terreri possumus? Ecce enim aliorū ducatū suscepimus qui uirtutem suscepti regiminis non habemus. Signa spiritualis prelationis audiuimus, quę in nobis per lucē experientiæ non uidemus. Terrena concupiscimus, curis exterioribus occupamur, & tanto longius à cœlesti contemplatione repellimur, quanto terrenorū actuum sollicitudine prægrauamur. Hac quoq; terrenæ uitæ mole depressi, quando illum splendorē intimæ gloriæ redemptoris attingere, quando ad altissimos sanctarum scripturarū sensus possumus peruenire? Sed & cœlestia quæ nescimus, loqui quasi nota non possumus. Et qui per quietem amori internæ uitæ uacare nolumus, insilientem in nos spiritum domini non sentimus. Nota ergo & nō habita signa nos terreant, ut cùm pro negligētiæ nostræ immensitate compungimur, uirtutem suscepti ordinis per fletus & lamenta requiramus. Hinc Psalmista uoce infirmorū deplorat, dicens: Signa nostra non uidimus, iam non est propheta. Nam propheta est, cùm iam dicta hæc prophetiæ signa ei adesse præuidentur. Si ergo ad culmen prælationis assumitur, non se teneat quod est altitudine ordinis, sed quod est uirtute perfectionis. Dicat ergo: Signa nostra non uidimus, iam non est propheta. Quasi dicat: Esse nūc prophetam dicerem, si dona spiritus cernerem, quibus prophetæ persona fulgere debet. Qui ergo suscepti ordinis pastoralis perfectionē audiuit, quam in se obtinere uiuendo non meruit, idoneus sanctæ ecclesiæ doctor non est. In primo igitur rege, pastorum omnium sanctæ ecclesiæ profectus ostenditur, dum dicitur: Venerūt ei omnia signa hęc in die illa.] Et quia idem profectus electorum prędicatorum mirabilis est, sequitur: Vidētes autem eum qui nouerant eū heri & nudiustertius, quod esset cum prophetis & prophetaret, dixerunt adinuicem: Quænam res est quæ accidit filio Cis. Num Saul inter prophetas.] Quid est quòd dicunt: Quæ res est quæ accidit, nisi ualde admirari, quod ab eis non poterat comprehendi? Hominem hominis filium nouerant, prophetis sociatum uidebant: carnalem nouerant, spiritualem uidebāt: simplicem nouerant, prophetam uidebant. Dicunt ergo:

Quęnam res accidit filio Cis?] qui nosse quod

Psal. 77

fuerat poterant:quod erat,qualiter esse posset, ignorabant. Hic deniq; profectus spiritualis prædicatoris est,ut qui in cõmuni uita aliquando notus est,in superiori ordine habeat quod ignoret. Tres quidem gradus perfectionis ostensi sunt, quia dicit: Heri & nudiustertius.] In duobus quidẽ diebus prędicator agnoscit,in tertio habet quod etiã ij qui nouerãt,non cognoscãt. Primus nanq; dies auditoribus pertinet, secundus sodalibus, tertius est prædicationis. Primũ nanq; diẽ pastor habuit, quãdo prelatis suis discipulus obediuit. Quasi em̃ in magna luce cernitur,qui in uirtute obedientiæ deuotus est.Secundũ diẽ habuit, quando meliorũ coadiutor esse iam cœpit.Ista quippe claritas magnæ conuersationis, in electorũ exemplo maximũ
Matt.5 diẽ facit. Hãc diẽ dominus insinuãs,ait:Sic luceat lux uestra corã hominibus,ut uideant uestra bona opera, & glorificẽt patrẽ uestrum qui in cœlis est. Tertius uerò dies insilientis spiritus est & prophetiæ. In tertio quippe die pastor aspicitur, quando sublimitatẽ dignitatis suæ adæquat splendore cõuersationis, quãdo cœlesti uirtute indutus,ea uita eaq; doctrina subditis lucet,ut uideri ab eis possit:
Exod.34 discuti & iudicari nõ possit. Talis quidẽ erat Moyses,quando lucidissimo uultu à monte descendit, cuius subditi fulgorẽ uidebant,sed in fulgentẽ claritatẽ intẽdere uisum non poterant. Talis erat qui
2.Cor.6 gloriabatur,dicẽs: Nos autẽ reuelata facie gloriã dei speculantes in eandẽ imaginẽ trãsformamur, tanq; à domini spiritu. Tales utiq; erant,quos spiritus sanctus repleuerat. Vnde & qui in Hierusa-
Act.2 lem conuenerant,admirantes,dicunt: Nónne isti qui loquuntur Galilæi sunt? Interrogabãt quippe ut scirent quod audiebant, & scire non poterant. Qui autẽ nouerant Saul, de re quæ ei accidit, admirantes interrogant:quia eos aliquãdo in humiliori ordine sanctæ ecclesiæ humiles & despectos cernimus,quos dum sanctus spiritus ad ordinem prædicationis assumit, gratiarũ suarũ splẽdoribus induit,& in eisdem splendoribus mirabiles ostendit.Sed bene sanctorũ uirtutes admiramur, cũ eas bonitati conditoris adscribimus. Quare & Moy-
Exod.15 ses domino confitens, ait: Quis similis tibi in dijs domine, quis similis tibi gloriosus in sanctis,mirabilis in maiestate faciens prodigia? Hinc Psalmi-
Psal.67 sta dicit: Mirabilis deus in sanctis suis, ipse dabit uirtutẽ & fortitudinẽ plebi suæ. Bene subiungit:

Respondit alter ad alterũ,dicens: Et quis pater eorũ?] Quid est q̃ hucusq; de solo Saul dicebat, quænã res accidit filio Cis? & nunc quasi de multis respondeẽ,& quis pater eorũ? Sed si ad historiã intelligat,stare nullo modo potest.Restat ergo ut sensus qui literæ demitur,in spirituali significatione requirat. Cũ ergo dicit quis pater eorũ, nõ solum Saul prophetans attendit, sed omnis ille cuneus prophetarũ. Qui nimirũ prophetæ omnes, quia ualde spirituales erant,non ex carnali progenie,sed ex cœlesti origine censebantur.Pater quidem prophetarũ ille est,qui per Malachiã exqui-
Malach.1 rit,dicens:Si dominus sum, ubi est timor meus:& si pater sum,ubi est amor meus? Quia enim omni-

A potẽti deo in magna charitate cõiuncti sunt, eius quem quasi patrẽ diligunt, filij nominant. Quod nouæ ecclesiæ prędicatoribus tanto decentius cõuenit, quanto ille eos in cœlestẽ nobilitatẽ altius extulit,qui eis claritatẽ tanti generis in forma detexit orationis.Sic (inquit) orabitis:Pater noster, Mar.6
qui es in cœlis,Quod tale est ac si dicat: Mirandi essent sancti prædicatores, si mira quæ agunt sua uirtute perficerent:nunc mirũ non est,quod cernitur:quia per eos ille hoc agit, cui aliquid difficile non uidetur. Dicat ergo alter ad alterũ: Et quis pater eorũ?] Quasi dicat:Quid mirũ est si mirabiliter doceant, cùm non ipsi sint qui loquunt, sed
Idem 10 spiritus patris eorũ qui loquitur in eis? Non ergo dicitur quis pater eius? Ne quod pluribus conuenit filijs,unico cõferatur.Solus etenim ille,qui natura filius est,dicere audet: Pater meus usq; modo Ioan.5
operatur.Et itẽ:Dominus dixit ad me,filius meus Psal.2
es tu,ego hodie genui te.Nam ut utriusq; dignitatis differẽtiã promeret,Mariæ Magdalenæ loquitur,dicens:Ascẽdo ad patrẽ meũ, & patrẽ uestrũ; Ioan.20
deum meum,& deum uestrũ. Quoties ergo unus prædicator mirabili uita,aut prędicatione clarius aspicit,in superna generatione non solus,sed cum alijs innumeris uidetur: quia omnipotens deus qui mirabilis in uno ostenditur,mirabiliorẽ ualde hominũ admirationẽ facit,cùm innumerabiles attenduntur,qui id quod in uno mirant,habuerunt. Quod tamen ad detractionẽ carnaliũ referri cõuenienter potest.Nam cùm spiritualium uirorum famam minuere tentant,eorum carnalia explorant, C
quæ ad derogationẽ proferant. Et plerunq; in sancta ecclesia miram sanctitatis famam habent, qui secularẽ altitudinẽ nullam habent. Cùm ergo carnales quiq;, aut carnis originẽ, aut paupertatẽ in eis reprehendũt,qui diuina generatione iam magni & diuites sunt, quasi subsannando de prophetarum patre sciscitantur. Et quia pro re ualde noua habent,quod parui homines seculi tam magni uideri possunt, subiungitur: Propterea uersum est in prouerbium. Num Saul inter prophetas.] Quod nimirum si oculis cordis rectè inspicerent, pro noua re non haberent. More etenim suo agit spiritus sanctus, cùm ad uirtutũ culmẽ pauperes, humiles atq; simplices erigit. Nam de eo scriptũ D
est:Qui ponit humiles in sublime,& mœrentes e- Iob 5
rigit sospitate.Hinc omnipotens pater,de eodem omnipotẽte suo spiritu per prophetã dicit: Super Esa.56
quem requiescit spiritus meus, nisi super humilẽ, & quietum, & trementem sermones meos. Hinc Paulus ait:Non multi sapientes secundũ carnem, 1.Cor.1
non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi elegit deus,ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Quod certè prouerbiũ etiam electis adscribi potest. Nõ enim minor admiratio habita est de beato Paulo apostolo,quando auditum est ab ecclesia, quia ille euangelizaret,qui ecclesiam minando & cædendo expugnare solebat,nunc prędicando defenderet. Tunc quidem ij qui audiebant, dicere poterant.

Num

Num Saulus inter Apostolos? Nūquid ille Iesum prædicat qui Iesum persequi solebat? Sed hoc iam in electorum prouerbiū uersum est. Prouerbium quidē est, quando in eo quod dicitur aliud occultatur. Conuersio autem beati Pauli apostoli, facta est prouerbiū peccatoris. Audiat ergo unusquisq; Act.9 peccator beati Pauli cōuersionē, & non desperet de criminū multitudine. Saulus enim spirans minarū, & cædis in discipulos domini, ubiq; electos affligebat, lapidantium protomartyrem Stephanum uestimenta seruabat, & uelut omnium manibus lapidabat, qui expeditos ad lapidandum omnes reddebat. Sed qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conuersus, caput effectus est nationum: quia obtinuit totius ecclesiæ principatum. Dum ergo tam magnum peccatorē conuersum, tam sublimi dignitate à domino honoratum conspicimus, peccatorū nostrorum inuenire nos posse remissionē pręsumamus. Prouerbium ergo nostrum, id est, quòd ad euangelizandū persecutor assumit, quod hoc mysteriū continet: quia conuersus peccator non solum sperare à domino ueniam, sed quòd uiriliter certādo pertingere ualeat ad coronā. Sed hoc distare inter carnales & spirituales prædicatores solet: quia carnales post alta uerba prædicationis ad ima descēdunt prauī operis: spirituales uerò post sublimia quæ loquuntur, in altiora ualde cœlestis patriæ desideria se sustollunt. Vnde & subditur: Cessauit autem prophetare, et uenit ad excelsum.] Ad excelsum post prophetiæ ministerium uenit, qui ad cœlestia gaudia quæ prædicat mentem erigit, & ad ea amando se subleuat quæ loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana prædicant, cum eis quos docent quasi in plano sunt. Et quia post uerba prædicationis ad promerenda ea quæ prædicant, se bonis operibus præparāt, ad excelsum uenire perhibentur, Qui certè sublimes uerbo & opere sunt, cogitatione elationis non sunt. Magna quidem semper agunt, sed magni uideri nunq; appetunt. Bene ergo subiungitur: Dixit autē patruus Saul ad eum, & ad puerū eius. Quò abistis? Qui respondere: quærere asinas, quas cùm non reperissemus, uenimus ad Samuelem. Et dixit ei patruus suus. Indica mihi quid dixerit Samuel. Et ait Saul ad patruū suum. Indicauit nobis, quia inuentæ sunt asinæ. Sermonē autem regni non indicauit ei, quē locutus ei Samuel fuerat.] Sermo regni est honorabilis dignitas pastoralis. Ipsa enim repræsentatione sua loquitur: quia patruus non est, qui tanto ordine sublimat. Verbū ergo regni rex non indicat: quia pastor ecclesię magno diuinitatis splendore loquitur, sed elatione non loquitur. Qui uerò uerbū non indicat, illud cælat quod loquitur. Verbū enim semper loquitur, cui uerbum est, alioquin uerbū non est. Verbū ergo regni habet, qui ea cōuersatione fulget, quæ exempla cœlestis itineris alijs quasi loquendo præbet. Verbū ergo non indicat, qui magnitudinē sanctitatis per uanam gloriā non reuelat. Habet quidē quod indicet, sed quod per seipsum ostenditur, indicare non uult. Nam qui magna dignitate magnaq; sanctitate radiat, multa uiuendo ostēdit, quæ loquendo non dicit. Hoc profecto regni uerbum habere dominus prędicatorē uoluit, quando in uestē pontificis tintinabula poni mandauit. Vestis quidem pontificis est ostensio bonæ conuersationis, quæ quasi tintinabulis multis inseritur, quando opera bona multiplicat, quæ ad minorum exemplū clamant. Sed indicare rex regni uerbum non audet: quia præceptum est sacerdotibus, ut coram domino uestis decorem portent. Coram domino quidem uestis decorem portat, & qui bona ostendit, & de ostensione bonorum operum non hominibus per uanitatē foris, sed deo intus per amorem placere appetit. Tūc certè sacerdos tacet, sed dum incedit, quod portat, clamat: quia electus prædicator se iactando non indicat, sed bene uiuendo loqui nequaq; cessat. Dicatur ergo de Saul: quia patruo suo sermonem regni non indicauit: quia electi uiri cùm splendorem dignitatis, aut bonæ uitæ incrementa percipiunt, per exempla se proferūt, sed silentio occultant. Et quia alijs electis se esse meritis minores credunt, ille cui sermonē non indicat, eius patruus esse dicitur. Patruus quippe dicitur frater patris. Redemptor autem generis humani quotquot fidei suæ & doctrinæ sacramentis instituit, ad immarcessibilem æternæ hæreditatis gloriā tot filios facit. Qui enim instituuntur in ecclesia, quasi paruuli adhuc filij sunt. Sed qui magnis meritis ei iam in uirum perfectum occurrit, frater est redemptoris. Tales nimirū beatus Paulus apostolus collaudans, ait: Hęredes dei, cohęredes Rom.8 Christi. Quia ergo perfecti prædicatores electos alios perfectos tenent, & se imperfectos: patruus Saul dicit, qui de regni sermone eum interrogasse perhibetur. Eundem uerò regni sermonē Saul Samuel dixerat: quia electi uiri spiritualem conuersationem quam habent, maiorum locutione didicerunt. Sed rex, qui initiatus per unctionē fuerat, à populo adhuc electus non erat. Vnde & sequit:

Exod.28

Vocauit Samuel populum ad dominū in Masphath.] Masphath (ut dixi) speculatio interpretatur. In ordinatione autem regis populus in Masphath uocatur: quia qui ad ordinandū sanctæ ecclesiæ pastorem conueniunt, eius spiritualia, non carnalia attendere docentur. Speculari quidē est, per formam sacræ scripturæ ordinandum prædicatorem cognoscere. Nam electorum speculum sacra scriptura est. Quasi enim per speculum noscitur pastor, quando moribus talis ostenditur, qualis in sacro eloquio prædicat. Bene igitur Samuel populum in Masphath conuocat, ut electio boni antistitis non sit humano iudicio, sed diuino, cùm non talis eligitur, qualis hominū arbitrio decerni potest, sed qualis in sacro eloquio declarat. Quod quia diuini muneris est, oportet ut populus qui à deo tam magna expectare cognoscit, à reatu suo per pœnitētiæ satisfactionē purgetur. Ipsa autem cognitio peccati est præparatio diuini muneris: quia sæpe cùm nos diuino munere indignos credimus, id per humilitatem promeremur. Vnde &

Samuel eos qui ad excipiendũ regẽ cõuenerant, prius ad peccatorũ suorũ considerationẽ conuertere satagit, quia subiunctũ est: Et ait Samuel ad filios Israel. Hęc dicit dominus deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, & erui uos de manu omniũ regũ qui affligebãt uos. Vos autẽ hodie proiecistis dominũ deũ uestrũ, qui solus saluauit uos de uniuersis malis & tribulationibus uestris, & dixistis: Nequaq̃, sed rex erit super nos.] Attentè quidem ostendit eis & bona quæ eis impendit dominus, & mala quæ domino fecerũt ipsi, ut tanto grauius se deliquisse cognoscerẽt, quanto illũ peccando offendere ausi sunt, à quo tanta bona perceperant. Quid uerò sit abijcere dominum, & qualiter secundum literã, & secundũ spiritualẽ sensum intelligi debeat, superius latè expositũ est, ubi ad Samuelem dominus ait: Non te abiecerunt, sed me: iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die qua eduxi eos de terra Ægypti. Sed quia sancti prædicatores eos quos arguendo cõpungunt, docendo instruunt: subintulit, dicens: Nunc ergo state coram domino per tribus & familias uestras.] Corã domino quidem stare præcipimur, quando maiorum præcepto corda nostra ad scienda eius mandata præparamus. Vel corã domino stant electi, quando à summis uiris in spiritualibus uirtutibus cõsiderantur, ut qui melior in eis aspicitur per pastoralẽ curã cæteris pręferatur. Et quia plures sunt fideliũ ordines, per tribus & familias stare coram domino iubent. Quod profecto latius exequens, subdit, dicens: Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors super tribũ Beniamin, & applicuit tribũ Beniamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit usq; ad filium Cis.] Stare omnes per tribus & familias fecit, ut omnes consideraret, & consideratis omnibus, uti liorẽ eligeret? Sed quia ipse iam domino reuelante regem cognouerat, eumq; ipso præcipiente in principẽ unxerat, quid est, quod adhuc eligẽdum per tribus & familias quæritur? Sed inuentus rex à solo propheta erat. Inuentus ergo quæritur, ut non inuentus à populo, inueniatur. Sorte etiam queritur, ut eum quem propheta eligeret, dispensatione diuina prouisum populus nõ posset dubitare. Quid ergo in hoc facto signatur, nisi quia sanctæ ecclesiæ principes multa consideratione eligendi sunt? Summi etenim prædicatores, ex interna gratia sancti spiritus quam habent, magno prouidentiæ lumine pleni sunt. Et quia ualde sunt humiles, de internę illuminationis suæ magnitudine non præsumunt. Quare & ea quæ apud se bene ordinant, corã alijs probãt. Solus enim propheta regem futurũ nouit, quando summus sanctæ ecclesiæ rector personam ordinandi rectoris, & merita conspicit. Quẽ etiã in principẽ ungit, quãdo eum donis spiritalibus plenũ asserit. Tamen adhuc populum conuocat, per tribus & cognationes diuidit, sortes ponit, & eum quẽ nouit, quasi per artẽ inuenit. Tribus quidem & familiæ quasi diuisæ stant, quando in statu uirtutũ diuersi sanctæ ecclesiæ ordines attenduntur. Nam cùm perfectiones electorũ plures intuemur, cùm eandorẽ uirginũ, cùm robur continentiũ, cũ honesta ministeria clericorũ, cùm monachorũ sollicitudinẽ uidemus, ueluti stantes tribus attendimus. Et quia in dei seruitio horũ multa uarietas est, dũ eas quæ sunt in singulis ordinibus item uarietates aspicimus, quasi stantes non solũ tribus, sed etiam cognationes uidemus. Et sors super tribum cadit: quia meliores uiri sæpe in uno ordine quàm in alio inueniuntur. Nam uelut sortẽ tribus accipit, quando ij qui perfectiores sunt alijs, cõuenire uidentur ministerio prædicationis. Sed non super personã adhuc, sed super tribũ sors cadit, quando plures sunt, in quibus persona digna reconditur. Adhuc itaq; summis uiris remanet quod inquirant. Bene ergo sors super tribum Beniamin cecidisse dicitur, Samuel autẽ ipsam tribũ, & eius cognationes applicuisse, & ad Cis filiũ peruenisse: quia electi & summi uiri sanctæ ecclesiæ cõsiderare uirtutes singulorum non desinunt, donec ad eum ueniant qui ministerij pastoralis sorte dignus inueniat. Sed qui digni sunt, onus tanti ordinis suscipere uehementer expauescunt. Vnde & sequitur: Quæsierunt ergo eum & non inuenerunt, & consuluerunt pro eo dominũ, utrumnã uenturus esset illuc. Respõditq; dominus: Ecce absconditus est domi.] Abscondunt quippe se ne inueniantur: quia subire dignitatẽ refugiunt, cuius oneri se impares arbitrantur. Habet quippe spiritualis prælatio exteriorẽ gloriam dignitatis, habet & interioris magnitudinẽ oneris. Nam rector & honorat à subditis, & portat eos à quibus honoratur. Cũ honoris ergo principio causa nascitur oneris: quia unde honor à rectore excipitur, inde illud suscipit quo grauetur. Quanq̃; ipse honor dignitatis per seipsum magnum sit onus mentis: quia cõtemni debet, & placet. Cõtemni quidẽ debet, ne mentẽ per superbiã eleuet, & suscipi debet ut cœlestia, quæ doctor loquitur, subiecti uenerent. Grauius ergo onus de honore nascitur: quia electus pastor magna animi uirtute ferre potest, ut despiciat illud in se, qd pro deo recipit in se: ut uidelicet talis pro deo sit, sed sibi talis nõ sit, & semetipsum abneget, & non abneget, ut sit quod est pro deo, & quod est pro se metipso, nõ sit. Honor itaq; oblatus à subiecto suscipit, ut prædicatio cõmendetur. Honorẽ quoq; oblatum prædicator despicit: quia non extollitur quod honoratur, sed gaudet quod uerbi dei ministeriũ cõmendetur. Hoc autẽ quàm difficile agatur, cogitando melius quàm loquendo cõprehenditur. Nam infirmis mẽtibus impossibile est onus aliorũ fortiter ferre, & oblati honoris reuerẽtiam mentis uirtute disponere, ut inter eiusdem honoris obsequia, de profectu subditorũ gaudere sciat, & pro reuerẽtia sua tumere nesciat. Quia ergo electi uiri displicere deo nolũt, prælationis officium suscipere uocati refugiunt. Sed & eandem fugam ministerij ad uirtutem humilitatis habent, non ad iactantiã dignitatis. Nam quantũ possunt fugiũt, sed si à domino prouisi sunt, delitescere nequaquã possunt. Quare & idem Saul domi abscõditur, sed

Supra 8

domino

domino pandente monstratur: quia electi uiri exteriorib. se sanctæ ecclesiæ ministerijs subtrahũt, sed tamen ad exteriora ministeria disponenda, domino dispensante producuntur. Quia uerò nunc in sancta ecclesia qui se subtrahant tantis honoribus pauci sunt, qui se ingerant multi: notare qui se ingerunt debent, quia is qui à propheta domi absconditus dicitur, non ad spiritualẽ ecclesiæ dignitatẽ, sed ad secularẽ regni gloriã quęrebatur. Non enim in pontificẽ hunc quærebant, sed regẽ facere uolebant. Videat ergo sacerdos qua mente fugiendũ sit culmen sanctæ ecclesiæ, si culmẽ seculi cõscendere tam cautè reges fugere. Sed quia sancti uiri quo instãtius suscipere ordinẽ prælationis refugiunt, à deuotis plebibus deuotius requiruntur, sequitur: Cucurrerũt, & tulerunt eum inde.] Post hæc etiã subditur: Stetitq; in medio populi.] In medio populi stat prælatus, quando ab uniuersis subditis eius fortitudo conspicitur. Stare nanq; uirtutis est. Qui ergo bona operatur, instanter stat. Et quia eadem bona opera exemplum minoribus præstant, in medio populi stare, non in solitudine cernitur. Quod etiam pro rectitudine intentionis dictum esse cõuenienter accipitur. Qui enim stat rectitudine corporis, caput in sublime tollit. Qui uerò bona publicè agit, non stat fortitudine operis, si rectitudinẽ non habet intentionis. In medio ergo populi stare rex dicitur, ut prælatorum sanctæ ecclesiæ forma monstretur: quia ad exemplũ subditorũ bona opera debent ostẽdere, sed de eodem bono opere suscipere mundi gloriam deuitare. Sed & quantus apparere debeat subdit, atq; ait: Et altior erat omni populo ab humero & sursum.] Latè supra ostendimus q̃ excellens magnitudo corporis in sanctis prædicatorib. designet augmentũ perfectionis. In medio ergo populi sublimis aspicitur, qui in uirtutũ culmine positus, à subditis non nescitur. Rectus quidẽ ordo electi prędicatoris est, ut ante sublimitatẽ ecclesiastici culminis, culmen conscendat uirtutis, pro honore dei culmen obtineat gloriæ, sed maiori sublimitate fulgeat in reuelata uirtutũ perfectione. Talis quidem pastor à perfectis uiris ualde prædicandus est, à minoribus cupiendus atq; diligẽdus. Bene ergo subiunctũ est: Et ait ad omnẽ populũ: certè uidetis quẽ elegit dominus, q̃ non sit ei similis in omni populo. Et clamauit cunctus populus, uiuat rex. Sequitur: Locutus est Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & posuit coram domino.] De iure regio quia latè superius diximus, hoc tantum de illo memoramus: quia ad historiã non præcipitur, sed ostenditur quid acturi sint reges reprobi, quid uitaturi sint boni. A regibus quidẽ defendendi sunt subditi, non bonis proprijs spoliandi. Auxiliũ præstare subiectis debent, agros, uineas & oliueta auferre non debent. Quòd si non uitanda, sed agenda scripta hęc contendere quis uoluerit, tyrannorũ ius pro eo rege scribitur, qui abiecto domino postulatur. Crudelis ergo lex regni, ultio est dominũ abijcientis populi. Non enim iniustũ erat, ut agros & uineas per deret, qui regnantẽ super se dominũ sponte perdebat. Cuncta ergo quæ contra æquitatẽ in hoc iure regio continentur, æqua esse cernimus: si in petendo rege, quicquid populus deliquerat, consideramus. Nam quod magnũ in diuinę æquitatis examine onus legis est, si filios & filias in regis opere inuiti ponerent, quos à dei libertate sponte tulissent. Et quid inconueniens esse cernitur, si quod ad ultimũ ponitur, ipsi fierent serui hominũ qui abijciebãt super se regnantẽ deũ? Dum ergo regni lex scribitur, perpetuæ memoriæ pœna traditur, qua audaces puniantur: quę quia per domini iustitiã lata fuerat, corã domino reponi perhibetur. Sed fortasse ius illud aliud fuit, q̃ lex ista quæ scribitur. Quod si uerũ est, hanc Samuel corã rege ad populũ loquitur, ut rex sciat à populo quid exquirat: sciat populus quid exhibere suis regibus debeat. Quæ lex in libro scribitur, ut pro futurorũ memoria reseruetur. Corã domino ponitur, ut uenerabilis habeatur. Nos autẽ reges ecclesiarũ esse sanctos prædicatores diximus, quibus apertè omnia conuenire ostendimus, quæ in iure regio continentur. Hanc ergo legem Samuel ad populũ loquitur, quando electus doctor fideles sanctæ ecclesiæ instruit, qua humilitate suis præpositis debeant subiugari. In libro etiam scribitur, quando in eorũ mente hæc firmiter inserit. Nam qui sic loquitur, ut audita auditores eius obliuiscant, ad populum legem dicit, sed hanc in libro non scribit. Verba ergo quę doctor loquitur, in libro scribere est, auditorũ suorũ mentibus attentè cõmendare. Quasi scribere uolebat dominus quę dixerat, quando dicebat: Mementote sermonis mei quem ego dixi uobis. Nõ est seruus maior domino suo. Hinc Paulus locutã regni legem in libro describens, ait: Mementote præpositorũ uestrorũ qui uobis locuti sunt uerbũ dei, quorũ intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Si uerò et hic aliã legem quis esse præsignatam accipere uoluerit, illam aspiciat, quam beatus Paulus ostendit, dicens: Qui euangelium annunciat, de euangelio uiuat: & qui altario seruit, de altario uiuat. Hãc quippe legem regni dominus loquebatur ad populũ quando dicebat: Qui recipit prophetã in nomine prophetę, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustũ in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et ut arctius hanc in libro describeret, à minori uerbũ roborãs, ait: Qui dederit uni ex minimis meis calicẽ aquæ frigidæ tantũ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. sequitur: Dimisit Samuel omnẽ populũ singulos in domum suam, sed Saul abijt in domũ suam in Gabaa, et abijt cum eo pars exercitus, quorũ tetigit deus corda. Filij uerò Belial dixerunt: Nunquid saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum.] Si simplex historia quæritur, quid unq̃ planius dici potuit? Sed si uim uerborũ singulorũ attendimus, magna sunt quæ in hac simplicitate uerborum clauduntur. Nam populus in domum suam dimissus asseritur, rex autem in domum non esse dimissus, sed abijsse perhibet. Separatim quoq; de domibus populi, & de domo regis

Ioan.15

Heb.13

1.Cor.9

Matt.10

Universidad de Deusto
Biblioteca

regis dicitur: quia populus refertur dimissus in domum suam, & rex abijsse in suam. Prius tamen populus dimissus est, q̄ abiret rex. De abeūte etiam populo cautè signatur, & non simul, sed singuli abijsse in domū suā referunt. De ijs uerò qui regem secuti sunt, non dicitur abijt pars exercitus, singuli post regem: sed abijt cum eo pars exercitus. Ad extremū uerò qui regē sequunt, eorū corda à deo tacta referuntur: qui regē spernunt, Belial filij nominantur. Hic profecto modus dicendi non simplex, sed ualde ei subtilis est, qui cōsiderare nouit, non quod simpliciter foris sonat, sed quod sapienter intus insinuat. Quid est ergo q̄ rex in domum suam abire, populus uerò dimitti dicitur? Sed regem ecclesiæ pastorē, populos subiectos designare ostēdimus. Ire autē liberi est, dimitti eius qui retineri potest. Rex ergo abire dicitur, ut in persona prædicatoris libertas animi prædicet. Abire quippe doctores possunt, cùm uolunt, & redire: quia fortes sunt in bono opere, sapiētes in interna dispositione. Veniunt quippe, quando ad subditos exeunt, aut exemplo boni operis, aut uerbo prædicationis. Abeunt autē, quando ad mentis secretum redeunt, & quod foris acturi sunt, intus disponunt. In qua nimirū consideratione quia quotidie permanēt, quasi intra domū latent. Abire ergo in domū suā rex dicitur, quia prædicator æternæ uitæ operatione probatus, sapientiæ doctrina securus, liber ad opera potest egredi, & ad cōsilia mentis intrare. Populus aūt in domū suā dimittit: quia fideles subiecti non sunt liberi ad disponēda quæ uolunt, sed ad ea quæ iubentur. Quasi tenti quidē dimittuntur, dum iussa præcipiuntur agere: præsumere non iussa, deuitare. Et quia ad opera diuersa mittuntur, in suam domū eorū unusquisq; dimittitur. Vt enim ea quæ nobis præcipiunt, bene perficiamus, priusq; appareamus in opere, intus recondimur in interna consideratione. Reges ergo nostri nos singulos in domū nostrā dimittūt: quia ad ea quæ nobis iniungunt, nos per secretam mentis dispositionē ire præcipiunt. Bene quidē ipsi præcipiunt, sed si operationis nostræ modum negligimus præuidere, quæ benè præcepta sunt, incōsulta mente dissipamus. Singuli ergo in domū suam redeunt, quando unusquisq; fidelis subditus opus obedientiæ quod proponit consilio mentis dispo nendo præuenit. Quia uerò electo rege in domū suā ante populus dimissus q̄ rex abijsse asseritur, potest in hoc aliud designari. Qui enim regem exeipiunt, in domū suā uadunt, quādo se unusquisq; subiectus cōsiderando præparat, ut ei quē prę esse sibi petijt, fidelē obedientiā impēdat. In hoc ergo loco non est imperata cōsiderare, sed imperandis intima se dispositione substernere. Regi quoq; in domū suā abire est, ut discretè paratis imperet cōsiderare. Alia ergo est domus regis, alia populi subiecti: quia alta illi mente subditorū itinera disponenda considerant, isti prælatorū imperia exequi per intimi propositi robur parāt. Vnde & domus regis in Gabaa sita perhibetur. Gabaa quippe sublimis dicit. Domus ergo regis in Gabaa esse ostenditur: quia electus doctor non ima & terrena cogitando incolere, sed alta & cœlestia meditari studet. Vnde & bene pars exercitus cum eo ire in Gabaa dicitur: quia ij qui contra diabolū fortes sunt, electū pastorē suum ad uirtutū alta prosequūtur. Pars ergo exercitus ire cum rege dicitur: quia in sancta ecclesia plerique fideles sunt, qui prælatis suis humiliter obedire sciūt, alta cogitare nesciunt. Sciunt quidē imperata perficere, nesciunt alijs imperanda præuidere. Quasi enim huius partis milites memorabat Paulus, cū Colossensibus scriberet, dicens: Salutat uos Aristarcus cōcaptiuus meus, & Marcus cōsobrinus Barnabæ, & Ioannes qui dicitur iustus, qui sunt ex circūcisione, ij soli sunt adiutores mei in regno dei. Item Romanos alloquēs, ait: Salutate Priscā & Aquilā adiutores meos. Et post pauca salutat uos Timotheus adiutor meus, & Lucas & Iason. Adiutores quippe suos discipulos uocauit, quia ordine minores erāt sed laboris participes: obediētię humilitate Apostolo subiecti erāt, sed dum cū eo æterni regni gloriā prædicarēt, cū eo pariter ueritatē defenderent, infidelibus obsisterēt, illatas persecutiōes fortiter sustinerēt, quasi in bello dei milites regis erāt. Cū rege in Gabaa pars exercitus ire dicit: quia perfecti discipuli in alta dispositione sanctę ecclesię magistrorū suorū coadiutores sunt: auxilia quæ possunt, per altitudinē uirtutis ferūt, sed eis quos adiuuant, per humilitatē seruiūt. Et quia hoc non nisi illi possunt, qui spiritus sancti gratia præuēti sunt, cū pars exercitus ire cū rege dicit, bene subiūgit:

Quorū deus tetigit corda.] Quia enim digito tāgere solemus, deus corda sanctorū tangit, quando eis spiritus sancti gratiā tribuit. Et eius tactum sentiunt: quia recepto internæ uirtutis munere à carnalitatis suæ debilitate cōmouent. Qui protinus cœlestis exercitus milites fiūt: quia per uirtutem sancti spiritus infirma deserunt, & ad agenda fortia in Christi bello præparant. Quia uerò intra sanctā ecclesiā quidā prælatos suos despicere non uerent, audiant: quia qui regē despiciūt, Belial filij dicunt. Per superbię quidē uitiū in illius imitatione generant, de quo scriptū est: Omne sublime uidet, & ipse est caput super omnes filios superbiæ. Qui aptè superborū mores insinuāt, quia dicunt: Nunquid iste saluare nos poterit? Sancti etenim uiri quia præsentia despiciūt, æterna inquirūt, cōtemptū mundi quē in mente retinent, proferunt etiam in exteriori cōuersatione, intus uenerabiles sunt, foris despicabiles uident. Superbi ergo quia illud solū quod in sanctis foris despici potest aspiciunt: illud uerò quod ualde uenerandū est, cernere nō merent, dicūt: Nūquid iste saluare nos poterit?] Quasi despiciēdo interrogēt, à tam paruo tam grādia sperāda sunt? Iste tam paruus, nos tam magnos, tam debilis tam fortes saluare posse credēdus est? Nā quid est aliud q̄ dicūt iste & nos, nisi q̄ superbi & arrogātes inspiciētes alios semper paruos & debiles esse credunt, se aūt magnos, fortes atq; sapiētes. Merito igitur Belial filij dicunt: quia dū superbiēdo se extollūt, illi se ęconformant, qui

Colos. 4

Rom. 16

Iob 41

qui eodem modo cecidisse de cœlo dicitur. De quibus etiam regem despicientibus dicitur. Et non attulere ei munera.] Si ad literam ista discutimus, hoc profecto insinuant: quia & terrarum domini, & spirituales sanctæ ecclesiæ prælati exterioribus officijs honorandi sunt. Vnde & beatus Paulus apostolus elatos Romanos alloquitur, dicens: Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal. Hinc apostolorum princeps exhortans ait: Subiecti estote omni humanæ creaturæ, siue regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Spiritualia uero munera rectoribus nostris tribuimus, quando debitam eis honoris reuerentiam offerimus, & ea quæ præcipiũt cum magna deuotione seruamus. Magna enim munera sunt reuerentia honoris, & humilitas subiectionis: quia dum rectoribus nostris & intus per humilitatem subdimur, & per exteriora obsequia foris honoris reuerentiam exhibemus, munus eis unum præbemus à corpore aliud à corde. Vt ergo superborum typum insinuet prophera non dicit: Non attulere ei munus, sed, non attulere ei munera: quia dum electos prædicatores despiciunt, eis utiq; honorẽ à corpore offerre dedignantur, & humilitatem à corde: sed cũ electi prædicatores subditorũ culpam agnoscũt, aliquando eam statim corrigere increpando gesti unt, aliquando hanc se nosse dissimulant, ut ad eã delendam congruum tempus quærant. Vnde & de eodem despecto rege protinus subdit: Ille uero dissimulabat se audire.] Subditorum quidem prauitatem audit, qui nescit sed audit, & non respondit, imo se audire dissimulat: quia plerunque causa exigente, nota subditorum superbia incorrepta deseritur, ut opportuniori tẽpore quasi cognita feriatur. Quam profecto ecclesiasticæ censuræ discretionẽ, bene in hoc ipso Israelis rege agnoscimus, si regni tempora, & acta diuersa uideamus. Nam rudis adhuc & nouiter ordinatus, dissimulare se audire despicientium uerba dicitur, sed confirmato regno super Israel ad dexteram, & sinistrã pugnare, & quocũq; se uertebat superare perhibet. Culpa ergo, quæ feriri digna seueritate nõ potest, dissimulãda, nõ exponẽda est: quia audaci⁹ à subiectis delinquit, si prælatorũ infirmitas agnoscat. Hæc in quarto huius operis libro disputata sufficiant, ut per loquendi principiũ ad exponenda quæ restant, studium renouemus.

Rom.13 1.Pet.2

Incipit liber quintus. Cap. 1

Vm sacræ huius historię profunditatem asserere in istius operis præfatione uoluissem in eo potissimum uideri posse asserui, quod scripta fuerit à prophetis. Ipsi quidem mystica dicere nõ solum uerbis, sed etiam rebus consueuerant: plana proferre, sed alta signare. Quia eñ per eos spiritus sanctus loquebat, & planũ erat, quod ipsi uelut homines dicebant: sed profundũ, & mysticũ: quia locutionẽ hominib, summus & incircũscriptus spiritus suggerebat. Qui ergo prophetã Samuelẽ loquentẽ exponimus, tanto maiori studio indigemus quanto ipse in spiritus sancti gratia sublimite rassumptus, exteriora dixit, sed interiora uidit. Carnalia plerũq; asseruit: sed intima, & spiritualia signauit. Sed quia humano studio ad diuina peruenire impossibile est, nõ est nobis confidendũ de uiribus propriis, sed de dignatione spiritus sancti, qui à re demptore missus repleuit orbẽ terrarũ, & hoc q̃d cõtinet oñia, in omnibus iã scientiã habet uocis. Quid ergo iã idẽ propheta de inceptis Israelitarũ gestis exequat audiam⁹. Et factũ est (inquit) qua si post mensem. Ascẽdit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersus Iabes Galaad. Dixerunt omnes uiri Iabes ad Naas. Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites, in hoc feriã uobiscũ fœdus ut eruã omnium uestrũ oculos dextros ponamq; uos opprobrium in uniuerso Israel.] Si historia quæritur, nihil planius dici, nihil facilius potest intelligi. Si uero spiritum sequi uolumus, Paulum prius loquentẽ audiamus, qui uetera intuẽs, ait: Omnia in figura cõtingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorũ deuenerũt. Esse etiã spiritualia bella insinuat, dicẽs: Non est nobis collucta- Ephes.6 tio aduersus carnẽ, & sanguinẽ, sed aduersus principes, & potestates: aduersus spiritalia nequitię in cœlestibus. Cum ergo Naas ascendere, & pugnare cõtra Iabes Galaad dicit, interiora uitiorũ prælia designantur. Quibus nimirũ uerbis sacræ historiæ processus ostenditur, ut nouo regi noua bella mouerentur: quæ dum bene conficeret, strenuitatis suæ gloriam demonstraret. Quis est ergo iste Naas Ammonites, quę est Iabes Galaad? Sed Naas interpretatur serpens, Iabes exsiccata. De ser- Gene.3 pente autem in Genesi dicitur: quia callidior erat cunctis animantibus. Cuius profecto serpentis similitudinẽ si in uitijs quærit, quid similius q̃; uiolentũ gastrimargiæ, id est, gulæ motũ inuenimus. Luxuriæ quidem motus, furti crimen, turpis lucri appetitus, iræ impetus, amaritudo secularis tristitiæ, desidia acediæ, appetitus uanæ gloriæ, tumor superbiæ apertè detestabilis est. gulæ uero uitium tanto est fraudulentius, quãto & occultius: quia & quasi necessarium suggerit cibum corpori, sed dum abundanter carnem reficit, luxurię gladium in mentem mergit. Suadet quod peccatum non est, sed unde comestio quasi nõ peccatũ recipit, inde peccato luxuriæ anima subiugatur. Vn- Gene.3 de & in paradiso ad mulierem gulæ uitio decipiendam, serpens uenisse ostẽditur, qui aliud suggereret, aliud obtineret: ut dum comedenda ostẽderet, improuisam mortem propinaret. Serpens ergo iste gulæ designat auiditatẽ: quia & respectu iustæ necessitatis repit, & uirus impiæ delectationis spargit. Bene etiã Ammonites dicit, qui populus mœroris interpretatur: quia lætũ uidet, quod suadet: sed ualde luctuosum erit in æterna damnatione. Populus autem dicit: quia gulosi quiq; prosollicitudine uẽtris innumerabiliũ curarũ frequẽtia deprimuntur. Qui ad Iabes Galaad ascendit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia in alta abstinentiæ uirtute posita iustorũ cor
pora, ad ciborũ concupiscentiam præcipitare ap-
petit. Exsiccata quidem rectè caro dicitur, quę hu
more pinguedinis non grauatur. Ad eos quidem
Naas ascẽdit, quos exsiccatos uidet: quia illis gra-
uiora bella gulæ spiritus ingerit, quos attenuatos
ieiunijs agnoscit. Bene aũt pugnare cœpisse Naas
dicitur: quia sancti uiri gulæ suggestionem nõ ha
bent in fœdere amicitiæ, sed in pugnæ contrarie-
tate. Abstinentes enim quasi cũ serpente pugnãt,
quando gulæ appetitũ magna uirtute deprimũt,
ut ueneno luxuriæ non inficiant̃. Pugnare quidẽ
gulæ est, esurientia abstinentium corpora ad inor
dinatam uentris repletionem prouocare. Sed per
fectos uiros gulæ appetitus tentare potest, supe-
rare non potest. Bene ergo pugnare cœpisse con
tra exsiccatã dicit̃, non uicisse: quia electi uiri de-
desideriorum carnalium impetũ sentiunt, sed eis-
dem desiderijs sciunt uirtute mentis obsistere, sci-
unt necessaria per discretionem prouidere. Sciũt
quidem gulæ impetum ferociter insurgentem de
primere, sciunt necessitati corporis alimẽta iusta
Philip.4 præstare. Hinc nanq; doctor egregius dicit: Scio
manducare & esurire. Mãducare quidẽ & esurire
nouit, qui & corpus moderatè reficit, & ad immo
deratã ciborũ perceptionem suggerenti gulæ ui-
tio non cõsentit. Quare & ad Naas respondentes
dicunt: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.
Fœdus quippe à gula petunt, qui uellent carnem
pro uoto reficere, si in carne nulla possent incita-
menta sentire luxuriæ. Quasi dicãt: Nos dabimus
quod tibi iustũ est, ut tu nobis nõ inferas, quod iu
stum nõ est. Iustũ quidẽ est, ut reficiat̃ corpus, sed
iniquũ ualde est, ut refecta caro per ardorem libi
dinis ad contumeliã spiritus exciteť. Fœdus ergo
expetimus, cum sic fauere carni ad ciborũ perce-
ptionem uolumus, ut à carne nulla luxuriæ ma-
la sentiamus. Sed hoc profecto uelle possumus,
obtinere nõ possumus: quia nimirum nos iustam
refectionem quasi tributũ carni offerimus, sed à
carne nobis nulla pacis bona promittunt̃. Nã cũ
auditũ mentis ad uitiorũ responsa bene dirigim⁹,
hoc profecto in gulæ uoce cognoscimus: quia si
carnẽ impinguemus, per excrescentem concupi-
scentiã cordis cæcitate percutimur. Quare & idẽ
Naas dicit: In hoc feriã uobiscum fœdus, ut eruã
omnium uestrũ oculos dextros.] Dexter oculus
noster est intuitus æternæ claritatis, sinister uero
oculus, est concupiscentia carnalis. Dexter ergo
oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percuti-
tur, ut ultra ad uidenda cœlestia non aperiatur. E-
ruitur quidem oculus, quãdo à mente reproba sic
lumen euellit̃, ut radix ei nulla remaneat, de qua
rediuiuũ lumen erumpat. Naas ergo dextros ocu
los fœderatorũ suorũ eruit, quando gula sic deui-
ctis abstinentibus prævalet, ut carnalia sola cupi-
ant, & ultra quæ solebant amare nõ attendant. Et
quia quisquis in hac uita proijcitur, in futura corã
angelis, & electis hominibus condemnat̃, subiun
git̃. Ponamq; uos opprobriũ in uniuerso Israel.]
Tũc quippe reprobi in uniuerso Israel opprobriũ
ponuntur, quãdo in extremo examine, coram ele
ctis omnibus de perpetratis iniquitatibus erube-
scunt. Vel in opprobrium in hac uita ponuntur:
quia dum ipsi obcæcato corde mala audacter per
petrant, sancti uiri pro eorum culpis erubescunt.
Sed qui turpes uideri auulsis dextris oculis dedi-
gnãtur, attendant, quod sequitur: Et dixerũt ad
eum habitatores Iabes. Cõcede nobis septẽ dies,
ut mittamus nuncios ad terminos Israel, & si non
fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te.] Qui
sunt habitatores Iabes, id est exsiccatæ, nisi qui ca
stigationem extenuatæ carnis in longo habẽt usu
uirtutis? Nam plerique resistere gulæ incipiunt, sed
dum fatigari abstinentiæ labore inchoãt, ad usum
se consuetæ gulositatis inclinant. Velut enim ur-
bem Iabes ingredi, & effici eius ciues appetunt,
sed dum exsiccatæ, & esurientis carnis cruciatum
non perferunt, fieri eius habitatores nequaq; pos-
sunt. Iabes ergo inhabitant, qui attenuationẽ cor
poris per uigorem mentis in ius habent possessio
nis, & uelut exsiccatæ muris ambiunt̃, dum per id
quod corpus extenuãt, ab ignitis luxuriæ iaculis
protegunt̃. Qui cum ualidissimis insurgentib. gu-
læ stimulis fatigant̃, septem diebus inducias expe
tunt: in quibus si auxilia desunt, ad Naas egredian
tur. Sed hoc Ammonitarũ bellum melius exponi
mus, si in eo deprehensæ carnis infirmitatẽ intuea
mur, & sagacitatem eruditæ mentis. Hanc quoq;
clarius uidemus, si quod cõtrariũ est, in stultis in-
firmis subtilius attendamus. Nam quidã intra san
ctam ecclesiã deuoti per desideriũ sunt, sed con-
sueta uitiorũ debilitate remissi. Possunt quidẽ bo
na proponere, sed quia exequi, quod proponunt,
nequeunt, & à præsenti concupiscentia superan-
tur, & bonũ, quod in præsenti deserunt, in uicino
tempore se recuperare posse confidunt. Sæpe qui
dem ieiunare disponũt, sed cum cõsueta gula uin-
cuntur: eo die manducandum iudicant, in futuro
ieiunandum. Cumq; gulæ feritas semper eis præ-
sens sit, præsens & desideriũ futuræ bonitatis, hoc
serpentis fraude agitur, ut bonũ, quod proponit̃,
non inueniatur. Cras enim quod semper promit-
titur, nunquã reperitur. Sed quia hoc ab illis agi-
tur, quorũ mens debilis est, caro fortis: uideamus
qualiter serpenti illudant illi, quorum mens for-
tis est, caro autem infirma. Nam de eodem serpen
te Psalmista ad dominum dicit: Draco iste, quem Psal.103
formasti, ad illudendum ei. Nunquam conuenien
tius uincitur, quàm cum eius uersutia pia fraude
superatur. Vnde & sapientiæ suæ astutiam beato
Iob redemptor improperans, ait: In oculis quasi Iob 40
hamo capies eum. In oculis quippe quasi hamo
serpentem cepit, qui ei carnem exhibuit, diui-
nitatem cælauit: & dum cepit ille, quod appe-
tijt: eo tentus, & peremptus est, quod non uidit.
Sancti ergo uiri, ut hosti illudant, rigorem con-
uersationis in præsenti uirtute habent: pro illusio
ne infirmitatis, carni commodum quoddam in fu
turo promittũt. Nam sæpe ingẽtia sunt, quę agũt,
sed pro infirmitate carnis semper agere dura, &
aspera promittere non præsumũt. Tanto quidem

facilius

facilius eadem dura sustinent, quanto eorũ onera sibi inesse in perpetua promissione, non uident. Sed dum optime uiuunt, & quotidie proficere, & non deficere conantur: illud carnis licitum blandimentum, de quo desperare non possunt, semper carni in futura æstimatione promittunt: sed ei cœpte afflictionis dolorem infligere nequaquam desinunt. Per id ergo quod in appetitu suo spes carni relinquitur, quasi ad futurum bonum eiusdem carnis sui aduentus præsentiam spiritus pollicetur. Sed quia solitum continentiæ rigorem deficiendo non deserit, promissum uoluptatis caro habet in futuro, & electa mens uirtutis robur in præsenti. Quo in loco notãdum est: quia ad Naas egredi sub conditione promittunt, sed urbis mœnibus sine conditione muniuntur: quia abstinentes in eo etiam quod secundũ carnem infirmi sunt roborari per diuinam misericordiam confidunt. Et quia gulæ uitiũ decipiendo supplantare gestiunt, dicunt. Concede nobis septem dies.] Quasi enim à gula tẽpus conceditur: quando eo respectu cõprimitur, ut eius desiderijs quandoq; seruiatur. Quo nimirũ dierum spacio Naas egressum ad se obsessorum ciuium, ciues uero labes auxilia præstolant: quia nimirũ gulæ appetit⁹ de infirma carne refici appetit: sed electa mens in abstinẽtiæ uirtute roborari. In septem uero diebus auxilia quærunt, quando contra tentamentorũ tenebras, omni luce cordis erigimur, quando aduersus prauа cõsilia quicquid possumus inuenimus ratione nostra, & lucis radios, quos in nobis nõ cernimus de eruditione munimur aliena. Dum enim ad robur nostræ uirtutis, perfectorũ cõuersationes aspicimus: quasi per septẽ dies auxilia defensionis inuenimus. Inducias quidẽ petimus: quia cũ Naas ideſt serpente pugnamus: cuius quo latentia sunt uenena, eo nobis subtiliora sunt quærenda consilia. Vnde & in uniuersos terminos Israel mittere nuncios se promittunt: quia electi uiri ad ædificationis suæ cõmodũ, omniũ uidentiũ deũ exẽplis adiuuantur. Sed quod dicitur, si nõ est, qui defendat, egrediemur ad uos: in electorũ uoce, nõ auxiliorũ dubitatio sed certitudo monstratur. Quasi astutis uerbis suadenti aduersario illudẽtes, uerba proferunt, quibus illi spẽ tribuant, & sibi fiduciã nequaquam tollant. Qui enim dicunt si non fuerit qui defendat, egrediemur ad uos, quandã exeundi spem tribuunt. Sed quia illi hoc dicunt, qui de auxilio certi sunt, hostes suos promittẽdo decipiunt. Sed ubi iam eadem auxilia inueniantur, exponit dicẽs. Venerũt ergo nuncij in Gabaa Saul, & locuti sunt uerba hæc audiente populo, & leuauit omnis populus uocem suã, & fleuit. Et ecce Saul ueniebat mane sequens boues de agro & uidit plorantẽ populũ, & ait: Quid habet populus, quod plorat?] Gabaa (ut supra iam diximus) sublimis interpretatur. Et quia omniũ electorũ nõ est æqualis altitudo meritorũ, in Gabaa Saul nuncij uenisse perhibẽtur, ut spirituali significatione doceamur, ut cũ ualidis tentamentis impellimur ad prædicatorũ nostrorũ cõsilia recurramus. Sed

A & flentis populi afflictione instruimur, ut fraternis necessitatibus intima mentis cõpassione iungamur. Saul aũt flentẽ populũ uidit, ob quã causam fleret interrogauit: quia electus doctor subditorum necessitatem compatiendo suam facit, et hanc releuare appetit. De agro quidẽ uenit, quia à secreto sui fertilis cordis exit. Mane uero de agro uenit, quia in oriente sibi splendore ueri luminis subditorum causas inquirit. Et boues sequitur: quia eũ ualidi affectus charitatis antecedunt. Quasi eñ duos boues ante se habet, qui & proximis per amorẽ iungitur, & diuina charitate inflãmatur, & inde proximũ ordinate diligit quia hunc amor dei fortiter accendit. Quare & per Moysem

B dñs ait: Non arabis in boue & asino. Asinus quip Deut. 22
pe est amor carnalis: quia qui portat quos amat, quasi forte est animal: & quia inordinatè idẽ non pro deo diligit, lasciuũ. In boue ergo & asino arari nõ potest: quia fructu æternæ mercedis anima nõ excolitur, si puritas amoris, quo deo cõiungitur, inordinato ꝓximi amore polluit. Saul ergo de agro ueniẽs, boues sequit: qa electꝰ doctor utrũq; affectũ charitatis in frugifero corde integrum retinet, exquib. prẽparare sibi ẽternẽ retributiõis ubere s fructus potest. Et mane uenit: quia cũ ad subditos exit, diem suæ uirtutis aperit. Sed iam cognitis necessitatibus populi, quid egerit, audiamus. Nam sequitur: Et narrauerunt ei uerba uirorũ labes. Et insiliuit spiritus domini in Saul, cum au-

C disset uerba hæc, & iratus est furor eius nimis. Et assumens utrunq; bouem ẽcidit in frusta, misitq; in omnes terminos Israel per manus nunciorũ dicens. Quicunq; non exierit, secutusq; fuerit Saul & Samuelẽ, sic fiet bobus eius.] Quid in his uerbis discimus, nisi quia sanctorũ infirma, & quæ uidentur carnalia, non sunt infirma & carnalia, sed spiritualia & robusta? Iræ quippe nimietatem in religiosis uiris reprehẽdere solemꝰ, sed ecce Saul ut irasci nimis potuerit, prius in eũ spiritus dñi insilijt. Quã metuẽda sit ergo sanctorũ ira cernimꝰ, si insilientem in eos domini spiritũ cogitamus, si dum illos foris irascentes aspicimus, commouentem spiritum intus pariter attendamus. Quoties ergo maiorum zelo corrigimur, sub eorũ indigna

D tione uehementer possumus pauere: si eorũ impetũ motũ sancti spiritꝰ credimus. Et quia Saul utrũque bouẽ in frusta cõcidit, in omnes terminos Israel misit, minas protulit, sic omniũ bobus fieret, qui se & Samuelẽ sequi noluissent: quid aliud insinuat, nisi quia pigriores quiq; ad auxilia præbenda proximis, nõ solũ inuitandi, sed cogendi sunt? Vnde & statim subiunctum est. Inuasit ergo timor dñi populũ, & egressi sunt, quasi uir unus.] Quia enim proximos sicut nosipsos diligere iubemur, recto ordine eis auxilia præbemus, quando ad hæc exhibenda non timore cogimur, sed amore prouocamur. Cum uero nos effectũ huius debiti amoris perdimus, ad prædicatorũ nostrorum zelum pertinet, ut in fratrũ auxilia ex timore consurgamus. Bene ergo dicit, Inuasit timor dñi populũ & egressi sunt quasi uir unus: quia plerunq;

sumus

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumus in amore proximorũ tepidi, sed prælatorũ A nostrorum minis erigimur ad ītatũ deuotionis, & ex timore bonũ opus aggredimur, sed ex initio timoris, ad uinculũ perducimur magnæ charitatis. Vnde & bene timor inuasisse populũ dicitur, sed quasi uir unus omnes egressi perhibentur. Quasi uir quippe unus plures nõ possunt egredi, nisi qui Acto.1 ad parem conscendunt unitatẽ dilectionis. Hinc nanq; & de perfectis discipulis redemptoris dicitur: Erat illis cor unũ, & anima una, sequitur: Et recensuit eos in Bezehe, fueruntq; filiorum Israel trecenta milia, uirorum autẽ Iuda triginta milia.] Prius dicuntur filij Israel egressi, deinde à Saul recensiri: quia electus prædicator cùm cõtra occultos hostes mouere subiectorũ suorũ militiã tẽtat, B prius eorũ forte propositũ aspicit, deinde eos in numero bellatorũ ponit. Quasi eẽ intus sumus, & recenseri non possumus, quandiu uirtus nostrę mentis nostris pastorib. occultatẽ. Et cùm egredimur recẽsemur: quia cùm mentiũ nostrarũ eis fortitudinẽ pandimus, nos iam habere socios in spirituali pugna confidunt. Sed cùm infirmas mentes ad propositũ boni operis erigere appetũt, non solum maiorũ doctrinis nos erudire conanť, sed etiã minorũ electorũ exemplis accendere. Bene ergo filiorũ Israel trecenta milia, uirorũ autem Iuda triginta milia recensita fuisse perhibentur. Tricenarius quippe numerus ad rectitudinem fidei, & studium pertinet bonæ operationis: quia nulla sunt præcepta legis, si ad contemplationẽ non tendũt C summæ trinitatis. Aptè ergo uiri Iuda dicunť, qui triginta millibus continentur: quia cõfessionem habent rectæ fidei, & robur bonæ operationis. Patres autem nostri eiusdem fidei, atq; operationis fuere, sed in contemplatione diuinitatis, quo longe altius quàm nos profecerant, eo & opera fidei fortiora exhibebant. Quare etiã filiorũ Israel trecenta milia recensentur. Triginta quidẽ à tribus, & decem in triginta ueniunt: sed in tricenario numero tam denarius q̃ ternarius simplex est, sed ut usq; ad trecentos numeremus, & denariũ tricies, tricenarium decies multiplicamus: quia & si magna est contemplatio, magna sunt opera subiectę plebis, illa tamen quæ præcesserũt in patribus nostris incõparabilia fuerunt. Velut eẽ denarius D noster numerus decies in illorũ perfectione glomeratur, dum eorũ perfectioni ualde nostra submittuntur. Triginta ergo milia uirorũ Iuda, & trecenta filiorũ Israel nobiscũ recensita, ad pugnandum contra Naas prædicatores ducũt: si cum adiuuare tentatos abstinentes subditos uolũt, & fortissimorũ patrum eis eximia facta proponunt, & minorum. Israel quidem dicitur uidẽs deũ, siue in quo est deus. Quod profecto nomen infirmo adhuc, aut imperito non cõuenit. Quotquot perfectos uiros in afflictione carnis, & cõtemplatione mentis proferimus, serpentẽ Naas tot armatis elidimus. Sed iam obsessos, quibus uerbis regis exercitus confortet, audiamus. Et dixerũt ijs qui uenerãt, sic dicetis uiris, qui sunt Iabes Galaad. Cras erit uobis salus cum incaluerit sol.] Tale fortasse est illud, quod nobis sapientis illius consilio dicit: Si spiritus potestatẽ habentis ascenderit super te, Eccli.10 locũ tuũ cito non deseras. Locus uniuscuiusq; electi est situs bonæ conuersationis. Quando aũt permittitur, impugnans spiritus potestatem habere potest: quia impugnare electorum corda nullatenus posset, nisi hoc dispensatio diuina permitteret. Præcipit ergo, ut locũ nostrũ non deseramus: quia si inter tentationum breues tenebras fortes sumus, cito diuina lux aderit, in cuius aduentu tenebrarũ uirtus euanescit. Bene ergo dicit. Cras enim cũ incaluerit sol, erit uobis salus.] Sanctorũ prædicatorũ exhortatio dies est: quia dum tentata minorũ corda tangit, ad spem uictoriæ erigit. Sed hãc nox sequitur: quia etsi diuina auxilia sperantur, adhuc tamen irruentes desideriorũ carnalium tenebræ nõ discedunt. Quis est ergo dies crastinus, nisi diuinæ uisitationis aduẽtus? Crastinus enim dies dicit: quia tentatis electis, diuini auxilij splendor ualde uicinus est. Vnde & per prophetã dns dicit: Ego deus de uicino, & non deus de longe. Hinc Psalmista dicit: Prope est dns omnibus Psal.144 inuocantibus eum in ueritate. Hinc item ipse dominus repromittit, dicens: Antequam me inuocetis, dicam: ecce, adsum. Dies ergo primus lux prædicationis, crastinus diuinæ gratiæ est. Sed notandum: quia dixit cum incaluerit sol, ut diei claritas obscuritatẽ sensus illuminet, & calor solis accendat amorem cordis, ut mens bonũ, quod cupiat, per lucem uideat: & quod uidet, per calorem mẽtis cõcupiscat. Geminũ quippe hoc mentis remedium, contra duplũ diaboli bellum exhibet. Nam malignus spiritus ut mentes electorum tentando superet, prius tenebras cogitationum malarũ obijcit, deinde concupiscentiarum flammas accendit: quia nisi prius mentem cæcauerit, ad prauitatem cõcupiscentiæ nõ impellit. Electa uero mens dum tentari permittitur, eius status in utroq; turbatur: quia in tantum concupiscentiarũ molestias sentire potest, in quantum permittente deo cogitationũ tenebras abijcere à se nõ potest. Sed quia à deo tentari permittitur, in aduentu eius gratiæ, ab utroq; malo releuatur: dum contra tenebras lucem accipit, & per calorem aduenientis spiritus, abijcit frigus mentis. Incipit eẽ uidere cœlestia, qui leuare mentẽ à carnalibus nõ ualebat, & quæ amanter aspicit, ardenter cupit. Bene ergo dicit:

Cras erit uobis salus cùm incaluerit sol:] quia si ualidas antiqui hostis impugnatiões uiriliter ferimus, diuinæ gratiæ celeritate subleuamur ad lucem cordis, & uirtutẽ magnæ charitatis. Et quia hoc sanctorũ prædicatorũ consiliũ electa subditorum corda gratanter excipiunt, sequit. Venerũt ergo nuncij & annunciauerũt uiris Iabes. Qui lætati sunt,] Sed etiam promisso sibi auxilio, quid Amonitis respondeant audiamus. Nam sequitur: Et dixerũt: Mane exibimus ad uos, & facietis nobis omne, q̃d placuerit uobis.] Hoc pfecto quia illi dicũr, qui iã de uicino auxilio securi sunt, quandã spem hostib. tribuũt, quos promittẽdo illudũt Voce quidẽ debilitatẽ simulãt, sed fortitudinem.

promissi

promissi auxilij intus seruant. Aliud ergo promit A
tunt, aliud credunt. Qui enim dicebāt: Cras exi-
bimus ad uos, & facietis nobis omne q̄d placue-
rit uobis:] hoc dabant hostibus credere, quod sic
se in eorū manib. traderēt, ut facere de eis possent
quæcunq; uoluissent. Sed qui in diem sequentem
uenturū regem in suū auxiliū nouerant, exire cū
eo non ad hostiū manus, sed ad interfectionē co-
gitabant. Secundū spiritualē uerò sensum serpen-
ti Naas, id est gulæ cōcupiscētiæ, in die suo nostrū
exitū promittim⁹, sed nos in die nostro eius acies
debellamus. Dies quidē eius est delectatio corpo
reæ saturitatis. Qui enim proponit uentrē pro uo
to replere, quasi diem primum concupiscētiæ de-
dicat, & tamen adhuc intus est: quia quandam lu- B
cem delectationis proposuit, quā operando nō vi
dit. Cras ergo exijt, qui hoc lætū quod carni pro-
misit, & operādo, & delectando exhibuit. Sed san
cti uiri (ut superius dixi) gulæ illudunt: quia cum
ab eius appetitu desperare in perpetuū nequeūt,
illud quod promittunt & non sumūt, quasi in futu
ra luce delectationis repromittunt. Coacti quī-
dem sunt foris nimia fragilitate carnis, & intus in-
duti robore magnæ charitatis. Per illud quidem
quia appetitibus renunciare nequeūt, quasi exte-
riori uoce promittunt, q̄d in intentione nō habēt.
Per illud uero quia de diuino securi sūt, aliud age
re proponūt, quàm loquunt infirmitatis uoce. In
die igit suo ad Naas exeūt: quia ad oppugnandū
gulæ concupiscentiā, per lucē superni auxilij pro C
grediuntur, & uisitati superna gratia, iam contra
omnē carnis impetū fortes sunt, qui derelicti ad
modicum, eius impugnamenta timuere. Qui pro
fecto diuinæ gratiæ splendor quia profecto per
ora prædicatorū aliquando minoribus sanctæ ec-
clesiæ membris infunditur, sequitur: Et factū est
cum uenissēt dies crastinus, constituit Saul popu
lum in tres partes, & ingressus est media castra in
uigilia matutina, & percussit Ammon usq; dum
calesceret sol.] In partes quidē diuidit populus,
ut serpentem Naas nō una acie feriamus. Et qui-
dem in tres partes diuiditur, ut sacræ abstinentiæ
fructus, & dignitas ostēdatur: quia ad eam, quam
manducādo perdidimus, sanctæ trinitatis cōtem
plationē ieiunando reuocamur. Hinc est enim q; D
legis, & prophetiæ & euāgelij ieiunia cōmendan
Exod.34 3.Reg.19 tur. Nam Moyses ut legem percipere mereretur,
bis quadraginta dierū numero ieiunauit. Helias
ut Iezabel manus euaderet, quadraginta diebus
in unius cibi fortitudine ad Oreb dei montem
peruenit. Dñs ac redemptor noster Iesus Christus
Matt.4 per quadraginta dies in eremo ieiunans, nullum
omnimodo cibū sumpsit. In tres ergo partes Saul
populū diuidit, quia in exemplū abstinētiū legis,
& prophetarū, atq; euangelij ieiunia producunt.
Et ueniente die crastino, media castra doctor in-
gredit: quia cum diuina gratia, quę ad docendum
corda prædicatorū illuminat, auditorū etiā men-
tes irradiat, & ad spem uictoriæ potenter leuat: In
die igitur crastino doctor triūphaturus castra ini-
micorū ingreditur, & aperit, in eisq; concupiscen
tiarum acies potenter ferit. Et quia ipsum subdito
rum mentes audiendo proficiunt, in uigilia matu
tina rex dicit castra Ammonitarū ingredi, & usq;
dum dies incalesceret, in eorū cædib. immorari.
Vigilia quidē matutina in dei aspiratione est, fer-
uor solis in eius plenitudine. Velut enim matuti-
na nobis lux oritur, quādo tenebris tentationum
depressi, lucem uirtutis ab ore prædicatorū uide-
re incipimus, quam sequamur. Et sol nobis incale
scit, cum per eorum uerba mens nostra succendi-
tur, & quasi feruentis solis calore decocta, deside-
rijs inflammatur. Tūc quippe Ammon uehemen
ter cæditur, quia uitiorum populus de nostris sen
sibus effugatur. Rector igitur qui in uigilia matu-
tina Ammonitarū castra ingreditur, usq; dum in- B
calescat dies ab interfectione gladium non recon
dat: quia tandiu debet subditorū suorū eruditioni
insistere, quandiu illos aspiciat magnis interni lu-
minis caloribus inflammari. Quo in loco notan-
dum est: quia Naas id est serpens Ammonitarum
rex esse dicitur: ipse autem Ammon populus mœ
roris interpretatur. Et quia in hoc serpente gulæ
uitium designari diximus, cùm Naas percutitur,
mœroris populus debellatur: quia ex uno gulæ ui
tio, innumera uitiorum agmina ad conflictum a-
nimæ producuntur. Et cum idem gulæ uitium re-
ciditur, alia multa nobis uitia subiugamus. Vnum
quidem gulæ uitium est, sed aculei libidinis innu-
meri sunt; qui præcedentem illum, quasi regē se-
quuntur. Qui læta quidem suggerunt, sed ad æter
ni fletus lamenta perducunt. Cum Naas ergo pu
gnatur, sed mœroris populus cæditur: quia cum
gulam domamus, libidinū incitamenta perimun-
tur. Vnde bene non ipse Naas, sed Ammon subie
ctus sibi, id est populus interfectus asserītur: quia
appetitus comestionis restringendus, non extin-
guendus est. Sed bene nunquā restringitur, si sub
sequens mœroris populus, id est turpes motus li-
bidinum non necantur. Contra Naas ergo nobis
principale certamen est: quia cum iste superatur,
Ammon interficitur; quia libido tunc bene cædi-
tur, si eius principale initium subiugatur. Sed pro
fectus pudicitiæ quousq; procedat, latenter osten
ditur, per ea quæ subsequunt. Nam dicit: Reli-
qui uerò dispersi sunt, ita ut nec relinquerent duo
pariter.] Probatio ueræ abstinētiæ nō est in atte-
nuatione corporis, sed in perfectiōe castitatis. Nā
bene serpens atteritur, si sic gula restringitur, ut li-
bidinosi motus corporis omnis uiolētia minuat.
Nam motus illicitus carni, quandiu ipsa caro est,
tolli nō potest, uiolentia mouēdi tolli potest. Nō
quidem tolli potest carni, quod lex carnis mēbra
non moueat, sed tamen tolli potest carni uiolētia
motiōis, ut relinquat ei motus, sed eidē motui om
nis delectationis obscœnitas auferat, & simplex
mot⁹ ille sit, in quo aliqua libidinis turpitudo non
fit. Bene ergo alij in fugā uersi perhibentur: quia
cum abstinentes quosque diuina gratia perfectè
remunerat, à corporalibus eorū motibus omniū
obscœnitatū aculeos tollit: sed eis ipsos mot⁹ natu
rales deserit, ut tētari semper possint, uinci nunq;

possint

possint: dum id deserit, quod eis ualde displicet, sed sic debilitat, quod deserit, ut prævalere victoribus non permittat. Ammonitas quippe percussérat, qui dicebat: Castigo corpus meũ & seruituti subijcio, ne alijs prędicans reprobus efficiar. Interfectis etiam alijs, fugitiuos interficere non poterat: quia deplorat, dicens: Video aliã legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ. Item quia debilitatos uidebat, qui remanserant, dicit: Nulla creatura poterit nos separare à charitate Christi. Quid est ergo, quod deplorat legẽ inesse membris, legi mentis repugnantem, si extinctis alijs, alij in fugam uersi sunt: nisi quia perfecti uiri hoc ipsum, quod simplices motus carnis cõtra uoluntatem sustinent, uehementer dolent? Vellent quippe sic manere in carne, ut cõtra mentis uoluntatem, de carne nulla sustinerẽt. Quod quidẽ quia impossibile est, præmisit dicens: Velle adiacet mihi, posse autẽ non inuenio. Non enim quod uolo bonũ, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Quasi dicat. Vellem esse in carne, non ea perfectione, qua perfectus in carne perfectus est, sed sicut angeli dei in cœlo. Sed hoc posse non inuenio, quia quandiu mors peccati absorpta in futura resurrectione non fuerit: illud quod in me peccatum inhabitat, mouet me contra me. Sed quòd extingui peccatũ non potest, effugari potest. Motus quippe carnis quasi in fugam uertit, dum ipsa bene ieiunando castigatur. Tanto enim rarius ac difficilius se contra spiritũ erigit: quanto sibi eam præsidẽs spiritus per extenuationem subdit: cum sic eam domat, ut tardè superbiat, cito conquiescat. Sed subtiliter est intuendum, quod dicitur:

Vt non relinquerentur duo pariter.] Duo quidem remanẽt, sed pariter non remanẽt. Duo quidem sunt, cogitatio immunda, & naturalis motus carnis. Ad sanctorũ quidem conflictũ aliquando immunda cogitatio præuenit, aliquãdo insurgentem sibi sentiunt legem carnis contra legem mentis: sed qui uictores iam sunt, hostes in fugã uersos non timent, si iterũ ad pugnam redeunt: quia cum eis pariter pugnare non possunt. Nam cum praua cogitatio obuiat, prius eam abijciunt, quã de eius suggestiõe caro moueat. Et cum carnis lex membra cõmouet, lex mentis turpem motũ turpia cogitando nequaquã fouet, & dum alterum abijcit, alterius pugnã nequaq; sentit. Bene ergo de electorum perfecta uictoria dicitur, quia Dispersi sunt alij, ut duo pariter ex eis non sit relicti:] quia per macerationẽ corporis in tantũ proficiunt culmen perfectionis, ut ab eis quicquid à carne, quicquid à mente ingerit, leuiter superetur, dum conuenire in pugnam non sinitur. Et hãc quidem uictoriã de omnibus sensibus corporis electi percipiunt, qui obsidentem Naas sibi subijcere per abstinentiæ uirtutem possunt. Nam refecta caro, & impinguata ad lapsum linguæ, oculorũ, auditus, olfactus, & tactus facilis est. Dum ergo illiciti corporalium sensuum motus à gulæ uitio, ad mentis pugnã deducunt, quasi Ammon populus, Naas regem ad Israelitarũ obsidionem comitatur. Sed dum Naas perfectè uincitur, Ammon & extingui tur ex parte, & ex parte sic in fugã uertitur, ut ex eo duo pariter non inueniantur: quia dum per abstinentiam corpus atterimus, innumeros nostrorum sensuum illicitos motus eneruamus, & quos omnino eradicare nõ possumus, quasi debiles effugamus. Ex quibus duo pariter nobis in pugnã non remanent, quia in oblectatione alicuius sensus corporei, non coniũgimus sensum mentis. Nã sæpe oculis aspicim⁹, sæpe audimus auribus, sæpe tactu, sæpe olfactu percipimus, quæ carnalẽ animum trahere ad illicitum amorem possunt, sed nostram perfectè carnẽ macerando uictores sumus, quia duos pariter de uictis aduersarijs non uidemus. Concupiscenda quidem tunc cernimus, sed oculorum motibus appetitum animæ coniungere deuitamus. Sæpe etiam cordi cogitatio illicita obuiat, sed uictor serpentis, fugitiuũ motum suũ, quem attendit, solũ inuenit. Ad ea enim quæ corde accidenter cogitat, aliquem de sensibus corporis per motum illicitum nequaquam leuat. Tales quippe sunt, quos propheta miratur, dicens: Qui Esa. 60 sunt isti, qui ut nubes uolãt, & quasi columbæ ad fenestras suas? Quasi enim columbæ ad fenestras suas sunt, qui concupiscenda respiciunt, sed simplicitatem mundi cordis cõcupiscendo non perdunt, quia uident quæ appetant, sed illicitè appetere, quod cernunt, uitant. Ad hãc profecto uictoriam quia prædicatorum nostrorum exhortatione proficimus, bene per Saul Ammonitarum populus deuictus, & cæsus esse memoratur. Quorũ profecto bella nõ uniformia, sed diuersa sunt. Nã aliquãdo occultos aduersarios potẽter opprimũt, aliquando falsos fratres sapienter ferunt. Illos intus magna uirtute domant, istos foris mira patientia tolerant. Intus per immensa certamina magnorum triumphorum gloria insignes sunt, sed foris in comparabilibus tantæ mansuetudinis suæ titulis adornantur. Qui ergo internæ uictoriæ narrationem cognouimus, qualiter etiam foris uincant, audiamus. Nam sequitur. Et ait populus ad Samuelem. Quis est, qui dixit Saul non regnabit super nos, date uiros, & interficiemus eos. Et ait Saul. Non occidetur quisquam in die hac: quia fecit dominus salutẽ in Israel.] Ad Samuelem quippe dominus superius dixerat, non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. De Saul aũt paulo ante dictũ est: quia despexerunt eum, & non attulerunt ei munera. Sed ille abiectus, iste despectus, cæsis iam hostibus consecuta uictoria, uociferantem populum audiuit. Date nobis uiros, & interficiemus eos. Posset quidem uterq; nõ interficiendo, sed cõsentiendo de inimicis uindicari, sed etiã qui abiectus fuerat propheta loquitur, rex despectus fauet dicenti: Non occidetur quisquam:] quia sancti prędicatores nostri maiori uictoria coronantur, cum aduersa proximorum tolerant, q̃ cùm foris hostes expugnant. Vnde & uera sapientia in Salomone loquit̃, dicens: Melior est sapiẽs Prou. 16 uiro forti. Sed notandum, quod dicitur in die hac. In die quidem uictoriæ suæ occidere appetit: qui

eos

eos,quos claritate uirtutū ad amorem dei pertrahit,ad nocendum alijs accendit. Vel in die uictoriæ occidit:quia ea luce charitatis,qua in uenerationē prædicatoris adducitur,ad odia eidē doctori detrahentium excitatur:Qui enim odit fratrem suum homicida est.Quia enim de doctrina boni pastoris sic adiuuandi sunt boni,ut tolerentur mali:causa,qua nemo occidendus sit,bene subiungi- 1.Ioan.3
tur.Quia inquit,hodie fecit dominus salutem in Israel.]sequit̄.Dixit autem Samuel ad populum. Venite eamus in Galgala,& innouem⁹ ibi regnū. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecere ibi regem Saul corā domino.] Si ergo omnia eo modo,quo superius in ordinādo rege fiunt ad sanctæ ecclesiæ morem deducimus: magna subtilitate eius rectores ordinantur.Prius quippe Prophetæ rex eligēdus ostensus est,deinde quæsitus,quasi incognitus:postea etiā sorte inuentus,domi absconditus,reuelatus à domino,à populo sublatus & in regiam dignitatem ab omnibus receptus est. Quid est ergo quod adhuc in Galgala tenditur, ut illic regnū innouet̄?Sed magna discretione rex quæritur,& inuenit̄:quia altissima sunt ecclesiarū negocia,quæ si infirmi,& imperiti suscipiunt,ipsa rerū magnitudine deprimuntur.Attentè ergo, & subtilissima inuestigatione perquiritur,qui tanto culmini præferat̄. Qui profecto ualde prædicandus est,non cū quærentiū iudicio constituit̄: sed quando in ipsa dispositione summi ministerij strenuus inuenitur.Bene ergo iā triumphante constituto rege dicitur.Perrexerunt in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram domino:] quia cū prædicatoris fortitudo cognoscitur in auditorū suorū mentibus honoratur.In Galgala quidem,id est rotam imus,quando per sacrū eloquiū doctoris nostri operationem discutimus,& eum illic corā domino regem facimus:quia quem probabilem cernimus,dignū esse tanto culmine iudicamus.Prius ergo dicitur Saul à populo electus, ad extremum rex in Galgala constitutus coram domino:quia licet multa consilij grauitate in sancta ecclesia pastor eligatur,utrū sit merito,quod est ordine,non cognoscitur,nisi cum operum fortitudine declaratur.Dicatur ergo non de alio,sed de eo alio,qui magna uictoria claruit, Perrexit omnis populus in Galgala & fecerunt ibi regem Saul coram domino,]ut dignitas summi pontificis non constet in ambitione culminis, sed in summa uirtutis. Et in Galgala quidē itur,ut iudicare de summo loco nō audeat,cui scripturæ sacræ abscōdita sunt præcepta.Et corā domino rex constituitur: quia tūc doctor subiectorum suorum deuotione colitur, cum ipsi acceptam eius uitā omnipotēti domino recognoscunt.De ipsa autem cognitione uitæ, & doctrinæ pastoris sui:quia sæpe nō sibi,sed melioribus,creditur,bene dicit̄ populus in Galgala regem corā domino constituisse, sed idem populus in Galgala monente Samuele perrexisse. Eamus (inquit)in Galgala & innouemus ibi regnū.]Regnū quippe innouat̄:quia dū electus prædicator in magna uirtute conspicitur, ei noua, & recenti deuotione auditorum corda submittuntur. Vnde quasi ostensa regis uictoria regnum innouat̄, quando cognita magna conuersatione doctoris, subditorum corda splendorem nouæ deuotionis accipiunt,& per eius exemplum ad propositū magnæ uirtutis excitantur.Sed iam qui in uno interiorum prælio triumphos aspeximus, in altero iā pacis tēpora mirabili æquitate decursa uideamus.

Caput II

DIxit autem Samuel ad uniuersum Israel.Ecce audiui uocem uestrā iuxta omnia quæ locuti estis ad me,& constitui super uos regem & nunc rex gradiatur ante uos,ego autem senui,& incanui.Porro filij mei uobiscum sunt: itaq; conuersatus coram uobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce præsto sum.Loquimini de me coram domino,& coram Christo eius utrum bouem cuiusquā tulerim, aut asinum. Si quempiam calumniatus sum,si oppressi aliquem,si de manu cuiusquā munus accepi,contemnam illud hodie, restituamq; uobis.]Cum reprobi pastores præsunt,principale eis propositum est in rapina subditorū. Quia enim æternorū bonorū abundantiā aspicere nesciunt,quo præsentia ardentius concupiscunt, eo auidius oblata recipiunt,non oblata uiolenter tollunt.Innocentibus insidiantur,debiles opprimūt munera accipiunt,iuraq; peruertunt.De his pastoribus per prophetam dominus Iudææ improperat,dicēs:Pastores tui lupi uespere,nō relinquentes in mane.Calumniatores innocentiū pariter & oppressores debiliū,item percutit,dicens: Si quis non dederit in ore eorū quippiā,sanctificāt super illū bellū.Quapropter nox eis pro uisione erit, & tenebræ pro diuinatione.Nam dum iniquitatem cognoscunt,quā faciunt,per audaciā nequissimi operis,cadunt in cæcitatē cordis, ut per amorem lucē ueritatis ultra nō uideant,per quam à prauitate resipiscant.Item munerum acceptionē reprehendit Esaias,dicens:Omnes diligunt munera,sequuntur retributiones.Sanctus ergo uir dū innocentiæ suæ simplicitatē ostendit,qua meritorū altitudine fuerit sublimis,apparuit.Quod quidē uirtutis præconiū in eo uno ostendit̄, ut omnibus electis doctoribus eadem bonitatis conformitas ostendat̄. Vitæ quidē innocentiā pro nobis habemus,sed prælationis culmen pro alijs,nō pro nobis ascendimus.Per innocentiæ bonū ad æternā patriam rendimus,per altitudinem prælationis in aliorū custodia uigilamus.In illa uirtute securi sum⁹,istā uero celsitudinē cū magno metu possidemus,quia qui nostrorū operū rationē reddere uehementer expauescimus,de eo quod alijs præsumus,deo reddere rationem debemus.Si ergo electi uiri uolente deo etiā prælationis culmen inuiti cōscendunt,uolente deo idē culmē deuotionis deserunt.Sanctus ergo uir dicit.Ecce audiui uocē uestrā,& cōstitui super uos regē,& nūc rex gradi tur ante uos,ego aūt senui, & incanui, porro filij mei uobiscum sunt.] Quasi alijs uocibus dicat. Sopho.3 Mich.3 Esa.1

Quia non pro me,ſed pro uobis præfui,dignitatē A quā tenui,libenter alij dedi.In eadē dignitate iam ſenui, & tamen longus uſus præeminendi, quem tenui,obligatum me in ſui ambitione non tenuit. Quid ergo eſt,quòd ait: Filij mei uobiſcū ſunt,] niſi quia in ſanctis uiris magna uis ſpiritualis amoris eſt,qua filijs ad culmen naſcentibus,ius auferūt ſucceſſiōis? Sed qui ſummā ordinis tā quietus deſerit,qualis in eodē culmine māſerit oſtendit.Quia enim rapinę uiolentiā nō exercuit,dicit:

Loquimini de me corā domino, & corā Chriſto eius, utrū bouem cuiuſquā tulerim, aut aſinū. Item quia nulli nocendi occaſionē quæſiuit,ſubiunxit,dicens: Si quempiam calumniatus ſum.] Item quia debilibus grauis non fuit,dicit: Si oppreſſi aliquem.] Item quia de prelatione ſua non terrena, ſed cœleſtia quæſiuit,dicit: Si de manu cuiuſquā munus accepi, & contemnam illud hodie,reſtituāq; uobis.] Quia uero in tanto cōtemptu rerum ab omnibus notus extiterat, ſequitur.

Et dixerunt non es calumniatus, neq; oppreſſi ſti, neq; tuliſti de manu alicuius quippiā. Dixitq; ad eos,teſtis mihi dominus aduerſus uos,& teſtis Chriſtus eius in die hac,quia nō inuenietis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Teſtis. Ipſe uero adhuc ſubdit dicens: Dominus,qui fecit Moyſen & Aaron,& eduxit patres noſtros de terra Ægypti ipſe teſtis eſt.] Quo in loco notandū eſt, quia bona,quæ fecit uir ſanctus, non dixit: mala uero, quæ nō fecit, expoſuit, ut ſilendo ad æterna lucra C bona ſeruaret, & loquendo odorem bonę opinionis nō perderet.Paulus uero loquit̄,dicens: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.Ipſe etiā quoſ 2.Cor.3 dam redarguens, ait: Nomen dei per uos blaſphe Rom.2 matur inter gentes.Hinc item diſcipulum admo- 1.Tim.3 net, dicens: Oportet etiam epiſcopum bonū teſtimonium habere ab iſs qui foris ſunt. Dum ergo mala ſe tam cautè uitaſſe aſſeruit, & ingentia bona,quæ fecit, ſiluit: apertè uir beatus oſtendit, in quanto culmine uirtutū ſtetit,dū mala reprobando, ad electorū exemplū odorem ſeruauit bonæ opinionis: & occultando uirtutū opera, præmia cuſtodiuit æternæ retributionis. Sed notandum quia cum dominū teſtem ſuæ innocentiæ aſſereret,ipſum dominū feciſſe Moyſen & Aaron dixit: D Quid eſt hoc aliud,niſi quia & uirtutis ſuæ culmē oſtēdit, ſed in tāto culmine ſolis apparere noluit. Quaſi latentib.ſenſib.dicat:In tanta animi uirtute mirādus nō ſum:ga in ea ſolus nō ſum. Cōtemptū rerum in munere uirtutis habeo, ſed hūc in intention uanæ laudis non habeo: in quo ualde melio res atq; ſublimiores cerno. Et quia ipſum Moyſem,& Aaron dominū feciſſe aſſeruit,tale eſt itē, ac ſi dicat:Quod mala tā fortiter cauere potui,illius debet gratiæ adſcribi,qui Moyſen,& Aaron tales fecit.Sed ad quid ſanctus uir iſta præmiſerit, oſtendit:quia ſubintulit,dicens:Nunc ergo ſtate, & iudicio contendam aduerſus uos coram domino de omnibus miſericordijs,quas fecit uobiſcū, & cum patribus ueſtris.] Ordo ſummæ rationis eſt,ut qui bona agere non curat, mala in alijs neB quaquam reprehēdat.Sanctus ergo uir prius mala ſe uitaſſe cautè aſſeruit,deinde ad reprehenſionem aliorum proſilijt: ut electi prædicatoris mores inſinuet, qui prædicationis fructum bene ferre non prævalet, niſi cum id quod de æternitate lucidum prædicat, ſplendida etiam conuerſatione demonſtrat. Dicit ergo: Nūc ſtate & iudicio contendam aduerſus uos de omnibus miſericordijs dñi.] Stare quidē auditoribus eſt,intentionem mentis ad uerbū prædicatoris erigere.Merito ergo ſtare præcipiuntur: quia doctor nihil exhortando proficit, ſi auditor mentē ad ea quæ loquit̄ nō intendit. Eaſdē miſericordias enumerās, ait: Quomodo ingreſſus eſt Iacob in Ægyptū,& exclamauerūt patres noſtri ad dñm, & miſit dñs Moyſen,& Aaron:& eduxit patres noſtros ex Ægypto,& collocauit eos in loco hoc.Et quia obliti ſunt dñi dei ſui,tradidit eos in manu Siſaræ magiſtri militiæ Aſſur,& in manus Philiſtinorū, & regis Moab, & pugnauerunt aduerſus uos. Poſtea clamauere ad dominū & dixere.Peccauim⁹: quia dereliquimus dominū, & ſeruiuimus Baalim, & Aſtaroth:nunc ergo erue nos de manu Philiſtinorum & ſeruiemus tibi,& miſit dominus Ierobaal, & Barach, & Iepte,& Samuel,& eruit uos de manu inimicorum ueſtrorū per circuitum,& habitaſtis confidenter.] Has quidē miſericordias factas ſecundum hiſtoriā idcirco cōmemorat, ut in eo, quod regē petijt, reum ſe corā domino populus agnoſcat.Nam qui ad omnia pericula ſubmouenda dominū præſentem habuit, hominem ſuper ſe regem neceſſariū non habuit.Ipſam aūt preſentiā dñi per impenſas miſericordias oſtendit, dum de manu Ægyptiorū per Moyſen & Aaron, de manu Siſaræ & Philiſtinorū, & de manu regis Moab per Ierobaal,Barach,& Iepte,& à Samuele eos liberatos aſſeruit.Quo in loco ualde quærēdū eſt, cur petitio, qua rex petitur, tam diſtrictè reprehenditur, ut ipſa diuinæ miſericordiæ auxilia populo dei per prælatos homines impenſa eſſe doceantur. Qua in re quid reſpondendum eſt, niſi quia ualde diuerſa eſt prælatio regū à prælatione iudicum? Iſti quidem ut pares præſunt,illi uero in poteſtate præeminendi arrogantiā exhibent dominationis. Iſti innocentiæ ſuæ teſtimonium coram domino,& omni populo commendant:quia nec aliquem opprimunt, nec alienum aliquid in ſuis uſibus tollūt: illi uerò non ſolum propria ſubditis auferunt, ſed etiā ipſas ſubditorum perſonas onere ſeruitutis premunt.Subdens ergo ait: Videntes autem quod Naas aſcenderet, & pugnaret aduerſus uos. Nequaquam dixiſtis. Sed rex erit ſuper nos:cum dominus regnaret in uobis.] Quaſi dicat: Ad hoc uobis hominem elegiſtis,ad quod deum habere ſolebatis. Quem nimirum locum ſi ſpiritualiter diſcutere uolumus, hoc ex eo colligitur:quia qui carnalem ſibi prę eſſe expetūt, diuinam gratiam à ſe repellunt. Nam dum humilium doctorum exemplo uiuunt, uelut ab Ægypto liberantur: quia caliginem mundani amoris toto deſiderio fugiunt.Quia etiam omnium uitio

rum

rum tyrannidem eorũ doctrina euadunt, uelut de manu Sisarę Philistinorum, & regis Moab missis ducibus liberantur. In quibus deus iam solus omnipotens regnat: quia dum humiles pastores foris imitantur, regnantis inter se diuinitatis amorem gratanter excipiũt. Dicat ergo propheta: Dixistis mihi. Nequaquam, sed rex erit super nos, cum dominus regnaret in uobis:] ut ostẽdat quia qui carnalibus se imitando subijciunt, diuinæ gratiæ dignitatem perdunt. Notandum etiam: quia Propheta Samuel per uirtutem humilitatis ubiq; se electis ostendit in norma rectitudinis. Nam cum Israeliticæ plebis liberationem assereret, non ait:

Misit dominus Iepte & me, sed Iepte & Samuel, & eruit uos de manu inimicorum uestrorum.] Se quidem quasi aliũ nominauit, ut uirtus liberationis non adscriberetur personæ missi, sed gratię mittentis dei. Misit (inquit) dominus Samuel, & eruit uos.] Quasi dicat: Quem uoluit misit, & & per quem uoluit fecit. Et fortasse de se quasi de alio loquitur: quia non ipse est, qui per seipsum loquit̃, sed spiritus sanctus. Et quia permissione dei iam rege constituto, uir dñi ista loquebat̃, ad hoc profecto loquebat̃: ut regem, & populũ ad dei cultum dirigeret, non ut ipsam dignitatem regiã euacuaret. Vnde & subiũgens, ait: Nunc præsto est rex uester, quem elegistis, & petistis. Ecce dedit deus uester uobis regem, si timueritis deũ, & seruieritis ei, & audieritis uocem eius, & non exasperaueritis os dñi, eritis & uos, & rex uester, qui imperat uobis, sequentes dñm deum uestrũ. Si autẽ non exaudieritis uocem domini: sed exasperaueritis sermones eius, erit manus dñi super uos, & super patres uestros.] Hęc profecto nõ mystica, sed historica sunt in omnib. Nã ubi prælati, & subditi reprobam uitã ducunt, diuinæ ultionis pœnã pariter subeunt. Sed quia separatim ducunt̃ bona, separatim mala, illa pro quib. manus domini super eos futura prædicitur, subtilius cõsideranda sunt. Quid est ergo, quod ait: *Si timueritis* dominũ, & seruieritis ei:] nisi quia pleriq; diuinę districtionis iudicia metuunt, & tamen praua agere non desistunt. Pauenti quidem corde futura iudicia cogitant, sed præsenti uoluptate deuicti, mala cõmittere nequaquam uitant. Bene ergo post timorem domini, eius seruitia memorantur: quia ille solus timor probabilis est, qui dum mentẽ concutit, ad boni operis studiũ trahit. Item quia nõnulli sunt qui per timorem domini quædam mala respuunt, aliqua bona agunt: & tamen nec mala plenè deserunt, nec bona sufficienter operantur: adiũgitur,

Et audieritis uocem eius.] Qui uocem domini audit, & bona plenè agit, & mala penitus deserit. Eadem uerò bona opera in delectatione suauitatis habenda sunt, non in æstimatione asperitatis. Nam quibus semper dura, & aspera uidẽtur, quæ à domino præcipiuntur, paulatim decidunt, & deficiunt. Hinc enim per semetipsam ueritas dicit: Matt.11 *Iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue.* 1 Ioan.5 Hinc Ioannes ait: Mandata eius grauia non sunt. Grauia quippe non sunt electis: quia dum æternæ uitæ gloriam magno desiderio appetunt, præcepta Euangelica gratanter ferũt. Potest & os domini prædicatio perfectę charitatis intelligi. Qua si enim oris sui blandimenta uolebat ostendere, cum dicebat: Hoc est præceptum meum ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Hoc quippe præceptum domini, hoc iugum est diuinę suauitatis. Quid enim leuius, aut unquam gratius, quàm amor fertur? Quid præterea graue, non leuiter tolerat, qui amat? Quicquid enim diligit̃, cum magna deuotione portatur. Quia ergo uinculum perfectionis est charitas dei & proximi, bene in ultimo loco Propheta denunciat, dicens: Si non exasperaueritis os domini, eritis & uos, & rex qui imperat uobis sequentes dominũ deum uestrũ.] Quasi dicat, tunc bene diuinam uoluntatem perficitis si & contemptum prauitatis, & boni operis studiũ in diuina charitate solidatis. Tunc ad summam æternę uitæ beatitudinem bene post redemptorem curritis, si ea quæ carnalibus aspera sunt præcepta charitatis, usq; ad uitæ finem cum iucũditate deducitis. Sed quia infirmis, & carnalibus loquebatur, subsequenter denuncians, ait. Si non audieritis uocem domini, sed exasperaueritis sermonem eius: erit manus domini super uos, & super patres uestros.] Manus domini diuinæ est seueritas ultiõis. Quæ profecto manus super filios, & patres extenditur: cum diuini contemptus merito, & reprobi prælati, & subditi puniuntur. Eadẽ quoq; manus ad ultionem extendit̃ cum uox domini non auditur, cum eius sermones exasperantur: quia ij qui diuina mandata quasi dura & importabilia respuũt: intolerabili pœnæ oncre in futuro deprimũtur. Stulta quippe audacia hominis unde ad modicum subire ea, quæ sibi uidentur aspera, refugit: inde se asperioribus in æternũ subdit. Nam si sapienter saperet, hoc sibi quod displicet, suaderet, ut per dura & aspera huius breuissimi temporis, dura & aspera euaderet futuræ damnationis. Hæc profecto dura corda carnalium uelociter audiunt, sed per salubre consilium facile molliri nõ possunt. Bene ergo subiungitur. Sed & nũc state, & uidete rem istam grandem, quam facturus est dominus in conspectu uestro. Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo dominum, & dabit uoces & pluuias, & scietis & uidebitis quia grande malum feceritis uobis in cõspectu domini petẽtes super uos regem.] Quia tam attentè, & toties ista petitio regis reprehenditur, hoc electis insinuat: quia qui ad culmen sanctæ ecclesię carnales prouehunt, grauissima peccati obligatione retinentur. Nam peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent, qui uerò carnalem præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille fidelibus subditis præbet prauitatis exempla. Sed graue pondus criminis deponi non potest, nisi austeritate magnæ compunctionis. Compunctionis autem gratia menti non infunditur, nisi prius ipsa ei peccati magnitudo monstretur. Propheta ergo domini ut ad congruæ pœnitentiæ fructum peccantem populum prouocaret

ret, per mirabilem motum aeris, ei insinuat magnum peccatum transgressionis. In messe autem tritici, pluuiæ, & tonitrua in illa regione non fiunt. Bene autem subsequenter adiunctum est. Clamauit Samuel ad dominum, & dedit dominus uoces, & pluuias in die illa: & timuit omnis populus nimis dominum, & Samuelem. Dixitq; uniuersus populus ad Samuelem. Ora pro seruis tuis ad dominum deum tuum: ut non moriamur. Addidimus enim uniuersis malis nostris ut peteremus nobis regem.] Quod sanè si ad nostra tempora deducimus, ut populus ad cognitionem peccatorum ueniat, prędicatores pro eis ad deum clamant: quia fidelium salutem magnis desiderijs flagitant. Clamare quidem prædicatoribus est, electorum salutē magna deuotione postulare. Ad quorum clamorem dominus uocē dat: quia peccatorum corda excitat, ut prauitatis suæ nequitiā recognoscant. Dat pluuias: quia excitata corda per infusionem supernæ gratiæ adiuuat, ut non solum deserat mala quisq;, quæ fecit: sed etiam bona fortiter agat, quæ appetit. Sed hoc in die messis tritici fieri dicitur, ut uirtus miraculi designet. Non est quidem minus miraculum immutatio cordis, quàm perturbatio aeris. Non minus miraculum est arentia corda reuiuiscere, quàm æstiuis ardoribus inusitato more pluuias inūdare. Maius quippe miraculū est, intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quàm collisis per uentum nubibus, tonitruum insonare. Sed rectus ordo conuersionis ostenditur, in ordinata positione uerborum. Nam dicit. Dedit dominus uoces, & pluuias & timuit omnis populus nimis dominum, & Samuelem,] Ordinatissima quippe conuersione cū malum deseritur, bonum in mente propagatur, cum conuersi mens quasi per pluuiā bonū semen nutrit, & se deo, & hominibus per obedientiæ uirtutem subdit. Bene ergo dicit. Timuit omnis populus dominum & Samuelem,] quia qui summi spiritus aduentum suscipit, & mala deserit, & bona apprehendit, & sic deo subditur, ut pro deo etiam hominibus substernat. Et quia præsumptionē in ipsa obedientiæ uirtute nō habent, dicunt, Ora pro seruis tuis ad dominū, ut nō moriamur.] Cū spiritus uitę se mēti infundit, protinus eā ad mortis pauorem erigit: quia magisterium eiusdē spiritus est, ut timendo mens agat, ne quod timet inueniat: sed sancti uiri ꝑ eis orātes exaudiri possunt, qui & occultata peccata cordis per humilitatem reuelant confessionis. Vnde & subditur. Addidimus enim uniuersis malis nostris, ut peteremus nobis regem.] Quia uero hæc satis iā exponendo uentilata sunt, sequentia uideamus. Dixit autem Samuel. Nolite timere. Vos fecistis uniuersum malum hoc. Veruntamen nolite recedere à tergo domini.] Pœnitentis mens tunc bene dirigitur, si diuina iudicia metuat, & de dei omnipotentis miseratione confidat. Timor quidem sine spe in desperationē præcipitat, sed cum spei coniungitur, salutem mentis operatur. Quare & summo studio inuigilare optimus doctor debet, ut peccantē ter- A reat, & territum ad ueniæ spem reducat, quatenus per metū peccare desinat, & per spē impetrandæ indulgentiæ diuinæ misericordiæ portū quærat. Territos ergo subditos ad spei uirtutē Samuel erigens, dicit: Vos fecistis uniuersum malū hoc, ueruntamē nolite recedere à tergo domini.] Quasi dicat: Si peccare desinitis, ad obtinendā cōmissorum uenią peruenire citius potestis. Nolite ergo Luce 1 recedere à tergo domini.] De iusti laude promittitur: Præibis enim ante faciem domini, parare uias eius. Hinc Helias ait: Viuit dns in cuius cōspe- 3.Reg.17 ctu sto. Hinc Psalmista dicit: Exultent iusti in con Psal.67 spectu dei. In cōspectu quidē domini, uel ante dominū stare est, testimonio bonæ cōscientiæ de a- B more cōditoris præsumere. Stant quidē in cōspectu eius, qui ex merito magnæ actionis, de superna cōditoris sui gratia securi sunt. Peccatores aūt cum mala committunt, à facie domini fugiūt, sed cū redire pœnitendo deliberant, quasi post tergū dñi sunt: quia & discedere lōgius nolūt, & tamen præsumere de deo quasi amici non possunt. Hinc Luce 7 est. quòd peccatrix mulier retro stetisse dicitur, ut pedes domini deosculari mereretur. Retro etiam Matt.19 illa stetit, quæ fimbrias eius tetigit, & à fluxu sanguinis sui curari meruit. Retro quidē stat pro uerecundia peccati, sed tangit per uirtutē spei. Quia ergo pro cōmissis iniquitatibus semper erubescere debemus, & in quibus confundimur deuitare, Samuel peccatoribus imperat, ut à tergo domini, C nō recedāt. Sed quia non sufficit conuerso peccatori, ut peccata non agat, subsequenter adiunxit. Et seruite domino in omni corde uestro.] Tunc nanq; promereri ueniā possumus, si peccare desinimus, & bonis operibus inhæremus. In omni etenim corde domino seruire est, peccandi nullam in corde intentionē retinere. Omne quidē cor ad seruitiū conditoris inflectit, quando sic bona agimus, ut mala per ꝓpositū nulla teneamus. Quod & propheta domini Samuel apertè insinuat, cum subiungit: Et nolite declinare post uana, quæ non proderūt uobis, neq; eruent uos, quia uana sunt.] Ad literam uana simulachra dæmonū appellat. Nobis autem uana illa hic accipienda sunt, quæ concionator ostendit, dicens: Vanitas uanitatum D & omnia uanitas. In comparatione etenim æternorum bonorum, uana sunt omnia, etiā bona tēporalia. Quicquid enim in hoc seculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperū cernitur, uanum profecto est: quia difficile habetur, & cito amittitur. Repente quidem alta seculi corruūt, pulchra transeunt, læta & prospera euanescunt. Nam cum stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur: aut festina & omnia deturbante morte concludit. Vana ergo sunt gaudia seculi, quæ quasi manentia blandiuntur: sed amatores suos, cito transeundo decipiunt. Dicat ergo Propheta Samuel: Nolite declinare post uana quæ non proderūt uobis.] Quasi dicat: Stultè appetuntur bona seculi, quæ ab appetitoribus suis non poterunt diutius teneri. Et notandum: quia de futuro dicitur, non proderunt uobis: quia

nimirum

nimirum nunc prodesse cernuntur, sed cum in futuro pro eis puniri cœperint, nequaquã prosunt. Vnde & apte subditur. Neq; eruent uos: quia uana sunt.] Quasi dicat: Idcirco uos tunc non adiuuant: quia cum mundo deficiunt, & post seculum non habentur. Multum quidem seculi bona durant, si cum amatore usque ad extremum uitæ perueniunt. Post seculum ergo non prosunt, quæ finem uitæ transire non possunt. In hac quidem uita suos amatores peccatis obligant, sed tũc non eruẽt, ubi quidem per meritum sunt: sed per auxiliũ non sunt. Qua in re cautè notandum est, quia eis temporalia bona non proderũt, qui post hæc declinare perhibentẽ. Post bona etenim temporis declinare est, in eorum appetitum defluere, amorem illorũ diuino amori præferre. Merito ergo his uana non proderũt: quia ea eo ordine quo condita sunt, habere noluere. Sed quo fructu uana despiciantur, insinuatur, dum subditur: Et non derelinquet dominus populũ suum propter nomen suum magnum: quia iurauit dominus, facere sibi populum.] Magnum malum hæc uana post se declinantibus, ingerunt: quia dum inordinatè terrena appetunt, à summo & omnipotenti deo ad sustinenda futura tormenta deserunt. His ergo, qui declinare post uana prohibentur, merito Propheta repromittit, dicens: Non derelinquet dominus populum suum propter nomen suum magnum.] Quia qui pro eius amore uana despiciũt, à ueris malis eruuntur, & ex fide promissionis, mercedem accipiunt æternæ hæreditatis. Populum quippe suum dominus facit, quem ad æternæ beatitudinis gaudia sustollit. Ibi quippe reuelata maiestatis suæ gloria, illi præsidet: quem in mundo ab amore uanitatis per occultam gratiam assumptum tenet. Iurare quidem domino, repromittere est. Eumq; populum facere, dominus iurat, qui non declinat post uana: quia terrena despicienda sunt, ut æternæ hæreditatis adipisci bona mereamur. Nec tamen ad ea posse his meritis seperduci aliquis credat: quia hic districtè expressum est. Propter nomen suum magnum.] Non enim bonitate nostra, sed dei fit, ut homo terrenus bonis cœlestibus perfruatur. Donum quippe dei est, non ex nobis. sequitur. Absit autem à me hoc peccatum in domino ut cessem orare pro uobis.] Ille ista loquitur, cui superius de ijs quibus loquitur, dominus ait: Non te abiecerunt, sed me: ne regnem super eos. Ecce abijcitur propheta, & abijcientibus se loquitur, dicens: Absit à me hoc peccatum in domino, ut cessem orare pro uobis.] Equidem si secundum legis præceptum hoc discutitur, peccatũ non esset, si pro abijcientibus se non oraret. Nam lex Moysi præcepit, dicens: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Leuit. 19 Sed & qui prophetã abijciebant, nõ amici, sed inimici extiterant. Quid est ergo, quod dicit: Absit à me hoc peccatum,] nisi quia uir sanctus ad charitatis uerticem sublimatus, non solum diligebat amicos, sed ipsos etiã amplectebatur inimicos? Legis quidem ueteris mandato instructus, sed nouæ gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam uetustatis Euangelica perfectione reprehendit. Quo nimirũ in facto, nos nobiscum facere rationes cogimur. Hinc enim per Euangeliũ iubetur: Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui oderunt uos. Luc. 6 Quantum ergo nunc inimici diligendi sunt, cum præcipimur: si tunc amari potuere, cum odio haberi iubebantur? Et quia non solum orare pro eis, sed eos erudire conabatur: subiungens, ait: Et docebo uos uiam bonã, & rectam.] Cur enim uiam diuini obsequij bonam dicit, & rectam: cum bona non sit, si non sit recta, nec recta si non sit bona? Sed bona fuit uia, qua populus ab Ægypto ad terram promissionis ascendit, & tamen dum per eremum circuiuit, recta nõ fuit. Bona ergo uia est, qua ad supernam patriam tenditur: recta, qua facile peruenitur. Via ergo bona & recta est, cũ ad religiosam uitã conuertimur, diuina obsequia cum instanti feruore magnæ deuotiõis exercemus. Vnde & bene eandem uiam Samuel exponit, dicens: Igitur seruite domino, & timete eum in ueritate, & ex toto corde uestro.] Hæc quidẽ uia bona, & recta est: quia ad æternam uitam tendit, & uelociter peruenit. Per timorem quippe domini deuitãtur mala: seruiendo ei, eius mandata complentur. Cui nimirum in ueritate seruimus, quando eius præcepta pro sola superna retributione perficimus: Nam qui de bono opere temporalem mercedem expetit, deo in ueritate non seruit, quem falso proposito in sua operatione non diligit. Qui autem in ueritate deo seruire cupiunt, totũ cor in diuinis obsequijs ponere iubentur, ut sic, quæ dei sunt agant, ut in mente aliquid, quod contra deũ sit, non retineant. Hæc profecto uia non solũ bona, sed recta est: quia ad salutem tendit, & uiatorem suũ ad perfectionem uelociter ducit. Velut enim altera uia terræ repromissionis ostenditur bona, quæ perducat: recta, quæ diuerticulũ caueat. Per hanc quippe unusquisq; tanto melius ad culmen uirtutum peruenit, quanto per negligentiarũ circuitus nõ diuertit. Hæc quidem uia recta in illa exprimitur, per quam dominus filios Israel ducere ad terram promissionis uoluisse perhibetur. Voluit quippe illis labores deserti cõmittere, ut nobis post unigeniti sui uestigia gradiẽtibus, cursum tanti itineris leuigaret. Non enim adhuc audire poterãt: Si uis perfectus esse, uende quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurũ in cœlo. Matt. 19 Dum enim licentia rerum temporaliũ uetus populus per diuersa discurreret, quasi per circuitum laboris ad terrã promissionis cito duci nõ potuit. Vt ergo nobis nouæ uitæ uiã Propheta insinuet, uiam bonam, & rectam esse dicit, & deum metuere, & ei in ueritate, & ex toto corde seruire: quia ad sublimitatem diuinę gratię cito perueniũt, qui omnipotentem deum & bono opere, & feruentibus desiderijs inquirere nõ desistunt. Et quia eundem populum ad audienda prædicationis uerba per miraculum attentũ fecerat, subdit. Vidistis enim magnifica, quę in nobis gesserit dominus.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quasi dicat: Ex ijs quæ uidistis colligite, omnipotentem deum quàm terribiliter metuere, & quàm deuotè ei semper seruire debeatis. Quæ profecto uerba si ad nos trahere uolumus, tanto nobis est, & uenerabilius metuendum, & deuotius deo seruiendum, quanto in redemptore nostro mirabiliora perspeximus. Sed quia quod boni audiunt, audacter mali contemnunt, subiunxit, dicens:

Quod si perseueraueritis in malitia, & uos, & rex uester pariter peribitis.]

Caput III

Cap.13 Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.] Superius cum

Supra 9 ordinandi regis negotium tractaretur, de eo, qui diuino iudicio præferendus erat cæteris, dictū est: quia erat electus & bonus. Item de eo iam electo in regnum, & in me

Supra 10 dio populi statuto, Samuel ait: Certè uidetis quē elegit dominus, quoniā non est ei similis in omni populo. De eodem item rege nunc dicitur. Filius unius anni erat Saul,] ut dum attentè laudatur, à domino bonus electus fuisse sentiatur. Cur ergo unius anni esse dicitur, cùm regnare cœpisset, nisi ut eius innocentia prædicetur. Nam ad literam unius anni quomodo esse filius potuit, qui uniuerso populo ab humero, & sursum eminebat? Quod ergo secundum literam intelligi non potest, intelligi per internæ intelligentiæ rationem debet. Vnius itaq; anni rex esse describitur, ut donū pueritiæ in persona regis innocentiæ bonum signet. Vnde & æterni regni filijs iubetur:

1.Cor.14 Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Quod certè & ecclesiarum pastoribus ipsa ueritas comminatur, dicens: Nisi conuersi fueri-

Matt.18 tis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. De rege ergo, qui prius bonus, postea malus extitit, dicitur: quia unius anni fuit, cum cœpit regnare, & duobus annis regnauit. Licet enim multis annis regnauerit, illis solis regnare dicitur, in quibus innocēs & humilis fuisse perhibetur. Nam postea superbus & inobediens au-

Infra 16 diuit: quia proiecisti sermonem domini, proiecit te dominus ne sis rex. Se quidē à regno proiectū cognouit, & tamen proiectus regnare nō timuit. Quanta postea fortiter egit? Sed ecce omnia illa tempora ad regnū ei deputata non sunt. Illo ergo solum tempore nos uixisse gaudeamus, quo inno center & humiliter uiximus. Nam illa tempora, quæ in seculi uanitate, & fluxa carnis uita cōsumpsimus, quasi perdita minime memorantur. Sunt adhuc quoque qui ad rapiendum culmen sanctæ ecclesiæ ingeruntur: de quibus per Prophetam

Oseæ 8 dominus queritur, dicens: Regnauerunt & non ex me, principes extiterunt, & ego ignoraui. Qui nimirum dum quædam fortiter agunt, rapinam inuasi culminis à deo obliuioni traditam arbitrantur. Secum sua opera numerant, & quod præter deum agunt, à deo remunerandum putant. Qui certè, ut rectius ea quæ agūt, enumerēt: Saul abiecti tot fortia facta numerent, quæ diuinus numerus nequaquam tenet. Dicat ergo: Saul duobus annis regnauit super Israel:] Vt de omnibus sentiatur: quia quod nobis uiuimus mercede uacuatur, & nequiter præesse, non est ueritas præeminendi, sed temeritas puniendæ præsumptionis. Sed iā quid unius anni rex fecerit audiamus.

Et elegit Saul tria millia de Israel, & erant cum Saul duo millia in Magmas, & in monte Bethel, mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin.] Millenarius numerus quia centenario decies collecto perficitur, summam perfectionis insinuat. Qui profecto cū ter repetitur, in eo electorū perfectiones uariæ designantur. Saul ergo tria millia uirorum de Israel elegit: quia prædicator ueritatis ad defensionem sanctæ ecclesiæ non infirmos & & debiles, sed robustos & ualidos bellatores ducit. Tria quippe millia esse perhibent: quia in summa perfectionis facie, uirgines proferunt: iuxta quos & continentes, & ueritatis defensores ponunt. Dum enim exemplo uirginum ad summam incorruptionis alios accedunt, dum continentium uita alios à seculi corruptionibus auferunt, dum humilium debilitatem per auxilia potentiū defendunt, contra hostes sanctæ ecclesiæ boni doctores quasi cum tribus electorum uirorū millib. ueniunt. Viri autem dicuntur pro fortitudine, de Israel esse referuntur pro diuina contemplatione. In summo enim perfectionis numero contineri nō potest, qui aut uirtute caret magni operis, aut notitia internæ uisionis. Quid est quod alij cum Saul, alij cum Ionatha ex electis uiris esse perhibentur? Sed & ipsa locorū nomina in quibus esse dicuntur: mysterijs uacua credenda non sunt. Ionathas, qui filius regis esse describitur, & partem bellatorum habet, eos profecto insinuat: qui in prædicationis ministerio doctorū adiutores sunt. Filij quippe eorum sunt: quia uehementer eos diligunt, quorum ministerio deo generantur. Sed parti bellatorum præsunt: quia sanctæ ecclesiæ curam gerunt, & exemplo alios, alios uerò exhortationibus ad amorem uirtutum prouehunt. Quasi enim magnus rex filium in exercitum miserat, qui Corinthijs loquebatur, dicens: Ideo misi ad uos 1.Cor.4
Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in domino: qui uos cōmonefaciat uias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut in omnibus ecclesijs sanctorum doceo. Hinc item dicit: Cum 1.Cor.16
uenerit Timotheus, uidete ut sine timore sit apud uos: opus enim domini operatur, sicut ego. Ionathas uerò cum mille uiris in Gabaa Beniamin esse dicitur, Saul autē cum duobus millibus in Magmas, & in monte Bethel. Gabaa (ut sæpe iam diximus) sublimis interpretatur: Magmas humilitas, Bethel domus dei, Saul petitio, Ionathas columbæ donum dicitur. Tria uerò millia uirorum electorum de Israel, ad uirgines, & continentes, & ueritatis defensores retulimus. Dum ergo columbæ donum Ionathas dicitur, & in Gabaa, id est, sublimi mille cum eo esse uiri perhibentur: quid aliud, quàm illos insinuat: qui lucidissimo uirginitatis exemplo, alijs præbent eiusdem normam

pudoris

pudoris. Bene autem columbæ donum institutor uirginum dicitur: quia incomparabili gratia spiritus sancti efficitur, ut à manentibus in carne carnis corruptio nesciatur. Bene & in sublimi esse uirgines dicuntur: quia quod naturam humanã supergreditur, in altissimo uirtutum culmine situm est. Vnde & uirgo ille dilectus Iesu locum uirginum Apoc.14 insinuãs, ait: Vidi supra montẽ Syon agnum stantem, & cum eo centum quadraginta millia, habentia nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Quos etiam ex luce propriæ cõuersationis insinuat, dicens: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, uirgines enim sunt, & sequuntur agnũ quocunq; ierit. In monte quidem esse cum agno dicuntur: quia per meritum incorruptionis quo à terrenis & carnalibus delectationibus se diuidunt, in superna redemptoris gloria sublimãtur. Cum Saul uerò duo millia esse dicuntur in Magmas, & in monte Bethel. Magmas quę humilitas interpretatur, quid aliud quàm cõtinentium ruborem significat? Nam dum præterita carnis oblectamenta recolunt, erubescunt. Sed quia uiri fortes sunt, cum Saul esse referuntur, & dum experta seculi blandimenta despiciunt, exemplo suæ uirtutis innumeros alios ad eiusdẽ seculi contemptum trahunt. Sed tamen Magmas inhabitãt: quia dum recolunt quales fuerunt in seculo, superbire non possunt, de eo quod magnos se uidẽt esse in deo. Qui bene cum Saul esse referuntur, qui petitio dicitur. Prędicator etenim ueritatis tantæ charitatis esse debet, ut instãti desiderio non petitor, sed petitio esse sentiatur. Salutẽ quippe fidelium tam instãtius debet appetere, ut ex usu interni gustus, omnem motum cordis in affectũ ducat supplicationis. Cum quo mille uiri sunt: quia perfectiores auditores cum electis doctoribus in charitate cõueniunt, & pro salute fidelium omnipotentem dominum cõmuniter deprecantur. In Magmas ergo cum rege sunt: quia humilitatem pro se incolũt, ut exaudiri pro alijs mereantur. Sed dum electus doctor omnibus subditis utiliter præest, omnium uirtutes ad uictoriæ coronas promouet. Nam cum humilibus supplicat, cum fortibus pugnat, cum remotis uiris orationibus insistit, cum expositis ecclesiæ defensoribus, debiles & infirmos protegit. Bene ergo non solum in Magmas, sed in monte Bethel esse cum Saul in bellatorum millibus dicuntur: quia prædicator ecclesiæ sicut diuersis ordinibus electorum prœeminet, ita eorum esse cooperator debet. Bethel quippe, id est, dei domũ custodiunt, qui uerbi authoritate sanctam defendunt ecclesiam. Cùm quibuscunq; tyrannis uoce libera authoritatis obuiant, cùm contra huius seculi potentes se erigunt, cùm pro defensione humilium seculi huius potestatibus cõtradicunt: Bethel domum dei quasi regis bellatores custodiunt. Qui certè cum Saul esse referuntur: quia in defensione ecclesiæ magnorũ doctorũ coadiutores sunt. Bene autem de reliquis dicitur: Porrò cęterum populum remisit unumquemq; in tabernacula sua.] Cęterum populum dicit, quem millenarius numerus non concludit. In tabernacula quidem sua remittitur: quia ad summa & fortia opera infirmi & imperfecti producendi non sunt. Nam nec continentes, nec uirgines, nec martyres fieri debiles possunt. Illis quidem, ut ad eos prędicta carnis oblectamenta non redeant, istis ut inexperta carnis blandimenta contemnant, illis ut aduersa mundi non metuant, maxima fortitudo necessaria est. In tabernacula ergo sua cætera plebs remittitur, ne de altioris uitæ temeritate damnetur, & uelut debilis & infirma in bello pereat, dum altæ conuersationis fidem spõdet, quæ altę uirtutis robur non habet. Quasi enim unumquemq; in tabernacula sua dimittebat beatus Paulus apostolus, cùm dicebat: Propter fornicationem unusquisq; uxorem 1.Cor.7 suam habeat, & unaquæq; suum uirũ. Velut enim peritus magister internę militiæ, & coronas uictoriæ, & pugnæ considerans grauitatem, militum uires in belli pondere librabat, optimũ iudicans infirmis, ut in urbibus uiuerent, ne acerbo marte perirent. Quare & item eos à castris fortium segregans, ait: Reuertimini in idipsum, ne tentet uos Satanas propter incontinentiam uestram. Sed remotis debilibus, quid in fortissima uirginũ acie agatur, exponitur, cùm subiungit: Et percussit Ionathas stationem Philistinorum, quæ erat in Gabaa.] Sicut excellit ordine sponsi acies, ita & uictoriæ titulos prima suscepit. Ionathas quippe statione Philistinorum percutit: quia electa uirginitas de carne, continentiæ arce sublimata, motus turpes extinguit. Bene autem statio Philistinorũ dicitur: quia in corpore uirginali carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis. Stant quippe: quia impugnãt, sed requiescere non possunt: quia mentem sanctam minimè oblectant. Statio ergo Philistinorũ in Gabaa percutitur, quando ab electis uirginibus carnis desideria penitus eneruantur, & pacem triumphi obtinent, dum solita bella non habẽt. Ad quam profecto uictoriam quia maiorum exhortatione sæpe proficiunt, mille uiri in Gabaa cũ Ionatha sunt, sed Ionathas percutere Philistinorum castra perhibetur. Et quia exemplo aliorum, sæpe alij ad æmulationem uirtutis excitantur, sequitur: Et percussit Ionathas stationem Philistinorum, quæ erat in Gabaa. quod cùm audissent Philistæi, Saul cecinit buccina in omni terra, dicẽs: Audiant Hebræi, & uniuersus Israel huiuscemodi famam. Percussit Saul stationem Philistinorum, & erexit se Israel aduersus Philistæos. Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.] Percussa quippe Philistinorũ statione, Saul buccina canit, & post Saul populus clamat: quia auditas electorum uirtutes sancti prædicatores prædicant, & subditorum corda ad exemplum boni operis inflammãt. Buccina quidem canere est, & uictoriam nunciare, & exemplo uictorum aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare. Populo etiam post Saul clamare est, de audita prædicatione magnæ deuotionis ausum suscipere. Quo in loco notandum est: quia Ionathas stationem Philistinorum percus-

Universidad de Deusto
Biblioteca

percussit,sed Saul tuba canens, se percussisse eandem stationem perhibuit. Quia nimirum electorum prædicatorum triumphis adscribitur, quod à subditis occulti aduersarij superētur. Sed quoties alios hostes uincimus, necesse est ut ad aliorū deuincenda certamina præparemur. Omnipotens enim deus quia electos suos copiosius remunerat,eos semper uult in pugna cōsistere, ut ipsi semper possint sibi æterni muneris bona præparare. Quare & cùm populus clamasse post Saul dicit, subiunctū est: Et Philistæi congregati sunt, ad præliandū contra Israel, in triginta millia curruū, & sex millia equitū,& reliquū uulgus sicut arena quæ est in littore maris plurima.] Superius rex Saul tria millia uirorū sibi elegisse describitur. Si ergo partes utriusq; exercitus conferre uolumus, contra unumquenq; uirū Saul, decē currus Philistinorum,& duo equites deputātur. Decies enim tria millia triginta millia sunt. In senario quoq; numero ternarius geminatur. Quo nimirum bello occultorū hostium tam multitudo, quàm feritas designatur. In curribus quidē & equis contra nos ueniunt: quia modo malas cogitationes electorū cordibus,modo eorum corporeis sensibus rerum uisibilium blandimenta noxia offerre moliuntur. Equi nanq; ad cursum celeres sunt,ad impetū fortes. Quibus nimirū cogitationes malæ aptè comparantur quæ ad cor uelociter ueniunt,& fortiter pungunt. Equites contra nos in prelium ueniunt, quādo maligni spiritus nobis malas cogitationes, & celeriter excitant,& nos per eas fortiter impugnant. Sed contra unumquenq; fidelium duo equites ueniunt:quia si occultas reproborum spirituū insidias in cōsiderationis summā colligimus,illud eorum speciale propositum est,ut uidelicet in nobis principalem uirtutem feriant, & charitatē dei & proximi penitus extinguant. Equus uerò unus sæuire cernitur, quando reproba cogitatione nobis malignus spiritus suggerit, ut proximus odio habeatur. Sed equus qui solus cernitur, solus non est: quia deum nemo diligit qui fratrē odit. Quia item diuina charitas cum nullo principali uitio in mente conuenit,quoties spirituale uitiū nobis dæmonum fraude suggeritur,equitum sæuientiū cauere debemus uelocitatē nimiam & ferocitatem uiolentam. In cōparatione quidem equitis,sagittarij aut peditis ictus omnimodo debilis est. Impetus uerò equitis equi uiribus uiolentus est: quia nimirū uirtus maligni spiritus nulla est in electorum certamine, si ipse residere non permittitur in mala cogitatione. Quia ergo ualde fortes in bello hostes nostri sunt, quando insidere internis cogitationibus permittuntur,in Philistinorū exercitu equitū turba numeratur. Currus uerò decem unicuiq; electo in prælium deputantur. Quinque enim nobis sunt sensus corporis, quibus experimentū accipimus delectationis. Sed spiritus maligni quando per blandimēta carnis mentem decipere gestiunt, corporeis sensibus rerum species ostendunt, quas caro appetat,& per earundem rerum species suggerit, ut mens oblata concupiscat.

1.Ioan.4

Quasi enim in rotis suis currum aduersarius erigit,dum hinc rerum blandimenta offert, inde cogitationes retinet, ista porrigit, illas immittit, & quasi uoluendo se sublimem ad animam inuehit, dum contra electos se malignus spiritus erigit,& per blandimēta rerum & per artem suggestionū. Decem ergo currus sunt:quia contra singulos sensus corporis nostri habent species blandimentorum uilibiliū, habent contra totidē sensus animæ, & deceptorias artes suasionū. Quid est autem q reliquum uulgus sicut arena quæ est in littore maris plurima, esse memorat, nisi quia ad ducatum malorum spirituum, innumerabilis sæuit contra nos turba uitiorū? Velut enim subiectū uulgus, currus,& equites sequitur,quando dæmonū insidiæ mentem impugnando præueniunt, ut à subsequentibus uitijs quasi ab irrationabilis uulgi multitudine deuastetur. Bene autem prius currus, & equites,deinde uulgi numerositas in spirituali sanctorū pugna describitur: quia nimirū nulla est numerositas, nulla fortitudo uitiorū, si excitando & immittendo non præcedat hanc malignorū turba spirituū. Quibus etiam uerbis innuitur, q; cauta et circumspecta semper esse debeat uita sanctorum. Nam si uulgus reliquū arenæ maris plurimæ comparatur,innumerabilis,& ferè ineuitabilis est multitudo iaculorū. Quamuis enim peritis fidelibus omnia nota sint uitia, quantis tamen cor motibus pulsent, quibus modis aut quibus causis semper ad cor ueniant, omnino scire non possunt. Apertas quidem tentationū tenebras potēter abiciūt, sed sæpe caliginē ignorantiæ in rebus leuioribus quasi arenæ minutias non euadunt. Semper fortitudinem ostendunt boni operis, sed qui magnos exercitus equitū magna uirtute superant, linguā penitus ab omni superflua locutione non refrenant. Continuo usu corpus in dei omnipotētis seruitio dirigunt, sed eorū mens, quæ foris membra perfectè ordinat, cogitationes superfluas aliquando nequaq; uitat. Quid enim aliud tunc q; uulgi importunā multitudinē sentiunt, qui currus & equites magna uirtute prostrauerunt? Sed doctor egregius dicit: Diligentibus deum omnia cooperantur in bonū. Permittit quidē deus electos suos magnis tentationibus impeti, ut magnificentissimè in cœlesti regno debeant coronari: sed magna prælia permittit, quæ uincāt, leuia excitat, in quibus cadant, ut uictoria fortiū magna sit, casus innoxius, ut cadentes se facile erigant, & eos fortia, in quibus uictores steterant, non extollant. Nam si currus & equites uincimus, extolli de uictoria non debemus: quia innumerabilia sunt, quæ cogitando, loquendo, uidendo, gustando, & audiēdo, & operādo cōmittimus. Huiꝰ nāq; uulgi innumerabilis tela, etiā ille uitare nō poterat, qui dicebat: In multis offendimus oēs. Hinc item dilectus Iesu loquit̄, dicēs: Si dixerimus quia peccatū nō habemus, ipsi nos seducimus, et ueritas in nobis nō est. Quis ergo iā quasi uictor extolli audeat, si tāti uiri peccatorū tela se omnino euadere nō posse manifestāt? Sed qa hæc in spirituali bello describuntur,

Rom.8

Iacobi 3
1.Ioan.1

non

non debemus nũc ęstimare quid patimur, sed qua liter hostium nostrorum impetũ infirmare ualeamus. Vulgus Philistinorũ arenæ comparatur, quę est in littore maris plurima: quia omnis uirtus uitiorũ, & numerus ex seculi perturbationibus augetur. Mare quippe hoc seculum designat: quia dum magna rerum & temporum uarietate impellitur, quasi uentis furentibus perturbatur. In littore autem quando impulsa maris aqua refunditur, innumerabiles arenæ minutiæ glomerãtur. Quid est ergo littus maris, nisi cor uniuscuiusq; in spirituali conuersatione negligentis. Per ordinẽ quippe religionis, quasi in solido stare cernit̃, sed dum seculares cogitationes non reprimit, quasi frãgentes in se maris fluctus excipit, & cumulos arenarum, & inde quidẽ impelli fluctibus, & obrui arena potest, unde mari appropinquare non timet: quia si seculi cogitationes spiritualiũ rerũ contemplatione reprimeret, uitia mentis & corporis, quæ seculi occupatio uelut arenas & fluctus inuehit, non sentiret. Cur ergo uulgus hostiũ arenæ simile esse dicitur, nisi quia maligni spiritus eisdem uitijs electos Christi athletas impugnant, quibus negligentes superant? Cũ turba quidem secularis strepitus contra eos ueniunt, qui seculum in suis delectationibus spernere tota mente didicerunt. Pompas rerum uilibilium formant, contemptũ iam seculi amorem fingendo reuocãt, ut corda supernoamore flammantia, ad noxias delectationes trahant. Sed sancti uiri quia innumerabilẽ hanc nequam cogitationũ turbam de seculi pelago prodire considerant, seculum tota mente fugiendo, fieri littora maris uitant, & tantum uulgus hostium iam non timent: quia dum in intima cõtemplatione se retinent, uitiorum turba ad eos accessum habere non potest. Sequitur: Et ascendentes castrametati sunt in Magmas ad orientem Bethauen.] Malignis spiritibus ascendere est, ad decipienda sanctorũ corda per cœleste desiderium alta conari. Bene aũt dicitur castrametati sunt in Magmas: quia in illis cordibus residẽt, quæ in alto amore cœlestium sublimata non uident. Magmas quippe humilitas interpretatur. Humiliari uerò in sacro eloquio pro defectu sæpe uirtutis accipitur. Vnde & in hac eadem Regum historia Thamar Dauid regis filia, quam uiolasse Amnon frater eius legitur, humiliata perhibet̃. Corrupta quidem humiliata est: quia sublimis steterat uirgo, & dum altum honoris uirginei culmen perdidit, uelut de sublimi ad planum & humilem locum uenit. De futura etiam superborũ depressione dicit̃: Omnis qui se exaltat humiliabitur: quia in examine superni iudicis corruunt, qui uanè de huius seculi sublimitate gloriãtur. Bene ergo in Magmas castra ponere Philistæi perhibentur: quia per iniqua consilia in eis dæmonia habitant, qui alta uirtutum culmina tenere non curant. Nam dum terrena quærũt, uelut plana & humilia incolunt, ubi inuisibiles hostes castra ponere leuiter possunt. De quibus nimirũ hostibus per prophetã dicitur: Qui dicunt animæ tuæ incuruare ut transeamus.

A Erecta quidem sublimis est anima, incuruata humilis: quia per uirtutũ celsitudinẽ, & per cœleste desiderium in alta sustollitur, sed quando ad uitia uel ad seculi amorem defluit, illuc quidem cadit, ubi hanc hostis irruens leuiter atterit. Dicũt ergo animæ tuæ incuruare, ut transeamus: quia si hanc ad agenda uel cogitanda terrena non humiliant, nec malignis persuasionibus penetrant, nec uitiorum bello perturbant. Hinc ergo colligere possumus, quantum à seculo actu uerbo & cogitatione longè fieri debeamus. Verba quippe nostra, cogitationes & opera plana & humilia sunt, quando secularia. Per hæc quidẽ ibi sumus, ubi occultorũ hostiũ castra libere ponunt̃, ubi tãto facilius capi possumus, quanto nulla munitionis arce subleuamur. B Quis eñ iam fidelis nesciat: quia culpas uerborũ, cogitationũ & operũ nostrorũ colligant, & ad accusationẽ nostrã in aduentu uenturi iudicis seruent? Vnde & hunc humilẽ atq; despectũ locũ Magmas fugiendũ nobis esse dominus insinuãs, dicit: Omne uerbũ otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationẽ in die iudicij. Locus ergo hostium humilis dicitur, ut profecto nobis insinuet: quia uerbo, cogitatione & opere semper sublimes esse debeamus. Et quia dum in humili remissioris uitæ suæ loco reprobi capiuntur, exẽpla prauitatis ostendũt, quæ alijs imitanda proponantur: ab oriẽte Bethauen Magmas esse dicitur. Ab oriente quidem solis lucẽ oriri cernimus. Reproborũ autem uita quanq; ueritatẽ obscuritatis habeat: qui hanc tamẽ pro uana seculi delectatione C semper appetunt, nimirũ uelut falsę lucis splendore falluntur. Vnde & per beatum Iob dicitur: Auferetur ab impijs lux sua. Modo quidem uelut lucidum eis placet blandimentũ seculi, sed dum de seculo exeunt, perpetuas subibunt tenebras, quas lucem esse crediderunt. Tunc uidebunt, quia lux non fuit, quando in aduersitatẽ prosperitas, lux in tenebras, risus in mœrorem, dulcedo in uermem, decor in deformitatẽ, honor in dedecus, blandimenta in pœnas & æterna tormenta cõmutantur. Hæc profecto quia nunc impiorũ corda non sentiunt, bonorum mores imitari refugiunt, & exemplo perditorum quicquid de seculo eis placet, sumere nequaq; timent: quia illos imitãtur, qui per D uitam reprobam habitacula dęmonum facti sunt. Vnde & merito domus inutilis dicuntur: quia sæpe doctorum prædicationẽ suscipiũt, sed uerbum quod ab eorum ore audiunt, in se habitare per amorem nequaquam patiuntur. Inutilis ergo domus sunt: quia aptam in se deo habitationem non faciunt. Hanc inutilem domum per semetipsam ueritas in Euangelio designat, dicens: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: filius autẽ hominis non habet ubi caput suũ reclinet. Hinc iterum scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum, & non habitat in corpore subdito peccatis. Bene ergo inutilis domus habere in orientis parte Magmas dicitur: quia qui sanctorũ prædicationem spernunt, in reproborum exemplo ima & terrena quærentium, uelut in magnæ lucis exortu

Iob 38

Matt. 8

Sap. 1

exortu gratulant̃. Sed dum loquentibus ſacræ hiſtoriæ myſterijs, malorũ conuerſatio demonſtrat̃, quàm ſit cauta ſanctorũ uita ſubſequenter oſtenditur. Nam ſequitur. Quod cùm uidiſſent uiri Iſrael, ſe in arcto ſitos, afflictus eſt populus, & abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoq; & in antris, & ciſternis.] In arcto quidem ſumus, quando ab immundis ſpiritibus intus tentamur, & foris malorũ hominũ exempla conſpicimus. Contra internã ergo malorũ ſpirituũ tentationẽ bene dictũ eſt, Afflictus eſt populus,] & cõtra exteriora exempla impiorũ hominũ, Abſconderunt ſe:] quia blanda & læta nobis appetenda callidus aduerſarius ſuggerit, qui nunq; melius uincitur, quàm ſi tentati ad deuotæ orationis lamenta curramus. Et exempla prauorum uitare citius poſſumus, ſi ea etiam reſpicienda nõ eſſe iudicemus. Abſcondi ergo ſanctorũ eſt, reproba uidere dedignari. Et quia quinq; ſenſus corporis à reproborũ imitatione cuſtodiunt, quinq; etiam latibulorũ genera deſcribunt̃, ſpeluncæ ſcilicet, abdita, petræ, antra, & ciſternæ. Speluncæ uerò montium occulta ſunt. Quia uerò alta in cœleſti deſiderio ſunt corda ſanctorũ, & malignis ſpiritib. clauſa & inacceſſibilia ſunt. Speluncas ergo ingredimur, quando ad mentium ſecreta recurrimus, ne uagantibus oculis foris, cõcupiſcenda uideamus. In abditis abſcondimur, quãdo clauſi oris ſilentia occulta ſeruamus. Petras aſcendimus, quando actũ corporis in robuſta operatione locamus. Vnde & de his abſconditis per Prophetã dicitur ſub unius aſſignatione: Qui claudit oculos ſuos, ne uideat malum, & obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinẽ, & excutit manus ab omni munere: in excelſis habitabit, munimẽta ſaxorũ ſublimitas ei⁹. Antra & ciſternas intramus, quando & olfactum ab obſcœnitatibus mundi, & aures ab audiendis uaniloquijs cuſtodimus. Ciſternę nanq; aquarum ſanctarum ſcripturarum uerba ſunt. In ciſternis ergo abſcõdimur, quando ad ſacri eloquij aquas ingredimur, ut per aurium officium mentium prata rigemus. Bene enim in electorũ typo Iſraelis latibula memorantur: quia qui ſenſus corporis à delectationum carnalium inquinamento non protegit, occultorum hoſtium gladium non euadit. Dicat ergo occultę illius cõgreſſionis uictoriam, dicat: Afflictus eſt populus.] Dicat apertè obiecti extra certaminis triumphos. Abſconderunt ſe.] Afflictio quippe electæ mentis, omnis diabolicę tentationis peremptorius mucro eſt. Nã dum profundè compungitur, in ſuperni gaudij amorẽ ſubleuatur, & tanto iam fortius oblata mundi oblectamenta reſpuit, quanto iam cœleſtia feruentius diligit, ad quæ flendo cõſcendit. Doctor nãq; egregius dicit: Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum dei. Qui certè regni cœleſtis introitus ſic ſperat̃ in fine temporũ, ut in quotidiana ſanctorũ uita ſentiatur. Tribulatio igitur noſtra ſuperni gaudij introitus eſt. Merito ergo quoties electa mens in afflictionis ſuæ lamẽto cõpungit̃, ſe tribulando, hoc obtinet, ut intret in contemplationẽ illius ſuperni regni, in quo ineffabiliter gratuletur. Et dum ſancti uiri amatores mundi in flore tranſeuntis lętitiæ uidere refugiũt, dum corporeos ſenſus ſuos ab eorũ imitatione abſcondunt, eorum quæ cernitur non eſt fuga, ſed gloriosa uictoria. Actus quidẽ terrenos fugiunt, ſed cœleſtes aſſequunt̃, mundo deliteſcere uidentur, ſed cœleſti gloriæ reuelantur. Fugiendo igitur noxia, hoſtes ſuos ualidius inſequunt̃, & ualde nobilius triumphant, cùm ſic ad cœleſtia properant, ut eos aduerſariorum polluta fœuitia non cõtingant, ſequitur: Hebræi autem tranſiere Iordanẽ ad terram Gad, & Galaad.] Hoc profecto ſi prius iuxta literã ſcire uolumus, Hebræi iſti & timore perterriti, & ad hoſtes ſuos confugiſſe ſentiunt̃. Nam non multo poſt in aperta Ionathæ uictoria ſcribitur, Hebræi qui fuerant cum Philiſtim heri & nudiuſtertius, aſcenderũtq; cum eis in caſtra, reuerſi ſunt, ut eſſent cum Iſrael, qui erant cum Saul & Ionatha. Quid uerò in hoc facto ſignatur, niſi quod quotidie in ſancta eccleſia fieri cernimus, bonorũ eſſe tutam & cautiſſimam uitam, negligentiũ præcipitem impatientiam. Infirmi quidem et audaces ſunt, curioſi ad actiones ſeculi, debiles ad toleranda bella tentationis. Et ſi in his noſtra diſcutimus, in monaſterijs plerique tales inueniũtur. Intra portus quidem tranquilla inhabitant, ſed aperti pelagi procellas, & tempeſtatum turbines nequaquam penſant. Cumq; foris quaſi fortes agere ſe magna æſtimant, ad grauiſſima tentationũ prælia faciles exeunt, ad fortes aduerſarios impotentes. Ratione quidem improuidi, robore infirmi, ſicut aſtutæ tentationis fraudes non intelligunt, ita & apertas blandimentorum decipulas non euadunt. Iordanem ergo tranſeunt, quia ad perpetranda carnis flagitia incuruantur. Iordanis quidẽ deſcẽſus eorum interpretatur. Qui ergo iuſtitiam deſerunt, ab alto monte uirtutum cadunt. Quia ergo infirmi quiq; libenter appetunt mundi blandimenta, quæ cernunt, in eorum typo Hebræi non trans Iordanem perlati, ſed Iordanem tranſire perhibentur. Tranſire quidem uolẽtis eſt. Iordanem itaq; tranſeunt, qui ad carnales delectationes uoluntaria & feſtina deliberatione flectuntur. Poſſunt autem intelligi Iordanem tranſire, qui nouiter peccare incipiunt, ſed aliorum peccatorum hominum nequitias peccando tranſcendunt. Ad deſcenſum quippe eorũ deſinendo, non tranſiendo pertingerent, ſi alijs æqualia mala facerent, & non ea audendo ſuperarent. Et quia in nequiori etiam uita pares ſuos inueniunt, bene ad terram Gad, & Galaad, trans Iordanem peruenire memorantur. Velut enim trans Iordanem habitant, qui per peccãdi uſum malis peiores fiunt. Ab hoc deſcenſu culpæ erigere peccatores uenerat ille, de quo ſcriptum eſt: Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmũ pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Qui de omnibus culpis prædicare pœnitentiam uenerat, in omnes utiq; deſcenſus regiones ueniſſe prædicatur. Sequitur:

Cumq; adhuc eſſet Saul in Galgala, uniuerſus populus

Eſa.33

Act.14

Infra 14

Luc.3

populus perterritus est qui sequebatur eum. Expectauit autem septem diebus iuxta placitum Samuelis, & nō uenit Samuel in Galgala, dilapsusq; est populus ab eo. Ait ergo Saul, adferte mihi holocaustū & pacifica, & obtulit holocaustū.] Hucusq; quia de Saul (ut superius dictū est) electo & bono diuino sermo locutus est, rationabile uisum est, ut quæ de eo dicebantur, tam per historiam, q̄ per moralitatem in bonam partem acciperemus. Nunc uerò quia ad locū transgressionis eius peruenimus, nimirum necesse est, ut in eo etiam, quæ sunt uitanda uideamus. Sed quid unq̄ studiosius uitandum electis omnibus quàm superbiæ, & inobediētiæ malum uideri debuit. Hæc quippe primi angeli sublimitatē deposuit, hęc perditorū spirituum gloriam strauit. Hæc primo homini felicitatē abstulit, hæc captiuitatis humanæ perpetuas ęrumnas inuexit. Et ecce primo angelo, primo homini, electi populi per inobedientiam rex primus adiungitur, ut dum magna proruunt, minima erigantur. Bene quippe erigimur, si et illorum lapsus aspicimus, & uitamus. Vbi ergo Saul ceciderit, attentè considerandum est. Superius nanq; ei dixerat Samuel: Descēdas ante me in Galgala. Ego quidem descendam ad te, ut offeras holocaustum & oblationem, & immoles uictimas pacificas. Septem diebus expectabis me, donec ueniam ad te, & ostendam tibi quæ facias. Idcirco igitur per inobedientiam cecidit, quia integris septem diebus sicut iussus fuerat non expectauit. Nam in eodem loco repentè subiūgitur: Cumq; complesset offerens holocaustū, ecce Samuel ueniebat.] Quo in loco trementi corde considerandum est, quàm breuissimi tēporis expectatione neglecta, repulsus sit. Cùm complesset (inquit) holocaustum, ecce Samuel ueniebat.] Si ergo cum solo temporis breuissimo interuallo expectaret, quo obtulit holocaustum, securus iam regni sui robur obtinere potuisset. Itaq; si tanta pœna est, quādo Prophetа despicitur, quid putamus de pelago illo diuinæ animaduersionis incurratur, cùm ipsa diuina præcepta dissipantur? Et quia in momento transit carnis delectatio & omnis peccatorum cōmissio, & breuis quidem est hora transgressionis, non tamē breuis pœna flagitij: quia dum ad momentū in nobis regnū peccati erigimus, illa regna perdimus omnium seculorum. Statim enim post peccatum sermo propheticus uenit, ut increpet: qui adesset, si non peccaremus, ut in bono roboraret. Polluta quidem conscientia habet iam diuinū eloquium contra se: quæ si pollui uitaret, ab eo adiuta & relеuata proprio uigore subsisteret. Quid enim nobis aliud spiritualiter designat, quod dicitur: Cumq; complesset offerēs holocaustum, ecce Samuel ueniebat.] Et si non obtulisset holocaustū, nihilominus & Samuel uenisset. Sic nimirum & cùm tentamur, diuina gratia iuxta est, quæ sustinentes adiuuet: iuxta & diuina iustitia, quæ deficientes damner. Vnde sacra scriptura nos expectare cohortās ait: Si spiritus potestatē habens ascēderit super te, locum tuum cito non deseras. Hinc Propheta testificans, ait: Dominus auxiliator meus, & ideo non sum confusus. Hinc Psalmista uicina eadem auxilia respiciens, ait: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniā à dextris est mihi ne cōmouear. Sed iam Propheta quid non expectanti dicat, quid is qui expectare noluit respondeat, audiamus. Locutusq; est ad eum Samuel. Quid fecisti?] Sciebat quidem propheta quid fecerat, sed interrogando inobedientiæ factum reprobabat. Vnde & ad peccantē Adam in paradiso à domino dicitur: Adam ubi es? Potest etiā per hanc interrogationē magnitudo reatus intimari. Ac si apertè dicat. Parū tibi uidetur, quod nō obediendo deliqueris, sed à sublimi glorię tuæ culmine delinquendo cecidisti. Nunc ergo plericq; intra sanctam ecclesiam se flagitijs obruūt, & quasi qui nulla aut minima perdant, securi sunt. Dicatur ergo lapso, dicatur: Quid fecisti?] Parum tibi uidetur quod te peccati sorde polluеris, quia quam æternitatis gloriā perdideris, quam gehennæ pœnam merueris, non attēdis. Interrogatur quidem peccator quid fecerit, ut ad cor per lamēta perducatur, ut magna se incurrisse sciat, & parū non doleat. Sed quia ex radice superbiæ ipsa culpa inobedientię nascitur, solet inobediētes reatus sui magnitudinem, obiurgātibus doctoribus, audire, sed non humiliter confitendo satisfacere. Nam cùm sublimes uideri appetunt, lapsus suos ostendere dedignantur: & ideo excusationes proferūt, iustitiam prætendunt, quia apparere peccatores erubescunt. Bene ergo subiungitur: Respondit Saul. Quia uidi q̄ dilaberet̄ à me populus, & tu non ueneras iuxta placitos dies. Porrò Philistim congregati fuerant in Magmas. Dixiq; nunc descendent Philistim ad me in Galgala, & faciē domini non placaui. Necessitate cōpulsus obtuli sacrificiū.] Ecce qui de magnæ transgressionis temeritate arguitur, magnas causas iustitiæ asserere non ueretur. Vidi (inquit) q̄ dilaberetur populus à me.] Ecce hic asserit̄ destitutus à populo. Porrò non ueneras iuxta placitos dies.] Hic se ostendit Prophetę promissione fraudatum. Porrò Philistim cōgregati fuerant in Magmas.] Hic pariter obijcit imminens periculum congressionis. Quare ex actione sua uerbum subinferens, ait: Necessitate compulsus obtuli hololocaustū.] Quasi dicat: Tu me de magno reatu arguis, cùm reatus tanto sit leuior, quanto non temeritate constat, sed necessitate. Sed qualem eum cognoscat Propheta, qui se cognoscere noluit, subiungens, ait: Stultè egisti, nec custodisti mandata domini dei tui.] Superbi quiq; quia per tumorem supra homines se esse arbitrantur, competenter arguuntur, cùm eis diuina uoluntas obijcit̄, quam offendunt. Saul ergo superborum more arguitur, qui domini dei sui mandata contempsisse perhibetur. Quod tale est, ac si superbientem & contemnentē terreat, dicens: Et si homines despicis, nunc non consilia hominum, sed domini dei tui mandata dissipasti. Recte ergo tuum reatum pensas, si illum quem contemnis trementi corde consideras. Et notandum, quia

Supra 10 Esa. 50 Psal. 15 Gene. 3

quia non ait, non cuſtodiſti mandata dei tui, aut mandata domini tui, ſed non cuſtodiſti mandata domini dei tui. Ac ſi aperte dicat: Auſus magnæ tranſgreſſionis eſſet, ſi ille cuius mandata deſpicis tantum dominus tuus, non etiam deus exiſteret. Quantum ergo eſt quod committitur, cùm dei & domini mandata negliguntur? Quia item non dixit domini dei mei, aut domini dei noſtri, diuinæ familiaritatis gratiam, cum offendiſſe redarguit. Quaſi dicat: Eius præcepta contempſiſti, qui dum te de imo extulit, dū ſuper alios te conſtituit, dum regem fecit, per impoſitionē tantorū munerum, uelut ſpecialiter tuus fuit. Adhuc quoq; ſubiungi tur, unde tranſgreſſionis eius audacia maior eſſe doceatur. Quæ (inquit) præcepit tibi.] Quædam denicq; dei præcepta ſunt cōmunia omnium, non ſpecialia aliquorum. Vt ergo audacem reum temeritatis ſuę patenti obiectione conueniat, non eum præcepta cōmunia, ſed propria & ſingularia contempſiſſe demonſtrat. Quæ ait præcepit tibi. Ac ſi dicat: Illa dei & domini tui mandata cōtempſiſti, quæ non uelut cōmunia omnibus, ſed uelut propria, & ſoli tibi ſingulariter credita obſeruare debuiſti. Sed quid mereatur exponit, dicens:

Quod ſi non feciſſes, iam præparaſſet dominus regnum tuum ſuper Iſrael uſq; in ſempiternū, ſed nequaq; ultra conſurget.] Ecce quàm magna peridit, qui ut putabat nulla cōtempſit. Ecce ſeptem diebus Prophetam ſuſtinuit, ſed dum præſtolari eum in fine diei deſiit, gloriam tantæ dignitatis a-
Eccſs 2 miſit. Vnde & per Prophetam dicitur: Væ ijs qui perdiderunt ſuſtinentiam. Suſtinentiam quidem perdunt, qui bona quæ inchoāt non cōſummant. Quibus nimirum uæ eſſe dicitur: quia non ſolum inceepti laboris mercedem perdunt, ſed etiā apoſtatatus ſui pœna feriuntur. Pœna autem ſuperbi & inobedientis regis declaratur, cùm dicitur:

Quod ſi non feciſſes, præparaſſet iam dominus regnum tuum ſuper Iſrael à modo & uſq; in ſempiternū, ſed non conſurget.] A modo & uſq; in ſempiternum electum regnum paratur: quia qui temporalia bene ordinant, æternæ glorię ſibi ſublimitatem parant. Modo quidem electorum regnum paratur, cùm per diuinā gratiam rectè eorum miniſteria diſpenſantur. Quod à modo & uſq; in ſempiternum proficit: quia de ſublimi actione huius temporis, ſublimiorem illam æternitatis gloriam promerentur in cœlis. In finem itaq; reprobo regi dicitur: Regnū tuum nequaq; ultra cōſurget.] Quaſi dicat: Dum à temporali rectitudine deficit, ad æternitatis celſitudinem non pertingit. Vel idcirco ad literam non cōſurgere dicitur: quia cum ipſo corruit, & poſt ipſum in eius filijs non remanſit. Sed ut liuoris pœna feriatur, non ſolum repulſionem ſuam, ſed etiam electionem alienam audire compellitur. Nam ſubiungens Propheta, ait:

Quæſiuit ſibi dominus uirum iuxta cor ſuum, & præcepit ei, ut eſſet dux ſuper populum ſuum Iſrael.] Per omnia uerba hæc ſuperbus eliditur:

Quæſiuit (inquit) uirū iuxta cor ſuum.] Quaſi dicat: Ideo eum quæſiuit, quia tu iuxta cor ſuū eſſe noluiſti. Quaſi dicat: Talem uirum populi ſui ducem conſtituit, qui præceptum diuini conſilij exequatur uirtute deuotionis. Quia enim corde ea quæ agere uolumus deliberare ſolemus, dum uſu noſtræ locutionis cor dei in ſacro eloquio ponitur, per id uoluntas eius intima deſignatur, quæ à nobis tunc foris agnoſcitur, quando inobedientiæ præcepta reuelantur. Iuxta eam uerò ſumus, quando hanc & per intellectum agnoſcimus, & per amorē cuſtodimus. Bene ergo de domino Prophe ta Samuel dicit: Quæſiuit ſibi uirum iuxta cor ſuum, & præcepit ut eſſet dux ſuper populū ſuū:] quia ille alijs utiliter præcipit, qui obedire deo perfectè iam nouit, qui ſolum hoc præcipit, quod ex conſilio procedit intimæ ueritatis. Sed quid eſt, q; quaſi de præterito dicitur: quæſiuit ſibi dominus uirum, & præcepit ei ut eſſet dux, cùm non fuerit quæſitus, nec ei ut populo ſuo præeſſet, iniunctū? Nam poſtq; Saul percuſſit Amalech eidem Prophetæ dominus ait: Imple cornu tuum oleo, & ue Infra 15 ni mittam te ad Iſai Bethelemitem. Sed hæc quæſtio facile ſoluitur, ſi omnipotentis dei præſciētia & prædeſtinatio uideatur. Ei quidem prædeſtinare, facere eſt, & apud ipſum iam facta ſunt, quæ ab ipſo fieri præordinata ſunt. Vnde & de eo ſcriptū eſt: Fecit quæ futura ſunt. Sed queſiſſe uirum deus Eccſs 3 dicitur, ut eligendorum antiſtitum forma hominibus præbeatur. Quærere enim ſolemus, quæ aut præſentia non cognoſcimus, aut abſentia non uidemus. Deus aūt cui nihil eſt abſens, nihil latens, non dicitur quæſiſſe uirum, ut abſentē, aut abſconditum, ſed queſiſſe dicitur, ut omnis qui ad ſanctæ eccleſiæ culmen eligitur, diſcutiendus ab hominibus eſſe doceatur. Sed quæri debet ſecundum cor dei, ut uidelicet non ſolum diuinam uoluntatem intelligat, ſed bonis operibus oſtēdat. Quia item electi uiri ad honorem primatus non ex ambitione ueniunt, ſed coacti perducuntur, bene dictum eſt: Et præcepit ei ut eſſet dux.] Quaſi dicat. In honorem prelationis non per ambitionem ſubijt, ſed coactus aſcēdit. Poteſt etiam intelligi uir pro fortitudine, ſecundum cor dei, pro interna charitate. Quando igitur neceſſitas exigit, ad curā ſanctæ eccleſiæ quæratur uir, ut ſit conuerſatione fortis: quæratur ſecundum cor dei, ut per affectum magni amoris, quaſi unitus ſit diuinæ uoluntati: præcipiatur ei, ut ſit dux: quatenus ſublimitatis ordinem conſcēdere ex cupiditate non ambiat, ſed ex humilitate pertimeſcat, ſicq; ſibi humilis metuat, ut ſubdi præcepto dei deuotus agnoſcat. Sed quia his uerbis propheta lapſi regis uitam reprehenderat, ſequitur: Surrexit autem Samuel, & aſcendit de Galgalis, in Gabaa Beniamin.] Quaſi ab alto ad planum ſanctæ eccleſiæ doctor uenit, quādo peccatorum culpas redarguit, & ſtatus ſui ſublimitatē curuat, cùm ad diſcutienda malorum crimina ſe per affectum charitatis humiliat. Bene ergo de eo qui peccatorē arguerat dicitur, Surrexit & aſcendit.] Surgit quippe electus prædicator, quando ad altitudinem ſuæ ſpiritualis cōuerſationis ſe per intentionem erigit: aſcēdit autem,

quando

Universidad de Deusto

quando ad arduã eiusdem uitæ suæ celsitudinem per consuetum opus uenit. Cœlestia quidem desideria, spirituales uirtutes, bona opera in sublimi sunt, affectus terreni, concupiscentiæ seculares, uitia & peccata in infimis. Doctor uerò ut lapsos bene corrigat, prius culpas discutiẽdo inuenit, deinde inuentas ferit. Vt ergo quæ feriat perspicuè & apertè uideat, mentis oculos ad uidenda ima peccatorum uulnera curuat. Sed perspecta nõ ferit, si ad tangenda ea in infimis non descendit. Surgere ergo & ascẽdere propheta dicitur, quia electi doctores sic ad ima nostra uidenda, & emendanda plerunq; ueniunt, ut redire statim ad alta conuersationis suæ nunc̃q; obliuiscantur. Quibus etiã uerbis sacerdotalis animi libertas asseritur. Nam plerisq; alios increpãt, qui semetipsos ualidissimo iræ bello perturbant. Post increpatas uerò culpas surgere & ascẽdere nequeunt, quia in semetipsis turbidi, ad alta intimæ quietis progredi nequaquam permittuntur. Quidam coercendas aliorum turpitudines audiunt, sed cùm ad cogitãda ima descenderint, noxia eorum delectatione sordidantur. Infirmi quidem & tanti ministerij impares, dum soluere inferius aliorũ modos gestiunt, illos non liberant, sed semetipsos ligant. Quid ergo significat, quod de Samuele dicitur: Surrexit & ascendit,] nisi quod in perfectioribus uiris aspicimus, qui sic nostra inquinamenta respiciunt, ut ab eis nequaquam sordidentur, sic nobis irascuntur, ut quieti intus, secreti sui alta cõscendere uelociter possint. Fortes nanq; & potẽtes sunt, & qui magna & fortia sua leuiter ferunt, nostris infirmitatib. non grauantur. Et quia in correctione nostra sanctæ scripturæ testimonia proferunt, à Galgalis surgere & ascendere perhibentur. Galgala quidem (ut plerunq; iam dixi) rota nominatur. Testimonia uerò scripturarũ quia per diuersos sensus in nostra eruditione uoluuntur, uelut rotæ sunt. Et quia cũ sancti prędicatores subditorum sollicitudinem deserunt, in æternæ uitæ cõtemplatione sublimantur, in Gabaa Beniamin Samuel ascẽdere dicitur. Gabaa denicq; Beniamin collis filij dextræ interpretatur. Quis ergo est filius dextræ, nisi quem sancta Euangelia confitentur ad cœlos ascendere, & ad dexteram dei patris sedere? Collis igitur filij dexteræ, æterna est celsitudo redemptoris. Quando enim ima nostra sancti prædicatores deserunt, in alta illa diuina redemptoris per intentionem surgunt, & per uisionem conscendunt. Potest & secundum historicũ sensum simplicius intelligi hoc quod dicitur: Surrexit & ascendit: quia uidelicet in rege quem arguerat, humilitatem pœnitentiæ, qua manere cogeretur, minimè cognouit. Idẽ tamen rex in ministerio relinquitur, ut ipsa prophetæ separatione corrigatur: quia plerunq; quos prædicatoris uerba non corrigunt, diuidi à prædicatorũ familiaritate, uel à sanctæ ecclesiæ unitate pertimescunt. Iuxta prædicatores duri sunt, sed separati resipiscunt, & qui inobediendo peccauerunt, infra 15 obedire deo iam humiliter parant. Vnde & rex Saul non multo post demoliri Amalechitas præcipitur, ut si mandatũ domini eiusdem cæde gentis perficeret, prioris inobedientiæ nexus enodaret. Separatus quidẽ à propheta ea agere uisus est, ut ad agenda alia iuberetur. Quare & subditur:

Et reliqui populi ascẽderunt post Saul obuiam populo, qui expugnabat illos: uenientes ex Galgala in Gabaa Beniamin.] Nonnulli sic in peccato corruunt, ut in nullo bono opere teneant̃: nonnulli uerò dum mala se perpetrasse recolunt, agere bona instantius conantur. Agendo quippe bona, mala quæ relinquunt, operiunt: ne ab æterno iudice detecta iudicẽtur. Hoc nimirum si factum Saul in bonam partẽ deducimus, hoc inuenimus: quia qui prius in sacrificio metuẽs Prophetæ mandata contempsit: postea uerò ad eos quos metuerat cõterendos populi dei aduersarios festinauit. Quo in loco etiam hoc notandum est, quia quem Propheta deseruit, ad experienda bella hostium de Galgalis ascendit. Plerosq; etenim peccatores iusta prędicatorum seueritas proiecit, quos tamen diuina memoria non relinquit. Solatia & adhortationes rectorum propter culpas amittunt, sed sacras scripturas consulunt, propositũ resumunt, & qui inobedientiæ malo uelut lapsi iacuerant, erecti per obediẽtiæ feruorẽ ad occultorum hostium bella procedunt. Bene ergo de Galgalis, id est, de rotis uenire memorantur: quia de sanctis scripturis accipiunt, unde aduersæ partis militiam comprimere fortiter possint. Quia uerò perditæ conuersationis altitudinẽ recuperare uincendo satagunt, in Gabaa Beniamin ascẽdere dicunt̃. Quia item alij in latibulis se clauserãt: alij ad hostes confugerant, reliqui populi uocantur, qui nullo sunt timore perterriti, sed cum rege suo ad locum festinant congressionis. Quod etiam nunc in ecclesia uidemus, quia uidelicet plerisq; quasi paruuli proficere per priuatæ uitæ studium proponũt, plerisq; fortes in expositis quoq; maligni hostis certaminibus audaces sunt, ut aperte uideant seculi blandimenta quæ appetant, sed appetere uisa contemnunt. Hi quidem non in latibulis, sed in aperti certaminis campo cõsistunt, expositi ad prælium, fortes ad triumphũ, qui pugnare possunt, & nequeunt superari. Vnde & per perfectum numerũ designantur, cùm subditur: Et recensuit Saul populum, qui inuentus fuerat cum eo, quasi sexcentos uiros.] Septẽ quippe diebus hebdomada impletur, sed unus eorũ ad operandum prohibitus est, sex uerò in boni operis studio conceduntur. Centenarius autem numerus summam continet numerorum. In sexcentis ergo uiris qui alij designantur, nisi qui opere & cordis deliberatione robusti sunt? Nam quidã fortia proponunt, sed quia quod proponunt, non faciunt, ad sexcentorũ uirorum numerum non pertingunt. In sexcentis ergo uiris fortes operarij sanctæ ecclesiæ designantur, quia magna proponunt, & rigorem propositi fortitudine complent bonæ operationis. Qui bene cum rege inuenti perhibentur, quia cum pastoribus sanctæ ecclesiæ in bona uolũtate & pia actione conueniunt. Cum eis nanq; sunt, à quibus nec

uoluntate discrepant, nec operatione discordant. Qui sic conuenire dicuntur, ut excellere prędicatorum dignitas sentiatur, quia etsi idem bonũ subditi, quod prædicatores uolunt faciunt, illi tamen in eodem bono præcipui sunt, quorũ ut ordo est celsior, ita & ardentior uirtus animi, & robustior nixus operationis. Quare & separatim de rege & eius filio dicitur: Et Saul, & Ionatha.] Vt quid enim separatim rex & eius filius nominatur, nisi quia actio boni præsulis claret esse singularis? Et quia omnium fidelium subditorũ non est uniformis æqualitas, sequitur: Et populus qui inuentus est in Gabaa Beniamin.] Satis replicatum est, quòd Gabaa collis interpretatur. Collis uerò non summitas, sed montiũ est altitudo summitati uicina. Quid uerò in isto colle, nisi alta & perfecta uita intelligitur fidelium subditorũ? Hæc nimirum quamuis prędicatorũ celsitudini æqua non sit, tamen ab aliorum meritis ualde cernitur esse sublimis. Vnde & de quibusdam præcipuis electis in Apoc.14 Apocalypsi legitur: Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Quos & clarius demõstrans, ait: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, uirgines enim sunt, & sequuntur agnũ quocũq; ierit. Dum ergo spiritualia prælia describuntur, populus inuentus in Gabaa Beniamin specialiter recẽsetur, quia uirginum chorus contra immundorum spirituum ferocitatẽ tanto uiolentior est, quanto nullo eorum uulnere saucius, nulla eorum suggestionis sorde pollutus. Liber quippe, & integer, expeditus est ad occursum, fortis ad ictum. An non in colle filij dextræ sunt, quos integritatis suæ merito dilectus Iesu respicit, dicens: Vidi supra montem Syon agnum stantem, & cum eo centum quadragintaquatuor millia? Sed & nisi ualde fortes essent, ad tantam celsitudinem fatigati ascendere nequaq; possent. Item nisi omnium cogitationũ liberi essent, post agnum ubiq; currere non ualerẽt. Quia ergo in occulti certaminis triumpho uirgo quisq; mirabilis est, dum ordo congressionis describitur, sub typo populi Gabaa uirginitatis specialis dignitas memoratur. Sequitur: Porrò Philistim conscenderant in Magmas. Et egressi sunt ad pręliandum de castris Philistim tres cunei, unus cuneus pergebat contra uiam Effraim, ad terram Saul, porrò alius ingrediebatur per uiam Bethoron, tertius autem uertit se ad uiam termini in terra Sabaa imminenti ualli Seboim, contra desertum.] Quid est, quòd Philistæi tres cuneos faciunt, nisi quia maligni spiritus cordi nostro, linguæ & operi inserere peruersa moliuntur. Quia enim cogitando, uel loquendo, siue faciendo omne peccatũ cõmittitur, tres sunt Philistinorũ cunei, quia maligni spiritus impellere ad peccandum animas satagunt, negligẽtia cordis, effrenatione oris, audacia peruersi operis. Vnde & primus cuneus contra uiam Effraim pergere dicitur, quia expugnare innocentiam à corde incipiunt. Via quippe Effraim, id est fructiferi cordis, bona est cogitatio. Contra uiam ergo Effraim primus Philistinorum cuneus pergit, quia occulti aduersarij si prius usum bonæ cogitationis à mente non auferunt, ad eradicandos uirtutum eius fructus peruenire non possunt. Contra Effraim igitur uiam uertunt, quando bonæ cogitationi insidiantur, quę uia ad terram Saul tendere dicitur. Quid enim est aliud mens electi discipuli, nisi fructifera ualde terra doctoris? Vnde & dominus in euangelio parabolam seminum exponens, ait: Quod cecidit in terram bonam ij Luc.8 sunt, qui in corde bono & optimo uerbum excipiunt, & fructum afferunt in patientia. Dicitur ergo de primo cuneo Philistinorum pergebant contra uiam Effraim, ut dum literæ sensum spiritualẽ percipimus, cogitationis aditum malignis spiritibus obstruamus. Sed dum cor munimus, linguam pariter à superfluis locutionibus refrenare compellimur. Vnde & secundus cuneus per uiam Bethoron ingredi dicitur. Bethoron quippe domus iræ interpretatur. Domus uerò iræ est mens usui seruiens linguæ litigiosæ. Quam certè domũ sapiens ille insinuat, qui ait: Ira requiescit in sinu stulti. Per Eccli.7 hanc quidem ad cor stulti hostes ingrediuntẽ, quia maligni spiritus dum ad effrenata uerba linguam soluunt, iras accendunt, & mutuam fidelium charitatem feriunt. Qui ergo cauere cogitationes noxias didicit, si oris custodiam tenere non nouit, unius cunei impetum uicit, alterius non euasit. Tertius uerò cuneus uertit se ad iter termini. Quis est terminus cogitationis & uerbi, nisi consummatio boni operis? Nam idcirco bona cogitamus & loquimur, ut ea ad finem boni operis perducamus. Sed cũ antiquus hostis uerbis & cogitationibus nocere non prævalet, in finem laqueos tendit, & bonum opus fidelium euacuare uel impedire appetit. Quod uerò est iter termini, nisi studiũ bonæ operationis? Quia ergo multis insidijs maligni spiritus nituntur, ut studiũ boni operis deseratur, ad iter termini tertius cuneus uerti dicitur. Potest etiã in hoc termino uitæ nostræ finis intelligi. Ad iter uerò termini cuneus uertitur, quia interrumpere hostis opus bonum nititur, ne usq; ad uitæ finem perducatur. Vnde & Psalmista lapsorum fletus in se exprimens, ait: Funes extenderunt in la- Psal.139 queum pedibus meis, iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Iuxta iter quidem scandalum ponitur, ut bona electorum opera ante huius uitæ consummationem deserantur. Quid est autem quod ait:

In terra Sabaa, imminenti ualli Seboim contra desertum?] Sed hæc nomina locorũ ad designandum situm termini, quem dixerat, posita sunt. Sabaa uerò in lingua nostra captiua dicitur: Seboim capreæ nuncupantur. Quæ est autem ista captiua, nisi humana natura, quæ in paradiso fuit posita, & nunc ad perferendas huius mortalitatis ærumnas in hunc seculũ est ligata? Quæ est autẽ terra captiuæ huius, nisi peregrinatio uitę temporalis? Bene igitur dum uerti cuneus dicitur, terra captiuę memoratẽ: quia maligni spiritus in hac terra peregrinationis nostræ pręlia cõtra nos mouere possunt, illa uerò uita nostra nõ possunt. Sed electorũ præsens conuersatio quamuis in hoc captiuitatis exilio

lio posita sit, si iter termini perfectè custodit, post termini huius angustias, ad latitudinē immortalitatis peruenit. Vnde & termini huius terræ ualli Seboim, id est, caprearum imminere perhibētur. Vallis quippe caprearū est, mors preciosa sanctorum: quia unde moriendo deponunt, inde ad gaudia æterna subleuantur. Capreas quidem uelocia animalia esse, & magnos saltus dare quis nesciat? Rectè ergo sanctarum animarū dignitatē capreæ designāt: quæ in morte corpora deserūt, sed quasi magnos saltus dantes, per ingentia merita ad superna regna conscendunt. Dicat ergo quia terminus terræ captiuę imminet ualli Seboim: quia etsi damnata est humana conditio, sic tamen est in dei filio exaltata, ut cùm ad uitæ temporalis terminū ducitur, in morte datur, ut in æternæ uitæ celsitudinem subleuetur. Dicat ergo quia Tertius cuneus ad iter se uertit termini in terra captiuæ, quæ imminet ualli caprearū,] ut malignos spiritus ad hoc electorū extrema bona peruertere conari asserat, ut ad superna gaudia non cōscendant. Quæ etiam uallis sita contra desertū dicitur. Quid desertī nomine hoc loco, nisi infernum accipitur? Desertū quidem rectè intelligitur, ubi electorū nullus inuenitur. Desertū etiam dicitur, in quo ærumnarū solatia nulla sentiuntur. Vallis ergo caprearum contra desertum sita perhibetur: quia sanctorū mors diuersum omne ab inferni meritis habet, & cōueniens aliquid, & dignū inferni pœnis non habet. Sequitur: Porrò faber ferrarius non inueniebat in omni terra Israel. Cauerant enim Philistim ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceā. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistim, ut exacueret unusquisq; uomerem, aut ligonem, & securim, & sarculū.] Hæc profecto omnia describunt, ut modus subsecuturæ uictoriæ insinuetur. Armati quippe ab inermibus uicti sunt, ut totum quod uincitur omnipotentis dei laudibus tribuatur. Nos autem si more nostro spiritualiter ista prosequimur, mysterijs uacua non inueniemus. Quid est ergo quod dicitur: Faber ferrarius non inueniebat in Israel:] nisi quia ad spiritualia bella non per seculares literas, sed per diuinas instruimur. Faber quippe ferrarius in Israel non inuenitur: quia fideles domini uidentes arte secularis scientiæ contra malignos spiritus nequaq; prælian- D tur. Fabri nanq; arte adiuti uincerent, si secularis eloquentiæ iaculis, occultis hostibus prævalerēt. Quæ profecto secularium librorum eruditio, & si per semetipsam ad spiritualem sanctorum conflictum non prodest, si diuinæ scripturæ coniungit, eiusdem scripturæ scientia subtilius eruditur. Ad hoc quidem tantum liberales artes discendę sunt, ut per instructionem illarum diuina eloquia subtilius intelligantur. A nonnullorū cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt, ut & seculares neſciant, & ad sublimitatem spiritalium non pertingant. Bene ergo dicitur: Cauerant Philistim ne fortè facerent Hebręi gladiū et lanceam.] Apertè quidem dæmones sciunt, quia dum secularibus literis instruimur, in spiritualibus adiuua-

A mur. Cùm ergo nos ea discere dissuadent, quid aliud, quàm ne lanceam aut gladium faciamus præcauent? Dicat ergo historica, & studiū electorum propheta insinuet, & exponat: Descendebat Israel ad Philistim, ut exacueret unusquisq; uomerē suum aut ligonem.] Ad Philistæos descendimus, quando ad discēdos seculares libros animum inclinamus. Et descēsus dicitur, quia Christiana simplicitas in alto est. Sed quid est quòd seculares literæ dicuntur in plano esse, modus uerò dicendi sublimis? Quia cùm cœlestia nulla narrant, & miro dicendi ordine quæ proponuntur explicant, & narrando sublimantur, & carnalia dicendo deponuntur. Quem profecto dicendi siue intelligendi B modum qui scire appetit, descendat ad Philistim, uomerem & ligonem acuat, ut ad secularīū etiam carnalia audienda deponatur, qui eorū eloquentia instrui penitus nititur. Hanc quippe secularem scientiam omnipotens deus in plano ante posuit, ut nobis ascēdendi gradum faceret, qui nos ad diuinæ scripturæ altitudinem leuare debuisset. Idcirco eam prę mittere uoluit, ut in ipsa nos instrueret ad spiritualia transire. Vnde & Moyses qui nobis diuinorum eloquiorū principia edidit, non prius diuina didicit, sed ut capere uel exprimere diuina posset, in omni Ægyptiorum scientia rudem ani- Act.2 mum informauit. Esaias etiam prophetis alijs eloquentior extitit: quia nec ut Hieremias Anathotites, nec ut Amos armētarius, sed nobiliter instructus atq; urbanus fuit. Paulus quoq; uas electio- Act.7 nis ante ad Gamalielis pedes instruitur, quàm rapiatur in paradisum, uel ad cœli tertij altitudinem subleuetur. Et ideo fortasse per doctrinā alijs Apostolis excellit: quia futurus in cœlestibus, terrena prius studiosius didicit. Sed iam (ut arbitror) ruralium instrumentorū proprietates spiritualiter exquirendæ sunt. Quid ergo in uomere, qui præeuntibus bobus trahitur, nisi affectus geminæ charitatis insinuatur? Et quid in ligone, quo solus quisq; in agri cultura exercetur, nisi priuatæ uitæ studiū ostenditur? Quidam nanq; & dites & fortes ruricolæ in bobus arant: quia & dominum fortiter diligūt, & per fraternum amorem animarum lucris diligentius intendunt. Vomerem igitur apud Philistinorum fabros acuunt: quia sanctæ prædicationis studium de seculari eruditione componunt. Nonnulli uerò ut pauperes ligone utuntur: quia qui ad lucrandas aliorū animas, se non posse sufficere arbitrantur, sibi solis non desinunt prę parare de æternitate quod possunt. Velut ligone quisq; eorum utitur: quia agrum suæ mentis diuino cultui præparare non desinunt. Et quia in hoc etiam priuatæ uitæ studio ualde sibi secularis eruditio prodest, ligonē dum docetur exacuit: quia in propriæ uitæ studio eruditus, quæq; subtilius intēdit. Secure autem non terram fodimus, sed ramos arborū detruncamus. Quid ergo aliud significat securis, nisi zelum bonæ æmulationis? Nam quando ad imitanda meliorum exempla succēdimur, uelut ramos nobis incidimus, quibus ignē depellendis negligentiæ nostræ frigoribus nutriamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc ſecurem nos tenere Paulus apoſtolus præ- A
Galat.4 cipit,dicens:Bonum æmulamini in bono omnes.
Quæ nimirum ſecuris acuitur,quia eruditi fideles
ſicut melius agnoſcunt exempla fidelium, ita & fer-
uentius imitari cõcupiſcũt. Sarculum ſiue tridens
ſubtilius terram fodit,ita ut non tam fodere quàm
ſcalpere,& glebas cõfringere cognoſcatur. Quid
per hoc tridens ſarculum, niſi uirtus diſcretionis
exprimitur? Per quam certè dum acta uel agenda
ſubtili cõſideratione diſcutimus,uelut ſerẽdæ ter-
ræ noſtræ glebas in tenuem puluerem complana
mus. Quod profecto ſarculum tridens aſſeritur:
quia uis diſcretionis non ſolum agenda,ſed etiam
cogitanda & loquẽda cõponit. A manu quidem,
corde & lingua cũcta noxia referat, ut ſemẽ quod
terræ mentis noſtrę cõmittimus,uberem fructum B
ferat. Aptè itaq; dicitur: Deſcendebat omnis Iſ-
rael ad Philiſtim, ut exacueret unuſquiſq; uome-
rem ſuum,ligonem, ſecurem, & ſarculum:] quia
affectũ geminæ charitatis, priuatæ uitæ ſtudium,
alienæ perfectionis exempla in ſacro eloquio le-
gimus,ſed eiuſdem ſacri eloquij profunditatẽ pe-
netrare ignari ſecularis ſcientiæ non ualemus. Vn
de & rationabiliter ſubinferẽs, ait: Retuſæ itaq;
erant acies uomerum, & ligonum,& ſecurium,&
tridentium, uſq; ad ſtimulum corrigendũ.] Non
dicunt acies replicatę aut attritæ,ſed retuſæ. Nam
ſi replicatæ eſſent uel attritæ, omnino nihil incide
rent. Retuſa uerò acies & ſi celeriter non incidit
omnia,quædam obiecta in mora laboris ſecat. Sic
nimirum ſunt corda ſimplicium, quæ ſi ſubtiliter C
ſpiritalia non intelligunt,dum tam tardè quædam
intelligũt,acuitatem ingenij non acutam habent,
ſed retuſam. Sæpe enim diſcutere obſcura uolunt,
ſed dum uix diu cogitando ad ea etiam quæ ſunt
aperta perueniunt, uelut retuſa acie morando in-
cidunt. Quod certè non ſolũ in occultis ſacramen
tis ſcripturarum oſtẽditur,ſed etiam in latentibus
ſuggeſtionibus dęmonum. Depellere quippe à ſe
hoſtem nequeunt,quẽ cognoſcere cito non poſ-
ſunt. Dũ ergo magna mora cogitationis, inſidias
malæ ſuggeſtionis expellunt, uelut retuſa acie ſe-
cant, quod per acuitatem ingenij abſcindere ue-
locius poterant. Quid eſt autem quod dicitur uſq;
ad ſtimulum corrigendũ. Stimulus dicitur incre-
Eccli 12 patio prelatorum. Vnde & ſcriptum eſt: Verba ſa D
pientũ ſunt quaſi ſtimuli, Stimulus quidem increpatio dicitur: quia dum culpas arguit,mentẽ pun
git. Sed retuſus eſt ſtimulus, quando prælati lan-
guet intellectus,ut ſubditorum culpas nec cogno
ſcendo reperiat,nec inueniendo reprehendat. Be
ne ergo increpatio rectoris ſtimulus aſſeritur: quia
tumores uitiorum pungere non prævalet, ſi eius
mens erudita per ſcientiam,pungenda non uidet.
Vnde & in typo eruditorum prelatorũ bene ſub-
iungitur: Cumq; ueniſſet dies prælij non eſt in-
uentus enſis & lancea in manu totius populi, qui
erat cũ Saul & Ionatha, excepto Saul & Ionatha
filio eius.] Quid per lanceam, niſi ſanctorum præ
dicatorũ acuta prouidentia accipitur? Et quid per
enſem, niſi eorum intelligentiæ ſubtilitas demon
ſtratur? Per lanceam quippe longè nobis ante ob
iecta perfodimus. Per enſem uerò uicini, & ferè
coniuncti nobis hoſtes trucidantur. Bene ergo in
lancea prouidẽtia electorum oſtẽditur, per quam
occultos hoſtes percutiũt,anteq; uicinum eorum
impetũ patiantur. Dum enim futuras dæmonum
inſidias cauendo præueniũt, uelut à longè lancea
feriunt,quorũ uicinos excipere ictus nolunt. Vn-
de & beatus Paulus apoſtolus dum à longè arma
tos fornicationis ſpiritus cerneret, coniugalem ca
ſtimoniam quaſi lanceam tenuit, & eos accedere
propius non permiſit,dicens: Propter fornicatio 1.Cor.7
nem unuſquiſq; uxorẽ ſuam habeat, & unaquæq;
uirum. Vxori uir debitum reddat, ſimiliter autem
uxor uiro. Et iterum: Reuertimini in idipſum, ne 1.Cor.9
tentet uos Sathanas propter incontinentiam ue-
ſtram. Hinc etiã de ſemetipſo ait: Caſtigo corpus
meum,& in ſeruitutem redigo, ne prædicãs alijs,
reprobus efficiar. Qui eñ ne reprobus fieret cor-
pus caſtigauerat,nimirum lancea hoſtes ſuos,lon
giuſculè poſitos ante ſe perfodiebat. Prouidentia
ergo abſtinentiæ pro hebdomada carnis libidine
quaſi lancea accipitur,per quam uenturi hoſtes fe
riuntur. Bene etiã per enſem intellectus exprimi-
tur: quia qui prauas maligni ſpiritus ſuggeſtiones
in preſenti tempore cognoſcit & abijcit,uelut ui-
cinum,& iuxta ſe poſitũ hoſtem ferit. Qui etiã ue-
lut enſe utraq; parte acuto incidit: quia tam falſa
bona quàm uera mala reprehendit. Quid uerò eſt
quòd in manu Saul & Ionathæ enſis eſſe perhibe-
tur? Sed in manu non ſunt eorum qui acutè uici- C
na, & præſentia intelligunt, & futura præuident,
& ad extinguenda ea fortia non exercent. Apertè
ſciunt,quia antiquus hoſtis maximam partem hu
mani generis per robur carnis in fornicationẽ pre
cipitat, qui tamen carnem per abſtinentiam caſti-
gare non curant. Sic etiam nonnulli præſentia ma
la apertè conſpiciunt, ſed hæc uitare minimè co-
nantur. Hi nimirum enſem & lanceam habẽt, ſed
in manu non habẽt. Bene ergo in die prælij in ma
nu Saul & Ionathæ enſis & lancea inuenitur,quia
ſolum electi uiri ſunt qui & preſentia & futura ma
la intelligant, & ea cordis intentione uincere ar-
dentius concupiſcant. Quod tamẽ hoc loco ideo
dicitur,ut populus nihil in manu tenuiſſe docea-
tur, qui uomeres, ligones, ſecures, & ſarculos te-
nere oſtenditur. His enim uerbis non electi diſtin
guuntur à reprobis,ſed hebetes à peritis. Sed quia
iam armatos uiros oſtendimus, modum certami-
nis explicemus. Sequitur:

Caput IIII

Greſſa eſt ſtatio Philiſtinorũ, ut Cap.14
aſcenderet in Magmas,& accidit
quadam die, ut diceret Ionathas
filius Saul ad adoleſcentem armi
gerum ſuum. Veni & trãſeamus
ad ſtationem Philiſtinorum,quæ
eſt trans locum illum.] Philiſtinorum ſtatio egre
ditur,quando malorũ ſpirituũ turba electis men-
tibus per ſuggeſtiones noxias demõſtratur. Quæ
nimirũ idcirco ſtatio dicitur, quia electorũ bella
deſcribun-

describuntur. Stare quippe malignis spiritibus est in electorum pugna magnas uires exercere. Nam stando ualidius unusquisq; quàm sedendo conari ad aliquid faciendum potest. Philistinorum igitur statio egressa dicitur, ut dæmonũ conatus in bello nostro aperte colligatur. Et quia uelut se inferiores atq; minores opprimere fideles cogitant, in Magmas ascendere egredientes parant. Vel in Magmas ascẽdere gestiunt, quando paruulorum corda decipere tentando moliuntur. Sed electi prædicatores dum tentata corda subditorum intelligunt, ferre auxilia non morantur. Hos uelut in tuto reponunt, illos secum ad sustentanda pericula bellorum ducunt. Quid est quòd ad bella armiger ducitur, nisi quia per scientiam eruditi subditi ad internorum certaminũ uictoriam promouendi sunt? Quidam nanq; artem physicam sciũt, qui medendi experientiam nesciunt: sic nimirum in sancta ecclesia quidam sunt, qui artem interioris pugnę didicerunt, sed ad districtas necessitates certaminum adhuc perducti non sunt. Magnos uiros pugnantes audiunt, sed prælia quæ magni magnificè tolerant, auditu sciunt, uirtute nesciũt. Tales quippe sunt, qui ad imitãda uestigia redemptoris inuitantur. Qui uult (inquit) uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Arma uerò Ionathæ sunt hortamenta doctoris. Armiger uerò arma portat, cum quibus non ipse, sed alius pugnat. Sic nimirũ sunt qui in sancta ecclesia nouiter instruuntur. Dum enim uirtutes à doctoribus audiunt, quibus ipsi doctores contra malorum spirituum uersutiam pugnant, illud nimirũ habent in onere, quod non dum habẽt in uirtutis exhibitione. Dixit ergo Ionathas ad armigerum suum: Veni transeamus ad stationem Philistinorum:] quia electi doctores subditos suos docent, non solum artem qua dimicent, sed etiam ad bella pertrahunt quo triumphent. Et quia remissi pastores bella quæ insinuant suscipere nequaquam curant: non dicit, uade & transi ad stationem Philistinorũ, sed ueni transeamus. Alios quidem ad certamẽ prouocant, sed eadem certamina ipsi priores tentant. Quid uerò est quòd dicit: Quæ est trans locũ illum?] Sed quidã locus in sancta ecclesia est, qui magnis præ-
lijs clausus, non expositus est, possidere quidem bona seculi, uxorem ducere, filios procreare, blandimenta de omnibus rebus licitis corporibus exhibere, eo munitum ab hoste manere est, quo aliquid impositũ in eo ordine positis onerosum non est. Sed hunc locum si quis melioris uitæ desiderio accensus transire nititur, necesse est, ut ad grauissima bella præparetur. Diuitias nanq; contemnentes, paupertatem Christi amplectentes, spernentes coniugia, amorem pudicitiæ semper amplecti debent. Habent continuo isti insurgentia grauissima prælia carnis, illi impugnationem cordis: quia nec paupertas leuiter fertur, nec sine magnis agonibus pudicitiæ corpora subiugantur. Vnde bene per quendam sapientem dicitur: Fili accedens ad seruitutem dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quasi dicat: quia egredi uoluisti de loco muniminis, necesse est ut iam patenti bello cõtra fortissima hostium castra muniaris. Dum ergo trans locũ illum, non istum dicit, doctorum Ionathas uirtutem insinuat, qui per singulare propositum religionis semper sunt in aperto campo certaminis. Et quia de omni q̃ strenuè dimicant, de omni quòd nobiliter triumphant, iactantiæ & elationis uitiũ fugiunt, sequitur: Patri autem suo hoc ipsum non indicauit.] Tacendæ quidem sunt electorum uirtutes, ne per iactãtiam dicantur, sed aliquando ad dei gloriam eas manifestare culpa non est. Quia uerò nos in Saul magnos prędicatores expressimus, hoc profecto quod patri Ionathas pugnæ initium cælat, illud insinuat: quia magna quæ agimus quandoq; propter humilitatem laudabiliter cælamus. Tales quidem iam facti per corruptionem sumus, ut boni uideri etiam ab illis qui præsunt nobis, sine elatione nunquam ualeamus. Cùm ergo de manifesto latens malum nascitur, sapienter bonum absconditur, ne malo superueniente maculetur. Sed inter hæc sciendũ est: quia illi uirtutes cælare prælatis suis ista necessitate possunt, qui bene cognoscere bonũ quod agunt sciunt. Si enim nimis sunt simplices, sæpe non est bonum quod esse bonum arbitrãtur, & dum uitium quasi uirtutem non indicant, in se absconditum hostem portant. Vnde & Ionathas qui patri belli propositum texit, tantus asseritur, ut sub eius ducatu pars exercitus producta referatur. Erant (inquit) duo milia uirorum cum Saul in Magmas & in monte Bethel, mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin. Dicatur ergo de Ionatha: Patri autem suo hoc ipsum non indicauit:] quia eruditi uiri dum elationis uitium incurrere de magnis operibus suis metuunt, ea nimirum ipsis abscondunt, à quibus adiuuari potuerunt. Quæ nimirum prædicatoris auxilia melius discimus, si ipsos in loco suæ perfectionis uideamus. Nam sequitur: Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub malo granato, q̃d erat in Magron.] Gabaa ut diximus interpretatur, Magron de fauce dicitur. Prædicatores autẽ sancti sublimes ualde sunt non solũ opere, sed etiam contemplatione. Extrema ergo pars ista sublimitas est operis: intima uerò, illa contemplationis. Per hanc quidem extremam partem suæ celsitudinis, ad exemplum à nobis cõspiciuntur: per illam uerò intimam, in magno amore conditori cõiuncti sunt. Hos quidem nobis extrema parte sublimitatis suæ Propheta mirandos ostendit, quando ait: Qui sunt isti, qui ut nubes uolant, & quasi columbę ad fenestras suas. Volant quippe ut nubes: quia à grauedine culpę sunt leues, & gratia sancti spiritus in bono opere ueloces. Quasi columbæ uerò sunt ad fenestras: quia ad exemplum per bona opera se nobis quasi per foramina porrigunt, sed de ostensa uitæ munditia laudis appetitu nequaq; capiuntur. Sed & sub malo granato rex residet, quia in umbra redemptoris prædicator residet, quia in umbra redemptoris prædicator requiem habet. Magno quidẽ labore fatigatur, sed

Matt. 16

Eccli. 2

Supra 13

Esa. 60

uerborum domini cõsolatione reficitur. Vnde & eadẽ malus arbor in eo loco qui de fauce dicitur, morari perhibetur. Quid enim hoc loco istud de fauce dicitur aptius quàm sancti euangelij dulcedo designatur? Sic enim nunc morari in umbra redemptoris possumus, si uidelicet uerba eius ad cõsolationem de euangeliorum meditatione capiamus. Sed in hoc residere quietius prædicatores possunt, qui quo altius & propius illud diuinę fauci uerbum suscipiunt, dulcius saginantur. Hæc etiam causa est, qua rex Saul non stare neq; sedere, sed morari sub malo granato in Magrõ dicit: quia perfectus doctor dei docibilis est, & dum pascere cibo alios nititur, ipse multiformiũ delitiarum spiritualiũ dulcedine sartiatur. Nam dum redemptoris amœna singulariter aspicit, in miram contemplationem uirtutum surgit, & quasi de uno cortice plurima grana colligit, dum per ea omnia quæ in redemptorem recolit deliciosam mentem gratanter ducit. In hac quidem redemptoris amœni-
Cant.2 tate sponsa se requieuisse gloriatur, quę dicit: Sub umbra eius quem desideraueram sedi. In umbra quippe eius sedere est, in eius contemplatione requiescere. Eius certè cõtemplatio umbra est: quia in eius uisione protegimur, ne diabolica tentatione uelut solis ardore denigremur. Qui ergo tam sublimiter requiescunt, ferre se consulentibus auxilia utiliter possunt. Sed tamẽ nonnulli electi subditi dum infirmitatẽ propriã metuũt, dum solum deum agonis sui testẽ requirunt, tantorũ hominũ iudicia fugiunt, ut à solo deo in bona sua actione uideanẽ. Bene ergo & Saul in extrema parte Gabaa sub malo granato morari dicitur, & Ionathas bélli propositũ ei nõ indicasse, quia dum perfectè cauere elationẽ non possumus, bonũ de quo nasci potest, omnibus abscondi debet. Sequit: Erat populus cum eo quasi sexcentorũ uirorum.] Hoc numero fortes uiros in bono opere superius designari diximus, qui cum rege esse referũtur: quia per studium boni operis concordes sunt uitæ doctoris sui. Sed habent prædicatores ecclesiæ sub se non solum qui magna agant, sed & uerbi comministros, qui summa doceant. Habent duces qui ad bella feruentes roborent, habent qui audacter currant, habent qui potenter protegant. Bene ergo subiungitur, Achias filius Achitob fratris Ischabor, filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote domini in Sylo. Qui portabat ephod.] Achias nanq; umbraculũ nostro sermone dicitur. Quid uero per umbraculũ hoc in loco, nisi protectio designatur? Qui ergo in sancta ecclesia minores quoslibet ab occultis aduersarijs protegunt, per umbraculũ rectè designanẽ. Qui autem in umbraculo residet, ardorem solis sentire non potest.
Matt.13 Cur uerò in sacro eloquio umbracula prædicantur, nisi quia etiam solem reprobũ ostendunt, quo uiror mentis exuritur. De quo nimirũ sole ueritas in diuisione seminũ dicit: Orto sole aruerunt. Feruens quippe ardor concupiscentiæ sol est, qui uelut luce candeat, sed qui mentẽ cui lucet exurat. Dum ergo maiorum exhortationibus omniũ cõ-

A cupiscentiarũ blandimenta respuimus, quò alibi q̃ in umbraculo amœno substernimur, ubi tentationũ incendia declinemus? Sed diminutiuè umbraculũ ecclesiæ minister dicitur, ut redemptori nemo cõparetur. De illius nãq; protectione sponsa in canticis gloriat, dicens: Sub umbra illius quẽ desideraueram sedi. Et Psalmista deprecans, ait: Sub umbra alarum tuarum protege me. Sed unde tantus Achias iste procedit, exponitur, quia filius Achitob esse memoratur. Achitob frater meus bonus dicitur. Quis igitur iste frater bonus intelligitur, nisi redemptor noster? Frater quippe, quia naturæ nostrę particeps, sed bonus, qui naturam nostrã quam suscepit, ab æterna morte liberauit. Vel bonus, quia omnes nos mali sumus, dicente ipso:
B Si uos mali cùm sitis nostis bona data dare filijs ue- Matt.7
stris. Achias ergo filius Achitob dicitur, ut qui in ecclesia potẽtes sunt eorũ potentia ex sola redemptoris imitatione eis inesse sentiatur. Idem uerò Achitob frater Ichabot asseritur, quia à translatione gloriæ nuncupatur. Nam redemptor noster secundum carnem de Iudæorum gente est natus. A quo nimirũ populo quia omnis ornatus templi, omnes sacrificiorũ ritus, omnia scripturarũ mysteria ad gentilem populũ transierũt, translatio gloriæ in Achitob fratre rectè memoratur. Ipse quoq; Achitob Phinees fuisse filius dicitur, quia Iudaicus populus in erroris sui perfidia qua se meruit, eiusdem gentis suę doctores se ualde nequiores habuit. Vnde & idem Phinees os mutũ siue ori parC cens interpretatur. Os quippe dicitur, quia per eundem populum dominus locutus est. Sed mutũ os nũc esse cognoscitur, quia dum redemptorem repulit, loquentem in se olim spiritũ pariter amisit. Qui etiam ori parcens rectè dicitur, quia sic semel in reatu tanti sanguinis cecidit, ut per pœnitentiam & confessionẽ ad eum conuerti nequaq; possit. Ori igitur parcens dicitur, quia confitendo pie erubescere dedignatur. Quo cõtra beatus Iob ex persona conuersorum promittit, dicens: Non Iob 8
parcã ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei. Sed quia item religionis dignitatẽ in patriarchis & prophetis habuit, idem Phinees ex Heli sacerdote domini natus asseritur. Heli quippe deus meus Sylo missus interpretatur. Dij uerò aliquando in
D sancta scriptura electi prędicatores intelliguntur. Vnde & ad Moysen à domino dicitur: Posui te Exod.7
deum Pharaonis. Et in lege præcepit, dicens: Dijs Exod.22
non detrahes. Pater ergo Phinees deus meus dicitur: quia nimirum Iudaicus populus eorũ secundum literam scripturas imitatur, qui uerbũ dei & reuelata mente meruerũt cernere, & theca literæ ne uideretur occultare. Hos nimirum per semetipsam ueritas ostendit, cùm uerba Psalmistę exposuit, dicens: Illos dixit deos, ad quos factus est ser- Ioan.10
mo dei. In Sylo autem natus asseritur: quia Iudaicus populus licet carnaliter, adhuc tamen in scripturis spiritualibus eruditur. Quia ergo electus quisq; & sapiẽs in sancta ecclesia natũ dominũ ex Iudaico populo per doctrinam sequitur, Achias qui umbraculum dicitur, filius Achitob fratris Ichabot

Ichabot, filij Phinees, filij Heli esse perhibet. Qui etiam ephod portare describitur, ut aperte monstretur: quia protegere alios nequaquam potest, qui pulchritudine bone conuersationis, luceq; nō fulget, sequitur: Sed & populus ignorabat quo isset Ionathas.] Quid est quod populus, quo eat Ionathas, nescit: nisi quia electus doctor ea, quæ intendit agere, studet per humilitatem cælare. Vn
Matt.6 de & in Euangelio dominus dicit: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Si enim per dexteram æterna, per sinistram uero præsens uita figuratur: homines in sinistra, angelos ad dexteram habemus. Quando autem per bona opera ad consortium supernorum ciuium tendimus, dextera manus nostra operari perhibetur. Sinistra uero manus nostra opera nescit dexteræ, si cooperatores nostros, fideles uidelicet sanctæ ecclesiæ, adiutores habemus in opere, & laudatores habere nolumus ad elationem. Bene ergo dicitur: Populus ignorabat, quo isset Ionathas:] quia tūc solū bene agere magna nitimur, cū ea, quę agimus, pandere ad ostensionē uitamus. Sed quia ad exemplū electorum ista proferimus, non solum quo eat, sed etiam qua eat, explorare attentius debem⁹. sequit:

Erant inter ascensus per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistim eminentes petræ ex utraq; parte, quasi in modum dentium scopuli, hincinde prærupti, nomē uni Bores, nomen alteri Sene.] Cum electorum uita alta fit meritis, ima uero conditio malignorum spirituū, quid est, quod ascensus esse dicitur, unde ad Philistinorum stationem Ionathas tendere conatur? Nam de eisdem Philistæis in typo dæmonum non longe superius dictum est: Ascendentes castra metati sunt in Magmas. Sed super nos esse dicūtur, quo minores fortitudine uideamur. Super nos etiā esse cognoscitur, quod penetrare per intelligentiā non ualemus. Quoties ergo cū spiritibus reprobis certare proponimus, robur parare debemus ad ascensum, quia homines cum angelis pugnare cōtendimus. Vnde & ille athleta strenu⁹ cōfortans uehementer cōmilitones suos, ait: Non est nobis collu
Ephe.6 ctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Quia enim contra principatuum & potestatū spirituales nequitias se pugnaturum prænouerat, nimirum robur mentis ad altitudinis ascensum parabat. Peccatorū corda dum nequam spiritus sibi subijciunt, eis utiq; per multiformia uitia dominantur. Si ergo illuc quoque eos expugnare contendimus, ualde nos oportet ascendere, ut eorum possimus agmina potenter ferire. Aliter enim lubrici, aliter saluandi sunt acediosi: aliter uaneglorij, aliter superbi. Vt uero ad hæc omnia electus doctor possit sufficere, quia per assiduæ meditationis acuta consilia mentem leuat: quasi ad ascensum Philistinorum se roborat. Bene autem non unus asseritur, sed plures dicti sunt ascensus: quia innumeris hostibus, multis itineribus occurrendum est. Quod tunc bene agitur, quando uitijs singulis congruentes, & propriæ curationes adhibentur. Nam ut aliqua ex eis breuiter perstringamus, fornicationis spiritus continentiæ uirtute depellitur: sed tamen leuius superatur, si caro impetum suū per abstinentiam minuat: ne se mundanæ concupiscentię uicta substernat. Gula per abstinentiam frangitur: sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem spiritualibus cibis nō replet. Potenter enim corpus extenuat, qui amore cœlestium cor inflammat: quia dum spiritualia fortiter diligit, desideria carnis ualenter premit. Auaritiæ quoq; uitio bonum paupertatis uoluntariæ contrarium est, sed pauper spiritu esse nō poterit, qui amare adhuc æternos thesauros nescit. Sic nimirū ira uincitur, si amore cœlestium perfecte terrena omnia despiciantur: quia unde irascatur, iam non habet, qui damnū temporale non timet. Sic quoque acediæ uitium, id est, tædium cordis depellitur, si semper bona cœlestia cogitentur. Tædere quidem mens nullatenus potest, quæ tam iocunda bona lætanter uidet. Tristitiæ etiam angustiosum malum spiritualis lætitiæ campo deuoratur, sed tamen ipsa spiritualis lætitia se menti non infundit, quæ temporalis uitæ angustias transgredi contemplando non nouit. Bene quidem tristitia uincitur, si temporalium laborum præmia uideantur, quia unde electa mens temporaliter se affligi considerat, inde gaudere in cœlesti patria æternaliter sperat. Quia ergo magna diuersitate consilij aduersus animarū morbos curandos prædicator utitur, quia consilium alta mentis considerationē comprehenditur, bene unde Ionathas transire ad stationem Philistinorum appetit, ascensus esse perhibentur. Et quia ad expugnandos malignos spiritus à peccatorum cordibus plures difficultates obuiant, petræ inter ascensus esse memorantur. Quid enim per istas duas petras, uidelicet Bores, & Sene, nisi concupiscentia, & peccatum designatur? Bores quippe in primatu dicitur: Sene sol siue auditio. Bene autem concupiscentiæ primatus nomen conuenit, quia ipsa prior mentē occupat, quam se mens peccato substernat. Solis etiam nomine rectè peccati delectatio figurat: quia à ueritatis intuitu mentis oculos claudit, & ad uanitatē aperit. Vnde & in primis hominib. à seductore spiritu per serpentem dicit: In quacunq; die comederitis de ligno, Gen.2
quod est in medio paradisi, aperientur oculi uestri. In cōmessatione quidem illa, peccando aperti sunt oculi transgressorum, ut falsæ lucis radios in experientia delicti perciperent, & à supernæ claritatis alta contemplatione caligarent. In hanc quippe lucem aperire oculos psalmista refugiēs, dominum obsecrat, dicens: Auerte oculos meos, Psal.118
ne uideant uanitatem. Hanc beatus Iob alta mente despiciens, perfectorum meritis se inseri exoptans, ait: Nunc enim dormiēs silerem, & somno Iob.3
meo requiescerem, aut sicut abortiuum abscondi tum non subsisterem, uel qui concepti non uiderunt lucē. Qui sunt isti, nisi qui peccare fortiter caruerunt? Vnus ergo scopulus Bores, alter Sene dicitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

citur, quia si concupiscentia in mente sibi locum uendicat, eiusdem mentis oculos ad placidū peccati blandimentum, quasi ad solis lucem uidendā leuat. Bene item petræ nominantur: quia iniquorum mentibus ista duo conueniunt, ut iam redire prædicatores ad se facile non admittant. Sed & dicuntur scopuli, quia hinc inde, uidelicet tam mente, quàm corpore præruptum retinent usum prauitatis. Dum enim nulla morū, nulla operum integritate solidantur, in modum scopuli, hinc & inde prærupti sunt. Et quia dicitur in modum dentium, quid dat intelligi, nisi quod sæpe uidemus, quia qui prædicatorum hortamenta despiciunt, eorum uitam mordere detractionibus conantur. Sed de eisdem scopulis subditur: Vnus prominens ad aquilonem, ex aduerso Magmas, & alter ad meridiem, contra Gabaa.] Ad aquilonem primus scopulus prominet, alter ad meridiem, quia per concupiscentiam feruor charitatis extinguitur, & per peccatū ardor concupiscentiæ augmentatur. Mens enim reproba dum concupiscentiæ subditur, charitate spoliatur, & dum peccare non metuit acriora in se ualde peccandi desideria accendit. Quasi enim in summa diei suæ altitudine, & calore posita, in fluxu peccati, & immoderatè lætatur, & ardenter resoluitur. Male ergo mederi concupiscentiæ morbo satagit, qui ad hoc explere cōcupiscentias peccando, cogitat, ut quiescat. Tanto quidem erit post peccatum concupiscentia maior, quanto ipsa sibi esse incipit peccati delectatio gratior. Sed primus scopulus ex aduerso Magmas situs, alter contra Gabaa prominere perhibetur. Magmas (ut iam satis diximus) humilitas, Gabaa collis interpretatur. Ex aduerso utique concupiscentia humilitatem habet, blandimentum uerò peccati cœlestem cōuersationem. Omnis enim qui uetita concupiscit, dum præceptorem despicit, superbit. Ex aduerso itaque humilitatem habet, quam in obedientiæ deuotionem non retinet. Sed & qui in peccati feruore, ue lut meridiana claritate resoluitur, contra Gabaa, id est, collem prominet, quia dum aduersatur cœlestibus, pœnis tartareis præparatur. Sed quia tales etiam ad æternam uitam sanctorum prædicatione perducuntur, ipsorum prædicatorum studium in Ionathæ facto uideamus. Nam sequitur: Veni transeamus ad stationem incircuncisorum horū, si forte faciat dominus pro nobis: quia non est domino difficile saluare, uel in multitudine, uel in paucis.] Quæ est statio Philistinorum, nisi robur malignorum spirituum? Sancti etenim uiri cùm ad peccatorum correctionem se præparant, aperte sciunt, quia cum de cœlo lapsis angelis pugnant. Pugna ergo hæc quia angelorum est, & hominum, pugnatur à fortibus cum infirmis, cum simplicib. ab astutis. Nam ab his fortibus insultum acceperat, qui dicebat: Irruerunt in me fortes, neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum domine. Astutias lapsi angeli etiam Paulus intuens, ait: Non ignoramus eius astutias. Contra astutos igitur uia cautæ rationis quærenda est, contra fortes uero diuina sunt auxilia petenda. Vt ergo magna cautela prædicatio exhibenda esse sentiatur, Ionathas armigerum suum ad secum transeundū inuitasse dicitur. Et ut in expellendis hostibus de dei miseratione præsumatur, loquitur, dicens: Quia non est deo difficile saluare, uel in multitudine, uel in paucis:] & quia flagitiosorum conuersio facilis non est, dicit: Si forte faciat deus pro nobis.] Si forte dicit, quia de plena criminosorum salute adhuc plenius nō præsumit. Sed formam electi subditi in uirtute ostendit humilitatis, quia subdit: Dixitq; ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo. Perge quo cupis, & ero tecum quocunq; uolueris.] Nonnulli subiecti dum mensuram ordinis sui negligunt, eandem mensuram sic confundunt, ut prælatorum suorum dispositioni cōmunicent, sed obedire imperijs recusent. Emendare quidem maiorū dicta facile audent, sed facile implere, quæ præcipiunt, non conantur. Quid ergo in huius armigeri uoce nobis ostenditur, nisi quia relinquenda est præpositis dispositio libera: tenenda est subditis uirtus obedientiæ nō remissa? Vt enim liberā disponendi authoritatē prædicatoribus assignent, ait: Fac omnia, quæ placent animo tuo.] Et ut subditorū pronam uoluntatē ad omnia seruitia ostenderet, subdit: Perge quo cupis, & ero tecum quocunq; uolueris.] Nec ibi quidem dixit quædam fac, quę sunt in animo tuo, quædam non fac, uel aliter fac: nec hic, perge illuc, & ero tecum, & illuc non ero tecū. Omnia (inquit) fac:] quia dispositione prælatorū disponenda sunt omnia. Ero (item ait) tecum quocūq; uolueris,] quia alicui precepto obedientiæ subiectus optimus deesse non debet. Sequitur: Et ait Ionathas, ecce nos transibimus ad uiros istos, cunq; apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec ueniamus ad uos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint ascendite ad nos ascēdamus, quia tradidit eos dominus in manibus nostris.] Certa & indubitata sanctæ ecclesiæ sentētia est, quia electi prædicatores nō solum quid, quantū, & quando loquantur considerare debent, sed quibus etiā loquantur. Vnde & dominus à quorundam noti tia uerbū recondens, discipulos prohibet, dicens: Nolite ponere margaritas ante porcos. Hinc itē scriptura inutiliter effundi uerbum uetat, & dicit: Vbi non est auditus non effundas sermonē. Quid est ergo, quod Ionathas dicit: Si dixerint, manete, donec ueniamus ad uos, stemus in loco nostro: si uero ascēdite ad nos, ascēdamus, quia tradidit eos dominus in manib. nostris,] nisi quia electus prædicator attentè debet colligere, quibus uerbū uitæ debeat proferre? Sed quia hoc ostendi nunc in sensu literæ uidetur, nos subtilius exprimamus. Ad peccatores prædicatores transeunt, quando ijs quibus uerba exhibent, non solum uerbo, sed etiam uita placent. Qui ergo sunt, qui dicunt, ascendite ad nos, nisi ij, qui deuotionis signa proferunt, quia salutis uerbum & uenerabiliter audiant, & retinere fortiter concupiscant? Ad istos

Pſal.58

2.Cor.2

Matt.7

Eccli 32

itaq;

itaq; ascendendum est, in quibus etsi magnus labor est in opere ministerij, sunt & magna lucra salutis. Ecōtrario uero ad doctores peccatores transire gestiunt, quādo tam profunda cæcitate merguntur: ut ad imitandæ suę prauitatis exemplum, ipsos etiam prædicatores conuertere nitant. Proni quippe ad malum sunt, corde impœnitentes, & peccati lepra, quam induunt, maculare alios non expauescūt. De quibus sapiens ille loquitur, Prou.2 dicens: Lætantur cum male fecerint, & exultāt in rebus pessimis. Et itē propheta de his uaticinans, Esa.3 ait: Prædicauerunt peccatum suum sicut Sodoma. Quid est ergo, quod ait: Stemus in loco nostro?] Sed tale est, ac si dicat: Si illos lucrari non possumus, nosmetipsos in bona cōuersatione seruemus. Locus em̄ noster, bona cōuersatio est. De quo nimirum loco alias scriptū est: Si spiritus po- Eccli.10 testatem habens ascēderit super te, locū tuum nō deseras. Locus quidem iste non solum à spiritu, sed etiā ab homine cauendus est: quia ipse spiritus non solum per se nobis obuiat, sed cōtra nos etiā per hominem pugnat. Si uerò locus noster dominus est, cùm mali se nobis obijciūt, in loco nostro persistamus: quia cùm incorrigibiles prædicatorum monita non recipiunt, solerter debēt ipsi circumspicere, ut ad se nulla possint eorum exempla peruenire. Sequitur. Apparuit itaque stationi Philistinorum, dixeruntq; Philistim: En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt uiri de statione Philistinorum ad Ionatham, & ad armigerum suū. Ascendite ad nos, & ostēdemus uobis rem.] Quidnam est quod apparere Ionathas Philistæis cum armigero dicitur: nisi quia doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios cōtendit edocere. Nō enim potest in prædicatione uenerabiliter recipi, si prius in se honorem ministerij non præfert luce bonæ conuersationis. Vnde & egregius prædi- Rom.11 cator confidenter asserit, dicēs: Quandiu quidem sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo. Apparet ergo doctor, non tam cū uerbo loquitur, quàm cum uita, & moribus uenerabiliter demonstrat. Propheta igitur cùm typis sacræ historiæ prædicatorum mores ostendere, rationabiliter subintulit, dicens: Apparuit itaq; uterq; stationi Philistinorū.] Quasi dicat: Quia docere proposuit, prius ijs, quib. loqui dispositum, uitam monstrauit. Sed quid est quod Philistæi apparentes despiciunt, & tamen eis ascendite ad nos dicunt, nisi quia plerunq; illi etiam prædicatorum optimam uitam despiciunt, qui eorum prædicatione ad pœnitentiæ lamēta cursuri sunt. Et dum eos deserere uitæ remotioris studiū reprehendūt, eos nimirū de cauernis egressos asseuerant. Quasi dicant: Illi nunc sub colore prædicationis ad seculum exeunt, qui hoc fugisse tota intentione uidebantur. Sed plerique iustos prædicatores arguunt, qui mala, quæ eis obijciunt, in eis esse suspicantur. Qui nimirum eoipso, quo malum damnant, spem prædicatoribus tribuunt: quia ad bonum, quod defendunt exequendum, pertrahi facilius possunt. Dum ergo bona intentione falsa iustorum mala uituperant, insaniunt quidem uoce, sed prædicatoribus fructum suæ salutis, etiam insaniendo, spondent. Et quia de ascensu superius dictum est, restat inquirere quid sit, quod dicunt:

Ostendemus uobis rem.] Sed hoc ad literam minas significat. Quod tale est, ac si dicant: Si huc ascenderitis, quantum ualeamus patiendo sentietis. In malorum uero conuersione item facile est colligere, cum iustos expellunt, quantum soleant nocere. Sed quia authore deo carnalitatem historiæ ad spiritualem intelligentiam duximus: dum sancti doctores erumpentibus quibusdam signis, peccatorum conuersionem conspiciunt, res etiā ab eis promittitur: quia ad uerū esse se redire pollicentur. Res quidem aliquod habet esse, peccatū uero esse nullum habet. Vnde & Paulus Corin- 1.Cor.8 thijs dicit: Scimus quia nihil est idolum in mundo. Peccator autem quia peccando ad nihilū tendit, cum nihil illud, cui inhęsit, deserit: quasi ad esse redit. Rem ergo in se ostendere, id est aliquid, quod esse habet, potest: qui iam per diuinam gratiam opera uirtutis tenet. Dicūt ergo: Ascendite ad nos, & ostendemus uobis rem.] Quasi signo quodam peccatores repromittāt, & dicant: Si uerbo ita in nobis laborare proponitis, sine magno lucro non erit quod laboratis. Quare & de aliorū certitudine subiunctum est: Et ait Ionathas ad armigerum suum. Ascendamus sequere me, tradidit eos dominus in manus Israel.] Quisquis nititur magna agere, hæc bene pensare nouit, si semper studuit diuinis laudibus imputare. Bene ergo Ionathas de consequenda uictoria confidens, nō in manus suas, sed in manus Israel tradendos inimicos asseruit: ut triumphum ostenderet, & qualis esse debeat triumphator, pariter designaret. Israel quippe uidens deum interpretatur. Cui ergo in manus hostes tribuuntur, uidens deum dicitur: ut non ea, quæ ei in manu data sunt, doceat attendere: sed tenens datum, ad largitorem munerum cor leuare. Aliud enim tenet manibus, aliud oculis uidet: ut triumphi palmam fortiter teneat, sed uidentem deum retenta palma uictoriæ nō extollat. Hæc autem quia confidendo non possidendo loquitur: qualiter ad eadē possidenda ueniat, audiamus. Sequit̄: Ascendit Ionathas reptās manibus, & armiger eius post eum.] Quid est reptare manibus, nisi corpus omne curuare, nihil in se sublime relinquere, superiora membra ad inferiora officia peragēda inclinare? Quid aūt in hoc facto nobis insinuatur, nisi quia multa prædicatorū cōpassione indiget conuersio peccatorū? Quid em̄ aliud, quàm reptare manibus uidebatur redemptor noster, cum publicanorum amicus fieret, & peccatores reciperet, & cum ipsis manducaret? Manibus quidem reptabat, cum dicebat: Non ha- Matt.9 bent opus sani medico, sed male habentes. Hinc iterū dicit: Nō ueni uocare iustos, sed peccatores. Hanc etiā incuruationē reptādi, in sacro eloquio cameli appellatio designat. Quia ad hoc saluator usque ad ima nostra se uoluit humiliare ut nos ad

alta

alta suæ diuinitatis extolleret. Hunc nanq; reptan
1.Corin.9 tem manibus, Paulus sequi se insinuans, ait: Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerẽ saluos. Sed & quia in manibus opera solent significari, reptat manibus pastor: quando peccatoribus uiam, quam tenere conuersi debeant, non profert sapientia uerbi, sed exemplo conuersationis. Repta
Mat.5 re quidem manibus prædicatores suos docebat dominus, cum dicebat: Sic luceat lux uestra corã hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Bene aũt reptans ascendere ad stationem Philistinorum dicitur, quia ad destruenda peccatorum uitia peruenire ille doctor potest, qui ipsos peccatores magna humilitatis ostensione, & magna charitatis affectione demulcet. Nam dum conuenientiam gratiæ foris porrigit, manum intus ad incidendũ mentis languorẽ mittit. Vnde & bene subiungitur: Et cum uidissent faciem Ionathæ, alij cadebãt ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat.] Facies Ionathæ cernit̃, quando qui uerbũ prædicatoris audiunt, charitatem etiã mentis eius agnoscunt, cùm uidelicet hunc audiunt & cœlestia prędicare, & eos, quibus ipsa pandit cœlestia, mira charitate diligere. Bene autem ante faciem cadere dicuntur, quia dum bona, quæ sunt in mente prædicatoris agnoscunt, statũ prauitatis deserũt. Sed & dum ad remedium pœnitentiæ plures ueniunt, alij in magnorum, alij in minorum exempla confugiunt. Aptè igitur dictum est: Alios armiger eius interficiebat.] A uita quidem reproba priuari, bene interfici est, & cuius exemplo, uel monitis malũ quis deserit: ante eius pedes quasi interfectus cadit. Generali quippe sententia, sin-
Iaco.5 gulorum uictorias exponens Iacobus ait: Qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore uitæ suæ, saluabit animã eius à morte, & operiet multitudinem peccatorũ. Sequitur: Et facta est plaga prima qua percussit Ionathas & armiger eius, quasi uiginti uirorum, in media parte iugeri, quam par boũ in die arare cõsueuit.] Plaga prima hæc dicit̃: quia sancti percutere noxios etiam post in ultimo iudicio describuntur. Vnde & Paulus Corinthios
1.Corin.8 excitat, dicens: An nescitis quia angelos iudicabi
Psal.149 mus? Hinc Psalmista uaticinans, ait: Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes dei in faucibus eorum, ad faciendam uindictam in nationibus, increpationes in populis. Plaga prima ista conuersionis est, secunda damnationis: quia modo sancti conuerti nos ad dominũ rogant, sed non conuersos, tunc durius damnant. In qua uiginti uiri mortui referuntur, ut quinarij numeri mysteriũ commendetur. Quinquies em̃ quatuor repetiti, aut quater quinq; uiginti fiunt. Et quia uigore quinq; sensuum omne tẽpus peccati perficitur, & in quatuor Euangelistarum libris remedia nostræ salutis inuenimus, uiginti uirorum typo omnes saluandi peccatores exprimuntur. Qui in media parte iugeri interfecti perhibentur, quam par boum in die arare consueuit. Boues sunt prædicatores ecclesiæ, qui dum prædicant, arant: qui dum uerbis cœlestibus corda auditorum aperiunt, quasi in bona terra semen spargunt. Sed in die arant boues, quia dominus comminatur, dicens: Veniet nox, quãdo nemo potest Ioan.9
operari. Item duo boues arant, Ionathas uidelicet & armiger eius. Quibus nimirum bobus, aut sapientes, & simplices intelligendi sunt, aut minores, & altioris ordinis sacerdotes. Possunt autem generaliter in duobus bobus, omnes sanctę ecclesiæ prædicatores intelligi, quia & geminæ charitatis gratia pleni sunt, & se priuato amore non diligunt. Media ergo pars iugeri ista est uita præsens. Ista quidem temperata ad cultũ imbribus mollescit hyemis, illa ad sterilitatem pigrorum caloribus terretur æstatis. Istam partem iugeri boues arare possunt, illam uero nõ possunt: quia in hac uita bona opera seminanda sunt, in illa uero nõ seminanda opera, sed operũ retributio metẽda. Bene ergo in media parte iugeri, uiginti uiri interfecti perhibentur: quia conuerti peccatores hic solum salubriter possunt, ubi magnitudo criminis purgari creditur per lamenta conuersionis. Sed nonnulli in subita peccatorum conuersione mirant̃, quia eis propter usum curæ exterioris quotidiana tot, quæ agit deus mira, uiluerunt. Vnde & subditur: Et factum est miraculũ in castris per agros.] Perfecti quiq; in omnibus, quæ facta sunt, siue fiunt, omnipotentis dei uirtutẽ & sapientiã mirari non desinunt. Vnde & Psalmista diuinis laudibus insistens, ait: Mirabilis deus in sanctis suis, deus Isra- Psal.67
el ipse dabit uirtutẽ & fortitudinem plebi suæ, benedictus deus. Hinc Moyses eidem domino confitet̃, dicens: Quis similis tui in Dijs domine, quis Exo.15
similis tui in sanctis gloriosus, mirabilis in maiestate, faciens prodigia. In sanctis quidem mirabilis dicitur, quia quo altius diuina conspiciũt, eo & mirabilius obstupescũt: quia nimirũ altissima cõtemplatione uident, quibus stupeant, non quæ ratione comprehendant. Quoties ergo præter quotidianum usum noua quædam accidunt, quæ carnales ac simplices admirentur, miraculum per agros fieri dicitur. In comparatione nanq; sanctorum uelut agrestes homines sunt, qui tot conditoris antiqua opera, tot dispositiones temporum, & tot ordines creaturarum mirari nescIunt. Bene igitur in eadem rusticitatis hebetudine omnes generaliter concluduntur, cum subditur: Sed omnis populus stationis eorum, qui ierat ad prædandũ, obstupuit.] Quam stationem nominant, nisi Philistinorum? Quid est ergo quod Philistim admirantur, nisi quia aliquando conuersionem peccatorum alij peccatores obstupescentes aspiciunt, & dum bonitatem dei in illorum uisitatione intelligunt, ad simile conuersionis propositum accenduntur. Ad prædandum quippe stationis populus pergit, quando agere peruersa non metuit. Quod enim prohibente deo, scripturis minantibus, contradicentibus doctoribus, quis audet agere, quasi per uiolentiam nititur suis usibus usurpare. Si quis per hunc populum dæmonia intelligere uoluerit, potest quia ad prædandum pergũt,

cum

cum uiolentas tentationes ingerunt, & captiuas animas peccatorū ducunt. Qui certè populus ob stupescere dicitur, quia cor pœnitēs, quod dæmones habere non possunt, qua gratia conuersi peccatores recipiant, non intelligunt. Sed dum peccatores resipiscunt, tam sibi, quàm alijs prosunt, quia nonnulli eorum exemplo corriguntur. Vnde subditur: Et conturbata est terra.] Dum populares uiri noua mira conspiciunt terra turbat, quia sæpe contingit ut dum per exteriora miracula alij conuertuntur, aliorum duritia incitamentis quibusdam ad propositum boni operis moueatur. Male etenim tranquilla est terra, quando uita carnalium in mundi iacet delectationibus secura: quando peritura, quæ ardēter desiderat, hanc dul citer oblectant. Terra uerò turbat: quando carnalis mens à mala sua soliditate cōcutit, & cogitare fluctuādo inchoat, inter mala quę respuit, & bona quæ amat. Turbari etenim menti tūc est, serenitatē malæ delectationis, ppositio Christianæ religiōis obducere. Sed carnalis affectus concutit, ut spiritualis uita reueletur. Vnde & subditur. Et accidit quasi miraculum à deo.] Quando nanq; mens hominis carnali delectatione deprimitur, eius utiq; usus obtunditur: ut spiritualia bona ignorare meatur. Sed cum in suis carnalibus infirmari incipit, paulatim in spiritualibus conualescit: ut superna proficiendo uideat, infirma obliuiscendo derelinquat. Profectus quidem cōuersæ mentis ostenditur: quia prius terra turbari dicitur, deinde miraculum quasi à deo accidisse memoratur. Miraculum uerò à deo est quod sine homine facit deus. Exo.16 Quod enim manna in deserto filijs Israel pluerit dominus, quod concupiscentibus uolatilia præbuerit, miraculum utique sine homine deus fecit, sed dum mare diuidere uoluit, uirga hōc Moysen tangere præcepit: ut miraculum ostenderet quod Idem.14 per hominem populo demonstraret. Sic nimirū uirga petra percutitur, ut aquæ fluenta producan Num.20 tur: quia nimirum miraculum, quod ostendere uoluit, per hominem, non per semetipsum fecit: ut dum hominem uenerabilem redderet, huic Israeliticus populus humiliter subijci, & deuotè obedire debuisset. Quid est ergo quod miraculum quasi à deo accidisse asseritur, postquam terra turbatur: nisi quia dum sanctus spiritus mentem ad conuersionem commouet, commotæ menti electorum exempla insinuat: quæ & uenerabiliter uideat, & imitari deuote concupiscat. Hoc quidem miraculum iuxta historiam sic accipit, quia plures interficiebantur. Nunc uero in sancta ecclesia ad religiosam uitam peccatores conuertuntur, quos alij ad uirtutis exempla sequuntur. Spiritus quidē sanctus illos trahit, & quia trahunt alijs ostēdit: ut tractus trahat, & uidētes tractis inserat: quatenus per largitatem suæ gratię utrosq; cōprehendat. Quando enim hoc sine homine per semetipsum operatur in cordibus fidelium, utiq; miraculū non fit quasi à deo, sed à deo. Quādo aūt prædicantib. hoc æternæ uitæ doctoribus agit, quasi à deo est miraculum: quia mirabiles suos ministros ostēdit, ut qui eos aspiciunt, deuote ualeant imitari. Sed quia summos sacerdotes Saul signare superius diximus, Ionatham uero filium eius subditas prædicatorum personas: si sequentia attendimus, sollicitudinem apostolicam in summis pontificibus, quam retinent, inuenimus. De quo 2.Cor.11 nimirum beatus Paulus loquitur, dicēs: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. Qui uero omnium ecclesiarum sollicitudinem gerebat, non solum paruulorum, sed etiam ad discutiēda maiorum facta uigilabat. Vnde & hic subiungitur: Et respexerunt speculatores Saul: qui erant in Gabaa Beniamin, & ecce multitudo prostrata huc illucq; diffugiens. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, & uidete quis abierit ex nobis. Et repertum est nō adesse Ionatham, & armigerum eius. Pugnam Ionathæ Saul speculatores aspiciunt: quia summi pontifices non solum subditorum facta discutiūt, sed doctrinam prælatorum. Istos quidem explorant, si bene agant: illos autem an rectè doceant. Sæpe conuersionem aliorum audiunt, sed ne sint bene eruditi pertimescūt. Quid em̄ est aliud, quod quis abierit quærit: nisi quia qui ad prædicandū mittitur, talis esse debet, ut onus ministerij ei securè imponatur, ut mens mittentis nulla dubitatione fluctuet, quod rectè doceat, & doctrinæ uerba operibus ostendat. Et quia innumeri sunt ecclesiarū præsules, à speculatorib. Ionathas aspicitur: quia summum culmen uniuersalis ecclesiæ, sic per orbem prędicatores ordinat: ut circa se ministros habeat, per quos illorum doctrinam discutiat, & opera diligenter inquirat. Sed qui summi culminis ministerio, & legatione funguntur, in alta uitæ & scientiæ sede sublimantur. Vnde & bene & ijdem speculatores in Gabaa Beniamin esse memorantur. Gabaa quidem Beniamin collis filij dextræ nuncupatur. In colle quidē filij dextræ sunt, qui iam per sublimem uitam, & per altam scientiam ad conformationem uidentur pertingere redemptoris. Hi nimirum uictorum acta de sublimi conspiciunt: quia bonorum uitam probare, & malos discutere, ex uitæ merentur celsitudine, & summæ scientiæ perfecta eruditione. Qui Ionatham non adesse reperiunt: quia lucra prædicationis tunc optima esse considerant, cum prædicatoris laudabilem personam probant. sequit: Et ait: Saul ad Achiam. Applica arcam dei.] Cur Achiam sacerdotem Saul applicare arcam præcipit, nisi quia modum certaminis à speculatoribus audiunt? Quod quidem à summis sacerdotibus bene spiritualiter agitur, cum ea quæ à relatoribus audiunt, non ante dijudicant, quam eorum rationem in consilio internæ meditationis quærant. Et quia sæpe alienæ etiam mentis consilia sequuntur, Achias arcā applicare iubet. Arcā quippe sacerdos habet, qui scientia spirituali mentē uacuā nō habet: Saul ergo arcam applicare Achiā iubet quando summus doctor consilium à minoribus suis,

Universidad de Deusto Biblioteca

ſuis,& eruditis quærit. Ibi enim ſunt poſtulanda A
conſilia,ubi ſpiritualis ſciẽtiæ gratia coruſcat. Vn
de & ſubditur: Erat enim arca dei in die illa cum
filijs Iſrael.] Quaſi dicat:Hoc applicare prẽcepit,
quod eſſe cognouit. Ab irreligioſis quidem reli-
gionis conſilium,aut ſapientia à ſtultis petere,nõ
eſt conſilium accipere, ſed præcipitare. Bene
ergo dicitur: Erat enim ibi arca dei:] quia in re-
bus dubijs illos debemus conſulere,quibus aper-
tè ſcimus ſpiritalia dona non deeſſe.Sed quædam
ſunt,quæ per conſilium, quædam uero quæ per
auxilium meliorantur. Vbi enim aperta,& indu-
bitata neceſſitas eſt,illic non eſt idonea mora con
ſilij,ſed celeritas ſubuentionis.Ambigua quidem
& obſcura melius cõſulendo peragimus,ſed aper B
ta,& cognita ſubueniendo & feſtinando ſubleua
mus. Vnde & ſubditur: Cumq; loqueretur Saul
ad ſacerdotem tumultus magnus exortus eſt in
caſtris Philiſtim,creſcebatq; paulatim, & clarius
reſonabat. Et ait Saul ad ſacerdotem: contrahe
manum tuam. Conclamauit Saul, & omnis po-
pulus,qui cum eo erat,& uenerunt uſq; ad locum
certaminis.] Quid enim aliud ſignat, quod prius
Saul applicare arcam petijt,deinde ſacerdotẽ cõ-
trahere manum iuſſit: niſi quia & obſcura debe-
mus conſulendo diſponere,& quæ clarius inno-
teſcunt,cum feſtinatione cõplere. Sed prædicato
ri tumultum creſcentẽ paulatim audire eſt, cõuer
ſorum peccatorũ deuotionẽ cognoſcere. Quod
paulatim creſcere dicitur:quia dum mentẽ noſtrã C
ad noua opera ſpiritus dirigit,hãc ad meliora per
quotidianos profectus leniter ducit. Quid uero
eſt,quod Saul,& omnis qui cũ eo eſt,populus cla
mat:niſi quia ſe præliatoribus ſociant,Sed & uſq;
ad locum certaminis ueniunt. Locus certaminis
cor eſt uerbum dei audientis. Certaminis uero lo
cus dicitur,quia uerbum,quod recipitur, cũ præ-
terita conuerſatione præliatur. Placent enim ei iã
cœleſtia,quæ audit,ſed uetus cõſuetudo inſurgit,
& ut audita contemnat ſuggerit. Fit pugna item
grauior,quia quod prædicator laudat, hoc mali-
gni ſpiritus diſſuadendo uituperant,& quaſi præ-
liando ſe contra ſanctos erigunt,dum illud bellan
do deſtruunt,quod iſtorum uoce prædicat. Quid
eſt ergo uenire uſque ad locũ certaminis, niſi per D
exquiſitionis aditum,peruenire ad ſecreta cordis
auditoris,ubi hoſtes celeriter inueniat,& poten-
ter cẽdat.Nam qui diſcutere interna neſciunt, ad
locum certaminis peruenire non poſſunt. Vel lo
cus certaminis eſt: ubi celebris fama magnæ reli-
gionis eſt.Illuc quippe dum ab innumeris curritũ,
qui & uitam deponere ueterem, & induere nouã
concupiſcunt,certaminis locus rectè nuncupatũ:
quia quotidie illic ſpiritualium uirtutum exerci-
tus pugnat,cum numeroſitate uitiorum.Illic qui-
dem quanto graues pugnæ,tanto glorioſæ victo
riæ.Illic quo frequentius acceſſus hoſtium, eo &
laudabilior numerus triumphorum: ubi non ſo-
lum magnorum alta uirtus extollitur,ſed com-
munis omniũ ſtrenuitas mira fortitudinis oſten-
ſione monſtratur. Vnde & ſequitũ: Et ecce uerſus
fuerat gladius uniuſcuiuſq; ad proximũ ſuum, &
cẽdes magna nimis:] Quis eſt hic gladius, niſi gla
dius ſpiritus,quod eſt uerbum dei? Qui enim in-
numerabilibus locis ad omnipotentis dei ſerui-
tium conuerſi ſunt,quia uerbo dei inſeparabiliter
inhærent,quaſi iuxta ſe quiſq; gladium tenet.Gla
dius ergo uniuſcuiuſq; ad proximũ uertitur,quan
do ij,qui in monaſterijs conuerſi ſunt, & uiciſſim
ſe uerbo dei perforant,& carnalitatem in ſe peni-
tus necant. Velut enim alterutro uulnere interfici
untur,dum alter alterũ uerbo dei percutit:& quic
quid in ſe carnaliter uiuit,extinguit. Qui quia nu
per conuerſi,à ſeculari uita ceciderant:Philiſtino
rum typo ſignati ſunt. Vel gladius alterius ad pro
ximum uertitur,quando per conuerſorum exhor B
tationem, nondum conuerſi peccatores ad do-
minum conuertuntur: quando non ſolum ij, qui
præſunt:uerbo, prædicationis alios lucrifaciunt,
ſed multitudo ſubditorum quotquot poſſunt uer
bis,& exemplis inſtruere,& præſentis uitæ deſi-
derijs conantũ uelut interfectos ſubducere,&æter
næ uitæ uiuos exhibere. Hæc quidem lucra per-
emptorũ iam in tota eccleſia per orbẽ uniuerſum
diffuſa,conſpicimus,quia quicunq; per diuinam
gratiam iam deo uiuunt,alternę charitatis mucro
ne huic mundo mortui uidentur.Gladius quippe
uniuſcuiuſq; ad proximum uertitur: quia omnes
electi ſe in ſancta eccleſia uiciſſim roborãt, & ad
cœleſtem patriam ſtudio alternæ prædicationis
inflammant.Et quia innumerabilis populus quo
tidie deo acquiritur.Bene illic ſubditum eſt:Et cæ
des magna nimis.]Magnũ utiq; nimis eſt, quod
in magnitudine poteſt quomodocunq; dignoſci,
ſed excellentia nõ ualet cõprehendi.Ad hanc qui
dem magnam nimis cẽdem oculos extulerat, qui
dicebat.Mihi autem nimis honorificati ſunt ami- Pſal.138
ci tui deus,nimis confortatus eſt principatus eo-
rum: dinumerabo eos, & ſuper arenã multiplica-
buntur. Poteſt etiam magna nimis cædes intelli
gi,nõ ſolum ut multi,ſed etiam ut bene interfecti
uideantur.Quod quidem in conuerſione pecca-
torum fieri cernitũ:cũ ſic præterita deſerunt, ut ad
eadem delectamẽta nunquam reuiuiſcant. Cædi
utiq; peccatoribus eſt,ad tempus à turpi uita ſe-
parari. Vehementer ergo ſiue nimis cædi eſt,tem
poralis uitæ illecebras perfectè deſerere, & futu-
ræ gaudijs inhiare. Ipſorum uero qui conuertun-
tur,quia multa diuerſitas eſt, ſequitur:Sed & He-
bræi qui fuerant cum Philiſtim heri,& nudiuſter-
tius, aſcenderantq; cum eis in caſtris reuerſi ſunt,
ut eſſent cum Iſrael,& his qui erant cum Saul, &
Ionatha.] Qui ſunt Hebræi,qui fuerant cum Phi-
liſtæis, niſi peccatores à religioſa conuerſatione
lapſi? De quibus non ualde ſupra dictum eſt:He- Supra.13
bræi tranſierunt Iordanem. Hebræi quidem ſunt
ordine religionis,ſed cum Philiſtæis ſunt,& cum
eis aſcendunt, quandiu per ſuggeſtiones noxias
illuduntur,& in praua operatione proficiunt. Cũ
malignis quidem ſpiritibus ſunt propoſito, & uo
luntate peccati,ſed cum eis aſcendunt, quia ipſis
impellentibus, in audaciam ſe extollunt iniquæ
operationis

operationis. Vel cũ eis sunt, cùm peccata sua ope A
rando perficiũt, cum eis uero ascendunt, cùm pra
uitatis suæ exẽpla alijs imitanda, pferre non metu
unt. Quid est ergo quod reuerti & esse cum Israe-
le dicuntur, nisi quia tales etiam plerunque resipi
scunt? Reuerti enim amorem religiosæ uitæ resu-
mere est. Et cum Israele esse est, intra sanctam ec-
clesiam in charitatis unitate persistere. Ad hoc
quippe reuertendum, ut cum Israele esse propo-
natur, quia nulla est conuersio peccatoris, si con-
uersus perseuerantia careat boni operis, & unita-
te charitatis. Sequitur: Omnes quoque Israe-
litæ qui se absconderant in monte Effraim, audi-
entes quod fugissent Philistim, sociauerunt se cũ
suis in prælio.] Hoc quidem toties fit, quoties re B
motiori uitæ dediti, ad quærenda animarum lu-
cra intorquere studium dignantur. Cum suis nan
que se in prælium sociant, cùm uera æternæ uitæ
gaudia cum sanctæ ecclesiæ doctoribus prædicãt
pariterq; à peccatorum cordibus malignos spiri-
tus fugant. Sed querundũ ualde est, quomodo di
catur: Audientes quod fugissent Philistim.] Præ-
clara quidem victoria non est fugientes insequi,
sed resistentes effugare. Quid est ergo quod dicit:
Audientes quod fugissent Philistim sociauerunt
se cum suis in prelio,] nisi quia his uerbis eiusdem
remotæ uitæ conuenientia lucra signantur? Mos
nanque illorum uirorum esse solet, ut uerbum po
tius consulentibus se, quàm sibi obsistentib. pro-
ferant, quia nisi deuotum cor auditoris agnoscũt C
prædicationem suam quasi in uacuum perituram
emittere dedignantur. Prius ergo quàm se suis in
prælium socient, Philistæos fugisse audiunt, quia
non tam scelestis conuertendis inuigilant, quàm
conuersis ad perfectioris uitæ fastigia subleuan-
dis. Ipsa autem sublimitas uitæ perfectioris, quia
suaderi magnæ exhortationis laboribus solet, qui
fugisse Philistæos audiunt, præliari merito dicũ-
tur. Hostes itaq; fugiunt, sed nuper absconditi pre
liantur, quia remotæ uitæ uiri non dignantur lo-
qui nisi deuotis auditoribus, sed loquentes, uitæ,
quam ipsi tenent, altitudinem magna uerborum
atque exemplorum pugna suadere uix possunt.
Et quia magna lucra prædicationis infirmi & im-
perfecti colligere non possunt, Sequitur: D
Erant cum Saul quasi decem milia uirorum.]
Non ait decem milia, sed quasi decem milia. Hu-
ius denique numeri perfecta perfectio in terra nõ
inuenitur, sed in cœlo. Quia enim nouem sunt or
dines angelorum, & ad illorum societatem ele-
ctorum illa hominum multitudo sustollitur, de-
cem milia uirorum illa sunt, quæ in sanctis ange-
lis, & electis hominibus in illa æternæ glorię sede
gratulantur. Quasi ergo decem milia uirorum il-
la sunt, quæ in istius adhuc seculi exilio posita, illi
us beatæ societatis formam in moribus susceper-
unt. Quia item illius supernæ uitæ amore pecca-
torum tenebræ relinquuntur, Sequitur: Et
saluauit dominus in die illa Israel.] Contempla-
tio quidem internæ lucis splendida ualde atq; cla
rissima dies est. In qua dominus Israelem saluat,

quia quorum corda luce intimi splendoris irradi-
at, in celsitudinem perpetuæ salutis leuat. Salua-
re quippe in die illa dominus dicitur, quia ad æter
næ uitæ amorem nemo succenditur, cui intimæ
lucis splendor occultatur. Ad hanc salutis gratiã
non solum electa, sed etiam despecta, quæ uiden-
tur, mundi perueniunt. Vnde & subditur: Pu-
gna autem peruenit usq; Bethauen.] Bethauen
dicitur domus inutilis. Hanc quippe inutilem do
mum dominus in parabolis ostendens, regem ser
uo in nuptijs præcipientem introducit, dicens:
Exi cito in plateas, & in uicos ciuitatis, & paupe-
res, ac debiles, cæcos ac claudos introduc huc.
Pauperes quidem sunt, qui uerbi dei thesauros in
corde suo minime recondunt. Debiles uero sunt,
qui laborare satis pro æterna uita nõ possunt. Cæ
ci uero idiotæ, ac simplices designãtur: quia dum
cœlestia nequaquam uident, lumine mentis ca-
rent. Claudi uero sunt, qui gressum boni operis
perdiderunt. Sed Pugna peruenit usque Betha-
uen,] quia sæpe inutiles personæ dum sermonis
dei bello capiuntur, in eius redactæ seruitium, uti
les fiunt. Pugnatur quidem cum cęcis, ut uideant:
cum claudis, ut subsistant: cum pauperibus, ut mo
rum thesauros accipiant: cum debilibus, ut ad ro-
bur boni operis conualescant. Vsque ergo Betha
uen pugna perducitur, quando illi sanctorũ præ-
dicatione capiuntur, qui utilitatem alicui necessa
riam, habere nullam uidebantur. Vnde & subdit:
Et omnis uir Israel sociatus est sibi in die illa.]
Omnis quidem uir prædicatori cõiungitur: quan
do conditio hominum nulla relinquitur, ex qua
conuersi ad bonam conuersationem minime per
ducantur. Sed qui Saul sociantur, uiri dicti sunt:
quia qualescunq; in seculo sumus, in dei omnipo
tentis seruitio esse fortes admonemur. Nisi uiri e-
tenim prædicatoribus nequaquã sociantur: quia
cum eis non conueniunt, nisi fortia ipsi agãt, quæ
illi docendo laudant. Sed iam deuictis hostibus,
iam sibi fortibus cõiunctis, quid rex agat, attentè
considerandum est. Sequitur: Et adiurauit Saul
populum, dicens: Maledictus uir qui comederit
usq; ad uesperũ: donec ulciscar de inimicis meis,]
Inimici prædicatorum illi sunt, de quibus Psalmi-
sta obsecrat, dicens: Eripe me de inimicis meis de
us meus, & ab insurgentibus in me libera me. Ini-
mici quidem sanctorum rectè immundi spiritus
dicuntur: quia mundi blandimenta, quæ illi sug-
gerunt, amplecti isti magno studio detestantur.
Nam quibus adhuc aliquid de maligni spiritus
consilijs placet, eius utiq; inimicus non est: quia
odisse nondum nouit, cuius blandimenta non re-
spuit. Inimici etiam sanctorum dicuntur, ut ex sa-
cro eloquio detegantur. Nam per omne, quod
suggerunt: per omne, quod blandiuntur: eas ani-
mas, quibus delectabiliter fauent: perdere conan
tur. Quid est ergo, quod populũ adiurat, ne usque
ad uesperum comedat, donec de inimicis suis ul-
tionem sumat? Sed notandum, quia iam deuictis
hostibus ista loquebatur. Quid uero est comede-
re uictoribꝰ, nisi de peracto uirtutis opere, cibos

Universidad de Deusto
Biblioteca

uanæ laudis delectanter excipere? Maledictus (inquit) omnis qui ante uesperũ comederit:] quia qui modo uanas laudes gratãter excipit, tunc æternas creatoris laudes amittit. Adiuratˇ ergo populus ne comedat: quia doctorum præcepto constringitur, ut de bono opere inaniter nunquam glorietur. Fortia bene uiuendo agat, sed quandiu uixerit, appetere de fortitudine laudes caueat: ut laudari post mortẽ æternaliter non amittat. Qui enim ante uesperum populum manducare prohibuit, ad uesperum utiq; esse comedendũ cõcessit. Et quia in uespere finis diei est, in uesperũ comedunt, qui abstinere ante uesperum possunt: quia qui laudari modo de magna actione despicit, cũ ad uitæ finem ducitur, æternis dignus laudibus inuenitur. Hoc est, quod dominus se daturũ electis Mat.5 in Euangelio repromittit, dicens: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã, intra in gaudiũ dñi tui. Hinc iterũ ad iudiciũ ueniens, dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod uobis paratũ est à constitutione mundi. Tunc quidem de inimicis nostris ulciscimur: quia omnes tunc diabolicæ tentationes euanescunt. Quia enim ultra dæmonũ insidiæ tentando nihil obsunt, cum per carnem morimur, de inimicis nostris ulciscimur, quos iam uelut interfectos penitus non pauemus. Vel ergo usq; ad uesperum comestionem differimus, si laudis nostrę præconia in fine uenturo iudici reseruemus. Tunc quidem manducandũ est: quia qui iudex tunc uenit, modo dux nostri exercitus, com- Lucæ 12 militonibus repromittit, dicens: Faciet illos discumbere, & trãsiens ministrabit illis. Tunc quippe uictores discumbunt: quia internæ quietis alta sede recepti, perennis uitæ laudibus delectantur: quando ipsis tacentibus, omniũ bonorũ operum præconia concinunt: & simul proferũtur ad gloriã, quæ hic magna uirtute ferebantur ad pugnã. Sequitˇ: Omneq; terræ uulgus uenit in saltũ, in quo erat mel super faciẽ agri. Ingressus est itaq; populus saltum, & apparuit fluens mel: nullusq; applicuit manum suam ad os suum.] Saltus siluosus, atq; cliuosus locus est. Quo nimirũ nomine aptè corda secularium designantur: quia dum tota intentione curis exterioribus seruiunt, uelut siluosa loca culta ad fructum boni operis prædicationis uomere non sunt. Qui uero uulgus nomine hoc loco signantur, nisi religiosi uiri, & simplices? Terræ quidem uulgus dicitˇ, quia in bono opere magni sunt, sed tamen altissima contemplatione magni non sunt. Nobiles quidem actiõe, sed uulgus summorum uirorũ comparatione. Quid ergo est, quod Vulgus terræ uenit in saltum:] nisi quia religiosi, & simplices uiri per exempla bonorum operum, sæpe ad notitiam secularium deducuntur? Vbi mel in agro apparet: quia de exemplo boni operis apud seculares inueniunt, & deuotionis latitudinem, & fructum uenerationis. Quid enim est ager in saltu, nisi deuotio in inculto & inexpurgato corde secularium? Et quid mel super faciem agri, nisi dulcedo fauoris? Qui merito post ingressum uulgi apparere dicitˇ: quia uidelicet asperas secularium corda si prius religiosorum exempla nõ uident: nec latitudine deuotionis se ualent distendere, nec alienæ sanctitatis gloriam prędicare. Ante ingressum quidem tantum saltus est: nec agrũ habet, nec fluens mel. Post ingressum uero & latitudinem agri habet, & dulcedinem mellis: quia sæpe qui mundũ diligunt, sanctorũ exẽpla feruenti amore recipiunt: ut bonũ, quod uident, sibi non solum placeat, sed etiam prædicare attentius concupiscant. Ipsa tamen sanctorum, uita laudanda est, & laus ista ab eis, quorũ est, per uanã gloriam nullatenus capienda. Videri tantũ debet, excipi non debet: ut glorificari deum quisq; in suo opere gaudeat, sed de dei gratia extolli contemnat. Vnde & cautè expressum est, quia fluens mel super faciem agri apparuit, & tamen manum cum melle ad os nemo applicuit. Mel quidem fluit, quia dulcis fama sanctorũ dulciter uelociterq; currit. Sed manus ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare, est laudẽ operis sui gratanter accipere. Decurrat ergo mel, & nemo ad os manũ applicet: ut sanctorũ fama dulciter fluat, & ipsos, à quibus defluit, nõ extollat. Fluat, ut alios satiet: sed nõ sumatur, ne mortem propinet. Vnde & subditur: Timebat enim populus iuramentum.] Iuramentum regis est, omnis qui se exaltat, humiliabitur. Item iuramentum regis Luc.18 est, quod cõtra hypocritas profert, dicens: Amen Mat.6 dico uobis receperunt mercedem suam. Iuramentum ergo populus, timet: quia ne æternas amittat temporales recipere laudes cauet. Sequitur: Porro Ionathas non audierat cũ adiuraret pater eius populum, extenditq; summitatem uirgæ, quàm habebat in manu, & intinxit in fauo mellis & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.] Quos in hoc loco Ionathas, nisi illos insinuat, qui uerbo, & opere magni sunt, sed tamen studio circumspectionis magni non sunt. Alta quidem prædicant, fortia exercent, sed in humilitatis circumspectione se non uiriliter tenent. Quid est enim, quod uirgam tenet in manu, nisi quia disciplina, qua peccare alios prohibet, semetipsum non coercet. Virga quidem, qua paruuli solent corripi, sermo correctionis potest aptè designari. Prædicatio ergo, & opus bonũ, uirga & manus est. Quid est igitur uirgam extendere, & manum ad os cum melle reuocare, nisi tam de prædicatiõis uerbo, quàm de studio boni operis uani fauoris gustum recipere? Sed quia more electorum peccat, non uirga, sed extremitate uirgæ mel leuare dicitur. Virgam quippe, & manum melle plenam, ad os conuertunt, qui iuxta ueritatis uocem, omnia opera sua faciunt, ut ab hominibus uideantur. Dum enim suis laudibus saturan- Matt.24 tur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate uirgæ, sed uel in tota uirga, uel in manu ad plenam refectionem. Tales utiq; erant quibus dominus in euangelio exprobrat, dicẽs. Quomodo potestis credere gloriam ab inuicẽ recipientes?

Quid

Quid ergo est hæc uirgæ extremitas, nisi quia ple A
runq; & dominum glorificare in suo opere quidam uolunt, & apparere ipsi laudabiles non refugiunt? Merito igitur uocem patris, qua populum adiurauit, Ionathas non audisse dicitur, quia dei, siue eius prædicatoris uerba non audit, qui ea implere negligit. Quid uero est, quòd ex gustu mellis illuminati sunt oculi Ionathæ, nisi quia qui uani fauoris auram recipiunt, ex eodem ad agenda fortia roborantur. Hoc quidem loco non dicuntur aperti oculi, ut clausi fuisse sentiantur, sed ut reparato uigore corporis, ad uidendos intelligantur & ad extinguendos hostes reparati. Quod nimirum elatis omnino conuenit, qui ex eo maiora & fortia agunt, quo laudabilia opera sua effe- B
ri conspiciunt. Sed sæpe minor zelo charitatis accenditur, qui delinquentes magnos uiros ad scripturarum memoriam reducere conatur. Vnde & subditur: Respondensq; unus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus uir qui comederit panem hodie.] Patrem quippe adiurasse populum, & maledictum protulisse retulit, quia cum minor errantem uult prælatum dirigere, non debet asperè obiurgare, sed dulciter atq; humiliter ad maiorũ statuta memoranda reducere. Vnde dicit: Iureiurando constrinxit pater tuus populum.] Vt enim eũ dulciter admoneat, eũ qui iureiurando populũ cõstrinxit, patrem eius esse asseruit. Quasi enim alijs uerbis dicat: Tanto dilectius debes maiorũ instituta conseruare, quanto eorum locum altius uideris per successionis dignitatem retinere. Constrictus etiã populus iureiurando patris asseritur: ut nõ loquentis personæ humilitas, sed ostensæ authoritas attendat: ut si suggerentis ordo despicitur, illius qui monstratur, celsitudo timeat. Quem tamen patrem asserit: ut præcepta maiorum & timori esse debeant & amori. Dicat ergo: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus qui comederit panem hodie.] Quod tale est, ac si dicat: Eorũ te memorẽ esse uolo, quæ tua, non mea sunt: quia dum culmen maiorũ obtines, eorũ leges quasi hæreditario iure seruare debes. Panis uero nomine fauor adulantiũ rectè exprimitur: quia mentẽ uanitati intentã, & satiat, & cõ D
fortat: dum hanc ad agenda quæ laudari debeant, ualentiorẽ reddit. Quod quidẽ arrogantibus ualde conuenire cernitur, qui ad loquendum, prolatis laudibus, animantur. Et quia arrogans prædicator habet similes sibi subditos, laudis cupidos. Sequitur: Defecerat autem populus.] Quid est ad literam deficere, nisi lassescere? Qui enim laudes transitorias de uerbi prædicatione requirunt, deficiunt, cum non laudantur: quia nullo uigore uerba proferunt, quæ non laudari cernunt. Velut enim lassescentes deficiunt, dum despecti obmutescunt. Sed & dum non comedunt, uidentur deficere: quia si licitum haberent cibum fauoris, uelut refecti & fortes insequerent uitia prædicatione uerbi. Vnde & arrogantis prædicatoris forma ostenditur, per id, quod subiunctũ est. Dixitq; Ionathas: Turbauit pater meus terram. Vidistis eñ ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululum de melle isto, quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum quam reperit. Nonne maior facta fuisset plaga in Philistim?] Quid est enim, quod turbasse terram patrem reprehendit, nisi quia maiores statuta sua per imperitiam confudisse redarguit. Terræ quidem nomine subditorum humilitas designatur. Quæ nimirum turbari cernitur, quando errante pastorum iudicio, tranquillæ ueritatis ordinẽ deserere uidetur. Et quia dum fauores hominum arrogantes inhianter ambiunt, & hoc licitũ esse assẽrere conantur profectus suos in testimonium perducunt. Vidistis enim (ait) quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululum de melle isto?] Quasi dicat: Ex laude subiectorũ creui dũ non esse minor laudibus studui. Nam & electorũ prædicatorum mos esse solet, ut dum se laudari cõsiderant: hoc quod de se foris audiunt esse uiribus contendant Et idcirco paululum mellis se Ionathas comedisse retulit: quia arrogans linguæ fauores se excipere licenter putat ad uitæ profectum, non ad intentionem uanitatis. Sed omnino aliud est laudis præconia moribus adæquare contende re: aliud laudes appetere, ut in eisdẽ laudibus profectum uitæ possit inuenire. Laudes quippe suas moribus exæquare conantur, qui ipsas laudes despiciunt, qui laudari ab hominibus nunquam uolunt. Quantum certe in eis est, laudari uehementer refugiunt, sed quia non possunt omnino effugere ne laudentur, conantur esse quod audiunt. Sed quidem, bonis ostensis operibus, idcirco laudari uolunt, ut laudati maius conscẽdant in opus uirtutis Qua profecto præsumptionis sue æstimatione fallunt: quia qui in minimis laudes appetit, cum maiora opera fecerit, ardentius & ualde auidius laudes quærit. Et fortasse ideo post patrẽ Ionathas non potuit regnare, quia illos signabat, qui dum uanè se extollunt, uerè deficiũt. Addidit quoq; ratiocinando, & dicit: Quanto magis si comedisset populus prædam inimicorũ, nonne maior facta fuisset plaga in Philistim?] Mellis paululum in uirgæ summitate gustare est, de doctrinæ facundia qualitercunq; gloriari. Prædam uero inimicorum comedere est, uirtutis opera per memoriam repetere, & recolendo gaudere. Quasi enim prædam inimicorũ facit, dum ea in quibus occultis hostibus quis præualuit, ad memoriam ducit. Ea quoq; ad saturitatẽ comedit, qui quasi sua uirtute hæc fecerit, se inaniter & uehementer extollit. Dicit ergo: Quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum, nonne maior facta fuisset plaga in Philistim?] Quasi dicat: Cum ex breui gustu fauoris, tantus profectus sit, quid electi prælatores facerent, si plenas operũ laudes licitas ac iustas haberent. Sequit: Percussertũt ergo Philistæos in die illa à Magmis usq; in Aion.] Dies mẽtis est splendor eruditionis. Sed illi quos arrogantes eruditos, quia ambitione temporalis gloriæ accenduntur, simulationẽ lucis accipiunt,

non ueritatem. Dum ergo dies illa dicitur, quid aliud ſignatur, niſi quia ſæpe propoſito temporalis gloriæ fortia fieri uiderentur. In die nanq; illa, id eſt doctrina uel exemplo ſuperborũ percutiũt qui ad hoc miniſterio prædicationis inſeruiũt, ut ſplendorem glorię temporalis adipiſcantur. Et quia omnibus innoteſcere cupiunt, dicit: A Magmis uſq; in Aion.] Magmas (ut iam ſatis dictum eſt) humilitas, Aion uero frater meo mœrẽs interpretatur. Humiles autem hoc loco, puſilli ac ſimplices in ſancta eccleſia deſignantur. Mœrens uero frater quos alios inſinuat, niſi eos quos dominus
Matt.5 in euangelio collaudat, dicens: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabunt. Qui enim iam temporalia cuncta nouit deſpicere, & ad æterna magnis deſiderijs anhelare, dũ horret teneri in corpore, & gemit in illa æterhæ uitæ lætitia nondum eſſe, frater meus mœrens rectè nominatur. Frater quidem, quia Chriſti cohæres iã eſſe cœpit, ad cuius beatiſſimã illam atq; lætiſſimam hæreditatem totis deſiderijs ingemiſcit. Mœrens autem dicitur, ut perfectorum luctus inenarrabilis eſſe deſignetur. Mœrere autem non quomodo libet, ſed affectuoſiſſimè flere eſt. Quia enim ſpiritus ſancti gratia repleti ſunt, ad illam fletuum ubertatem perue
Rom.8 nerunt, quam egregius doctor aſſerit, dicens: Ipſe autem ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Mœrens etiã frater dicitur, quia redemptori in magna familiaritate perfecti quique coniuncti ſunt. Quem enim ſingulariter redemptor diligit, quẽ ſingulari dignitate ad perpetuæ hęreditatis poſſeſſionẽ nutrit, cum frater eius aſſeritur, ſingulari numero declaratur. Vnde & ad Moy
Exod.33 ſen quaſi ſingularem amicũ dicit: Noui te ex nomine. Hinc eſt quod de Ioãne in euangelio dicit:
Ioan.21 Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus. Qui enim omnes diſcipulos ualde diligebat, dum hũc diligere dicitur, frater ſingulari numero demonſtratur. In die illa à Magmis uſq; in Aion Philiſtæos arrogantes percutiunt, quia ut lucem gloriæ ſecularis accipiant, non ſolũ paruulis parua prædicant, ſed alta, quæ perfectiores agnoſcant. Et quia cum ſibi per intentionis peruerſitatẽ obſunt, nõnullis in Chriſto paruulis, pluribus etiam perfectioribus proſunt loquẽdo, à Magmis uſq; in Aion non pugnare, ſed percutere dicuntur. Philiſtęos quidem percutere eſt, dæmonum inſidias, uel uitiorum tyrannidem ab electiorũ corde perimere. Sed ſæpe elati doctores alijs per uerbum proſunt, & eiuſdẽ uerbi laudes nullas accipiunt, quas concupiſcunt. Vnde & frequẽter accidit, ut dum laudari, & efferri ſe non conſiderãt, uelut fatigati magnis laboribus, obmuteſcãt. Quare & ſubdit.

Defatigatus eſt autem populus nimis.] Mos quoq; eſſe elatorum ſolet, ut cum ab eorũ laudib. lingua aliena ſilet, æſtimatio ſua non ſileat. Tacentibus quidem alijs clamant, quia æſtimationis ſuę præconia in corde portant. Bene ergo de eodem populo ſubditur: Et uerſus populus ad prædam, tulit oues, & boues, & uitulos, & mactauere in terra, comeditq; populus cum ſanguine.] Oues quidem tollit, qui innocentiæ ſuæ cauſas multiplices ad elationem recolit. Boues in prædam tollit, quãdo labores prædicationis ſuæ cogitat, & quic quid alijs loquendo, uelut terrã excolendo, profecit, memorando coaceruat. Vitulos tollit, cum de eo extollitur, quod compreſſi motus laſciuiæ ad mentem reducuntur. Quia enim duo in magna iuſtorũ laude præcepta ſunt, uidelicet ſplendor charitatis, cum luce boni operis, dum æſtimatione ſua quiſque arrogans extollitur, & oues, & uitulos tollere perhibetur. Oues quidem in innocentia bonorum operũ, uitulos uerò in mortificatione corporalium paſſionum. Quibus nimirum boues inſeruit, quia perfectè nõ extollitur, qui ſe infirmum & impotentem in parte aliqua contemplatur. Magnus quidem apud ſe iam eſt æſtimatione pudicitię, & boni operis, ſed in faſtu amplioris elationis ſe eleuat, dum perfectũ ſe recolit in labore prædicationis. Sed hæc omnia ad quẽ finem perducantur, ſubſequenter expoſitũ eſt. Et mactauere in terra.] In terra oues, & boues, & uitulos mactare eſt, de uirtutum cõſcientia ima & carnali lætitia exultare. Vnde & per Oſeam de elatis, & arrogantibus dicitur: Victimas demerge- Oſeæ 5
bant in profundum. In profundum quidem uictimas mergunt, qui cœleſtes uirtutum hoſtias non in cœlum per gratiarum actionem ſubleuant, ſed ad terram per appetitum uanæ laudis inclinant. Vnde & bene ſubditur: Comeditq; populus cũ
ſanguine.] Mentis cibus interna eius lætitia eſt. Quid eſt ergo comedere cum ſanguine, niſi ab interno appetitu mentis, intentionem uani fauoris nequaquam remouere? Velut enim ſanguis abijcitur, cum mens à gaudio boni operis intentionẽ remouet uanitatis. Huiuſmodi enim mens lætari in bono opere nouit: quia appropinquare cœleſtibus per opera bona gaudet, quæ in eiſdem operibus uideri ad tempus refugit. Cum ſanguine ergo comedere eſt, gaudiũ boni operis ſumere permiſtum uanitatis intentione. Quod nimirũ cũ ab alijs offertur, elatis ſimplex cibus eſt: cũ uero nullis laudantibus, conſcientia ſuperborum intumeſcit, quaſi per prædam uiolenter tollunt, quod aliquis ſponte non tribuit. Sequitur: Nunciauere
autem Saul dicentes quod populus peccaret domino comedens cum ſanguine. Qui ait: præuaricati eſtis. Voluite ad me iam ſaxum grande. Et dixit Saul: Diſpergimini in uulgus, & dicite eis, ut adducat unuſquiſq; bouem ſuum, & arietem, & occidite ſuper iſtum lapidẽ, & ueſcimini, & nõ peccabitis domino cum ſanguine comedentes.] Prædicatorũ ſanctæ eccleſiæ propriũ eſt, & perpetratas culpas reprehendere, & qualiter reprehenſæ uitari debeant, monſtrare. Reprehenſæ quidẽ innoteſcunt, ſed ſi uitari neſciantur, oſtenſæ repetuntur. Quid in hac ſanguinis comeſtione, niſi latens elatiõis uirus oſtenditur? Latẽtia aũt uitia niſi expoſita non curant. Vt ergo prædicatorũ mores inſinuet, Saul prius pręuaricatũ fuiſſe populũ aſſerit, deinde in lapide occidi, quę manducẽt, animalia, præcipit. Sed ſaxũ, ſiue lapidẽ nouimus, quia

hunc

hunc Paulus ostendit, dicens: Petra aũt erat Chri
1.Corin.10 stus. Lapis uero ad prædicatorem uoluitur, cum coram eo redemptoris exempla memorant̃. De-
uolui etiam dicitur, ut ex omni parte uideat̃. Gran
Daniel 2 dis uero dictus est: quia per Danielẽ crescere perhibetur, & omnem orbis faciem implere. Non ergo quomodolibet, sed ab utroq; latere reuolutus aspicitur, ut ab arrogantibus conspiciatur deus & eorum arrogantia deprimatur. Videat ergo arrogans quàm potens in uirtute, quàm sublimis in maiestate, quàm humilis in uirtute redemptor no
Mat.9 ster apparuit. Nam cæcos illuminãs, ægros sanans præcipiebat ut quod potenter egisset nemini diceretur. In monte resplenduit, patrem testimonium suæ diuinitatis produxit, & tamen discipulis
Ibidem 17 ait: Nemini dixeritis uisionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat. Et fortasse idcirco resurgente iam domino, ad monumentum angelus
Luc.24 apparuit qui ab eius ostio lapidem reuoluit. Tunc quippe reuoluendus erat lapis, quia Christus uerus homo, & potens deus post resurrectionis gloriam erat agnoscendus. Si ergo unam partem lapidis aspexit elatus, uoluat lapidem, & aliam uideat. Non qualitercunq; lapidem uideat, quia non est mortuus Christus, sed reuolutum ab angelo, quia à mortuis resurrexit. Aspiciat ergo facundiam prædicationis hinc, & uoluat, & miretur illinc splendorem humilitatis. Videat signorum potentiam hinc, & inde uideat, quia qui uirtutis potentia claruit, eandem uirtutem præcepto silentij occultauit. Sed dum uidet partem humilem, uideat & sublimem. Ecce humilis pars lapidis cernitur, quia dicit: Humiliauit semetipsum, factus obedi-
Philip.2 ens usq; ad mortem. Sed si ista pars uoluitur, altera reuelatur, quia subiungitur: Propter quod deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Ad prædicatorem ergo lapidem uoluimus cum coram ipso redemptoris nostri potentiam, & humilitatem memoramus, cum & in operibus eũ attendimus humilem, & ex humilitate in cœlo sublimem. In hoc quidem lapide bos, & aries occidatur, ut in omni hominũ genere elationis uitiũ Christi contemplatione mactetur. Ibi quippe omnis sanguis effundit̃: quia qui exẽplo Christi instruitur, magna agit, sed de illis ma- D gnis operibus se non extollit. Pascitur quidẽ lætitia boni operis, sed nõ cruentatur cibus eius sanguine uanæ laudis. Nam lapis ille si in uerbis re-
Ioan.15 uoluitur, dicit: Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Sed quia de uerbis nõ tumuit, uoluens se, ait: Ego non quæro
Ioan.7 gloriam meam. Bos ergo, & aries in lapide occidi tur, quando exemplo redemptoris omnis cornuta elatio condemnatur, quando electus quilibet & bene agit, & optimè docet, sed nec uita eũ erigit ppria, nec eruditio aliena. In ariete quippe robur propriæ innocentiæ exprimitur, in boue autẽ labor, & fortitudo prædicationis. Qui in petra occiduntur, ut sic electam mentem gaudendo reficiant, ut ei mistum in se cruorem carnibus non impendant. Hoc quidem electus prędicator nõ solũ

A loquitur, sed etiam persuadet. Vnde & subditur: Adduxit itaq; populus, unusquisq; bouem in manu sua usq; ad noctem, et occiderunt ibi.] Bouem in manu adducere est, peccatum elationis pœnitentiæ afflictione delere. Dum enim operando delet, quod superbiendo deliquit, mactandũ bouem in lapide per manum ducit. Quid est autem quod dicit, Vsq; ad noctem,] nisi quia & pecca re non licet, sed delere peccata usq; ad mortem licet. Vsq; ad noctem ergo boues mactandi sunt, nõ in nocte: quia dũ uiuimus peccata delere pœnitendo possumus, post mortem fructuosam age re pœnitentiam non ualemus. Bene autem in eodem loco subditur: Ædificauit autem Saul alta-
B re domino,] quia dum peccatores conuertuntur, quasi ex lapidibus cœleste ædificium fabricatur. Et quia plerisq; codices habent: Tuncq; primum cœpit Saul ædificare,] potest altaris nomine cõpunctio cordis intelligi. Quando enim per uerbũ doctoris compunctio cordis erigitur: nimirũ altare domino ædificatur. Et primum ædificatũ dicitur, quia est compunctio amoris. Vnde & in ta- Exo.27
bernaculo fœderis duo altaria fieri à domino iussa sunt, adolendis, scilicet thymiamatibus unum, alterum comburendæ carni. Primum altare foris erat, secundum intra sancta sanctorum. Altare ergo primum compunctio timoris est, altare secun dum cõpunctio amoris. Illud quippe peccata lu-
C gentiũ est, istud uero ad æterna gaudia totis desiderijs inhiantiũ: illius lapides recogitationes peccatorum, huius lapides meditationes perennium gaudiorũ. Altare ergo primum doctor ædificat, quando culpas exponit, quas dum in se peccator aspicit, ingemiscit. Merito etiã altare cõpunctio dicit̃, quia incẽsat. Sed cũ diu pro peccatis suis unusquisq; compungit̃ pœnitendo proficit ad usum securitatis. Nã post afflictionis tẽpora ardere incipit ad æternam uitam, & qui prius lugebat pro pauore supplicij, flere iã copiosi⁹ incipit pro dilatione mercedis. Quia ergo prima electorũ compunctio ex timore nascitur, dũ per typũ regis, & populi prędicatores, & nuper conuersi subditi designantur, altare tunc primum Saul ædificasse dicitur. Sed ex aliorum profectu sæpe doctor ad ali-
D orum lucra consequenda succendit̃. Vnde & subditur: Et dixit Saul: Irruamus super Philistim nocte, & uastemus eum usq; quo illucescat mane, & non relinquamus de eis uirum.] Hoc supra satis expositum est, sed quia in nocte, & usque quo illucescat dies percutere Philistæos appetit, hoc profecto insinuat, quia ne in futurũ nocere dęmones possint, à cordibus peccatorum modo expellendi, & perimendi sunt. Nox quidem uita hæc dicitur, cum æternæ comparatur. Nam qui illam uitã contemplari dignè potuerit, illius cõparatione quicquid hic lucidũ cernit̃ noctis obscuritas esse iudicatur, Illucescit autẽ dies illa, quando in fine huius uitę, electis animabus se aperit. In egressu quippe suo de corpore electa anima illucescentem sibi æternitatem uidet, quia lucẽ præsentis seculi quasi tenebras nõ aspexit. Quid uero est, q̃ dicitur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

citur, Et non relinquamus ex eis uirum.] Sed omnis Philistæus uir uastari debet, paruulus omnis nequaquam uastari potest. Nemo enim sine peccato, nisi solus deus. Viri ergo capitalia crimina, & uitia principalia sunt. Sed tunc uirorum, id est, fortium nomine designantur, cum peccatorum sibi corda subijciunt. Bene ergo dicit: Non relinquamus ex eis uirum,] quia conuersi peccatores sanctorum prædicatorum consilio fortia quæque peccata, & uitia deserunt, sed nullũ peccatum aut uitiũ habere non possunt. Possunt cauere crimina, sed omnia non possunt uitare peccata. Possunt uitia extinguere, sed ne aliquo eorum quomodocũq; pulsent, nõ prævalent exercere. Dicit ergo: Non relinquamus ex eis uirũ,] quia prædicatores sanctæ ecclesiæ & uitia nos eradicare præcipiũt, sed dum fortia, & principalia in nobis necant, agere nequeũt, ut quædam eorum per tenuem motum nequaquam uiuant. Et de populi obedientia subiungens, ait: Dixit populus, omne quod bonũ est in oculis tuis, fac.] Oculi prædicatorũ sunt intuitus rationis. Qui ergo arbitrio doctoris cõmittit, dicere ei rectè perhiberetur. Omne quod bonũ est in oculis tuis, fac.] Quasi dicat: Quia nos de ratiõis nostrę illuminatione diffidimus, rationis tuæ luci committimus, q̃d nobis de esse iudicamus. Sed hoc quod dixit Saul: Irruam⁹ super Philistim, potest intelligi, quia non deliberata ꝓtulit, sed hoc dicendo, an esset super Philistim irruendũ cõsuluit. Quod aũt populus cito assensum præbuit, hoc quod uidem⁹, insinuat: quia nonnulli intra sanctã ecclesiã antequã uerba maiorũ intelligant probant. Nam protinus subditur: Et ait sacerdos: Accedamus huc ad dominum. Et consuluit Saul dominũ dicens: Num persequor Philistim, Et nõ respõdit ei dominus in die illa.] Quid est, q̃d consulentis regis uerba, quæ populus laudat, sacerdos ad dominum esse deferenda denunciat, nisi quia obscura & magna negotia, quæ simplices latent nunquã bene disponuntur, si eorum exitum in sacrario mentis subtili meditatione non quærimus. Ad dominum quippe accedere est, eius uoluntatem secreta contemplatione cognoscere, Et bene accessus dicit: quia ab exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitũ in diuina uoluntate cognoscere tentamus. Nam qui occulta, & intima quærit, & exteriora nõ deserit, ea quæ nescit adire, non inuenit. Quando ergo à nobis de occultis rebus consiliũ quæritur, ad dominũ accedamus, ut tunc demũ ꝙ agendum est, proponatur, cum in diuina uoluntate cognoscitur. Multa enim uidentur bona esse, & nõ sunt. Plæraq; etiam facienda sunt, sed utilius fiunt, si congruo tẽpori reseruentur. Quædã quoque alij facere debent, alij uero non debent. Quæ nimirum si electus quilibet in secreto meditationis uidere negligit, ea utiq; recto ordine non disponit. Econtra autem qui discutere ea, uel agere meditando cõsueuit, non solũ agenda, sed etiã uitanda cognoscit. Vnde & bene dicitur: Consuluit Saul dominum, & non respondit ei dominus in die illa.] Dies est cogitatio mentis, quæ bona putatur, & non cognoscitur: Nam dum bonam se esse simulat, quasi lucẽ portat: In die ergo illa dominus cõsulenti se non respondit: quia uerbũ dei cum mala deliberatione cõuenire nõ potest. Per responsum quidem uerbi, patefacere solemus sensum intimę uoluntatis. In illa igit̃ die dominus nõ respondet: quia omnipotẽs deus in simulata cogitationis luce nõ cernit̃, qui semper in claritate ueritatis inuenitur. Et notandum quia qui accedẽdi ad dominum cõsilium tribuit sacerdos fuit. Quid eĩ sanctius q̃; consilium accedendi ad deum? Sacerdotes ergo toties sumus: quoties fratribus bona consilia ministramus. Sacrius enim nihil dari potest, quàm id per quod quisque ire ad conditorem debet. Nos autem quia ordinem spiritualis pugnæ describimus, continuare priora sequentibus debemus. Verbum quidem Saul fuit, ut sic Philistæos uastaret, ut ex ijs uirum non relinqueret. Quod sic etiam intelligi potest, quia ita uolebat Philistæos perimere, ut eorũ nullus ultra mouere bella potuisset. Magna quidẽ hæc dies mentis est, qua sic æterna quęruntur: ut temporalis hostis nullus à cæde relinquatur. Sed quia nulli conceditur, sic temporaliter uincere, ut non debeat omni tempore pugnare, merito dicitur: Non respondit ei dominus in die illa.] Respondere dei non solum intimi uerbi eius est, sed gratiæ, & muneris. Quando enim benignè concedit, quod piè petitur, respondere perhibetur. Non ergo respondet dominus in die illa, quia permittit quidẽ electis ut uincant: sed de hostibus quasi uiuentes deserit, ut cum quibus semper pugnent, inueniãt, Quod tamen si ideo dicitur, quia Ionathæ culpa cælatur: magnus timor prælatis incutitur. Filius quidem peccat, & patri eius responsionẽ negat. Vnus etiam deliquisse cognoscitur, sed pro uius culpa insequi hostes suos cũcti pertimescunt. Quid in hoc facto signatur, nisi quia peccata subditorum, non solum sibi, sed etiam prælatis, & secum communiter uiuentibus nocent? Quia uero latens hæc culpa à rege discutitur uideamus iã qua sublimitate latentia quæq; perquirant̃. Nam sequitur: Applicate huc uniuersos angulos populi, & scitote, & uidete per quem acciderit peccatũ hoc hodie. Viuit dominus saluator Israelis, quia si per Ionatham factum est, absq; retractione morietur.] Quibus nimirum uerbis ordinatum ualde iudicij ordinem demonstrauit: quia culpa prius inuenienda est, deinde pœna irroganda. Nam iudicij ordo confunditur, si ante inuentæ culpæ discussionem proferatur. Ne enim ante discussionem feriat, dicit: Applicate huc uniuersos angulos populi, & uidete, & scitote per quem acciderit hoc peccatum hodie. Et quia cognita culpa austerius ferienda est, iurat, dicens: Viuit dominus, quia si per Ionatham filium meũ factum est, absq; retractione morietur. Tractari quidem diutius debet, ut inueniatur culpa: sed postquam inuenta est, in ea uiuus aliquis relinqui non debet. Absq; retractione perimitur, qui uiuere in peccato, statim

to, statim ut innotuerit, prohibetur. Sed istud absque retractione, scilicet perimere, absq; retractione non est: quia multa consideratione pastor utitur, ut culpa, quam retractando inuenit, feriri absque retractiõe, et extingui uelociter possit. Quòd si iuxta historiam huius paterni iuramẽti pondus attendimus, & illius temporis feruorem, & huius teporem pariter contuemur. Antiqui etenim patres, ut deo placerent, ad mortem filijs etiam non parcebant. Nos autẽ eos quos secundum carnem diligimus, etiam tenui asperitate uerborum insequi non audemus. Ecce, qui ad regnum filium nutriebat, dicit: Quia si per eum peccatum factũ est, absq; retractione morietur. Nos peccantes cernimus, & obiurgare peccantes aut nolumus, aut timemus. Cur ergo hoc facimus, nisi quia deum sicut illi nequaq; diligimus? Nam Moyses ut bene peccatũ idololatrię uindicaret, leuitas uiginti tria milia uirorũ iussit occidere. In cuius nimirũ exercitatione cædis dixit: Si quis est domini, iungatur mihi. Ponat uir gladiũ super femur suũ, ltẽ & redite de porta usq; ad portã, & occidat unusquisq; fratrẽ suũ, & amicũ, & proximũ. Quasi dicat: In hoc ostendet quisq; quia sit domini, si pro eius amore fratri, proximo, uel amico non parcit. Dicit ergo Saul de filio: Quia absq; retractione morietur:] quia nobis iam sub redemptoris gratia uiuẽtibus, & si mors non decernit corporis, peccati non debet uita dilatari. Absque retractatione quippe rector interficit, cũ affectus carnis non aspicit, sed cùm crimen inuenit, uelociter ferit. Retractat quidem, qui ne scelestum acriter pungat, obsequia abeo sibi impensa, aut consanguinitatis affectum cogitat. Qua in re notandũ est, q; nõ omnes culpæ acriter feriendæ sunt. Nam leues pulueris maculæ melius excutiendo, quàm lauando, aut ignẽ apponendo terguntur. Graues etiã culpæ in omnibus æqua asperitate insequendæ non sunt: quia uulnera corporũ pro ipsorũ corporũ natura, & robore uigorẽ exigunt medicinæ. Plerunq; tamen prælati ecclesiæ cùm culpas audiunt, plus iusto inferuescunt, & dum uindictã metiunt, nec uulnerũ qualitatẽ, nec personarũ delinquentiũ uigorem respiciunt. Qui nimirũ tolerandi sunt, cùm minantur, sed ab ultione bonorũ cõsilio sedandi sunt. Vnde & hic subiungitur: Ad quod nullus contradixit ei ex omni populo.] Quia enim maiorũ minæ humiliter ferendæ sunt, dicitur: Nullus contradixit ei.] Et quia eorum nimietas salubri piorũ consilio refrenanda est, non ualde inferius cùm eandem mortem filio inferre rex tentat, omnis populus clamat. Ergo ne morietur Ionathas, qui fecit salutem hanc in Israel? Liberauit ergo populus Ionatham ne moreretur. Sed quia nondum inuentam culpam non ferire, sed inuenire satagit latentem, Sequitur: Et ait ad uniuersum Israel. Separamini uos in parte una, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera.] Quid est quòd regis precepto populus à rege & eius filio separatur, nisi quia dum culpa latens & suspecta quæritur, & superiores & inferiores personæ discutiendæ sunt,

Exod. 32

A Sæpe quidem populus, sæpe eorum rector delinquit, & aliquando ipsa subditorum culpa prælato adscribitur, quo negligente impleri perhibetur. Cùm ergo ostensis superius indicijs: quia lateat in populo culpa cognoscitur, & in quo sit abscondita nescitur, se rex admiscear, ut an sua sit culpa, uel populi pastor sciat. Equidẽ rex Saul conscius culpæ non erat, quam ipse nec consensu, nec opere perpetrauerat, & tamen discutiendus miscetur, ut si in se etiam latet inueniatur. Quasi enim se peccati inscium perquirebat, qui dicebat: Nihil enim mihi cõscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me dominus est. Quasi dicat: quærere meipsum & inuenire non desino: quia si mihi lateo, cui nuda sunt omnia nõ latebo. Dicat ergo rex peccati illius, quod discutiebat, non conscius. Ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera:] quia electi doctores cùm in alijs per rectitudinis zelum sæuiunt, sibimetipsis & suis familiaribus nequaq; parcunt. Quasi enim in una parte populum separant, & semetipsos non separant, qui subditorũ culpas discutiunt, & ut semetipsos inueniant, inuestigare non curant. Magnũ quippe est humanæ ignorantiæ pelagus. Nã si nosmetipsos quærere, & quales simus inuenire uix aut nunq; possumus, alios quando possumus? Quid est em quod Propheta deplorat, dicens: Cor meũ dereliquit me. Quid est, quod scriptura sacra denunciat: Ignorat homo, utrũ odio uel amore dignus sit. Itẽ quæstionis suæ fructũ propheta denunciat, dicens: Inuenit seruus tuus cor suũ. Si uix inuenire cor sancti possunt, nosmetipsos inquirere, qua temeritate cessamus. Sed fortasse nec prophe ta potuit: quia subiunxit: ut timeat te. Inueniret utiq; cor suũ, si pleniter cognouisset, odio an amore dignus existeret. Qui ergo nõ inuenit, ut coram deo securus esset, inuenit utiq; ut timeret. At nos nec istud facile possumus: quia dũ inuenire peccata nostra, & inuẽta pensare negligimus: quasi perdito corde securi sumus. In parte ergo altera ij, illi in altera statuuntur, ut singulorũ occulta considerentur, & inuenta culpa digna pœna feriat. Quod quia laudandũ ualde non dissuadendũ est, Sequit:

Respondit populus Saul: Quod bonum est in oculis tuis fac.] Quid est autẽ, quòd populo Saul, ut se in partem unam separaret, præcipit, & populus facere regem rogat, quod precipit, nisi quia inquirere semetipsos simplices nescIunt, etiã cùm iubentur. Dicit ergo: Fac quod bonum est in oculis tuis.] Quasi dicat: Tu melius agere nostra poteris, qui lumẽ cordis non solum tibi, sed etiam nostris præuidendis itineribus suscepisti. Sed rector de interna illuminatione laudatur, quam per gratiam habet, per æstimationem non habet. Laudatur quidem quia cognoscere secreta aliorum possit, sed ipse semetipsum posse scire diffidit. Quia ergo lumen sibi tantæ gratiæ non adscribit, à deo postulare hoc precibus non omittit. Vnde & sequitur: Et dixit ad dominũ deum Israel: Da iudicium. Quid est quod non responderis seruo tuo hodie? Si in me aut in Ionatha

B

C

D

1. Cor. 4

Psal. 37

Eccli 9

2. Reg. 7

filio meo hæc iniquitas est, da ostensionem: aut si est in populo tuo hæc iniquitas da sanctitatem.] Indiciũ ergo dari petimus, quando nobis abscondita reuelari flagitamus. Sed quærendum est, quid sibi uult tanta uerborum diuersitas? Nam in se & filio ostensionem dari petit, si in populo est iniquitas, sanctitatem. Quod tamẽ dici breuiter potest, quia electi doctores sciunt propriam fortitudinẽ, sciunt populi subiecti infirmitatem. Pro se ergo solam ostensionẽ culpæ petunt: quia austeritate pœnitentiæ hanc soleant insequi sciunt. Pro populo autem sanctitatem quærunt: quia culpas subditorum solum scire appetunt, sed quos inueniunt prauа agere, rogant ad ueniam per lamenta peruenire. Quid est enim dicere, da sanctitatem, nisi sanctifica, quos demõstras? Mihi eorum occulta detegis, sed detegendo nihil agitur, si quod ostẽdis, gratiam refundendo, non operis. Quia uerò sæpe stant subditi, & prælati cadunt, Sequitur: Et deprehensus est Ionathas & Saul.] Et quia ipsa etiã culpa non facile à quo sit perpetrata cognoscitur. Sequitur: Et ait Saul: Mittite sortem inter me & filium meum. Et captus est Ionathas.] Qui sortes mittunt, per uisibilium rerum coniecturas latentia sæpe deprehendunt. Sic nimirum Ionas fu-
Ionæ 1 giens noscitur, sic Mathias apostolus apostolica
Act. 1 celsitudine dignus inuenitur. Sortes ergo spirituales ponimus, quando per exteriora signa operum, ad occultorum notitiam peruenimus. Sors enim uniuscuiusq; propria est conuersatio. Vnde
Sapien. 2 in Sapientia reprobi dicunt: Coronemus nos rosis anteqũ marcescãt, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, ubiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Econtra autem Psalmista precatur, di-
Psal. 141 cens: Portio mea domine sit in terra uiuentium.
Philip. 3 Quod etiam Paulus denuncians, ait: Nostra conuersatio in cœlis est. Doctor ergo quasi singulorũ sortes tenet, dum uniuscuiusq; conuersationẽ uidet. Et dũ culpa noscitur, & rei persona nescitur, quasi sortes mittit, dum modum facinoris comparat personæ negligentis. Sed & sorte culpam deprehendit, dum quodam signo coniecturæ peruenit ad euidentem criminis ueritatem. Negligenter quidem præeminet, qui cõmissorum sibi fidelium nescit & fortitudinẽ & infirmitatem. Nosse enim debet fortes subditos, quibus sint uirtutibus apti, quibus infirmi sint uitijs per negligentiã proximi. Nosse debet, quæ uirtutum deuotio istos excitet, quæ illorum negligẽtiam qualitas uitiorum turbet. Quasi ergo in exterioribus sortes singulorum tenet, dum præuidet quibus illi possunt uitijs obrui, quibus isti uirtutibus exaltari. Causa igitur cognita, quasi sortibus signa imprimit, dum patentis culpæ notam illius conuersationi adscribimus, qui per negligentiam pronus, & uicinus ad illud facinus perpetrandum ante fuisse uidebatur. Sed coniectura hæc habeatur ad indagandam ueritatem, non ad rei inuentæ certitudinem: quia illic statim subditum est. Dixit autem Saul ad Ionatham: Indica mihi quid feceris.] Quid est enim A quòd captus interrogatur, nisi quia culpæ, quę signis, aut coniecturis deprehensæ uidentur, feriendæ adhuc non sunt. Quasi enim iam uulnus tenetur, sed adhuc tectum est. Discooperiatur ergo, ut mederi ualeat & curari. Cogendus quidem aut admonendus est, ut culpam quæ iam uelut palam cernitur confiteatur. Dicit ergo: Indica mihi quid feceris:] quia crimen quod apertis quibusdam indicijs noscitur, ante iudicandum non est, quàm apertissimè demonstretur. Et quia electorum est peccare, & resipiscere: culpas perpetrare, & perpetratas confitendo detegere, Sequitur:

Et indicauit ei Ionathas, & ait: Gustans gustaui in summitate uirgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior.] Quid est quòd ait: B gustans gustaui. Quare non dixit superius gustans gustaui paululum de melle isto, cùm dixit: Vidistis quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululum de melle isto? Sed quidam dum peccata confitentur, ea nimirum quibusdam uocibus minuunt, dum se non ex toto animo cõmisisse ostendunt. Econtra autem electi uiri quando se de minimis accusant, ea utiq; non quasi parua, sed quasi magna pronunciant. Quid est dicere: Gustans gustaui:] nisi quòd foris peccatum exercui, magno cõcupiscentiæ ardore compleui. Et quid est post peccati confessionem dicere morior, nisi mortem à se pœnitendo & confitendo expellere, & expulsam timere? Quod quidẽ propriè est electorum, qui peccata sua deserunt, & ta
C men hæc quasi non deserta pertimescunt. Et quidem puris confessionibus, & austeris pœnitentiæ cruciatibus delent, sed quasi non deleta uehementer timent. Sed quid est quòd ait: In summitate uirgæ,] nisi quia dum nos cõfitendo insequimur, proferre contra nos mendacium non debemus? Peccatum quidem in cõfessione prodendum est, sed augmentandum mendacio non est. Tale quidem debet esse in cõfessione, quale fuit in opere. Vt ergo ardor concupiscentiæ bene prodatur, dicit: Gustans gustaui.] Et ut qualitas eius appareat, subditur: In summitate uirgæ.] Quasi dicat: Audacter inflammatus feci, sed hoc feci. Et quia filius regis cõfitetur, dicit: Quę erat in manu mea.] Virga Ionathæ prędicatoris doctrinam
D atq; disciplinã signat. Quę in manu tenetur, quando non solum docet, sed quod docet operando exercet. Quid est ergo quòd ait: Quæ erat, non quæ est in manu mea,] nisi quia æstimationem electorum insinuat, qui etiam cùm parua cõmittũt, prædicationis ministerio se indignos arbitrantur. Dicit ergo: In summitate uirgæ, quæ erat in manu mea.] Quasi dicat: De illo superbiens peccaui, quo peccando me indignum feci. Erat ergo in manu mea, & non est: quia etsi aliquando feci quod docui, illud quod operãdo tenui, superbiendo amisi. Nunc igitur timore perterritus dicit:

Ecce, morior.] Et quia isdem metus aliquando diuina inspiratione menti incutitur, aliquando comminatione doctorum, subditur: Et ait Saul: Hæc faciat mihi deus, & hæc addat: quia

morte

morte morieris Ionatha. Sequitur: Dixitq; populus ad Saul: Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem magnam in Israel? Hoc nephas est. Viuit dominus si ceciderit capillus de capite eius in terram: quia cum deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus Ionatham ne moreretur.] Quid est ergo quod dicit: Ergo ne Ionathas morietᵉ,] nisi quia alius de eadē culpa moreretur? Quibus nimirū uerbis populi nobis ostēditur uirtus magnæ discretionis: quia in electorum examine, non solum culparum causæ pensandæ sunt, sed etiam merita personarum. Quod apertè his uerbis ostenditur: quia non ideo Ionathas non moriturus asseritur, quia erat filius regis, sed quia in Israel magnam salutem fecit. Cùm ergo magni uiri cadunt, cōmuni iudicio tradendi non sunt, quia priora opera promerentur, ut posteriorū grauitas leuigetur. Ipsa autē culpę leuigatio non acceptione personæ decernēda est, sed respectu prioris uitę: quia ad absolutionem illius, sanctæ ecclesiæ lucra pensanda sunt, non carnalis affectio admittenda. Sed quid mirum si ad absolutionē peccatoris propria merita suffragantur, quando in sacri eloquij autoritate discamus, quia alij pro alijs liberati sunt. Aliorum quidem bono opere alij adiuuantur, sicut ad peccantē regem Salomonē à domino dicitur:
3.Reg.11 Quia non custodisti præcepta mea, disrumpens scindam regnū tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, sed de manu filij tui scindam illud. Hinc est quòd non solū patrū opera filijs prosunt, sed etiam ciues pro ciuibus liberandos agnouimus.
Gene.18 Euertendæ quidem Sodomæ se promisit dominus parcere, si in ea tantum decem iustos inueniret. Hierusalem quoq; respici misericorditer dicitur: quia aliquanta bona opera in ea inuenta sunt. Hinc est, quòd Heli uita propria iustus, sed authoritate pastorali remissus, à uiro dei audiuit.
Supra 2 Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad uirilem ætatem peruenerit, uerumtamen non auferā penitus ex te uirū ab altari meo. ut sacra scriptura hic apertè monstraret, & pro dissolutione percussum, & pro præterita cōuersatione respectum. Sed percuti fortasse ex parte potuit: quia qualemcunq; uitæ immunditiā habuit. De Ionatha ergo bene dicitur: Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nephas est. Viuit dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum deo operatus est hodie.] Quasi dicat: Qui magna opera fecit, absolui ex toto dignè promeruit. Quia igitur in ecclesiastica censura etsi non est acceptio personarum, est tamen discretio meritorum, aptè concluſit sententiam, dicens:

Liberauit ergo Ionatham populus ne moreretur.] Quo in loco notandum est, quia rex bis iusiurandum interfectionis Ionathæ superius protulit, quem tamen uictus populi instantia non occidit. Quid est quòd iurauit, & iuramenti assertionē nequaq; seruauit? Sed ex hac re duo nobis documenta proueniunt, ut cauti scilicet & discreti esse debeamus. Cauti quidem ne iuremus, discreti, si A agere peruersa iuramus. Qui em̄ iurare cauet, periurare omnino non potest. Sed cùm malè iuratur, iustius iusiurandū dimittitur, quàm compleantur crimina quæ iurantur. Sit ergo unusquisq; cautus anteq; iuret, ut aut ne omnino iuret, aut facturum se mala non iuret. Cautos quidem nos esse dominus insinuat, dicens: Sit sermo uester, est est, non Matt.5
non. Nolite iurare neq; per cœlum, neq; per terram. Econtra aūt reprobi & incauti quidem sunt, & discreti non sunt. Nam sæpe se acturos mala repromittūt, & reuocare promissa, quasi periurium incursuri, non satagūt. Hinc est quòd Herodes in- Mar.6
cautè iurauit, & nepharīū iusiurandū quod protulit in præcursoris domini morte compleuit. Cauti ergo in nostris dispositionibus esse debemus, sed B si cauti esse negligimus, prætermittenda sunt proposita, non implenda. Sic quippe à proposito desistere, non est uitium leuitatis, sed uirtus discretionis. Tamē iurare quę reuocanda sunt & detestanda omnino cauendum est & uehementer horrendum, quia cùm tale iusiurandū non impletur, non omnino culpa uitatur, sed minor eligitur. Sequitur: Recessitq; Saul, nec persecutus est Philistim.] Cū Ionathæ culpa reperitur, cùm iusiurandum rex non perfecisse cognoscitur, cessare Philistæos persequi perhibetur: quia dum propria infirmitate pastores deprimuntur, lucra aliorū exquirere fortiter nequeunt. Cessare etenim persequi Philistæos est ad tempus uitia aliorū insequi, prædicando desistere. Prius enim esse intendendū iu- C dicant ad purificationem suam, deinde purgati uigilandum ad salutem alienam: quia dum silent, semetipsos præparāt, ut quasi per pœnitentiā suam ad lucra aliorū fortiter surgant. Et quia sæpe dum doctor sibi conscius silet, quibusdam eius subditis maligni spiritus impia suggerendo non silent. Sequitur: Porrò Philistim abiere in loca sua.] Tacentibus quidem doctoribus, in loca sua dæmones abeunt: quia per pastorum silentium non pereunt, nisi quia ad uitam æternā prædestinati non sunt. Loca etenim dæmonū sunt: quia diuina præscientia in habitaculum dei præordinati non sunt. Hinc est, quòd prædicantibus primis doctoribus
dicitur: Credebant quotquot prædestinati erāt ad Act.13
uitam æternam. Hinc Paulus ait: Quos præscíuit, Rom.8
& prædestinauit, & quos prædestinauit, uocauit. D
Hinc est quòd uolentes Apostoli transire in Asiā Act.16
à spiritu sancto prohibiti sunt. Qui ergo non prædestinati sunt, siue audiant doctorum uerba, siue non audiant, uocari in dei habitaculum nequeūt: quia per nequitiam in qua sunt ante constitutionem mundi præcogniti, locum in se malignis spiritibus parauerunt. Bene igitur dum insequi Philistæos cessare dicitur, in loca sua dæmones abijsse referuntur: quia aliquando dei dispensatione doctores tacent, ut illis tacentibus ij qui domini non sunt, à malis spiritibus recipiantur. Sed (ut dixi) cùm post culpam pastores tacent, semetipsos humiliant, ut purgati in ministeriū prædicationis potenter surgant. Dū tacent, infirmitatē suam pensant, sed considerando semetipsos, cōtra occultos hostes

Universidad de Deusto
Biblioteca

hostes se ualidius roborant. Vnde & bene subiungitur: At Saul cõfirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum contra inimicos eius.] Debilitatur quidem regnũ, quando pastores in aliquibus culpis cadunt. Sed debile confirmatur, cũ per satisfactionem pœnitentiæ ad opus magnę uirtutis erigunt. Et super Israel confirmari dicitur: quia dum ad uitę altitudinem proficit, eos quibus præeminet ordine, uincit conuersatione. Videntibus deum prælatus est, sed supra deum uidentes extollitur, cùm præ cæteris in diuina assumitur contemplatione. Merito ergo dicitur: Pugnabat contra omnes inimicos eius, & quocunq; se uertebat superabat:] quia qui æterna altius conspicit, facile conterit, quicquid de infimis sibi ad pugnam uenit. Quia enim nulla terrena sibi iam placent, qui per magnam charitatem super Israel, id est, in cœlestibus regnat, quocunq; se uertit superat. Quid enim huic malignus spiritus suggerat, qui terrena nulla considerat, qui læta seculi nulla iam amat. Pugnat doctor dum prædicat, sed superat: quia quod prędicando prohibet de mundi delectatione contingere, conuersationis uirtute persuadet. Et quia pugnare in circuitu contra inimicos dicitur, magnæ laudis eius uictoria esse demõstratur. Ex omni quidem parte perfectum esse doctorem docet, qui ex omni parte fortissimos habet inimicos. Dũ ergo ubiq; uerti & superare dicitur, quanta eius gloria prædicatur? Quid est ergo quòd in circuitu hostes habere dicitur, nisi quia maligni spiritus omnibus sensibus nostris insidiant. Nam loquendo alios, alios uidendo decipiũt. Alios per auditum, alios per gustum, uel olfactum fallunt. Alios etiam per insidias illecebrosæ delectationis uel cogitationis pertrahere ad immunditias satagunt. Alijs foris obscœna offerunt, quæ mentis deliberatione sequantur. Sed ut rectius hunc circuitum demonstremus, hunc dum ad læta pertrahunt, eis quasi ad dexteram insidias ponunt. Illum dum per aduersa deijciunt, quasi à leua parte constringunt. Nos dum ad præterita oblectamenta inuitant, quasi à retro præcipitant. Illis quasi ab anteriori parte obuiant, quia sæpe infirmorũ mentibus districtæ conuersationis, & uitæ longitudinem quasi consulendo monstrant. Ab ante enim ueniunt, quia proficisci ad cœlũ animas non permittunt. In circuitu ergo inimicos habemus, quia ante, retro, in dexteram & siniſtram malignorum spirituum certamen patimur. Vnde & beatus Petrus apostolus nos cohortatur, dicens: Aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Sed iam belli circuitum nouimus, qualiter per circuitum reges uincant, uideamus. In circuitu quidem uincunt, quia linguã, & os, & oculos, & omnia corporis mẽbra ab illicita actione custodiunt. Dum enim linguam perfectè per silentium muniunt, quasi in una parte uictores sunt: & dum uident oculis, quæ concupiscere dedignantur, ex alia parte uictores fiunt. Sæpe etiam mala audiunt, & repellunt, & quia noxia reprobant, reprobando triumphant. Cunctis ergo sensibus uictores sunt, qui per eorum aliquem subdi malignis spiritibus nolunt. Sed & dum cordi inepta cogitatio offertur, hostis qui reprobatur, eliditur. Qui enim noxia quæque abijcit, hostem potenter premit. Et quia item læta contemnit, & aduersa non metuit, quę reliquit aliquando peruersa, non repetit, & ad cœlestia feruenter currit, hostes quos in circuitu patitur, superare declaratur. In quibus profecto aduersarijs quia insidiæ oppositæ quinq; corporalibus sensibus designant, aptè per quinarium numerũ exprimuntur. Contra Moab (inquit) & filios Ammon, & Ædom, & regem Suba, & Philistæos.] Qui enim quinq; gentium nomina posuit, oppositas quinq; sensibus corporis fraudes dæmonum designauit. Sed quia doctor non solum uiuendo, sed etiam docendo dimicat, cùm cõtra omnia uitia disputat, cùm ea uerbi gladio in auditorũ suorũ mentibus necat, nimirũ in circuitu & pugnare cernitur, & quocunq; se uertit superare. Sed quædam specialiter nominantur, quæ sibi principaliter obstant. Contra Moab (inquit) & filios Ammon, & Ædom, & regẽ Suba, & Philistæos.] Moab ex patre interpretatur, Ammon populus mœroris, Ædom rufus, Suba incẽsa, siue cõuertens, Philistæus poculo cadens. Quid enim his nominibus nisi gradus pessimæ uitæ exprimitur? In Moab quippe, qui ex patre dicitur, concupiscentia designatur. In mente quidem reproba quia à diabolo ponitur, quasi à patre generatur. Quid uerò per Ammon, qui populus mœroris interpretatur, ostenditur, nisi frequentia malorũ operũ? quia enim multa sunt, populus dicitur, & quia ad æterni luctus amaritudinẽ reprobũ unũquenq; perducunt, mœroris populus rectè nominatur. Ædom uerò, qui rufus dicitur, quid nisi peccandi nimium feruorẽ insinuat? prius enim peccare quisque consueuit, deinde per usum peccandi proficit in augmentũ feruoris, ut peccare sæpius audeat, & hoc quod audendo ingeminat, semper iterare ardentius cõcupiscat. Quo nimirum peccandi ardore agitur, ut in mente reproba quicquid uirtutis aut boni operis uiruit, comburatur. Incensa ergo post Ædom in spirituali bello describit: quia ita est perditæ mentis casus, ut cùm feruenter mala cõgregare nititur, bonis omnibus quasi per cõbustionem perditis & redactis ad nihilum spolietur. Suba etiã conuertens dicitur: quia & formam dei de reproba mente feruens peccatum tollit, & hanc ad Apostatæ angeli formam redigit. De qua iam per diuinã sententiã dicitur: Cùm uenerit impius in profundum malorũ, contemnit. Superba quidem mens iam diuina mandata despicit, & semetipsam carnalibus desiderijs subdit: Quis ergo est rex Suba, nisi ille de quo ad beatũ Iob à domino dicit: Ipse est rex super uniuersos filios superbiæ. Philistæi uerò qui poculo cadũt, qui sunt, nisi qui omnibus supradictis malis ebrij sunt? qui sic cœlestia obliuiscuntur, ut ad hæc euigilare aut uix aut nunquam uideantur. Per Moab ergo concupiscentia carnis exprimitur, per Ammon frequẽs usus

1.Pet.5

Prou.18

Iob 41

usus malæ operationis, per Ædom peccandi ardens desiderium, per Suba uastatio & combustio uirtutum, per Philistæos obliuio cœlestium. Cùm ergo electus doctor aliquē educere de tantorū laqueorū medio appetit, quantæ uirtutis certamen sumit? Et quia de omni hoc perditionis gradu per doctorū laborē ad pœnitentiā redeunt, quocunq; se uertit superare perhibetur. Prædicando etenim aliquando cōcupiscentiā in alicuius corde interfecit, aliquando usum prauæ operationis. Modo illos trahit, qui in usum peccandi trāsierant, modo illos qui cōbustis & ad nihilū redactis uirtutibus, regi suo diabolo quasi incensi seruiebant. Et quia prædicando superna memorat, cadentes poculo, & cœlestium oblitos ad spiritualis uitæ studium excitat, & per amorem ardenter inflammat. Bene ergo dicitur: Quocunq; se uertebat superabat:] quia dum de omni genere peccatores ad uitā trahit, triumphare ubiq; cognoscitur. Hos nimirum triumphos agere suos milites, suos principes imMat.16 perabat dominus, cùm dicebat: Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Omni creaturæ euangelium prædicare præcipit, qui omnia genera hominū duci ad fidem uoluit, ut dum nobiles regum suorum triumphos ostenderet, eos superare ubiq; mōstraret. Vnde scriptū 1.Tim.2 est: Qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionē ueritatis uenire. Omnes quippe homines uult saluos fieri: quia de omni hominū genere eligit, quos ad gaudiū æternæ salutis trahit. Sed quid speciali fortitudine agat, exponit, quia dicit: Cō gregatoq; exercitu percussit Amalech, & eruit Israel de manu uastatorū eius.] Amalech populus lambens interpretatur. Quid ergo per Amalech nisi fornicationis spiritus designantur? Lambere enim eorum est, ad peccandū mentē carnis blandimento delinire. Velut enim linguę tactu lambere ambiunt, cum leuibus suggestionibus mentem tangunt. Quid est q̄ contra Moab & Ammon, q̄ Ædom & regē Suba pugnasse & uicisse dicitur, non tamen exercitū congregasse, sed ut Amalech uinceret, exercitum congregauit? Quid est quòd exercitū congregauit, nisi quia ad extinguendum fornicationis spiritū uirtus una non sufficit. Absti nentia quidem ciborū contra hoc uitium fortissima est, sed sola nō prævalet. uelut enim miles est, & pugnare potest, superare non potest: quia Amalech non uincitur, nisi exercitus cōgregetur. Qui ergo fornicationē percutere appetit, addat abstinentiæ corporis uirtutē humilitatis. Nam si mens deo subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando ac præeminendo nō premit. Sed adhuc necesse est, ut congreget: quia exercitum paruum habet. Virtuti ergo humilitatis & abstinentiæ corporis addatur frequēs numerus orationis. Affectus quidem cordis intenti cœlestibus, cōtra carnis bellum fortes milites sunt. Iam ergo in frequenti assiduitate precum aciem habet, sed exercitus nō unam tantū aciem, sed plures habet. Adhuc itaq; exercitū perfectum non habet, & Amalech percutere nequaq; ualet. Nūquid ei prodest, A quòd ieiunando se atterit, quòd ad tempus orando compungitur, si mens lubrica cogitet, & phantasmata lasciuiæ in semetipsam portet. Sed uitare turpes cogitationes non prævalet, qui honestas in se non habet. Quia enim semper cogitamus, exquirenda sunt nobis bona, ne mala cogitemus. Quid uero sunt omnes turbæ bonarum cogitationum, nisi innumerabiles mentis acies? Nam dum mentē ambiunt & minuunt, ad eam accedere turpissimos inimicos non permittunt. Et quia cogitādo ad desideriū magnæ puritatis accēdimur, armis potentibus milites nostri induti sunt, quibus fornicationis impetus & depellendo in fugā uertunt, & ad nihilū deducendo perimunt. Nam unde ad animā intrare cogitationes possint non habent, B quæ quasi fortissimo milite honestate cogitationū bonarū undiq; ornata est. Nūc ergo exercitum anima congreget, quæ Amalech uult perimere, & de manu uastatorū eius uidentē spiritum liberare. In horū medio resideat, ut cincta exēplis electorū fortiū, circumdata doctrinis scripturarū, nullā partē sui uacuā habeat, unde hostis irrūpat. Quia ergo innumerabilia sunt exempla fidelium: quia multa documēta scripturarū, exercitus magnus & fortis est, sed ad congregandū difficile non est. Bene ergo de Israelis rege dicitur: Congregato exercitu percussit Amalech,] quia fornicationis spiritus non ante uincitur, q̄ per abstinentiam corpus atteratur, & omnis turpitudo obscœnæ cogitationis, bonis mentē replentibus, effugatur. C Tunc quippe eum lambere, id est, delinire populus lambēs delectando non potest: quia domita carne ieiunijs, humilitatis arce prædita mente, orationis armis accincta, intenta doctrinis cœlestibus, exemplis munita, impiæ suggestioni aditū præbere cōsentiēdo non prævaler. Quæ nimirum exercitus cōgregatio bene regibus, id est, ecclesię doctoribus conuenit: quia quisquis ad extinguendam fornicationis rabiē electos subditos instruere nitit̄, hæc plura auxiliorū agmina ei uerbo congregāda sunt. Bene & Israel erutus de manu uastatorū eius asserit̄. Erui quidē euelli dicit̄. Et quod euellit̄, altas radices in ꝓfundiora mersisse sentit̄. Manus uerò uastatorū potestas est malorū spirituum. Vnde etiā scriptū est: A quo quis uincitur, 2.Pet.2 eius seruus efficit̄. Quid ergo colligitur, nisi quia D dum fornicatores desiderijs carnis assentiunt, potestati malorū spirituū subiguntur. Quia item altum est fornicationis blandimentum, dum in hoc anima per desideriū mergitur, quasi in profundū radicibus tenetur. Erui ergo de manu uastatorum est, à fornicationis abysso qui in potestate dæmonum est, liberari. Bene etiā uastatores fornicationis impetus dicunt̄: quia de uitio luxuriæ per beatum Iob dicitur: Ignis est usq; ad perditionem ger Iob 31 minans, & omnia eradicans genimina. Vastator quippe fornicationis spiritus dicitur: quia quem inuaserit, ei nimirum nulla uirtutū dona derelinquit. Ad laborē quidem ministerij bona quidem aliqua habere potest, sed ad meritum salutis ea habere non potest. Vastari ergo dicitur, cui perdita

castitate

castitate ad uitam bona alia nulla prosunt. Vastari
Cant.2 etiam horti tenera dicuntur. Qui enim sunt horti
superni sponsi, nisi corda sanctorũ per custodiam
munita, & per castitatis odorẽ florida. Nam dum
nullos motus turpes recipiunt, albo pudoris flore
decorãtur. Vnde & sponsæ in Cantico sponsi lau-
Cant.ult. dibus dicitur. Quæ habitas in hortis audire me fac
Ibid.4 uocẽ tuam. Et rursus: Hortus conclusus soror mea
sponsa. Hortus quidem quia uirtute eximię castitatis floridus, conclusus autem quia per continen
tiã munitus. Hinc sponsa quid sponsum oblectet,
Item 2 exponit, dicẽs: Sponsus meus mihi, & ego illi, qui
pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinen-
tur umbræ. Immũdi ergo spiritus uastatores sunt:
quia si pudica corda decipiunt, decepta teneros
flores tantæ uirtutis perdunt. Qui itaq; cùm ab im
munditijs ad castitatẽ redeunt, quia diras dæmo-
num potestates effugiunt, & à profundo perditio
nis ascendunt, de manu uastatorum erui aptè me-
morantur. Sed rex qui eruere populum dicitur,
quales adiutores habeat uideamus. Nã sequitur:
Fuere autem filij Saul Ionathas, & Iesui, & Mel-
chisua, nomina duarum filiarum eius, nomen pri-
mogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.]
Filij Saul, qui non ad quamlibet hæreditatem, sed
ad regnum nascuntur, illos insinuãt de quibus san
Psal.44 ctæ ecclesiæ per Psalmistam dicitur: Pro patribus
tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes su-
per omnẽ terram. Quos tres esse agnouimus: quia
fidẽ sanctæ trinitatis prædicando defendunt. Sed
quia percusso Amalech, regis filij nominantur, eo
rum numerũ ad uirtutum merita referamus. Ma-
ceratio quidem corporis, circumspectio mentis,
simplicitas intentionis tria sunt. Quia ergo docto
res sanctæ ecclesiæ ad reprimendam carnis libidi-
nem fortes sunt, ad cordis custodiam sapiẽtes, in-
tentionẽ cordis in cœlum subleuando sublimes,
tres esse Saul filij dicuntur. Tria etiam sunt fortitu
do operis, uirtus charitatis, & affluentissima gra-
tia prædicationis. Doctores quippe sanctæ eccle-
siæ, quia magna cõuersatione sublimes sunt, mag-
na charitate feruentes, magna uerbi sapientia fa-
cũdi, ternario numero apte signati sunt. Quorum
certè uirtutibus nomina conueniunt: quia Iona-
thas columbæ donum dicitur, Iesui planicies, siue
desideriũ meum, Melchisua rex meus salus. Quia
enim præcellentia dona spiritus sancti doctores
habent, columbæ donum rectè nominãtur. Quia
item inter dona sublimia humiles sunt, planicies
dicuntur. Quia pro subditis sibi fidelibus ardẽter
æterna postulant, desideriũ meum esse perhiben-
tur. Quæ quidem uox paruulorum subditorũ esse
cognoscitur, uirtus uerò tanti nominis prælatorũ.
Qui enim paruuli & frigidi adhuc in nostris negli
gentijs iacemus, ad cœlestem patriam ardentibus
desiderijs non flagramus. Sed quod nos ardenter
flagitare nõ possumus, pro nobis postulat, qui ad
illam quam nobis adipisci desiderant, patriã, mag
nis desiderijs anhelant. Pro excellentia ergo cha-
ritatis non desiderãtes, sed desiderium regis filius
dicitur, ut in doctoris mẽte flagrare ignis dilectio

A nis specialiter demonstretur. Vnde & de domino
per Psalmistam dicitur: Qui facit angelos suos spi Psal.103
ritus, & ministros suos ignem urentem. Hinc est
item quòd Daniel uir desideriorum dicitur: quia Dan.9
prospera populi sui magnis precibus postulasse
perhibet. Melchisua uerò dicitur rex meus salus:
Rex quippe prædicator dicitur: quia celsitudinẽ
tenet ordinis, & dignitatem magnæ conuersatio-
nis. Rex item dicitur: quia summam tenet celsitu-
dinis, & uigorem autoritatis. Salus etiam dicitur,
ut eius integritate ægritudo populi depelli posse
sentiat. Merito enim uitæ & deuota oratione hoc
agere quotidie debet doctor, ut subiectus sibi
quisq; pertingere ualeat ad salutẽ. Sed notare ite-
rum doctor debet: quia cùm à subditis nominat,
B nõ rex noster, sed rex meus dicitur. Quid est ergo
quòd rex meus dicitur, nisi quia tam familiaris es-
se debet omnibus, ut singulorũ esse per amorẽ sen
tiatur. Sed qui meus dicitur, rex nominatur: quia
humilis & affabilis prædicator hoc ipsum quod
præeminet, nõ uidetur esse suum singulariter, sed
speciale singulorum, cùm tam cõmunis per gra-
tiam esse nititur, ut eius celsitudo propria uniuscuiusq; fore uideatur. Onus autem uerbi dicitur,
quia uidelicet salus mea dicitur, per quod nimirũ
diligens prædicatoris studium & sollicitudo com
mendetur: quia sic debet intendere simul omni-
bus, ut quærat, & agat propria singulorũ. Ab uno
quoq; etenim salus mea dicitur, si uniuscuiusq; in-
firmi curam suscipit, & hunc ad æternæ salutis bo
C na perducit. Quæ uerò sunt Saul filiæ, nisi prędica
tori subditæ electorum qualitates. Alij quippe a-
ctiuę uitæ studijs seruiunt, alij uerò cõtemplatiuæ
remotionibus abscõduntur. Filiæ quidem dicun-
tur pro fœcunditate. Illa quidem parit multitudi-
nem bonorum operum, ista uerò internorum ple
nitudinẽ gaudiorum. Merito igitur regis filię no-
minantur, quia dum concipiunt de uerbo dei, cœ
lestes fructus parturiunt. Vnde bene Merob de
multitudine dicitur. Actiua etenim uita quia ex
multis bonis operibus perficitur, de multitudine
rectè nominatur. Vel de multitudine dicitur: quia
qui deo per actiuã uitam placẽt, multi sunt. Quia
enim pauciores numero sunt, qui per contempla
tiuam cœlestibus gaudijs inhiant, in eorum com-
D paratione illos qui actiuæ uitæ inseruiunt, multos
uocat. Qui profecto multi sunt numero, ministe-
rio diuisi: quia etsi unam cœlestem patriam bonis
operibus quærunt, tamen uarijs operibus pietatis
inseruiunt. Quorum certè nonnulli in tantũ amo-
rem conditoris proficiunt, ut ipsa etiam opera bo
na deserant, atq; ad contemplatiuæ uitæ dulcedi-
nem transire, & in ea deo uacare cõcupiscant. Vn
de & bene Michol in lingua nostra ex omnibus
dicitur: Ex omnibus quidẽ fit: quia nullus est per-
fectus in contemplatione, qui ex labore boni ope
ris non peruenerit ad arcem eiusdem contempla-
tionis. Vnde & in Euangelio dominus dicit: Ve- Matt.11
nite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &
ego reficiam uos. Tunc qui laborat uocatur, quan
do bene agenti desiderium æternitatis infunditur.

Et ad

Et ad uocantem se accedunt, quando ad contemplatiuæ uitæ quietem ueniunt. In qua nimirum laborantes reficiuntur: quia amoris gaudia de diuina contemplatione abundanter sumunt. Ipse quidem accedentes reficit, qui puris mentibus semetipsum ostendit. In cuius reuelatione quia contemplationis gaudia multa inueniunt, quasi omnimoda delectationis dulcedine non ab alio, sed ab ipso saturantur. Michol ergo ex omnibus dicitur: quia contemplatiuæ uitæ secretum nullus expetit, qui in aliqua prius operatione bona non fuit. Minor ergo soror dicitur: non quia inferior dignitate, sed quia posterior tempore. Si quis autem uelit per primogenitam filiam contemplatiuam uitam, per minorem actiuam potest accipere. Et tunc quidem Merob de multitudine dicitur: quia multitudinis turbas deserit, & ad rariorem numerum in contemplatione perfectorum uenit. Non ergo multitudo, sed de multitudine esse dicitur, ut non ij cum quibus est, sed unde uenerat, agnoscatur. Michol uerò ex omnibus dicitur, ut in actiua uita uniuersalis uita sanctæ ecclesiæ designetur. In actiua etenim uita etiam illi sunt prius, qui postea ad contemplatiuæ secretum transeunt, sed in contemplatiuæ remotione, exterioris uitæ sollicitudine grauati non sunt. Illa ergo de multitudine, ista uerò de omnibus dici potest: quia actiua uita omnes continet, contemplatiua omnium conspectum declinat, ut se conspectu mentis cœlestibus iungat. Quomodo igitur Saul filiæ dicuntur, nisi quia utraq; uita studio boni rectoris ostenditur. Qui enim nos docent bona agere, æternæ uitæ studijs uacare, ab illo nobis generātur, cuius magisterio in corde nostro discuntur. Quod quidem quia de actiuæ uitæ operibus constat, mirum de contemplatiua uide-
Luce 10 tur, quæ per Mariam Marthæ sororem, quæ ad pedes domini sedere, & uerbum eius audire describitur. Sed facile respondetur: quia dum sedet Maria, perfectos in contemplatione signat. Filia tamen Saul Merob rectè dicitur: quia etsi sedens ad pedes domini, quæ uult, ab eo audit & discit, tamen prius discere debet, quomodo sedere possit. Hoc nimirum quia sapientis & eruditi doctoris
1.Reg.17 eruditione cognoscitur, Saul esse filiam Merob rectè memoratur. Quā profecto in cōiugium Da uid dare promisit, sed ei minorem dedit: quia nonnulli contemplatiuæ uitæ pulchritudinem diligunt, ad cuius amplexus accedere nequaquam permittuntur. Quia enim regendis fidelibus gregibus foris necessarij sunt, summus rex sic ordinat, ut Michol minorem accipiant, & Merob maiorem nunquam comprehendant. Plericq; autem post minorem maiorem accipiunt: quia post deuota charitatis opera, ad intimi secreti amorem re
Gene.29 cipiuntur. Quod bene Iacob insinuat, qui Rachelem amauit, sed prius Liam accepit, & sic deinde Rachelem in coniugium sumpsit. Quid est hoc quòd Iacob utranq; sororem habere licuit, Dauid autem ad maioris thalamū non peruenit, nisi quia Dauid rex fuit, Iacob uerò rex non fuit? Qui ergo regimē animarum suscipit, hunc censura ecclesiastica susceptum gregem deserere, & remotæ uitæ otijs uacare non sinit. Sed Merob Dauid promittitur, & nunquam datur: Michol sola datur, quia nonnulli cùm curam animarū suscipiunt, putant se sic aliorum sollicitudinem gerere, ut sibijpsis uacent per sollicitudinem uacare, & tamē quietem quam in prælatione quærunt, nunquā inueniunt, fitq; ut dum impetrare à domino gratiam tantæ puritatis nequeunt, quasi iram incurrisse domini, pertimescāt. Quasi ergo irato rege promissam sibi primogenitam perdunt: quia eum quem se putabant in prælatione habituros amorem quietis intimæ, amplecti non possunt. Hæc autem breuiter per excessum diximus, nunc ergo ad dimissa redeamus. Ambæ ergo Saul filiæ dicuntur, sed nomina diuersa sortiuntur: quia & differūt & conueniunt. Conueniunt quidem: quia ad æternam uitam quam diligunt per amorem tendunt. Item conueniunt: quia bona opera quibus hæc indesinenter extenditur, illa quomodolibet operatur. Quia igitur ambæ amant quæ uident æterna, ambæ ad illa per bonam operationem peruenire desiderant, quomodocunq; conueniunt. Differunt autem: quia plus agit una, plus uidet altera. Nam & Lia non dicitur fuisse cęca, sed lippa. Et Rachel si non tantos peperit, omnino tamen sterilis non remansit. Nam si altera uita alteram contemplando aut operando superat, nulli eorum autem uisionis claritas demitur, nulli fœcunditatis gloria denegatur. Videndo tamen & agendo differunt: quia actiua uita uisionem habet in transitu, opus uerò in intentione, contemplatiua uerò opus in itinere, intentionem in quiete. Vnde bene Euangelista Marcus cùm sub illarum trium mulierum specie cōtemplatiuę uitæ amorem ostenderet, ait:
Mar.16 Emerunt aromata, ut uenientes ungerent Iesum. Quasi dicat: Steterunt in opere, ut currere ualerēt ad contemplationem. Aromata quidem emere est, per laborem boni operis, bonæ opinionis odorem circumquaq; dilatare. Et Iesum in sepulchro ungere est, per mortificationem carnis ad deuotionis intimæ pinguedinem peruenire. Nam uelut in sepulchro ungitur, quando à consepultis ad gaudium intimæ claritatis suæ deuotissimæ peruenitur. In transitu ergo operationē habent: quia etsi aliquando operantur, quasi currendo hoc deserunt, qui ad locum dilectæ solitudinis, magno spiritus impetu impelluntur. Nam quia totis desiderijs in æternorum amore requiescunt, uidere magis quàm ministrare appetunt. Rari ergo sunt in publico operis, assidui in secreto contemplationis, foris parum, satis intus immorantur. Nam & fornicationem esse, solent iudicare, uel ad monumentū à Christi contemplatione discedere. Econtra autem actiua uita, quæ frequens circa ministerium satagit, rara est in secreto contemplationis. Nam quæ æterna sibi præparare non sedendo & audiendo, sed satagendo & ministrando propo-

Universidad de Deusto Biblioteca

ſuit,non damnum,ſed diſpendium putat,ſi ſibi uacans,& ſua petens, & non quæ aliorũ, à ſolita obſequiorum oblatione requieſcat. Plus igitur operando laborat, minus obſecrat. Lucæ 10 Vnde & Martha quæ circa frequens miniſterium ſatagebat, ſtetit, & locuta eſt. Quæ enim ſtetit, ei nimirum ſedere non licuit: quia ſi ad audiendum ſederet, imparatum fortaſſe miniſterium, & inſufficiens impendiſſet. Et notandum: quia tranſiendo dominum Martha uidit,non tamẽ tranſiendo,ſed ſtando loquitur. Nam Euangeliſta cautè expreſſit, dicens: Quæ ſtetit,& ait.Quo profecto exemplo inſtruimur,ut qui fratribus miniſteria exhibemus, ſi per moram ſedere ad redemptoris pedes non poſſumus, per aliquantulam morulam redemptori aſſiſtere debeamus.Sed bene ei aſſiſtimus,ſi tranſiendo & ſeruiendo uideamus.Quid eſt autem tranſiendo dominum cernere, niſi in omni noſtro bono opere ad ipſum cordis dirigere intentionem? Tranſimus enim, quando huc illuc diſcurrendo in membris ſuis domino miniſtramus.Sed tranſiendo dominum cernimus, ſi per omne quod agimus præſentẽ nobis ipſum cui placere cupimus, contemplamur.Quo in loco notandum eſt: quia confidenter Martha loquitur, dicens:Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare? Quod certè perfectis quibuſdam operarijs ſanctæ eccleſiæ conuenit, qui omnipotenti deo preces tanto fiducialius offerunt, quanto laborioſius ei in membris ſuis ſe miniſtraſſe meminerũt. Sed quia in ipſis etiam quæ actiuæ uitæ deſeruiunt, nimietas ſollicitudinis cohibenda eſt, Martha reprehẽditur, quæ tam ſollicita aſſeritur, ut erga plurima turbetur. Actionis quidẽ feruor tunc rectè diſponitur, cùm ſic inſiſtimus operi, ut tranquillo corde eum cui opera noſtra conſecrare nitimur, uideamus. Quid eſt ergo nimietas ſollicitudinis,niſi confuſio ſuperne intentionis: quia dum ſe erga plurima diuidit, diuiſa iam ad ſupernorum intuitũ non aſſurgit. Illud enim æternum & ſimplex bonũ æternæ uiſionis, anima quia uix unita comprehendit, ſe nimirum ad id diuiſa non erigit. Dicit ergo operum noſtrorum diſpoſitor, & receptor, unum eſt neceſſarium, ne ſe mens ad multa diuidat,ut per tranquillitatẽ unita, ad ſummi boni intuitum potenter ſurgat. Duæ igitur filiæ Saul, & ſi pariter regis ſunt filiæ, nominibus differunt: quia uita actiua & contemplatiua nobilitate religionis generoſæ ſunt, ſed non ſunt pares pro diuerſitate officij. Sed quia earum patrem oſtendimus,matrem pariter demonſtremus,Sequitur: Et nomen uxoris Saul Achinoe filia Achimaas.] Quæ eſt enim prædicatoris uxor, niſi bona uoluntas? Qui enim per amorem bonę uoluntati coniungitur, ei utiq; quaſi ex nobili coniuge filij oriuntur. Nam cùm bonorũ operum fructus proferre uolumus, neceſſe eſt, ut prius eos in bona uolũtate ſeminemus. Vnde bene Achinoe fratris requies interpretatur. Frater quippe noſter ille eſt, qui à mortuis reſurgens, Mariæ Magdalenæ locutus eſt,dicens: Vade & dic fratribus meis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem ueſtrum. Ioan.20 Hinc Paulus nobilitatem electorum aſſerens, ait: Hæredes autem dei, cohæredes Chriſti. Quid eſt Rom.8 quòd dicitur fratris requies, niſi quia redemptor humani generis in bona cohæredum ſuorum uoluntate requieſcit? Et quia ab ipſo nobis bona uoluntas impenditur, à quo inhabitatur: filia Achimaas eſſe perhibetur. Achimaas enim fratris decor uel frater decor interpretatur. Frater quippe & decor redemptor noſter dicitur: quia humana natura per peccatũ primi hominis dignitatis ſuæ uigorem perdidit,ſed in perſona redemptoris aucto ſibi ſplendore radiauit. Decor quippe noſter eſt:quia quicunq; in ſancta eccleſia uirtutum claritate fulgeſcunt, de plenitudine lucis illius omnes accipiunt. Ioan.1 Hinc Paulus ait: Ei ſe infudit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Galat.2 Dum ergo bonam prædicatorũ noſtrorum uoluntatem Propheta Samuel reſpicit, typis uiſa exprimit, dicẽs:

Achinoe filia Achimaas:] quia nimirũ magna eſt pulchritudo bonæ uoluntatis,ſed de infuſione naſcitur redemptoris. Debet nanq; amari ut conſunx,ſed ſi pater aſpicitur, ex nobilitate amplius amatur. Et nomen principis eius Abner, filius Ner,patruelis eius.] Abner dicitur pater meus lucerna,Ner etiam lucerna dicitur.Quid ergo Ner, niſi ſermo ſcripturarum accipitur? Litera quidem ſanctæ ſcripturæ quaſi huius lucernæ teſta eſt,intellectus uerò ſpiritualis claritas luminis, oleum uerò eius deuotio amoris.Filius ergo lucernę eſt, qui uerba ſcripturarum libenter audit, & ſapienter intelligit, & quæ per intellectum colligit, per affectum charitatis apprehendit. Cur itaq; dicitur filius lucernæ, niſi quia quod de lumine naſcitur, lumen eſt. Quid enim peccatum, niſi tenebræ? Quid item bonum opus niſi lumen? Sancti enim uiri dum ad ducatum ſcripturarũ greſſus operum dirigunt, quaſi ex lumine lumen accipiunt ſpiritualis eruditionis. Hoc quippe lumen de lumine Ioannes exprimens, ait: Omnis qui natus ex deo 1.Ioan.3 eſt,non peccat: quia generatio cœleſtis ſeruat eũ. Quid eſt naſci de deo, niſi cognitã in ſanctis ſcripturis eius uoluntatem diligere. Et quid eſt non peccare,niſi in luce iuſtitię ſemper cõſiſtere. Quaſi enim de luce nos lucem facere uolebat beatus Petrus apoſtolus,cùm dicebat: Habetis propheticum ſermonẽ,cui bene facitis attendentes,tanq; lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec aſpiret dies,& lucifer oriatur in cordibus ueſtris. 2.Pet.1 Merito igitur Abner pater meus lucerna dicit,ipſe quoq; pater eius lucerna nominatur: quia illi in ſancta eccleſia lucere per exempla alijs poſſunt,qui eruditione ſcripturarum, & claritatem acceperunt luminis,& oleum perfectæ charitatis.Sed per Ioannem non peccare dicitur,ut prædicatorum robur inſinuet,qui ſic peccatoribus manum porrigunt, ut tamen ipſi peccatorum tenebris non fœdentur.Sed quid eſt,quòd patruelis Saul dicitur. Patruelis autem dicitur, qui naſcitur ex fratre patris.

Vnde

Vnde & hic quoq; subiungitur. Cis fuerat pa- A
ter Saul, & Ner pater Abner filius Abię.] Et cùm
eligendus rex peteretur, dictum est. Et erat uir no
Supra 9 mine Cis filius Abiæ. Quia uerò ista stirpis regiæ
nomina quid significēt, plenius exposuimus, hoc
tantummodo exprimamus, quomodo Abner pa
truelis Saul esse referatur. Sed Saul filius Cis, id
est, duri esse cognoscitur, Abner etiam lucernę fi-
lius perhibetur. Durum hunc austeræ nimis con-
uersationis uiros ostendimus designare, Ner lu-
cernam interpretari. Quid est igitur, quòd lucer-
na & durus eiusdem patris esse filij dicuntur: nisi
quia à deo est, & quòd scriptura sancta austerum
præcipit, & uirtus exterior duræ conuersationis?
Frater quippe lucernæ durus est: quia gratiam im
plendæ legis ab eo habet, à quo ipsa lex ortum ha B
bet. Vnde & Psalmista confidenter repromittit,
Psal. 83 dicens: Etenim benedictionem dabit, qui legem
dedit. Legem quippe dare est, præcepta uitæ elec-
tis proferre, benedictionem etiam dare est, gra-
tiam implendę legis impędere. Quia ergo ab uno
sunt tam lumen scripturæ, quàm asperitas uitæ no
stræ: Cis, & Ner unius patris filij esse referuntur.
Abner ergo filius Ner, Saul regis patruelis esse re
ctè dicitur: quia qui ad curam animarum eligitur,
duræ & asperæ uitæ debere esse iudicatur. Sed qui
prædicatorum adiutores esse cupiunt, nunquam
agunt quod cupiunt, si lumen scripturæ sanctæ, in
quo per cognitionem concepti sunt, in bona ope
ratione atq; sancta prædicatione uelut nascendo
non perficiunt. Cùm uerò scripturarū sanctarum C
cognitio magis summis doctoribus quàm eorum
adiutoribus subditis adscribatur, & exempla con
uersationis sequi magis minoribus quàm maiori-
bus cōuenire uideantur: quid est quòd duri filius
rex dicitur, lucernæ uerò filius dicitur princeps re
gis? Sed his uerbis non significat, quod summi do
ctores, & eorum adiutores habent, sed suppressō,
quod habent, exponit, quod singulis agendū est.
Rex quippe uidelicet summus, & electus prædi-
cator: quia iam per altissimæ eruditionis sciētiam,
scripturæ lumen habet: non sic confidat de scien-
tia, ut aliorum exempla minimè sequatur. Prin-
ceps quoque, id est magni doctoris adiutor: quia
exemplis eiusdem sui præpositi subditur, ad lumē
innitatur, ut qui exempla sequitur, in doctrinæ al- D
tioris eruditionem, quasi in magnæ lucernæ luce
nascatur. Quia ergo eruditus ad maiorum exem-
pla per humilitatem reducitur, exemplis instru-
ctus ad scripturarum splendorem discendo suble-
uatur, bene rex filius duri, & princeps lucernæ fi-
lius esse perhibetur. Tales uiri quia electis fideli-
bus utiliter præeminent: quia subiectos ad uirtu-
tum uictorias fortiter prouehunt, sequitur: Erat
autem bellum potens aduersus Philistæos omni-
bus diebus Saul.] Debile & omnino infirmum
bellum illorum doctorum est, qui nec lumen ha-
bent diuinæ cognitionis, nec fortitudinem boni
operis. Potens ergo bellum dicitur, quando ele-
ctis plebibus duri filij dominantur: quia ille po-

A test alijs utiliter bona dicere, qui consueuit, uerba
magna operatione præire. Sed & subtiliter est in-
tuendum, quod implexius dicitur: Cunctis die
bus Saul.] Qui sunt dies Saul, nisi lucis opera?
Quod bellum doctoris est aliud, quàm quod lin-
gua cōficitur? Omnibus itaq; diebus pugnat, qui
multa alios docet, sed nihil docendo profert, nisi
quod suo prius fulget opere. In die etenim sua pu
gnat, qui uerba prædicationis ex propria trahit lu
ce uirtutis. In die ergo alieno pugnare uult, qui cō
traire reprobis spiritibus satagit, non loquendo,
quæ agit, sed prædicando, quæ nouit. Sed omni-
bus diebus pugnat: quia omnia præcepta dei ostē
dit in luce operis, quæ subsequendo uult pandere
per curam prædicationis. Merito itaq; bellum po
B tens dicitur, in quo cum omnimoda uirtutum, uel
operum luce pugnatur. Potest etiā per hoc quod
omnibus diebus pugnare dicitur, agonis spiritua
lis instantia designari. Qui enim uitam ducit ple-
nam uirtutibus, in diebus uiuit. Cunctis ergo die-
bus bellū potens electi doctoris agnoscitur: quia
is semper malos spiritus superare cernitur, qui à
luce uirtutum nunquam separatur. Sed habent e-
lecti uiri uirtutem præliandi habent & humilita-
tem timoris. Per uirtutem triumphant, sed per ti-
morem auxilia cōgregare non cessant. Vnde tan-
to fortius præliantur, quanto & uires confligendi
congregare non desinunt. Bene ergo causa poten
tis belli subiungitur: Nam quemcunq; uidebat
Saul uirum fortem & aptum ad prælium, sociabat
C eum sibi.] Quasi dicat: Idcirco bellare potenter
poterat: quia cōgregare exercitum non cessabat.
Sed quia non solum fortes, sed etiam aptos ad prę
lium sibi sociasse dicitur, cautus doctor in eligen-
dis Christi militibus demonstratur. Fortes autem
ad ferenda onera quidam sunt, non ad prędia exer
cenda: quia præliari de fortitudine sua dum ne-
sciunt, nequaquam possunt. Viri ergo fortes, et ad
prælium apti sunt, qui sciunt pugnare, & uolunt.
Per uoluntatem quippe fortes sunt, & per scien-
tiam apti ad præliandum. Quorundam ergo temē
ritas à Christi bello repellitur, cùm apti & fortes
electi memorantur. Nam quidam sciunt cum dia
bolo pugnare, & nolunt. Sapientes quidem sunt,
ut faciant mala, bona autē facere nesciunt. Hi an-
D tiquo hosti seruire uolunt, resistere nolunt. Quid Hiere. 4
enim faciat doctor, si aptos istos ad prælium sibi
societ? Magis tales possunt alios per exempla de-
struere, quàm ipse per uerbum ædificare. Nam &
sæpe tales docere audent, & docendi uirtutē ope-
rando non tenent. Cùm loquuntur nobiscū in ho-
stes irruunt, sed per opera subito in uiscera nostra
torquentur. Velut proditores quidem exercitus,
arma Christianæ doctrinæ induunt, & per exem-
pla subito paruulos Christi feriūt, quos uelle pro-
tegere loquendo putabamus. Non apti ergo uiri
fortes repellendi, non sociandi nobis sunt: quia
per sapiētes reprobos robur nostrum destruitur,
non augetur. Qui ergo sunt fortes & non apti, ni-
si quos uidemus onera seculi fortiter ferre, & for-

Universidad de Deusto
Biblioteca

titudinem ſuam in ſeruitium conditoris transfer-
re neſcire? Nam iugum hominum, & magnos ſe-
culi labores fortiter ferunt, ſed ad ſeruitutē dei ac-
cedere uelut infirmi pertimeſcunt. Quid ergo iſti
niſi fortes, & non apti ſunt, qui ſeculi magna faci-
unt, & Chriſti agere leuia & blanda non poſſunt?
Sæpe etiam in monaſterijs conuertuntur, & qui
ſeculi onera fortiter tulerāt in paruis, quæ agunt,
quaſi inter magnos labores ſudant. Quid ergo his
uerbis oſtēditur, niſi ut uiros ad Chriſti militiam
cum magna nobis diſcretione ſociemus, nec acce
dentibus ante præbeamus ingreſſus, quàm eos &
apros per ſcientiam, & fortes per bonam uolunta
tem eſſe ſciamus. Poſſunt autem idcirco uiri for-
tes & apti ad prælium dici: quia Amalech, id eſt,
libidinum bella ſubſequūtur. Nam uiri fortes non
ſunt, qui carnales cōcupiſcentias extinguere ne-
queunt. Et apti ad prælium non uidentur, qui pro
pudicitia apti ad præliandū non ſunt. Eligat ergo
doctor milites Chriſti, eligat fortes, ut dum carnē
fortiter domant, immundos ſpiritus potenter uin
cant. Eligat ergo aptos ad prælium, ut dum inter
dona fortitudinis non ſuperbiunt, triumphi glo-
ria in cœleſtibus ſublimentur.

Incipit liber ſextus. Caput 1

Cap.15 IT dixit Samuel ad Saul. Me miſit dominus ungere te in regem ſuper populum eius Iſrael, Nunc ergo audi uocem domini. Hæc di cit dominus exercituum. Recen- ſui quęcunq; fecit Amalech Iſrae li, quomodo reſtitit ei in uia, cùm aſcēderet de Æ- gypto. Nunc ergo uade, & percute Amalech, & demolire uniuerſa eius.] Superius Amalech lu- xuriæ uitium deſignare diximus, quæ uelut lam- bit, dum uoluptatem blandiendo ſuggerit. Profe- ctus ergo conuerſationis oſtenditur, eo quòd ſu- perius à Saul percuſſus aſſeritur, & nunc non ſim pliciter iubetur percuti, ſed omnia eius demoliri. Primo quidem hunc doctor percutit, quando per eius uerbum agitur, ut pudicitia in conuerſorum cordibus & corporibus teneatur. Quaſi enim per cuſſa eſt libido, quando caro armis pudicitiæ qua- litercunq; ſubacta eſt, & perfectè ſubacta nō eſt. Nam qui luxuriæ iam inquinamenta deſerit, ſed adhuc motus turpes ex ſe cōtra ſe inſurgentes ſen tit, iam opus nepharium non exercet, ſed tamen abigere hoc à cogitatione non poteſt. Sæpe inui- tus & incautus ad immundas cogitationes trahi- tur, ſed ea quæ negligendo intus cogitat, carnem foris excitant, ut ad turpes motus uoluptatis ſur- gat. Quid ergo eſt, quòd percuſſus Amalech, ite- rum percuti, & demoliri præcipitur: niſi quia præ dicator eos quos ad pudicā uitam erudit, promo- uere debet ad perfectionem uirtutis. Iterum ergo iubetur Amalech percuti: quia adhuc non bene interfectus uiuit. Iterū Amalech percutitur, cùm uerbis doctoris illi etiam motus, qui carnem pul- ſant, eliduntur: cùm ob hoc coronari ſubditos do-

A ctor docet, ut ſic corpus domare debeant, ut ad il-
lecebroſos motus nequaquā ſurgat. Sed quia nun
quam ſic caro reſtringitur, ſi mens ad immūda co
gitando labitur, poſt percuſſionem Amalech de-
moliri præcipitur. Percutitur ergo in corpore, de-
molitur in corde, dum caro dignè per abſtinentiā
teritur, & mens à cunctis immundis cogitationi-
bus refrenatur. Quo in loco priora etiam conſide-
randa ſunt, quæ ex perſona domini Samuel loqui
tur, dicens: Recenſui quæcunq; fecit Amalech
Iſraeli, quomodo reſtitit ei in uia cùm aſcenderet
de Ægypto.] Quid eſt, quòd Amalechitarum o-
pera recenſentur, niſi quia luxuriæ inquinamenta
deo ualde odibilia ſunt? Vnde beatus Paulus apo
ſtolus dicit: Omne peccatum extra corpus eſt, qui 1.Cor.7
B autem fornicatur in corpus ſuum peccat. Item di-
cit: Fornicatores & adulteros iudicabit de⁹. Hinc
etiam acrius increpans, & à regno dei eos ſegre-
gans, ait: Neq; immundi regnum dei poſſidebūt.
Cur luxuria recenſetur, niſi quia iuſtitia dei pecca
tor proijcitur, quando ad perpetranda eius inqui-
namenta curuatur? Qui ergo recenſetur, ut cadat:
aliquando recenſetur, ut pereat: aliquando recen
ſetur, ut ſurgat. Et quia poſt tanta temporum ſpa-
tia recenſita Amalech facta memorantur, utcūq;
nobis inſinuatur, quia tales aliquando poſt longa
tempora reſipiſcant. Ipſa autem eius opera expri-
muntur, cùm dicitur: Quomodo reſtitit ei in uia
cùm aſcenderet de Ægypto.] Iſrael uidens deum
dicitur. Qui, quia de Ægypto perhibetur aſcende
C re, nouiter cōuerſos inſinuat, qui peccatorum te-
nebras & ima deſerunt, & ad lumen ueritatis ac-
cedunt, & montem boni operis aſcendunt. In uia
autem Amalech Iſrael reſtitit: quia libido ad per-
fectionis ſummam tendentibus arma uoluptatis
obijcit, & corda quæ poteſt gladio immundæ ſug
geſtionis ferit. Et quia ualde fortis & uiolenta eſt
pugna fornicationis, non quomodolibet obuiaſ-
ſe Iſraeli, ſed reſtitiſſe perhibetur. Reſiſtere quidē,
forti oppugnationi inſtare eſt. Hos nimirum reſi-
ſtentes Amalechitas uidebat Iſraelita ille aſcen-
dens, cùm dicebat: Video aliam legē in membris Rom.7
meis, repugnantem legi mentis meæ. Vnde & au
xiliatorem reſpiciens, ait: Infelix ego, quis me li-
berabit de corpore mortis huius? gratia domini
noſtri Ieſu Chriſti. Reſiſtere ergo Amalech dici-
D tur: quia dum in carne ſumus, libidinis fortia bel-
la ſuſtinemus. Sed quid de Ægypto aſcendenti-
bus reſiſtere dicitur? Ecce qui ad tertij cœli ſe ſe-
creta ſuſtulerat, reſiſtentes motus carnis habebat.
Merito igitur non ſolum nouitios, ſed etiam mag
na uirtute præditos, Iſrael de Ægypto aſcendens,
inſinuat. Ægypti quidem nomine huius mundi
tenebræ deſignantur. Iſrael autem de Ægypto a-
ſcendit: quia electi omnes dum ſanctè uiuendo
proficiūt, ad ſupernam patriam pertingere conan
tur. Et quia quandiu in carne ſunt, carnis legem le
gi mentis cōtrariam habent, ſibi utiq; per ualidos
motus Amalech reſiſtentem uident. Huius nanq;
uiolentia paſſionis oſtenditur, cùm eadem, quæ

recen-

recensentur Amalech, bella describuntur. Nam pugnante Israele, cùm eleuabat manus Moyses uincebatur Amalech: & uincebat ille, cùm iste manus deponeret. Quid est autem, quòd contra alios solis armis pugnabat Moyses, contra Amalech uerò non solis armis, sed etiam uirtute orationis? Quæ autem uirtus & instantia supplicationis erat tūc necessaria, ubi si manus deponeret, Amalech victoriæ honorem daret. Sed profecto magnum certamē fornicationis ostenditur, quod tanta uirtute, tanta difficultate superatur. Arma igitur exercitus, oratio intētissima necessaria est. Arma quidem necessaria sunt: quia qui contra fornicationem pugnare uolunt, uincere nequeunt, si non cæteris uirtutibus muniuntur. Exercitus (ut supra ostendimus) exempla patrum & scripturarum præcepta sunt: quæ quidem quilibet etiam considerare debet, ac illis sic mentem occupare, ut lasciuiæ inquinamenta non spectet. Sed exemplis atq; doctrinis instructus, de se confidere nequaquam potest. Leuet ergo manus suas, leuet mentē, ut opere bono & deuotione resplendeat, qui abscindere perfectè à se libidinis bellum tentat. Quid item est, quòd depositis manibus uincitur, nisi quia sæpe per audaciam prauí operis, ipsa etiam tollitur pulchritudo castitatis? Sæpe ex toto non tollitur, sed cum infirmantibus operibus infirmatur. Inter opera quidem & labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus, sed si quasi fessi, à solitæ conuersationis rigore torpescimus uel mollescimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israelem uincunt. Ne ergo manus lassescant, Aaron & Vr lapidem supponant, & graues Moysi manus deponi nequaquam sinant. Aaron quidē mons fortitudinis, Vr ignis uocatur. Quando enim lassescimus, consideratis cœlestibus roboramur. Mons ergo fortitudinis quid est, nisi altitudo supernæ contemplationis? Quæ profecto, quia in electo corde sine magna charitate non est, mons fortitudinis Moysi adstare rectè perhibetur. Qui nimirum lapidem supponunt, & manus sustinent: quia qui summa cœlorum præmia ardenter aspicit, fortitudinem magnam sumit, & bene operari, & conditorem exorare non desinit. Quia ergo ualida sunt & omnino uiolenta bella carnis, ascendenti Israeli Amalech restitisse aptè perhibetur. Regi igitur propheta præcipit, dicēs:

Audi uocem domini. Recensui quæcunq; fecit Amalech Israeli.] Quid est, quòd dicit: Audi uocem domini,] nisi quia castè uiuere uolentibus, contra fraudes fornicationis spiritus subtiliter uigilandum est. Quasi dicat: Considerare non desinas, quantis insidijs sibi subdere electos parat. Et idcirco non dixit. Recensui, quòd restitit Israeli, sed Audi uocem domini, recensui quomodo restitit Israeli.] Quasi dicat: Si modum insidiarum cognoscis, hostem superare facilius ualebis. Merito igitur subintulit, dicens: Nunc ergo uade, & percute Amalech, & demolire uniuersa eius.] Quasi dicat. Quasi nosti quemadmodum ire debeas, Vade, & demolire uniuersa eius,] & sic eum deleas, ut aliquid de eo ultra non uiuat. Sed quis ita sibi subijcere carnem, quis unquam sibi restringere mentem potuit, quis sic manere in carne, ut de carne turpes motus nullos sustineret? Quis ita refrenare cogitationē potuit, ut ad eam immunditiarum obscuritas per cogitationē nulla peruenireť? Sed si de carne non tollitur turpitudo motionis, tamen turpitudinis robur eneruatur, cùm motus quidē simplex in carne est, sed in motu pruritus libidinis nullus est. Hic quidem motus Amalechita non est: quia menti non lambit, quam oblectare nō poterit. Non potest tolli menti, quod aliquo modo immunda non uideat, sed in mirabilem usum puritatis deducitur, ut immunda uidens, nulla delectationis labe maculetur. Quisquis ergo sic præest carni, quisquis sic mentem regit, ideo præest, ideo regit: quia Amalech cuncta demoliri fortiter potuit. Sed iam quæ sunt eius uniuersa, subsequenter exponit, dicens: Non parcas ei, & non cōcupisces ipsius aliquid, sed interfice à uiro usq; ad mulierē, & paruulum & lactentem, & bouem & asinum, & ouem & camelum.] Quis est hic qui parcit Amalech, nisi qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne lasciuiæ aliquid retinet. Nam plerisq; turpitudinis opera non exercent, sed linguam à turpi locutione non cohibēt. Plerisq; per opus luxuriam uitant, per cogitationem non uitant. Quidam nihil turpe agunt, sed quod actu refugiunt, corde concupiscunt. Parcit ergo Amalech, qui blandimenta lasciuiæ, aut in locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem tenet. Dicit itaq;: Non parcas ei,] quia de tam nequissimo uitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Dicat ergo:

Non parcas ei,] ut omnes libidinosi motus, omnes obscœnę locutiones prorsus perimantur in corpore. Dicit ergo: Non concupisces ipsius aliquid,] ut penitus eradicet à cogitatione. Quid em est libido nisi ignis? Et quid de carne & mente exortę uirtutes nisi flores? Quid item turpes cogitationes nisi paleæ? Quis etiam nesciat, quia si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parua scintilla quæ remanet omnes paleæ accenduntur. Qui ergo uirtutum flores in mente non uult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem scintillam nunquam possit ardere. Carnalium etiam cogitationū stipulas auferat, ne dum is qui extingui non potest, calor naturalis accenditur, uirores uirtutum, qui per se accendi nequeūt, quasi per admistas paleas exurant. Quid est ergo:

Non parcas ei, & non concupisces ipsius aliquid,] nisi quia luxuria omnis in carne perfectè domanda est, & à mente radicitus extirpanda? Potest etiam intelligi Non parcas ei, & non concupisces ex eo aliquid,] quia & uiri, & mulieres, paruuli, & lactentes interfici præcipiuntur. Nam mulieres cōcupisci poterant, paruuli, & lactentes ad misericordiam prouocare. Qui ergo sunt uiri in-

terficiendi, quæ mulieres, qui paruuli, qui boues, quæ oues, qui cameli, qui asini subtiliter considerandum est. Qui enim sunt Amalechitæ uiri, nisi suadentes motus turpitudinis? Viri etenim sunt: quia uiolenter suggerunt, & corruptis mentibus semina prauitatis infundunt. Mulieres sunt mentis concupiscentiæ, quæ prædictis motibus ad fœtus impios substernũtur. Sed & paruuli & lactantes qui sunt, nisi qui de Amalechitarum uirorum & mulierum cõmistione generantur? Nam si motus malæ suggestionis quasi adulter in mente recipitur, concupiscentia quasi meretrix imprægnatur. Ipsa ergo concupiscentia, si nepharium effundere partum sinitur, libidinum motus iam non solum in mente, sed etiã in carne generant. Qui dum nascuntur paruuli sunt: quia adhuc carni uolentiam mouendo non inferũt. Lactantes uerò sunt, cùm tenui & negligenti cogitatione nutriuntur. Qui enim iam libera cogitatione motus turpes in carne reficit, non iam lac paruulis, sed cibum adultis impendit. Lac ergo paruulorum Amalechitarum tenuis est cogitatio immunditiæ: quia si motus turpis per cogitationẽ non pascitur, quasi negato sibi lacte paruuli necãtur. Quod profecto lac meretrix mater porrigit: quia dum ardor concupiscentiæ mentem prꝫuenit, quasi ex pessima cordis ubertate agitatur, ut peiores motuum soboles in carne nutriantur. Quid uerò in boue nisi consilium fraudulentum accipitur, quod exemplo ueterum carnis uoluptatem suggerit, qui inter carnis opera omnipotenti deo placuere? Nam quasi discretionis uomere scindere terram cernitur, sed si ex deliberatione suscipitur, iugo turpitudinis colla miseræ mentis illaqueat, quem per simulationem gestat. Ouis autem nomine innocentum uita signatur. Vnde electi omnes redemptoris nostri uoce oues nominantur, cùm dicit: Oues meæ uocem meam audiunt. Quæ est ergo ouis Amalech, nisi simulatio innocentiæ? Nam quidã dum & ipsam formam humani corporis, & proprietates sexus utriusqꝫ, dum insitam libidinem membris considerant, quasi naturali bono se hoc posse uti licenter putant. Quasi ergo ouis Amalechita est, quando continentibus illud quasi bonum suggeritur, quod uerè bonum non esse liquido comprobatur. Quid etiam in camelo signatur? Sed camelus ruminat, & ungulam nequaquam findit. Quid ergo in camelo signatur, nisi cogitatio quædam luxuriæ, quæ quasi à ratione incipit, sed per discretionẽ non finitur? Nam dum cogitat, quasi intus camelus ruminat, sed dum quod cogitat, per ueritatem non disponitur, eius ungula diuidi non uidetur. Nonnulli etenim continentiam professi, dum à carnis concupiscentia superantur, in coniugali uita saluari posse confidunt. Quidam & dum Apostoli licentiam audiunt: unusquisqꝫ suam uxorem habeat, & unaquæqꝫ suum uirum, sine discretione personarum omnes in hoc præcepto concludi, & sacrorum ordinum uiros coniugali copula uti posse fatẽtur. Huiusmodi enim sensus Amalechitã camelus est: quia quasi ex ratione incipit, sed ad irrationabilem uitam trahit. Quid ergo asinus, nisi aperta nequitia fornicationis accipitur? Quosdam enim diabolus in apertum chaos fornicationis inuehit, quibusdã per fraudes illudit. Asinus etiam aliena onera portare cõsueuit. Doctor uerò gentium dum uirũ sui corporis potestatem non habere, sed mulierem docuit: item nec mulierem sui corporis habere potestatem, sed uirum: quid aliud, quàm aliena onera eos portare iussit? Asini ergo nomine, robur coniugalis copulæ designatur: quia electi coniuges inuicem onera sua fortiter portant, ne per carnis infirmitatẽ in fornicationis baratrũ remissius corruant. Asinus ergo interficiẽdus est, sed Amalechita: quia copula cõiugis in honestate thalami roboranda est, sed à turpitudine interficienda. Debent quidem coniuges debitũ sibi inuicẽ reddere, sed turpiter conuenire non debent. Asinus ergo Amalech interficitur, cum in bonis coniugibus charitas tenetur honestæ copulæ, sed omnis obscœnitas uitatur in turpi cõiunctione. Omnia igitur Amalech demoliri iubentur: quia qui castè proponunt uiuere, de blandimento carnis in se aliquid retinere non debent. In carne quidẽ esse debẽt, ut bona per carnẽ agãt, sed sic debent à carnis uoluptate per mentis sublimitatem discedere, ut contumelias de carne non tollerent. Tales quidẽ eos esse uolebat, quibus Apostolus loquebaꝫ, dicens: Vos autẽ in carne non estis, sed in spiritu. Sed qui Amalech delere præcipitur, quibus adiutoribus ad hæc sufficiat attendamus. Nam sequitur: Præcepit Saul populo & recensuit eos quasi agnos.] Agnorũ nomine solent uiri magnæ prudentiæ designari. Vnde per Ioannem dicitur: Vidi supra montẽ Syon agnũ stantẽ, & cum eo centũ quadraginta quatuor millia habentia nomen eius, & nomẽ patris eius scriptum in frontibus suis. Qui enim nomen agni assumpserant, agni dicebantur. Ipsos etiã exponens, ait: Hi sunt qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati, uirgines enim sunt. Quid est ergo quòd cùm Amalech deleri prꝫcipiẽ, quasi agni regis milites recensentur, nisi quia cũ fornicationis spiritũ delere prꝫdicando uolumus, perfectorũ exempla producere debemus. Quotquot enim pudicitiæ gloria insignes secularibus conuertendis ostendimus, uelut tot milites quasi agnos recẽsitos ad Amalech bella portamus. Possunt autẽ horũ recensitorũ nomine ipsi ministri diuinæ prædicationis intelligi. Quasi agni ergo sunt: quia per gloriam perfectæ pudicitiæ iam illis uirginibus, cum Christo in regno gaudentibus, similantur. Quibus profecto uerbis ostenditur, quia qui prædicationis ministeriũ sumunt, præcipuo castitatis fulgore ante decorandi sunt: quia si per incontinentiã defluũt, cõtinentes alios facere nequaqꝫ possunt, & ad tantæ lucis bonũ prouocare non prævalẽt, qui eius radios in propriæ conuersationis fulgore non habẽt. Bene ergo dicit recẽsuit eos quasi agnos: quia pudicos ualde esse eos oportet, qui fornicationis effugare

Ioan.10

1.Cor.7

Rom.8

Apoc.14

spiritum

spiritum per accepti ordinis potestatem debent. Luca 12 Vnde in Euangelio eis dominus dicit: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris: ut uerbum prædicationis subditi audiant, sed eos ad bonum castitatis, quod audiunt, exempla lucidissimæ conuersationis trahant. Vnde bene perfecto numero designantur, cum subditur. Ducenta millia peditum, & decem millia uirorum Iuda.] Peditum nomine electi figurantur, non cum alta prædicāt, sed cū per bona exempla cœlestis itineris rectitudinē aliis demonstrāt. Pedites quidem gressibus currunt, quo producere arma uolūt. Quid uerò sunt exempla castitatis, nisi cœlestium militum terris impressa uestigia? Nam ut uitia libidinum in lubricis feriant, ad cordium eorum tenebras, cum bonorū exemplorum luce festināt, & quasi gressu peruenientes, hostes perimunt: qui postquam per opera cognoscuntur, corda peccatorum ad pudicitiæ bonum trahunt. Cum ergo per exēpla castitatis in peccatorum cordibus tenebras immunditiarum destruunt, pedites rectè nominantur. Et quia non solum prætextu corporalis munditiæ splendidi sunt, sed luce cordis, ducenta milia esse perhibent. In centenario quippe, & millenario numero, omnis decalogi summa cōcluditur. Perfecti ergo uiri in ducentis millibus cōtinentur: quia per diuinam gratiam tam corporis continentia, quàm integritate mentis ad summam pudicitiæ arcem peruenere. Tam enim in corpore, quàm in mente habēt perfectionem intentionis. Vel quia non remisse aut negligenter deo per pudicitiam seruiūt, centenarium habēt operis, & quia ei seruire non desinūt, habent millenarium multiplicationis. Sed fortes & assidui sunt ad continentiam corporis, perfecti & instantes ad circūspectionem cordis perfectione uirtutis. Talem quidem etiam uiduam apostolus esse prræcipiens, ait: Vt sit sancta carne, & spi 1.Cor.7 ritu. Sācta quippe carne & spiritu est: si perfectione castitatis, qua fulget in corpore, fulgeat etiā in mente. Quod si uiduæ tales sunt, quales esse iussæ sunt uirgines? De illis nanq; pluribus, sub unius descriptione dictum est. Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato. In eodem quoq; Psalmo Psal.44 laudatur eadem regina, cum dicit: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta uarietatib. Quid est enim uestitus aureus, nisi decor, & honor corporis uirginalis. Vestitus quidem dicitur, quia foris fulget in corpore: aureus autem, quia præcellit dignitate. Omnis autē metalli species auro inferior est. Sic nimirum omnis pudicitia alia, decori uirgineo comparari non potest. Quid est ergo quod dicitur, omnis gloria filiæ regū ab intus, si foris esse gloria uestitus aurei prædicatur? Si enim foris est aliqua magna aurei uestitus gloria, intus omnis gloria uideri non potest. Quid est ergo, quòd oīmis gloria intus esse perhibet, nisi quia & illa quæ foris est gloria, cum alijs innumeris intus esse cognoscitur. Aurea ēm uirginitas non est, si foris est, & intus non est.

A Quia ergo intus, & foris est: quia eadem splendet in corpore, eadem fulget in mente: omnis gloria filiæ regum intus esse sentiri cōuenienter potest. Omnis gloria intus est: quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multæ sunt uirtutum claritates in mente uirginis, sic uirgineus splendor asseritur, ut intus omnis gloria prædicetur. Hoc nimirum est, quod subsequitur. In fimbrijs aureis circumamicta uarietatibus. Fimbriæ enim aureæ sunt claritates à mente nunquam deficiētes. Fimbriæ quidem finales uestimenti partes sunt. Quæ idcirco in sponsæ Christi decore laudantur: quia nulla est uirtutum gloria, si lucere ante uitæ consummationem desistat. Regina ergo amore dicitur, in uestitu aureo uirginitas prædicatur. Sed omnis gloria intus, & in fimbrijs aureis, & uarietate circumamicta asseritur, ut innumeris uirtutib. adiuncta integritas, usque in finem deduci sentiatur. Bene itaq; contra Amalech ducenta peditum millia recensentur: quia illi ad debellādos immundos spiritus idonei sunt per exēpla castitatis, qui eam tenere didicerūt & in luce operis, & in splendore circunspectionis. Quia item eruditi, ac perfecti sunt uerbo dei, decem millium uirorum Iuda numero demonstratur. Viri etenim sunt fortitudine, Iuda autem prædicatione. Iuda etenim confitens interpretatur. Sed denario numero designantur: quia perfectionem doctrinæ per gratiam spiritussancti consecuti sunt. Vnde & Moysi decem legis præcepta tribuuntur, quæ dei digito C scripta sunt. Quid est ēm digitus dei, nisi spiritus Exod.31 sanctus. Qui cum legem scripsit, hanc utiq; in decem præceptis edidit: quia etsi in ea carnale aliquid foris protulit, intus hāc spiritualis intelligentiæ perfectionem signauit. Decem milia igitur uirorum Iuda contra Amalech producenda sunt, ut fornicationis spiritus aptis uiribus superet. Lambit quippe suggestione: quia leuia & blanda consulit, sed res, quas labendo consulit, per cogitationum phantasias ostendit. Ergo ut mens obscœna, sibi à dæmonibus ostensa, non uideat: electorum exempla reuelāda sunt. Et ut eā suggestionib. turpibus immundus spiritus delinire non possit, lingua prædicatorum debet per pudicitiæ laudem tangi. Lingat hanc prædicator, ut malignus spiritus lingere nequaquam possit. Et hanc uerbis oblectet: ne cui cœlestia desunt, hanc diabolus per suggestionum oblectamenta dilaniet. Contra duplex ergo bellum cordis: quia duplex est necessarium bonum, auxilij bene contra Amalech & pedites, & uiri Iuda parari perhibentur. Si quis autē alios per pedites, alios per uiros Iuda uult intelligi, sensus apertæ ueritatis patet: quia summi doctores habēt, qui docere nesciūt prædicatione, prodesse autē ualeant opere. Sed iam recensiti ad tanta prælia audiamus qua arte subsequenter dimicent. sequitur. Cumq; uenisset Saul ad ciuitatē Amalech, tetendit insidias ad torrentē.] Quis hic torrens est, nisi ille de quo per Psalmistā dicit: De torrente in uia bibit. Torrens quippe decursum

nostræ mortalitatis designat. Saul ergo in torrente insidias tendit, quando prædicator ecclesiæ æternis præmijs considerationē nostræ mortalitatis inserit. Vt em̄ lubricas animas quasi per fraudē capiat, modo cœlestia loqui inchoat, sed repente ad exponendam æternarum pœnarum acerbitatem conuertitur, ut securæ in carnis delectatione mentes terreantur. Quasi enim per fraudem educit, & per insidias percutit, dum læta loquens, ad audiendū prouocat, & mortis tristia inserit, ut audiant lubrici quod expauescāt. Saul ergo ad Amalech ciuitatem uenit, cum doctor, munita per illicitum amorem corda peccatorum, dulcedine æternæ iucunditatis attrahit. Sed insidias ei in torrente abscondit: quia mortis considerationē indu B cit, ut quasi ex insidijs erumpentem contra se mili tem peccator uideat, & dum se uelociter morituru consideret, moram peccati tendere ultra per timescat, sequitur. Dixit Saul Cyneo, discede ab Amalech, ne forte inuoluam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiā cum omnibus filijs Israel cum ascenderēt de Ægypto.] Quis est Cyneus, qui cū Amalech habitare cognoscitur, qui & discedere cogitur, ne cum eo pariter inuoluat? Sed fortasse
1.Cor.7 hic ille est de quo dicit Apostolus: Vxori uir debitum reddat, similiter & uxor uiro. Cui etiam nomen conuenit: quia Cyneus possidens dicit. Qui profecto cōiugati quia coniugio obligati sunt, relinquere omnia non coguntur. Quid est ergo, q̄ Cyneo dicitur: Discede ab Amalech,] nisi quia C his uerbis in coniugibus omnis obscœnitatis turpitudo damnatur? Cum Amalech quidem coniuncti sunt, qui meretricio more iungūtur. Quos discedere ab Amalech doctor præcipit, cum ad honestatem coniugalem eos reuocare contendit. Quasi dicat. Si continere ab inuicem non potestis, honorabile cōnubium uobis sit, & thorus immaculatus. Ab Amalech itaque discedere est, coniuges seipsis uti non ad turpitudinem meretriciæ obscœnitatis, sed ad temperantiam honestatis, & ad fructum propaginis. Vnde & idem doctor egregius de uidua, quæ iuxta eius cōsilium sic permanere non potest, dicit: Quod si se non continet, nubat, tantum in domino. Non in Amalech, sed in domino, ut quæ à nuptijs abstinere non pre D ualet, obscœnos gestus in fœdere nuptiarū uitet. Cui etiam comminatur, dicens: Ne inuoluam te cum eo.] Inuolui peccatoribus est, æterna pœna damnari. Vnde & de nequam seruo in Euangelio dominus dicit. Ligatis pedibus, & manibus proijcite in tenebras exteriores. Modo ergo prædicatores auditores reprobos non inuoluūt: quia etsi uerbum contemnunt, redire tamen ad pœnitentiam donec uiuūt cum uolunt, possunt. Instanter ergo coniugibus coniugalis honestas imperanda est: quia ualida mulctatione dicitur, Abite, recedite absque læsione. Discede ab Amalech ne inuoluam te cum eo.] Absque læsione quidem nūc, non tunc receditur: quia qui per omnia turpibus similantur, eorum læsionis expertes nō A erunt. Quia etiam fecisse cum filijs Israel de Ægypto ascendentibus misericordiam dicitur: quia infirmi sanctæ ecclesiæ filij dum perpetuæ continentiæ bonum seruare nequeunt, coniugij miseratione suscipiuntur. Ab Ægypto quidem ascendunt: quia luxuriæ, & fornicationis tenebras deserunt. Et misericordiam à Cyneo suscipiūt: quia coniugij indulgentiam promerentur. Vnde & doctor gentium dicit: Hoc dico secūdum indulgentiam, non secundum imperium. Et quia sancta ecclesia electis subditis bona, quæ loquendo exhibet, persuadet, sequitur: Et recessit Cyneus de medio Amalech.] De medio quidem Amalech discedit cōiunx, de parte non potest: quia & si gestus uirat turpitudinis, uitare non potest affectum B uoluptatis. Ignem quippe temperare per honestatem cōiuges possunt. De medio igitur Amalech exeunt: quia etsi carnalibus desiderijs omnino carere nequeunt, ipsum tamen carnis impetum, sub præcepto honestatis uinculo moderātur, sequit̄.

Percussitq; Saul Amalech, ab Euilat donec ueniret Sur, quæ est è regione Ægypti.] Euilat parturiens interpretatur, Sur angustia: Ægyptus tenebræ. Concupiscentia autem peccatū parit. Merito igitur parturientis nomine cōcupiscentia designatur. Propheta etiam impœnitentis cordis angustias incurrere metuens, obsecrat dicens: Ne absorbeat me profundum, neq; urgeat super me puteus os suū. Doctor ergo ab Euilat usq; Sur Amalech percutit, cum in auditorum suorum cordibus uitia conceptæ delectationis comprimit, & finem deliberationis. Sur etiam percutit: cum eas mentes uidetur ad pudicitiæ amorem trahere, quę in luxuriæ fœtore proposuerant uitam finire. In angustia enim sunt, qui capti iam malæ consuetudinis laqueo constringuntur. Et notandum: quia Sur è regione Ægypti esse ostenditur: quia qui in luxuria uitam finire deliberat, modo in interioribus tenebris clauditur à quibus ad exteriores perducatur. Sed etiam liber iste claudatur, ut ad consequentis considerationē per silentiū ueniamus. Iacob.1 Psal.68

Caput II.

REX Saul qui principia bona habuit, sed in bonis, quæ cœperat, nequaquā perseuerauit, per sacræ historiæ textū ostenditur, ut in eo imitāda, & cauenda uideamus. Sic nimirum & malè cultas segetes carpimus, quæ ad messionem spinis admistæ consurgūt. Bene quidem eas legere nouit qui sic curat spicas carpere, ut spinas studeat euitare. Sic dū horti cura negligit̄, cum holere, quod reficit nascit̄ uitia, quę pungit. Quasi em̄ malè cultos agros ingredi cautè discipulos præcipiebat dñs, cū dicebat: Super cathedram Moysi sederunt principes, & pharisæi. Quæcunq; dixerint uobis facite, quæ autē faciunt facere nolite. Quasi dicat: Quia mista sunt acta, & uerba reproborū, sic utēdi sunt: ut in eis sumat̄, quod uiuificat: uitet̄, quod necat. Matt.23

Hinc

Hinc iterum prænuncians, dicit: Venient ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hucusq; ergo regem Saul, strenuè regni curam gerentem, libenter attendimus: cõtemptorem iam dominicæ iussionis, in quo uitari & abijci debeat, subtiliter uideamus. Nam sequit. Apprehendit Agag regem Amalech uiuum, omne autem uulgus interfecit ore gladij. Et pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouiũ, & armentorũ: & uestibus, & arietibus, & uniuersis, quæ pulchra erant, nec uoluerunt disperdere ea. Quicquid uerò uile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.] Verbum domini fuit. Nunc uade & percute Amalech, & demolire uniuersa eius. Non parcas eis, & non cõcupisces ex eis aliquid. Aperte ergo transgressor per inobediẽtiam extitit, qui implere præceptum domini per superbiam recusauit. Dominus quidem prophetæ præcepit, dicẽs ne parcas ei, & non cõcupisces ex rebus ipsius aliquid. Hic uerò & pepercisse, & omnia electa eius concupiuisse ostenditur, ut dum transgressionis modus ostenditur, quàm sit detestabilis inobedientiæ culpa monstretur. Quod si carnis bella describimus, magnos esse lapsus regios inuenimus.

Mat.5 Vnde & dominus in Euangelio dicit: Si sal euanuerit, in quo salietur? Reges uerò ecclesiæ eius sunt prædicatores, sicut supra iam ostensum est. Quis ergo est Agag rex Amalech, nisi sensus carnalis? Nam cũ ex anima rationalitatẽ, ac sensualitatẽ habeamus, rationalitas menti sensualitas carni adscribitur, & per illam cum angelis, per istam cum brutis animalibus conuenimus. In illa quo altius extollimur, supernis ciuibus appropinquamus. Per istam uerò ad carnis blandimenta dilabimur, carnaliores (ut ita dixerim) inuenimur. Vnde & uisis, & concupitis iam filiabus hominũ, iã impletis in luxuria uoluptatibus, de his qui puritatis merito filij dei uocabantur, in Genesi dñs minatur, dicens: Non permanebit spiritus meus

Gene.6 in homine in æternũ, eo quod caro sit. Caro quippe homo efficitur, quando sensui carnis ratio subiugatur. Rex ergo Amalech uigor est sensus carnalis, qui motibus turpibus imperat, ut captiuam rationem ad illecebras obscœnitatis trahat. Bene autem carnali sensui nomen congruit Amalechitæ regis. Agag quippe meditans, siue loquens interpretatur. Meditari quippe ei est, phantasmata lasciuiæ interna meditatione colligere. Et loqui ei est, carnem motibus turpibus ad libidinem excitare. Quasi enim magnum clamorem locutionis habet, quia carnem pulsando ardentius commouet. Nam & meditando colligit, quod loquendo exponat: quia unusquisq; carnali sensui subditus, quo liberius lasciuiæ simulachra intus conspicit, eo ualidiores motus turpitudinis foris sentit. Meditatur ergo per internam uisionem turpitudinis, loquitur autem per exteriorem motum delectationis. Rex ergo Amalech loquens, & meditans dicitur, quia illis labentia blandimenta carnis excitare potest, quibus per turpes cogitationes illudit, & quos per experientiam blandæ motionis erudit. Sed notandum: quia quo liberius meditatur, eo & liberius loquitur quia carnem eo fortius commouet, quo causas suæ commotionis intus impressas per cogitationem tenet. More etenim ignis quo attentius insufflatur, magis accenditur: quia si flatus immundæ cogitationis deest, ardor libidinosæ commotionis adesse nõ potest. Rex ergo Israel contra Amalech regem pugnat, cum doctor ecclesiæ contra fornicationem disputat. Quem uictum, capit: quando ad ueniam conuersos peccatores non solum pœnitentes, sed etiam cõfitentes accipit. Quasi ergo Amalech regẽ iam uinctũ tenet, qui carnalẽ sensum, in cõuersis peccatoribus per amorẽ pudicitiæ, iã rationi subiectum, uidet. Sed quid est, quod uinctus uiuit: nisi quia nonnulli sunt, qui proprijs passionibus nõ mouentur sed auditis alienis obscœnitatibus, mouentur? Pugnantes, fortes sunt: sed uictores cadunt. Qui enim expugnatũ regẽ uiuũ seruauit: liquet quia in eiusdem belli triumpho capti sibi regis personã placuit. Quid uerò aliud faciũt qui ab alijs peccatorum confessionem recipiunt: nã dũ cogitant, quæ confidentes fecerũt, ad scelera, quę audiunt, inardescunt. Nam sępe dum audiunt, quibus se alij blandimentis obruerant, amare ipsi incipiunt: quæ iam eorũ exhortatione morientes, illi confitentur. Iam ergo in urbe sua uictus, & captus est Agag, sed à uictore seruat̃, cum quod detestatur à subditis, dilígitur à prælatis: quia carnalis sensus in eis uigere incipit, qui in illis uigorem iniquæ dominationis amisit. Et quia dum pastores corruunt ad præcipitium, subiecti comitantur, rex uiuum Agag cœpisse dicitur, sed idem rex, & populus eidem regi, & quibusque Amalech optimis pepercisse memorantur. Parcere enim affectæ mentis est amore eius cui parcit. Quod certè libidinis uitio conuenit: quia ut placere incipit, mentem in sui amorem trahit. Quia etiam uehemens est uirtus illius, statũ habere non nouit: quia nimirum cito perficit, si à se hanc cito euigilans animus non expellit. Nam dũ mentẽ in uadit, se per innumeras turpitudinum cogitationes spargit. Vnde & bene optimis gregibus, & armentis Saul, & populus pepercisse memorãtur. Cogitationes quidem libidinũ greges, & armenta dicuntur: quia & innumeræ sunt & de contemplatione immunditiæ in reprobo corde pascunt̃. Optimi etiã sunt, nõ probatione bonitatis, sed appetitu eligentis. In corde etenim reprobo quia nihil dílígitur carius, optimi greges dicuntur: quibus alia nulla cõparantur. Sed optimi dicunt̃ pro cæcitate cordis, armenta uerò pro reatu trãsgressionis. Reprobis quippe mentibus magnũ nõ est, immunda cogitare: sed coram deo peccatũ paruũ non est, in templo dei, hoc est in regenerato spiritu, immunda reponere. Parcit ergo non solum ouibus, sed armentis: quia qui per amorem libidinis, quasi paruas immundiciæ culpas aspicit: quasi paruis modo parcit, sed merita pœnarũ parua

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non inuenit. Possunt autem ouium nomine leuio A res luxuriæ cogitationes intelligi, armenta uerò fortiores, & molestiores. Quibus utiq; rex, & populus parcit: cum reprobus doctor, & subditi tam leuibus, quàm fortibus immũdæ cogitationis uexatiõibus substernũtur. Quid uerò est parcere uestibus, nisi damnatæ iam menti immunda deliberare? Si eñ aureus uestitus sponsæ uirginalis gloria est: quæ sunt uestes Amalech, nisi fœda inquinamenta luxuriæ? Sed uestimenta dicuntur: quia eorum uelamine tam anima, quàm corpus inficitur. Quia enim animam fœdat, & corpus perpetratio luxuriæ, non uestis, sed uestes nominantur. Sed (ut dixi) parcere deliberare, per affectũ mentis immunda diligere est. Infelix uerò anima sic capta, sic illaqueata: quia miris impulsionibus ad deliberatam prauitatem perpetrandam cogitur, bene post oues, armenta, & uestes, arietibus pepercisse memorãtur. Quasi enim arietum cornua sibi in lenes libidinum ictus placent: qui hoc in se unum retinere nititur, unde ad immunditiæ mortem perforetur. Arietibus ergo parcit, qui præcipitationis suæ ictus gratanter recipit. Pungitur quippe, ut carnis suæ desideriis seruiat, sed quod se fortiter pungit, leuiter oblectat. Quia item per innumeros modos obscœnitatis mentem libido illicit, non solum his nominatis rebus, sed omnibus quæ pulchra erant, pepercisse memorantur. Omnia quæ sibi immunda anima de luxuriæ uoluptate gratanter fingere cernitur, Amalech pulchra nominantur. Appetere hæc quippe nullatenus posset, si uehementer sibi eorum species non placeret. Sed quia casus uictorum asseritur dicit, B C

Nec uoluerũt disperdere ea.] Quasi dicat: Possent disperdere, si uoluissent. Nã nil facilius quàm libido uincitur, si omnis immunda cogitatio deuitetur. Tanto igitur facilius disperdi potest, quãto unusquisq; cogitare alia, quã carnis oblectamenta potest. Quia enim duas simul res imaginari nõ possumus, dum quicquid est aliud cogitamus, cogitare immunda non possumus. Celer ergo & facilis uictoria libidinis est, circunspectio cogitationis: si quoties carnalia obuiant, ad aliquid omniũ recurramus, quod libidinis non sit blandimentum. Hoc quidem facile stantibus, non lapsis facile dixerim: quia qui perpetratiõe peccati immundi spiritus seruus efficit̃, nec carnis cogitationes libere potest uitare, nec ad alias cito recurrere. De uictoribus ergo dicitur, noluerunt ea disperdere, qui potuerũt: quia ante casum à liberis facilè peccata uitantur, sed si nolunt uitare cum possunt, postea non possunt si uolunt: quia perfectè uelle non possunt. Quibus utiq; per se ueritas dicit: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Quasi dicat: Quia sponte liberi esse desistis, potestatem adipiscendæ libertatis in uobis iam non habetis. Quid uerò est, quod dicitur: Quicquid uerò fuit uile, & reprobum hoc demoliti sunt:] Nisi quia nonnulli maiorum delectationum usu, minores fastidiunt? Reprobũ quidem, & uile eis est, D Ioan.8

quod electione eorum, quæ magis placẽt, uilipendunt. Quia enim delicatiora peccata expetũt, quę dam reprobãt: & quia preciosiora peccata approbant, uilia minora putãt. Bene ergo dicit̃: Quicquid uile fuit & reprobum hoc demoliti sunt.] Quia delicatiora peccata eligunt, & quæ minus placent, quasi inepta reprobant, & uelut uilia contemnũt. Ista uerò omnia moraliter intellecta, libidinũ pugnas, atq; uictorias, sed ad historiã superborum, & inobedientũ tumorem designãt. Nam præceptũ à dño Saul fuerat, ut Amalech sic deleret, ut alicui eorum non parceret, nihilq; concupisceret. Qui ergo & regi Amalech pepercisse, & optimis quibusq; rebus asseritur, superbus & inobediens aperte monstratur. Sed fortasse pręceptũ contempsit: quia hoc à propheta, nõ à domino audiuit. Qui certè sic prophetã audire debuit, ut authoritatem attenderet, quam præmisit. Nam præcepturus propheta ut Amalech regẽ percuteret, præmisit dicens: hæc dicit dominus, ut præceptũ quod per hominem audisset, quasi hominis despicere non auderet. Ne item ministeriũ eius rex elatus uilipenderet item pręmisit, dicẽs: Me misit dominus, ungere te in regem. Quasi dicat: Per illum tibi dominus regale ministeriũ præcipit, per quẽ te in dignitatem regiam sublimauit. Tanto igitur humilius obedire debuit, quanto hunc esse à deo missum apertius agnouit. Sed dum missum prophetam spreuit, mittentem pariter dominum contempsit. Vnde subdit: *Factum est uerbum domini ad Samuelem, dicens: Pœnitet me quod constituerim regem Saul: quia dereliquit me, & uerba mea opere non impleuit.*] Ille prophetæ uerba se non audire credidit, sed dominus se derelictum conquerit̃ dum uerba sua opere nõ impleta ostendit. Nunc ecclesiæ dñs loquit̃, dicẽs: Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Qui ergo per inobedientiam à prædicatorum uerbo discedunt, dominum derelinquunt: quia ab illis receddunt, per quorum ministerium diuinæ uoluntati præsentes fiunt. Verba domini tunc opere non implent: quia foris homines loquuntur, intus uerò in hominibus Deus loquitur. Non ergo ipsi sunt qui loquuntur, sed spiritus sanctus. In prædicatoribus ergo contemnenda non est foris uilitas carnis, quorum mentes tam dignanter incolit sublimitas deitatis. Quid est ergo, quod pœnitere dominus dicitur, cum mutari affectibus non credatur? Sed quia cum mutabilib. summa immutabilitas loquitur, more eorum quibus cum loquitur, dum pœnitere dicitur, displicere sibi superborum temeritas designatur. Pœnitere enim solemus, cum mala nobis illi retribuunt, quibus nos honores, aut dona impendisse memoramus. Quia ergo more nostro omnipotẽs deus de superbi regis ingratitudine querit̃, dignitatẽ regiã cõtulisse se illi pœnitere perhibet̃. Quod profecto ad cumulum magnæ damnationis de superbis dicitur: quia quod sunt, iam non ad meritum, sed ad pœnam sunt, qui in uoluntate dei nõ sunt. Matt.10

Pœnitere

Pœnitere ergo dei est, uoluntatem in reprobis nō habere, cum à se honores impensos meminit, sed eos, quibus bona cōtulit, male uti bonis, quæ contulit agnoscit. Hanc quippe pœnitentiam suam deus uerbis alijs per Malachiam prophetam lu- Malac.1
dæis insinuat, dicens: Non est mihi uoluntas in uobis, & sacrificium non suscipiam de manu uestra. Quantum ergo cauenda sit inobedientiæ culpa cernimus, si his uerbis domini quàm districtè percutitur, attendamus. Nos autem in bello Amalech fornicationis pugnam descripsimus, qui nobis omnino deleri per sacra eloquia iubet. Merito igitur de lapsis in carnis bello doctoribus intelligi potest, hoc quod dominus querit, dicens:

Pœnitet me, quod constituerim regē Saul, quia B
dereliquit me, & uerba mea opere nō impleuit.] Verbum quippe eius præceptum prædicatorib. Luce.12
est: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Qui ergo uerbū in prædicatione habet, & in prædicatu castitatis non habet, loquendo dei esse cernitur, sed operando deū derelinquere probatur. Foris diuina exequitur, sed occultè dum in carnis uoluptate resoluitur, uerba domini opere non implere, declaratur. Dominū quippe derelinquit, mala proponēdo: uerba eius non implet, prohibita præsumendo. Bene ergo dicitur: Pœnitet me, quod cōstituerim regē Saul.] Quasi dicat: Quem præesse alijs tunc uolui, modo nolo: quia quē humilem prætuli, nunc superbientem & elatum transgressorem cerno. Quod nimi- C
rum de quibuslibet lapsis non dicitur: sed de his, quorum lapsus ostenditur, & pœnitentia nequaquam præuidetur. Nam de iustorum casu scriptū Prou.14
est, Septies in die cadit iustus, & resurgit. Eorum certè casus quodammodo status eorum est: quia aliquando permittuntur cadere, ut semper ualeāt fortius stare. Permittuntur, ut in malis corruant, ne summa uirtutum dona per elationem perdant. Hi profecto & si uerba domini quandoq; non implent, à domino non recedunt, quia ad tempus relinquuntur, ut æternaliter teneātur, & in modico delapsi, sed post modicū resipiscunt. Dum ergo Saul, non solū uerba domini opere non implesse, reprehenditur, sed ipsum dominū reliquisse, quos melius, quàm lapsos, & impœnitentes significat? D
De quibus profectò per prophetam dicitur. Per- Esa.28
cusserūt fœdus cum morte, & inferno. Cum morte quidē fœdus percutere est, mala audacter perpetrare, & ea semper agenda promittere. Mala quippe indesinenter faciunt, sed diligendo, quod faciunt, quasi à mortis amicitia se nunquam recedere, pollicent. Hi quippe in mortis fœdere quanto insensibiliores fiunt, uiscera matris ecclesiæ tanto acrius miserando quatiuntur. Vnde bene subiungitur. Contristatusq; est Samuel, & clamauit ad dominum tota nocte.] Samuel quidem cōtristat, quia de perditione subditi summus prædicator affligitur. Et tota nocte ad dominum clamat, quia pro restitutione lapsi diuinam misericordiā deuotis precibus obsecrat. Clamare quippe doctori est, pro peccatis subditorum magnis desiderijs omnipotentis dei misericordiam postulare. Qui tota nocte clamat, cum per affectum totam illius peccati caliginem suscipit, & pro ea, quasi pro proprio crimine, deo pœnitens satisfacit. Tota ergo nocte prædicatori clamare est, totam subditi causam suscipere, & omnem caliginem peccati illius, deuotæ compunctionis affectu destruere conari. Sed quid est, quod clamasse dicitur & dominum non respondisse, nisi quia ea quam dixi cordis impœnitentis caligo in illa, pro qua clamat, Saul culpa signatur. Responderet quidem dominus, si uocem clamantis exaudiret. Sequitur: Cumq; de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nunciatum est Samueli, quod uenisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.] Quid nam est peccatoris uita, nisi nox? Et quid iusti lux aliud, q̄ dies? Vnde & per Paulum cōuersis peccatoribus dicitur: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. De nocte autem prædicatori surgere est, ab alienæ culpæ susceptione affectum mentis erigere: Quasi enim in nocte iacet doctor, quādo alieni peccati tenebras luget, quia ab alta innocētiæ suę securitate deponitur, ut in imo alienæ considerationis peccatorū caligo destruat. De nocte ergo surgit, cum ab afflictione se erigit: & mane ad reū uenire disponit, quia occultè per compassionem plangit, & aperta increpatione per zelum percutit. Nocte etiā luget doctor, sed mane ad arguendum uenit: quia intus peccantem subditum diligit, sed palam errantem arguere nequaquam erubescit. Quasi enim mane lucescit, cum doctor aperire crimen, quod latet, incipit. Quid ergo est, quod in Carmelū uenisse, & fornicem sibi triumphalem erexisse is, ad quē uenit, asseritur, nisi quia profectus mali liquido prædicatur? Post inobedientiæ quidem culpam triumphalem arcum, uel fabricā erigere est, mala agere, & de eorundem malorum perpetratione superbire. Quasi eīn triumphalia signa erigunt, quando cum quadam ostentatione ea proferūt, quibus alijs se excellere arbitrantur. Quod certè tam arrogantibus, quàm lubricis doctoribus conuenit. Illi quidem dum magna dicunt, se in sublime æstimationis erigunt, & quales se intus aspiciunt, per iactantiā, & ostentationē foris innotescunt. Cunque & illud, quod per se alij proficiunt, ad fauorem propriæ laudis trahunt, quid aliud uidentur agere, nisi altum uictoriæ signum, insigni titulo demonstrare? Nonnulli uerò & cum turpiter uiuunt, & honestissimè loquuntur, considerant uerborum honestatē, non tamen reputant propriæ uitæ turpitudinem. Cum ergo non rebus operum, sed splendore uerborum apparere gestiunt: nimirum triumphalem arcum fabricant, in quo se quasi uictores extollant. Et quia turpium uerbo, turpes plerique alij resipiscunt: post expugnatū Amalech, eis in Carmelū uenire est, & fornicem triumphalem erigere: de extincta in subiectis libidine, inaniter corā simpli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

simplicibus gloriari. Carmelus quidem mollis, siue tener interpretatur. Qui enim teneri huius nomine, nisi in sancta cõuersatione rudes intelliguntur? Qui etiam molles uocant, nisi qui adhuc per usum uirtutis non sunt in inchoata bonitate solidati. In Carmelo igitur signum uictoriæ erigunt, quia rudibus, & debilibus se ostendunt: ne à peritis fortibus quales in ueritate sunt, inueniant. Hi enim non in uerbis, sed in operibus fulgorem uictoriæ quærunt: quia arbores non in decore foliorum iudicant, sed in sapore pomorum probant.

Mat.7 Vnde & dominus docens, ait: A fructibus eorũ cognoscetis eos. Quia ergo laudari inaniter appetunt: quia probatissimorum uirorum iudicia fugiunt, & rudib⁹ ac debilibus aliud, quàm sunt se esse mentiuntur, Saul in Carmelum uenisse, & fornicem sibi triumphalem erexisse dicitur. Quid uerò est, quod in Galgala trãsit, nisi quia eo modo, quo se simplicibus & religiosis ostẽdit: in religiosis & doctis innotescere appetit. Galgala quippe (ut iã multoties dixi) rota nominatur. Quidam uerò intra sanctam ecclesiam & eruditi in sacra scriptura sunt, & religiosi non sunt: quia uirtutem scripturæ, uidelicet charitatem non habent. Qui dum loquentes facundos uiros, & carnales audiunt, uerba quæ sciunt, admirantur. Sed discutere nõ possunt eorum occulta, quæ nesciunt. Bene igitur Saul in Galgala transire dicitur, quia qui fauorem de facunda locutione quærunt, id quod cupiunt, non apud eruditos religiosos: sed apud simplices & rudes, aut apud irreligiosos sapientes inueniũt. Sed summi uiri, cum reprobi bona docent, electis subditis magis timent: ne quos lingua ædificant, manu ideſt, operatione peruertãt. Quia ergo diu in ministerio prædicationis lubrici doctores dimittendi non sunt, aptè illatum est. Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum domino, *initia* prædarum, quæ attulerat de Amalech.] Venit quippe ad Saul, ut superbum deponat, quem humilem ad regni culmen extulerat. Quem qualis erat, inuenit: non qualem se superbiæ signis ostenderat. Quid est ergo, quod holocaustum domino Amalech primitias offert, nisi quia nonnulli & prauè uiuunt, & placere se deo per aliorum profectum arbitrantur? Et quia non parum placere credunt deo, quod offerunt non sacrificium aut uictimam, sed holocaustum offerre perhibetur. Initia uerò prædarum dicuntur, ut in Samuele summi & electi antistitis uigilans studium designetur, à quo malorum principia uelociter comprimũtur. Quasi dicat: Valde festinus occurrit, quo absente nec initium holocaustorũ habere liberum potuit. Possunt *initia* prædarum intelligi electa quæque de prædis. Quæ aperto ore lubrici, sed occulta cęcitate percussi offerũt, quando inde se placere deo credunt, quod in auditoribus suis ea perimunt, quæ in se uiuere permittũt. Quasi enim indiscretè offerentem apertius reprehendens dicat. Illud uiuum offerebat, quod melius offerret extinctũ. Nam si iuxta uerba dñi prædam omnem in Amalech extingueret, holocaustum omnino acceptabile omnipotẽti deo obtulisset. Sic nimirũ & doctor lubricus si cuncta blandimenta carnis, quæ loquendo reprobat, uolendo reprobaret: holocaustum combureret, quod reprobari non posset. Quid est ergo, quod dicit: quia Offerebat prædarum initia, quæ attulerat de Amalech:] Nisi quia cæci cordis caligo damnatur, quod sic de eo reputat, quod prodest alijs, ut uidere negligat, quod obest sibi? Quasi dicat. De illo quasi uictor gaudebat, uictor in alijs: q̃d in se uiuum, & inuictum portabat. Et quia plerunque tam dementer insaniunt, ut etiam ipsis electis, & summis prædicatoribus prætextum uirtutis offerre conent, sequit. Et dum ueniſſet Samuel ad Saul, dixit Saul: Benedictus tu à domino, impleui uerbum domini,] Verbum domini fuit, ut Amalech delere debuisset. Quid est aũt, q̃ dicit, Impleui uerbum domini:] nisi quia culpa fornicationis, quo fœdior cernitur, eo à reprobis studiosius occultatur. Quia ergo ij qui eidem fornicatiõis uitio subiecti sunt, semper latere appetũt, in eorum typo & Amalech Saul demoliri despexit, & ad Samuelem dixit: Impleui uerbum domini.] Quasi dicat: Et in alijs libidinem domui, & in meipso eius blandimenta peremi. Et quia blanda adulatione summi uiri flectere mentem nititur, præmisit dicens: Benedictus tu à domino.] Quasi dicat: Hoc quidem ego egi, sed agere non meis uiribus, sed tuis meritis, & intercessionib. potui. Sed perfecti uiri audire laudes suas possunt, à rigore autem iustitiæ flecti nequeũt. Quare & subditur. Dixitq̃ Samuel. Et quæ est hæc uox gregũ, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quã ego audio?] Vox gregum, & armentorum Amalech, fama turpitudinum est. Quando de minoribus luxuriæ culpis quilibet diffamatur, uox gregum resonare dicitur. Quando item de criminosi oribus, & obscœnioribus accusatur, uox armentorum. Quasi sub falsæ uirtutis suę simulatione reconditum denudet, dicens: Tu te proprio ore iustificas, sed immunditiarum tuarum turbæ per omnium ora clamant. Sed iam qui excusationes prætendere cœpit, quibus defensionibus obiectę infamiæ crimen euadat, uideamus. sequitur. De Amalech adduxerunt ea. Pepercit populus melioribus ouibus & armentis, ut immolaret domino deo tuo: reliqua occidimus.] Quid est, quod ait de Amalech adduxerunt ea, & non dixit, adduximus? Sed quando reprobi arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquãdo in alios transferunt. Tegunt quidem negando cum latere possunt, sed dum quasi in aperto deprehensi tenent, quod negare nequeunt, alijs adscribunt. Horum siquidem mores Saul insinuans, ait, De Amalech adduxerunt ea, pepercit populus melioribus ouibus, & armentis.] Quasi dicat: Malum, quod auditur, ex populi fragilitate pensandum est, non ex uirtute pastoris. Peccata quidem subditorum in prælatorum comparatione despicienda sunt.

Dicit

Dicit ergo de Amalech adduxerunt ea. Quasi dicat. Hoc quod de turpi uita resonat, uerum est, sed tamen eadem turpitudo in paruulis uiguit, non in magnis. Adhuc item eandem culpam leuigans ait, Pepercit populus melioribus ouibus & armentis, ut immolarentur domino deo tuo.]

Quasi dicat. Verè peccauit populus, sed nō ad mortem: quia peccata operis, iam me exhortante delere nititur humilitate confessionis. Greges quippe Amalech, & armenta domino immolantur, quando lubrici, & incontinentes ad confessionem ueniunt, & quod nequiter egerunt, pœnitendo delere satagunt, Dicit ergo pepercit populus id est peccato indulsit. Sed adduxerunt ea ut immolarẽtur:] Quia in quibus se cecidisse populus recolit; iam se confitendo, & pœnitendo, compunxit. Meliores uero greges, & armenta (ut supra) electiora peccata luxuriæ designantur. Quasi dicat: Et si grauiter deliquit populus, arguendi non sumus: quia pro magnitudine criminis habet lamenta compunctionis. Quid est, quod ait. Vt immolarentur domino deo tuo.] Sed fallaciū per hoc consuetudo ostenditur, qui dum summis uiris latere appetunt, adulantur. Quid enim est, q̄ deum suum singulariter asserit, nisi quia eum familiarem dei amicum ostendit? Domino (inquit) deo tuo.] Non meo, sed tuo: quia ego peccator tu singulariter sanctus es. Sed mirabili usu fraudis fallaces sic se tegunt, ut proferant, & iustificant, ut accusent. Accusationis quoq; modum sic temperāt ut accusando iusti appareant, ne excusando innotescant. Dum enim suum deum dicit, illum quidē extollit, se minuit. Sed dum abducta ab Amalech asserit, quæ domino immolent: tacitè profert nō unde reprehendi debeat, sed laudari. Et adhuc addens, dicit. Reliqua uero occidimus.] Occiduntur quidem peccata, quæ dimittuntur. Viua quidem peccata sunt, quæ aut in mente adhuc per cō cupiscentiam regnant, aut quæ per conuersionē contempta, sed per pœnitentiā adhuc nō sunt deleta. Illa quidem uiuunt adhuc ad uoluptatē, ista uiuunt ad pœnam: quia & si iam peccare deseruimus, nisi commissa plangamus, commissorū obligatione retinemur. Sed maiora minoribus, leuiora maioribꝰ tribuit. Nam quid est, quod dicit, Reliqua occidimus:] Nisi quia sunt paruissima peccata maioribus, quæ sola confessione lauantur. Quæ doctores occidunt, quando humiliter confitentibus, apostolica authoritate dimittunt. His enim uerbis omnibus quia se fallaces tegere nituntur, non prodere, qua electorum prædicatorū authoritate reprobent adiungit. Dixit enim Samuel ad Saul. Sine me, indicabo tibi, quæ locutus sit dominus ad me nocte.] Quid est, quod ait. Sine me, & indicabo tibi:] nisi quia dum fallaces uerbo sitati insistunt, examinantibus prælatis, loquendi locū nō tribuunt. Quasi dicat dū à uerbositate non desinis, ea quæ audire debes loqui me nō permittis. Potest etiā hoc uerbo adulatoris intentio deridere: qui dum blandimento laudis placere se credit, eos quos laudat, se quasi tenere eisdem laudibus arbitratur. Tale est ergo ac si laudatorem suum electus præsul honesta grauitate derideat, dicēs: Qui me laudas, loqui tibi dura nō possum. Sine ergo, ideſt permitte me loqui, & ea quę sum loquuturus, intellige. Et quia (ut dixi) placere se laudādo adulatores credūt, audire ab eis dura, quos laudant, nequaquā putant. Quasi ergo iā læta & prospera auditurus subsequitur Saul, dicens: Loquere.] Sed electi uiri cùm laudes suas audiunt, inter fomenta laudis à rigore iustitiæ nō mollescunt. Nam qui reproborum acta despiciūt, excipere uerba nequaquam possunt. Quia ergo flecti laudibus nequeūt, laudatores improbos & subtili ratione discutiunt, & districtis sententijs insequuntur. Vnde sequitur. Et ait Samuel, nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Vnxitq; te dominus in regem super Israel, misitq; te dominus in uiā, & ait: Vade, interfice peccatores Amalech, & pugnabis cōtra eos usq; ad internitionem eorum. Quare ergo non audisti uocem domini, sed uersus ad prædam es, & fecisti malum in oculis domini?] His quippe uerbis superbi regis inobedientia subtiliter examinatur: quia ei prius dona collata obijcit, deinde audaciam transgressionis per eiusdē culpæ exquisitionem ferit. Subtilis nanq; examinatio est, quando sic uersutus quisq; peccator discutitur, ut ei culpæ excusatio nulla relinquat, ut hūc ad mortem flagitij quasi uinctum dei sententia teneat, cui peccati confugium nullum restat. Vt ergo omnis uia fugiendi fallacibus superbis obstruatur, memorātur ei & sublimitas dignitatis & modus ministerij, cum dicit: Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es, & ait tibi dominus, interfice peccatores Amalech?] Et ut circundatum iam & obsessum ratiocinationibus capiat, manum culpæ injicit, dicēs: Quare ergo non audisti uocem domini, sed uersus ad prædam es, & fecisti malum coram oculis domini?] Quasi dicat: Ecce quid eras, quid factꝰ es; quid debuisti facere, ecce quid fecisti: ecce quantum ab eo, quod debuisti exercere, recesseris. Dū ergo intulit, dicens: Quare fecisti malū in oculis domini? Quasi fallacem reum circundando comprehendit. Sed in hoc loco notandū est: quia dū rex superbus arguitur, electionis eius tēpora memorantur: ut tumor cordis sentiatur non affuisse eligendo, sed ex culmine creuisse prælato. A domino quidem bonus electus est, sed dum creuit ex culmine, decreuit elatione. Dicit ergo. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, modo uersus ad prædā, fecisti malū in oculis domini.] Quasi dicat: Per ueritatē humilitatis regnum promeruisti, sed nūc prætextu humilis, ueritate tumidus regnū perdis. Quid enim sunt oculi cordis, nisi aspectus rationis? Nam qui integros uisus rationis habet, perfecte illuminatus est. In oculis ergo suis est humilis, qui se perfecte respicit, & humilem perfecta uisione cognoscit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcit. His ergo uerbis lapſi regis non ſolum præterita humilitas, ſed etiã rationis acuitas cõmendatur: quia uidelicet tantus erat ratiõe, ut ſe perfectè cognoſceret: & tãtus uirtute, ut ſe ſubtiliter intuens, ucre humilem uideret. Quia igit cũ arguit, eius præterita memorantur, quid aliud, q̃ his quæ habebat, carere deſcribit. Nam ſuperbire nequeunt, niſi qui prius oculos cordis perdunt. De libinoſis uerò ualde clarius conſtat: quia in fornicationis baratro ſe nunq̃ obruerent, ſi à luce intimæ gloriæ non ante caligarent. Qui quia alta pudicitiæ præcepta contemnunt etiam tumoris arguuntur. Qui ergo deponere præpoſitũ regẽ uenerat, dicit. Cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, nunc feciſti malũ in oculis domini:] Quaſi dicat. Superbus modo, & cæcus iuſtè deponeris, qui prius uidens, & humilis regnum ſortiri meruiſti. Nam & ſuperbi Phariſæi ab ipſa ueritate cæci nominnatur, qæu ad diſcipu
Mat.15 los ait: Sinite eos, cæci ſunt, & duces cæcorũ. Quę utiq; cæcitas ſpecialiter libidinoſis adſcribit: quia nulla ſunt uitia, quæ ſpiſſiores tenebras menti ingerant, quàm libido. At nunc pleroſq; uideas ſteriſſe clericos, ſacerdotes corruiſſe. Quibus certè per Samuelis imperiũ dicit. Cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es.] Quaſi dicat: Cũ in minori ordine illuminato corde pudicitiæ præcepta ſeruaueris, nunc amiſſis oculis in fornicationis baratro corruiſti. Ad præ dam uerſus es:] Quia diuina præcepta uiolenta præſumptione rupiſti. Qui enim prohibente, & quaſi minis armato & obſtante deo ad uiolandũ ſacrarium caſtitatis irrumpunt: quaſi per rapinam prædę, Amalech electa ad domini terram ducũt. Et quia quantum poſſunt, lubrici prædicatoribus abſconduntur, in conſpectu domini malum Saul feciſſe reprehenditur. Quaſi enim minans, & terrens prędicator in carnis uoluptate lapſo dicat crimen immunditiæ hominibus quidem abſconditur, ſed uidenti omnia non cælatur. Hæc quidem & his ſimilia cum impœnitentes audiunt, terreri nequaquam poſſunt. Vnde & ſi iam ratiocinatione capti ſunt, uelut angues per lubricum dilabi à tenentis ſe manibus ſatagunt. Caudam proferũt, caput abſcondunt: quia uidentur iam extrema operum, ſed earundem tegitur qualitas actionum. Vnde & ſequitur: Et ait Saul ad Samuelem, imo audiui uocẽ dñi, & ambulaui per uiã qua miſit me dñs: & adduxi Agag regem Amalech, & Amalech interfeci.] Quaſi enim occulta tegens, aliorum diſcooperta proferens, ſe lubricus doctor de profectu prædicationis commendat, dicens: De ſubditorum culpa reprehendi non debeo, ſed laudari, quam in delinquentibus prædicando deleui. Amalech percuſſi: quia fornicationis ſpiritus in auditorum meorum cordibus linguæ meæ gladio corruit. Rex & ſi uiuit, adductus eſt: quia & ſi ſenſus carnis quãdiu ſumus in carne, omnino perdi non poteſt, captus eſt, ut capi potuit: quia prævalere rationi nõ poteſt. Ipſos ſubditos correptos & peccata confitentes oſtendere geſtiens, ſubiunxit, dicẽs: Tulit aũt populus de præda, oues & boues, primitias eorum, quæ cæſa ſunt ut immolaret dño deo ſuo in Galgalis.] Quando armarotũ uiolẽtia alicuius, ꝓpriũ rollit, præda nominatur. Vitia autem carnis, & animæ, quia diabolo ſuggerente propagantur, eius uelut proprium ſunt. Quiſquis ergo in ſe nuper remiſſus, nunc autem uiolentus uitia deſtruit, prædam facit: quia quæ aliena ſunt, potenter rapit. Et notandum: quia cædere & præda dicitur, ut alia mortua relicta, alia uiua delata eſſe doceantur. Cæduntur quidem oblectamenta libidinis, quando uirtute ſupernæ intentionis depelluntur à corde, & contritione ſpiritus reciduntur à corpore. Sed uiua ad immolandum deducuntur: quia & ſi conuerſione peccatoris, carnis aut mentis delectamentũ deſeritur, pœna præteritę delectationis penitus non deletur. Cædanť ergo uitia, primitiæ uiuæ ad immolandum nullatenus ſeruentur: ut qui uim peccati in contẽptum oblectationum potenter perimit, uiuere ſibi ad immolandum timeat pœnam delectationis. Primitiæ ergo cæſorum quid ſunt, niſi delectationes peccaminum? Has quidem offerre dicitur, qui coram deo ſacerdotibus confitetur. Et oblata immolantur, quando eorum pœna pœnitendo deſtruit. Quaſi enim in primitijs cæſa offeruntur, & per poſteriora uiuunt: quando aliquis peccata confiteť, & immolare, hoc eſt, coram deo maclare pœnitendo non nititur. Dum ergo cæſorum primitiæ reſeruari ad immolandum dicuntur, quorundam error confundit: qui peccata deſerunt, nec tamen plãgunt. Quia ergo non ſolum confitenda ſunt peccata, ſed etiam pœnitentiæ auſtritate delenda, dum boni doctoris Saul typum ſimulat, ſubiectos ſuos cæſorum primitias immolandas tuliſſe aſſeuerat. Quia etiam ratione ſcripturarũ modus pœnitentiæ decernendus eſt, in Galgalis primitiæ immolandæ deducuntur. Boues autem nõ ſolum, ſed & oues ad immolandum ſeruanť: ut qui circa ſalutem ſuam ſolliciti ſunt, ſic delere pœnitendo magna ſtudeant, ut minora plangere nõ omittant. De ſuperbis autem manifeſtũ eſt: quia cũ ſemper magni uideri appetant, notari peccatores erubeſcunt. Deprehenſi etiam reſiſtunt, & in his etiam iuſti apparere cupiunt, quę agunt. Quid eſt ergo, quod ait: Imo audiui uocẽ domini.] Samuel autem dicit: Sine me, & indicabo tibi quid locutus ſit mihi domin⁹ nocte. Et poſt pauca. Quare uerſus ad prædam es & feciſti malum corã oculis domini? Patet ergo quàm mirabiliter tumeat, qui tunc ſe iuſtificare appetit, quando dominũ ſe reprehendere de peccato recognoſcit. Si uero idcirco ſic reſpondiſſe creditur, quia uerba prophetæ, non domini eſſe credidit, ſed prophetæ: uidemus adhuc imitatores Saul, qui dum in propria eruditione confidunt, maiorum iuſſa, quæ audiunt, & per tumorem deſpiciunt, & meliorare permutando credunt. Quid eſt ergo, quod dicit: Imo audiui uocẽ domini, & adduxi Agag regẽ Amalech?]

lech:] Sed tale est, ac si dicat: Et quod præceptū fuit implere studui, & quod minus erat suppleui. Agendum fuit, ut Amalech percuteret: sed quia deo auxiliante uincitur, supplendum erat, ut quæ in eius immolarentur sacrificio seruarent. Quod aperte in superbis apparet: quia cum apertā culpā cælare nō possunt, permutare aut minuere conantur. Quasi dicat: Et si iudicas apertas culpas operis, attendēda est occulta simplicitas intentionis. Culpa quidem esset de Amalech aliquid afferre, nisi allata deo deberent immolari. Hoc quidē sæpe in monasterijs accidit, cum quisq; nimis religiosus subditus spiritualium prælatorum imperijs adijcere præsumat: cū regularem communem uitam despicit, & propriæ sequitur arbitrium uoluntatis. Dum enim meliorare uitā eligendo, & obediēdo nititur, quid aliud quam apertā inobedientiā intentione uirtutis colorare monstratur? Quem profecto locū non solum subditi sed etiā prælati intueri subtiliter debent: quia ex eo Saul deo displicuit, quod deo immolare præter prophetæ præceptū tentauit. Subtiliter notent prælati: quia demoliendi Amalech propheta regi præceptum dedit. Sic enim debet doctor laudare cōmunia, ut singulorum propria non contemnat. Illa quidem communis uita laudatur, quæ charitate coniungitur, uitijs mediantibus non fuscatur. Apostoli quidem sententia est: quia unusquisque proprium donum habet à deo, unus quidem sic,
1 Cor. 7 alius uero sic. Quorum ergo cibi, &, & mensa cōmunes sunt, debent attendere non solum commune bonū refectionis, sed proprietatem passionis: ut pariter comedant, sed contra fornicationis stimulos certare per abstinentiā pariter nō contemnant. Eius uero caro amplius domanda est, cui carnis stimulus magis infestus est. Iam ergo nō excitare cōmunis est uita, ubi cōmunitas refectionis attenditur: sed cōtra singularē pugnā pugnare singulariter perhibetur. Nec doctor bene præcipit si nō præcipit, unde Amalech percutiat, sed unde uiuit. Præcipiat ergo doctor, sed ut fornicationis spiritus superet. Non obedire subiecti refugiāt, sed ubi superbiæ crimen incurrit, nō unde baratrum mortis deuitat. Inobedientes aūt dū tumenti corde maiorū iussa non faciūt, cum meliorare, quod eis iniungitur conantur, sua opera deo offerre dū cupiunt, semetipsos tollunt. Nam per alias uirtutes nostra ei impendimus, per obedientiā nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subiungens, ait: Nunquid uult deus holocausta & uictimas, nō potius ut obediatur uoci domini?] Quid enim sunt bona electorū hominū opera, nisi uictimæ & holocausta? Cum ergo holocausta, & uictimas per legē offerri dominus præcepisset, quid est quod dominus holocausta et uictimas nolle dicitur, uel le aūt ut ei obediatur, pollicetur: nisi quia quæ præter obedientiā fiunt, holocausta & uictimæ non sunt? Quasi dicat: Tūc bona sunt bona opera, quā do à præpositorū cōscientia nō discordant. Si uero hoc ideo dicit, ut uirtus obedientiæ cōmendetur, liquet quā sublime bonum sit, quod uictimis & sacrificijs excellit. Quid est ergo, quod, dicitur: Vult ut obediatur uoci domini:] Nisi quia omnia bona opera postponenda sunt his bonis, quæ iubentur. Nam cum bene prælati iubent, bona quæ ex arbitrio subiecti eligunt, prælatorum imperijs postponuntur. Ipsa uero opera illis postposita, holocausta & uictimæ nominātur, ut non solum sentiantur non esse conferenda maiorum imperijs, minorū parua, sed maxima. Holocausta quidē eorū sunt qui se omnino subtrahere uolunt à publico operis, ut deo se totos per amorem combustos offerāt in secreto contēplationis. Victimæ sunt eorum, qui se à cōmuni publico nequaquam separant, sed singulari uirtute agunt ut uirtutes aliorū districtius uiuendo transcendant. Hæc quidem, & huiusmodi cū bonorū rectorum permissione aguntur, uictimæ, & holocausta sunt quæ deus probat: cum uero sic fiūt, ut per ea maiorum præcepta negligantur, audiant, qui offerūt, quid à domino missus ad inobedientē regē propheta loquitur. Nunquid uult deus holocausta, & uictimas, & non potius, ut obediatur uoci domini?] Quasi iussa patrum uelut minora despicientes, & sua quasi maiora exhibentes terreat, dicēs: Hoc quia magnum agere putatis, paruum & abiectum despicitis sed si aperte cernitis, per hoc domino non placetis. Bene aūt dū superborū opus discutitur, propheta acute exquirit, dicēs. Nunquid uult deus holocausta & uictimas, & nō potius ut obediatur uoci domini?] Exquirit liquidē ut superbiæ tumor pastorali authoritate feriatur. Dicit. Nunquid uult deus holocausta & uictimas.] Quia qui sequi propriam uoluntatē eligūt, deo placere se putant, sed deus eorū opera cū magna & ingentia sunt, nequaquam probat. Sed iam quibus laudibus obedientia prædicanda sit, subiunxit atq; ait. Melior est enim obediētia quàm uictimæ: & auscultare magis q̄ offerre adipē arietū.] Quia em̄ superius ait: Nūquid uult utrunq; deus holocausta & uictimas? Nunquid utrunq; obedientiæ laudibus subijciens, dum uictimas & arietum adipem posuit, in adipe holocaustum intellexit. Quicquid meli⁹ est, bono utiq; melius est. Illa aūt holocausta & uictimæ, quæ non uult deus, bona minimè sunt. Quid est ergo quod in obedientiæ laudes dicitur. Melior est obedientia quàm uictimæ, & auscultare quàm offerre adipē arietum,] nisi quia tunc obedientia melior est, cū holocaustum & uictima mala non est. Quasi ergo superbientes, inobedientesq; ad tanti boni cō sideratione reducat, dicens: Et si nil à uobis per præsumptionem fieret, obedientiæ uirtus oneribus quæ eligitis melior esset. Liquet ergo, quo sita sit culmine, quam diuinis oblationibus prophe ta uidit altiorem, Quod si (ut supra) spiritualē sensum sequitur, uictimæ ad magnę conuersationis austeritatē, holocausta ad cōpunctionem uitę secretioris referenda sunt. Melior est em̄ obedientia quàm uictimæ, & auscultare magis quàm offer te arie

Universidad de Deusto
Biblioteca

re arietũ adipem.] Quia longè altioris meriti est propriam uoluntatem alienæ semper uoluntati subijcere, quàm magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietũ, nisi pinguis & interna deuotio electoris? Adipem ergo arietum offert, qui in studio secretæ conuersationis deuotæ orationis affectum habet. Melior est tamen obedientia quàm uictimæ, & quàm offerre adipem arietũ.] Quia qui perfectè uoluntatẽ preceptoris sui implere didicit, in cœlesti regno, & abstinẽtibus & flentibus excellit. Hoc certè quia contra superbientẽ, atq; apertè domini mandata contemnentem dicit, non confert bonũ, quod fecit, bono quod contẽpsit: sed boni simulationẽ destruit, melioris boni ostensa ueritate. Quasi dicat: Et si pro excellentiori uirtutũ gloria excellens bonum quærebas, bonũ obedientiæ quod excellentibus etiã excellit, eligere potius debuisti. Sic profecto loquẽs simulationem boni argumentando destruit, sed subiũgendo, patens inobedientiæ malum apertè confundit, dicens: Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.] Quidnã est, quod ariolis, & idololatris repugnantes, & acquiescere nolentes à propheta simulantẽ, nisi qui arioli diuina cognoscere atq; absconsa diuinare nitebãtur: idololatriæ autem figmentis se uenerando subdidere? Qui autem repugnant: prælatorum imperijs, ideo utiq; repugnant quia diuinã uoluntatem se scire melius æstimant. Quasi ergo peccatũ ariolãdi est repugnare: quia uelut cõtempto diuino altari ad aras dæmonũ responsa percipiunt, dũ cordis sui prẽstigiosis ac superbis adinuentionib. credunt, & salubribus prælatorũ consilijs contraria sentiendo refragantẽ. Nolle aũt aquiescere idololatriæ sceleri simile dicitur quia nimirũ in inobedientiæ suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi idolum nõ gestaret. Dum enim agenda in corde cõcipit quasi idolum facit. Et dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulachrum se inclinat. Quasi ergo scelus idololatriæ est, nolle acquiescere: quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in maiorũ contemptũ erigitur, quia intus eis quę fingendo statuit propositi sui simulacris incuruatur. Sed quærendum ualde est, cur repugnare ariolandi peccato, & nolle acquiescere sceleri idololatrię comparatur? Scelus quippe non nisi magnũ peccatũ dicitur, peccatũ uerò etiam quod leue est nominatur. sed si ab ara dicebantur arioli eo quòd responsa percipere consulendo consueuerant, idololatriæ peccatũ in eius cõparatione scelus erat: quia dementius erat lapides adorare, quã sub specie diuinorum, falsa bene uiuendi responsa percipere. Cur ergo repugnare peccatum per similitudinẽ esse dicit, acquiescere aũt nolle scelus? Sed repugnare est, ab imperantis uoluntate dissidere. Plericq; aũt ad horam repugnare uidentur, dũ statim proposítorum imperia non recipiunt, qui tamen eisdem imperijs post modicũ acquiescunt. Nolle autem acquiescere, quid est nisi & iniũctæ obedientiæ repugnare, & in eiusdẽ repugnationis obstinatione persistere. Non enim acquiescũt qui in cordis sui proposito inuincibiles sunt, & quæ decernunt agere nullius authoritate prætermittunt. Merito igitur in cõparatione repugnandi scelus nolle acquiescere dicitur, quod maius ualde, atque horribilius peccatori esse uideatur. Quia ergo qui huiusmodi sunt rationibus nõ uincuntur, qua pœna cohibeantur propheta intulit dicens: Pro eo quòd abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus ne sis rex.] Quid est enim quod Saul abijcitur, nisi quia incorrigibilis iudicatur. Quasi ergo dicat: Quia cuncta salutis consilia respuis, pro culpa pertinaciæ non debes uerbis ultetius corrigi, sed abiectionis pœna damnari. quantum itaque timeri debeat inobedientiæ culpa ostenditur si hoc attentè consideretur: quia propter hanc etiam reges deponuntur. Quid est quod ait: quia proiecisti sermonem domini, proiecit te dominus?] Sed sermo proijcitur, quando in sui sublimitate uenerabiliter non seruatur. proijcere enim est de manu aliquando labi in terram, aut negligẽter sinere aut uiolenter iactare, sermo autem domini, quia salubria loquitur cœlestis aut sublimis est. Qui in terram negligenter proijcit, quando per desidiam non impletur. Per contemptum uero proijcitur, quando hunc superbi, & in obedientes tumenti corde repellunt, & manu operationis obseruare dedignantur. Quia uerò nõ proijcere sed abijcere sermonem reprehenditur, hoc signat, quia dum superbi propriũ arbitrium sequuntur, à domino longè fiunt. Abijcere enim est, aliquid longe repellere. Qui enim aliorum ducatum dignè suscipient, non solum per obedientiam deo uicini sunt, sed etiam illos ei uicinos faciunt, qui per uitia & scelera ab eo longe sunt: tale est igitur, ac si dicat: Longe ab ordine dignitatis expelleris, quia dignitatis eiusdem merito præsens esse noluisti. Meritum quippe dignitatis est, obseruatio diuini uerbi. Quod cum abijcitur, quia meritum dignitatis amittitur, ipsa quoq; dignitas amouetur. Libet ergo intueri, quanta per inobedientiam superbis pereant, humiles quanta lucrentẽ. Illi dum implere propriæ uoluntatis arbitriũ gaudent, deo magnos operũ labores exhibẽt & laborũ præmia nulla habent: Isti dũ se deserũt, dum alienæ uoluntatis arbitrium sequuntur, æternæ sublimitatis gloriam promerẽtur. unde & per beatissimam Mariam domini redemptoris nostri genitricem, dicit: Deposuit potẽtes de sede, & exaltauit humiles. Potentes quidem de sede dominus deponit, cum inobedientes superbos abijcit, & humiles exaltat, quia æterna gloria obedientes glorificat. superbos autem uerba non corrigunt, sed tantum dum amittere honores trepidant, humilitatem quam non habent simulant, ne gloriæ culmen perdant, unde et subditur. Dixitq; Saul Luc.1

ad

Universidad de Deusto

ad Samuelem. Peccaui quia præuaricatus sum ser A cata debiles: uolunt quidem peccati delectationi
mones domini, & uerba tua.] Quid est q̃ Saul bus resolui, sed pœnitentię nolunt acerbitate pur
à propheta uocem domini non audisse, & malum gari. Quid est ergo quod dicit: Porta peccatum
in oculis eius fecisse reprehenditur & se peccasse meum:] Nisi quia & peccatorum dulcedinem in
minimè fatetur: sed cum se abijci de regno conspi seipsis excipiũt, sed onerare prælatos onere eo-
cit, se peccasse & præuaricasse domini sermonem rundem peccatorũ uolunt. Quidam etiam sponte
& eius uerba fatetur: nisi quia superbi ad contem ad confitendum ueniunt, sed pro quibus se accu-
nenda uerba humilium audaces sunt, sed electo- sant, non ipsi lugent sed pœnitere alios obsecrãt:
rum more honores, quos ambiunt, contemnere fide sola saluari æstimant, per pœnitentiam reuer
non possunt: Audaces quidem sunt, ut maiorum tere abiecti non curant. Vnde & Saul subdit, di-
contemnant imperia, sed parati non sunt ut alta cens: Et reuertere mecum ut adorem dominũ.
relinquant. Econtra autem humiles ad maiorum Quasi enim recedens est prædicator, cum impu-
imperia prompti sunt, & ad alta perdenda securi. dentes abijcit, dicit ergo. Reuertere mecum ut
Quia enim non terrena, sed cœlestia appetunt, ter adorem dominum,] Cum eo tantum à commu-
renæ sublimitatis alta despiciunt, laborare pro cœ B nione electorũ non diuidi putat, quod fidem com
lestibus conantur: subdi libenter uolunt, præfer- munem seruat, uel certè dominum adorare est,
ri refugiunt. Saul ergo obedire deo refugiens, per subdi religioni fidei, & custodiæ bonæ operatio-
dere regnum timens, quid aliud nobis, quàm su- nis. Quia uerò fictos hypocritas Saul insinuat, Se
perborum mores insinuat qui cum præualent, quitur. Ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecũ,
uideri parui aut peccatores uitant, cum coguntur quia proiecisti sermonem domini, & proiecit te
humilitatis uirtutem simulaut. Sed cum compul- dominus, ne sis rex.] Quid est ergo quòd prophe
si confitentur peccatum quod accusant loquen- ta portare peccatum pœnitentis regis renuit, nisi
do minuunt. Quia & qui se peccasse sermonem quia hunc nõ uere pœnitentem uidit: Cui ea quæ
domini præuaricando perhibuit, eandem præua- prius abiectionis uerba respondit, quia eum im-
ricationem dispensatione potius quàm uolunta- mutandum minimè cognouit. Qua nimirum pro
te se incurrisse memorauit, dicens: Timens popu phetæ constantia quidam nimis clementes huius
lum, & obediens uoci eorum. Quasi dicat pecca- temporis sacerdotes arguũtur, qui cõuersatione
tum quod fecisse reprehendor, tanto leuiori pœ- infirmi sunt, temeritate fortes. Sese uix sustinent
na feriri debet, quanto commissum non constat & portanda suscipere aliorum onera audent: le-
per malitiam sed per infirmitatem. Studio autem C uia sua non ferunt, & importabilibus se subijciũt.
& uoluntate peccare, magna præuaricatio est: in- Ecce fortis propheta refugit suscipere onus rega-
firmitate uerò peccare, tãto tolerabilius est, quan- lis peccati, ut sacerdos ecclesiæ timeat, & peccato
to is qui peccato subiacet, eiusdem peccati uiri- rum importabilium pondera subire pertimescat.
bus impar est. Et quia eadem cordis sui uersutia se Plerunq; autem sic aliena peccata suscipiat, ut ta-
prævalere simplicium doctorum humilitati æsti- men ea, quæ expiãda suscipit, flere eum à quo sint
mant, quasi iam suasim subiunxit, dicens: Sed cõmissa permittat. Vnde & Samuel portare pec-
nũc porta quæso peccatum meũ, & reuertere me catũ regis minimè promisit, & tamen eum quem
cum, ut adorem dominum.] Corrigibilia equi- retulit, abiectum planxit. Nam de eo post pauca
dem peccata portantur, quia postq; à delinquen- scriptum est. Lugebat Samuel Saul, quoniam
tis uoluntate discedunt, purgari satisfactione salu dominum pœnitebat, quod constituisset eum re-
briter possunt. Non autem portantur peccata eo- gem super Israel.] Non quidẽ promisit ei porta-
rum in quorum mẽtibus per impœnitudinem in- re peccatum regis, ut rex illud flere studeret. Sed
uiscerata sunt. Vnde & Ioannes ait: Est peccatum tamen quem repulerat flebat, ut dominum ei pro
ad mortem, ne pro illo oret quis. Peccatum quip- picium faceret. Ad literam uero dum sententiam
pe ad mortem est, quod ab eo committitur qui re D propheta ingeminat, irreuocabilem diuinæ æqui
spicere nunquam potest. Quod nimirum pecca- tatis sententiam monstrat, qua sic peccator proij-
tum à præpositis non portatur, quia sacerdotum citur, ut redire ad diuinæ misericordiæ manũ nun
orationibus aut oblationibus nõ deletur. Saul au quam permittatur. Potest & aliter intelligi quòd
tem per omnia superbos obstinatosq; designans, reuerti secum prophetam, ut adoret dominũ, ro-
& tumere non cessat, & peccatum suum portari gat. Nam sancti uiri qui dominum peccando non
obsecrat, importabile onus congerit, & quasi le- deserunt, ad eum necesse non habent ut pœniten
ue portari petit. Hoc quidem toties in ecclesia agi do reuertantur. Reuerti enim abeuntis est. Quia
tur, quoties, hi qui magna scelera libenter com- nimirum peccatoribus per peccatũ à domino re-
mittunt, eorum magnitudinem non attendunt. cedentibus conuenit, iustis permanentibus non
Importabilia congregant, & hæc leuia, atq; nulli- conuenit. Quid est ergo quòd reuerti cũ peccan-
us esse ponderis pensant. Peccata sua suis præpo- te Saule iustus Samuel petitur, nisi quia electi præ
sitis abscondunt, & ut uix inueniri possint & ar- dicatores pro lapsis subditis uelut pœnitentes af-
gui, quantum possunt eadem peccata leuigant, fliguntur, & quasi recedentes ueniũt, dum lapsos
ne qui eis præsunt, eorum granditudinem atten- subditos paterna afflictione comitantur. Cum eis
dant. Ad peccatum etiã fortes sunt, ad flenda pec ergo reuertũtur, cum peccata subditorum & ipsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſubditi, qui peccauerunt, & prælati qui ſteterunt, pariter plangunt. Tale eſt igitur, ac ſi dicat: iam te paternis uiſceribus adhærere per increpationem prædicationis mihi agnoui, quẽ nec longius peccare reliquiſti. Quia ergo te obiurgãte reſipui me cum redire te rogo: quia proprijs uitijs ad tantę prauitatis magnitudinem delendam nequaquam ſufficio. Sed tanti affectus preces recipiendæ eſſent, ſi ex cordis ueritate procederent: aptè ergo hypocritæ reſponſum eſt. Non reuertar tecum.] Quaſi dicat: pro te ſacrificare deo neſcio quem uerítate humilitatis deo ſubditũ non attendo: & quę priora ingeminans, ait: Quia proieciſti ſermonem domini, proiecit te dominus ne ſis rex. & quia uerſuti abijciendi, & deſerendi ſunt. Sequitur. Et conuerſus eſt Samuel, ut abiret.] In qua profecto maiorum deceſſione magis hypocritæ amiſſionem temporalis honoris timent, quàm æternę hæreditatis. Vnde & quieſcere etiã derelicti nõ poſſunt, ſed ea quæ agere per ſe non audent, impetrare alijs interuenientibus ſtudent, bene ergo ſubiungitur. Ille autem apprehẽdit ſummitatẽ pallij eius quę ſciſſa eſt.] Quæ ſunt ueſtimẽta doctoris, niſi docere ſibi adhærentiũ ſubditorũ qualitates. De quibus, pfecto ueſtib. magno paſtori per pro-
Eſa. 48 phetã repromittit. Viuit dominus, quia his omnibus uelut ueſtimento ueſtieris, & per Pſalmiſtam
Pſal. 92 canit. Dominus regnauit, decorem induit, induit dñs fortitudinem. Induit quippe decorem qui ad ſeipſum ſplẽdidas fideliũ mentes, quaſi ueſtimenta coniunxit. Saul ergo Samuelis pallium apprehendit, cum ſuperbus quiſq; & abiectus honorẽ culminis ſibi deferri à ſummis uiris per cohęrẽtes ſibi dilectos & familiares quærit: & quia pro reprobo perfectorum auditorum nullus obſecrat, non palliũ ſed pallij ſummitatem, id eſt, extremitatem apprehendiſſe perhibet: ſed ea extremitas ſcinditur, quia qui inutilia ſuggerit, reprobat. Cũ em̃ minor indiſcreta rogans repellitur, uelut ueſtimenti ſummitas ſcindi perhibet. Velut enim pars pallij ſummi prophetæ ſciſſa eſt, quãdo male ſug-
Matt. 16 gerenti Petro reſpondit, dicens: Vade retro me ſatana, non enim ſapis quæ dei ſunt, ſed quæ homi-
Matt. 5 num. Hinc item præcipit dicens: Si manus tua uel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te: item ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eũ & proijce abs te. Quibus nimirum uerbis non ſolum ſummitas pallij, ſed etiam media abſcindenda deſignatur, quia cum male ſuggerunt, perfecti
Matt. 20 etiam auditores contemnendi ſunt. Hinc nanq; eſt, quòd Zebedæi filij, ſimul cum matre unus ad dexteram, alter uero ad ſiniſtram redemptoris ſedere petunt, ſed quaſi bonæ petitionis ignari, repelluntur. Velut enim partem clamidis dominus ſcidit, cum ea membra, quæ mouebant ſcandalũ, increpando confutauit. Et notandũ: quia nõ totũ palliũ, ſed pars pallij ſcindit, quia dũ bonus mala ſuggerit, in eo, quòd male ſuggerit, repelli debet, & in eo, q aliter bonus eſt, ex dilectione retineri. Per ueſtimentũ etiã rectoris cõuerſatio deſignat,

A Pſalmiſta atteſtãte qui ait: Sacerdotes tui induantur iuſtitiã. Summitas ergo pallij apprehenditur, quando doctor de magna ſanctitate laudat, cum illud in eius laudẽ dicit, quod decorũ foris oſtendit. Sed quia iuſtorũ plura ſunt bona quæ latent, pallij tantũ ſummitas apprehẽdi poteſt: quia parũ eſt, quod de electi doctoris iuſtitia cernitur, multum uero quod occultatur. Ipſum uero parum, quod ſcitur cum apprehenditur, ſcinditur, quia iuſti ſuis laudibus non tenentur. Quia enim eas in momento contemnunt quaſi ſciſſura pallij teneri nequeunt. Tenetur quidem pars ſciſſa ueſtimenti propheta non tenetur, quia uerũ eſt quod de iuſti laude dicitur, & tamen iuſti dum contemnunt
B quod audiunt, quaſi ſciſſuram in tenentis manibus relinquunt. Maiorum ergo quia quædam ſciri poſſunt, quaſi pars apprehẽditur. Cùm uero torum ſcitur à paruulis quod agetur ſi laudatur, nihilominus abijciendũ eſt: quia aliquid bonorũ operũ per uanitatẽ tenẽdum nõ eſt. Hinc nanq; eſt Mar. 14
quod dum Ioannes adhuc adoleſcens cõprehenſum iam dominum ſequitur, per pallium tenetur, & relicto pallio nudus fugiſſe deſcribitur. Per ueſtimentum nanq; adoleſcens capitur, quando de bonæ conuerſationis initio collaudatur: ſed relicta ſindone nudus profugit, qui laudes quas audit uilipendit. Nudũ nanq; fugere eſt, laudabilem uitam habere, ſed electæ uitæ laudem deſpicere.
C Quaſi enim nudus fugit, qui de ornatu uirtutum ſibi per uanam gloriam nihil adſcribit. Poteſt etiam idcirco nudus fugiſſe intelligi, quia qui per partes ſindonis captus aſſeritur, reliquiſſe ſindonem perhibetur: quia plerunq; in electorum conſcientia agitur, ut per hoc, quod ex parte laudantur, non pars meritorum, ſed omne bonæ uitæ meritum perdidiſſe ſuſpicentur. Samuelis ergo pallium ſcinditur, quia laudes ſuas electi doctores uilipendunt. Et quia laudibus non flectuntur, ſeueritatem prioris ſententiæ replicat dicens: Scindit dominus regnũ Iſrael de manu tua hodie. Perfecti etenim uiri quia à rigore iuſtitiæ nulla laude molleſcunt: tales ante quales poſt laudis ſuę teſtimonium ſunt, & quæ prius dixerant eadem poſt repetendo confirmant. Sed quærendum eſt, quid
D ſignificet hoc quod dicit Hodie.] Si enim reproborũ uita nox eſt, quid eſt quòd in die Saul regnũ ſcinditur, ſed ſi nox eſt uita paſtoris reprobi cum eius regnũ ſcinditur, diem facit. Dies quippe non fit, niſi cum nox recedit, dicit ergo: Hodie,] Quia caligo inobedientis damnari perhibetur, unde & exeunte Iuda dominus dicit. Nunc clarificatus eſt Ioan. 13
filius hominis, quia noctem uitæ illius uidit diſcedere, & puram lucẽ iuſtitiæ in alijs diſcipulis permanere. dicitur etiam: Hodie. Quia amoto ſuperbo regi humili regnum tradebatur. Vnde & ſubditur. Et tradidit illud proximo tuo, meliori te.] Cũ ergo dies dicit, nõ abiecti regis lucidũ aliquid cernit, ſed ſubſtituti gloria prædicat, qui de regni culmine magnę uirtutis debebat ſplẽdore radiare & diuinę ſententię incõmutabilẽ aſſerẽs ſubdit dicens:

cēs: Porrò triūphator in Israel nō parcet & pœnitudine non flectetur.] Quis enim huius triumphatoris nomine, nisi cōditor humani generis intelligendus est? Nam occultos aduersarios quicunq; superat eius uirtute uincit, qui ei gratiam superandæ tentationis impendit. Quid est quòd triumphator non parcere dicitur, cùm Samuel roga tur, quia cùm prædicatores peccantibus subditis irascuntur, cùm superbos aut lubricos diuina sententia feriunt, non impetu furoris sui, sed diuinæ uoluntatis iudicium exequuntur? Quasi certè dicat: Ego quidem non meam, sed illius sententiam protuli, qui quod decernendo profert, reuocari non potest. Non ergo parcit, & pœnitudine non flectitur, sed eis qui nec à peccatis suis desinere, nec peccatorum possunt, quæ diligunt, pœnitere. Et causam subijciens ait: Neq; enim homo est ut agat pœnitentiam.] Quasi dicat: Et iterum esse ei est, cui mutabilitas nulla est. Potest etiā triumphatoris nomine substituti regis perfectio designari, qui & multorum triumphorum gloriam habiturus erat, & contra uoluntatem conditoris parcere alicui non auderet. Vnde & in hoc ipso eodē
infra 27 libro de eo scriptū est: Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat uiuentem uirum & mulierem. De eo etiam dicitur: Neq; enim homo est, ut agat pœnitentiam. Quid enim hoc loco homo, nisi carnalibus passionibus subditus designatur? Quasi adhuc superbum mordeat, dicens: Te modo peccatorum pœnitet, cùm audacię tuæ sententiam percipis: sed ille pœnitentiam non aget, qui ut homo, & inobedientiæ, & tumori non subiacet. Et ille adhuc in ore suo confitetur, dicens:

Peccaui.] Ipsius autem confessionis qualitatem ostendit, quia subiunxit, dicens: Sed nunc honora me corā senioribus populi mei, & coram Israel.] Liquet, quam pœnitudinem gerat qui adhuc honorari desiderat. Nam si sui peccati hunc ueraciter pœniteret, inhonorari potius quàm honorari concupiuisset. Admirari igitur libet proiecti cordis duritiam. Vt uir dei mandatum conditoris exequens, dicit: Proiecit te dominus ne sis rex.] Econtra uerò qui abiectionis sentētiam suscipit, per appetitum elationis honores quærit. Quid est ergo quòd dicit: Peccaui.] Confessionem quidem peccati non honor, aut gloria, sed utilitas & contemptus sequi debet. Quid enim prodest confiteri flagitia, si confessionis uocem non sequitur afflictio pœnitentię? Tria quippe in uno quoq; consideranda sunt ueraciter pœnitente: uidelicet, conuersio mentis, confessio oris & uindicta peccati. Nam qui corde non conuertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non conuertendo, nequaquam detestantur. Hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod loquendo eijciunt, amando introducunt. Vnde & salubriter confiteri uolentibus, scriptura insinuat,
Rom.10 dicens: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est corde credere ad iustitiam, nisi uoluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem. Cùm ergo quis cordis intentionem ad iustitiam per amorem dirigit, per initium bonæ uoluntatis fructum habet bonæ conuersionis. Hic certè iam ad salutem confitetur, quia plus loquendo de uulnere eijcit, quàm conuersione compunxit. Tertia ergo species, id est, uindicta quasi medicina necessaria est, ut apostema reatus, quod conuersione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisq; medicina sanetur. Ergo qui corde ad iustitiam non credit, confessionem ad salutem nequaquam facit: quia uelut malæ arboris folia ostendit, cuius altas radices figit in corde. Signum ergo uere confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc nanq; bene conuersum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Vnde Ioannes Baptista malè conuersos Iudæos ad se confluentes increpans, ait: Genimina uiperarum quis ostendit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. In fructu ergo, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona uoluntas est. Confessionis ergo uerba quid sunt aliud, nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt: quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Vnde & dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit: quia confessionis ornatum non recipit, sine fructu afflictionis. Saul ergo qui confitetur, & honorari uult, non affligi & humiliari, quid designat, nisi eos, qui confessionem sterilem habent, & fructum non habent, qui decorē confessionis uerbis humilibus præferunt, sed uerborum uirorem non humilitate pœnitentiæ sequuntur. Sed quid antiquos attēdimus, cùm nunc tantam lapsorum regum multitudinem uideamus. Cateruatim nanq; nunc in flagitia corruunt, non solum subiecti debiles, sed etiam prælati & sacerdotes negligentes. Lubrica peccando agunt, qui ordine ministerij sacramētis cœlestibus deputati sunt. Sed pleriq; illorū dum quodammodo ad cor redeunt, se errasse cōfitentur. Qui tamē sic uolunt cōtra se peccata proferre, ut uelint adhuc de officio sacri ordinis honorari. Turpes in secreto se proferunt, sed foris præter ordinis celsitudinē uideri humiles erubescunt. Quid ergo isti nisi abiectos se uident, & tamen uelle honorari audent. Sæpe autem non à seipsis ueniunt, sed inuiti capiuntur, abiectionis suæ mandata percipiunt, & tamen rogant ut honorentur. Volunt quippe immunda agere, sed audent sacris altaribus inhærere. Ecce quot Saules attendimus, quot reges lapsos à sanctæ ecclesiæ culmine cōtēplamur. Quorum profecto singulis dicendū est: quia proiecisti sermonē domini, proiecit te dominus ne sis rex: ut ministerium cœleste non agant, quos terrena flagitia inquinare non cessent. Sed hoc profecto

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicere possumus, lubricis tamen ministris suade- A
re non possumus. Nam Saul & abiectum se audi-
uit & regnauit, quia immundi sacerdotes se sacer
dotali culmine deiectos per luxuriæ inquinamen
ta cognoscunt, & tamen contra dei uoluntatem
sacra mysteria tractare non desinunt. Sed rex con
tra domini uoluntatem regnans, non est rex, sed
tyrannus fuit, quia sacerdos indignus, qui meri-
to suæ inquinationis abijcitur, cũ ministrare præ-
sumit, ad tantæ gloriæ culmen damnandus ascen-
dit. Vnde & tyrannos terrere uolens, cœli ille ma
1.Cor.11 gnus senator. Qui manducat panem (inquit) &
bibit sanguinem domini indignè, iudicium sibi
manducat & bibit. Plerunq; autem instanti con-
fessione agitur, ut confitentibus de cordis etiam
conuersione credatur. Aliquando reproborum B
falsam humilitatem electi prædicatores accipi-
unt, ut exemplo eorum alij ad salutem perducan-
tur. Duo quippe in hypocritis agnoscunt, unum
intus, alterum foris. Intus quidem purum malum,
foris bonum simulatum. Vtrunq; detestantur, sed
sæpe prætextum boni in eis simulant, ut qui bo-
num foris cernunt, malum interius nesciunt, bo-
ni, quod aspiciunt, exempla sequantur. Bene er-
go subiunctum est: Reuersus ergo Samuel se-
cutus est Saul, & adorauit Saul dominum.] Per
malum quippe, quod interius latebat, audire me-
ruit. Proiecit te dominus, ne sis rex. Sed ut præ-
textu boni ad eiusdem boni ueritatem alios tra-
heret Samuel, Saul sequi uoluit, & eum adorare
dominum uidit. Quandoq; etiam mala regum, & C
terræ magnorum toleranda sunt, ne exasperati ad
peiora dilabantur. Deos quippe gentium filij Is-
rael sæpe coluerunt. Vnde & de conuersis à Sa-
Supra 7 muele superius dictum est: Abstulerunt filij Is-
rael de medio sui Baalim & Astaroth. Et fortasse
si abiectus rex secum ad adorandum dominum
reuertentem prophetam non cerneret, dæmo-
num simulachra adoraret. Et proijcit ergo eum,
& cum eo reuertitur, quia in potentibus huius se-
culi sic est damnanda iniquitas, ut bonum, quod
habent, exasperati non perdant. Sæpe enim mali
sunt in occulto, & bonum quod cernitur, alij de-
uotius imitantur. Mala certè potentum seculi, ma
gna eis mala sunt, sed bona quæ proferunt ad ex-
emplum fidelium magis quàm bona aliorũ pro- D
sunt. Bene ergo Samuel cum abiecto rege reuer-
titur, quia electi prædicatores seculi potentes, &
pro iniquitate percutiunt, & pro exemplo bona
agere quædam sinunt. Vnde & sequitur: Di-
xitq; Samuel: Adducite Agag regem Amalech.
Et oblatus est ei Agag pinguissimus tremens.]
Reges dominum adorant, quando superbi & con
temptores se ad domini mandata facienda humi-
liant. Adorant lubrici, quando deo subijciuntur
per obedientiam castitatis. Aliquando autem
adorare se simulant: quia nonnulli prætextum hu
militatis aut castitatis habent, sed dum habere in
ueritate bonum creduntur, alij per bonum quod
credunt, mali operis usum perdunt. Agag ergo re
gem Samueli tradunt, quia sensualitatis suæ ui-
gorem confitendo proferunt. Quando enim con
fitentur peccata luxuriæ quæ per uigorem carnis
commiserunt, quid aliud quàm Amalech regem
interficiendum prophetis offerunt? Sed quid
est quòd pinguissimus Agag dicitur, sed sensua-
litatis uigor in alijs pinguis, in alijs macer est?
Quid est ergo quòd pinguis offertur, nisi quia à
subditis regis reprobi ducebatur? Nam sæpe ne-
gligentes sunt subditi, sed dum electi pastoris sui
exempla conspiciunt. inter mala quæ faciunt in-
gemiscunt. Per fragilitatem carnis ad immundi-
cias cadunt, sed percussi exemplis maiorum om-
nino gaudere inter immundiciæ oblectamenta
non possunt. In quibus ergo pinguissimus est A-
gag, nisi in illis de quibus dicitur, lętãtur cùm ma- Prou.2
lefecerint, & exultant in rebus pessimis? Subiecti
nanque lasciui doctoris tanto audacius peccant,
quanto maiorum suorum nulla coram posita ha-
bent exempla quæ uideant. Sed ualde dementius
se præcipitant, cùm in pastoribus suis bonũ quod
sequantur non uident, & cuius exemplo pereant,
malum uident. In his quippe Agag pingue scit,
quia gaudenter, securè & liberè uigor carnis in lu
xuriæ uoluptate distẽditur, qui usu illecebræ nul-
la re obuiante fraudatur. Pinguissimus ergo in-
terficiendus offertur, quando illi conuertuntur
qui in uoluptate luxuriæ ualde lætati sunt: quasi
enim traditur rex, quando is qui menti impera-
bat, carnalis sensus Christi sacerdotibus per con-
fessionem reuelatur: nutrire etiam ignem pingue
do solet. Bene ergo Amalechitæ regi adscribitur,
quia dum mentem fornicationis spiritus obtinet,
quo dulcius ac sæpius illic per turpes cogitatio-
nes pascitur, ad augendum ignem concupiscen-
tię uberiora sibi fomenta tribuuntur. Tremens ue
rò dicitur, quia carnalis sensus quando spirituali-
bus uiris per confessionem traditur, infirmatur:
Signum ergo dat tremens, quia membrorum ro-
bur non habet. Dum ergo infirmari uigor sensua-
litatis incipit, quid aliud quàm rex Amalechita-
rum tremit? Vel tremere dicitur quia rigorẽ pœ-
nitentiæ plerique dum conuerti incipiunt, expaue-
scunt. Et quia carnales quique relinquere oblecta-
menta carnis solita sine mœrore non possunt, se-
quitur: Dixitq;: siccine separat amara mors.]
Hoc quippe dicere carnali sensui est, mentem pro
amissione uoluptatis solitæ tristitiæ conuersione
pulsare. Quia enim magna amaritudinis tela nu-
per conuersi patiuntur: quasi rex, cui seruierant
de morte queritur, quia in eis carnalitas sine mag
na tribulatione minimè necatur. interrogare er-
go de separatione mortis carnali sensui est, tristẽ
adhuc conuersi mentem de præteritæ delectatio-
nis amissione pulsare. Sed & modus separationis
exquiritur, cùm dicit: Siccine?] Quasi enim ui-
sis austeritatibus quibus subdenda est, dicat men-
ti sensualitas sua, læta pro tam tristibus spernis?
Hãc certè uocem Samuel audit, quia tentatũ cor
subditi, quibusdam indicijs electus prædicator
agnoscit

agnoscit. Sed quid prodest agnoscere, si contra id quod intus in corde subiecti infremit, aliquid ipse non dicit? Sequitur ergo. Et ait Samuel: Sicut fecit mulieres absque liberis gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.] Quæ est mater carnalis sensus, nisi originalis culpa. Quia enim ante peccatum primi hominis nulla membris libido inerat, rex Amalechita non erat. Erat quippe sensus carnis, sed turpis ac libidinosus non erat, sed statim ut ad culpam cecidit pruritum membrorum sensit: quia obedientem motum carnis habere non potuit, quando ipse deo inobediens fuit. Culpa ergo originalis mater contumelioſi sensus carnis rectè intelligitur, quia ex illa nascendo prodijt, qui esse ab illa cœpit. Vnde & Apostolus quasi seueriſſimi tyranni legem carnalis sensus exhorrens, non solum ipsum regem sed matrem ostendit, dicens: Itaq; iam non Rom.7 ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Peccatum nanq; quod se non operari perhibuit, motum carnis intellexit. Peccatum autem in se inhabitans, originalem culpam. Quia ergo ex originali culpa fit peccatū motionis carnis, dum regem carnalem sensum attendimus, matrem eius esse primam culpam rectè nominamus. Liberi autem huius matris sunt omnes concupiscentiæ peccata & uitia. Absq; liberis utiq; fit mater, quando omnis à carne, omnis à mente iam culpa remanere uidetur. sine liberis nanq; tunc est, quia & si à carne nulla iam turpitudo est, si nulla iam regnat concupiscentia in mente, manens tamen in nos illa culpa, nunc doctoris uirtute perdi non potest. Quid est ẽm quod ait Apostolus: Iam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum: ex illa quidem culpa, quam ex uitioſa naturæ nostræ radice contrahimus, habemus, ut corrumpi uitiorum passionibus ualeamus. Lex ergo inordinata membrorum quando præter uoluntatem nostram membra mouet, nos non hoc operamur, sed quod inhabitat in nos peccatum. Velle quidem nobis tũc adiacet, sed adhuc posse non inuenimus, si quidem uellemus, ut nobis inuitis, aliquid in nobis moueri non posset. Et hi fortasse pessimæ matris conceptus, quibus culpa illa imprægnatur, si in turpes actus & obscœnos sinuntur effundi, quasi nasci perhibẽtur. Filij ergo sunt motus, qui non solum naturaliter intus sunt, sed qui in turpibus & obscœnis operibus manifestantur. Mater ergo Agag sine liberis fit, quando originalis culpa sic restringitur, ut nullos actus aut motus edere permittatur. Vel fortasse sine liberis fit, quia liberos habuit. Quando ergo peccatores conuersi esse turpes tam actu quam gestibus luxuriæ desinunt, quasi mater habitans in eis culpa filijs orbatur. Et notandum, quia sine filijs fieri dicitur mater per comparationem. Sicut (inquit) sine liberis fecit mulieres gladius tuus, sic erit sine liberis mater tua.] Virtutes mentis, ex quibus bona opera procedunt matres sunt, gladius uerò Agag luxuriæ telum dicitur, qui nimirum mulieres absq; liberis facit, quia cuncta bona opera libido interficit. Vel certè mulieres fidelium mentes intelliguntur, filij uerò sanctarum mentium bonæ cogitationes, uirtutes & bona opera sunt. Agag uerò gladius matres absq; liberis facit, quia delectatio luxuriæ si euaginari quasi gladius sinitur, ab eis nimirum omnes bonæ cogitationes, omnes uirtutes & bona opera necantur. Acuta quippe pestis huius delectationis, si à mente recipitur, dum libet attentius immunda cernere mundum, & sanctum cogitare nihil potest: & dum ardenter ad nefarij operis expletionem pertrahit, uirtutis aliquid agere nihil permittit. Et quia per eius combustionem omnia pereunt, non solum Agag filij, sed omnes mulierum filij trucidantur. Absq; liberis ergo matres facit, quia delectatio luxuriæ ad instar gladij dum fructus mentium percutit, uirtutis cogitationes, aut operis bonum uiuere nequaquam sinit. Sicut ergo absq; liberis fecit matres, ita & mater eius fit absq; liberis, cùm sic peccator conuertitur, ut præter culpam nobis insitam naturalem, nil conuersis de obscœnis operibus aut motibus remanere uideatur. Vnde & aptè subiungitur. Et in frusta concidit Agag Samuel coram domino in Galgalis.] Quod in frusta conciditur, per paruas particulas mortuus secatur. Agag quippe interficitur, quando carnis uigor abstinentijs, uigilijs ac spiritualibus meditationibus sic eliditur, ut nihil lasciuum, nihil libidinosum mouere sentiatur. Interfici quippe eius est, carnem turpiter mouere non posse. Sed interfecti cadauer integrum est, quando eius motus remanet, libido non remanet, quando solo pondere mentem grauat: cùm uidelicet membris simplex ac naturalis insidet motus carnis, sed libidinosi nil habet ardoris. Hoc ipsum autem quia electorum mentes grauiter tolerant, quasi regis mortui integrum cadauer portant. quid uerò est quod in frusta conciditur, nisi quia nec ipsi naturali motui relinquere uigorem uolunt. In frusta ergo conciditur, quia quoties pulsat necatur. Dum ergo uices motuum conuenire non sinuntur, quasi cadauer Agag in frusta conciditur. Vel fortasse talis est Agag iste, ut nisi concisus in frusta mori non possit. Vt enim superius dixi, more ignis libido succenditur, & si negligenter extinguitur, adiacens stipula uelociter inflammatur. Magnus quoq; ignis dispersus sæpe extingui melius potest. Nam cùm in unum multi carbones conueniunt, ingentem massam prunarum faciunt. Ne ergo extinguens comburatur prunarum massa ante sapienter dispergitur, ut per singulorum carbonum frusta uelociter extinguatur. Quid enim cogitationes luxuriæ, quid sunt libidinosi corporis motus, nisi carbones ignis? Qui nimirum si in corde aut in carne conueniunt, cõburere cito possunt, extingui facile nunquam possunt. Dispergat ergo ignis, in frusta concidatur Agag, & custodiatur mens, ut immundas cogitatiões dispergat, ne unã alteri adhærere permittat

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittat. Quia enim agere non potest, ut innoxia nunquã cogitet, agat quod potest, ut statim cogitationem eijciat, quæ negligẽter ad mentẽ intrat. Sic nimirum quasi ignem maximum in carbones singulos & uelociter diuidit, & celeriter extinguit: si omnes flammas cogitationum sic separat, ut coniungi in mente neq; per negligentiam, neque per desideriũ sinat. Sic nimirum & motus corporis uigorem mentis reprimit, cum ad inuicẽ cõuenire minime permittit. Motus quippe illecebrosus carnis si per cogitationem minimè pascitur, conuenire cum altero nõ uidetur. Glutinum quippe illecebrosorum motuum immunda cogitatio est, quia qui libenter immunda uidet, statim carnem ad amata cõcupiscendo uiolenter mouet: quo libẽtius, ac morosius cogitat, quasi carbones carbonibus, turpes turpioribus motus ligat. Teneat ergo fortem custodiam animi, qui potenter uult dispergere motus carnis. Intus quippe ante Agag diuiditur, ut foris pariter in frusta diuidat, quia qui cogitationes malas conuenire nõ patit, Prou.4 ei nimirum turpes motus carnis quasi in frusta diuiduntur. Sic nimirum Agag pinguissimus occiditur si in frusta diuidatur: quia sensum carnis cũ immundis motibus, cum in corpore tũ in anima, tunc potenter extinguimus, si ad eius singulas insidias singulari intentione uigilemus. Vnde & sapiens ille diligenter admonet, dicens: Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso uita procedit: & de neglecto mors exit. uita nanq; procedit, cũ cor seruatur, quia dum immunditia omnis repelli tur, ad uirtutes conuersorũ spiritus animat. In frusta ergo Agag à profana concidit, quãdo per doctorum consilium singulæ immunditiarum particulæ, & in corpore auditorum, & in mente perimuntur. Bene autem & coram domino & in Galgalis concidi perhibetur, quia illi minutias illecebrosarum cogitationum, & turpium motuum diuidere potenter possunt: qui & de omnipotente deo & de sanctis scripturis cogitare sapienter sciunt. Sed (ut dixi) simulata bona malorum, sæpe doctores non pro ipsis, sed pro alijs sustinent, quia quod simulatè agunt nõ simulatoribus, sed uidentibus prodest. Sæpe quidem electi simulata bona malorum uident, sed quia corda nesciunt, bonum quod fulgere uidetur exterius, imitantur. Saul Samuelem ut secum ad adorandum dominum reuerteretur, rogauit: sed ille reuersus, Agag in frusta concidit, quia electi doctores per opera, quæ reprobi faciunt electos ad bene uiuendi studia cõuertunt. Sed quia idipsum dispensatiuè, id est, propter aliud faciunt, cum dispensationis necessitas transit, ipsos reprobos, quos quasi ad bona opera sequunt, ad reprobi cordis impœnitudinẽ lapsos deserunt. Bene itaq; subditur. Abijt aũt Samuel in Ramatha, Saul uerò ascẽdit in domũ suã in Gabaa, & non uidit Samuelem ultra usq; ad diẽ mortis suæ.] Quæ est domus transgressoris, nisi consuetudo praui operis? Quisquis enim in peruersa consuetudine clauditur: quasi in domo conuersatur. In domum ergo suam Saul ascendit, quando reprobus quisq; post increpationem doctorũ ad mali operis usum redit. Quasi enim ad plana descendit, quando humilitatem simulat, ut præsulũ mandata cognoscat. Quid est uerò quod prius Samuel abire quàm Saul in domum suam ascendere dicitur? Sed (ut dixi) cum necessitas aliorũ non est, manere cum uersuto electus prædicator non potest: & quia in absentia doctoris simulator profecit, Saul in domum non abijt sed ascendit. Ascendere quippe reprobis est, de malo ad peius proficere. Cum item descendere superbus dicit, ascendere perhibetur. Ascendere quippe in domum suam superbo, est superbiendo usq; ad mensuram, qua damnandus est, se extollere. Domus nanq; superbi est nequitiæ suæ mensura. Dum enim per prospera seculi agere tyrannidem, turbare terrã, premere bonos, innocentes affligere permittuntur, quid aliud quàm ascendere superbi uidentur? Sed quia præfinitũ est à deo quantũ noceãt, quantum sæuiant, quantum per tyrannidẽ se extollant, usq; ad domum suam ascendere permittũtur. Domus nanq; eorũ mensura nequitiæ est in qua semper erunt, quia ubi ad plena flagitia uenerint: rapiuntur per mortem & per æterna tormẽta puniuntur. Quasi enim in domo manet qui à conuersatione suæ pœnis egredi nunquã potest. Quod non solum de superbis, sed & de luxuriosis, & omnib. reprobis cõuenienter intelligi potest. In ascensũ Gen.15 quippe, & non in domo adhuc erant de quibus dicitur: Nondum impleta sunt peccata Amorhæorum. Hinc item beatus Paulus apostolus dicit: Vt Thess.2 impleat peccata sua. Ergo ad domũ ascẽdũt, quando profectu mali ad opera nequiora proficiunt, pro quibus æterna tormenta sustinebunt. Samuel autem in Ramatha abire dicitur. A reprobis quippe diuisi doctores non eunt, sed abeunt. Vadunt quippe, quãdo corrigendos deserũt, quia quos uelut irati dimittũt, ab eis postmodũ bona emendatione inuitati redeũt. Abire ergo doctoris est impœnitẽtes impios perpetua animaduersione deserere. Sic eñ peccata ad mortẽ per impœnitudinẽ operantes deserunt, ut ad eos redire ulterius non coganẽ. Bene ergo dixit: Non uidit Saul Samuelem ultra usque ad diem mortis suæ.] Et quia hoc esse agendum in summæ ueritatis contemplatione percipiunt, in Ramatha abire memoratẽ. Consummata nanq; uisio est intimę ueritatis ratio perfecta. Ne ergo prædicatorum districtio nimia esse carnalibus iudicetur, cum ecclesiæ communione reprobos in perpetuũ separant, audiãt: quia postquam Samuel in Ramatha uenit, Saul ultra nõ uidit: quia illũ doctor æternaliter diuidit, quẽ pertinere ad electorũ numerũ non cognoscit. Sed hoc fiducialiter creditur, si in forma Samuelis prædicatorum sanctæ ecclesiæ charitatis affectus districtius uideatur. Districtionis quippe zelus ostenditur, quia nõ uidisse Saul usque ad diẽ mortis suę memoratẽ. De affectu uerò charitatis subiunctum est. Veruntamen lugebat Samuel Saul, quoniã dominum

dominum pœnitebat, quòd constituisset regem Saul super Israel.] Quid enim est quòd luget quē cernere dedignatur, nisi quia & cum zelo rectitudinis sancti doctores habent affectū magnæ charitatis, ipsa autem charitatis magnitudo ostenditur, quia proiectum regem plangere perhibetur. Quo ergo affectu electorum subditorum peccata plangunt, qui pro proiectis reprobis plangere tam affectuose didicerunt? Instantia nanq; luctus ostenditur, quia subiunctum est.

A

Caput III

Cap.16

DIXIT dominus ad Samuelem: Vsq; quo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel.] Cui enim dicitur usque quo tu luges, instanter lugere declaratur. Magnus ergo est affectus sanctorum etiam cùm austeritatem uindictæ exterius proferunt. Nam foris sæuiunt, sed intus per amorem liquescunt. More matrum paruulos uerberant, sed affectū gemunt cum paruulis quos castigant. Sed quid est quòd dominus ait: Vsq; quo tu luges Saul, an potest mater filium morientem cernere, & per scissionem uiscerum nequaquam flere? Mortuum sine luctu tolerat, quæ moritur, sed infirmatur. Quid est, quòd dicit: Vsq; quo tu luges Saul? Nisi quia perditi nimis lugendi non sunt. Nam sæpe doctor de perditione subditi uehementer affligitur, sed respectu summæ iustitiæ consolatur. Hoc ergo dicere dei ad prophetam quid est, nisi prædicatoris mentem per internum solatiū ab afflictione releuare. Et quia lapsis prælatis electi per diuinam misericordiam subrogantur, subiungens dominus, ait: Imple cornu tuum oleo, & ueni mittam te ad Isai Bethlehemitem. Prouidi enim in filijs eius mihi regem.] Quasi enim lugentem consolans ait: Cur proiecti persona plangitur, cùm melior subrogatur. Vnde & Saul non prouisus, Dauid autem prouisus ostenditur. Quantus ergo & qualis fuerit, citata consideratione pensetur, qui iudicio & electione dei omnipotentis decernitur. Quid est autem, quòd deus prouidet, & propheta ad ungendum mittitur, nisi quia sanctæ ecclesiæ spirituales mores describuntur, quæ cōstituere nulla cernitur, nisi quæ præeligere & præordinare deum contemplatur.

B

C

D

Veni (inquit) mittam te ad Isai Bethlehemitem. Præuidi enim in filijs eius regem.] Quasi dicat: A te nihil præsumas, sed illum quem præuidi, ordinando subsequeris. Vnde & paulo post subdit, dicēs: Et unges quem monstrauero tibi. Quid est hoc, nisi quia prophetæ esse debent, qui in culmine ecclesiæ alios uolunt ordinare. Præuisum nanq; à deo cognoscere possunt, si ad inueniendam personam eligendi pontificis, sacras consulunt scripturas. Quasi enim loquente deo ostendi tur, cùm talis pastor eligitur, qualis per sacrum eloquium cōmendatur. Ad literam uerò Samueli uenire à domino dicitur, ut à reprobi & abiecti regis compassione reuocetur. Si uerò luctu assiduo lapsi restitutionem poscebat, ei uenire fuit, à tali intentione quiescere. Et cornu suum oleo impleuit, quia pastoralem sublimitatem in ungendo rege laudis nitore temperauit. Cornu quippe aspero Saul impetijt, quia peccantē uelut magno impetu prostrauit, dicens: quia proiecisti sermonem domini, proiecit te dominus, ne sis rex. Quid est ergo quòd cornu impleri oleo præcipit̄, nisi quia ungendi regis iustitia cōmendatur? Quasi dicat rex: Qui modo ungitur, non erit increpatione feriendus, sed miræ laudis fauore prędicandus: non eget impeti sed foueri. ad Isai Bethlehemitem mittitur, ut rex qui eligitur permansurus esse doceretur. Per patriarcham quippe Iacob longè ante regni mansuri status ostēsus est, quia dixit: Non deficiet sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec ueniat qui mittendus est. In filijs ergo Isai rex præuisus adscribitur, ut rex qui ungi præcipitur, non ut Saul recessurus, sed durabilis doceatur, quasi propheta in abiecti angustia tabescentem excitet, dicens: Cur abiectus pro culpa plangitur, cùm tam laudandus subrogetur. Hęc autem ad literam tetigimus, nunc sub literæ narratione, prælatorū nostrorū electionem uideamus. Quid est quòd cornu oleo implere præcipitur, nisi quia talis in sancta ecclesia pastor eligendus est, qui non argui uelut transgressor debeat, sed ad exemplum aliorum miris laudibus cōmendari? Cornu nanq; telum animalium est. Authoritas autem & increpatio summi antistitis quid sunt aliud nisi telae? Cornu quippe feriunt, quando peccatoribus per increpationem acumina coniunguntur.

Ferire etenim cornu, est peccatores acutè redarguere. Cornu ergo oleo impletur, quando prędicatoris sublimitas non habet asperitatem minarum, sed blandimenta fauorum. Vel cornu oleo impletur, quando electo pastori simul datur & sublimatus culminis, & uirtus unctionis, quando & sublimis gradus ascenditur, sed qui ad alta sustollitur, meritorum ubertate repletur. Cornu ergo pleno sacerdotes ungūtur, qui ad summum gradum perueniunt cum plenitudine gratiarum. Quia uerò oleo ignis accenditur, oleum doctoris amor est cordis. In quo ignis accenditur: quia in pinguedine oris uirtus, & gratia ardet spiritus sancti. Quia ergo pinguedinem magnæ charitatis habere doctor debet, rex qui ungi præcipitur, pleno cornu ungi perhibetur. Dicitur etiam plenitudo cornu pro perseuerantia gratiarum, nam qui ante finem deficiunt ungi cornu plenitudine non merentur. Adhuc quoq; dicendum de cornu huius plenitudine est, quia idcirco præcipitur, quia magna unctione indiget, qui de sua plenitudine replere alios debet. Vnde & Moyses tam plenus extitisse dicitur, ut de spiritu eius dominus tulisse, & alijs dedisse doceatur. Vel cornu prophetæ impletur, cùm pontificalis sublimitas ad perfectiora docēda præparat̄. Quando enim ecclesiæ principes ordinantur, eis quæ agere debeant semiplena prædican-

Sup.16

Gene.49

Num.11

prædicanda non sunt. Cornu ergo pontifices implent, quando plenas atq; perfectas uirtutes proferunt, quas electi ecclesiæ principes imitentur. Quia uerò ipsi qui ungunt esse spiritales debent, cornu iubentur implere. Cornu quidem de carne est, sed clausum in carne non est. Cornu ergo spiritualis conuersatio doctoris est. Cornu uerò oleũ effundit cùm ille alta prædicat, qui hæc alta conuersatione demonstrat. Cornu ergo oleo implere est prædicationẽ magnarum uirtutum in alta conuersatione suscipere. Et in capite effundit quando in mente illius imprimit, qui ad summum ordinem nouus uenit. Quãdo ergo electi promouentur pleno cornu unguntur, quia ad altitudinẽ ordinis proficiunt uirtute perfectionis. Sed prophe
B ta ad Isai Bethlehemitem mittitur, rex in eius filijs præuidetur, quia ille pastor eligitur, quia ecclesiastica religione eruditus est. Bethlehem igitur quæ domus panis dicitur, quid aliud, quàm unam quanq; designat domum religionis? Panis nanq; nomine doctrina perfectionis ostenditur, Paulo attestante, qui ad cõuersionem debiles excitans,
1.Cor.3 ait: Lac uobis potum dedi non escam. Nondum enim poteratis, sed necdũ potestis. Si enim lac paruulorum est, panis non est nisi perfectorum. Vn-
Esa.33 de & de perfecti uiri robore dictum est, in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est. In domo ergo panis rex ad ungendum quæritur, quia utiliter promouentur, qui in perfectę conuersationis ordine nutriuntur.
C Ille etenim facere fortes alios potest, qui remissa & negligenti conuersatione nutritus non est. In domo igitur quæritur panis, quia in promouendo antistite, quærendum est robur cõuersationis. De congregatione quidem debili ferè nunquam accipitur persona uirtutis. Vnde bene in Isai filijs quæritur, qui salus domini, aut certè salus absolutè nominatur. Salus quidem rectè prælatus dicitur. Quid enim sunt peccata & uitia nisi languores animarum? Electus autem prædicator per integritatem sanæ doctrinæ, per soliditatem innocentiæ, per splendorem electæ uitæ salus domini rectè nominatur. Alij quidem sunt doctores, quorum sermo serpit sicut cancer. De horum quippe familia rex non assumitur, quia ægras mentes ad
D salutem non ducit, sed interficit. Et notandũ, quia Isai alio nomine Iesse dicitur. Duplex quidem nomen habet, quia bonus doctor non semper in pace est. In pacis quidem tempore salus domini dicitur, ut bellorum munera quasi intra domus secura uestibula sanare doceatur. In bello autem Iesse nomen habet, quia & seipsum fortiter munit, & alios ualenter protegit. Iesse quippe insulæ leuamen dicitur. Quid autem insulæ nomine, nisi mentes tentationum fluctibus uallatæ intelliguntur? Insulæ quidem sunt: quia & si magnos conflictus sustinent, non mouentur. Vnde & electorum ui-
Psal.97 ctoriam Psalmista prædicans, ait: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Dominus quidem regnat, quando eius sedem electas uidelicet mentes turbo hostium nullus inquietat,
A sed lætatur terra, quia solida corda doctorum gratulantur. Lætantur insulæ, quia cùm eius gratiam tentamenta superant, maiorum auditores hilarescunt. Terra quidem est mens fortis, & firma lingua doctoris. Insula uerò dicitur, cor forte subiecti quod adhuc tentamentis impetitur, nec tamen mouetur. Quid est ergo quòd Iesse leuamen insulę dicitur: nisi quia per robur doctorum minorum corda subleuantur. Nam inter tot fluctus tentamentorum corruerent, si non maiorum robore ad altæ uitæ desiderium eorum corda leuarentur. In Isai ergo & Iesse filijs rex latere describit, quia illi utiliter ad ecclesiæ culmen ueniunt, qui electorum magisterio & pacem custodire & disponere,
B siue conficere spiritualia bella didicere. Bene ergo dicitur: Prouidi enim in filijs eius mihi regem.] In his quippe, non in alijs rex præuidetur, quia ad culmen ecclesiæ per diuinam gratiam nulli perueniunt, qui electorum magisterium per omnes temporum ordines non sequuntur. Sequitur:
Et ait Samuel: Quomodo uadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum domino ueni. Et uocabis Isai ad uictimã, ego ostendam tibi quid facias.] Quid his uerbis ostenditur, nisi quia tyrannorum uersutia atq; sæuitia quandoq; est pia fraude deludenda? Præcepto nanq; domini de armento uitulus tollitur, immolatio simulatur, & ad regiam unctionem per-
C uenitur: quia dum nocere tyranni cupiunt, obijcienda sunt eis quædam quæ credant, ut nocendi aditum non inueniant. Sic tyranni deludendi sunt ut caueatur culpa mendacij. Quod tunc bene perficitur cùm illud fit quod asseritur, sed quod fit sic dicitur ut cæletur: quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur. Prophetæ nanq; Samueli præcipitur, ut ad ungendũ regem uadat, & se immolaturum domino non regem uncturũ asserat: ut immolans uerum dicat, & unctionem cælans tyranni sæuitiam, uera dicens, deludat. Quia enim immolaturus abijt, paulo post manifestè exponit, ubi dicit: Sãctificauit ergo Isai & filios eius, & uocauit eos ad uictimam. Sed iam melius agitur, si quid spiritualiter designent ista, uideamus. Quid est ergo,
D quòd uitulum in manu propheta tollit, & sic ad ungendum regem peruenit? Sed uitulus quid est, nisi splendor imaginis redemptoris. Quia enim eum quem eligit conformem facere redemptori studet, quando formam ipsam redemptoris prædicat quasi uitulum in manu portat. Et quia splendorem dominicæ conuersationis (quem prædicat) in uirtute operis monstrat, uitulum quem de armẽto suscipit per manum ducit. Vitulum nanq; in manu tollere est, prædicationẽ dominicæ conuersationis seruare in uirtute operis. Sic nimirum uadens non occiditur, aliter occideretur: quia qui dicit, & non facit, oris proprij gladio condemnatur. Quid est quòd dicere iubetur. Ad immolandum domino ueni? Quid est item quia facit,

quod

quod dicit, dum uenit & immolat, nisi quia tantæ debet esse efficaciæ qui alios promouet, ut bona non solum dicat, sed persuadeat. Immolationis quidem uictima, quæ in prophetæ manu uidetur in altari cognoscitur. Quid est enim cor electi auditoris, nisi altare dei? Quando enim bona doctor loquitur ore, & ostendit opere, uitulus in manu est. Quando autem & quod dicit, & agit, auditoribus persuadet, uictima in altari est. Tũc ergo immolat, quando electa corda per amorem suscipiunt hoc quod in uerbo & exemplo doctoris radiat de imitatione redemptoris. Sequitur: Et uocabis Isai ad uictimam. Fortasse hoc locus iste insinuat, quòd præter prælatorum conscientiam subditi promouendi non sunt. Isai prius ad uictimam uocatur, ut bonum quod subire subiectus B cernitur, prius in magistri sui mente fundetur. Bene subiungitur: Et ostendam tibi quid facias. Idipsum quoq; exprimens, ait: Et unges quem monstrauero tibi. Nisi enim Isai prius uocetur, ei quæ facienda sunt, non pandentur, quia sine magistri uolũtate aliquid de subiecti persona faciendum nõ est. Illo ergo uocato, quod est faciendum ostẽditur, quia cum uoluntate religiosi doctoris, subiecti humilitas ad arcem sustollitur prælationis. Quid est autem quòd dicitur: Vnges quem monstrauero tibi, nisi quia electi pastoris æquales discipuli omnes non sunt. Sunt nanq; ex illis alij utiles ad obediendum, alij & humiliter obediunt, & iubere discretè didicerunt, dicit ergo: Vnges quem monstrauero tibi.] Vt cùm ad culmen sa- C cerdotij persona quæritur, cum magna subtilitate requiratur. Quibus nimirum uerbis ordinatoribus ecclesiarum in electione aliorum nihil suum relinquitur. Quem (ait) mõstrauero tibi, illum unges.] Qui sunt qui ungunt, quos non monstrat deus, nisi qui carnali affectu ad ecclesiarũ culmen ordinandos ducunt, qui non merita discernunt, sed personas accipiunt? Isti quidẽ reges ungunt, sed non qui à deo monstrantur. Quod suum est faciũt, quod dei est tollunt. Dei quidem personam monstrare est, ordinatorijs præbere unctionem. Dum ergo ipsi sibi monstrant quos ungant, habere deum cooperatorem nolunt. Vnde & per prophetam Oseam de talibus electis dominus que- D
Oseæ 8 ritur, dicens: Ipsi regnauerunt, non ex me, principes extiterunt, & ego ignoraui. Dicitur ergo electis quod audire non possunt reprobi. Vnges quem monstrauero tibi,] ut nullus promoueatur, nisi qui dignus tanto ordine scripturarum sanctarum laude decernitur. In eis quidem dominus loquitur, ubi qualis & quantus esse debeat magister ecclesiæ memoratur. Ille ergo monstratus à domino eligitur qui per sacrum eloquium commendatur. Hæc quidem mali rectores contemnunt, boni faciunt. De bonorum ergo obedientia rectè subiungitur: Fecit ergo Samuel quod locutus est ei dominus, Venit in Bethlehem & admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei.] Ad historiam seniores admirantur, quia illuc uenire propheta non erat solitus. Quo in loco fortasse signatur, quia electi doctores uix aliquando uideri in publico debent, esse frequentes in secreto negocijs ciuilibus uacui, spiritualibus pleni. Miraculum ergo fit populi, in publico uisa persona pastoris. Mirantur quod exeat, quem secreti cultorem sciebant. Qui quia in magna populi ueneratione sustollitur, seniores ciuitatis & admirati, & ei occurrisse referuntur. Quia uerò non populus, sed seniores admirantur, perfecta doctorum uirtus ostenditur, qui non à paruulis & simplicibus, sed à magnis & eruditis prædicatur. Qui etiam de pacifico ingressu prophetæ scisitantur. Quasi ergo ingressum non pacificum minabatur, qui dicebat: Quid uultis, in uirga ueniam ad uos, an in spiritu mansuetudinis? Quid est ergo quòd dicunt:

Pacificus ne est ingressus tuus. Nisi quia electi 1.Cor.4 fideles dum bene spiritalium doctorum acta considerant, in eis utique diuinam uoluntatem pensant? Qui enim esse Samuelem prophetam sciebant? utiq; quia diuinæ dispensationis secreta cognouerat. Dum ergo de pacifico ingressu interrogant, quid aliud interrogando faciunt quàm diuini consilij nosse uelle secretum. Vtinam & nos quoties sanctos uiros cernimus, inquirere de pacis nostræ securitate studeremus, & diligenter ab eis scire, quales à deo cernamur, qui cognitionis nostræ oculos non habemus. Pacificus ergo ingressus doctorũ est, cùm ad eos ueniunt qui non sunt pro culpa feriendi, sed pro iustitia prædicandi. Qui ergo promoturum iustum uenerat respondit, dicens: Pacificus ad immolandum domino ueni, Sanctificamini, & uenite mecum ut immolemus.] Cum doctoribus ut immolent uadunt, qui intentionem ad superna dirigunt. Et coram euntibus propheta immolat, quando id doctor, quod uerbo pronunciat, in assistentium cordibus per amorem ligat. Sed ut historiam paululum attendamus, uigilanter est discutiendum quod dicitur: Sanctificamini, & uenite mecum.] Si enim interesse sacrificijs non audent, nisi sanctificati, quid de sacrificantibus censendum? Sanctificare enim purgare est. Quantum ergo puros decet esse pontifices ubi inuitatæ ad sacrificiũ non nisi sanctificatæ admittendæ sunt plebes? Sanctificatio quippe corporis pudicitia est, sanctificatio mentis charitas & humilitas. Sanctificetur ergo ad sacrificium inuitatus, sed magis ille cogitur à quo inuitatur. Notent sacerdotes quæ inuitatis dicant: Venite mecum.] Secum quippe sanctificati ueniunt, si cum mundis plebibus ad dei obsequia mundi sacerdotes accedunt. Secum quippe ire est, mũdos cum mundis accedere. Nam si mundæ sunt plebes, non mũdi sacerdotes, secum non ueniunt, quia æquali puritatis ordine non incedunt. Audiant huiusmodi quid aliter Propheta admonet, dicens: Mundamini qui fertis uasa do- Esa.52 mini, Audiant item, quod dicit: Lauamini mundi Esa.1 estote. Quia ergo mundandæ sunt plebes dicit:

Sanctificamini.] Quia item summi uiri in con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinuo mundiciæ ſuæ ſtatu ſemper debent permanere, & ad formam ſuæ puritatis alios trahere, ſubdit, Et uenite mecum:] Sed quia ſeniores ad uictimam inuitantur, quid per typum demonſtrat, niſi quia ad eligendum antiſtitem, ſiue ad ungendum, & conſecrandum plures ſapientes, atq; religioſi uiri uocandi ſunt. Qui nimirum ſanctificantur, & ueniunt ſi proponũt, ut in electione illa carnale aliquod non ſequantur. Sanctificari quidem eis eſt, ad præbenda dona ſancti ſpiritus ſpirituale, & ſanctam intentionem adducere. Bene autem in typo electorum, & de Iſai, & eius filijs dicitur: Sanctificauit ergo Iſai, & filios eius, & uocauit eos ad ſacrificiũ.] Et quia per ſacra eloquia dominum erigendos antiſtites monſtrare docuimus, iam quales monſtret, qualesq; reprobet ſubſequenter loquentibus ſacræ huius hiſtoriæ myſterijs, uideamus. Sequit. Cumq; ingreſſi eſſent uidit Eliab, & ait: Num coram domino eſt Chriſtus eius. Et dixit dominus ad Samuelem. Ne reſpicias uultum eius, neq; altitudinem ſtaturę eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominum iudico. Non enim uidet ea, quæ apparent, dominus autem intuebitur cor.] Quid enim eſt ſapientibus ingredi, niſi ad ſubtile diſcretionis ſacrarium intrare? Sed ingreſſus Eliab uidit, quia illum eſſe dignum prælatione ſanctæ Eccleſiæ paſtor agnoſcit: qui & fortitudinem habet boni operis, & ſcientiam ueritatis. Quid eſt autem quod ei dominus nec ſtaturam eius, nec uultum aſpicere præcipit: niſi quia in ſancta eccleſia nec opus, nec ſcientia ſine humilitate prædicatur? Quid eſt enim uultus alicuius, niſi exterior cõuerſatio, per quam noſcit? Et quid eſt ſtatura eius, niſi altitudo ſcientiæ, per quam ad ſuperiora ſublimat? Quos ergo Eliab rectius quàm bona agẽtes, & eruditos ſignificat, ſed arrogãtes? Vnde & Eliab deus meus pater interpretatur. Hoc quippe eius nomen quod audent præſumere. Quid nanq; eſt, quòd deus meus pater dicitur: niſi quia dum fortiter bona agũt, ſpiritualia ſapienter intelligũt, & ſe per ſingulare meritum in filiorũ dei numerum tranſiſſe gloriantur. Nam pater non meus, ſed noſter omnipotenti domino dicerent, ſi per humilitatem ſe cum electis cæteris in ſupernæ generationis ordine communiter uiderent. Merito ergo repellitur, quia in ſpirituali culmine non niſi humiles præferuntur. Subtiliter ergo propheta de ungendi perſona exquirit, dicens: Num coram domino eſt Chriſtus eius?] Modo hoc fit, quãdo ſummus doctor, & uitam & intelligentiã eligendi cognoſcit, ſed adhuc de humilitatis uirtute perquirit. Sed uultum & ſtaturam eius abiectum uidet, quando ei quicquid pulchrum habet in opere, quicquid altum in eruditione ineſt ei, abſque humilitatis uirtute cognoſcit. Merito igitur dominus dicit:

Proieci eum, nec iuxta intuitum hominis iudico, quia homo uidet in facie, Deus autem intuebitur cor.] Quaſi dicat: Homines ſolent magna opera, & ſcientiæ uerba laudare, ego autem nec uerba nec opera laudo, quæ in humilitate uera fundata non uideo. Indignitatis quippe ſuæ repulſam, qui eiuſmodi ſunt, expaueſcerent, ſi attentè audire uellent, quod ad Prophetam dominus dicit: Ne reſpicias uultum eius neq; altitudinem ſtaturæ eius, quia proieci eum.] Pro magno nanq; habent quod arrogantes faciunt, ſed ecce tam uile eſſe à domino dicitur, ut nec reſpiciendum eſſe iudicetur. Sed iſto amoto quid ſequatur oſtenditur. Et uocauit Iſai Aminadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit dominus.] Aminadab interpretatũ urbanus. Merito igitur domino cõſulto repellitur, quia ſancta eccleſia ad regimen animarum non eligit negotijs ſecularibus ſtrenuum, ſed ſpirituali conuerſatione decorum. Vrbani quidem ſunt qui poſtpoſita intentione cœleſtium, exterioribus ſtudijs ſe oſtendere ſtrenuos conantur. Nec hunc ergo elegit dominus, quia pij paſtoris ſtudio cœleſtia, non terrena prouideri fidelium gregibus debent, non infirma & labentia, ſed ſublimia & æterna. Adduxit autẽ Sama, de quo & ait: Et iam hunc non elegit dominus.] Sama audiens interpretatur. Quid ergo Sama deſignat, niſi obedientes, & ſimplices? Audire quidem eis eſt ea, quæ à maioribus iubentur, obediendo perficere. Vnde & de obediẽtia gentilis populi per Pſalmiſtam dicitur: Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, obauditu auris obediuit mihi. Quid eſt autẽ quòd non eligi à domino dicuntur, niſi quia in eccleſiæ culmine non ponuntur imperiti humiles, ſed humiles ſapientes, qui & facere iuſſa ſciant, & quæ facienda ſunt ſapienter iubeant? Facere quidẽ eum oportet, & docere. Faciat ergo humiliter, doceat ſapienter. Quia ergo qui facere per humilitatem ſciunt, & iubere per eruditionem neſciunt, in dignitatem regiam aſſumendi non ſunt, Sama ad regnum à domino non eligi perhibetur. Hinc ergo hinc ſimplices & inobedientes colligant, quàm pœnaliter ad præeminendum ſe ingerunt, ſi omnipotens deus nec illum ad regimen ſuſcipit, qui per humilitatem obedientiæ audiens uocatur. Et quia plures ſancta eccleſia huiuſmodi tam ſimplices, & bene uiuentes, quàm humiles ſapientes habet, ſequitur: Adduxit itaque Iſai omnes filios ſuos coram Samuele. Et ait Samuel: non elegit dominus ex iſtis.] Quia in ſeptenario numero ſoleat perfectio deſignari, teſtatur Eſaias propheta, qui dona ſancti ſpiritus in redemptore noſtro manentia aſſerens, ait: Requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris domini. Quid eſt ergo quòd hi qui à prædicationis officio repelluntur, ſeptenario numero deſignãtur, cùm idem numerus perfectionem deſignet, quam alius niſi de ſancti ſpiritus infuſione non habet? Sed conuenienter hoc aſſeritur, quia pluribus gratia ſpiritus ſancti ad bene uiuendũ datur, ad docendum non datur. Qui quia plures ſunt & in bona operatione perfe

Pſal. 17

Eſa. 11

perfecti, aptè septenario numero continentur. Item quia robusta faciunt, & subtilia non intelligunt, à regni gubernatione repelluntur. & septem ergo sunt filij, & eorum aliquis ad animarum regimen non assumitur, quia & si bene uiuendo regere fortiter semetipsos sciunt, tueri alios fortiter per doctrinam nequaquam possunt. Nunquam se tam in ordinando præcipitet ordinator ecclesiæ, quia & si plures habet qui ad susciendam animarum curam non sunt idonei, qui tamen præesse possint, ei deesse non possunt. Quærat ergo doctor instanter, non deficiat quærere, donec latentes possit inuenire. Magnæ quidem electorum uirtutes quasi thesauri omnipotentis dei ferè semper in occulto sunt. More etenim timoratorum diuitum omnipotens deus facit: quia ne uirtutum thesauros perdat, hos & in electis mentibus collocat, & ipsas mentes per secretum celat. Quęrat ergo, qui ordinare imo ornare ecclesiæ caput cupit, occultos thesauros. Christi sponsam ornare gestit, sed non potest, nisi occultos sponsi thesauros ad eius ornatum producat, & non desistat, donec latentes inueniat. Sed quid hortor pastores quærere, cùm nisi deus oculos proferat nequeant inueniri? Quid est enim aliud, unges quem monstrauero tibi? Tamē quærendi sunt, quia nisi quæsiti diu, minimè monstrantur. Nam & dominus se monstraturum promittit, & tamē propheta quærere nititur, ut inuenire mereatur. Vnde & dominus *quærendi instantiam imperat dicens: Quærite & inuenietis, petite & accipietis*, pulsate & aperietur uobis. Quærens ergo propheta, & tot iam repulsis, quærere perseuerans, quid nobis insinuat, nisi ut nulla dispensatione indigni ad culmen religionis uenire permittantur? Nam cùm in plerisq; sanctę ecclesię negotijs salubris sit dispensatio, lætalis profecto & mortifera est, ubi aut cæci per ignorantiam, aut irreligiosi sapientes, aut ad secularia negotia proiecti, ad aliorum primatum uenire permittuntur. Hi enim ignorando, illi sciendo, & non faciendo, subditorum animas perimunt: illi item negligendo spiritualia, sequendo carnalia & terrena. Illi quidem totis uiribus laborant, ut laudentur, quæ dicunt: isti quæ dicant, nesciunt. illi ad hoc omni intentione conantur, ut inter summos seculi abundantius honorentur: qui profecto tanto peiores prioribus sunt, quanto illi in spiritalibus, isti in carnalibus & secularibus apparere sublimes uolunt. Horum finis desiderium est, fulciri diuitijs, honoribus extolli, potentum huius seculi familiaritatibus sublimari. De quibus omnibus reprobæ mentis affectibus oriri potest negligentia animarum subditorum, contemptus Christi & ecclesiæ dilapidatio facultatum. Quærat itaq; doctor, ut nulla dispensatione indignos præferat: quia quod lætiferū est, nunquam permitti debet. Vnde & subditur: Dixitq; Samuel ad Isai: Numquid completi sunt filij?] Quid est, quòd alium quærit, nisi quia non debet ante quęrens quiescere, quàm mereatur in-

A uenire? Et quia sæpe abiecta foris & uilia, intus excelsa sunt. Sequitur: Qui respondit: Adhuc reliquus est, & qui pascit oues.] Quid est reliquus nisi abiectus? Abiectum dico à se, non à deo: quia à deo per superbiam quis abijcitur, à se abiectus est, qui uilis & humilis æstimatur. Vel reliquus dicitur qui in aliorū comparatione esse aliquid non uidet. Abiectus ergo & humilis dicitur, quia contemni se uidet & tolerat, ostendi nequaquam curat, sed oues pascit, quia cogitationes simplices in cōtemplatione æternæ hæreditatis nutrit. De his certè pascuis electorum à domino dicitur: Ingredientur & egredientur, & pascua inuenient. Intus quippe habent pascua contemplationis, foris pascua boni operis. Intus mentem deuotionibus
B impinguant, foris se pijs operibus satiant. Merito paruulus iste dicitur oues pascere, quia electus quisq; humilis est, & sterilis non est, qui quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Merito ergo non solum paruulus, sed pastor asseritur: quia qui uerè humiles sunt, foris se deijciunt, sed per internam societatem in summis & ęternis pascuis immorantur. Nam scriptum est: Deus superbis re- 1.Pet.5
sistit, humilibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia, nisi ut summa uideant & cognoscant, cognoscant & diligant, atq; ad ipsa delicta quasi pingues & fortes currant? Hic itaq; quia ualde idoneus est, instanter exhiberi iubetur. Nam sequitur: Et ait Samuel ad Isai: Mittite, & adducite
C eum. Neq; enim discumbemus priusquam ille ueniat.] Quid est autem non discumbemus priusquam ueniat? Quem requirit, nisi quia in obseruatione ieiunij, celebranda sunt sacramenta unctionis. Nobis autem non solum ipsa sacramenta, sed uis sacramentorum attendenda est. Nam quidam cibi sunt, qui si non cauentur, ungere bene reges nequaquā sinunt. Exteriora quidem ecclesiæ negotia quidam cibi animæ sunt, qui ab electis deuotè administrantur. Sed si negotiorum multitudine anima saturetur, ad susciendā spiritalia intrare perfectè non sinitur. Cū ergo spiritualia instant exteriora differantur, quia cū magna mentis quiete disponenda sunt. Sequitur: Misit ergo & adduxit eum.] Rex futurus adducitur, quando ab occultationis suæ latibulis humiles producuntur.
D Latent quidem, sed in pascuis: quia & si hominibus intra carnis uilia & infirma se tegunt, magna est supernæ contemplationis latitudo, in qua morantur. Sed qualis iam prælatus appareat, uideamus. Sequitur enim & dicit: Erat autem rufus & pulcher aspectu, decoraq; facie.] Quid est quòd tanta pulchritudo regis asseritur, nisi quia magnis uirtutum fulgoribus ornari debet persona doctoris. Nam de redemptore dictum est: Spi- Iob 26
ritu eius ornauit cœlos. Cœli nanq; sunt sublimes prædicatores. Qui profecto cœli à spiritu ornati sunt: quia uirtutes quibus emicant, à spiritu sancto percipiunt. Quid est ergo quòd rufus asseritur, nisi quia in rubra sæpe materia charitatis fer- Exod.39
uor designatur? Vnde & in ueste pontificis coc-

cus ponitur bis tinctus, ut duplici ueſtiatur charitate. Rufus ergo dicitur per ardorem charitatis: quia dum ardentia præcepta charitatis exhibet, quaſi per calorem rubet. Quid item eſt pulcher aſpectu, niſi interna contemplatione conſpicuus? Quaſi enim pulchrum aſpectum habet, qui decore uiſionis radiat, in interna cõtemplatione. Quid ergo facies deſignat, niſi exteriorem gloriam honeſtatis. Nam quia per faciem quiſque cognoſcitur, decor faciei eſt præclara honeſtas conuerſationis. Quaſi enim per faciei decorem cernitur, qui in omni geſtu corporis ſplendidus inuenitur. Rufus ergo amore eſt, pulcher aſpectu propter ſcientiam, decora facie ſplẽdidus honeſtate. Quia uerò charitatis feruor per ſancta opera demonſtratur, poteſt per ruborem ipſe labor operis deſignari. Qui enim nimis laborat faciei ruborem repræſentat: quia dum intus incaleſcit, foris in uultu ruborem trahit. Sic nanq; eſt omnis ſpiritualis labor. Quia enim unuſquiſq; quanto amplius pro æterna uita laborare conatur, tanto feruentius ad laborandum ſancti ſpiritus ardore ſuccenditur, uelut inferueſcendo ruborem excitat, quem foris portat. Rufus ergo eſt doctor labore pij operis, pulcher aſpectu in fulgore contemplationis. Decor uerò faciei ipſa eſt pulchritudo charitatis. Per alias quippe uirtutes, formam ſanctitatis accipimus, per ipſam charitatem, ipſam formam nobis quaſi mirabili decore ueſtimus. Illæ aliæ uirtutes corpus iuſtitiæ ſunt, charitas uerò huius corporis facies rectè intelligitur. Per faciem quippe non per corpus unuſquiſq; cognoſcitur. Nam ſi corpus uideas, & faciem non uideas, eum, cuius ſolum corpus aſpicis, non agnoſcis. Quid uerò
Matt.25 eſt aliud, quòd fatuis uirginibus reſpondetur à ſponſo, neſcio uos. Ecce per magnos labores uirginitas conſeruatur, ipſa quoq; uirginitas magna, & incomparabilis uirtus agnoſcitur. Quid eſt ergo, quòd fatuæ uirgines à ſponſo non cognoſcuntur, niſi quia corpus habent quo ſubſiſtant, decorem uerò non habent faciei, quem ſponſus agnoſcat. Habent quidem laborem in conſeruando corpore, non habent decorem uultus in perfecta charitate. Hæc nanq; tria eo quo ponuntur ordine in electi conuerſatione proficiunt. Nam pulchros contemplationis aſpectus habere non
A tria immenſi decoris inſignia, quia ſanctæ eccleſiæ doctor habere debet, pro omnibus Petrus aſſumitur, & an amet redemptorem tertio interrogatur. Primo nanq; ei dicitur: Petre amas me, ut
Ioan.21 per amorem agere fortia ſtudeat. Secundo, ut in contemplando alta cognoſcat: tertio, ut perfectæ charitatis affectu & erga proximum ferueat, & ad ſpeciem conditoris feruentius inardeſcat. Talis ergo ac tantus tam pulcher, tam decorus puer, quo teſtimonio proferatur, audiamus. Nam ſequitur:

Surge, & unge eum,] ipſe enim eſt. Quid eſt, Surge, & unge eum?] An tantus erat paruulus, ut ſedendo ungi non poſſet? Sedendo quippe tangere alta non poſſumus. Magna ergo eſt uirtus, magna celſitudo humilium, ſi ad eorum ſumma
B nec prophetæ pertingunt. Surgit ergo propheta, cùm ſe pontifex in miram electi prædicatoris ueneration em erigit. Nam foris humilem quaſi uidendo conſpicit, ſed interius eius meritum niſi ſe in interna contemplatione erigat, non agnoſcit. Surgere ergo doctor præcipitur: quia cui tanta uult ſacramenta impendere, eius ante cognoſcere meritorum ſublimitatem debet, Quid eſt ergo quòd dicitur: Surge, & unge eum, quia ipſe eſt:] Niſi ſublimi ſublimia ſacramenta ſublimiter præbe. Nam ſæpe indiſcreti paſtores negligentem & reprobam accedentium uitam ſciunt, & eos promouere non metuunt. Hi profecto ungũt, & non ſurgunt, quia quibus ſacramenta unctionis tribuunt, in alto ſitos meritorum loco non cernunt.
C Quando igitur doctor ſublimis oſtenditur, eius ordinator ſurgere monetur: quia per miniſterium tunc dignè tribuuntur ſacramẽta unctionis, cùm ungendus in alta conſpicitur ſublimitate uirtutis. De quo nimirum, quia ipſe eſt, dicitur: Si ergo ipſe eſt, alius non eſt, quia niſi his uirtutibus fulgeat, neceſſe eſt ut ordinẽ tantæ celſitudinis non attingat. Quem ergo monſtraturum ſe dominus promiſit, Rufum & pulchrum aſpectu, & decora facie oſtendit, dicens: Ipſe eſt enim:] Quia nullus debet ſubire culmen regiminis qui robur non habet magni operis, ſcilicet contemplationis ſcientiam, & feruorem charitatis. Bene ergo ſubiungitur: Tulit igitur Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ſuorum.] Cornu olei tollitur, ut tota uita pontificis ſpiritualis eſſe doceatur. Cornu olei tollitur, ut in excellenti liquore magiſter eccleſiæ uir eſſe ſtudeat magnæ miſericordiæ. Oleo ungitur caput regis, quia lucere ſuper candelabrum debet per flammam uerbi. Cornu oleum recipit, ut increpando purget, & miſerando per blandimentum trahat. Cornu etiam recipit in ſublimitate ordinis, oleum ad fomenta uirtutis. Sed pleno cornu ungitur, ut uirtus pontificis plena doceatur: Cornu nanq; plenum in unctione ſua habet, ſi tam in uirtute miſericordiæ quàm charitatis & uerbi perfectus eſt. Plenum etiam cornu in unctione ſua habere cognoſcitur, cuius omnis poteſtas per miſericordiam diſpenſatur. Ipſa quippe authoritas ſanctæ eccleſiæ cùm
D

ſine

sine misericordia est, nulla est: quia tunc spiritualis est rigor disciplinæ, cùm à linimento non uacat misericordiæ. Cornu ergo & oleum simul ostenditur, ut disciplina semper cum misericordia teneatur. Cornu nanq; oleo plenum dicitur, ut ubicunque cornu acumen exhibet, exhibeat refusæ gratiæ unctionem. Sed dum ad ungendum regem unctio ducitur, cornu foris cernitur, intus plenitudo olei occultatur. Portet igitur propheta cornu foris, intus oleo repleat, foris textum insinuet, intus sacramenta declaret. Sciat ergo propheta quod tribuat, sciat rex unctus exhibita recipiendo quid agat. Quid est ergo quòd foris est cornu, intus oleum, nisi quia plerunque subditorum duritia meretur ut pastoris increpationem sentiat, sed misericordiæ eius aliquid non attendat. Rector ergo cornu exhibet, in quo oleum latet: quia cùm quis acriter ex charitate corrigitur, pœna sentitur, charitas non uidetur. Sæuus enim rector aspicitur, qui sic increpat, quasi qui non amat, quasi qui uehemẽter odit, sic obiurgat. Quid tunc à compunctis cernitur, nisi cornu acumen, quo acrius feriantur? Sed quia ualde intus pius pastor diligit, quem foris arguendo ferit: quid aliud, quàm cornu increpando monstrat, oleum diligendo cælat? Plenum ergo cornu in unctione regis asseritur, ut in electo prędicatore perfectum utrunque esse doceatur. Nam acutus ad arguendum esse debet, mollis ad miserendum. Perfectè feriat, ut omnem uim morbi perfectè confodiat: perfectè per misericordiam ungat, ut plagas quas pungit, ad sanitatem reducat. Si enim minus uiolenter quàm debet ferit, pus quod latet non ejcit. Et si uiolenter ferit, & abundè non ungit, percussum per austeritatem interficit, & saluti non reddit. Sit ergo integrum cornu, integra olei plenitudo, ut austèrè per cornu feriantur uulnera, & per oleum foueantur. Sed quid est quod in medio fratrum ungitur, nisi quia uirtutis exempla circumquaq; spargere iubetur? In medio fratrum ungitur, ut tantæ unctionis fieri participes omnes possint. Qui enim in medio ponitur, ab omni parte uidetur. Oleo quippe in medio aliorum ungitur: quia qui in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet, ut hunc omnes aspiciant, & ab eo lucis exemplum sumant. Vnde & sancta animalia in circuitu oculos habere describũtur: quia electus doctor dum ardorem charitatis, dum uirtutem misericordiæ, dum zelum rectitudinis ex dono sancti spiritus recipit, quasi globum habitat luminis, qui eum ex omni parte circumstantibus fulgentem reddit. Vel in medio fratrum ungitur, ut unctum & medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, & uim dignitatis exerceat: quia unctus est. Videat se medium, & communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat. In medio ergo fratrum ungitur, ut sit humilis & sublimis. Sublimis ordine, humilis æstimatione. In medio item ungitur, ut se

Ezech.1

A B C D

priuato amore non diligat, sed ex omni quod præeminet lucra aliorum quærat. Vnde & Saul solus in extrema parte ciuitatis unctus fuisse perhibetur. Quid est enim quòd solus à solo ungitur, nisi quia de culminis potestate per amorem priuatum debebat intumescere. Dum enim de accepta dignitate se singulariter amare uoluit, uelut fomentum luminis solus tulit. Vnde & puer qui comitabatur præmittitur: quia electorum nullus eius exempla sequitur, qui diuina authoritate reprobatur. Dauid ergo in medio fratrum ungitur: quia electus doctor de eo quod singulari sublimitate sustollitur, singulari amore nequaquã gloriatur. Et quia per ministerium hominum spiritualia in electis rectoribus dona cumulantur, adiunctum est: Et directus est spiritus domini in Dauid die illa, & in reliquum.] Spiritus quippe domini post unctionem dirigitur: quia foris sacramenta percipimus, ut intus sancti spiritus gratia repleamur. Foris nanq; homo, intus deus operatur & non homo. Foris nanq; homo surgit, intus se spiritus dirigit: quia ordinem religionis homo homini præbet, sed in eum cui ordo datur, spiritus dirigitur, ut foris sublimitatem suscipiat ordinis, & intus robur sancti spiritus. Foris ordo committitur, ut quæ dei sunt, agere debeat, intus dirigitur spiritus, ut quod iniungitur, potenter agat. Magnum quippe est onus ordinis, magna fragilitas carnis. Onus ergo tantum quia debili committitur, dirigitur spiritus: ut debilis roboretur, & magnum onus tanto gratius ferat, quanto ipsum omnipotens spiritus fortius ad ferendum iuuat. Sed dirigi spiritus dicitur, ut conuersus à rege superbo sentiatur. Se ergo spiritus in alterum dirigit, quando eiusdem spiritus gratia superbos ac fictos fugit. Vnde & scriptum est: Spiritus domini disciplinæ effugiet fictum. Hinc & per semetipsum in Euangelio ait: Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, & nescis unde ueniat aut quo uadat. Spiritus quidem uenit & uadit, quia reprobos deserit, electos assumit. Et quia iudicium omnipotentis dei imperscrutabile est, unde ueniat, & quo uadat homo nescit: quia sciri non potest an qui in gratia quam recipit perseuerare in perpetuum debeat. Ab eo igitur qui defecit, uenire spiritus dicitur, ire ad eum qui perseueraturus est, quia alios in tempore deserit, alios assumit, nec tamen deserit. Vnde & in typo electorum de Dauid dicitur: Directus est spiritus domini in Dauid à die illa in reliquum.] In die quidem unctionis dirigitur, quando sic foris Christi sacramenta percipimus, ut intus sancti spiritus gratia repleamur. Et in reliquum dirigitur spiritus, qui à gratia quam percipit nunquam recedit. Hanc quippe gratiam directi spiritus sic prædicatoribus adscribimus, ut omnibus ordinibus sanctæ ecclesiæ tribuamus. Quisquis enim redemptoris fidem suscipit, per redemptionis nostræ baptismum renascitur, & spiritus sancti gratia ab omni peccato redimitur. Vnde & electis redemptis eiusdem

Supra 9

Sapien. 1

Ioan. 3

Universidad de Deusto Biblioteca

spiritus sancti donum insinuans Paulus apostolus ait: In quo signati estis in die redemptionis. Si ergo consideremus populum dudum in circumcisione superbum spiritum sanctum amittere, uidemus pariter in baptizatos eiusdem spiritus directionem. In quo nos quidem dirigimur, quia per superbiam illi sancti spiritus gratiam perdiderunt. Quid est ergo quòd dicitur: In die illa & in reliquum,] Nisi quia sancti spiritus gratia sic recipitur, ut in ea electi usque in finem perseuerare doceantur? Multi quidem post remissionem peccatorum peccata ad mortem faciunt, in quibus nimirum spiritus in reliquum dirigi non uidetur. Dirigitur ergo spiritus in electis tantum in die illa in reliquum: quia reprobis in exortu fidei per spiritum sanctum peccata dimittuntur, sed spiritus sancti gratiam postmodum per iniquitatem perdunt. Dirigitur nanq; in reliquum, sed in Dauid, quia manu fortis interpretatur. Manu quidem fortis est qui diabolo præualet, & bonum quod accipit per perseuerantiam usque in finem tenet. De quibus certè dominus ait: Qui perseuerauerit usque in finem, saluus erit. Quòd si uniuersalis ecclesiæ status cõspicitur, spiritum domini in Dauid in reliquum directum uidemus: quia electos sanctæ ecclesiæ ab eiusdẽ ecclesiæ primordijs spiritus sancti gratia replere cœpit, quos usque ad mundi finem custodire non desinit. Iam quippe iuxta propositum nostrum claudi liber ad finem debet, sed ad memoriam redit, quia principia uoluminis ad conuersationem retulimus redemptoris. Et quia per Ioannem initium, & finis idem redemptor noster asseritur, optimo liber fine clauditur, si in redemptoris nostri narratione consumetur. Dauid ergo manu fortis ipsum redemptorem humani generis insinuat, qui antiquo hosti præualuit, & de eius potestate electos tulit. Qui Bethlehemitæ Isai filius dicitur: quia de eo populo nasci uoluit, quem scripturarum sanctarum scientia quasi ex pane saturauit. Domus quippe panis Iudæa fuit, quæ solidum scripturarum cibum in spirituali intelligentia, quasi ex pane habuit. Quid uerò Samuel, nisi (ut iam sæpe diximus) nouorum prædicatorum ordinem signat. Quid uerò Dauid, nisi redemptorem insinuat? Ad eum ergo ungendum Samuel mittitur. Vngere quippe eum est, eius incomparabilem sanctificationem ignorantibus prædicare. Nam quasi ungitur, quando nescientibus opinionis eius odor aperitur. Hunc nanq; ungebat, qui dicebat: quia ei se infudit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Sed quid tantum nouos prædicatores ad eius unctionem recepimus, cùm eum etiã ueteres tam uenerabiliter unxisse uideamus? Quid enim melius ac suauius redolet, quàm illud quod in eo propheta Esaias effudit, dicens: Requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Hic item, qui tenetur in manibus Dauid ei loquens ait: Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. & post pauca: unxit te deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Hunc autẽ Daniel unxit, & omnis unctionis sacramentũ Iudæis præbuit, dicens: Cùm uenerit sanctus sanctorum, cessabit unctio uestra. Ad ungendum ergo propheta mittitur, quia eius odor à paruulis nunquam capitur, nisi per prædicatorum ora pandatur. Vnde & tres illæ mulieres aromata præparant, ut in sepulchro redemptorem ungant. In sepulchro quidem Iesus ungitur, cùm resurrectionis eius gloria prædicatur. Vnde & cùm ueniunt, Iesus non inuenitur: quia cùm bene de dominica morte disputant, mortuum iam resurgentem monstrant, & quasi ueniendo non inueniunt: quia ubi bene mortis causam cognoscunt, uitam esse redditam per illius mortem inueniunt. Sed quid est, quòd implere cornu oleo iubetur? Quid nanq; fuit austeritas legis, nisi cornu acuitas? Quasi enim cornu percussit, dum peccata nõ per misericordiam indulsit, sed pœnam infligendo uindicauit. Cornu ergo oleo impletur: quia talis rex ungitur, qui peccata hominum misericorditer dimittat, non per legis austeritatem puniat. Nam Moysi cornu præferebant, qui de ea, quæ in adulterio deprehensa fuerat, domino dicebant: Moyses iubet huiusmodi lapidare, tu quid dicis de ea? Sed qui pleno cornu unctus fuerat, dicit: Qui sine peccato est uestrum, primus in eam lapidem mittat. Quasi cornu feriendi ille assumpserat, qui dicebat: Hic si esset propheta, sciret quæ & qualis est hæc mulier quæ tangit eum: quia peccatrix est. Sed qui ex plenitudine cornu unctus Iesus fuerat, totum remittebat, dicens: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hinc de peccatorum assumptione murmurantibus dicit: Non uenit uocare iustos, sed peccatores. Cornu ergo pleno ad ungendum Dauid propheta mittitur, quia illum modo doctores prædicant, qui duritiam legis soluit, & omne quod rigidum prætulit, per gratiæ suæ fomenta reparauit. An non ungebat eum ille, ad eum ungendum missus, de quo dicitur: Fuit homo missus à deo, cui nomen erat Ioannes, hic uenit in testimoniũ, ut testimoniũ perhiberet de lumine. Sed audiuimus quomodo missus fuerat, audiamus quomodo ungat: Ecce (inquit) agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Potest per cornu regni eius uidelicet sanctæ ecclesiæ sublimitas designari, quę magna est, sed austera & superba nõ est. De quo nimirũ cornu superius per Annam Samuelis matrẽ dicitur. Sublimabit cornu Christi sui. Hinc nanq; per Zachariam dicitur: Erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Cornu quidem salutis quid est, nisi sublimitas ecclesiasticę potestatis. Nam quod antiquis nusq; dicitur, modo uniuersali ecclesiæ dicitur: Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terrã, erit solutum & in cœlis. Quod profecto cornu erectũ, & oleo plenum

.4 Ioan.1 Matt.24 Coloss.2 Esa.11 Pſal.44 Dan.8 Matt.16 Ioan.8 Lucæ 7 Matt.9 Ioan.1 Idem 2 Supra 2 Lucæ 1 Matt.16

plenum dicitur: quia sancta ecclesia cum sublimitate potestatis, extendit uiscera miserationis. Et quia per damnatæ humanitatis uitium facilius in authoritatem potestatis extolli possimus, quàm flecti ad molliciem pietatis: bene non cornu, sed preparare oleum iubetur. Qui enim imple cornu tuũ oleo dicit, cornu sine oleo esse signauit. Quid est hoc, nisi quia irasci, & arguere etiam inconsulti possumus: sed flecti ad misericordiam, nisi ex magna meditatione non possumus. Quasi dicat: Zelum, quem naturaliter habes, imple oleo, quod si non habes ex te, habere potes ex uirtute. Quod certè ei dicitur, qui ungere redemptorem mittit: ut qui in officio prædicationis ponitur, dives esse misericordia semper conetur. Potest hoc cornu mentis affectus ostendi. Quod certè cornu impleri præcipitur, quia perfecte debet redemptoris nostri unctio, idest sanctificatio, ante sciri, quàm sufficienter ualeat prædicari. Cornu ergo impletur, quando bene sanctitas redemptoris agnoscitur. Et pleno cornu ungitur, quando optimè prædicatur. Nam Ioannes quia prædicando ungere uenerat, quasi cornu impleuit sciendo: ut eum ungere bene loquendo potuisset. Si autem bene scire impletionem uolumus, audiamus, quod in euangelio dicitur: Factum est uerbum super Ioannem Luc 3 Zachariæ filium in deserto. Cornu ergo pleno eum unxit: qui perfectè prius à uerbo doctus est, quàm uerbi diuinitatem, & assumptam hominis naturam loqui potuisset. Sed ueniens, in manu uitulum habuit, quia ut dignus præco redemptoris fieret, carnem suam deo per abstinentiam mactauit. Potest etiam uituli appellatione ipse dominus designari. Quid ergo est, quòd propheta in manu uitulum tulit: nisi quia qui Iesum uult prædicando ostendere, per mortificationem carnis debet eius, quem prædicat, passiones imitari? Vitulum quippe in manu tenere est, similitudinem passionis Christi in uirtute operationis ostendere. Aliter enim qui ad ungendum regem uenit, occiditur: quia nimirum in salutis suæ periculum prædicator ueritatis efficitur, qui uerbum, quod ore prædicat, praua operatione conculcat. Samuel itaque ad ungendum regem ueniens, in manu uitulum tulit: quia præcursor domini se prius mirabilem per supernæ conuersationis fulgorem præbuit, & sic bonum tantæ gratiæ nescientibus indicauit. Sed quid est, quòd quæri inter filios Isai iubetur: nisi quia & de ueteri populo nasci turus erat, & æqualem nullũ habiturus? Quæri itaq; præcipitur, ut ei rationabiliter credamus. Et Ioan.7 quia per semetipsum dicit: Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: bene Samueli à patre dicitur, Vnges quem monstrauero tibi. Quasi enim monstratum unxerat prius, qui ab eo Matt.16 quem unxerat, audiebat: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. In Bethlehem ergo mittit, quia cũ secundũ carnem quærit Christus, natus ex Iudæorum populo inuenitur. Venit etiam in Bethlehem: quia ordo prædicatorũ ante Iudæam conuertere studuit, & postea gentibus redemptoris fidem prædicauit. Quid est autem quod seniores ciuitatis mirantur, nisi quia qui ad maturitatis sensum peruenerant, in tantæ nouitatis prædicatione stupebant? Sed admirantes ei occurrunt, quia prædicationem ueritatis libenter audiũt. Occurrere quidem prædicatoribus est, uerbum fidei, quod prædicant, desideranter audire. Qui de pacifico ingressu eius interrogãt. Quid est ingressus pacificus, nisi cum præsentia pacis uenerit? Hanc item pacem ostẽdit, qui ait: Ipse est pax Ephe.2 nostra, qui fecit utraq; unum. Quid est ergo quod de pacifico ingressu interrogant: nisi quia patrum promissionem electorum Iudæorum corda desideranter expectabant. Quasi nutantes, qui expectabant, dicant: Nunquid nam uenit pax, quæ se uenturam tanto temporum spacio præcurrente prædixit? Et quia noui doctores quod antiqui patres promiserant, exhibitum narrant, dicunt: Pacificus.] Quasi dicat: Nos non futura promittimus, sed præsentia pacis dona monstramus. In ingressu nostro præsens est, in uerbo nostro futura nõ est. Iam iustus Simeon uidit, iam tenuit & adorauit, dicens: Nunc dimittis seruum tuum domi- Lucę 2 ne secundum uerbum tuum in pace. Iam pastoribus apparuit, iam missa de cœlis diu expectata pace, angelorum multitudo cantauit: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Et quia non solum prædicare pacem uenerat, sed etiam persuadere, subdit dicens: Ad immolandum ueni.] Quid est sacerdoti immolare, nisi redemptori nostro corda electorum per amorem coniungere? Quasi dicat: Vos an uenerit, scire uultis, sed non prodest sciri, nisi prosit amari. Ad immolandum ergo domino ueni.] Hinc est, quòd Paulus eos, in quibus immolare non poterat, expellit dicens: Qui non amat do- 1.Cor.16 minum Iesum, anathema sit. Sed inuitatis ad uictimam dicitur: Sanctificamini & uenite.] Iudæi idcirco nobiscum ad fidei sacrificium uenire nequeunt, quia dominum Iesum ex scripturis iudicare nolunt, sed solo odio audire eius prædicationẽ refugiunt. Vnde per semetipsum dominus queritur, dicens: Si opera non fecissem in eis, quæ Ioan.15 nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent, quia uiderunt & oderunt me, & patrem meum. Quid est ergo, quod dicitur: Sanctificamini & uenite.] Sed sanctificari auditoribus est, ad audiendum puræ mentis secretũ præparare. Sanctificari quippe eis est, odiũ de corde proficere, & ad audiendũ uerbũ prædicatiõis intentionis puritatẽ parare: Sanctificatis ergo uenire præcipit, quia uenire nihil prodest, qui intentionẽ puritatis audiẽdo non habẽt. Et quia per doctores sanctos sanctus loquit spiritus, dicit: Venite mecũ.] Quasi dicat: Sic loquentẽ attẽdite, ut uobiscũ credatis audiẽtẽ, quia sic loquor, ut audiã, dũ ipse sum qui loquor, & locutionem administro. Et quia initio nascentis ecclesiæ

multi ex Iudæis, & deuote audierunt, & fideliter crediderunt, bene dicitur, quia Isai & eius filij sanctificati à Samuele sunt, & ad uictimam inuitati. Sed in septem Isai filijs rex non inuenitur. Quid enim septē Isai filij nisi omnes sunt synagogę perfecti? Qui ad prophetam ueniunt, sed eorum nullus eligitur, quia electus prædicator, & perfectos synagogæ filios aspicit, & ex eis redemptorem humani generis nullum credit. Adducit ergo omnes priores filios, ut cum perfectos omnes aspicimus, redemptoris excellētiam cogitemus. In quibus profecto nisi paruulus adducit, rex esse à domino non monstratur: quia nimirum cum redemptori nostro magnos uiros conferimus, quantum excellat eius dignitas uidetur. Non inuenitur ergo in alijs, quia puri homines sunt. Quæritur ergo in pascuis puer, qui pascit oues: quia usq; ad mortem patri obediendo se subdit, generationem tamen eius quis enarrabit? Esa.33 Paruulus quippe dicit, quia humilitatis eius gratia commendatur. Paruulus ergo dicitur qui minoratus ab angelis per Psal.8 Psalmistam perhibetur. Sed paruulus oues pascit, quia per humilitatem est humilis, & per maiestatē sublimis. Hic laborat & esurit, sed ibi de gloria maiestatis suæ angelos pascit: Dum enim de plenitudine gloriæ eius omnes accipiunt, quasi in illis beatissimis pascuis per puerum saturantur. Paruulus etiā pastor asseritur, quia de carnis eius assumptione, superni ciues ineffabiliter gaudent. Gaudium quippe illud ineffabile beatorum ciuium quasi ouium cibus est. Hic ergo adduci instanter præcipitur, hic donec ueniat discubit⁹ necesse est differatur. Discumberet quippe antequam ueniret, si plebs in alium credidisset. Expectari ergo debuit qui beatarum animarum singularis & uni Ioan.6 cus cibus fuit. Vnde & per semetipsum dicit: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Sed quia Ephes.4 qui ascendit, ipse est qui descendit, illuc mittitur, ut adducat. Mittere nanq; ad pascua est, mentem supra Angelos usq; ad æqualitatem æterni patris extendere. Et inuenire eum est, summo patri eum per omnia æqualem credere. Adducit autem eū, qui etiam ad redemptionem humani generis per assumptam humanitatem uenisse iam asserit. Miserat nanq;, & adduxerat eum hic, ad quē in eius Idem 3 typo mittitur, cum dicebat: Qui de cœlo uenit, super omnes est. Paruulum pascentem oues adducebat Esaias, cū dicebat: Paruulus natus est nobis, Esa.9 & filius datus est nobis, & uocabitur nomen eius admirabilis, cōsiliarius, deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Sed quia doctoris fides ad salutē sibi tantū, nō etiā auditorib. proficit, mitti & adduci præcipitur, ut unusquisq; fidem eius habeat per quam saluari mereat. Ire etenim singuli, & adducere eum debēt, quia firmiter debent eū credere per diuinitatem æterno patri æqualē, & per humanitatem naturæ nostræ participem. De cuius etiam descriptione dicitur, quia erat Rufus, & pulcher aspectu, & decora facie. Rufus quippe quia lancea uulneratus: Rufus, quia ex passione A rubicundus. Vnde & per prophetam ei dicitur: Quare rubrum est indumentū tuum? Rufus quippe extitit, qui candorem tantæ innocentiæ precio si sanguinis rubore colorauit. Pulcher etiam aspectu fuit, quia & resurgendo immortalitatis pulchritudinē induit, & mortales nos ex magna charitate respexit. Quasi enim aspectus sui pulchritudinem repromittens discipulis, ait: Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum. Hinc item repromittens ait: Vado parare uobis locum, & ueniam & accipiam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Quis est decor faciei, nisi eius gloria maiestatis? Facies nanq; eius perfecta cognitio est. Hanc etiam Paulus commemorans ait: Vide- 1.Cor.13 B mus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Decor ergo faciei quid est, nisi splendor æternæ diuinitatis? Qui nimirum decor modo creditur, non uidetur, tunc non creditur, sed uidetur, quia Apostolus ait: Cum apparuerit similes ei erimus, quo 1.Ioan.3 niam uidebimus eum sicuti est. Vnde & Moysi quærenti eundem faciei decorem, respondit, posteriora mea uidebis. Quicquid de illius diuinitate contemplari nunc possumus non est ipse decor, sed uelamentum decoris. Posteriora quidem cernimus, ut sequamur, sed dum sequendo peruenimus ad eum, anteriora, id est, faciei decorē cernimus. Rufus ergo in seculo fuit, pulcher in C paradiso, decora facie perennis in cœlo. Potest & omnis hæc trina pulchritudo in hac præsentis uitæ eius cōuersatione cognosci. Rufus quippe extitit, quia feruenter amauit eos, pro quibus animam posuit. Pulcher aspectu fuit, quia omnia nouit. Decora facie, quia bona omnia fecit. Sed quæ illa aspectus pulchritudo? Nemo nouit patrem, Mat.11 nisi filius. Hunc item Petrus admirans, ait: Nunc Ioan.16 scimus, quia scis omnia, & non est opus, ut quis te interroget. Decorem faciei turbæ intuentiū protestantur, quæ dicunt: Bene omnia fecit, & surdos Mar.7 fecit audire, & mutos loqui. Hinc item alij admi- Mat.8 rantes, dicunt: Qualis est hic, quia uenti, & mare obediunt ei? Decor ergo faciei quid est, nisi pulchritudo sanctitatis. Quid item est decor faciei, ni D si splendor conuersationis eius incomparabilis, quia per omne quod egit, incōparabili luce gratiæ resplenduit. Hunc nanq; faciei decorem Psalmista admirans, ait: Speciosus forma præ filijs ho Psal.44 minum, diffusa est gratia in labijs tuis. Hūc Pau- Heb.1 lus prædicans, ait: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portans omnia uerbo uirtutis suæ, purgationē peccatorū faciens, sedet ad dexterā maiestatis in excelsis, tāto melior Angelis effectus, quāto differētius prę illis nomē hæreditauit, cui em̄ dixit aliquādo angelorū: fili⁹ meus es tu, ego hodie genui te? De hoc igit̄ rectè ꝓphetæ præcipitur. Surge & unge eum, ipse est enim.] Petrus quoque Apostolus non solum Mat.17 propheta, sed summus patriarcha, uidit inenarrabilem lucē fusam desuper, nubem obumbrantē, clamantem

clamantem patrem, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ibi dicitur: Ipse est enim.] Hic dicitur: hic est filius meus dilectus. Ibi quia in typis ostendebat, quasi absentior cernitur, dū dicitur: Ipse est.] Hic aūt quia iam reuelata claritas eius erat, præsentior cernitur, quia dicit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui. Hic ergo ungendus est, hic laudandus & perpetuis fauoribus demulcēdus. Sed quis dignè laudare sufficiat, cum non sufficiat gloriam uidere, quam laudat. Quid est, quod Petrus cadit, cum uocem audit insonantem tanti uerba præconij? Sed paruulus erat, adhuc uidebat, quod uidere non sufficiebat. Videbat & quia uidendo cadebat, significat, quod ad id non poterat attingere, quod merebatur uidere: Nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Quia ergo Petrus nondum illam plenitudinem spiritus acceperat, prædicare Iesum quasi paruulus non ualebat. Ergo surgere iubetur prius, & uisionem nemini dicere, donec à mortuis resurrexisset. Post resurrectionē quippe accepturus erat spiritum sanctū. Vnde scriptum est, nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondū fuerat glorificatus. Non debebat ergo Petrus ante resurrectionem uisionem dicere, quoniam quidem bene uidit, sed antequā spiritum haberet nō intellexit. Quid est ergo, quòd ad Samuelem dominus ait: Surge & unge eum.] Quid est, quòd surgere iubetur, ut ungat, nisi quia multum oportet eum erigi ad superna, qui sublimitatem domini gestit prædicare. Sed quantum erectus erat Petrus, qui ad tanta uidenda sustollebatur? Sed si ille adhuc altiorem statū perfectionis expectat, quis tantæ prędicationis officium subire non metuat? Si prophetam dominus surgere ammonet, prædicare dominum audet, qui per lapsum prauitatis iacet? Hinc est enim quòd unicuique prædicatori per Esaiam præcipitur: Super montem excelsum A ascende tu, qui euangelizas Syon. Mons excelsus perfectio doctrinæ, & operis est. Surgat ergo, qui ungere regem præcipit, in sublimia se extendat. Surgat in alto opere, surgat in alta contemplatione surgat in sapientia uerbi, surgat in uirtute charitatis. Ille quidem qui prædicando ungit tantus est, ut uix ad eum à sublimibus perueniatur. Et fortasse Paulus hūc ideo ungere poterat, quia dicit: Nostra conuersatio in cœlis est. Ideo hūc ungere poterat, quia ad tertij cœli secreta se erexerat, & in paradiso arcana uerba audiebat. Quia ergo dominus Iesus sublimiter à sublimibus prædicari debet, surgere propheta præcipit, quia eum, per quem ipse signatur, ungere iubetur. Alta quidem, imò altissima hæc perfectæ conuersationis B uirtus est, sed multis perfecte perficitur. Magna quidem sublimitas hæc est, sed tam sublimes ecclesia sancta multos habet. Nam ex quo synagogam repulit, in innumerabilem celsitudinem uirtutis sanctam ecclesiam sublimauit. Bene ergo dicitur: Et directus est spiritus domini Dauid à die illa in reliquum.] Dies quidem est fides redemptoris. In qua nimirum & sancta ecclesia illuminatur, & repulsa synagoga mira cæcitate deprimitur. In die ergo illa spiritus sanctus in Dauid dirigitur, quia eius gratia synagogæ tollitur, & sanctæ ecclesiæ electis datur. Dirigitur enim quia illos deserit, istos assumit. Sed in die dirigitur, quia qui in fide redemptoris illuminatus non est, in se- C se dirigentem spiritum habere non potest. Spiritus ergo in die dirigitur, quia fidei lumen habentibus datur. Dirigitur autem in Dauid, quia hunc sola sancta ecclesia suscipit, quæ corpus est redemptoris. Sed quia authore deo ea, quæ proposuimus, de libro Regum tractando compleuimus, orandus est summus atq; omnipotens spiritus, ut qui uerba per quem uoluit protulit, tam scribenti quàm legenti tribuat affectum uirtutis. Amen.

Beati Gregorij Papæ operum tomi secundi & ultimi finis.

trem fol. 813.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Errata inter imprimendum cõmissa, possunt sic corrigi. Primo numero denotante columnam, secundo uero uersum literæ. At ubi unus tantum habetur numerus, in margine est erratum.

TOMI PRIMI.

Col.43. lit.d.uers.2. manum. 60.d.6.hunc. 194.a.7.aculeo. 212.b.2.terrores. 266.in marg.b.Ioan.9. 278.d.& concupiscentijs. 292.d.7.& confundit. 304.d.4.uerbis suis. 320.d.6.Giezi. 341.in marg.b.Gene.18. 350.d.5.ligna. 357.a. Act.9. 372.b.Lucæ.23. 396.b.6.folium. 397.b.7.Adolescentia. 427.b.5.Frigescit. 443.d.Luc.11. Fo.1.a.2.Thessalon.2. 505.c.Matt.25. 534.a.6.in altum. 848.a.Exodi.26. 855.b.Ezech.33. 869.b.Genes.9. 918.c.7.Vniuscuiusq;. 956.b. 9.Intellectu. 1015.d.8.fidem. Post col. 1012.fac. 1013.& sequenti.1014. 1159.c. 13.Vnigenitus. 1215.c.Gen.24. 1241.c.Exod.38. 1262.d. 1 Reg.24 142. c.3. 1288.c.Eccle.7. 1291.D.Marc.9 1297.b.10.ac si. 1303.c.Gen.19. 1321.d Rom.13.

TOMI SECVNDI.

197.d.7.Quartodecimo. 303.in marg.c.Mar.1. 312.d.1.facim⁹. 566.a.4.nescientes. 683.c.9.horũ. 684.d.9.communi. 771.c.6.ei. 771.d.13.generis. 772.b.10.sunt. 822.in marg.c.Matt.10. 865.d.3.iustitia. 873.a.1.sextus. 960.a.11.exhibere. 1019. b.3.districta. 1025.a.11.nos 1068.c.1.Vitæ. 1151.c.5.ordinabiliter. 1203.d.3.Nã 1211.d.12.dominicam. 1249.d.7.induti. 1305.c.4.desiderium. 1309.c.6.præpe dimur. 1310.a.2.abijt. 1352.in marg.d.cap.6. 1413.b.10.se. 149.b.Matth.9.

BASILEAE APVD HIERONYMVM FRO
BENIVM, ET NICOLAVM EPISCOPIVM,
ANNO. M. D. LI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca